OK RESERVE

No. DA170.R42 v.3



Stacks to Reserve

No. DA170.R42 v.3
The Public Library of the City of Boston.

W. Lames

HISTORIAE
BRITANNICAE
ET
ANGLICANAE
SCRIPTORES XX.

DUOBUS VOLUMINIBUS COMPREHENSI.

*

Imprimatur,

TIM. HALTON

Pro-Vice-Can. OXON.

Feb. 3. 1690.

HISTORIAE BRITANNICAE, SAXONICAE, ANGLO-DANICAE, SCRIPTORES XV.

EX


VETUSTIS CODD. MSS. *EDITI*

Opera

THOMAE GALE Th. Pr.

Præfatio oſtendit Ordinem.

Acceſſit Rerum & Verborum INDEX Locupletiſſimus.



8931

OXONIAE,

E THEATRO SHELDONIANO

M. DC. XCI.

*DA170
.R42
v.3

Billings
Mar. 21, 1906
a.
3 vols.

CONTINENTUR

IN ~~PRIMO~~ hoc

VOLUMINE.

1 Gildas	Pag. 3.	9 Anonymus Elyenſ.	p. 463.
2 Eddius	p. 40.	10 Thomas Elyenſ.	p. 489.
3 Ninnius	p. 93.	11 Joan. Wallingford	p. 525.
4 Aſſerius	p. 141.	12 Rad. de Diceto	p. 553.
5 Ran. Higden.	p. 179.	13 Anonymus	p. 560.
6. W. Malmesb.	p. 291.	14 Joan. Fordun.	p. 565.
7 Anonymus Malmeſ.	p. 337.	15 Alcwinus Flaccus	p. 730.
8 Anonymus Rameſ.	p. 385	Appendix.	p. 735.

CONTINENTUR in Secundo VOLUMINE.

1 Annales de Margan.	Pag. 1.	3 Annales Waverleienſes	p. 129.
2 Chronicon Th. Wikes	p. 21.	4 Galf. Vineſalvus	p. 247.

Walterus Hemingford. p. 455.

Cum Indicibus copioſis.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Boston Public Library

http://www.archive.org/details/rerumanglicarums03fulm

AD

BENEVOLUM LECTOREM PRÆFATIO.

NUlla fere *Cis Alpina* gens (Lector candide) rerum ſuarum Scriptores nacta eſt aut antiquiores, quam *Britannia*; aut accuratiores, aut denique numero plures, qui ſua tempora literis commendarunt; affectantes potius fidelium Amanuenſium gloriolam, quam Hiſtoricorum ingentium oſtentationem.

Hiſpani quidem *Iſidorum Hiſpalenſem*, *Galli Gregorium Turonicum* primos apud ſe in hoc ſcriptionis genere laudant; Horum tamen utroque noſter *Gildas*, omnium conſenſu antiquior comperietur. Nec habent quenquam *Hiſpani*, *Galli*, aut vicini nobis *Germani*, quem, poſt longum intervallum, *Bedæ* noſtro, homini Sanctiſſimo, opponere velint. Poſtremo, ſi numerum Hiſtoriographorum quiſquam inire cupiat, facile hac quoque in parte circumpoſitas, & magnas quidem illas nationes vincemus.

Quanquam autem hæc à me vere dicta fuiſſe conſtat; neſcio tamen quâ infelicitate evenerit, ut nondum jam diu exortus fuerit aliquis apud nos, qui Hiſtorias *Britannicas*, perſpicua brevitate, fide inculpabili, & Latino ſermone deduxerit ad ſæculum huic noſtro proximum. Sane apud exteros reperire eſt quam plurimos, qui ſuam quiſque gentem, imo alienas, ab ipſa origine, face Hiſtorica illuſtraverint.

Rationes cauſaſque hujus infelicitatis & defectûs dum apud me ſubinde meditor & indago, duas inprimis deprehendiſſe videor. Quarum prima iſta occurrit

Magna quondam fuit codicum Hiſtoricorum, in diſſitiſſimis locis & obſcuris terræ angulis retruſorum, ignoratio.

Huic accedit anxia adhuc in pleriſque hodiernis Bibliothecis veterum Manuſcriptorum librorum incarceratio.

Priorem harum cauſarum ſuſtulit & amolitus eſt vir induſtrius *Joannes Boſtonus Burienſis*. Is quippe, regnante *Henrico* Septimo, omnes omnium *Angliæ* Monaſteriorum

a Biblio-

Bibliothecas perluſtravit, & quos Hiſtoriographos (nec non & alios auctores) earum quælibet ſubminiſtare ad uſus doctorum hominum valeret, Locupleti *Catalogo* complexus eſt.

Non eſt tamen diſſimulanda Monaſteriorum ſubverſio, quæ brevi ſubſecuta eſt: Hæc Libros omnes diſperſit, & *Boſtoni* providam diligentiam, maxima ex parte, inutilem reddidit. Nec fieri potuit, in tanta hominum fuga, ac tunc temporis facta eſt; in tanta rerum pretioſiſſimarum diſtractione, quin boni etiam codices, (nam malum fatum eos ſemper urget) aut corrumperentur Domi, aut in Longinquas terras amandarentur. Certe ſi famæ receptæ & inveteratæ credere liceat, unus *Polydorus Virgilius* Quæſtor tunc apud nos *Pontificius*, navem iſtis Spoliis onuſtam à ponte *Rhoffenſi Romam* miſit.

Utcunque, calamitas illa, quæ afflixit religioſas Domos, non tantum Diſpendii attulit Hiſtoricis noſtris, quantum primo aſpectu minitari eſt viſa. Dei enim benigna providentia (qui lucem è tenebris, & ordinem ex Chao produxit) viros aliquot magnos, eximieque de omni poſteritate merituros excitavit, qui diſjectos & palantes auctores certatim conquiſiverunt, & coemerunt.

Hos inſignes viros, quoniam ſcire Lector expetis, me nomenclatore cognoſces. Inter eos igitur recenſeo *Thomam Cromwellium*, *J. Foxium*, *Reverendiſſimum* Antiſtitem *Cantuarienſem Matthæum Parkerum*, *J. Baleum*, *Cæcilios*, *Bodleum*, *Thomam Howardum Arundeliæ* comitem, & potiſſimum *Cottonios*.

Omnes Hi, fatorum Sævitiæ intercedentes, nullis ſumtibus, nulli parcentes labori, Tabulas poſt naufragium diligenter collegerunt: Digni profecto, quorum fama extendatur; quoniam priorum famæ, & poſterorum commodis ipſi conſultum iverunt.

Atque ita rem eo tandem vertiſſe videamus; ut jam multo expeditius ſit contexendæ Hiſtoriæ negotium, quam fuerat ante Monaſteriorum demolitiones. Plane, iſtius Fabricæ inſtrumentum materia, & ſylva longe nunc eſt parabilior, quam fuit ætate *Boſtoni*.

Si tamen inquiſitio vetuſtorum librorum adhuc cuiquam nimis operoſa appareat; ſciat is magnificos illos Patriæ & eruditionis principes Viros, quos paulo prius deprædicari volui, omnes ſuas librorum Gazas, magna Liberalitate, in *Academias* noſtras tranſcripſiſſe. Habet *Cantabrigia*, habet *Oxonium* tum publicas tum privatas Bibliothecas inſtructiſſimas, & finitimis

nitimis gentibus invidendas. Denique, ut omnis cauſatio è medio penitus tollatur; Sciat ille, quiſquis bona fide Hiſtoriam noſtram per omne ævum explicare ſataget, nullum laudatum Scriptorem à ſe deſiderari exoptarique poſſe, quem *Cottonianus* ille incomparabilis theſaurus promptiſſime non exhibebit; Ea eſt, & ſemper fuit *nobilis Domus* erga literatos indulgentia.

Altera nunc iſtius querelæ, ſeu infelicitatis cauſa in examen veniat. Audio ſane multos ſæpiuſcule queri, *Admodum difficiles eſſe Bibliothecarum* aditus; *Aureum vellus* (quod aliqui critici antiquas fuiſſe membranas firmiſſime credunt) *extra fabulam à draconibus fuiſſe cuſtoditum*; *idem enim hodieque fieri apud nos contendunt.*

Improbitas hominum omnem iſtam cautelam induxit; & neceſſitas, quod jubet, excuſat. Quis non incandeſcat liberrima indignatione, cum videat ſubſtractos forulis optimos quoſque libros, quorum tamen indices & nomina in catalogis conſpiciantur? Quis non ingemiſcat, cum alios intueatur truncatos, deletos, raſos, & omni barbarie violatos?

Duo in hoc genere, omiſſis innumeris, exempla adfero. Extat Homilia quædam *Saxonica Cantabrigiæ*, in qua Homilia doctrina illa, (priſcis Patribus Eccleſiæ ne per ſomnium quidem cognita) recens, inquio, illa doctrina *Tranſubſtantiationis* evertitur. Sed non impune; Duæ treſve lineæ mala manu eraduntur. Dices, qui ſciri potuit, quid iſte docuerit locus, jam vacuus & mutus? Erat, (nam veritas opprimi non poteſt) *Exoniæ* eadem Homilia diligentius conſervata, ſana & integra.

Secundum nunc exemplum mecum perpende Lector; quod quidem omnem *Bibliothecariorum* moroſitatem facile tuebitur.

Juſſu Eccleſiæ *Britannicæ* auream Epiſtolam *Alcwinus* noſter ſcripſit contra *Cultum Imaginum*. Fulta erat ea Epiſtola plurimis è S. Scriptura legitime petitis teſtimoniis; ſuffragiis confirmabatur totius *Britannici* cleri; Synodum *Francofurtanam*, & *Carolum Magnum* de *cultu illo imaginoſo* fluctuantes mirifice erudivit; errorem naſcentem confutavit, veritatem aſſeruit. Hæc Epiſtola, o factum male! deſideratur; Aliæ minoris momenti ſatis multæ ad nos ab *Alcwino* deſcenderunt, quibus profecto omnibus, æquo animo, præ hac una, carere poſſimus. Auget dolorem, quod volumen ipſum hactenus in oculos incurrat, ex quo multi credunt (adducti non obſcuris veſtigiis) illam Epiſtolam fuiſſe exciſam.

Eſto tamen; *Bodleiana* Bibliotheca ſuos calamo exaratos auctores: itidem & *Benedictina* ſuos ſolicitius recondunt.

Iterum ad *Cottonios* decurramus; Horum fores (ut illæ *Mu*-

ſarum, apud *Pindarum*) omnibus patent. Teſtes appello *Theologos*, *Antiquarios*, *Juriſconſultos*, *Bibliopolas*; qui quidem omnes ex *Cottoniana* Bibliotheca, tanquam ex perenni, ſed & communi fonte, ſine impenſis, & moleſtia abunde hauſerunt.

Opinor igitur huic ſive querelæ ſive obſtaculo, quod ſatis eſt, fecimus. Et poterat ea quidem inanis & omnino ſupervacanea videri: ſerum enim eſt cuſtodibus Bibliothecarum dicam nunc ſcribere, poſtquam omnes jampridem *Soſiorum* tabernæ Hiſtoricos noſtros, magna copia, nummis paucis venum exponant.

Nequis enim penuriam monimentorum antiquorum cauſaretur; Plurimi literarum Patroni, cives egregii, Patriæ amantes, & rei publicæ ſtudioſi, pulchre caverunt; qui ſuas ipſi Bibliothecas reſerantes, in uſum & ſinum lectoris effuderunt *Vitas*, *Annales*, *Hiſtorias*, *Chronica* omnium temporum.

Hujuſce chori, merito ſuo, præſulem laudo Sanctiſſimum illum Archiepiſcopum *Cantuarienſem Matthæum Parkerum*. Secundas tribuo *Gulielmo Howardo*; Tertias *H. Savilio*. Nec ſilentio obvolvendi *Camdenus*, *Seldenus*, *Watſius*, aut denique piiſſimus integerrimuſque vir *Joannes Fell*, *Oxonienſis* Epiſcopus mihi, non niſi præmiſſo honore, ſemper recolendus.

Magni Ego hujus & magnifici viri creberrimis hortatibus, &, cum moreretur, divina voce inſtinctus, deſcripſi, propriis ſumtibus, aut manu, hos *ineditos rerum Britannicarum Scriptores*, & inter mille moleſtias eruderavi. Tantum apud me valuit ſive morientis & cœlos jamjam ingreſſuri obteſtatio, ſive communis Parentis amor & utilitas; Nam privata commoda me ſecutum fuiſſe ſuſpicabitur nemo.

Ex his autem Scriptoribus *Gildas* primo cum præfatione *Polydori Virgilii* exivit; deinde cura *Joannis Joſſelini*. Hæ duæ editiones adeo inter ſe diſcordabant, ut omnem fidem *Auctori* ſuo detraherent, & *Gildam* in *Gilda* adhuc quæreres. Quare conſultiſſimum habui eum denuo excudere; ſcripto codice uſus, quem priorum editorum neuter inſpexerat, quique purus eſſet à fœda & abſurda interpolatione, quæ alia exemplaria infamarat.

Nec uni ſoli in emaculando *Gilda* innixus ſum libro: aliunde etiam ad hanc rem ſuppetias accerſivi.

Tu igitur, optime Lector, boni conſule Laborem noſtrum in his Hiſtoricis concinnandis inſumtum. Duas res tibi ſcio eſſe chariſſimas, Tempus & oculos. His ut Tu parceres in veteribus Legendis, equidem nec oculis meis nec tempori peperci. Quod profecto haud feciſſem, *ni Te*, Et hæc ſtudia pæne *plus oculis meis amaßem*.

AD LECTOREM.

Iſta ſcripſeram; & jam in eo eram, ut Tibi, ut hujuſmodi curis, Lector, longum Vale dicerem; cum, ecce! intervenit Vir quidam primarius, in omni eruditionis genere celeberrimus, & Antiquitatum Patriæ, ſi quis alius, ſcientiſſimus. Is continuo mecum diſputare; *Aliud quoddam volumen Hiſtoricorum adhuc deſiderari; iſtius me jam olim ſpem oſtendiſſe. Multa ab ingreſſu Henrici III. ad Henricum VIII. aut intacta videri, aut timide gelideque fuiſſe tractata. In illo intervallo Scotiam ſubactam, Galliam victam, pacatam Hiberniam. Fleviſſe illa tempora Reges depoſitos, bella inteſtina, Nobilitatis & Legum oppreſſionem, Paparum dominatum, Plebeios furores, Eboracenſium & Lancaſtrienſium odia internecina, Regiæ Domus ſcenas plane Tragicas & largum cruorem. Horum tamen omnium ſteriles oppido & jejunas nos nunc legere Narrationes, & Breviaria potius quam juſtos commentarios.*

Eſt autem iſtius, (Pergit Ille,) *intervalli ideo diligentior ratio, & accuratius examen a nobis ineundum, quoniam & vivimus, & morimur eis legibus, quarum perſæpe mentem non capimus, eo quod earum origines & præviæ occaſiones hactenus lateant in caligine iſtorum infidelium temporum. Quid quod illa ipſa Sanctiſſima Legum apud Nos Mater, Magna Charta; nuſquam hodie compareat. Adi oraculum; conſule Juriſperitorum Deum. In Charta, quam ille ut genuinam, & juris Municipalis fundum explicandam ſibi propoſuit, iſta occurrunt* His teſtibus Bonifacio Cantuarienſi Archiepiſcopo, E. Londinenſi Epiſcopo, &c. Anno regni noſtri (1. *Henrici* III) nono. *Atqui Bonifacius ante annum XXVII. Henrici III non erat Cantuarienſis Archiepiſcopus, nec erat E. Londinenſis Epiſcopus, quamdiu ſedebat Cantuariæ Bonifacius.*

Mirum dictu, Simon Montfortius leges aliquot rogavit; Henricus tertius peſſimis uſus conſiliis, (hoc ei ſolenne fuit) non aſſenſit. Inde bellum civile, & proſcriptiones. Et tamen, quis crederet? illis ipſis Montfortii nefarii placitis obſequium perſolvimus.

Vide & illud; Henricus V. Homagia Magnatum ſuſcepit, antequam corona capiti imponeretur: Polydorus hoc memoriæ prodidit. Rite id fuiſſe factum volunt aliqui; totumque illud carmen juris jurandi, quod Rex Inaugurandus præſtat, arbitrarium eſſe affirmant. Sed regni conſuetudines, & mos majorum, & veritas aliud volunt. Hæc tamen nullam lucem accipiunt a ſcriptoribus jam publice extantibus; quemadmodum nec alia multa: quare ad tenebras has diſpellendas aliam tibi, inquit, *lampadem cenſeo accendendam.*

Hæc oratio tanti viri, quanquam me de priori ſententia, Le-

ctor erudite, non dimovit ut debuit, forte tamen Te, aut Tui ſimilem aliquem permoveat, ad proximum illud deſideratum volumen Hiſtoricorum elaborandum. Permitte me ἐνδόσιμον canere. Videor jam jam animo cepiſſe proſpectum hujuſce negotii. Admodum numerabiles ſunt, qui inter *Henricos* III. & VIII. ſcripſerunt; quia tuto ſcribere non licebat. Subitæ erant converſiones & rotæ rerum. Iſtis *Euripis Joannes Fortiſcutius* deprehenſus, ad ſpongiam ſe minime dignam adigebatur.

Nec Tu hic nimis ſectaberis (ſi me audias) vegrandes illos præcipue, & mille paginarum extructores; Satis conſtat, gemmam ſæpius in oſtreo Britannico, quam Balena reperiri; & arcana rerum frequentius nobis aperiri ab Exiguis Hiſtoricis, qui in remotis Monaſteriis latitabant, quam ab iis, qui fere in aula volitantes, *Regii Hiſtorici* ſalutabantur.

Naturæ ſpeculum in parvis quærebat *Epicurus*; Ego autem veritatis imaginem in minutioribus ſcriptoribus; præſertim, ſi ſui ævi res memorabiles exponant. Nam in picturis prima manus optatur. Et vinum, ſi teſtam primam mutet, flos deperit & vappa fit. Hæc de tertio volumine, quod expectatur, dixiſſe ſufficiat.

Venio jam, ô Lector patientiſſime, ad agendum paucis cum eo viro, quem ad Hiſtoriam univerſam hujus gentis ſcribendam aliquando exoriturum confido. Præter ea rerum geſtarum monimenta, quæ in libris editis & edendis continentur, alia ſunt ſubſidia, aliæ opes diligenter comparandæ.

Primo igitur Hiſtoriographus ille, quem animo fingo formoque (& Tu fortaſſe is es, quem optarem) ſedulo evolvet omnis generis *Rotulos* in *Turre Londinenſi* repoſitos. Horum cognoſcendorum tanto major debet eſſe ardor & ſitis, quanto certior & ſanctior eorum Auctoritas exiſtimatur. Inter *Rotulos* potiſſimum conſulet eos, qui *Parliamentarii* appellantur. Quorum inſpectio & fructuoſior, & minus difficilis; quique pluribus exemplaribus deſcripti in uſum liberiorem emanarunt. *Rotuli Normannici*, *Aquitanici*, *Andegavenſes*, & alii *forinſeci* (ſic vocant) nullo modo prætereundi; ſi priora & poſteriora regum noſtrorum geſta plene explicare cupimus.

Quotus autem quiſque eſt Hiſtoricorum noſtrorum, qui iſtam in partem ſatis incubuit? unum duntaxat collaudandum habeo, *Monachum* illum volo *Bridlingtonienſem*, quem conſtat multa *Acta* publicis in conciliis *Statuta* & *Ordinata* circa tempora Ed. III. retuliſſe in *Chronicorum Incidentia*, (ſic librum ſuum inſcripſit) ſed id opus aut periit, aut latet.

II. Penetrandum eſt Hiſtoriarum harum conditori in *Sanctu-*

arium illud Regium, quod patrio vocabulo dicimus Paper-Office. Hic intuebitur fontes rerum, arcana ſtatus, prima maximorum eventuum ſtamina, *Legationes*, *Epiſtolas*, *Reſcripta Principum*, *Fœdera*. Præclare hoc vidit accuratiſſimus, & fidei pleniſſimus *Scriptor Reformationis*, cujus operis fundamenta & ſtatumina fere omnia ex hoc armario depromebantur. Præbeat illa in fine *Appendix* Auctori quidem teſtimonium veracitatis, aliis ſcribendi exemplum.

III. His addere oportet utriuſque Domus *Parliamentariæ Libros Diurnos*. Hujus commatis prodierunt conflictiones, aliquot volumina, expectantur alia. Ex his & legum origines, & graviſſimarum Actionum cauſarumque exitus optime perſpiciuntur.

IV. Quartum ſortiantur locum *Juriſperitorum Reſponſa*, *Judicum Opiniones*, & *Annales*, *quos* Year-Bookes appellitant. Veniant quoque in cenſum hunc *Leges Saxonicæ*, *Leges Henrici I. Glanvilla*, *Bractonus*, *Thorntonus*, *Auctor Speculi*, *Fleta*. In his ſiquidem omnibus non contemnenda Hiſtorica ramenta ſervantur, quæ alibi, ni fallat memoria, non inveniuntur,

V. Diligens Hiſtoriæ noſtræ contextor *Monaſticon Anglicanum*, tanquam *Chronicorum* particularium penum quendam refertiſſimum, fideliter excutiet. Nec minus curioſo oculo perluſtrabit *Benedictinorum Acta*, in quibus permulta reperiet, quæ ignorari non debent; tametſi ad primæva tempora plurimum ſpectent. Denique ſi opus ſuum omnibus numeris eſſe velit abſolutum, Scriptores exteros Gallos maxime, in conſilium adſciſcet. *Bella*, *Fœdera*, *commercia*, *Matrimonia* noſtros Reges ſæpe cum *Galliarum* Regibus permiſcuere. His in rebus qui ſanum judicium exercebit, utramque partem audiat, oportet.

Jam, magna mihi hic copia commemorandi, quæ partes, quæ membra & articuli Hiſtoriæ patriæ quaſi luxati & interrupti pendeant; quos concinnare nemo poterit, niſi *Gallorum* ſcrinia inviſat. Exemplis paucis has quaſi foveas oſtendam.

Cur *Gulielmo* primo *G. Rufus* in regno ſucceſſerit, poſthabito ſeniore fratre *Roberto*, aut nullam, aut futilem rationem adferunt noſtri homines. Habuit certe ea res nobilem controverſiam; cujus *Gallorum* Rex arbiter delectus, ſolenne pro tribunali decretum protulit, & Fratres ad concordiam reduxit.

Aſylum libertatis priſcæ *Magna* illa *Charta* Regis Joannis; tanto Sanguine quæſita, toties empta, redempta, quiritata, ſi *Matthæo Pariſio* libeat ſtare, apud nos non extat. Sic veteres illi *Trojani* ſuum *Palladium* cuſtodiebant; Sic nos, eorum

rum poſteri, noſtrum. Hæc tamen *Charta* ad hoc ævi in Archivis *Gallicanis* conſpicitur, & qualis & quanta fuerit cum primo publicaretur

Liceat eorum, quæ ſupra dixi, tertiam probationem ſubnectere. Poſt magnas inter *Henricum* III & *Barones* digladiationes, tandem Partes litem totam *Gallorum* Regis judicio permiſere. Hæc quidem noſtri ſcriptores produnt. Quæ autem fuerint *conditiones*, quæ capita iſtius compromiſſi ; adhuc, quibus rationibus *Gallus Henrico* cauſam adjudicaret ; cur *Montfortius* iterum ad arma decurrerit, cognoſci non poteſt, niſi *Gallos* ſciſciteris. Hæc monuiſſe ſatis erit, nec pluribus opus eſt argumentis.

Satis ſarcinarum, *Inquies*: modo humeri eis ferendis idonei oſtendantur. Equidem mihi non videor iniquum quippiam aut impoſſibile poſtulare. Nam ſæculo ſuperiori *Lelandus*, *Baleus*, *Joſselinus* homines cordati de Hiſtoria noſtra ad ſuam ætatem deſcribenda ſerio agitabant, & magnis animis negotium aggreſſi ſunt. Poſtremo ſperare idem ab hominibus hujus ſæculi quæ tandem importunitas, quod *Trogus*, quod *Livius*, quod *Diodorus Siculus*, imo è recentioribus bene multi, cum ſumma laude, ſuis popularibus, ubivis gentium, præſtiterunt. Facile mihi omnes aſſenſuros pro certo habeo Hominem quendam, parem huic provinciæ conficiendæ, non ita dudum apud nos floruiſſe ; *Joannem Seldenum* intelligo.

Rem igitur à capite totam arceſſamus. Hiſtoriæ materia & inquiſitio propemodum confecta eſt. Accedat collatio, delectus, judicium ; vannus & cribrum. Procul habeatur ſtudium partium, & factioſum ingenium. Nam de Stylo & dictione minus laborandum. Speculum imitatio commendat, non aurum aut gemmæ. *Plinius* junior non veritus eſt pronunciare ; *Hiſtoria qualitercunque ſcripta delectat.* Ultra veritatem & expoſitionis ſimplicem religionem nihil exigitur. Non verba ſed res quærimus.

Plura iſtis monitis, ſive conſilio, non addo, tametſi plura ſuppetant; nam & aliena videri poſſint ab inſtituto præſenti ; & Te, Lector, fatigatum ad primam hujus tomi paginam deducere non minus à verecundia eſſet alienum. Res tamen ipſa poſtulare videtur, ut de his Auctoribus & libellis, eorumque ætatibus et ordine præmittantur quædam quaſi Notitiæ ; ita ad lectionem facilior via munietur, ita & legenti conſtare poterit, qua diligentia ipſe in his evulgandis ſim verſatus, ſi codices MSS. indicavero, è quibus iſtos omnes expreſſi.

GILDAS.

GILDAS. p. 3.

1 GIldas Hiſtoricus, Albanius, Badonicus, Sapiens, (tot enim innotuit titulis) Iltuti diſcipulus (ut prodit vitæ Scriptor Monachus Ruyenſis) floruit in illo Banchorenſi nobili cœnobio. Vixit contemporaneus multis Regulis Britannis, qui ſimul locis diverſis, cum imperio præfuerunt ſuis. Hos ob ſcelera, & rempub. male adminiſtratam, ipſe in tranſmarina Britannia (extra periculum) conſtitutus acerbe exagitat. Unum ex iis ad ſanam mentem revocavit; nam in quodam Chronico Cambrico legi de Conſtantino, quem Gildas increpuit,

CONVERSIO CONSTANTINI AD DOMINUM.

Scripſit præter alia *De Excidio Britanniæ.* citant Beda, Alcuinus, & Lupus, Saxonici ſcriptores: vixit anno 512, ut alii 565, vel, ut aliqui, 580. De eo W. Malm. in Antiq. Glaſt. p. 296. *Gildas Hiſtoricus; cui Britanni debent, ſi quid notitiæ inter cæteras gentes habent.* De eo pauca ſupra dixi.

EDDIUS. p. 40.

2. Eddius, vel Heddius, cognomento Stephanus; *primus, excepto Jacobo, cantandi magiſter in Northumbrorum Eccleſiis à Reverendiſſimo Wilfrido ex Cantia fuit invitatus,* ut ſcribit Beda l. 4. Hiſt. c. 2. Primus Wilfridi Epiſcopi Ebor. ſcripſit vitam ſoluta oratione, quam Fridigodus (Heddium ſecutus) carmine conſtrinxit: hanc vitam ante aliquot annos deſcripſi ex perantiquo exemplari *Cottoniano*, edendamque dedi V. O. J. *Mabillonio*. Nunc eandem ad codicem MS. *Sariſburienſem* emaculatam & auctam emitto. Claruit Eddius anno Gratiæ 720. Quo tempore Oſricus Northumbranis imperitabat.

NENNIUS. p. 39.

3. Nennius [aliis Ninnius] Banchorenſis Cœnobiarcha, Brito, *Elvodugi Presbyteri diſcipulus,* ut Boſtonus inquit. *Hic non contemnendus auctor* (verba ſunt Balei) *ex Annalibus Romanorum, Scotorum (Hibernenſium) & Saxonum compoſuit Hiſtoriam quandam, cui titulum impoſuit, Eulogium Britanniæ.* Hoc nunc primo edimus ex variis varie corruptis exempla-

 ribus

ribus, quam fieri potuit, (primis duntaxat curis) emendatum & repurgatum. Sex libellos ab hoc Nennio ſcriptos recenſet Baleus. Cave credas; ſunt utique omnes unus liber, diverſis nominibus ad pompam inſignitus. Unum Eulogium noveris, omnes noveris. Nennii codex, quem vidit ad S. Edmundum Baleus, & nunc ſervatur Cantabrigiæ apud Benedictinos, ea quæ dixi clare oſtendit. Multi ex Hiſtoricis noſtris Nennium laudant; Alii ſuo nomine, ut Rogerus Ceſtrienſis in *Polycraticis* ſuis, alii nomine Gildæ, falſa inſcriptione, opinor, decepti; inter quos Polydorus eundem errorem erravit; ut patet inſpicienti annotatiunculam, quam propria manu ſuo MS. *Gildæ* præfixit. Habetur ille codex in Bibliotheca *Cottoniana*. Claruit Nennius anno ſalutis per Chriſtum 620.

CHRONICON ſive ANNALES ASSERII.

4. Aſſerius [Ingulfo Asker] Menevenſis, Britannus, in fano S. Davidis Diſcipulus Joannis Eriugenæ. Hic tantum Magiſtrum nactus, ad ſcribendum feliciori pede, quam priores illi, acceſſit. Præter vitam optimi Regis & Patroni Alfredi optime conſcriptam, reliquit nobis Annales, quos nunc primum publico ex antiquo codice MS. Etiam cum illa appendicula in calce appoſita. Lelandus appellavit Chronicon S. Neoti, quia ibi in manus ejus incidit. Habent ſane eum titulum membranæ, ſed manu recentiori; nunc exſtat in Bibliotheca S. Trinitatis apud Cantabrigienſes. Horum Annalium Marianus maximam partem in ſuam Chronicam comportavit, tanta fide, tanta diligentia, ut non mutaverit illas formas Sermonis & loquendi proprietates, quæ Aſſerii ævo & perſonæ conveniebant; Mariano autem, nullo modo. Scripſit, ut dixi, Aſſerius vitam Alfredi. Eam edidit Archiepiſcopus Parkerus: codex ipſiſſimus quo ille uſus eſt, ſtat in Bibl. Cottoniana. Hoc monui, quoniam id vellent aliqui ita non eſſe. In ea Alfredi vita obiter emendandus iſte locus p. 15. l. 6. *Sicut ex Nobis Archiepiſcopum propinquum meum.* Scribe *ſicut & Novis Archiepiſc. propinquum meum.* Obiit Aſſerius, Epiſcopus Scireburnenſis, anno Dom. 909.

RANULPHUS HIGDENUS. p. 179.

5. Ranulphus Higdenus Monachus *Ceſtrienſis* ad S. *Werburgam.* A mundi conditu ad ſuam uſque ætatem Hiſtoriæ filum

protraxit

protraxit, adpoſita annorum ſupputatione diligenti. Multa è Bibliothecarum ſitu primus eruit. Et plurima apud eum, ex Chronicis deperditis, leguntur. Paulo fervidior inſurgit aliquando contra *G. Malmesburienſem.* Congeſſerat quidem Ranulphus in hoc ſuum Polychronicum (quod nunc primum Latine exit ex noſtro codice membranaceo) exterarum quoque gentium res geſtas; has in hac Editione reſecui, ut ſpero, ſine fraude Lectoris. Pro inſtituti mei ratione, in hoc volumine, uſque ad tempora Normannorum quæ ſcripſit, exhibui. Nam inferiora jam pridem in manus eruditorum pervenerant.

Vixit Ranulphus ſub *Richardo* 2, mortuuſque eſt circa Annum Dom. 1362.

GULIELMUS MALMESBURIENSIS. p. 291.

6. Gulielmus Somerſet, Bibliothecarius *Malmesburienſis*; notiſſimus ſcriptor; imo pæne Pater Hiſtoriæ gentis noſtræ. Et perveniſſet ad ſummam laudem, ſi *carbaſa* ſua non *impleſſet* poetico tumore; ſi veritatem Hiſtoriæ fabulis officioſis non contaminaſſet; ſi de *facetiis Gildæ*; ſi de *ſplendore*, & *dulcedine Aldelmi* minus prolixe judicaſſet. Præter alia multa (de quibus *Boſtonus, Lelandus* & *Baleus*) reliquit

Antiquitates Glaſtonienſis Eccleſiæ.

Has Antiquitates tranſcripſi ex membranis vetuſtis Bibliothecæ *Trin. Coll.* apud *Cantabrigienſes.* Vide n. 7.

ANONYMI ANTIQUITATES *Malmesburienſes.* p. 337.

7. Quoniam Libellus iſte calamo exaratus nullum Auctorem profitebatur, ideo ſub Anonymi vocabulo retuli in indiculum ſcriptorum horum. *Baleus* in Catalogo operum *Gul. Malmesburienſis*, inſcripſit *Vitam S. Aldelmi.* Certum eſt, non eſſe alium à V. libro *Pontificum* ejuſdem *Gulielmi.* Et *Baleus* imponit lectori, qui *Antiquitates Malmesburiæ* (quas compoſuiſſe ait *G. Malmesburienſem*) diverſum opus eſſe ab ea *Vita Aldelmi* voluit. Sed *Baleus* numerat, non ponderat ſcriptores ſuos, non noſtros. Hæc omnia probabo ex ipſius *Gulielmi* verbis. Is igitur in Libro 11 *de Geſtis Pontificum*, p. 241. pollicetur ſe ſcripturum de *Aldelmo.* Iſti loco clare ſuccinit

 Prologus

Prologus hujus V. Libri p. 337. *Totius Angl. quaquaverſum Epiſcopatibus circuitis, &c. domum revertor, ut de B. Patre Aldelmo pollicitum exequar meum.* Accedat his, quod ea omnia quæ p. 13. de *Geſt. Angl.* præmiſerat de *Aldelmo*, hic totidem fere verbis remetiatur. Lucubrationem iſtam quo anno conſummaverit Auctor, multis exponit in fine. Eam è ſupellectile mea promſi; primo quia nomen hujus Hiſtorici videbatur id poſtulare; deinde, quia ad pauca exemplaria (unum equidem ſolummodo vidi) recidiſſe ſuſpicabar; denique, quod magni facio, quoniam permulta antiqua Monumenta & Chartas conſervavit, quarum nonnullæ Chartis eis, quæ ſunt in *Ingulpho* non concordant. Olim cum ederem *Joannem Scotum Eriugenam*, ex hoc libro longum teſtimonium citavi; id hic extat p. 360, & 365. ubi monendus es, Lector, ea quæ uncinulis includuntur, non eſſe verba *Gulielmi*, ſed *Joannis Pariſienſis*.

Vixit *Gulielmus* Anno Chriſti 1141, ſub *Stephano* Rege.

HISTORIA RAMESIENSIS. p. 385.

8. Cœnobium *Rameſienſe* multos eruditos homines educavit. Inter alios, hujus *Hiſtoriæ compoſitorem Anonymum*, dictionis puritate & Styli nitore, ſcriptorum noſtrorum inferiorem nemini. Opus ſuum in IV *telas*, ut ipſe loquitur, diviſit. Harum *telarum* tres nunc proferimus. Quarta ab ingreſſu Normannorum, fortunam & ſtatum iſtius domus pertexebat; unde hoc ſaltem conſtat Auctorem poſt id temporis vixiſſe. Res iſta lucem tum accipiet, cum in lucem emerſerit multum mihi quæſita, & multum deſiderata illa pars quarta. Ex ea nonnulla laudat *H. Spelmannus* in *Gloſsario* quæ ad H. 1. tempora referri debent. Incidi in excerpta quædam, quæ inde deſumta fuerunt; codicem fugitivum nondum potui retrahere. Liber ille *Scaccarii*, unde Ectypon hoc fecimus, non procedit ultra paginam 462 hujus noſtræ editionis. Notulas quaſdam disjectas & confuſas, in fine, neglexi; nam ad ſequentia tempora, eæ, quales quales, pertinebant.

HISTORIA ELYENSIS ECCLESIÆ per ANONYMUM p. 463.

9. Primum librum de *Hiſtoria Elyenſi*, ſive de operibus *Æthelwoldi* quis conſcripſerit, nondum indagare potui. *Thomas*

mas Elyenſis, qui tres libros de vita & tranſlatione S. *Æthel-dridæ*, & rebus *Elyenſis* Cœnobii compoſuit, in procemio libri ſecundi de hoc opuſculo ſic ſcribit: *Ædelwoldus magna illic* [*in Ely*] *&* *digne commemoranda geſſit, quæ non plene in libro vitæ illius exarata ſunt. Quæ dum vir egregius, & prudens Herveius primus Elyenſis Epiſcopus, ut relatu digna compererat, de Anglico in Latinum transferri fecit, ſicque opere expleto librum de terris S. Æthelwoldi nominavit.* Latent igitur tum Anglicani operis conditor, (niſi is fuerit *Wolſtanus Wint.*) tum ejuſdem Latinus interpres. Nam vita illa S. *Æthelwoldi*, quam in Anonymi cujuſdam Hiſtoria de *Malmesburia* legi in collegio *S. Trin. Cant.* non eſſe ea videtur, quam quærimus. *Herveius* factus eſt Epiſcopus *Elyenſis* A. D. 1108, *Henrici primi* anno 9. vel, ut *Rameſienſis* liber in *Monaſt. Anglic.* 1099. Circa idem tempus illum meum codicem ſcriptum fuiſſe (unde hæc edo) multis conjecturis colligitur. Confer cum his paginam 463. vide etiam *Obſervationes* V. D. J. *Mabillonii* ad *ſæculum* II *Benedictinorum.* p. 738.

HISTORIÆ ELYENSIS Liber Secundus *per Thomam Elyenſem monachum.* p. 489.

10. Thomas *Elyenſis* Cœnobii monachus tres libros compilavit de Hiſtoria inſulæ *Elyenſis, de vita S. Ætheldrithæ, de Abbatibus, de Epiſcopis, de Tranſlatione S. Ætheldrithæ.* Horum primum ediderunt *F. F. Benedictini*, ſed non integrum; ſecundum nunc do, ſed non totum; quoniam nihil in iis, quos omiſi, attulit ſcriptor, quod non dictum prius. *Baleus* hæc opuſcula videtur tribuere *Richardo Elyenſi*; ſed ejus meminit, & laudat III libro, is, quem nunc *Thomam* eſſe arbitramur. Vixit auctor poſt annum 1166, ut ipſe ſcribit, & non anno 1169, ut *Godwinus* perhibet.

Liber meus ex quo editio hæc profluxit, ſcriptus fuit in membranis, tempore *Hen.* 3.

JOANNES WALLINGFORD p. 525.

11. Abbas Vigeſimus Primus ad *S. Albanum* fuit *Ioannes Wallingford.* Ejus vitam, ingenium, mores & res bene perperamque geſtas in *Vitis Abbatum S. Albani* cuiquam legere in promptu eſt. Sub nomine hujuſce Viri extat in Bibliotheca nobili *Cottoniana* exiguum volumen, quod duplicem com-

plectitur Hiſtoriam; prior tractat tempora *Saxonica* & *Danica*, poſterior à *Conquæſtu* pertingit ad annum XLII. *Henrici* III. continuata, opinor, per *Radulphum Wendover*; ſane ille *Joannes* fato functus erat A.D. 1214.

Priori illi volumini nomen *Joa. Wallingford* præſcripſi; quod alicubi ipſæ membranæ oſtendunt, donec dies certiora doceat.

Unicum hujus *Chronicæ* hactenus vidi exemplar, vetuſtum, obſolefactum, lacunoſum; Hinc tot in excuſo vulnera, tot errata. Fateor interim vitas Sanctorum me, data opera, aliquas abbreviaſſe, alias penitus prætermiſiſſe, ut alienas ab inſtituto & conſilio meo. Illud adjicio, multa in hoc ſcriptore haberi ex reconditioribus Hiſtoricis, præcipue de *Rebus Danicis*, quæ apud alios non temere occurrunt: conſuluit quoque de iis rebus, quæ *Normannis* nobiſcum communes fuerunt, ſcriptores *Normannicos*; quod pauci ante eum fecerunt. Valuit *Joannes* noſter & carmine pangendo. Et videtur Hiſtoriam, vel hiſtorias memorabiles, verſu tradidiſſe poſteris. Certe apud multos, qui aut poſt eum ſcripſerunt, aut veteres ante eum Hiſtoricos auxerunt & recenſuerunt, multa ejus citari carmina mihi ſatis conſtat.

RADULPHUS de DICETO. p. 553.

12. Auctor libri de *Fundatione Abbatiæ Waldenſis* vocat *Radulphum de Diſſeto*. Scripſit multa, de quibus etiam multa diſſeruit clariſſimus V. J. *Seldenus* in Præfatione ad *X. Scriptores*. *Abbreviationes Chronicorum* quæ habentur inter X. ſcriptores, (ut id obiter moneam) non fuerunt editæ ex optimo MS. Ego enim aliud exemplar vidi, & cum editis contuli; diſtinctioremque & pleniorem narrationem inveni. Sed & huic exemplari nonnulla deeſſe obſervavi, *viz.* omnia ea quæ impreſſus liber habet p. 438. de *Juſto & Honorio*, uſque ad, *in poſterum ſervetur*. Nimirum Monachi *Cantuarienſes*, egregii olim falſarii, voluerunt extra dubium conſtituere iſta de *Conſecrationibus Archiepiſcoporum*; quæ tamen *Bedæ*, dubia videbantur. Iterum huic codici, quem legi, deſunt ea omnia, quæ de *Egwino* & profectione ejus *Romam* ſcribuntur. pag. 442. Et alia quoque. Sed hæc extra orbitam. Vixit *Rad. de Diceto* ſub *Joanne* Rege, circa A. Chriſti 1210.

ANO-

ANONYMUS De PARTITIONE *Provinciæ, &c.* p. 560.

13. Codex MS. Bibliothecæ *Arundelianæ*, ex quo Schedas iſtas deſumſimus, varia continet diverſorum ſcriptorum opuſcula: è quibus Pauca ſuos Auctores præ ſe ferunt. Hinc incertos demittit nos, quid cuique ſit attribuendum. Non neſciebam extare apud *Gulielmum Malmesb.* p. 35. de *Geſtis* ſimilem huic tractatulum; & etiam apud *Alfredum* de *Beverlega.* Hunc tamen edendum curavi, quia & multo plura, & longe alia, ab utroque eorum, protulit. Obiter emendabis in p. 560. *Wereceſt.* in q. ſ. M. Hidæ. Linea prox. *Hereford, Salopesb.* adde, *M. M. & CCCC. Hidæ.*

JOANNES FORDUN. p. 565.

14. Joannes Fordun Scotus. De eo Gulielmus Camdenus *Britanniæ* ſuæ p. 712. *A mari remotior Fordon locatur, cui à Joanne de Fordon aliqua gloria, qui hinc oriundus Scoti-Chronicon magno labore ſedulo congeſſit, cujus ſtudio recentiores Scotorum Hiſtorici plurimum debent.* Hiſtoriam ſuam *J. Fordon* (ſic vulgo,) deduxit ad media tempora *Edwardi* III, ad annum ſc. 1360. Errant igitur, qui eum cum *Joanne* Abbate de *Fordham* confundunt; itidem qui ſub *Joanne* rege ponunt. *Scotichronicon* hoc interpolavit & continuavit *Magnus Macullach Fordunii* diſcipulus. Opus hoc continuatoris habetur hodie in Bibliotheca Regia ad S. *Jacobum Weſtmonaſterii.* Magis placuit mihi ipſum nudum *Fordunium* excudere. Et ſecutus ſum exemplar, quod olim poſſidebat *Hector Boethius*; ipſe nunc poſſideo. Sunt alii codices in Bibliotheca *Cottoniana* & *Benedictina*, ſed mutili & recentiores.

ALCWINUS. p. 703.

15. Alcwinus (ſic ſe ipſe nominat) & Latina interpretatione, *Flaccus*, vel *Albinus.* Neſcio cur *Baleus* in dubio reliquerit *Alcwini* patriam, quam ipſe in epiſtola ad *Eanbaldum* ſatis clare demonſtrarat, ſc. *Eboracum,* ubi ſe enutritum & educatum gloriatur, eamque patriam ſuam apud *Carolum M.* deprædicat. Hæc *Gu. Malmesburienſis* annotavit *De Geſtis* L. I. Quæ non veniſſe *Baleo* in mentem miror: certe quod non viderat

viderat poema hoc, non miror. Illud enim in *Angliam* primus reduxi, & in lucem produxi; ibi poſt principium

> ——————Patriæ *quoniam mens dicere laudes*
> *Et veteres cunas properat proferre parumper*
> Euboricæ *gratis præclaræ verſibus urbis.*

Sunt & alia his ſimilia, idem probantia, in fine carminis verba. Has vindicias, & tibi, *Alcwine*, & Patriæ communi debui. Cæterum hoc poema beneficio viri doctiſſimi *J. Mabillonii* accepi, quod gratiſſimo ore profiteor. Nulla ejus mentio apud Biographos. Neſciri tamen Auctor ſe ipſe noluit; nam verſibus 1515, 1530, 1552, bene perpenſis, elicies *Alcwinum* fuiſſe patrem hujus libelli; ne quid de Stylo, & temporis conſonantia, aliiſque indiciis prolixius diſſertare neceſſe habeam. Claruit *Alcwinus* anno Gratiæ 780. Extant apud me aliquot ejus epiſtolæ nondum publicatæ; ſed nunc his non erat locus.

Poteras, Lector candide, ſatis diu videri detentus in veſtibulo. Pro more tamen, adhuc conveniendus es, ut erratis præli favorabiliter ignoſcas; quæ magna ex parte irrepſiſſe intelliges per abſentiam Editoris, & eam ipſam ob cauſam minus ægre feres. Vale.

GILDAS.

GILDÆ
SAPIENTIS
DE
EXCIDIO BRITANNIÆ
LIBER Querulus.

Ex antiquiſſimo MS. Cod. Cantabrigienſi.

Ordo capitulorum in MS. Cod. Cantabrigienſi; *horum numeri ſtant in margine exteriori.*

Incipiunt capitula libri ſequentis.

Capitulum I.

DEſcriptio *Britanniæ* Inſulæ, & quod illa divina ſtatera terræ totius ponderatrice ſit librata, de ejus ſitu, habitu, & qualitate. De amœnitate, & pulchritudine. De fertilitate, & ubertate. De longitudine, & latitudine. De Civitatibus, antiquis & fluminibus præcipuis. De rivis pernitidis, & leni murmure ſerpentibus. De lucidis fontibus, & congruis animalium paſtibus. De frigidis lacubus, & torrentibus exundantibus.

II. De nimia Tyrannide Indigenarum, & crudelitate ſæviſſima Idololatrarum.

III. Quam doloſe *Romani* Britones ſibi ſubegerunt, & quam bellicoſe ipſis diutius reluctaverunt.

IV. Quomodo *Romani* poſtremo *Britonibus* præpoſitos vectigales præfecerint, ita ut non *Britannia*, ſed *Romania* Inſula cenſeretur: & quicquid habere potuiſſet æris & argenti, vel auri, Imagini *Cæſaris* notaretur.

V. Quo tempore Chriſtus in mundum venerit, & quanta perſecutio tempore *Diocletiani* emerſerit.

VI. Quanta Martyrum gloria tam in *Britannia* quam in univerſa tunc effloravit Eccleſia.

VII. Quomodo Eccleſia redivivo flore reſpiraverit, ſed tamen *Arriani* contagio infecta defecerit.

VIII. Qualiter gens *Britonum* Imperatores *Romanos* attriverit.

IX. Qualiter *Britones* arctati à *Scotis*, & *Pictis* pro *Romano* miſerint auxilio, & obtinuerunt. Et quale conſilium *Romani* eis dederint. Videlicet ut inter duo maria murum per millia paſſuum plurima trans inſulam inſtruerent, à mari *Scotiæ* uſque ad mare *Hiberniæ*, (i. e.) à Kair Eden civitas antiquiſſima, duorum ferme millium ſpatio à Monaſterio Abercurnig, quod nunc vocatur Abercorn*, ad occidentem tendens contra occidentem, juxta urbem Ateluth. At inſulani murum non tam lapidibus quam ceſpitibus conſtruentes, ad nihilum utilem ſtatuunt; quia, ſtatim *Romanis* repatriantibus, iterum ab ipſis impugnati ſunt.

X. Quam miſere legati *Britonum Romam* iterum mittuntur, ſciſſis veſtibus, nudis pedibus, opertis ſablone capitibus, lubricis greſſibus, lachrymoſis poſtulationibus, querulis vocibus, cunctis membris contrementibus à *Romanis* auxilia petentes & impetrantes.

XI. Quomodo *Britones* rurſum *Romanorum* ſolatium repetierint, & qualiter *Romani* ſeſe excuſaverint; ſed tamen laudare & monere cœperunt: ut murum armari ad mare facerent: quod & facerent, à mari *Norwagiæ* uſque ad mare *Gallwadiæ*, per octo pedes latum, & duodecim altum. Et turres per intervalla conſtruxerunt, eo in loco ubi *Severus* Imperator maximam foſſam, firmiſſimumque vallum crebris inſuper turribus communitum per CXXXII. paſſuum longe ante fecerat, (*i. e.*) à villa quæ *Anglice* Wallesende dicitur, *Latine* vero caput muri interpretantur: quæ eſt juxta Tinemuthe, qui murus multum diſtat à præfato vallo apud meridiem, quod antea apud Kair Eden ſupra mare *Scotiæ* conſtituerant.

XII. Qualiter gens ſcabra *Scotorum* comperta excuſatione *Romanorum* in *Britones* inſurrexerint, & eos proſequendo laceſſerint.

XIII. Quod *Britones* adhuc more ſolito ad *Romanos* mittentes nihil profecerint: ſed curſum ſuis viribus innitentes *Pictos* propulerint.

XIV. Quomodo omnis juſtitia à *Britonibus* perierit, & omnis nequitia pro veritate, etiam inter religioſos; ſuccreverit.

XV. Quod *Britones* pro ſaxonibus miſerunt, & eos, Deo Judicante, pro peccati flagella ſuſceperunt.

XVI. Qualiter gens *Saxonica* cum tribus Kyulis *Britanniam* appulerit, & poſtea *Britones* impugnaverit.

XVII. Quomodo *Saxones* ſumptus majores ſolito expetunt; & hoc genere impugnandi materias quæſierunt & ſancta Dei diripuerunt.

XVIII. Qualiter *Ambroſius Aurelianus* ſolus eis reſtiterit, & quis *Gildæ Sapientis* nativitatis annus ſit.

XIX. Quomodo gens *Britannica* poſtea tota Idololatriæ erroribus ſit ſubdita.

XX. Recapitulatio ſingulorum quæ ſuperius deſcripta ſunt Epigrammatum. In qua recapitulatione operis promittit auctor ſe majorem librum de Regibus *Britonum*, & de præliis eorum deſcribendum, quem & poſtea facit.

Expliciunt Capitula.

Præfatio

Præfatio Gildæ.

IN [a] hoc libro' quicquid deflendo potius quam declamando (vili licet ſtylo, tamen benigno) fuero proſecutus, ne quis me, affectu cunctos ſpernentis, omnibuſve melioris (quippe qui commune bonorum diſpendium malorumque cumulum lachrymoſis querelis defleam) ſed condolentis patriæ incommoditatibus, miſeriiſque ejus, ac remediis condelectantis, edicturum putet; quia [b] vero' non tam fortiſſimorum militum enunciare trucis belli pericula mihi ſtatutum eſt, quam deſidioſorum: Silui (fateor) cum immenſo [c] dolore mentis', & animi compunctione, cordiſque contritione, & attonito ſenſu ſæpius hæc omniâ in animo revolvere, & (ut mihi renum ſcrutator teſtis eſt Dominus) ſpatio biluſtri temporis, vel eo amplius prætereuntis: imperitia, ſicut & nunc, [d] una cum

a Hac Epiſtola. *b* *Deeſt.* *c* Cordis dolore. *Reliqua autem deſiderantur, uſque ad,* ut mihi. *d* Una cum vilibus me meritis inhibentibus, ne qualemcunque admonitiunculam ſcriberem. *In impreſſis ſequuntur iſta*: Legebam nihilominus, admirandum Legiſlatorem ob unius verbi dubitationem, terram deſiderabilem non introiiſſe: filios Sacerdotis alienum admovendo altari ignem, cito exitu periiſſe: populum verborum Dei prævaricatorem ſexcentorum millium (duobus exceptis veracibus) & quidem Deo chariſſimum (quippe cui iter leviſſime ſtratum profundi glarea maris rubri, cibus cœleſtis panis, potus novus ex rupe viator, acies invicta manuum ſola intenſa erectio fuerit) beſtiis, ferro, igni per Arabiæ deſerta ſparſim cecidiſſe: poſt ingreſſum ignotæ acſi Jordanis portæ, urbiſque adverſa mœnia, ſolis tubarum clangoribus juſſu Dei ſubruta: palliolum aurique parum de anathemate præſumptum multos ſtraviſſe: Gabaonitarum irritum fœdus (calliditate licet extortum) nonnullis intuliſſe exitium: ob peccata hominum querulas ſanctorum Prophetarum voces, & maxime Hieremiæ ruinam civitatis ſuæ quadruplici plangentis alphabeto. Videbamque etiam noſtro tempore, ut ille defleverat, *Solam ſediſſe urbem viduam, antea populis plenam, gentium dominam, Principem provinciarum ſub tributo fuiſſe factam* (id eſt Eccleſiam) *obſcuratum aurum, coloremque optimum mutatum* (quod eſt verbi Dei ſplendorem) *Filios Sion* (id eſt, ſanctæ matris Eccleſiæ) *inclytos & amictos auro primo,* amplexatos fuiſſe ſtercora. Et quod illi intolerabiliter utpote præcipuo, mihi quoque licet abjecto, utcunque ad cumulum doloris creſcebat, dum ita eoſdem ſtatu proſpero viventes egregios luxerat, ut diceret; *Candidiores Nazaræi ejus nive, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores.* Iſta ego & multa alia veluti ſpeculum quoddam vitæ noſtræ in Scripturis veteribus intuens convertebar etiam ad novas, & ibi legebam clarius, quæ mihi forſitan antea obſcura fuerant, ceſſante umbra, ac veritate firmius illuceſcente. Legebam (inquam) Dominum dixiſſe: *Non veni, niſi ad oves perditas domus Iſrael.* Et è contrario: *Filii autem regni hujus ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et iterum: *Non eſt bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus.* Itemque: *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ.* Audiebam: *Multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cœlorum.* Et è diverſo: *Et tunc dicam eis: Diſcedite à me operarii iniquitatis.* Legebam: *Beatæ ſteriles, & ubera quæ non lactaverunt.* Et è contrario: *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias: poſtea venerunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine aperi nobis.* Quibus reſponſum fuerat: *Non novi vos.* Audiebam ſane: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur.* Legebam Apoſtoli voce, Oleaſtri ramum bonæ olivæ inſertum fuiſſe: ſed à ſocietate radicis pinguedinis ejuſdem, ſi non timuiſſet, ſed alta ſaperet, excidendum. Sciebam miſericordiam Domini, ſed & judicium timebam. Laudabam gratiam, ſed redditionem unicuique ſecundum opera ſua verebar. Oves unius ovilis diſſimiles cernens, merito beatiſſimum dicebam Petrum ob Chriſti integram confeſſionem, at Judam infœliciſſimum, propter cupiditatis amorem. Stephanum glorioſum ob martyrii palmam, ſed Nicolaum miſerum propter immundæ hæreſios notam. Legebam certe: *Erant illis omnia communia*: ſed & quod dictum eſt: *Quare convenit vobis tentare ſpiritum Dei?* Videbam è regione quantum ſecuritatis hominibus noſtri temporis, acſi non eſſet quod timeretur, increverat. Hæc igitur & multo plura, quæ brevitatis cauſa omittenda decrevimus, cum qualicunque cordis compunctione attonita mente ſæpius voluens: ſi, inquam, peculiari ex omnibus nationibus populo, ſemini regali, gentique ſanctæ (ad quam dixerat: *Primogenitus meus Iſrael*) ejuſque Sacerdotibus, Prophetis, Regibus per tot ſecula, Apoſtolo miniſtro, membriſque illius primitivæ Eccleſiæ Dominus non pepercit cum à recto tramite deviarint; quid tali hujus atramento ætatis facturus eſt, cui præter illa nefanda immaniaque peccata, quæ communiter cum omnibus mundi ſceleratis agit, accidit etiam illud veluti ingenitum quid & indelebile inſipientiæ pondus, & levitatis ineluctabile. Quid? (mihimet aióne miſer) tibi veluti conſpicuo ac ſummo doctori talis cura committitur, ut obſtes ictibus tam violenti torrentis, & contra hunc inolitorum ſcelerum funem, per tot annorum ſpatia interrupte lateque protractum, *ſerves depoſitum tibi creditum?* Et: Taceas, alioquin hoc eſt dixiſſe pedi, Speculare; & manui, fatere. Habet Britannia rectores, habet ſpeculatores. Quid tu nugando mutire diſponis? Habet (inquam) habet, ſi non ultra, non citra numerum. Sed quia inclinati

cum chariſſimis mei amicis imperantibus, ut qualemcunque gentis *Britannicæ* hiſtoriolam, ſive admonitiunculam ſcriberem'. In zelo igitur domus Domini, ſacræ legis, ſeu cogitatuum rationibus, vel fratrum religioſis precibus coactus, nunc perſolvo debitum, multo tempore antea exactum, vile quidem [a] ſtylo', ſed fidele (ut puto) & amicale quibuſque egregiis Chriſti tyronibus; grave vero & importabile apoſtatis inſipientibus: Quorum priores (ni fallor) cum lachrymis forte quæ ex DEI charitate profluunt, alii cum triſtitia (ſed quæ de indignatione & puſillanimitate deprehenſæ conſcientiæ extorquetur) illud excipient. [b] Igitur', Deo volente, pauca, 1. De ſitu. 2. De contumacia. 3. De ſubjectione. 4. De rebellione. 5. [c] De ſecunda ſubjectione, ac duro' famulatu. 6. De religione. 7. De perſecutione. 8. De Sanctis Martyribus. 9. De diverſis hæreſibus. 10. De tyrannis. 11. De duabus gentibus [d] victricibus'. [e] De prima vaſtatione. 12. De defenſione. 13. [f] De ſecunda vaſtatione. 14. De ſecunda ultione. 15. De tertia vaſtatione. 16. De fame. 17. De [g] epiſtolis'. 18. De victoria. 19. De ſceleribus. 20. De nuntiatis ſubito hoſtibus. 21. De famoſa peſte. 22. De conſilio. 23. De ſæviore multo primis hoſte. 24. De urbium ſubverſione. 25. De reliquiis. 26. De poſtrema [h] pace, quæ' poſtrema victoria temporibus noſtris Dei nutu donata eſt, dicere [i] curabo'.

clinati tanto pondere ſunt preſſi, idcirco ſpatium reſpirandi non habent. Præoccupabant igitur ſe mutuo talibus objectionibus, vel multo his mordacioribus, veluti condebitores ſenſus mei. Hi non parvo (ut dixi) tempore (cum legerim *tempus eſſe loquendi & tacendi*) & in quadam acſi anguſta timoris porticu luctabantur. Obtinuit, vicitque tandem aliquando Creditor: Si non es, inquiens, talis audaciæ, ut inter veridicas rationalis ſecundæ à nuntiis derivationis creaturas non pertimeſcas libertatis aureæ decenti nota inuri, affectum ſaltem intelligibilis aſinæ eatenus elinguis non refugito ſpiritu DEI afflatæ, nolentis ſe vehiculum fore tiarati magi devoturi populum Dei, quæ in anguſto maceriæ vinearum reſolutum ejus attrivit pedem, ob id licet verbera hoſtiliter ſenſerit, cuique Angelum cœleſtem enſem vacuum vagina habentem, atque contrarium (quem ille cruda ſtoliditate cæcatus non viderat) digito quodammodo, quanquam ingrato ac furibundo, & innoxia ejus latera contra jus faſque cædenti demonſtravit. In Zelo igitur &c.

a Deeſt. *b* Sed ante promiſſum. *c* Item de ſubjectione ac diro. *d* Vaſtatricibus. *e Deeſt.* *f* Itemque vaſtatione. *g* Epiſtolis ad Agitium. *h* Patriæ victoria, quæ. *i* Conamur.

Explicit Præfatio.

Incipit

INcipit Liber querulus S. *Gildæ Sapientis* de excidio *Britanniæ*. De calamitatibus & prævaricationibus ejus civium. De exulatione *Britonum*, & duris oppreſſionibus eorum, & quam doloſe *Romani* eos ſibi ſubegerint, & quam bellicoſe ipſis diutius reſtiterint: & quomodo *Romani* poſtremo eis præpoſitos vectigales præfecerint, ita ut non *Britannia* ſed *Romana* Inſula vocaretur, & omnis moneta auri, argenti, & æris imagini *Cæſaris* notaretur. Quo tempore Chriſtus in mundum venerit. Et quanta perſecutio tempore *Diocletiani* emerſerit. Quantum martyrum gloria tunc *Britannia* effloruerit. Qualiter gens *Britonum* Imperatores *Romanos* attriverit.

Hiſto-

[a]HISTORIA

GILDÆ.

De ſitu Britanniæ.

B*RITANNIA* inſula in extremo ferme orbis limite circium occidentemque verſus, divina, ut dicitur, ſtatera terræ totius ponderatrice librata; ab Africo boriali propenſius tenſa axi, octingentorum in longo milium, ducentorum in lato ſpacium (exceptis diverſorum prolixioribus promontoriûm tractibus, quæ arcuatis oceani ſinibus ambiuntur) tenens: cujus [b]diffuſione, & (ut ita dicam) intranſmeabili undique circulo, abſque meridianæ freto plagæ, (quo ad Galliam Belgicam navigatur) vallata [c]duûm oſtiis nobilium Thameſis ac Sabrinæ fluminum veluti brachiis (per quæ eidem olim tranſmarinæ delitiæ ratibus vehebantur) aliorumque minorum, meliorata bis denis biſque [d]quaternis civitatibus, ac nonnullis [e]Caſtellis, [f]murorum, turrium ſerratarum, portarum, [g]domorumque ([h]quorum culmina minaci [i]proceritate porrecta in [k]edito forti compage [l]pangebantur) [m]molitionibus non improbabiliter inſtructis decorata; [n]campis late panſis, collibuſque amœno ſitu locatis præpollenti culturæ aptis, [o]montibuſque alternandis animalium paſtibus [p]magne convenientibus ([q]diverſorum colorum flores humanis greſſibus pulſati, non indecentem [r]quondam ſeu picturam eiſdem [ſ]imprimebant) electa veluti ſponſa monilibus diverſis ornata; fontibus lucidis, crebris undis niveas veluti glareas pellentibus, pernitidiſque rivis leni murmure ſerpentibus, [t]quorumque in ripis accubantibus ſuavis ſaporis pignus prætendentibus, & lacubus frigidum aquæ torrentem vivæ exundantibus irrigua.

a Epiſtola. *b* Diffuſiore. *c* Duorum. *d* Quaternis fulget *Frag. apud Johan à Boſco.* *e* Caſtellis decoratur. *Ita Fragm. ſupradictum.* *f* Murorum quoque ac turrium, ſerratarum portarum. *Ita Fragm.* *g* *Deeſt* que *Joſſ.* Domorum etiam. *Frag.* *h* Quarum. *i Ita Joſſ. & Fragm. In MS. vero Cant. corrupte legitur* proteleritate. *k* Editum *Fragm.* *l* Cernuntur *Frag.* *m* Munitionibus. *Joſſ. Locus autem integer hoc modo legitur in Frag.* non improbabiliter eſt adornata inſtructis munitionibus. *n* Campis quoque fulget. *Frag.* *o Deeſt* que *Joſſ.* montibus etiam *Frag.* *p* Maxime *Joſſ.* Optime *Frag.* *q* Quorum diverſorum *Joſſ. Parentheſi incluſa ſic leguntur in Fragm.* qui diverſorum colorum floribus grati redduntur humanis viſibus. *Quæ vero ſequuntur uſque ad finem capitis hoc modo*: veluti electa ſponſa diverſis ornata monilibus. Fontibus lucidis crebriſque gaudet; ex quibus rivuli leni murmure ſerpentes, ſuave pignus ſoporis tribuunt viatoribus feſſis. Duorum etiam oſtiis nobilium fluminum, Tameſis videlicet ac Sabrinæ, veluti brachiis meliorata, per quæ eidem Britanniæ olim tranſmarinæ deliciæ ratibus vehebantur: aliorumque fluminum minorum infuſione irrigatur. *r Deeſt.* *ſ* Imprimebat. *t* Ipſorumque.

De contumacia.

II. Hæc erecta cervice & mente, ex quo inhabitata eſt, nunc Deo, interdum civibus, nonnunquam etiam tranſmarinis Regibus, & ſubjectis [a] interdum′ ingrata conſurgit. Quid enim deformius, quidque iniquius poteſt humanis auſibus vel eſſe, vel intromitti negotium, quam Deo timorem, bonis civibus charitatem, in altiore dignitate [b] compoſitis′ abſque fidei detrimento debitum denegare honorem, & frangere divino ſenſui humanoque fidem, & abjecto cœli & terræ metu, propriis adinventionibus aliquem [c] ex′ libidinibus Regi? Igitur non omittens priſcos illos communeſque cum omnibus gentibus errores, quibus ante adventum Chriſti in carne omne humanum genus obligabatur adſtrictum, nec enumerans patriæ portenta ipſa diabolica, pene numero [d] vincentia Ægyptiaca′ (quorum nonnulla, lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deſerta mœnia ſolito more rigentia, torvis vultibus intuemur) neque nominatim inclamitans montes ipſos, aut colles, vel fluvios olim exitiales (nunc vero humanis uſibus utiles) quibus divinus honor à cæco tunc populo cumulabatur: & tacens vetuſtos immanium tyrannorum annos, qui in aliis longe poſitis regionibus vulgati ſunt (ita ut Porphyrius [e] rabidus canis orientalis adverſus Eccleſiam′ dementiæ ſuæ ac vanitatis ſtylo hoc etiam adnecteret: *Britannia* [f] eſt′, inquiens, *fertilis Provincia tyrannorum*) illa tamen proferre conabor in medium, quæ temporibus Imperatorum Romanorum & paſſa eſt, & aliis intulit civibus [g] longe′ poſitis mala: quantum tamen potuero, non tam ex ſcripturis patriæ, ſcriptorumve monumentis (quippe quæ, vel ſi qua fuerint, aut ignibus hoſtium exuſta, aut civium [h] exilii′ claſſe longius deportata, non compareant) quam tranſmarina relatione, quæ crebris irrupta intercapedinibus, non ſatis claret.

De ſubjectione.

III. Etenim Reges [i] Romani′ cum orbis imperium obtinuiſſent, ſubjugatiſque finitimis quibuſque regionibus vel inſulis orientem verſus, prima Parthorum pace Indorumque confinium (qua peracta, in omni pene terra tum ceſſavere bella) potioris famæ viribus firmaſſent, non acies flammæ quodammodo rigidi tenoris ad occidentem cæruleo Oceani torrente [k] vel cohiberi potuit′, vel extingui: ſed transfretans inſulæ parendi leges nullo obobſiſtente advexit, imbellemque populum ſed infidelem, non tam ferro, [l] &′ igni, [m] machiniſque′ (ut alias gentes) quam ſolis minis, vel judiciorum concuſſionibus, in ſuperficie tamen vultus, preſſo in altum cordis dolore, ſui obedientiam proferentem edictis ſubjugavit.

De rebellione.

IV. Quibus ſtatim Romam, ob inopiam ceſpitis, ut [n] aiunt′, repedantibus, & nihil de rebellione ſuſpicantibus, rectores ſibi relictos ad enuntianda plenius vel confirmanda Romani Regni molimina Leæna trucidavit doloſa. [o] Quibus ita geſtis cum talia Senatui nuntiarentur, & propero exercitu [p] vulpeculis (ut fingebat) ſubdolis′ ulciſci feſtinaret: non militaris in mari claſſis parata fortiter dimicare pro patria, neque quadratum agmen, [q] nec′ dextrum cornu, [r] aliuſve′ belli apparatus in littore [ſ] conſeritur′, ſed terga pro [t] ſcutis′ fugantibus [u] dabantur′, & colla gladiis (gelido per oſſa tremore currente) manuſque vinciendæ muliebriter protenduntur: ita ut in proverbium & deriſum longe lateque [x] efferatur′ quod non Britanni ſunt in bello fortes, nec in pace fideles.

De ſecunda ſubjectione, ac duro famulatu.

V. Itaque [y] multis Romani′ perfidorum cæſis, nonnullis ad ſervitutem (ne terra penitus in ſolitudinem redigeretur) mancipalibus reſervatis, patria vini oleique [z] experte′, Italiam petunt, [a] ſuorumque′ quoſdam [b] præpoſitos relinquentes′, indigenarum dorſis maſtigias, cervicibus jugum, ſolo nomen Romanæ ſervitutis hærere facturos, ac non tam militari manu quam [c] flagellis′ callidam gentem maceraturos, & ſi res ſic poſtulaviſſet, enſem (ut dicitur)

a Deeſt. *b* Poſitis. *c* Et. *d* Ægyptiaca vincentia. *e* Rabidus orientalis adverſus Eccleſiam canis. *f Deeſt.* *g* Et longe. *h* Exulum. *i* Roman. *k* Potuit vel cohiberi. *l Deeſt.* *m* Machinis. *n* Ut agebant *Joſſelin. male.* *o Hic incipit Cap.* IV. *in MS. Cant* *p* Vulpeculas (ut fingebat) ſubdolas. *q* Neque. *r* Aliive. *ſ* Conſeruntur. *t* Scuto. *u* Dantur. *x* Efferretur. *y* Romani multis *z* Experte relicta. *a* Suorum. *b* Relinquentes præpoſitos. *c* Flagris.

vagina

vagina vacuum lateri ejus [a] populi' accommodaturos; ita ut non Britannia, ſed [b] Romana Inſula' cenſeretur, & quicquid habere potuiſſet æris, argenti, vel auri, imagine Cæſaris notaretur.

De religione. [c] VI'. Interea glaciali frigore rigenti inſulæ, & velut longiore terrarum ſeceſſu ſoli viſibili non proximæ, verus ille [d] ſol', non de [e] firmamento' temporali, ſed de ſumma etiam cœlorum arce tempora cuncta excedente, univerſo orbi præfulgidum ſui coruſcum oſtendens; tempore (ut ſcimus) ſummo Tiberii Cæſaris, (quo abſque ullo impedimento ejus propagabatur religio, comminata, ſenatu nolente, à principe morte dilatoribus militum ejuſdem) radios ſuos primum indulget, id eſt, ſua præcepta Chriſtus.

De perſecutione. VII. Quæ licet ab incolis tepide ſuſcepta ſunt, apud quoſdam tamen integre, & alios minus uſque ad perſecutionem Diocletiani tyranni novennem: in qua ſubverſæ per totum mundum ſunt Eccleſiæ, & cunctæ ſacræ ſcripturæ, quæ inveniri potuerunt, in plateis exuſtæ, & electi ſacerdotes gregis Domini cum innocentibus ovibus trucidati: ita ut ne veſtigium quidem (ſi fieri potuiſſet) in nonnullis [f] provinciis' Chriſtianæ religionis appareret. [g] Permanſere' tunc quantæ fugæ, quantæ ſtrages, quantæ diverſarum mortium pœnæ, quantæ [h] religionis' apoſtatarum ruinæ, quantæ [i] glorioſiſſimorum' martyrum coronæ, quanti perſecutorum rabidi furores, quantæ è contrario Sanctorum patientiæ fuere, eccleſiaſtica hiſtoria narrat: ita ut agmine denſo certatim (relictis poſt tergum mundialibus tenebris) ad amœna cœlorum regna, quaſi ad propriam ſedem, tota feſtinaret Eccleſia.

De Sanctis Martyribus. VIII. Magnificavit igitur miſericordiam ſuam [k] Deus nobiſcum' *volens omnes homines ſalvos fieri*, & *vocans* non minus *peccatores*, quam eos [l] qui putant ſe *eſſe juſtos*', qui gratuito munere ſupradicto (ut [m] cognoſcimus') perſecutionis tempore, [n] ne' craſſa atræ noctis caligine Britannia obfuſcaretur, clariſſimas lampades Sanctorum martyrum nobis accendit, quorum nunc corporum ſepulturæ, & paſſionum loca, ſi non lugubri [o] divortione' barbarorum, quamplurima ob ſcelera noſtra, civibus adimerentur, non minimum intuentium mentibus ardorem divinæ charitatis incuterent. Sanctum Albanum Verolamienſem, Aaron & Julium Legionum urbis cives, [p] & cæteros' utriuſque ſexus diverſis in locis ſumma magnanimitate in acie Chriſti perſtantes dico. Quorum prior poſtquam charitatis gratia confeſſorem [q] alium' perſecutoribus inſectatum, & jam jamque comprehendendum (imitans & in hoc Chriſtum *animam pro ovibus ponentem*) domo primum, ac mutatis dein mutuo veſtibus, occuluit, [r] & diſcrimini ſe fratris in ſupradicti' veſtimentis libenter perſequendum dedit: ita Deo [ſ] placens' inter ſacram confeſſionem cruoremque coram impiis, Romana tum ſtigmata cum horribili [t] phantaſmate' præferentibus [u] ſignorum' miraculis mirabiliter adornatus eſt, ut oratione ferventi, illi Iſraeliticæ arenti viæ minuſque tritæ (ſtante diu arca, prope glareas, teſtamenti, in medio Jordanis canali) ſimile iter ignotum, [x] trans' nobilis fluvii alveum, cum mille viris, ſicco ingrediens pede, (ſuſpenſis utrinque modo præruptorum fluvialibus montium gurgitibus) aperiret, & priorem carnificem tanta prodigia videntem in agnum ex lupo mutaret, & una ſecum triumphalem martyrii palmam [y] ſiſtere' vehementius, & excipere fortius faceret. Cæteri vero ſic diverſis cruciatibus torti ſunt, & inaudita membrorum diſcerptione lacerati [z] ſunt', ut abſque cunctamine glorioſi in egregiis Hieruſalem veluti portis, martyrii ſui trophæa defigerent. Nam qui ſuperfuerant ſylvis ac deſertis abditiſque ſpeluncis ſe occultavere, expe-

a Deeſt. *b* Romania. *c* V. *in MS. Codice.* *d Deeſt.* *e* Firmamento ſolum. *f* Provinciæ locis. *g Deeſt apud Polid. Virgil.* *h Deeſt.* *i* Glorioſorum. *k* Nobiſcum Deus. *l* Qui ſe putant juſtos. *m* Conjicimus *n* Ne penitus. *o* Divortio. *p* Cæteroſque. *q Deeſt.* *r* Et ſe diſcrimini in fratris ſupradicti. *ſ Deeſt.* *t* Phantaſia. *u* Placens ſignorum. *x* Trans Thameſis. *y* Sitire. *z Deeſt.*

ctantes à juſto rectore omnium DEO carnificibus ſevera quandoque judicia, ſibi vero animarum tutamina. [a] Igitur' biluſtro ſupradicti turbinis nec dum ad integrum [b] adimpleto' emarceſcentibuſque nece ſuorum autorum nefariis [c] edictis', lætis luminibus omnes Chriſti tyrones, quaſi poſt hyemalem ac prolixam noctem, temperiem lucemque ſerenam auræ cœleſtis excipiunt; renovant Eccleſias ad ſolum uſque deſtructas; baſilicas Sanctorum martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt; ac velut victricia ſigna paſſim propalant; dies feſtos celebrant; [d] ſacramenta' mundo corde oreque conficiunt; omnes exultant filii, gremio ac ſi matris Eccleſiæ confoti.

De diverſis hæreſibus.

IX. Manſit namque hæc Chriſti capitis [e] membrorumque' conſonantia ſuavis, donec Arriana perfidia, atrox ſeu anguis, tranſmarina nobis evomens venena, fratres in unum habitantes [f] exitiabile' faceret ſejungi, ac ſic quaſi via facta trans oceanum omnes omnino beſtiæ feræ mortiferum cujuſlibet hæreſios virus horrido ore vibrantes, letalia dentium vulnera patriæ novi ſemper aliquid audire volenti, & nihil certe ſtabiliter obtinenti, infigebant.

De tyrannis.

[g] X'. Itemque tandem tyrannorum virgultis creſcentibus, & in immanem ſylvam jam jamque erumpentibus, inſula nomen Romanum, nec tamen [h] mores' legemque tenens, quin potius abjiciens, germen ſuæ plantationis amariſſimæ ad Gallias, magna comitante ſatellitum caterva, inſuper etiam [i] Imperatoris' inſignibus (quæ nec decenter uſquam geſſit:) [k] nec' legitime, ſed ritu tyrannico & tumultuante initiatum milite Maximum mittit. Qui, callida primum arte potius quam virtute, finitimos quoſque pagos vel provincias contra Romanam ſtatum, [l] per' retia perjurii mendaciique ſui facinoroſo regno adnectens, & unam alarum ad Hiſpaniam, alteram ad Italiam extendens, & thronum iniquiſſimi imperii apud Treveros ſtatuens, tanta inſania in dominos debacchatus eſt, ut duos Imperatores legitimos, unum Roma, alium religioſiſſima vita pelleret. Nec mora, tam [m] fertilibus' vallatus audaciis, apud Aquilegiam urbem capite nefando cæditur, qui decorata totius orbis capita regni quodammodo [n] cervicibus' dejecerat.

De duabus gentibus [o] victricibus', de prima vaſtatione.

XI. Exin Britannia omni armato milite, [p] militaribuſque' copiis, rectoribus [q] linquitur' immanibus, ingenti juventute ſpoliata, (quæ comitata veſtigiis ſupradicti tyranni domum nuſquam ultra rediit) & omnis belli [r] uſus ignara penitus'; duabus primum gentibus tranſmarinis vehementer ſævis, ſcotorum à Circione, Pictorum ab Aquilone calcabilis multos ſtupet gemetque [ſ] per' annos.

De defenſione.

[t] XII'. [u] Gens igitur Britonum Scotorum Pictorumque impetum non ferens', ob [x] quorum' infeſtationem ac diriſſimam depreſſionem, legatos Romam cum epiſtolis mittit, militarem manum ad ſe vindicandam lachrymoſis poſtulationibus poſcens, & ſubjectionem ſui Romano imperio continue tota animi virtute (ſi hoſtis longius arceretur) vovens. Cui mox deſtinatur legio præteriti mali immemor, ſufficienter armis inſtructa. Quæ ratibus trans Oceanum in Patriam advecta, & cominus cum gravibus hoſtibus congreſſa, magnamque ex eis multitudinem ſternens; & omnes e finibus depulit, & ſubjectos cives tam atroci dilaceratione ex imminenti captivitate liberavit. Quos juſſit conſtruere inter duo maria trans inſulam murum, ut eſſet arcendis hoſtibus [y] turba' inſtructus terrori, civibuſque tutamini. Qui vulgo irrationabili abſque rectore factus, non tam lapidibus quam ceſpitibus, non profuit.

a Hic incipit cap. VII. *in MS. Cant.* *b* Expleto. *c* Decretis. *d* Sacra. *e Deeſt* que. *f* Exitiabiliter. *g* VIII. *in MS.* *h* Morem. *i* Imperatoriis. *k* Non. *l Deeſt.* *m* Feralibus. *n Deeſt.* *o* Vaſtatricibus. *p Deeſt* que. *q* Licet. *r* Uſu penitus ignara. *ſ Deeſt.* *t* IX. *in MS.* *u* Deſunt. *x* Quarum. *y* A turba.

XIII. [a] Illa

** De ſecunda vaſtatione.*

XIII. [a] Illa Legione cum triumpho magno & gaudio domum repetente′, illi priores inimici, ac [b] quaſi′ ambrones lupi profunda fame rabidi, ſiccis faucibus [c] in′ ovile tranſilientes, non comparente paſtore, alis remorum remigumque brachiis, ac velis vento [d] ſinuatis′ vecti, terminos rumpunt, cæduntque omnia, & quæque obvia maturam ſeu ſegetem metunt, calcant, tranſeunt.

De ſecunda vaſtatione.

[e] XIV′. Itemque mittuntur queruli legati, ſciſſis (ut dicitur) veſtibus, opertiſque ſablone capitibus, impetrantes à Romanis auxilia, ac veluti timidi pulli patrum [f] fideliſſimis′ alis ſuccumbentes, ne penitus miſera patria deleretur, nomenque [g] Romanum′, quod verbis tantum apud eos auribus reſultabat, vel exterarum gentium opprobrio obroſum vileſceret. At illi, quantum humanæ naturæ poſſibile eſt, commoti tantæ hiſtoria tragœdiæ, volatus ceu aquilarum, equitum in terra, nautarum in mari, curſus accelerantes, inopinatos primum, tandem terribiles inimicorum [h] ungues cervicibus infigunt mucronum′, caſibuſque foliorum tempore certo [i] ad ſimulandam iſtam′ peragunt ſtragem, [k] ac fit, ſi′ montanus torrens crebris tempeſtatum rivulis auctus, ſonoroſoque meatu alveos exundans, ac ſulcato dorſo fronteque acra, erectis, ut aiunt, ad nebulas undis (luminum quibus pupilli perſæpe licet palpebrarum [l] convolutibus′ innovati, [m] adjunctis ſibi minutiſſimarum rotarum tautonibus veluti′ fuſcantur) mirabiliter ſpumans; aſt uno *objectas* ſibi *evincit gurgite moles:* ita æmulorum agmina [n] auxiliatores′ egregii (ſi qua tamen evadere potuerant) [o] propere′ trans maria fugaverunt, quia anniverſarias avide prædas nullo obſiſtente trans maria exaggerabant. [p] Igitur′ Romani patria reverſi, denuntiantes nequaquam ſe tam laborioſis expeditionibus poſſe frequentius vexari &, ob imbelles erraticoſque latrunculos, Romana ſtigmata, tantum talemque exercitum, terra ac mari fatigari: ſed ut [q] Inſula′ potius, conſueſcendo armis, ac viriliter dimicando, terram, ſubſtantiolam, conjuges, liberos, & (quod his majus eſt) libertatem vitamque totis viribus [r] vendicaret′, & gentibus nequaquam ſe fortioribus (niſi ſegnitia & torpore [ſ] diſſolverentur′) [t] ut′ inermes vinclis vinciendas nullo modo, ſed inſtructas peltis, enſibus, haſtis, & ad cædem promptas protenderet manus, ſuadentes (quia & hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi accreſcere) murum, non ut alterum, ſumptu publico privatoque adjunctis ſecum miſerabilibus indigenis ſolito ſtructuræ more, tramite à mari uſque ad mare inter urbes, quæ ibidem forte ob metum hoſtium collocatæ fuerant, directo librant, fortia formidoloſo populo monita tradunt, exemplaria inſtituendorum armorum relinquunt, in littore quoque Oceani ad meridianam plagam, [u] qua′ naves eorum habebantur, [x] &′ inde [y] barbariæ′ feræ beſtiæ timebantur, turres per intervalla ad proſpectum maris collocant, [z] valedicunt′ tanquam ultra non reverſuri.

De tertia vaſtatione.

[a] XV′. Itaque illis ad ſua remeantibus, emergunt certatim de [b] curicis′, quibus ſunt trans [c] Tithicam′ vallem [d] vecti′ (quaſi in alto titane incaleſcenteque caumate de arctiſſimis foraminum [e] cavernulis′ fuſci vermiculorum [f] cenei) tetri Scotorum Pictorumque greges, moribus ex parte diſſidentes, & una eademque ſanguinis fundendi aviditate concordes, furciferoſque magis vultus pilis, quam corporum pudenda, pudendiſque proxima veſtibus tegentes: cognitaque condebitorum reverſione, & reditus denegatione, ſolito [g] confidentius′ omnem aquilonalem, extremamque terræ partem pro indigenis murotenus capeſſunt. Statuitur ad hæc in edito ar-

* Iterum de vaſtatione. *a* Illa domum cum triumpho magno & gaudio repedante. *b* Acſi. *c Deeſt.* *d* Juvatis. *e* IX. *in MS.* *f* Fidiſſimis. *g* Romanorum. *h* Cervicibus infigunt mucronum ungues. *i* Aſſimulandam iiſdem. *k* Acſi. *l* Convolatibus. *m* Adjunctiſſimarum rotarum lineis. *n* Auxiliares. *o* Præpropere. *p Hic incipit caput* XI. *in MS. Cant.* *q Deeſt.* *r* Vindicaret. *ſ* Diſſolveretur. *t Deeſt.* *u* Quo. *x* Quia &c. *y* Barbaricæ. *z* Et valedicunt. *a* XII. *in MS.* *b* Curucis. *c* Styticam. *d* Evecti. *e* Caverniculis. *f* Cunei. *g* Confidentiores.

eis acies, ſegnis ad pugnam, inhabilis ad fugam, trementibus præcordiis inepta, quæ diebus ac noctibus ſtupido ſedili marcebat. Interea non ceſſant uncinata [a] nodorum tela quibus miſerrimi cives de muris tracti ſolo allidebantur. Hoc ſcilicet eis immaturæ mortis ſupplicium, qui tali funere rapiebantur, [b] fratrum quo pignorum' ſuorum miſerandas imminentes pœnas cito exitu devitabant. Quid plura [c] loquar'? Relictis civitatibus muroque celſo, iterum [d] quibus' fugæ: iterum diſperſiones ſolito deſperabiliores. Item ab hoſte inſectationes: item ſtrages accelerantur crudeliores: & ſicut agni à lanionibus, ita deflendi cives ab inimicis diſcerpuntur, ut commemoratio eorum ferarum aſſimilaretur agreſtium.

De fame. XVI. [e] Nam laniunt ſeipſos mutuo, nec pro exigui victus brevi ſuſtentaculo miſerrimorum civium latrocinando': & augebantur [f] extraneæ' clades domeſticis motibus, [g] quo & hujuſmodi' tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio totius cibi baculo, excepto venatoriæ artis ſolatio.

*De * epiſtolis.* XVII. Igitur rurſum miſeræ [h] reliquiæ mittentes epiſtolas' ad Agitium Romanæ poteſtatis virum (hoc modo loquentes,) [i] inquiunt': *Agitio ter conſuli gemitus Britannorum:* & poſt pauca [k] loquentes': *Repellunt [l] nos' Barbari ad mare, repellit [m] nos' mare ad Barbaros; inter hæc [n] oriuntur' duo genera funerum, aut jugulamur, aut mergimur)* nec pro eis quicquam adjutorii habent. Interea famis dira ac famoſiſſima vagis ac nutabundis hæret, quæ multos eorum cruentis [o] compellit' prædonibus ſine dilatione victas dare manus, ut pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent; alios vero [p] nuſquam', quin potius de ipſis montibus, ſpeluncis ac ſaltibus, dumis conſertis continue rebellabant.

De victoria. XVIII. Et tum primum inimicis per multos annos [q] in' terra agentibus, ſtrages dabant, non [r] confidentes' in homine, ſed in Deo, ſecundum illud [ſ] exemplum' Philonis. *Neceſſe eſt adeſſe divinum, ubi humanum ceſſat auxilium.* Quievit parumper inimicorum audacia, nec tamen noſtrorum malitia. Receſſerunt hoſtes à civibus, nec cives à ſuis ſceleribus.

De ſceleribus. XIX. Moris namque continui erat genti (ſicut & nunc eſt) ut infirma eſſet ad retundenda hoſtium tela & [t] fortis' [u] & invicta' ad civilia bella, & [x] ad onera peccatorum ſuſtentanda': Infirma [y] eſt (ut' inquam) ad exequenda pacis ac veritatis inſignia, [z] fortis' ad ſcelera & mendacia. [a] Revertuntur' ergo impudentes graſſatores [b] ad hibernas domos, poſt non multum' temporis reverſuri. Picti in extrema parte inſulæ tunc primum & deinceps requieverunt, prædas & contritiones nonnunquam facientes. In talibus itaque indutiis deſolato populo ſæva cicatrix [c] obducitur' alia virulentiore [d] tactus' pullulante. Quieſcente autem [e] vaſtatione' tantis abundantiarum copiis inſula affluebat, ut nulla [f] haberi tales retro ætas meminiſſet, cum quibus omnimodis & luxuria creſcit. Crevit etenim
1 Cor. 5. 1. germine præpollenti, ita ut competenter eodem tempore diceretur: *Omnino talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes.* Non ſolum vero hoc vitium, ſed [g] fuerunt' omnia quæ humanæ naturæ [h] accedere' ſolent, & præcipue (quod & nunc quoque in ea totius boni evertit ſtatum) odium veriatis [i] fuit', cum aſſertoribus [k] ſuis', [l] amor' mendatii cum ſuis fabricatoribus, ſuſceptio mali pro bono, veneratio nequitiæ pro benignitate, cupido tenebrarum pro ſole, exceptio *Satanæ* pro *Angelo lucis.* Ungebantur reges [m] &' non per Deum, ſed qui cæteris crudeliores extarent: & paulo poſt ab unctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, aliis electis

a Nudorum. *b* Quo fratrum pignorumque. *c* *Deeſt.* *d* Illis. *e* Nam & ipſos mutuo, nec perexigui victus brevi ſuſtentaculo miſerrimorum civium latrocinando temperabant. *f* Externæ. *g* Quod hujuſmodi. * Epiſtolis ad Agitium. *h* Mittentes epiſtolas reliquiæ. *i* *Deeſt.* *k* Querentes. *l* *Deeſt.* *m* *Deeſt.* *n* *Deeſt.* *o* Compulit. *p* Nunquam. *q* Prædas in. *r* Fidentes. *ſ* *Deeſt.* *t* Fortis eſſet. *u* *Deeſt.* *x* Peccatorum onera ſuſtinenda. *y* *Deeſt.* *z* Et fortis *a* *Hic incipit cap.* XIV. *in MS. Cant.* *b* Hyberni domum, poſt non longum. *Joſſ. & Beda. l.* 1. *c.* 14. *c* Obducitur famis. *d* Tacite. *e* Vaſtitate. *f* Haberc. *g* &. *h* Accidere. *i* *Deeſt.* *k* *Deeſt.* *l* Amorque. *m* *Deeſt.*

trucioribus.

trucioribus. Si quis vero eorum mitior, & veritate aliquatenus propior, videretur; in hunc [a] Britanniæ quaſi' ſubverſorem omnium odia telaque ſine reſpectu [b] torquebantur', & omnia quæ [c] diſplicuerant' [d] deo placuerantque' æquali ſaltim lance pendebantur, ſi non gratiora fuiſſent diſplicentia: ita ut merito patriæ illud [e] exemplum' propheticum, quod [f] veterano' illi populo denuntiatum eſt, potuerit aptari. *Filii*, inquiens, *ſine lege dereliquiſtis* [g] *Dominum'*, *& ad* [h] *iram' provocaſtis Sanctum Iſrael. Quid adhuc* [i] *percunctemini' apponentes iniquitatem? Omne caput languidum, & omne cor mærens, à planta pedis uſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas.* Eſai. 1. 15 Sicque [k] agebantur' cuncta, quæ ſaluti contraria fuerint, acſi nihil [l] largiretur mundo medicinæ à vero omnium medico'. Et non ſolum [m] hac' ſeculares viri, ſed & ipſe grex Domini ejuſque paſtores, qui exemplo eſſe omni plebi debuerint, ebrietate quam plurimi, quaſi vino madidi, torpebant reſoluti, & animoſitatum tumore, jurgiorum contentione, invidiæ capacibus ungulis indiſcreto boni malique judicio carpebantur: ita ut perſpicue ſicut & nunc eſt, *effundi videretur contemptio ſuper principes,* [n] & *ſeduci vanis eorum, & errore, in invio & non in via.* Pſalm. 106. 40.

De nuntiatis ſubito hoſtibus.

[o] XX'. Interea volente Deo purgare familiam ſuam, & tanta malorum labe infectam auditu tantum tribulationis emendare, non ignoti rumoris penniger ceu volatus arrectas omnium penetrat aures, jamjamque adventus veterum hoſtium volentium penitus [p] totam' delere, & inhabitare ſolito more à fine uſque ad terminum regionem. Nequaquam tamen ob hoc proficiunt, ſed comparati jumentis inſipientibus, ſtrictis (ut dicitur) morſibus rationis frænum obfirmantes, per latam diverſorum vitiorum [q] mortique' proclive ducentem, (relicto ſalutari licet arcto itinere) diſcurrebant viam.

De famoſa peſte.

XXI. Dum ergo (ut Solomon ait) *Servus durus non emendatur verbis, flagellatur ſtultus & non ſentit;* Prov. 29. 19. Peſtifera namque lues feraliter inſipienti populo [r] incubuit', quæ in brevi [ſ] tempore' tantam ejus multitudinem, remoto mucrone, ſternit, quantam ne poſſent vivi humare. Sed ne hac quidem [t] emendantur', ut illud Eſaiæ Prophetæ in eo quoque [u] populo' impleretur dicentis: *Et vocavit Deus* [x] *populum' ad planctum & ad calvitium, & ad cingulum ſacci: ecce* [y] *cœperunt' vitulos occidere & jugulare arietes, ecce manducare & bibere & dicere: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Eſai. 22. 12. Appropinquabat ſiquidem tempus, quo ejus iniquitates, ut olim Amorrhæorum, complerentur.

De conſilio

XXII. Initur namque conſilium; quid optimum, quidve ſaluberrimum, ad [z] repellendas tam crebras & tam ferales' ſupradictarum gentium irruptiones prædaſque, decerni [a] potius' deberet.

De ſæviore multo primis hoſte.

XXIII. Tum omnes conſiliarii [b] una' cum ſuperbo tyranno [c] Gurthrigerno Britannorum duce' cæcantur, [d] &' adinvenientes tale præſidium, imo excidium patriæ, ut ferociſſimi illi nefandi nominis Saxones, Deo hominibuſque inviſi, quaſi in caulas lupi, in inſulam ad [e] retrudendas' aquilonales gentes intromitterentur. Quo utique nihil ei uſquam pernicioſius, nihilque amarius factum eſt. O altiſſimam ſenſus caliginem, ô deſperabilem crudamque mentis hebetudinem! Quos propenſius morte, cum abeſſent, tremebant, ſponte (ut ita dicam) ſub unius tecti culmine invitabant, *ſtulti* [f] *ſunt' Principes* (ut dictum eſt) [g] *Thafneos' dantes Pharaoni conſilium* [h] *inſipienti'*. Tum erumpens grex catulorum de cubili leænæ barbariæ, tribus (ut lingua ejus exprimitur) Cyulis, noſtra [i] lingua' longis navibus,

a Quaſi Britanniæ. *b* Contorquebantur. *c* Diſplicuerint. *d* Deoque placuerint. *e Deeſt.* *f* Veteri. *g* Deum. *h* Iracundiam. *i* Percutiemini. *k* Agebant. *l* Mundo medicina à vero omnium medico largiretur. *m* Hæc. *n Deeſt.* *o* XV. *in MS. Cant.* *p Deeſt.* *q* Ad mortem. *r* Incumbit. *ſ Deeſt.* *t* Emendatur. *u Deeſt.* *x Deeſt.* *y Deeſt.* *z* Refellendas tam ferales & tam crebras. *a Deeſt.* *b* Uno. *c Deeſt.* *d Deeſt.* *e* Retundendas. *f Deeſt.* *g* Taneos. *h* Inſipiens. *i Deeſt.*

ſecundis

ſecundis velis [a] ſecundo' omine auguriiſque; quibus vaticinabatur certo apud eum præſagio, quod ter centum annis [b] terram', oſti proras [c] librarat', inſideret: centum vero L. hoc eſt [d] demidio' temporis ſæpius [e] quoque' vaſtaret. Evectus primum in Orientali parte inſulæ jubente infauſto tyranno terribiles infixit ungues, quaſi pro patria pugnaturus, ſed eam certius impugnaturus. Cui ſupradicta [f] genitrix' ([g] primo comperiens agmini' fuiſſe proſperatum) item mittit ſatellitum canumque [h] prolixiorem' cataſtam, quæ ratibus advecta adunatur cum manipularibus ſpuriis. Inde germen iniquitatis, radix amaritudinis, virulenta plantatio noſtris condigna meritis, in noſtro ceſpite, ferocibus palmitibus pampiniſque, [i] pullulabat'. Igitur intromiſſi in inſulam barbari, veluti militibus, & magna (ut mentiebantur) [k] pro bonis diſcrimina hoſpitibus' ſubituris, impetrant ſibi annonas dari. [l] Quæ' multo tempore impertitæ clauſerunt (ut dicitur) canis faucem. Item [m] queruntur' non affluenter ſibi epimenia contribui, occaſiones de induſtria colorantes, & [n] niſi' profuſior eis munificentia cumularetur, teſtantur ſe cuncta inſulæ rupto fœdere depopulaturos. Nec mora, minas effectibus proſequuntur.

De urbium ſubverſione. XXIV. Confovebatur namque, ultionis juſtæ præcedentium ſcelerum cauſa, de mari uſque ad mare ignis [o] Orientalis' ſacrilegorum manu exaggeratus, & finitimas quaſque civitates agroſque populans, [p] qui' non quievit accenſus, donec cunctam pene exurens inſulæ ſuperficiem rubra occidentalem trucique Oceanum lingua delamberet. In hoc ergo impetu Aſſyrio, olim in [q] Judæam' comparando, completur quoque in nobis ſecundum hiſtoriam, [r] ut dicitur: *Incenderunt igni ſanctuarium tuum, in terra* (Pſ. 73. 7.) *polluerunt tabernaculum nominis tui.* (Pſ. 78. 1.) Et iterum [ſ] dicit': *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum ſanctum tuum &c.* Ita ut cunctæ [t] columnæ' crebris arietibus, omneſque coloni cum præpoſitis Eccleſiæ, cum ſacerdotibus ac populo, mucronibus undique micantibus, ac flammis crepitantibus, ſimul ſolo ſternerentur, & miſerabili viſu, in medio platearum, una turrium [u] edito' cardine [x] evulſarum', murorumque celſorum ſaxa, ſacra altaria, cadaverum fruſta, cruſtis ac [y] gelantibus' purpurei cruoris tecta, velut in quodam horrendo torculari mixta viderentur, & nulla eſſet omnimodis præter [z] horribiles' domorum ruinas, beſtiarum volucrumque ventres in medio ſepultura, ſalva ſanctarum animarum reverentia, ſi tamen multæ inventæ ſint, quæ arduis cœli [a] per' id temporis à ſanctis Angelis [b] vehebantur'. Ita enim degeneraverat tunc vinea illa olim bona in amaritudinem [c] verſa', uti raro ſecundum Prophetam videretur quaſi *poſt tergum vindemiatorum* aut meſſorum racemus vel ſpica.

De reliquiis. XXV. Itaque nonnulli miſerarum reliquiarum in montibus deprehenſi acervatim jugulabantur: alii fame confecti accedentes, manus hoſtibus dabant in ævum [d] ſervituri', ſi tamen non continuo trucidarentur, quod altiſſimæ gratiæ ſtabat [e] in' loco: alii tranſmarinas petebant regiones, cum ululatu magno ſeu celeuſmatis vice, hoc modo ſub velorum ſinibus cantantes: (Pſ. 43 12.) *Dediſti nos tanquam oves eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos* [f] *Deus'*: alii [g] à' montanis collibus, minacibus præruptis [h] vallati', & denſiſſimis ſaltibus, mariniſque rupibus vitam, ſuſpecta ſemper mente, credentes, in patria licet trepidi perſtabant. [i] Tempore igitur interveniente, aliquanto cum receſſiſſent domum crudeliſſimi prædones, roboratæ à [k] Domino' reliquiæ (quibus confugiunt undique [l] diverſis in locis' miſerrimi cives, tam avide quam apes alvearii procella imminente) ſimul deprecantes eum to-

a Deeſt. *b* Patriam. *c* Librabat. *d* Dimidio. *e Deeſt.* *f* Genetrix. *g* Comperiens primo agmini. *h* Prolixorem. *i* Pullulat. *k* Diſcrimina pro bonis hoſpitibus. *l* Que *m* Quæruntur. *n* Ni. *o* Orientali. *p Deeſt.* *q* Judam. *r* Quod Propheta deplorans ait. *ſ Deeſt.* *t* Coloniæ. *u* Ædito. *x* Avulſarum. *y* Sigillantibus. *z Deeſt.* *a Deeſt.* *b* Veherentur. *c Deeſt.* *d* Servaturi. *e Deeſt.* *f Deeſt.* *g Deeſt.* *h* Vallatis. *i Hic incipit cap.* XVIII. *in Mſ.* *k* Deo. *l* De diverſis locis.

to

to corde, & (ut dicitur) *innumeris onerantes æthera votis*, ne ad [a] interne-cionem ita uſquequaque' delerentur, duce ambroſio Aureliano viro modeſto, (qui ſolus [b] fuit comes, fidelis, fortis, veraxque' forte Romanæ gentis, [c] qui tantæ tempeſtatis colliſione, occiſis in eadem parentibus purpura nimirum indutis, ſuperfuerat, cujus nunc temporibus noſtris ſoboles magnopere avita bonitate degeneravit) vires [d] capeſſunt', victores provocantes ad prælium, queis victoria, [e] Deo' annuente, ex voto ceſſit.

XXVI. [f] Et' ex eo tempore nunc cives, nunc hoſtes vincebant, ut in iſta gente experiretur Dominus ſolito more præſentem Iſraelem utrum diligat eum [g] Dominus' an non: uſque ad annum obſeſſionis Badonici montis, [h] qui prope Sabrinum oſtium habetur', noviſſimæque ferme de furciferis non minimæ ſtragis, quique quadrageſſimus quartus (ut novi) [i] oritur' annus, menſe jam [k] primo emenſo', qui [l] jam' & meæ nativitatis eſt. Sed ne nunc quidem, ut antea, [m] civitates' inhabitantur, ſed deſertæ dirutæque hactenus ſqualent, ceſſantibus licet externis bellis, ſed non [n] tamen' civilibus. Hæſit etenim tam deſperati inſulæ excidii, inſperatique mentio auxilii memoriæ eorum, qui utriuſque miraculi teſtes extitere: & ob hoc Reges, publici [o] privatique' ſacerdotes eccleſiaſtici [p] ſuum' ordinem ſervarunt. At illis decedentibus, cum ſucceſſiſſet ætas tempeſtatis illius neſcia, & præſentis tantum ſerenitatis experta, ita cuncta veritatis ac juſtitiæ moderamina concuſſa ac ſubverſa ſunt, ut [q] eorum', non dicam veſtigium, ſed ne monimentum quidem in ſupradictis propemodum ordinibus appareat, exceptis paucis, & valde paucis, qui ob amiſſionem tantæ multitudinis, quæ quotidie prona [r] fuit' ad tartara, tam brevis [ſ] numeri' habentur, ut eos quodammodo venerabilis mater eccleſia, [t] ut' in ſinu ſuo recumbentes non videat, quos ſolos [u] veros' habet. Quorum ne quis me egregiam vitam, [x] hominibus' admirabilem, Deoque amabilem, carpere putet, (quibus noſtra infirmitas, [y] ſacris' orationibus, ut non penitus collabatur, quaſi columnis quibuſdam ac fulcris ſaluberrimis ſuſtentatur,) [z] dixi' ſi qua liberius de his, imo lugubrius, cumulo malorum compulſus, qui ſerviunt non ſolum ventri, ſed diabolo potius quam Chriſto, *qui eſt benedictus* [a] *ſuper omnia Deus in ſecula'*, non tam diſceptavero, quam deflevero. [b] Quippe quid' celabunt cives, quod non ſolum [c] norunt', ſed exprobrant jam in [d] circuitu' nationes.

*De poſtrema * pace, quæ poſtrema victoria temporibus noſtris Dei nutu donata eſt'.*

Explicit liber Gildæ ſapientis de excidio Britanniæ & Britonum exultatione.

Hiſtoriam Gildæ Cormac ſic perlege ſcriptam.
Doctoris digitis, ſenſu cultuque redactam,
Hæc tenues ſuperat, multos carpitque ſuperbos.

Hic deſinit Cod. Cant. MS. *Quæ vero ſequuntur exacta ſunt ad* Cod. Cottonianum.

a Internicionem uſque. *b Deſunt.* *c Deeſt.* *d* capeſcunt. *e* Domino. * Patriæ victoria. *f Deeſt.* *g Deeſt.* *h Deſunt.* *i* Orditur. *k* Uno. *l Deeſt.* *m* Civitas patriæ. *n Deeſt.* *o* Privati. *p* Suum quique. *q* Earum. *r* Ruit. *ſ* Numerus. *t Deeſt.* *u* Veros filios. *x* Omnibus. *y* In ſacris. *z Deeſt.* *a* In ſecula Deus. *b* Enimvero. *Fragm.* *c* Noſtrorum *Fragm.* *d* Cercuitu *MS. male.* *e Deſunt.* *f Deſunt.*

F I N I S.

Epiſtola Gildæ.

[a] REges habet Britannia', ſed tyrannos: judices habet, ſed impios.
ſæpe prædantes & concutientes, ſed innocentes: vindicantes &
patrocinantes, ſed reos & latrones, quamplurimas conjuges ha-
bentes ſed [b] ſcortantes', & adulterantes; crebro jurantes, ſed per-
jurantes: voventes, & continuo propemodum mentientes: belligerantes,
ſed civilia & injuſta bella agentes: per [c] patriam' quidem fures magnope-
re inſectantes, [d] & eos, qui ſecum ad menſam ſedent, latrones' non ſolum
amantes, ſed [e] &' munerantes: eleemoſynas largiter dantes, ſed é regione
immenſum montem ſcelerum exaggerantes: in ſede [f] arbitraturi' ſedentes',
ſed raro recti judicii regulam quærentes: innoxios humileſque deſpicien-
tes, ſanguinarios, ſuperbos, parricidas, [g] commanipulares &' adulteros Dei
inimicos, ſi ſors (ut dicitur) tulerit ([h] qui' cum ipſo nomine [i] certatim'
delendi erant) ad ſydera, prout poſſunt efferentes: vinctos plures in car-
ceribus habentes, quos [k] dolo ſui potius quam merito proterunt' catenis
onerantes: inter alteria [l] jurando' demorantes, & hæc eadem ac ſi lutu-
Increpatio in Conſtantinum. lenta [m] paulo poſt ſaxa' deſpicientes. Cujus tam nefandi piaculi non ig-
narus eſt immundæ leænæ Damnoniæ tyrannicus catulus Conſtantinus.
Hoc anno poſt horribile juramenti Sacramentum, quo ſe devinxit ne-
quaquam dolos civibus (Deo primum jureque jurando, ſanctorum de-
mum choris & genitrice comitantibus fretis) facturum, in duarum vene-
randis matrum ſinibus, eccleſiæ carnaliſque ſub ſancti abbatis amphibalo, la-
tera regiorum tenerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duûm toti-
demque nutritorum (quorum brachia nequaquam armis, quæ nullus pene
hominum fortius hoc eis tempore tractabat, ſed Deo altarique protenta,
in die judicii ad tuæ civitatis portas, Chriſte, veneranda patientiæ ac fidei
ſuæ vexilla ſuſpendent) inter ipſa (ut dixi) ſacroſancta altaria nefando
enſe haſtaque pro dentibus laceravit, ita ut ſacrificii cœleſtis ſedem pur-
purea acſi coagulati cruoris pallia attingerent. Et hoc ne poſt laudanda qui-
dem merita egit. Nam multis ante annis crebris alternatiſque fœtoribus
adulteriorum victus, legitima uxore contra Chriſti Magiſtrique gentium
Math. 19. 6. interdictum repulſa dicentium: *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet.* Et
Mar. 10. 9. *Viri diligite uxores veſtras.* Amariſſimum enim quoddam de vitæ Sodo-
Epheſ. 5. 28. Coleſ. 3. 19. morum in cordis ſui infructuoſa bono ſemini gleba, ſurculamen incre-
dulitatis & inſipientiæ plantaverat, quod vulgatis domeſticiſque impieta-
tibus velut quibuſdam venenatis imbribus irrigatum, & ad Dei offenſam
avidius ſe erigens parricidii ſacrilegiique crimen produxit in medium. Sed
nec adhuc priorum retibus malorum expeditus, priſcis recentia auget ma-
lis. Age jam quaſi præſentem arguo, quem adhuc ſupereſſe non neſcio.
Quid ſtupes animæ carnifex propriæ? Quid tibi flammas inferni volun-
tarie accendis nequaquam defecturas? Quid inimicorum vice propriis te
confodis ſponte enſibus, haſtis? Anne ipſa quidem virulenta ſcelerum ac
ſi pocula pectus tuum ſatiare quiverunt? Reſpice quæſo, & veni ad Chri-
ſtum, ſiquidem laboras, & immenſo pondere curvaris: & ipſe te (ut dix-
Eſai. 52. 2. it) requieſcere faciet. Veni ad eum qui non vult *peccatoris mortem, ſed*
Luc. 15. 13. *ut convertatur & vivat. Diſſolve* ſecundum Prophetam, *vincula colli tui fi-
li Syon.* Redi (rogo) è longinquis licet peccatorum receſſibus ad piiſſi-

a Enimvero habet Britannia reges *Frag.* *b* Scorta *Joſſ.* Scorta & adulteras *Fragm.* *c* Regionem. *d* Eos autem qui ad menſam ſedent latrones *Frag.* *Deeſt vero* Latrones *Joſſ.* *e* Etiam *Frag.* *f* Arbitrum *Frag.* *g* *Deeſt in Fragm.* *h* Hos qui *Fragm.* *i* *Deeſt in Fragm.* *k* Doloſe potius quam merito poterunt *Frag.* *l* Intrando *Frag.* *m* Saxa paulo poſt *Frag.*

mum

mum patrem, qui deſpicienti porcorum ſordidos cibos ac pertimeſcenti
diræ famis mortem, & revertenti ſibi lætus occidere conſuevit *vitulum*
filio *ſaginatum*, & proferre *primam* erranti *ſtolam* & regium annulum, &
tum ſpei cœleſtis acſi ſaporem præguſtans ſenties *quam ſuavis eſt Dominus.* Pſal. 33. 9.
Nam ſi hæc contempſeris, ſcias te inextricabilibus tenebroſiſque ignium tor-
rentibus jamjamque rotandum urendumque. Quid tu quoque (ut pro- *Increpatio in*
pheta ait) catule leoline Aureli [a] Conane agis? Nonne eodem quo ſupra- *Aurelium.*
dictus (ſi non exitiabiliore) parricidiorum, fornicationum, adulteriorumque
cœno, velut quibuſdam marinis irruentibus tibi voraris feraliter undis?
Nonne pacem patriæ mortiferum ceu ſerpentem odiens, civiliaque bella
& crebras injuſte prædas ſitiens, animæ tuæ cœleſtis portas pacis ac re-
frigerii præcludis? Relictus (quæſo) jam ſolus acſi arbor in medio cam-
po areſcens, recordare patrum fratrumque tuorum ſupervacuam phanta-
ſiam, juvenilem immaturamque mortem. Num centennis tu ob religio-
ſa merita, vel coevus Mathuſalæ exceptus pene omni prole ſervaberis?
Nequaquam. Sed, niſi citius (ut Pſalmiſta ait) converſus fueris ad Do- Pſal. 7. 13.
minum, *enſem* in te *vibrabit* in brevi ſuum Rex ille, qui per Prophetam,
Ego (inquit) *occidam*, & *ego vivere faciam: percutiam, & ego ſanabo, & non* Deut. 32. 39.
eſt qui de manu mea poſſit eruere. Quamobrem *excutere de* fœtido *pulvere* Eſai. 52. 2.
tuo, & convertere ad eum toto corde, qui creavit te, ut cum *exarſerit in brevi* Pſal. 2. 12.
ira ejus, beatus ſis *ſperans in eum*: ſin alias, æternæ te manebunt pœnæ
conterendum ſæva continue, & nequaquam abſumendum tartari fauce.
Quid tu quoque pardo ſimilis moribus, & nequitiis diſcolor, caneſcente *Increpatio in*
jam capite, in throno dolis pleno, & ab imis vertice tenus diverſis par- *Vortiporium.*
ricidiis & adulteriis conſtuprato, boni regis nequam fili, ut Ezechiæ Ma-
naſſes, Demetarum tyranne Vortipori ſtupide riges? Quid te tam violen-
ti peccatorum gurgites, quos ut vinum optimum ſorbes, imo tu ab eis
voraris, appropinquante ſenſim vitæ limite non ſatiant? Quid quaſi cul-
minis malorum omnium ſtupro propria tua amota conjuge, ejuſdemque
honeſta morte impudentis filiæ quodam ineluctabili pondere miſeram a-
nimam oneras? Ne conſumas (quæſo) dierum quod reliquum eſt in DEI
offenſam: Quia *nunc tempus acceptabile & dies ſalutis* vultibus pœnitentium 2 Cor. 6. 2.
lucet, in quo bene operari potes, *ne fiat fuga* tua *hyeme vel Sabbato: Di-* Matt. 24. 20.
verte ſecundum Pſalmiſtam, *à malo, & fac bonum: inquire pacem* bonam & Pſal. 33. 15.
ſequere eam, quia *oculi Domini* ſuper te bona agentem, & *aures ejus* erunt
in preces tuas, & non perdet *de terra viventium memoriam* tuam. Clamabis
& exaudiet te, & *ex omnibus tribulationibus* tuis eruet te. *Cor* ſiquidem *con-* Pſal. 50. 19.
tritum & humiliatum timore ejus nuſquam Chriſtus ſpernit. Alioquin *ver-* Eſai. 66. 24.
mis tortionis tuæ *non morietur*, & *ignis* uſtionis tuæ *non extinguetur.* Marc. 9. 44.
Ut quid in nequitiæ tuæ volveris vetuſta fece, & tu ab adoleſcentiæ annis *Increpatio in*
urſe multorum ſeſſor aurigaque currus receptaculi urſi, Dei contemptor, *Cuneglaſſum.*
ſortiſque ejus depreſſor, Cuneglaſe, Romana lingua lanio fulve? Quare
tantum certamen tam hominibus quam Deo præſtas, hominibus civibus
ſcilicet armis [b] exitialibus, Deo infinitis ſceleribus? Quid præter innume-
rabiles caſus propria uxore pulſa furciferam germanam ejus perpetuam
Deo viduitatis caſtimoniam promittentem (ut poeta ait) ſummam ſeu te-
neritudinem cœlicolarum (tota animi veneratione vel potius hebitudine)
nympharum, contra interdictum Apoſtoli, denegantis poſſe adulteros Reg- Gal. 5. 21.
ni cœleſtis eſſe municipes, ſuſpicis? Quid gemitus atque ſuſpiria Sancto-
rum, propter te corporaliter [c] mœrentium, vice immanis leænæ dentium
oſſa tua quandoque fracture crebris inſtigas injuriis? *Deſine* quæſo (ut Pſal. 36. 8.
Propheta ait) *ab ira, & derelinque* exitialem, ac temetipſum maceraturum
(quem cœlo ac terræ, hoc eſt, Deo gregique ejus ſpiras) *furorem:* fac
eos potius mutatis pro te orare moribus, quibus ſuppetit ſupra mundum

a Canine. *b* Specialibus. *c* Verſantium.

alligandi cum in mundo reos alligaverint, & ſolvendi cum pœnitentes [a] ſol-
Tim. 6. 17. verint poteſtas'. *Noli* (ut ait Apoſtolus) *ſuperbe ſapere, vel ſperare in incerto di-
vitiarum, ſed in Deo qui præſtat tibi multa abunde*, ut per emendationem mo-
rum theſaurizes tibi *fundamentum bonum in futurum*, & habeas *veram vitam*,
perrennem profecto, non deciduam. Alioquin ſcies, & videbis etiam
in hoc ſeculo, quam malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum
tuum, & non eſſe timorem ejus apud te, & in futuro, tetro ignium glo-
bo æternorum te exuri, nec tamen ullo modo mori. Siquidem tam ſce-
leratorum ſint [b] perpetim' immortales igni animæ, quam Sanctorum letitiæ.
Increpatio in Quid tu etiam inſularis draco, multorum tyrannorum depulſor tam reg-
Maglocunum. no quam etiam vita; ſupradictorum noviſſime [c] in' ſtylo, prime in malo,
major multis potentia ſimulque malitia, largior in dando, profuſior in pec-
cato, robuſte armis, ſed animæ fortior excidiis, Maglocune, in tam vetu-
Jer. 23. 9. ſto ſcelerum attramento, *veluti madidus* vino de Sodomitana vite expreſ-
ſo ſtolide volutaris? Quare tantas peccaminum regiæ cervici ſponte (ut
ita dicam ineluctabiles celſorum ſeu montium) innectis moles? Quid te
non ei regum omnium regi (quem cunctis pene Britanniæ ducibus tam
regno fecit, quam ſtatus lineamento editiorem) exhibes cæteris moribus
meliorem, ſed verſa vice deteriorem? quorum indubitatam æquanimiter
convitiorum auſcultato parumper adſtipulationem, omiſſis domeſticis le-
vioribuſque (ſi tamen aliqua ſunt levia) palata ſolum longe lateque per
auras admiſſa teſtaturam. Nonne in primis adoleſcentiæ tuæ annis avun-
culum regem cum fortiſſimis propemodum militibus, (quorum vultus non
catulorum leonis in acie magnopere diſpares viſebantur) acerrime enſe,
Pſal. 54. 24. haſta, igni oppreſſiſti? parum cogitans propheticum dictum: *Viri* (inqui-
ens) *ſanguinum & doli non dimidiabunt dies ſuos.* Quid pro hoc ſolo re-
tributionis à juſto judice ſperares (& ſi non talia ſequerentur quæ ſecuta
Eſai. 33. 1. ſunt) itidem dicente per Prophetam: *Væ tibi qui prædaris, nonne & ipſe
prædaberis? & qui occidis, nonne & ipſe occideris? & cum deſiveris prædari,
tunc cades.* Nonne poſtquam tibi ex voto violenti regni phantaſia ceſſit,
cupiditate [d] inlectus' ad viam revertendi rectam, diebuſque ac noctibus, id
temporis (conſcientia forte peccaminum remordente) de deifico tenore
monachorumque decretis, ſub dente primum multa ruminans, deinde po-
pularis auræ cognitione proferens, monachum ſine ullo infidelitatis (ut ai-
ebas) reſpectu, coram omnipotente Deo, angelicis vultibus humaniſque
(ruptis, ut putabatur, capaciſſimis illis, quibus præcipitanter involui ſolent
pingues tauri moduli tui retibus: omnis regni, auri, argentique, & quod
majus eſt, propriæ voluntatis diſtentionibus ruptis) perpetuo voviſti, &
tete ac ſi ſtridulo canum lapſu aerem valide ſecantem, ſævoſque rapidi har-
pagones accipitris ſinuoſis flexibus vitantem ad Sanctorum tibi magnopere
fidas ſpeluncas refrigeriaque ſalubriter rapuiſti ex corvo columbam? O
quanta Eccleſiæ matri letitia, (ſi non te cunctorum mortalium hoſtis de
ſinu quodammodo ejus lugubriter abſtraxiſſet,) foret? O quam profuſus
ſpei cœleſtis fomes deſperatorum cordibus (te in bonis permanente) inar-
deſceret? O qualia quantaque animam tuam regni Chriſti præmia in die
judicii manerent, ſi non lupus callidus ille agnum ex lupofactnm te ab
ovili dominico (non vehementer invitum) facturus lupum ex agno ſibi
ſimilem rapuiſſet? O quantam exultationem pio omnium patri Deo ſan-
ctorum tua ſalus ſervanda præſtaret; ſi non te cunctorum perditorum in-
fauſtus pater, veluti magnarum aquila alarum unguiumque dæmon, infœ-
lici filiorum ſuorum agmini contra jus faſque rapuiſſet? Ne multa, tan-
tum gaudii ac ſuavitatis tum cœlo terræque tua ad bonam frugem con-
Prov. 26. 11. verſio, quantum nunc mœroris ac luctus miniſtravit ad horribilem, mo-
& 2 Pet. 2. 23. re *moloſſi* ægri, *vomitum* nefanda reverſio. Qua peracta exhibentur
Rom. 6. 13. *membra arma iniquitatis peccato* ac diabolo, quæ oportuerat ſalvo ſenſu avi-

a Poteſtas ſolverint. *b* Perpeti. *c Deeſt.* *d* Injectus.

de

de exhiberi *arma juſtitiæ Deo.* Arrecto aurium auſcultantur captu, non Dei laudes canora Chriſti tyronum voce ſuaviter modulante, pneumaque eccleſiaſticæ melodiæ; ſed propriæ (quæ nihil ſunt) furciferorum referto mendaciis ſimulque ſpumanti flegmate, proximos quoſque truci daturo, præconum ore, ritu bacchantium, concrepante; ita ut vas, Dei quondam in miniſterio præparatum, vertatur in zabuli organum, quodque honore cœleſti putabatur dignum, merito projiciatur in tartari baratrum. Nec tamen tantis malorum offendiculis tuus hebetatus inſipientiæ cumulo ſenſus, velut quodam obice tardatur, ſed fervidus (acſi pullus, amœna quæque imperagrata putans) per extenſos ſcelerum campos irrevocabili furore raptatur, augendo priſcis nova piaculis. Spernuntur namque primæ (poſt monachi votum irritum) illicitæ licet, tamen propriæ conjugis præſumptivæ nuptiæ; alia viri viventis, non externi, ſed fratris filii adamata. Ob quod dura cervix illa multis jam peccaminum faſcibus onerata, bino parricidiali auſu, occidendo ſupradictum, uxoremque tuam, aliquamdiu à te habitam, velut ſummo ſacrilegii tui culmine, de imis ad inferiora curvatur. Dehinc illam, cujus dudum colludio ac ſuggeſtione tantæ ſunt peccatorum ſubitæ moles publico & (ut fallaces paraſitorum linguæ tuorum conclamant, ſummis tamen labiis, non ex intimo cordis) legitimo, ut pote viduatam, *thoro*; [a] ut noſtræ vero, ſceleratiſſimo adſciviſti connubio. Cujus igitur ſancti viſcera tali ſtimulata hiſtoria non ſtatim in fletus ſingultuſque prorumpant? Quis ſacerdos, cujus cor rectum Deo patet, non ſtatim hæc audiens magno cum ululatu illud propheticum dicat? *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem* Jer. 9. 1.
lachrymarum, & plorabo in die & nocte interfectos populi mei? Heu! ſiquidem parum auribus captaſti propheticam objurgationem ita dicentem: *Væ vobis* Eccl. 41. 11.
viri impii, dereliquiſtis legem Dei altiſſimi, & ſi nati fueritis, in maledictionem erit pars veſtra. Omnia, quæ de terra ſunt, in terram ibunt: ſic impii à maledictione in perditionem (ſubauditur) ſi non revertantur ad Dominum, exaudita ſaltem tali admonitione, *Fili peccaſti, ne adjicias ultra,* ſed & *de priſtinis tuis* Eccl. 21. 1.
deprecare. Et iterum, *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die* Eccl. 3. 8.
in diem. Subito enim venit ira ejus, quia ut ſcriptura ait: *Rege audiente ver-* Prov. 29. 12.
bum iniquum, omnes qui ſub illo ſunt, ſceleſti ſunt. Nimirum *rex* (ut Prophe- Prov. 29. 4.
ta dixit) *juſtus ſuſcitat regionem.* Sed monita tibi profecto non deſunt, cum Prov. 29. 4.
habueris præceptorum pene totius Britanniæ magiſtrum elegantem. Caveto igitur ne tibi, quod à Salomone notatur, accidat: *Quaſi qui excitat* Eccl. 22. 8.
dormientem de gravi ſomno, ſic qui enarrat ſtulto ſapientiam. In fine enim narrationis dicet. Quid primum dixeras? Lava à malitia cor tuum (ſicut dictum eſt) *Hieruſalem, ut ſalvus ſis.* Ne contemnas (quæſo) ineffabilem miſericordiam Dei, hoc modo per Prophetam à peccatis impios provocantis. *Repente loquar ad gentem & ad regnum ut evellam, & diſſipem, & deſtru-* Jer. 18. 7.
am, & diſperdam. Peccatorem hoc vehementer ad pœnitentiam hortatur. *Et ſi pœnitentiam egerit gens illa à peccato ſuo, pœnitentiam & ego agam ſuper malo quod locutus ſum ut facerem ei.* Et iterum *Quis dabit eis tale cor ut au-* Jer. 18. 8.
diant me, & cuſtodiant præcepta mea, & bene ſit eis omnibus diebus vitæ ſuæ? Itemque in cantico deuteronomii. *Populus* (inquit) *abſque conſilio & pru-* Deut. 32. 28.
dentia, utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent, quomodo perſequatur unus mille, & duo fugent decem millia. Et iterum in Evangelio Dominus *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego vos requieſcere fa-* Matt. 11. 28.
ciam. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Nam ſi hæc ſurdis auribus audias, prophetas contemnas, Chriſtum deſpicias, noſque (licet viliſſimæ qualitatis ſimus) nullius momenti ducas propheticum illud ſincera animi pietate ſervantes (utcunque ſi non ego implevero fortitudinem in ſpiritu &

a *Deeſt.*

Eſai. 58. 1. virtute Domini ut enunciem *domui Jacob peccata eorum, & domui Iſrael ſce-*
Eſai. 56. 10. *lera eorum)* ne ſimus *canes muti non valentes latrare.* Et illud Salomonis ita
Prov. 24. 24. dicentis: *Qui dicit impium juſtum eſſe, maledictus erit populis & odibilis gentibus*
Eccl. 4. 27. *(nam qui arguunt meliora ſperabunt)* Et iterum: *Non reverearis proximum in*
Prov. 24. 11. *caſum ſuum, nec retineas verbum in tempore ſalutis.* Itemque, *erue eos qui du-*
Prov. 11. 4. *cuntur ad mortem, & redimere eos qui interficiuntur, ne parcas,* quia *non prode-*
Prov. 11. 31. *runt* (ut idem Propheta ait) *divitiæ in die iræ, juſticia à morte liberat. Si*
1 Pet. 4. 18. *juſtus quidem vix ſalvus ſit, impius & peccator ubi parebit?* ille profecto te-
nebroſus tartari torrens ferali rotatu undiſque acſi acerrimis involvet ſem-
per cruciaturus & nunquam conſumpturus, cui tunc erit ſera inutiliſque
pœnæ occulata cognitio ac mali pœnitudo, à quo in hoc tempore accep-
to & die ſalutis ad rectum vitæ iter differtur converſio. Hic ſane vel an-
tea concludenda erat (uti ne amplius loqueretur os noſtrum opera homi-
num) tam flebilis hæc quærulaque malorum ævi hujus hiſtoria. Sed ne
formidoloſos nos aut laſſos putent, quominus illud Iſaianum infatigabi-
Eſa. 5. 20. liter caveamus, *Væ* (inquiens) *qui dicit bonum malum, & malum bonum ponen-*
tes tenebras in lucem, & lucem in tenebras: amarum in dulce, & dulce in amarum
Mat. 13. 13. (qui *videntes non vident, & audientes non audiunt,* quorum cor craſſa obtegi-
tur quadam vitiorum nube) libet quid quantumque [his ſupradictis laſci-
vientibus inſaniſque ſatellitum Pharaonis, (quibus ejus periturus mari pro-
vocatur exercitus ſtrenue rubro) eorumque ſimilibus quinque equis] mina-
rum prophetica inclamitent ſtrictim edicere oracula, quibus veluti pul-
chro tegmine opuſculi noſtri molimen (ita ut ne certatim irruituris in-
vidorum imbribus extet penetrabile) fidiſſime contegatur. Reſpondeant
itaque pro nobis ſancti vates nunc ut ante (qui os quodammodo Dei, orga-
numque ſpiritus ſancti mortalibus prohibentes mala, bonis faventes exti-
tere) contumacibus ſuperbiſque hujus ætatis principibus, ne dicant nos
propria adinventione & loquaci tantum temeritate tales minas eis tan-
toſque terrores incutere. Nulli namque ſapientium dubium eſt, in
quantis graviora ſunt peccata hujus temporis quam primi, Apoſtolo di-
Heb. 10. 28. cente: *Legem quis tranſgrediens duobus mediis vel tribus teſtibus morietur,*
quanto putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit? En pri
mus occurrit nobis Samuel juſſu Dei legitimi regni ſtabilitor, Deo ante-
quam naſceretur dedicatus, à Dan uſque Barſabeæ omni populo Iſrael veridi-
cus propheta ſignis indubitanter admirandis notus, ex cujus ore ſpiritus ſan-
ctus cunctis mundi poteſtatibus intonuit, denuntiando primo Regi apud He-
bræos duntaxat Sauli pro eo quod quædam de mandatis Domini non comple-
1 Sam. 13. 13. verat, dicens: *Stulte egiſti nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit ti-*
bi. Quod ſi non feciſſes jam nunc pararet Deus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempi-
ternum, ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget. Quid ergo ſimile hujus
temporis ſceleribus adulterium ne vel parricidium fecit? Nullo modo. Sed
juſſionis ex parte mutationem, quia ut bene quidam noſtrum ait, *Non agitur*
de qualitate peccati, ſed de tranſgreſſione mandati. Itemque illum objecta (velut
putabat) purgantem & apologias (ut generi humano moris eſt) ſagaciter
1 Sam. 15. 20. hoc modo adnectentem, *imo audivi vocem Domini, & ambulavi in via per quam*
1 Sam. 15. 22. *miſit me,* tali animadverſione multavit, *Nunquid vult* (inquit) *Dominus holocau-*
ſta aut victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia
quam victimæ, & audire magis quam offerre adipem arietum, Quoniam ſicut pec-
catum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. Pro eo ergo
1 Sam. 15. 28. *quod adjeciſti ſermonem Domini, abjecit & te ne ſis Rex.* Et poſt pauca *Scidit*
(inquit) *Deus Regnum Iſrael à te hodie, & dedit illud proximo tuo meliori te. Por-*
ro triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt
ut agat pœnitentiam (ſubauditur ſuper duris malorum præcordiis) Notandum
ergo eſt, quod dixit ſcelus idolatriæ eſſe, nolle Deo acquieſcere. Non ſibi
ſcelerati iſti, dum non gentium diis perſpicue litant, ſubplaudunt, ſiquidem
conculcantes porcorum more pretioſiſſimas Chriſti margaritas, idolatræ.
Sed

Sed licet hoc unum exemplum acſi invictus adſtipulator ad corrigendos iniquos abunde ſufficeret: tamen, ut in ore multorum teſtium omne comprobetur Britanniæ malum, tranſeamus ad cætera. Quid David numerando populum evenit, dicente ad eum propheta Gad? *Hæc dicit Domi-* 2 Sam. 24. 13.
nus. Trium tibi optio datur. Elige unum quod volueris ex his ut faciam tibi. Aut ſeptem annis veniet tibi fames, aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos & illi te perſequentur, aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nam arctatus tali conditione, & volens magis incidere in manus miſericordis Dei quam hominum, LXX. millium populi ſui ſtrage humiliatur, &, ni pro contribulibus (apoſtolicæ charitatis affectu) ut illos plaga non tangeret mori optaſſet (dicendo, *Ego ſum qui peccavi, ego paſtor inique egi: iſti* 2 Sam. 24. 17.
qui oves ſunt, quid peccarunt? Vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum patris mei) inconſideratam cordis elationem propria morte piaret. Nam quid ſcriptura in conſequentibus de filio ejus narrat, *Fecit* (inqui- 1 Reg. 11. 6.
ens) *Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimplevit ut ſequeretur Dominum ſicut pater ejus. Dixit Dominus ad eum: Quia habuiſti hoc apud* 1 Reg. 11. 11.
te, & non cuſtodiſti pactum meum & præcepta mea, quæ mandavi tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum & dabo illud ſervo tuo. Quid duobus ſacrilegis (æque ut iſti ſunt) Iſrael regibus Hieroboæ & Baaſæ accidit audite, quibus ſententia Domini dirigitur per Prophetam ita dicentis: *Propter quod* 1 Reg. 14. 7.
magnificavi te Principem ſuper Iſrael, quia exacerbaverunt me in vanis eorum. 1 Reg. 16. 2.
Ecce ego ſuſcito poſt Baaſam & poſt domum ejus, & tradam domum ejus ſicut 1 Reg. 16. 3.
domum Jeroboæ Nabath. Qui mortuus fuerit de ſuis in civitate comedent eum 1 Reg. 16. 4.
canes, & mortuum corpus illius in campo comedent volatilia cœli. Quid illi quoque ſcelerato regi Iſrael iſtorum commanipulari (cujus colludio & uxoris dolo Naboth innocens propter paternam vineam oppreſſus eſt) ſancto ore illius Heliæ atque ignifero domini alloquio inſtructo minatur ita dicente: *Occidiſti inſuper & poſſediſti, & poſt hæc addes, Hæc dicit Dominus.* 1 Reg. 21. 19.
In loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque tuum ſanguinem. Quod ita factum fuiſſe certiſſima ratione cognitum eſt. Sed ne forte ſecundum ſupradictum Achab *ſpiritus mendax* loquens vana *in ore* 1 Reg. 22. 23.
Prophetarum veſtrorum ſeducat vos, ne ſermones Micheæ prophetæ audiatis, *Ecce permiſit Deus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum* 1 Reg. 22. 22.
qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum. Nam & nunc certum eſt aliquos eſſe doctores contrario ſpiritu repletos, & magis pravam voluptatem quam veritatem aſſerentes: quorum verba ſuper oleum molliun- Pſal. 54. 22.
tur, & ipſa ſunt jacula, *qui dicunt pax pax,* & non erit in peccatis perma- Jer. 6. 14. &
nentibus pax, ut alibi propheta dicit: *Non eſt gaudere impiis dicit Domi-* 8. 11.
nus. Azarias quoque filius Obed ad ſe revertenti de cæde decies cen- Eſa. 48. 22. & 57. 21.
tenum millium exercitus Æthiopum locutus dicens, *Dominus vobiſcum* 2 Para. 15. 2.
eſt dum eſtis cum ipſo, & ſi exquiſieritis eum, invenietur à vobis. Et ſi dereliquiſtis eum, derelinquet vos. Nam ſi Joſaphat ferens præſidium iniquo regi ita ab Jehu propheta Ananiæ filio increpatur (dicente: *Si peccato-* 2 Para. 19. 2.
rem tu adjuvas, aut quem Dominus odit, tu diligis? propterea ira Dei eſt ſuper te) quid illis, qui propriis ſcelerum ſuorum criniculis compediuntur, fiet? Quorum nos neceſſe eſt (ſi in acie dominica volumus dimicare) peccata odiſſe non animas, dicente Pſalmiſta: *Qui diligitis Dominum, odite* Pſal. 96. 10.
malum. Quid ad ſupradicti Joſaphat filium currus & auriga Iſrael propheta Helias, Joram ſcilicet parricidam, qui egregios fratres ſuos (ut pro ipſis regnaret) ſpurius trucidavit, effatus eſt. *Sic dicit* (inquit) *Dominus* 2 Para. 21. 11, 12, 13.
Deus patris tui David. Eo quod non ambulaveris in via Joſaphat patris tui, & in viis Aſæ regis Juda, & ambulaſti in viis regum Iſrael, & ſtupore ſe ut geſſit domus Achab, & fratres tuos filios Joſaphat meliores te interfeciſti, ecce Dominus percutiet plaga magna te, & filios tuos. [Et poſt pauca, *Et tu eris* 2 Par. 21. 15.
in magna valetudine in languore ventris tui, donec exeat venter tuus cum ipſa infirmitate de die ex die] Et ad Joam regem Iſrael, ut vos derelinquentem

tem dominum quid Zacharias filius Joi adæ vatis minatus ſit attendite
Para. 24. 20. qui ſurgens populo dixit. *Hæc dicit Dominus. Quare præteritis præcepta Domini & non proſperamini? Quia dereliquiſtis dominum, & derelinquet vos.* Quid de authore Prophetarum Eaſaia dicam, qui procemium Prophetiæ
Eſa. 1. 2. ſuæ vel viſionem ita exorſus eſt dicens? *Audite cœli auribus & percipite terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Et poſt pauca minas
Eſa. 1. 8. meritas tantæ inſipientiæ aptans *Derelinquetur* (inquit) *filia Syon ut tabernaculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, ſicut civitas quæ vaſtatur.*
Eſa. 1. 10. Et principes ſpecialiter conveniens ait: *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite legem Domini populus Gomorrhæ.* Notandum ſane quod iniqui reges principes Sodomorum vocentur. Prohibens namque Dominus ſacrificia & dona ſibi à talibus offerri (& nos inhiantes ſuſcipimus quæ Deo ab omni natione ſunt non placita, eademque egenis & pene nihil habentibus diſtribui in perniciem noſtram non ſinimus)
Eſa. 1. 13. cum latis divitiis oneratis ſordibus peccatorum intentis ait: *Ne afferatis ultra ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi.* Itemque denunciat,
Eſa. 1. 15. *Et cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Et hoc quare facit oſtendit. *Manus* (inquiens) *veſtræ ſanguine plenæ* ſunt. Simulque oſtendens quomodo
Eſa. 1. 16. placaretur ait: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo,* Quaſi placoris viciſſitudinem adjungens
Eſa 1. 18. ait: *Si fuerint peccata veſtra ut occinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi verniculus, velut lana alba erunt. Si volueritis & audieritis me, bona terræ manducabitis. Quod ſi nolueritis & me provocaveritis ad iracundiam, gladius devorabit vos.* Accipite veracem publicumque adſtipulatorem boni malique veſtri retributionem abſque ullo adulationis fuco (non ut paraſitorum venerata veſtrorum venena in aures ſibilant ora) teſtantem. Item-
Eſa. 1. 23. que ad rapaces judices ſententiam dirigens ita affatur. *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſectantur retributiones, pupillo non judicant, cauſa viduæ non ingreditur ad eos. Propter hoc ait Dominus exercituum fortis Iſrael. Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis — & conterentur ſcelerati & peccatores ſimul, & omnes qui dereliquerunt dominum conſu-*
Eſa. 2. 11. *mentur.* Et infra. *Oculi ſublimis hominis humiliabuntur, & incurvavit altitudo*
Eſa. 3. 11. *virorum,* Et iterum: *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.*
Eſa. 5. 11. Et poſt pauca, *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & ad potandum uſque ad veſperam ut vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, & opera manuum ejus non conſideratis. Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes*
Eſa. 5. 22. *ejus, & populus ejus, & ſublimes glorioſique ejus ad eum.* Et infra, *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem, qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. Propter hoc ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael deſpexerunt, In omnibus his non eſt averſus furor Domini, ſed adhuc manus ejus extenta.* Et poſt aliquanta de die judicii & peccatorum
Eſa. 13. 6. ineffabili metu diſceptans ait: *Ululate quia prope eſt dies domini* (ſi tunc prope erat, quid nunc putabitur?) *quia vaſtitas à Deo veniet. Propter hoc omnes manus diſſolventur, & omne cor hominis tabeſcet & conteretur, tortiones & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt. Unuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus illorum. Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de*

ea,

ea, quoniam ſtellæ cœli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum, obtenebrabitur ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in tempore ſuo, & viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem ipſorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Et iterum. *Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit* Eſa. 24. 1.
eam, & affliget faciem ejus, & diſperget habitatores ejus, & erit ſicut populus ſic ſacerdos, & ſicut ſervus ſic dominus ejus, ſicut ancilla ſic domina ejus, ſicut emens ſic ille qui vendit, ſicut fœnerator ſic ille qui mutuum accipit, ſicut qui repetit ſic qui debet. Diſſipatione diſſipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus eſt verbum hoc. Luxit & defluxit terra, defluxit orbis, infirmata eſt ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt jus, diſſipaverunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, Et infra. *Ingemiſcent omnes qui lætantur corde, ceſſavit gaudium tympanorum, quieſcet ſonitus lætantium, conticeſcet dulcedo citharæ,* Eſa. 24. 7.
cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam. Attrita eſt civitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus nullo introeunte. Clamor erit ſuper vino in plateis, deſerta eſt omnis lætitia, tranſlatum eſt gaudium terræ, relicta eſt in urbe ſolitudo, & calamitas opprimet portas, quia hæc erunt in medio terræ & in medio populorum. Et poſt pauca. *Prævaricantes prævaricati ſunt, & prævaricatione tranſgreſſorum* Eſa 24. 16.
prævaricati ſunt. Formido, & foveæ, & laqueus ſuper te qui habitator es terræ. Et erit: qui fugerit à voce formidinis, cadet in foveam, & qui ſe explicuerit de fovea, tenebitur laqueo: quia cataractæ de excelſis apertæ erunt, & concutientur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra, commotione commovebitur, agitatione agitabitur ſicut ebrius, & auferetur quaſi tabernaculum unius noctis, & gravabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adjiciet ut reſurgat. Et erit: in die illa viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo, & ſuper reges terræ qui ſunt ſuper terram, & congregabuntur in congregationem unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcerem, & poſt multos dies viſitabuntur. Et erubeſcet luna, & confundetur ſol cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion & in Jeruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. Et poſt aliquanta rationem reddens, quamobrem talia minaretur, ita ait. *Ecce non eſt abbreviata manus Domini ut ſalvare ne-* Eſa 59. 1.
queat, neque aggravata eſt auris ejus ut non exaudiat. Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret. Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur. Non eſt qui vocet juſtitiam, neque eſt qui judicet vere, ſed confidunt in nihil, & loquuntur vanitates, & conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem. Et infra.
Opera eorum inutilia & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum in ma- Eſa. 59. 6.
lum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem innocentem. Cogitationes eorum cogitationes inutiles, vaſtitas & contritio in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, & non eſt judicium in greſſibus eorum. Semitæ eorum incurvatæ ſunt eis, omnis qui calcat in eis, ignorat pacem, Propter hoc elongatum eſt judicium à vobis, & non apprehendit vos juſtitia. Et poſt pauca. *Et converſum eſt retrorſum ju-* Eſa. 59. 14.
dicium, & juſtitia longe ſtetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta eſt veritas in oblivione, & qui receſſit à malo, prædæ patuit. Et vidit Dominus & non placuit in oculis ejus, quia non eſt judicium. Huc uſque Eſaiæ Prophetæ pauca de multis dixiſſe ſufficiat. Nunc vero illum (qui priuſquam formaretur in utero præſcitus, & priuſquam exiret de vulva ſanctificatus, & in cunctis gentibus Propheta poſitus eſt) Jeremiam ſcilicet, quid de populo inſipiente rigidiſque regibus pronunciaverit, parumper attendentes audite, hoc modo leniter verba initiantem. *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens., Vade & clama in auribus* Jer. 2. 2.
Jeruſalem, & dices. Audite verbum Domini domus Jacob, & omnes cognationes domus Iſrael. Hæc dicit Dominus. Quid invenerunt in me patres veſtri iniquitates, qui elongati ſunt à me, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, & non dixerunt, ubi eſt qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti? Et poſt pauca: *A ſeculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, dixiſti non ſerviam.* Jer. 2. 20.
Ego plantavi te vineam electam, omne ſemen verum. Quomodo ergo converſa es in

 pravum

pravum vinea aliena? Si laveris te nitro & multiplicaveris tibi herbam bo-
Jer. 2. 29. rith, maculata es iniquitate tua coram me dicit Dominus. Et infra: Quid
vultis mecum judicio contendere? Omnes me dereliquiſtis, dicit Dominus, Fru-
ſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. Audite verbum Domi-
ni. Nunquid ſolitudo factus ſum Iſrael, aut terra ſerotina? Quare ergo
dixit populus meus, receſſimus, non veniemus ultra ad te? Nunquid obliviſci-
tur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſcia pectoralis ſuæ? Populus vero meus
Jer 4. 22. oblitus eſt me diebus innumeris. Quia ſtultus eſt populus meus, me non cogno-
vit: filii inſipientes ſunt, & vecordes: Sapientes ſunt ut faciant mala, bene
autem facere neſcierunt. Tum Propheta ex ſua perſona loquitur dicens.
Jer. 5. 3. Domine oculi tui reſpiciunt fidem, percuſſiſti eos & non doluerunt, atriviſti eos
& renuerunt accipere diſciplinam. Induraverunt facies ſuas ſuper petram,
Jer. 5. 20. & noluerunt reverti. Itemque Dominus, Annunciate hoc domui Jacob, &
auditum facite in Juda dicentes. Audi popule ſtulte qui non habes cor, qui
habentes oculos non videtis, & aures & non auditis. Me ergo non timebitis ait
Dominus, & à facie mea non dolebitis, qui poſui arenam terminum mari, præ-
ceptum ſempiternum quod non præteribit, & commovebuntur & non potuerunt,
intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud. Populo autem huic factum
eſt cor incredulum & exaſperans, receſſerunt & abierunt, & non dixerunt in
Jer. 5. 26. corde ſuo, metuamus Dominum Deum noſtrum. Et iterum. Quia inventi
ſunt in populo meo impii inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas
ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plenæ dolo.
Ideo magnificati ſut & ditati, incraſſati ſunt & impinguati, & præterierunt
ſermones meos peſſime, cauſam pupilli non dixerunt, & judicium pauperum non
judicaverunt. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gen-
tem hujuſmodi non ulciſcetur anima mea? Sed abſit ut vobis eveniat quod
Jer. 7. 27. ſequitur. Loquere ad eos omnia verba hæc & non audient te, & vocabis eos
& non reſpondebunt tibi, & dices ad eos. Hæc eſt gens, quæ non audivit vo-
cem Domini Dei ſui, nec recipit diſciplinam, periit fides, & ablata eſt de ore eo-
Jer. 8. 4. rum. Et poſt aliquanta. Nunquid qui cadit non reſurgit, & qui averſus
eſt non revertetur? Quare ergo averſus eſt populus iſte in Jeruſalem a-
verſione contentioſa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti.
Attendi & auſcultavi, nemo quod bonum eſt loquitur. Nullus eſt qui agat
pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci? Omnes converſi ſunt ad
curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens in prælium. Milvus in cœlo cog-
novit tempus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus ad-
ventus ſui, populus meus non cognovit judicium Dei. Et tam vehemen-
ti ſacrilegiorum cæcitate & ineffabili ebrietate Propheta conterritus,
& deflens eos qui ſeipſos non deflebant (ut & nunc infœlices tyranni a-
gunt) optat ſibi auctionem fletuum à Domino concedi, hoc modo dicens.
Jer. 8. 21. Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, ſtupor obtinuit me. Nunquid
reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non obducta eſt
Jer. 9. 1. cicatrix filiæ populi mei? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem
lachrymarum, & plorabo die & nocte interfectos populi mei? Quis dabit mihi
in ſolitudine diverſorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam
ab eis, quia omnes adulteri ſunt cœtus prævaricatorum? Et extenderunt lin-
guam ſuam quaſi arcum mendacii & non veritatis: confortati ſunt in terra,
quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me non cognoverunt dicit Dominus. Et
Jer. 9. 13. iterum. Et dixit Dominus. Quia dereliquerunt legem meam quam dedi eis,
& non audierunt vocem meam, & non ambulaverunt in ea. Et abierunt poſt
pravitatem cordis ſui. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael.
Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis. Et
poſt pauca (quod etiam crebrius ſtylo Propheta adjunxit dicens ex perſo-
Jer. 11. 14. na Dei.) Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & ora-
tionem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, & afflictionis eo-
rum

rum. Quid ergo nunc infauſti duces facient? Illi pauci invenientes vi-
am anguſtam amota ſpacioſa, prohibiti à Deo ne preces pro vobis fun-
dant perſeverantibus in malis, & tantopere incitantibus (queis è contra-
rio ex corde ad Deum repedantibus, Deo nolente animam hominis inter-
ire, ſed retractante, ne penitus pereat qui abjectus eſt, vindictam non po-
tuiſſent inducere, quia nec Jonas, & quidem cum multum concupiverit
Ninivitis Propheta.) Sed omiſſis interim noſtris audiamus potius, quid
prophetica tuba perſultet. *Quod ſi dixeris* (inquiens) *in corde tuo. Qua-* Jer. 13. 22.
re venerunt mala hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ. Si mutare
poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis be-
nefacere, cum didiceritis malum, (ſubauditur) quia non vultis. Et infra.
Hæc dicit Dominus populo huic, Qui dilexit movere pedes ſuos & non quievit, Jer. 14. 10.
& domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & viſitabit
peccata eorum. Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo iſto in bo-
num. Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum: & ſi obtulerint holo-
cauſta & victimas, non ſuſcipiam ea. Et iterum. *Et dixit Dominus ad me.* Jer. 15. 1.
Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.
Ejice illos a facie mea & egrediantur. Et poſt pauca. *Quis miſerebitur* Jer. 15. 5.
tui Jeruſalem, aut quis contriſtabitur pro te, aut quis ibit ad rogandum pro
pace tua? Tu reliquiſti me dicit Dominus, & retrorſum abiiſti, & extendam
manum meam ſuper te, & interficiam te. Et poſt aliquanta. *Hæc dicit* Jer. 18. 11.
Dominus. Ecce ego fingo contra vos cogitationem, revertatur unuſquiſque à
via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra. Qui dixerunt. De-
ſperamus, poſt cogitationes noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis
ſui mali faciemus. Ideo hæc dicit Dominus. Interrogate gentes, quis audi-
vit talia horribilia quæ fecit nimis virgo Iſrael? Nunquid deficiet de petra
agri nix Libani, aut velli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ defluentes? quia
oblitus eſt me populus meus. Et poſt aliquanta optione propoſita loquitur
dicens: *Hæc dicit Dominus. Facite judicium & juſtitiam, & liberate vi op-* Jer. 22. 3.
preſſum de manu calumniatoris, & advenam & pupillum & viduam nolite con-
triſtare, neque opprimatis inique, & ſanguinem innocentem ne effundatis. Si
enim facientes feceritis verbum iſtud, ingredientur per portas domus hujus
reges ſedentes de genere David ſuper thronum ejus. Quod ſi non audieritis
verba hæc, in memetipſo juravi, dicit Dominus, quia in ſolitudinem erit domus
hæc. Et iterum (de rege enim ſceleſto loquebatur) *Vivo ego dicit Domi-* Jer. 22. 24.
nus, quia ſi fuerit Jechonias annulus in manu dextra mea, inde evellam eum
& dabo in manu quærentium animam ejus. Sanctus quoque Abacuc pro-
clamat dicens, *Væ qui ædificant civitatem in ſanguine, & præparant civi-* Abacuc. 1. 2.
tatem in iniquitatibus dicentes: Nonne hæc ſunt à Domino omnipotente? Et
defecerunt populi multi in igne, & gentes multæ minoratæ ſunt. Et ita pro-
phetiam querulus incipit. *Uſquequo clamabo & non exaudies? vocifera-*
bor ad te, ut quid mihi dediſti labores & dolores inſpicere miſeriam & impie-
tatem? [Contra. *Et factum eſt judicium, & judex accepit. Propter hoc diſ-* Abacuc. 1. 3.
ſipata eſt lex, & non perducitur ad finem judicium: quia impius per potentiam
deprimit juſtum. Propter hoc exiit judicium perverſum.] Sed & beatus O-
ſee propheta, attendite quid loquatur de principibus dicens. *Pro eo* Oſe. 8. 1.
quod tranſgreſſi ſunt pactum meum, & adverſus legem meam tulerunt, & ex-
clamabant: Cognovimus te, quia adverſum ſis Iſrael. Bonum ut iniquum
perſecuti ſunt. Sibi regnaverunt, & non per me: tenuerunt principatum, Oſe. 8. 4.
nec me agnoverunt. Sed & ſanctum Amos prophetam hoc modo minan-
tem audite. *In tribus impietatibus filiorum Juda, & in quatuor non aver-* Amoſ. 2. 4.
tam eos, propter quod repulerunt legem Domini, & præcepta non cuſtodierunt,
ſed ſeduxerunt eos vana eorum. Et emittam ignem ſuper Judam, & comedet
fundamenta Jeruſalem. Hæc dicit Dominus. In tribus impietatibus Iſrael, Amoſ. 2. 6.
& in quatuor non avertam eos, propter quod tradiderunt pecunia juſtum, &

pauperem pro calciamentis quæ calciant ſuper pulverem terræ, & colaphis cædebant
Amos. 5. 6. *capita pauperum, & viam humilium declinaverunt.* Et poſt pauca. *Quærite Do-*
minum & vivetis, ut non reluceat ſicut ignis domus Joſeph, & comedat eam, nec erit qui
Amos 5. 10. *extinguat. Domus Iſrael odio habuerunt in portis redarguentem, & verbum juſtum*
abominati ſunt. Qui Amos prohibitus ne prophetaret in Iſrael, abſque adula-
Amos. 7. 14. tionis tepore reſpondens, *Non eram* (inquit) *ego propheta nec filius pro-*
phetæ, ſed eram paſtor caprarius vellicans ſycomoros, & ſuſcepit me Dominus ab
ovibus, & dixit Dominus ad me. Vade & prophetiza in plebem meam Iſrael,
& nunc audi verbum domini. (Regem namque alloquebatur) *Tu dicis, noli*
prophetare in Iſrael, & non congreges turbas in domum Jacob. Propter quod
hæc dicit Dominus. Uxor tua in civitate meretricabitur, & filii tui & filiæ
tuæ gladio cadent, & terra tua funiculo metietur, & tu in terra immunda mo-
Amos. 8. 4. *rieris, Iſrael autem captivus ducetur à terra ſua.* Et infra. *Audite itaque*
hæc, qui contribulatis immane pauperem, & dominationem exercetis in inopes ſu-
per terram, qui dicitis, quando tranſibit menſis ut acquiramus, & ſabbata ut a-
Amos. 8. 7. *periamus theſauros.* Et poſt pauca. *Jurat Dominus contra ſuperbiam Jacob,*
ſi obliviſcetur in contemptione opera veſtra, & in his non conturbabitur terra,
& lugebit omnis qui commorabitur in ea, & aſcendet ſicut flumen conſummatio,
& convertam dis feſtos veſtros in luctum, & injiciam in omnem lumbum cilicium,
& in omne caput decalvationem, & ponam eum ſicut luctum dilecti; & eos, qui
Amos. 9. 10. *cum eo ſunt, ſicut diem mæroris.* Et iterum. *Gladio morientur omnes pecca-*
tores populi mei, qui dicunt: Non appropinquabunt neque venient ſuper nos ma-
Mich. 6. 10. *la.* Sed & ſanctus Micheas vates, attendite quid ſit effatus. *Audi* (in-
quiens) *tribus. Et quid exornabit civitatem? nunquid ignis? Et domus ini-*
quorum theſaurizans in theſauros iniquos, & cum injuria injuſtitiam. Si juſti-
ficabitur in ſtatera iniquus, & in ſaccello pondera doloſa, ex quibus divitias ſuas
in impietate repleverunt. Sed & Sophonias propheta clarus, quas minas
Sopho. 1. 14. exaggerat, audite. *Prope eſt* (inquit) *dies domini magnus, prope & velox val-*
de. Vox diei domini amara conſtituta eſt & potens, dies iræ dies ille, dies tri-
bulationis & neceſſitatis, dies nubis & nebulæ, dies tubæ & clamoris, dies miſeriæ
& exterminationis, dies tenebrarum & caliginis ſuper civitates firmas & ſuper an-
gulos excelſos. [*Et contribulabo homines, & ibunt ſicut cæci, quia Domino pecca-*
verunt, & effundam ſanguinem ſicut pulverem, & carnes eorum ſicut fimum boum,
& argentum eorum & aurum non poterit eximere eos in die iræ Domini. Et in
igne zeli ejus conſumetur omnis terra, quando conſummationem & ſolitudinem fa-
ciet Dominus ſuper omnes commorantes in terram. Convenite & conjungimini
gens indiſciplinata, priuſquam efficiamini ſicut flos præteriens, priuſquam veniat
ſuper vos ira domini] Et quid Aggæus ſanctus propheta dicat attendite.
Agg. 2. 22. *Hæc dicit Dominus. Semel ego movebo cælum, & terram, & mare, & aridum,*
& avertam regnum, & exterminabo virtutem regum gentium, & avertam quadri-
gas & aſcenſores. Nunc quoque quid Zacharias filius Addo Propheta ele-
ctus dixerit intuemini, hoc modo prophetiam ſuam exordiens, *Reverti-*
Zach. 1. 3. *mini ad me, & revertar ad vos dicit Dominus: & nolite tales eſſe ſicut patres*
veſtri, quibus imputaverunt prophetæ priores dicentes. Hæc dicit Dominus om-
nipotens. Avertite vos à viis veſtris, & non intenderunt ut obaudirent me.
Zachar. 5. 2. (Et infra. *Et dixit ad me Angelus. Quid tu vides? Et dixi. Falcem ego*
video volantem longitudinis cubitorum viginti, Maledictio quæ procedit ſuper
faciem totius terræ: quoniam omnis fur ex ea uſque ad mortem punietur, & pro-
jiciam eum dicit Dominus omnipotens, & intrabit in domum furoris, & in domum
jurationis in nomine meo mendacium.) Sanctus quoque Malachias propheta di-
Malach. 4. 1. cit. *Ecce dies Domini veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi,*
& omnes facientes iniquitatem ut ſtipula, & inflammabit eos dies adveniens Do-
minus exercituum, quæ non relinquet ex eis radicem & germen. Sed & ſanctus
Job attendite, quid de principio impiorum & fine diſceptaverit dicens.
Job. 21. 7. *Propter quid impii vivunt, & ſenuerunt inhoneſte, & ſemen eorum ſecundum de-*
ſiderium eorum, & filii eorum ante conſpectum eorum, & domus eorum fructuoſæ
ſunt,

ſunt. & timor nunquam, nec plaga domini eſt ſuper eos. Vacca eorum non a-
bortivit, & prægnans eorum pertulit partum, & non erravit, ſed permanet ſi-
cut oves æternæ. Et pueri eorum gaudent, & pſalterium ſumentes & cytha-
ram finierunt in bonis vitam ſuam, in requiem inferorum dormierunt. Nun- Job. 21. 17.
quid Deus facta impiorum non reſpicit? Non ergo *ſed lucerna impiorum ex-*
tinguetur, & ſuperveniet eis everſio & dolores tanquam parturientis eos ab ira
tenebunt. Et erunt ſicut paleæ à vento, & ſicut pulvis, quem abſtulit turbo.
[*Deficiant filiis ejus bona, videant oculi ejus bona, videant oculi ejus occiſionem*
ſuam, nec à Domino reſalvetur. Et poſt aliquanta de iiſdem. *Qui gregem* Job. 24. 2.
(inquit) *cum paſtore rapuerunt; & jumentum orphanorum abduxerunt, & bovem*
viduæ pignoraverunt, & declinaverunt impotentes à via neceſſitatis. Agrum an-
te tempus non ſuum demeſſi ſunt, pauperes potentium vineas ſine mercede & ſi-
ne cibo operati ſunt, nudos multos dormire fecerunt ſine veſtimentis, tegmen ani-
mæ eorum abſtulerunt. Et poſt pauca, cum ergo ſciret eorum opera, tra-
didit eos in tenebras. *Maledicatur ergo pars ejus à terra, pariant planta-* Job 24. 18.
tiones ejus aridæ. Retribuatur ergo illi ſicut egit, contribuletur omnis iniquus Job. 24. 20.
ſicut lignum ſine ſanitate. In iracundia enim ſurgens impotentem evertit. Prop-
terea enim non credet de vita ſua cum infirmari cœperit, non ſperet ſanitatem, Job. 24. 22.
ſed cadet in languorem. Multos enim læſit ſuperbia ejus, & marcidus factus eſt
ſicut malva in æſtu, velut ſpica cum de ſtipula ſua decidit. Et infra. *Quod* Job. 27. 14.
ſi multi fuerint filii ejus, in occiſionem erunt. Quod & ſi collegerit ut terram
argentum, & ſimiliter ut lutum præparaverit aurum, hæc omnia juſti conſequuntur.]
Quid præterea beatus Eſdras propheta ille bibliotheca legis minatus ſit
attendite, hoc modo diſceptans. *Hæc dicit Dominus meus. Non parcet* 4 Eſdr. 15. 22.
dextera mea ſuper peccantes, nec ceſſabit romphæa ſuper effundentes ſanguinem in-
nocuum ſuper terram. Exibit ignis ab ira mea, & devorabit fundamenta terræ
& peccatores quaſi ſtramen incenſum. Væ eis qui peccant, & non obſervant
mandata mea dicit Dominus, non parcam illis, Diſcedite filii apoſtatæ, & nolite
contaminare ſanctificationem meam. Novit Deus qui peccant in eum, propterea
tradet eos in mortem, & in occiſionem. Jam enim venerunt ſuper orbem terra-
rum mala multa. Immiſſus eſt gladius vobis ignis, & quis eſt qui recutiet ea? 4 Eſdr. 16. 3.
Nunquid recutiet aliquis leonem eſurientem in ſilva? aut nunquid extinguet ig-
nem cum ſtramen incenſum fuerit? Dominus Deus mittet mala, & quis eſt qui
recutiet ea? & exibit ignis ex iracundia ejus, & quis extinguet eum? Coruſcabit,
& quis non timebit? tonabit, & quis non horrebit? Deus cuncta minabitur, &
quis non terrebitur? A facie ejus tremet terra, & fundamenta maris fluctuantur
de profundo,] Ezechiel quoque propheta egregius, quatuorque evangeli-
corum animalium mirandus inſpector, quid de ſceleratis edixerit, atten-
dite, cui primum Dominus miſerabiliter plagam Iſrael deflenti ait. *Ini-*
quitas domus Iſrael & Juda invaluit nimis, quia impleta eſt terra iniquitate & Eze. 9. 9.
immunditia. Ecce ego ſum, non parcet oculus meus, neque miſerebor. Et infra. Eze. 5. 8. & 11.
Quoniam terra plena populis, & civitas plena iniquitate eſt, & avertam impe- Eze. 7. 23.
tum virtutis eorum, & polluentur ſancta eorum. Exoratio veniet, & quæret pa-
cem & non erit. Et poſt aliquanta. *Factus eſt* (inquit) *ſermo Domini ad* Eze. 14. 12.
me dicens. Fili hominis terra quæ peccaverit mihi ut delinquat delictum, exten-
dam manum in eam, & conteram ejus firmamentum panis, & emittam in eam
famem, & tollam de ea hominem, & pecora. Et ſi ſint tres viri iſti in medio
ejus Noe, Daniel, & Job, non liberabunt eam, ſed ipſi in ſua juſtitia ſalvi erunt,
dicit Dominus. Quod ſi etiam beſtias malas inducam ſuper terram & puniam
illam, & erit in exterminium, & non erit qui iter faciat à facie beſtiarum. Et
tres viri iſti in medio ejus ſint, vivo ego dicit Dominus, ſi filii & filiæ ejus li-
berabuntur, ſed ipſi ſoli ſalvi erunt, terra autem erit in interitum. Et iterum.
Filius non accipiet injuſtitiam patris, neque pater accipiet injuſtitiam filii. Ju- Eze. 18. 20.
ſtitia juſti ſuper ipſum erit. Et iniquus ſi avertat ſe ab omnibus iniquitatibus
quas fecit, & cuſtodiat omnia mandata mea, & faciat juſtitiam & miſericordiam
multam, vita vivet & non morietur. Omnia delicta ejus, quæcunque fecit non

 erunt;

erunt: in ſua juſtitia, quam fecit, vita vivet. Nunquid voluntate volo mor-
tem injuſti (dicit dominus) quam ut avertat ſe à via ſua mala & vivat? Cum
ſe autem converterit juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum om-
nes iniquitates quas fecit iniquus, omnes juſtitiæ, quas fecit, non erunt in me-
moria. In delicto ſuo, quo excidit, & in peccatis ſuis, quibus peccavit, morie-
Eze. 29. 23. *tur.* [Et poſt aliquanta. *Et ſcient omnes gentes, quia propter peccata ſua*
captivi ducti ſunt domus Iſrael; eo quod reliquerunt me. Et averti faciem me-
am ab eis, & tradidi eos in manus inimicorum ejus, & omnes gladio ceciderunt.
Secundum immundicias ſuas, & ſecundum iniquitates ſuas feci illis, & averti fa-
ciem meam ab eis.] Hæc de ſanctorum prophetarum minis dixiſſe ſuffici-
at, pauca tantum de ſapientia Salomonis, quæ adhortationem vel denun-
tiationem exprimant regibus, non minus quam minas huic opuſculo in-
ſerere neceſſarium duxi, ne dicant me gravia & importabilia in humeros
hominum verborum onera velle imponere, digito autem meo ea (id eſt
conſolatorio affatu) nolle movere. Audiamus itaque quid propheta dix-
Sapi. 1. 1. it. *Diligite* (inquit) *juſtitiam, qui judicatis terram.* Hoc unum teſtimoni-
um (ſi toto corde ſervaretur) abunde ad corrigendos patriæ duces ſuffi-
ceret. Nam ſi dilexiſſent juſtitiam, diligerent utique fontem quodam-
Sapi. 1. 1. modo, & originem totius juſtitiæ Deum. *Servite Domino in bonitate, & in*
ſimplicitate cordis quærite eum. Heu quis victurus eſt (ut quidam ante nos
ait) quando iſta à civibus perficiantur, ſi tamen uſquam perfici poſſunt,
Sapi. 1. 2. *Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem*
habent in eum. Nam iſti ſine reſpectu tentant deum, cujus præcepta con-
tumaci deſpectione contemnunt, nec fidem ſervant illi, cujus oraculis
blandis vel aliquantulum ſeveris dorſum verſant & non faciem. *Perverſæ*
Sapi. 1. 3. *enim cogitationes ſeparant à Deo.* Et hoc in tyrannis noſtri temporis per-
ſpicue deprehenditur. Sed quid noſtra mediocritas huic tam aperto ſen-
ſui miſcetur? Loquatur namque pro nobis (ut diximus) qui ſolus verax
Sapi. 1. 2. eſt, ſpiritus ſcilicet ſanctus, de quo nunc dicitur. *Spiritus autem ſanctus*
Sapi. 1. 5. *diſciplinæ effugiet fictum.* Et iterum. *Quoniam ſpiritus Dei replevit orbem*
terrarum. Et infra (finem malorum bonorumque oculato judicio præ-
Sapi. 5. 15. tendens) ait. *Quomodo ſpes impii tanquam lanugo eſt quæ à vento tollitur, &*
tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procel-
la diſpergitur, & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Juſti au-
tem in perpetuum vivent. Et apud Deum eſt merces illorum, & cogitatio eorum
apud altiſſimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu do-
mini. Quoniam dextera ſua proteget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos.
Diſſimiles etenim qualitate ſunt valde juſti & impii, nimirum (ut dixit
1 Sam. 2. 30. Dominus) *Eos, qui honorant* (inquiens) *me, honorabo: &, qui me ſpernunt,*
Sap. 6. 2. *erunt ignobiles.* [Sed tranſeamus ad cætera. *Audite* (inquit) *omnes reges*
& intelligite; diſcite judices finium terræ, præbete aures vos qui continetis mul-
titudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt à Deo poteſtas
vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcru-
tabitur. Quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, neque
cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem ejus ambulaſtis. Horrende
& celeriter apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.
Exiguis enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.
Non enim perſonas ſubtrahet, qui eſt omnium dominator: nec reverebitur magni-
tudinem cujuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt
illi pro omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Ad vos ergo reges
hi ſunt ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non decidatis. Qui enim cuſto-
dierint juſta, juſtificabuntur; & qui didicerint ſancta, ſanctificabuntur. Hacte-
nus cum regibus patriæ non minus prophetarum oraculis quam noſtris
Eccle. 21. 2. ſermonibus diſceptavimus, volentes eos ſcire quæ propheta dixerat, *Quaſi*
(inquiens) *à facie colubri fuge peccata. Si acceſſeris ad illa, ſuſcipient te den-*
Eccle 17 28. *tes leonis, dentes eorum interficientes animas hominum.* Et iterum. *Quam mag-*

na

na miſericordia Domini, & propitiatio ejus convertentibus ad ſe. Et ſi non habemus in nobis illud apoſtolicum ut dicamus, *Optabam enim anathema* Rom. 9. 3.
eſſe à Chriſto pro fratribus meis, tamen illud propheticum toto corde poſſimus dicere. *Heu quia anima perit.* Et iterum. *Scrutemur vias noſtras,* Thre. 3. 40.
& quæramus, & revertamur ad Dominum: levemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cœlo. Sed & illud Apoſtoli: *Cupimus unumquemque veſtrum in vi-* Phil. 1. 8.
ſceribus Chriſti eſſe. Quam enim libenter hoc in loco, acſi marinis fluctibus jactatus, & in optato evectus portu remis, (ſi non tantos taleſque malitiæ Epiſcoporum, vel cæterorum Sacerdotum, aut clericorum in noſtro quoque ordine erigi adverſus DEUM vidiſſem montes, quos me ſecundum legem ceu teſtes primum duris verborum cautibus, dein populum (ſi tamen ſanctionibus inhæret) non ut corporaliter interficiantur, ſed mortui vitiis, vivant Deo (ne perſonarum arguar exceptionis) totis neceſſe eſt viribus lapidare,) verecundia interveniente quieſcerem. Sed mihi quæſo, ut jam in ſuperioribus dixi, ab his veniam impertiri (quorum vitam non ſolum laudo, verumetiam cunctis mundi opibus præfero, cujuſque me, ſi fieri poſſit, ante mortis eſſe aliquamdiu participem opto & ſitio) noſtris jam nunc obvallatis ſanctorum duobus clipeis lateribus invictis dorſo adverſitatis mœnia, ſtabilito capite, pro galea, adjutorio Domini fidiſſime contecto crebro veracium volatu, vel alitent conviviorum cautes.]

SAcerdotes habet Britannia, ſed inſipientes: quam plurimos miniſtros, *Increpatio in Clerum.* ſed impudentes: clericos, ſed raptores ſubdolos: paſtores (ut dicuntur) ſed occiſioni animarum lupos paratos (quippe non commoda plebi providentes, ſed proprii plenitudinem ventris quærentes:) Eccleſiæ domus habentes, ſed turpis lucri gratia eas adeuntes: populos docentes, ſed præbendo peſſima exempla, vitia, maloſque mores: raro ſacrificantes, & nunquam puro corde inter altaria ſtantes: plebem ob peccata non corripientes, nimirum eadem agentes: præcepta Chriſti ſpernentes, & ſuas libidines votis omnibus implere curantes: ſedem Petri Apoſtoli immundis pedibus uſurpantes, ſed merito cupiditatis in Judæ traditoris peſtilentem cathedram decidentes: veritatem pro inimico odientes, & mendaciis acſi chariſſimis fratribus faventes: juſtos inopes immanes quaſi angues torvis vultibus conſpicantes, & ſceleratos divites abſque ullo verecundiæ reſpectu ſicut cœleſtes angelos venerantes: egenis eleemoſynam eſſe dandam ſummis è labiis prædicantes, ſed ipſi vel obolum non dantes: nefanda populi ſcelera tacentes, & ſuas injurias quaſi Chriſto irrogatas amplificantes: religioſam forte matrem, ſeu ſorores, domo pellentes, & externas veluti ſecretiori miniſterio familiares indecenter levantes, vel potius (ut vera dicam licet inepta non tam mihi quam talia agentibus) humiliantes: eccleſiaſticos poſt hæc gradus propenſius, quam regna cœlorum ambientes, & tyrannico ritu acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illuſtrantes: ad præcepta ſanctorum (ſi aliquando duntaxat audierint quæ ab illis ſæpiſſime audienda erant) oſcitantes ac ſtupidos, & ad ludicra & ineptas ſecularium hominum fabulas, ac ſi iter viæ, quæ mortis, pandunt ſtrenuos & intentos: pinguedinis gratia taurorum more raucos, & ad illicita infœliciter promptos: vultus arroganter in altum habentes, & ſenſus conſcientia remordente ad ima vel tartarûm demerſos: uno ſane perdito denario mœſtos, & ad unum inquiſitum lætos: in Apoſtolicis ſanctionibus ob inſcitiam vel peccatorum pondus (ora etiam ſcientium obturantes) hebetes ac mutos, & in flexibus mundialium negotiorum mendacibus doctiſſimos: quorum de ſcelerata converſatione multos ſacerdotio irruentes, potius vel illud pene omni pecunia redimentes, quam tractos, & in eodem veteri infauſtoque intolerabilium piaculorum cœno poſt ſaſacerdotalem epiſcopatus vel presbyterii ſedem (qui nec ibidem uſquam ſederunt)

ſederunt) utpote indigne porcorum more volutantes, rapto tantum ſacerdotali nomine nec tamen tenore, vel apoſtolica dignitate accepta; ſed qui nondum ad integram fidem ſunt vel malorum pœnitentia idonei, quomodo ad quemlibet eccleſiaſticum (ut non dicam ſummum) convenientes & adepti gradum, quem non niſi ſancti atque perfecti, & Apoſtolorum imitatores, & (ut magiſtri gentium verbis loquar) irreprehenſibiles legitime & abſque magno ſacrilegii crimine ſuſcipiunt. Quid enim tam im-
Act. 8. 18. pium tamque ſceleſtum eſt, quam ad ſimilitudinem Simonis Magi (non intervenientibus licet interea promiſcuis criminibus) epiſcopatus officium vel presbyterii terreno pretio, quod ſanctitate rectiſque moribus decentius acquiritur, quempiam velle mercari? Sed in eo iſti propenſius vel deſperatius errant, quo non ab Apoſtolis vel Apoſtolorum ſucceſſoribus, ſed à tyrannis & à patre eorum diabolo fucata & nunquam profutura emunt ſacerdotia: quin potius velut culmen tectumque malorum omnium quoddam, quo non facile eis improperentur à quoquam admiſſa priſca vel nova, & cupiditatis gulæque deſideria, [utpote præpoſiti multorum facilius rapiant,] [a] ſceleſtæ vitæ ſtructuræ ſuperponunt. Nam ſi talis profecto coemptionis conditio ab impudentibus iſtis, non dicam apoſtolo Petro, ſed cuilibet ſancto Sacerdoti pioque regi ingeſta fuiſſet, eadem reſponſa accepiſſent, quæ ab apoſtolo author eorundem magus Simon di-
Act. 8. 20. cente Petro, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Sed forte heu, qui ambitores iſtos ordinant (imo potius humiliant, atque pro benedictione maledicunt, dum ex peccatoribus non pœnitentes, quod rectius fuerat, ſed ſacrilegos & deſperatos faciunt, & Judam quodammodo in Petri cathedra Domini traditorem, ac Nicolaum in loco Stephani martyris ſtatuunt immundæ hæreſios adinventorem) eodem modo ſacerdotio adſciti ſunt: & ideo non magnopere deteſtantur in filiis, quinimo venerantur, quod ſimiliter ut patribus ſubinde veniſſe certiſſimum eſt. Etenim eos (ſi in parochiam, reſiſtentibus ſibi & tam pretioſum quæſtum denegantibus ſevere commeſſoribus, hujuſmodi margaritam invenire non poſſint) præmiſſis ante ſolicite nuntiis, tranſnavigare maria, terraſque ſpatioſas tranſmeare non tam piget quam delectat, ut omnino talis ſpecies inæquiparabiliſque pulchritudo, & (ut verius dicam) diabolica illuſio, vel venditis omnibus copiis, comparetur. Dein cum magno apparatu magnaque phantaſia, vel potius inſania repedantes ad patriam, ex erecto erectiorem inceſſum pingunt, & dudum ſummitates montium conſpicantes, nunc recte ad æthera vel ad ſumma nubium vellera, luminum ſemidormitantes acies librant, ac ſeſe nova quædam plaſmata, imo diabolica organa (ut quondam Novatus Romæ, dominicæ mulctator margaritæ porcus niger) patriæ ingerunt, violenter manus non tam venerabilibus aris quam flammis inferni ultricibus dignas in tali ſchema poſiti ſacroſanctis Chriſti ſacrificiis exten-
Tit. 1. 12. ſuri. Quid tu infœlix popule à talibus (ut dixit Apoſtolus) beſtiis ventris præſtolaris? His ne corrigeris, qui ſeipſos non modo ad bona non
Jer. 9. 5. invitant, ſed ſecundum Prophetæ exprobrationem *laborant ut inique agant?* Talibus ne oculis illuſtraberis, qui hæc tantum avide ſpeculantur, quæ proclive vitiis (id eſt, tartari portis) ducant? Vel certe ſecundum ſalva-
Mat. 7. 18. toris dictum, ſi non iſtos rapaciſſimos ut Arabiæ lupos, acſi Loth ad mon-
Gen. 19. 20. Mat. 15. 14. tem igneum Sodomorum imbrem præpropere fugeritis, cæci educti a cæcis pariter in inferni foveam cadetis. Sed forſitan aliquis dicat, non ita omnes Epiſcopi vel Presbyteri ut ſuperius comprehenſi (quia non ſciſmatis, non ſuperbiæ, non immunditiæ infamia maculantur) mali ſunt, quod nec vehementer & nos diffitemur. Sed licet ſciamus eos caſtos eſſe &
1 Sam. 2. 11. bonos, breviter tamen reſpondebimus. Quid profuit Heli ſacerdoti, quod
& 22. 3, 12. ſolus non violaverit præcepta Domini, rapiendo in fuſcinulis antequam
1 Sam. 4. 11. adeps Domino offerretur ex ollis carnes, dum eadem mortis ira, qua fi-
Gen. 4. 8. lii ſunt, mulctatur? Quis rogo eorum ob invidiam melioris hoſtiæ cœ-

[a] Cœleſte.

leſtique

leſtique igni in cœlis evectæ, ut Abel, occiſus? qui etiam mediocris ver-
bi aſpernantur convitium. Quis *peroſus* eſt *conſilium malignantium, & cum* Pſal 25. 59.
impiis non ſedit, ita ut de eo veridice quaſi de Enoch diceretur. *Ambula-* Gen. 5. 24.
vit Enoch cum Deo & non inveniebatur, in mundi ſcilicet vanitate omnis poſt *Enoch.*
idola proclive id temporis claudicare (relicto Deo) inſipientis? Quis eo-
rum ſalutari in arca (hoc eſt, nunc Eccleſia) nullum Deo adverſantem, ut Gen. 7. 7.
Noe diluvii tempore, non admiſit, ut perſpicue monſtraretur non niſi in- *Noe.*
noxios vel pœnitentes egregios in dominica domo eſſe debere? Quis vi- *Abraham.*
ctoribus ſolum, & in tricentenario numero (hoc eſt trinitatis ſacramento) Gen. 14. 18.
liberato juſto regum quinque, victriciumque turmarum exercitus ferales
vincentibus, & nequaquam aliena cupientibus ſacrificium offerens, ut Mel- *Melchiſedech.*
chiſedech, benedixit? Quis ſponte proprium in altari capite cædendum, Gen. 22. 1.
ut Abraham Deo jubente, obtulit filium, ut ſimile quoddam huic imple-
ret Chriſti mandatum dicentis oculum dextrum ſcandalizantem evelli de- Mat. 5. 29.
bere, & prophetæ præcaveret, ſe maledictum eſſe *gladium & ſanguinem* pro- Jer. 48. 10.
hibentem? Quis memoriam malefacti de corde radicitus, ut Joſeph, evul- Gen. 50. 15.
ſit? Quis in monte cum Domino locutus, & nequaquam concrepantibus Exod. 19. 16.
tubis exinde perterritus, duas tabulas cornutamque faciem aſpectu incre- Exod. 34. 29.
dulis inhabilem & horrendam tropico ſenſu, ut Moyſes, advexit? Quis eo- *Moſes.*
rum pro peccatis populi exorans imo de pectore clamavit, ut ipſe, *Domi-* Exod. 32. 3.
ne (inquiens) *peccavit populus iſte peccatum grande, quod ſi dimittis eis, dimit-*
te: alioquin dele me de libro tuo? [Quis zelo Dei accenſus mirabili ad ul- Num. 25. 7.
tionem fornicationis ſine dilatione ſanando pœnitentiæ medicamine ſtupri
affectum, ne ira populo inardeſceret, ſicut Phinees ſacerdos (ut per hoc *Phinees.*
in ævo reputaretur illi juſtitia) ſtrenue conſurrexit? Quis vero eorum vel Pſal. 105. 31.
in extirpationem uſque ad internecionem de terra repromiſſionis ſeptem Jeſ. 24. 11.
gentium morali intelligentia, vel ad conſtabilitionem ſpiritualis Iſrael pro
eis Jeſum Nave imitatus eſt? Quis eorum populo DEI finales terminos *Jeſus & Phinees.*
trans Jordanem (ut ſciretur quid cuique tribui conveniat) ſicut ſupradi-
cti Phinees ſcilicet & Jeſus ſagaciter diviſere, oſtendit? Quis ut adverſa- Jud. 11. 29.
riorum plebi Dei innumera proſterneret gentium millia unicam filiam (quæ Jud. 11. 34.
propria voluptas intelligitur) imitans & in hoc Apoſtolum dicentem, *Non* 1 Cor. 10. 33.
quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant, obviantem victo-
ribus cum tympanis & choris (id eſt, carnalibus deſideriis) in ſacrificium
votivæ placationis, ut Jepthe, mactavit? Quis eorum ad conturbanda, fu- *Jepthe.*
ganda, ſternendaque ſuperbarum gentium caſtra myſterii trinitatis (ut ſu- *Gedeon.*
pradiximus) cum lagenas viris tenentibus egregias in manibus ſonanteſque Jud. 7. 6.
tubas (id eſt propheticos & apoſtolicos ſenſus, ut dixit Dominus Prophe- Jud. 7. 16. 20.
tæ. *Exalta quaſi tuba vocem tuam.* Et Pſalmiſta de Apoſtolis *In omnem* Eſa. 58. 1.
terram exivit ſonus eorum) & lagenas ſplendidiſſimo ignis lumine noctu co- Pſal. 18. 5. Jud. 7. 16. 20.
ruſcantes (quæ accipiuntur in ſanctorum corporibus bonis operibus an-
nexis, & ſancti ſpiritus igni ardentibus, ut Apoſtolus, habentes, inquit, *the-* 2 Cor. 4. 7.
ſaurum iſtum in vaſis fictilibus) poſt idolatriæ luci (quod moraliter inter- Jud. 6. 25.
pretatum, condenſæ & fuſcæ cupiditatis) ſucciſionem ſilvæ, & evidentia ſig- Jud. 6. 36.
na Judaici velleris imbris cœleſtis expertis, & gentilis, rore ſancti ſpiri-
tus madefacti, fide non dubia, ut Gedeon, proceſſit? Quis eorum mori Jud. 7. 1.
exoptans mundo & vivere Chriſto luxurioſos gentium convivas laudantes, Jud. 16. 30. Phil. 1. 23.
Deos ſuos (id eſt, ſenſus extollentes divitias, ut Apoſtolus, & *avaritia* in- Jud. 16. 23.
quit, *quæ eſt ſimulachrorum ſervitus)* concuſſis duabus virtute brachiorum Jud. 16 24.
columnis (quæ intelliguntur in voluptatibus nequam animæ carniſque, Col. 3. 5. Jud. 16. 30.
quibus domus humanæ omnis nequitiæ quodammodo pangitur ac fulci- *Samſon.*
mentatur) tam innumerabiles, ut Sampſon, proſtravit? Quis orationibus, 1 Sam. 7. 9.
holocauſtoque lactantis agni Philiſtinorum metum depellens, inſperatas 1 Sam. 12. 17. 1 Sam. 10. 1.
tonitruorum voces nubiumque imbres concitans, abſque adulatione regem 17.
conſtituens, eundem Deo non placentem abjiciens uncto pro illo meliore 1 Sam. 13. 14. 15. 28.
in regno, ut Samuel, valedicturus populo aſtabit hoc modo dicens. *Ecce* 1 Sam. 16. 13.

 præſto

1 Sam. 12. 3. *præſto ſum, loquimini coram Domino & Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tu-*
lerim, an aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu
1 Sam. 12. 4. *cujuſquam munus accepi?* Cui à populo reſponſum eſt dicente. *Non es ca-*
Helias. *lumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam.* Quis
2 Reg. 1. 9. eorum igne cœleſti centum ſuperbos exurens, quinquaginta humiles Ser-
11. 2 Reg. 1. 13. vans, & abſque adulationis fuco non Deum per prophetas, ſed idolum
1 Reg. 16. 13. Accaron conſulenti mortem imminentem iniquo Regi annuncians, omnes
2 Reg. 1. 16. prophetas ſimulachri Baal (qui interpretati accipiuntur ſenſus humani in-
1 Reg. 18. 40. vidiæ, avaritiæ, ut jam diximus, ſemper intenti) mucrone coruſco (hoc
eſt verbo Dei) ut Helias egregius vates, proſtravit, & zelo Dei commo-
1 Reg. 17. 1. tus iniquorum terræ imbres adimens ætherales, ac ſi fortiſſimo penurii
Jac. 5. 17. cluſtello tribus annis ſexque menſibus obſeratos, fame, ſiti moribundus in
1 Reg 19. 10. deſerto conqueſtus eſt, *Domine* (inquiens) *prophetas tuos occiderunt, & alta-*
Heliſæus. *ria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam?* Quis
2 Reg. 5. 23. eorum chariſſimum diſcipulum terrenis extra ſolitum ponderibus onera-
2 Reg. 5. 16. tum, quæ ante ea à ſe magnopere licet rogato ut acciperet deſpecta fu-
2 Reg. 5. 27. iſſent, & ſi non perpetua lepra, ut Heliſæus, ſaltim expulſione mulcta-
2 Reg. 6. 15. vit? Et quis ex illis puero in vitæ deſperatione æſtuanti, atque impro-
viſo ſuper bellico hoſtium apparatu civitatem, in qua erant, obſidentium
2 Reg 6. 17. tremefacto inter nos (ut illæ) animæ viſus ferventi exoratione ad Deum
facta (ita ut intueri poterit auxiliarium cœleſtis exercitus, armatorum cur-
ruum ceu equitum ignito vultu fulgentium montem plenum) patefecit, &
2 Reg. 6. 16. credere quin fortior eſſet ad ſalvandum quam inimici ad pugnandum? Et
2 Reg. 4. 34. quis eorum corporis tactu, mortui ſcilicet mundo, viventis autem Deo, a-
2 Reg. 4. 20. lii diverſo funere occubanti, proculdubio mortuo Deo, vitiis vero viventi,
quaſi ſupradictus, proficiet, ita ut ſtatim proſiliens Chriſto grates pro ſa-
Eſaias. nitate agat cunctorum pene mortalium ore deſperata? Cujus eorum car-
Eſa. 6. 6. bone ignito de altari forcipe cherubin advecto (ut peccata ſua delerentur
Eſa. 6. 7. 2 Reg. 19. 1. humilitate confeſſionis) labia, ut Eſaiæ, mundata ſunt, & efficaci oratione
14. ſibi adjuncta pii regis Ezechiæ ſupplantatione centum octoginta quinque
Eſai. 37. 1; millia exercitus Aſſyriorum, nullo apparente vulneris veſtigio, angeli manu,
15. Eſai. 37. 36. ut ſupradicti, proſtrata ſunt? Quis eorum ob præcepta Dei, & minas cœ-
2 Reg. 19. 35. litus datas, veritatemque vel non audientibus proferendam ſqualores pedo-
Eſa. 37. 21. reſque carcerum, ut momentaneas mortes, ut beatus Jeremias excepit?
2 Reg. 19. 20. Jer. 1. 17. Et ne multa. Quis eorum ut magiſter gentium dixit errare in montibus,
Jer 20. 2. 32. & in ſpeluncis, & in cavernis terræ, lapidari, ſecari, totius mortis gene-
2 37. 15. 38. 6. re pro nomine Domini attentari, ſicut ſancti prophetæ, perpeſſus eſt. Sed
Jer. 26. 8. 14. Heb. 11. 38. quid immoramur in exemplis veteribus, acſi non eſſent in novo ulla?
Heb. 11. 37. Audiant itaque nos, qui abſque ullo labore anguſtum hoc iter Chriſtia-
næ religionis, prætento tantum ſacerdotali nomine, intrare ſe putant, car-
pentes paucos flores, veluti ſummos de extento ſanctorum novi Teſta-
menti tyronum amœnoque prato. Quis veſtrum, qui torpetis potius quam
Act. 11. 50. ſedetis legitime in ſacerdotali ſede, ejectus de conſilio impiorum, poſt di-
Act. 16. 23. verſarum plagas virgarum, ut ſancti Apoſtoli, quod dignus habitus eſt pro
Act. 5. 41. Chriſto vero Deo contumeliam pati, toto corde Trinitati gratias egit?
Quis ob teſtimonium verum Deo ferendum fullonis vecte cerebro percuſ-
Jacobus primus. ſus, ut Jacobus primus, in novo duntaxat Epiſcopus teſtamento, corporaliter
Act. 12. 2. interiit? Quis gladio veſtrum ab iniquo principe, ut Jacobus Joannis frater,
Act. 7. 57. capite cæſus eſt? Quis, ut prothominiſter martyrque evangelicus (hoc ſo-
Act. 7. 55. lum criminis habens, quod viderit Deum quem perfidi videre nequive-
Petrus. rant) nefandis manibus lapidatus eſt? Quis inverſis pedibus crucis affixus
pro reverentia Chriſti patibulo, quem non minus morte quam vita hono-
raturus, ut clavicularius ille cœlorum regni idoneus, extremum halitum
Paulus. fudit? Quis ex vobis gladii ictu veridicantis pro confeſſione Chriſti poſt
vincula, carceris naufragia, amarum virgarum cædem, poſt fluminum, la-
tronum gentium, Judæorum, pſeudoapoſtolorum continua pericula, poſt
famis,

famis, jejunii, vigiliarum labores, poſt perpetem ſolicitudinem omnium Eccleſiarum, poſt æſtum pro ſcandalizantibus, poſt infirmitatem pro infirmis, poſt admirabilem prædicando Chriſti Evangelium orbis pene circuitum, ut vas electionis magiſterque gentium electus, capite plexus eſt? Quis veſtrum, ut ſanctus martyr Ignatius Antiochiæ urbis Epiſcopus, poſt admirabiles in *Ignatius.* Chriſto actus, ob teſtimonium ejus leonum molis Romæ confractus eſt? cujus verba cum ad paſſionem duceretur audientes (ſi aliquando vultus veſtri rubore ſuffuſi ſunt) non ſolum in comparatione ejus vos non putabitis ſacerdotes, ſed ne mediocres quidem Chriſtianos eſſe. Ait enim in Epiſtola quam ad Romanam Eccleſiam miſit: *A Syria uſque Romam cum beſtiis terra marique depugno die ac nocte, connexus & colligatus decem leopardis, militibus (dico) ad cuſtodiam datis, qui ex beneficiis noſtris ſæviores fiunt. Sed ego eorum nequitiis magis erudior, nec tamen in hoc juſtificatus ſum. O ſalutares beſtias, quæ præparantur mihi, quando venient? quando emittentur? quando eis frui licebit carnibus meis? quas ego exopto acriores parari, & invitabo ad devorationem mei, & deprecabor ne forte (ut in nonnullis fecerunt) timeant attingere corpus meum, quinimo, & ſi cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date (quæſo) veniam, ego novi quid expediat mihi, nunc incipio eſſe Chriſti diſcipulus: faceſſat invidia vel humani affectus, vel nequitiæ ſpiritualis, ut in Jeſum Chriſtum adipiſci merear ignes, cruces, beſtias, diſperſiones oſſium, diſcerpſioneſque membrorum, ac totius corporis pœnæ, & omnia in me unum ſupplicia diaboli arte quæſita complentur, dummodo Jeſum Chriſtum merear adipiſci.* Quid ad hæc dormitantibus animæ oculis aſpicitis? Quid talia ſurdis ſenſuum auribus auſcultatis? Diſcutite (quæſo) tenebroſam atramque cordis veſtri caliginem temporis, ut veritatis & humilitatis præfulgidum lumen videre poſſitis. Chriſtianus non mediocris ſed perfectus, ſacerdos non vilis ſed ſummus, martyr non ſegnis ſed præcipuus dicit: *Nunc incipio eſſe Chriſti diſcipulus.* Et vos acſi lucifer ille de cœlo projectus, ver- Eſa. 14. 12. bis non poteſtate erigimini, & quodammodo ſub dente ruminatis & geſtibus prætenditis, quæ antea actor veſter depinxerat. *In cœlum* inquiens *conſcen-* Eſa. 14. 13. *dam & ero ſimilis altiſſimo.* Et iterum. *Ego fodi & bibi aquam, & exiccavi ve-* Eſa. 37. 25. *ſtigio pedum meorum omnes rivos aggerum.* Multo rectius oportebat vos imitari illum & audire, qui totius bonitatis & humilitatis vere invictum exemplar eſt, dicentem per prophetam: *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium homi-* Pſal. 21. 7. *num & abjectio plebis.* O mirabile quoddam dixiſſe eum *opprobrium hominum*, cum omnis mundi opprobria deleverit, & iterum in Evangelio, *non poſſum ego à* Joan. 5. 30. *me ipſo facere quicquam*, cum ipſe coævus patri ac ſpiritui ſancto communis ejuſdemque ſubſtantiæ cœlum & terram cum omni eorum inæſtimabili ornamento fecerit, non alterius ſed propria poteſtate, & vos arroganter verba exaltaſſe, propheta dicente: *Quid ſuperbit, terra & cinis?* Sed ad propoſitum revertar. Eccl. 10. 9. Quis inquam ex vobis, ut Smyrnenſis Eccleſiæ paſtor egregius Polycarpus *Polycarpus.* Chriſti teſtis, menſam humane hoſpitibus ad ignem eum avide trahentibus appoſuit, & objectus flammis pro Chriſti charitate dixit: *Qui dedit mihi ignis ferre ſupplicium, dabit, ut ſine clavorum confixione flammas immobiliter perferam.* Unum adhuc, præter magnam verbis volans ſanctorum ſilvam, exempli gratia ponam Baſilium, ſcilicet Ceſarienſem Epiſcopum, qui cum ab iniquo principe minæ hujuſcemodi intentarentur, quod (niſi in craſtinum Arriano cœno ut cæteri, macularetur) eſſet omnino moriturus, dixiſſe fertur. *Ego ſane ero cras qui hodie ſum, tu te utinam non mutares.* Et iterum. *Utinam haberem aliquid digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Baſilium de nodo follis hujus abſolveret.* Quis ex vobis apoſtolici ſermonis regulam, quæ ab omnibus ſemper ſanctis ſacerdotibus quibuſque temporibus extantibus, humanam ſuggeſtionem præcipitanter ad nequitiam feſtinantem recutientibus ſervata eſt, in concuſſione tyrannorum indirupte cuſtodiunt, hoc modo dicens: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus?* Igitur confugientes ſolito Act. 3. 29. more ad Domini miſericordiam ſanctorumque prophetarum ejus voces, ut illi pro nobis oraculorum ſuorum jacula imperfectis paſtoribus (ut antea

tyrannis) queis compuncti ſanentur, librent, videamus quid Dominus per prophetas ad deſides & inhoneſtos ſacerdotes, & non bene populum tam exempla quam verba docentes minarum loquatur. Nam & Heli ille ſacerdos in Silo pro eo quod non digno Deo zelo ſevere in filios contemnentes Deum ultus fuerat, ſed molliter & clementer (ut pote paterno affectu) admonuerat, tali animadverſione damnatur, dicente ad eum pro-
1 Sam. 2. 28. pheta. *Hæc dicit Dominus. Manifeſte oſtendi me ad domum patris tui, cum eſſent in Ægypto ſervientes Pharaonis, & elegi domum patris tui ex omnibus tribubus*
1 Sam. 2. 29. *Iſrael mihi in ſacerdotio.* Et poſt pauca. *Quare reſpexiſti in incenſum meum, & in ſacrificium meum improbo oculo? & honorificaſti filios tuos pluſquam me, ut benediceres eos à primordio in omnibus ſacrificiis coram me? Et nunc ſic*
1 Sam. 2. 30. *dicit Dominus: Quoniam qui honorificant me, honorabo eos: & qui pro nihi-*
1 Sam. 2. 31. *lo habent me, ad nihilum redigentur. Ecce dies venient, & diſperdam no-*
1 Sam. 2. 34. *men tuum, & ſemen domus patris tui. Et hoc tibi ſignum ſit, quod veniet ſuper duos filios tuos Ophni & Phinees, in uno die morientur ambo in gladio virorum.* Si hæc itaque patiuntur, qui verbis tantum ſubjectos, & non condigna ultione emendant, quid ipſis fiet, qui ad mala hortantur peccando & trahunt; [Quid illi quoque perſpicuum eſt vero vati, poſt expletionem ſigni ab eodem prædicti, & reſtitutionem aridæ manus impio regi, miſſo à Judæa prophetare in Bethel, prohibitoque ne quid ibidem cibi guſtaret, ac decepto ab alio (ut dicebatur) propheta, ut parum quid panis & aquæ ſumeret,
1 Reg. 13. 21. obtigit, dicente ad eum ſuo hoſpite. *Hæc dicit Dominus Deus. Quia inobediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum quod præcepit Dominus Deus tuus, & reverſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam in hoc loco, in quo mandaveram tibi, ne manducares panem nec biberes aquam, non ponetur corpus tuum in ſepulchro patrum tuorum. Et factum eſt* (inquit) *poſtquam manducavit panem & bibit aquam, ſtravit ſibi aſinam ſuam & abiit, & invenit eum leo in via, & occidit eum.*] Eſaiam quoque ſanctum prophetam de ſacerdotibus
Eſai. 3. 11. hoc modo loquentem audite. *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei. Populum meum exactores ſui ſpoliaverunt, & mulieres dominatæ ſunt ejus. Popule meus qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Stat ad judicandum Dominus, & ſtat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui & principibus ejus. Vos depaſti eſtis vineam meam, rapina pauperis in domo veſtra. Quare atteritis populum meum?*
Eſai. 10. 1. *& facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum?* Et item. *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longe venien-*
Eſa. 28. 7. *tis?* Et infra: *Verum hi quoque præ vino neſcierunt, præ ebrietate erraverunt, ſacerdotes neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu*
Eſa. 28. 14. *ſordium, ita ut non eſſet ultra locus. Propterea audite verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Jeruſalem. Dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio*
Eſa. 28. 17. *protecti ſumus.* Et poſt aliquanta. *Et ſubvertet grando ſpem mendacii, & protectionem. Aquæ inundabunt, & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit: flagellum inundans cum tranſierit, eritis & in conculcationem, quandocunque pertranſierit, tollet vos.* Et iterum. *Et dix-*
Eſa. 29. 13. *it Dominus: Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis glorificant me,*
Eſa. 29. 14. *cor autem eorum longe eſt à me, ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo. Peribit enim ſapientia à ſapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur.* [*Væ qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt. Quis videt nos? & quis novit nos? Perverſa enim hæc veſtra cogitatio.* Et poſt ali-
Eſa. 66. 1. quanta. *Hæc dicit Dominus: Cœlum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum*

eſt.

eſt, Quæ iſta eſt domus quam ædificabitis mihi, & quis erit locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt univerſa iſta dicit Dominus. Ad quem autem aſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu & trementem ſermones meos? Qui immolat bovem, quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt.] Jeremias quoque virgo prophetaque
quid inſipientibus loquatur paſtoribus, attendite. *Hæc dicit Dominus. Quid* Jer. 2. 5.
invenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, & ambulaverunt poſt
vanitatem, & vani facti ſunt? Et paulo poſt. *Et ingreſſi contaminaſtis ter-* Jer. 2. 7.
ram meam, & hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem. Sacerdotes non
dixerunt, ubi eſt Dominus? Et tenentes legem neſcierunt me, & paſtores prævaricati ſunt in me. Propterea adhuc judicio contendam vobiſcum, ait Dominus, & Jer. 2. 9.
cum filiis veſtris diſceptabo. Item poſt aliquanta. *Stupor & mirabilia facta* Jer. 5. 30.
ſunt in terra, Prophetæ prædicabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in noviſſimis ejus?
Cui loquar & conteſtabor, ut audiat? Ecce incircumciſæ aures eorum, & audire Jer. 6. 10.
non poſſunt. Ecce verbum Domini factum eſt illis in opprobrium, & non ſuſcipiunt illud: quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus. Jer. 6. 12.
A minore quippe uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent, & à propheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax pax, & non erit pax. Confuſi ſunt, qui abominationem fecerunt. Quin potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt. Quamobrem cadent inter ruentes, in tempore viſitationis eorum corruent,
dicit Dominus. Et iterum. *Omnes iſti principes declinantium ambulantes frau-* Jer. 6. 28.
dulenter, æs & ferrum, univerſi corrupti ſunt, defecit ſufflatorium in igne, fruſtra conflavit conflator, malitiæ autem eorum non ſunt conſumptæ, argentum re-
probum vocate eos, quia Dominus projecit illos. Et poſt pauca. *Ego ſum, Ego* Jer. 7. 12.
ſum. Ego vidi dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſrael. Et nunc quia feciſtis omnia opera hæc, dicit Dominus: Et locutus ſum ad vos mane conſurgens & loquens & non audiſtis, & vocavi vos & non reſpondiſtis. Faciam domui huic in qua invocatum eſt nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco quem dedi vobis & patribus veſtris, ſicut feci Silo, & pro-
jiciam vos à facie mea. Et iterum. *Filii mei exierunt à me, & non ſubſi-* Jer. 10. 20.
ſtunt: & non eſt qui extendat ultra tentorium meum, & erigat pelles meas: quia ſtulte egerunt paſtores, & dominum non quæſierunt. Propterea non intellex-
erunt, & grex eorum diſperſus eſt. Et poſt aliquanta. *Quid eſt quod dilectus* Jer. 11. 15.
meus in domo mea facit ſcelera multa? Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocabit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in
ea, & combuſta ſunt fruteta ejus. Et iterum. *Venite, congregamini omnes be-* Jer. 12. 9.
ſtiæ terræ, properate ad devorandum. Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis. Itemque lo-
quitur. *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes ſuos, & non quie-* Jer. 14. 10.
vit, & Domino non placuit. Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & viſitabit peccata illorum. Prophetæ dicunt eis: Non *videbitis gladium, & fames non erit in vo-* Jer. 14. 13.
bis, ſed pacem veram dabit Dominus vobis in loco iſto. Et dixit Dominus ad me: falſo prophetæ vaticinantur in nomine meo, non miſi eos & non præcepi eis, viſionem mendacem & divinationem & fraudulentiam & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Ideo hæc dicit Dominus: In gladio & fame conſumentur prophetæ illi: & populi, quibus prophetaverunt, projecti erunt in viis Jeruſalem præ fame & gladio, & non erit qui
ſepeliat. Et iterum. *Væ paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ* Jer. 23. 1.
meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores qui paſcunt populum meum: Vos diſperſiſtis gregem meum, & ejeciſtis eos, & non viſitaſtis illos. Ecce, ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum, dicit Dominus. Propheta

Jer. 23. 11. *namque & ſacerdos polluti ſunt, & in domo mea inveni malum eorum, dicit do-*
minus: & idcirco via eorum erit quaſi lubricum in tenebris, impellentur enim
& corruent in ea, afforam enim ſuper eos mala, annum viſitationis eorum, di-
cit Dominus. Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem, & prophetabant in
Baal, & decipiebant populum meum Iſrael. Et in prophetis Jeruſalem vidi
ſimilitudinem, adulterium, & iter mendacii: & confortaverunt manus peſſi-
morum, ut non converteretur unuſquiſque à malitia ſua: facti ſunt mihi om-
nes Sodoma, & habitatores ejus quaſi Gomorrah. Propterea hæc dicit Domi-
nus ad prophetas: Ecce ego cibabo eos abſinthio, & potabo eos felle, A pro-
phetis enim Jeruſalem eſt egreſſa pollutio ſuper omnem terram. Hæc dicit
Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vo-
bis, & decipiunt vos: viſionem enim cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.
Dicunt enim his, qui me blaſphemant, locutus eſt Dominus, Pax erit vobis: &
omnibus, qui ambulant in pravitate cordis ſui, dixerunt, Non veniet ſuper eos
malum. Quis enim affuit in conſilio Domini, & vidit & audivit ſermonem
ejus? Quis conſideravit verbum illius & audivit? Ecce, turbo Dominicæ in-
dignationis egreditur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet,
non revertetur furor Domini uſque dum faciat, & uſque dum compleat cogita-
tionem cordis ſui, In noviſſimis diebus intelligetis conſilium ejus. Parum
namque cogitatis vel facitis, quod ſanctus quoque Joel monens inertes
ſacerdotes, ac deflens detrimentum populi pro iniquitatibus eorum edixit:
Joel. 1. 5. *Expergiſcimini qui eſtis ebrii à vino veſtro, & plorate & lamentamini omnes*
qui bibitis vinum in ebrietatem, quia ablata eſt ab ore veſtro jucunditas & gau-
dium. Lugete ſacerdotes, qui deſervitis altari, quia miſeri facti ſunt campi:
Joel. 1. 10. *Lugeat terra, quia miſerum factum eſt frumentum, & ſiccatum eſt vinum, di-*
minutum eſt oleum, aruerunt agricolæ. Lugete poſſeſſiones pro tritico & hor-
deo, quia periit vindemia ex agro, vitis arefacta eſt, ficus diminutæ ſunt:
granata, & palma, & malum, & omnia ligna agri arefacta ſunt, quoniam con-
fuderunt gaudium filii hominum. Quæ omnia ſpiritualiter intelligenda
erunt vobis, ne tam peſtilenti fame verbi Dei animæ veſtræ areſcerent.
Joel. 2. 17. Et iterum. *Flete ſacerdotes, qui deſervitis Domino, dicentes: Parce domine*
populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, & ne dominentur eorum
gentes, uti ne dicant gentes, ubi eſt Deus eorum. Sed hæc vos nequaquam
auditis, ſed omnia, quibus propenſius divini furoris indignatio inardeſcat,
admittitis. Quid etiam ſanctus Oſee propheta ſacerdotibus veſtri moduli
Oſee. 5. 1. dixerit, ſignanter attendite. *Audite hæc ſacerdotes & intendat domus Iſ-*
rael & domus regis, infigite auribus veſtris, quoniam ad vos eſt judicium, quia
laqueus facti eſtis ſpeculationi, & velut reticulum extenſum [ſuper itabu-
rium quod indagatores venationis confixerunt.] Vobis etiam à domino alie-
Amos 5. 21. natio hujuſcemodi intendatur per prophetam Amos dicentem. *Odio ha-*
bui & repuli dies feſtos veſtros, & non accipiam odorem in ſolennibus conventi-
onibus veſtris, quia etſi obtuleritis holocauſtomata & hoſtias veſtras, non acci-
piam ea. [& ſalutare declarationis veſtræ non aſpiciam. Tranſer à me ſo-
num cantionum tuarum, & pſalmum organorum tuorum non audiam. Famis
etenim Evangelici cibi culina ipſa veſtræ animæ viſcera excomedens
Amos 8. 11. graſſatur in vobis, ſicut ſupradictus propheta prædixit. *Ecce* (inquiens)
dies veniunt dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, ne-
que ſitim aquæ, ſed famem in audiendo verbum Dei, & movebuntur aquæ à mari
uſque ad mare, & ab Aquilone uſque ad Orientem percurrent quærentes verbum
Domini, & non invenient. [Auribus quoque percipite ſanctum Micheam,
ac ſi cœleſtem quandam tubam adverſus ſubdolos populi principes conci-
Mich. 3. 1. ſius perſonantem. *Audite nunc* (inquiens) *principes domus Jacob, nonne*
vobis eſt ut cognoſcatis judicium odientibus bona, & quærentibus maligna, ra-
pientibus pelles eorum ab eis, & carnes eorum ab oſſibus eorum? Quemadmo-
dum comederunt carnes plebis meæ, & pelles eorum ab eis excoriaverunt, oſſa
eorum confregerunt, & laniaverunt quaſi carnes in olla, ſucclamabunt ad De-
um

um & non exaudiet eos, & avertet faciem ſuam ab eis in illo tempore, propter quod malitioſe geſſerunt in adinventionibus ſuis ſuper ipſos. [*Hæc dicit Dominus ſuper prophetas qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis, & prædicant in eum pacem, & non eſt data in os eorum: excitavi in eum bellum. Propterea nox erit vobis ex viſione, & tenebræ vobis erunt ex divinatione, & occidet ſol ſuper prophetas, & contenebreſcet ſuper eos dies, & confundentur videntes ſomnia, & deridebuntur divini, & obtrectabunt adverſus omnes ipſi: quoniam non erit qui exaudiat eos, ſi non ego implevero fortitudinem in ſpiritu Domini & judicio & poteſtate, ut annuntiem domui Jacob impietates ſuas, & Iſrael peccata ſua. Audite hæc itaque duces domus Jacob, & reſidui domus Iſrael, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in ſanguine, & Jeruſalem in iniquitatibus: duces ejus cum muneribus judicant, & ſacerdotes ejus cum mercede reſpondebant, & prophetæ ejus cum pecunia divinabant, & in domino requieſcebant, dicentes: Nonne Dominus in nobis eſt? Non venient ſuper nos mala. Ideo propter vos Sion ſicut ager arabitur, & Jeruſalem ſicut ſpecula pomarii erit, & mons domus ſicut locus ſylvæ.* Et poſt aliquanta. *Heu me, quia factus ſum ſicut qui colligit* Mich 7. 1.
ſtipulam in meſſe, & ſicut racemus in vindemia cum non ſit botrus ad manducandum primitiva. Heu me, anima quia periit terrenis operibus, ſemper peccatorum reverentia exoritur reverens à terra, &, qui corrigat inter homines, non eſt. Omnes in ſanguinem judicio contendunt, & unuſquiſque proximum ſuum tribulatione tribulat, in malum manus ſuas præparat.] Quid Sophonias etiam *Sphonias.*
propheta egregius de veſtris olim comeſſoribus diſceptaverit, attendite (de Jeruſalem namque loquebatur quæ ſpiritualiter Eccleſia vel anima intelligitur:) *O* (inquiens) *quæ erat ſplendida & liberata civitas, confidens* Soph. 3. 1.
columba, non obaudivit vocem, nec percepit diſciplinam, in Domino non confiſa eſt, & ad Deum ſuum non acceſſit. Et id quare, oſtendit. *Principes ejus* Soph. 3. 3.
ſicut leo rugientes, judices ſicut lupi Arabiæ non relinquebant in mane, prophetæ ejus ſpiritum portantes viri contemptoris, ſacerdotes ejus prophanabant ſancta, & impie agebant in lege: dominus autem juſtus in medio ejus, & non faciet injuſtum mane, mane dabit judicium ſuum. Sed & beatum Zachari- *Zacharias.*
am prophetam monentem vos in verbo Dei audite. *Hæc enim dicit domi-* Zach. 7. 9.
nus omnipotens: Judicium juſtum judicate, & miſericordiam & miſerationem facite unuſquiſque ad fratrem ſuum, & viduam & orphanum & advenam & pauperem per potentiam nolite nocere, & malitiam unuſquiſque fratris ſui non reminiſcatur in corde ſuo: & contumaces fuerunt ne obſervarent, & dederunt dorſum ſtultitiæ, & aures ſuas degravaverunt ut non audirent, & cor ſuum ſtatuerunt inſuadibile ne audirent legem meam & verba, quæ miſit dominus omnipotens [*in ſpiritu ſuo in manibus prophetarum priorum, & facta eſt ira magna a Domino omnipotente.* Et iterum. *Quoniam qui loquebantur, lo-* Zach. 10. 2.
cuti ſunt moleſtias, & divini viſa falſa, & ſomnia falſa loquebantur, & vana conſolabantur: propter hoc aridi facti ſunt ſicut oves, & afflicti ſunt quoniam non erat ſanitas.] *Super paſtores exacervata eſt iracundia mea, & ſuper agnos viſitabo.* [Et poſt pauca. *Vox lamentantium paſtorum, quia miſera facta* Zach. 11. 3.
eſt magnitudo eorum. Vox rugientium leonum, quoniam miſer factus eſt decurſus Jordanis. Hæc dicit Dominus omnipotens: Qui poſſidebant interficiebant, & non pœnituit eos: &, qui vendebant eas dicebant: Benedictus Dominus, & ditati ſumus, & paſtores earum nihil paſſi ſunt in eis. Propter quod non parcam jam ſuper inhabitantes terram, dicit Dominus.] Quid præterea ſanctus Malachias propheta vobis denunciaverit, audite: *Vos* (inqui- *Malachias.*
ens) *ſacerdotes qui ſpernitis nomen meum, & dixiſtis: In quo ſpernimus no-* Malach. 1. 6.
men tuum? Offerendo ad altare meum panes pollutos: & dixiſtis, in quo polluimus eos? In eo quod dixiſtis: Menſa Domini pro nihilo eſt, & quæ ſuperpoſita ſunt ſpreviſtis: quoniam ſi adducatis cæcum ad victimam, nonne malum? Si admoveatis claudum aut languidum, nonne malum? Offer itaque illud præpoſito tuo ſi ſuſcipiet illud, ſi accipiet perſonam tuam, dicit Dominus omnipotens.

potens. Et nunc exorate faciem Dei veſtri, & deprecamini eum: in manibus veſtris
Malach. 1. 13. facta ſunt hæc, ſi accipiam ex vobis perſonas veſtras. Et iterum. Et intuliſtis de
rapina claudum & languidum, & intuliſtis munus. Nunquid ſuſcipiam illud de ma-
nu veſtra, dicit Dominus? Maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, &
votum faciens immolat debile domino, quia rex magnus ego ſum, dicit Dominus exerci-
Malach. 8. 1. tuum, & nomen meum horribile in gentibus. [Et nunc ad vos mandatum hoc, O ſa-
cerdotes, ſi nolueritis audire & ponere ſuper cor ut detis gloriam nomini meo, ait domi-
nus exercituum, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, quoni-
am non poſuiſtis ſuper cor. Ecce ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper
vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum. Sed interea ut avidius organa ne-
quitiæ præparetis ad bona, quid de ſancto ſacerdote dicat (ſi quantulumcun-
Malach. 2. 5. que adhuc interni auditus in vobis remanet) auſcultate: Pactum meum (in-
quiens) fuit cum eo (de Levi namque vel Moyſe ſecundum hiſtoriam loque-
batur) vitæ & pacis, dedi ei timorem, & timuit me, à facie nominis mei pavebat, lex
veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus, in pace & in æqui-
tate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim ſacerdotis cu-
ſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt.
Malach. 2. 8. Nunc item mutavit ſenſum, & malos increpare non deſinit. Vos (inquiens)
receſſiſtis de via, & deſcandalizaſtis plurimos in lege, & irritum feciſtis pactum cum
Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & hu-
miles in omnibus populis, ſicut non ſervaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege.
Nunquid non pater unus omnium noſtrum? nunquid non Deus unus creavit nos?
Malach. 3. 2. Quare ergo deſpicit unuſquiſque fratrem ſuum? Et iterum. Ecce veniet Dominus
exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis ſtabit ad videndum
eum? Ipſe enim egredietur quaſi ignis ardens, & quaſi poa lavantium, & ſedebit con-
flans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi
Malach. 3. 13. argentum. Et poſt pauca. Invaluerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus,
& dixiſtis. Vanus eſt qui ſervit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodivimus præ-
cepta ejus, & quia ambulavimus coram domino exercituum triſtes. Ergo nunc beatos
dicemus arrogantes, ſiquidem ædificati ſunt facientes iniquitatem, tentaverunt De-
um, & ſalvi facti ſunt.] Quid vero Ezechiel propheta dixerit, attendite. Væ
Ezech. 7. 26. (inquiens) ſuper væ veniet & nuntius ſuper nuntium erit, & quæretur viſio à propheta,
& lex peribit à ſacerdote & conſilium de ſenioribus. Et iterum. Hæc dicit Domi-
Ezech. 13. 8. nus. Eo quod ſermones veſtri ſunt mendaces, & divinationes veſtræ vanæ, propter
hoc ecce ego ad vos, dicit Dominus: Extendam manum meam ſuper prophetas qui vi-
dent mendacia, & eos qui loquuntur vana in diſciplina populi mei non erunt, & in ſcrip-
tura domus Iſrael non ſcribentur, & in terram Iſrael non intrabunt, & ſcietis quia ego
dominus. Propterea populum meum ſeduxerunt dicentes, pax domini, & non eſt pax
Ezech. 13. 18. domini. Hic ſtruit parietem, & ipſi ungunt eum, & cadet. Et poſt aliquanta. Væ
his qui concinnant cervicalia ſubtus omnem cubitum manus, & faciunt velamina
ſuper omne caput univerſæ ætatis ad ſubvertendas animas. [Animæque ſubver-
ſæ ſunt populi mei, & animas poſſidebant, & contaminabant me ad populum me-
um propter manum plenam hordei, & propter fragmentum panis ad occidendas ani-
mas quas non oportebat mori, & ad liberandas animas quas non oportebat vive-
Ezech. 22. 4. re, dum loquimini populo exaudienti vana eloquia. Et infra. Fili hominis dic,
Tu es terra quæ non compluitur, neque pluvia facta eſt ſuper te in die iræ, in qua prin-
cipes in medio ejus (ſicut leones) rugientes, rapientes rapinas, animas devorantes in
potentia, & pretia accipientes, & viduæ tuæ multiplicatæ ſunt in medio tui, & ſacer-
dotes ejus deſpexerunt legem meam, & polluebant ſancta mea. Inter ſanctum & pol-
lutum non diſtinguebant, & inter medium immundi & mundi non dividebant, & à ſab-
Ezech. 22. 30. bathis meis obvelabant oculos ſuos, & polluebant in medio eorum. Et iterum. Et
quærebam ex eis virum recte converſantem, & ſtantem ante faciem meam omnino in
tempore iræ, ne in fine delerem eam, & non inveni. Et effudi in eam animum me-
um in igne iræ meæ ad conſumendum eos: vias eorum in caput eorum dedi, dicit Domi-
Ezech. 33. 2. nus. Et poſt aliquanta. Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Fili hominis
loquere filiis populi mei, & dices ad eos: Terra in quam ego gladium ſuperinducam, &
acceperit

acceperit populus terræ hominem unum ex ipſis, & dederit eum ſibi in ſpeculatorem, & viderit gladium venientem ſuper terram, & tuba cecinerit, & ſignificaverit populo: & audierit qui audit vocem tubæ & non obſervaverit: & venerit gladius & comprehenderit eum, ſanguis ejus ſuper caput ejus erit. Quia, cum vocem tubæ audiſſet, non obſervavit, ſanguis ejus in ipſo erit: & hic, quia cuſtodivit animam ſuam, liberavit. Et ſpeculator ſi viderit gladium venientem & non ſignificaverit tuba, & populus non obſervaverit: & veniens gladius acceperit ex eis animam, & ipſa propter iniquitatem ſuam capta eſt, & ſanguinem de manu ſpeculatoris requiram. Et tu fili hominis ſpeculatorem te dedi domui Iſrael, & audies ex ore meo verbum cum dicam peccatori, morte morieris: & non loqueris ut avertat ſe à via ſua impius: & ipſe iniquus in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Tu vero ſi prædixeris impio viam ejus, ut avertat ſe ab ea, & non ſe averterit à via ſua: hic ſua impietate morietur, & tu animam tuam eripuiſti.] Sed ſufficiant hæc pauca de pluribus prophetarum teſtimonia, queis retunditur ſuperbia vel ignavia ſacerdotum contumacium, ne putent nos propria potius adinventione quam legis ſanctorum vel auctoritate eis talia denuntiare. Videamus igitur quid evangelica tuba mundo perſonans inordinatis ſacerdotibus eloquatur, non enim de illis (ut jam diximus) qui apoſtolicam ſedem legitime obtinent, quique bene norunt largiri ſpiritualia conſervis ſuis in tempore cibaria (ſi qui tamen multi in præſentiarum ſunt) ſed de paſtoribus imperitis, qui derelinquunt oves, & paſcunt vana, & non habent verba paſtoris periti, nobis ſermo eſt. Evidens ergo indicium eſt, non eſſe eum legitimum paſtorem, ſed mediocrem quidem chriſtianum, qui hæc non tam noſtra (qui valde exigui ſumus) quam veteris novique teſtamenti decreta recuſarit, vel inficiatus fuerit, ſicut bene quidam noſtrorum ait. "*Optabiliter cupimus, ut hoſtes Eccleſiæ* "*ſint noſtri quoque abſque ullo fœdere hoſtes, & amici ac defenſores noſtri non ſolum* "*fœderati, ſed etiam patres ac Domini habeantur.* Conveniant namque ſinguli vero examine conſcientiam ſuam, & ita deprehendent an ſecundum rectam rationem ſacerdotali cathedræ inſideant. Videamus (inquam) quid Salvator mundi factorque dicat. *Vos eſtis* (inquit) *ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut projiciatur foras ut conculcetur ab hominibus.* Mat. 5. 13. Hoc unum teſtimonium ad confutandos impudentes quoſque abunde ſufficere poſſet, ſed ut evidentioribus adhuc aſtipulationibus, quantis ſemetipſos intolerabilibus ſcelerum faſcibus, falſi hi ſacerdotes opprimant, verbis Chriſti comprobetur, aliqua annectenda ſunt. Sequitur enim. *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Mat. 5. 14. Quis ergo ſacerdotum hujus temporis ita ignorantiæ cæcitate poſſeſſus, ut lux clariſſimæ lucernæ, in aliqua domo cunctis noctu reſidentibus ſcientiæ ſimul & bonorum operum lampade lucet? Quis ita univerſis Eccleſiæ filiis tutum, publicum, conſpicuumque refugium, ut ſit civibus firmiſſima forte editi montis civitas vertice conſtituta, habetur? Sed & quod ſequitur. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & magnificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Mat. 5. 16. Quis eorum uno ſaltem die poteſt implere? Quin potius denſiſſima quædam eorum nebula, atraque peccaminum omni inſulæ ita incumbit nox, ut omnes pene a via recta avertat, ac per invios impeditoſque ſcelerum calles errare faciat, quorum non modo pater cœleſtis non laudatur per opera, ſed etiam intolerabiliter blaſphematur. Velim quidem hæc ſcripturæ ſacræ teſtimonia huic epiſtolæ inſerta vel inſerenda, ſicut noſtra mediocritas poſſet omnia utcunque hiſtorico vel morali ſenſu interpretari. Sed, ne in immenſum modum opuſculum hoc his, qui non tam noſtra quam Dei deſpiciunt, faſtidiunt, avertunt, proteletur, ſimpliciter & abſque ullo verborum circuitione congeſta vel congerenda ſunt. Et poſt pauca. *Qui enim ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Mat. 5. 19. Et iterum: *Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* Mat. 7. 1. Mat. 7. 2. Quis rogo veſtrum

Mat. 7. 3. ſtrum reſpiciet id quod ſequitur? *Quid autem vides* (inquit) *feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non conſideras? aut quomodo dicis fratri tuo, Sine ejiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo eſt.* Vel quod ſequitur:
Mat. 7. 6. *Nolite dare ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi diſrumpant vos*, quod ſæpiſſime vobis evenit. Et populum monens, ne à doloſis doctoribus (ut eſtis vos) ſeduceretur,
Mat. 7. 15. dixit. *Attendite vobis à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, & mala*
Mat. 7. 21. *malos.* Et infra: *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Quid ſane vobis fiet, qui (ut propheta dixit) labiis tantum & non corde Deo creditis? Qualiter autem impletis quod ſequitur: *Ecce* (in-
Mat. 10. 16. quiens) *ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*, qui verſa vice (ut lupi in gregem
Mat. 10. 16. ovium) proceditis, vel quod ait, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ?* Prudentes quidem eſtis ut aliquem ore exitiabili mordeatis, non ut caput veſtrum (quod eſt Chriſtus) objectu quodammodo corporis defendatis, quem totis operum malorum conatibus conculcatis. Nec enim ſimplicitatem columbarum habetis, quin potius corvino aſſimilati nigrori ac ſemel de arca (id eſt Eccleſia) evolitantes, inventis carnalium voluptatum fœtoribus, nuſquam ad eam puro corde revolaſtis. Sed videamus & cætera:
Mat. 10. 28. *Nolite* (ait) *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Quidnam horum feceritis, recogitate. Quem vero veſtrum ſequens teſtimonium non in profundo cordis arcano vulneret, quod de pravis antiſtitibus Salvator ad
Mat. 15. 14. apoſtolos loquitur? *Sinite illos, cæci ſunt duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent.* Egent ſane populi, quibus præeſtis, vel potius quos decepiſtis, audire. Attendite verba Domini ad Apoſtolos & turbas loquentis, quæ & nos (ut audio) in medium crebro
Mat. 23. 2. proferre non pudet. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim & ipſi non faciunt.* Periculoſa certe ac ſupervacua ſacerdotibus doctrina eſt, quæ pravis operibus obfuſcatur. *Væ*
Mat. 23. 13. *vobis hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos autem non intratis nec introeuntes ſinitis intrare.* Non ſolum enim præ tantis malorum criminibus quæ geritis in futuro, ſed etiam pro his, qui veſtro quotidie exemplo pereunt, pœnali pœna plectemini: quorum ſanguis in die judicii de veſtris manibus requiretur. Sed quid mali quod ſervi parabola
Mat. 24. 48. prætenderit inſpicite, dicentis *in corde ſuo moram facit Dominus meus venire.* Qui pro hoc forſitan *incœperat percutere conſervos ſuos manducans & bi-*
Mat. 24. 49. *bens cum ebriis. Veniet ergo* (inquit) *Dominus ſervi illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & dividet eum* (à ſanctis ſcilicet ſacerdotibus) *partemque ejus ponet cum hypocritis,* (cum eis certe, qui ſub ſacerdotali teg-
Mat. 24. 51. mine multum obumbrant nequitiæ.) *Illic* (inquiens) *erit fletus & ſtridor dentium*, quibus in hac vita non crebro evenit ob quotidianas Eccleſiæ matris ruinas filiorum, vel deſideria regni cœlorum. Sed videamus quid Chriſti verus diſcipulus magiſter gentium Paulus qui omni Eccleſiaſtico
1 Cor. 11. 1. doctori imitandus eſt *(ſicut & ego Chriſti,)* in tali negotio præloquatur
Rom. 1. 21. in prima epiſtola dicens, *Quia quum cognoverunt Deum, non ſicut Deum magnificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & occæcatum eſt inſipiens cor eorum, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Licet hoc gentibus dici videatur, intuemini tamen quia competenter iſtius ævi
Rom. 1. 25. ſacerdotibus cum populis coaptabitur. Et poſt pauca: *Qui commutaverunt (inquit) veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quam creatori qui eſt benedictus in ſecula: propterea tradidit illos Deus in paſ-*
Rom. 1. 28. *ſiones ignominiæ.* Et iterum: *Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia,*

titia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conveniunt, re-
pletos omni iniquitate, malitia, impudicitia, fornicatione, avaritia, nequitia, ple-
nos invidia, homicidio (ſcilicet animarum populi) *contentione, dolo, malignitate,*
ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores
malorum: parentibus inobedientes, inſenſatos, incompoſitos, ſine miſericordia, ſine
affectione, qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui ta-
lia agunt, digni ſunt morte. Quiſnam ſupradictorum his omnibus in ve-
ritate caruit? ſi enim eſſet, forte caperetur ſubjecto ſenſu in quo ait,
Non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, nullo ſcilicet Rom. 1. 32.
hoc malo eorum exſtante immuni. Et infra, *Tu autem ſecundum duriti-* Rom. 2. 5.
am tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti
judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. Et iterum: *Non eſt enim* Rom. 2. 11.
acceptio perſonarum apud Deum. Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine le-
ge & peribunt: quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non
enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.
Quid ergo ſeveritatis ingruit his qui non ſolum implenda non faciunt,
& prohibita non declinant, ſed etiam ipſam verborum Dei lectionem
vel tenuiter auribus ingeſtam pro ſæviſſimo angue refugiunt? Sed tran-
ſeamus ad ſequentia: *Quid ergo* (inquit) *dicemus? Permanebimus in pec-* Rom. 6. 1.
cato ut gratia abundet? abſit. Qui enim mortui ſumus peccato quomodo ite-
rum vivemus in illo? Et poſt aliquanta: *Quis nos* (ait) *ſeparabit à cha-* Rom. 8. 35.
ritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nudi-
tas? an periculum? an gladius? Quem veſtrum (quæſo) talis intimo
corde occupabit affectus, qui non modo pro pietate non laboratis,
ſed etiam ut inique agatis & Chriſtum offendatis, multa patimini? Vel
quod ſequitur. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus er-* Rom. 13. 12.
go opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus,
non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non
in contentione & æmulatione, ſed induite Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis cu-
ram ne feceritis in concupiſcentiis, Et iterum ad Corinthios in prima Epi-
ſtola: *ut ſapiens* (inquit) *architectus fundamentum poſui, alter ſuperædificat.* 1 Cor. 3. 10.
Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. Fundamentum enim aliud ne-
mo poteſt ponere præter id quod eſt JESUS CHRISTUS. Si quis au-
tem ſuperædificet ſuper hoc aurum & argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum,
ſtipulam, Unumquodque opus manifeſtum erit, Dies enim Domini declarabit il-
lud, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si
cujus opus manſerit, omnia per ignem judicabuntur. [*Qui ſuperædificaverit,* 1 Cor. 3. 18.
mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur. Neſcitis quia
templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei
violaverit, diſperdet illum Deus. Et iterum. *Si quis videtur apud vos ſapiens*
eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens, Sapientia enim hujus mundi, ſtul-
titia eſt apud Deum. Et poſt aliquanta. *Non bona gloriatio veſtra. Ne-* 1 Cor. 5. 6.
ſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate igitur ve-
tus fermentum, ut ſitis nova conſperſio. Quomodo expurgabitur vetus fer-
mentum (id eſt peccatum) quod à diebus indies cunctis conatibus cumu-
latur? Et iterum: *Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis, non* 1 Cor. 5. 9.
utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus.
Alioquin debueratis de hoc mundo exire. Nunc autem ſcripſi vobis ne commiſce-
ri, ſi quis nominatur frater, & eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut
maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum quidem ſumere. Sed
latro nequaquam pro furto vel latrocinio furem alium damnat, quem po-
tius optat, tuetur, amat, utpote ſui ſceleris conſortem.] Item in Epiſtola
ad Corinthios ſecunda: *Ideo* (inquit) *habentes hanc adminiſtrationem, juxta* 2 Cor. 4. 1.
quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficiamus: Sed abjiciamus occulta de-
decoris, non ambulantes in aſtutia neque adulterantes verbum Dei (per malum
exemplum ſcilicet, & per adulationem.) In ſubſequentibus autem ita

2 Cor. 11. 13. de malis doctoribus dicit: *Nam ejuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum. Ipſe enim ſathanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt magnum igitur ſi miniſtri ejus transfigurentur ut angeli juſtitiæ, quorum finis erit ſecundum opera eorum.* Attendite quoque quid ad Epheſios dicat. An neſcitis vos pro hoc in ali-
Epheſ. 4. 17. quo reos teneri? *Hoc* (inquiens) *dico & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis ſicut gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis eorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ & avaritiæ.* Et quis veſtrum ſponte expleverit id
Epheſ. 5. 17. quod ſequitur, *Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei, & nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed replemini ſpiritu ſan-*
1 Theſ. 2. 5. *cto.* Sed & quod ad Theſ. dicit: *Neque enim fuimus apud vos aliquando in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione avaritiæ, nec quærentes ab hominibus gloriari, neque à vobis, neque ab aliis, cum poſſimus honori eſſe, ut cæteri Apoſtoli Chriſti. Sed facti ſumus ſicut parvuli in medio veſtrum, vel tanquam ſi nutrix foveat parvulos ſuos, ita deſiderantes vos cupide volebamus vobis tradere non ſolum Evangelium, ſed etiam animas noſtras.* Si hunc vos Apoſtoli retinetis in omnibus affectum, ejus quoque cathedræ legitime inſidere noſca-
1 Theſ. 4. 2. 3. tis. Vel etiam quod ſequitur. *Scitis* (inquit) *quæ præcepta dederim vobis. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, & ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in honore & ſanctificatione, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum. [Et ne quis ſupergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit ſed Deum.* Quis etiam ve-
Coloſſ. 3. 5. ſtrum circumſpecte cauteque cuſtodivit id quod ſequitur: *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiſcentiam malam, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Videtis enim pro queis peccatis ira Dei potiſſimum conſurgat.] Audite itaque quid de vobis prophetico ſpiritu ſanctus idem Apoſtolus veſtriſque con-
2 Tim. 3. 1. ſimilibus prædixerit, ad Timotheum aperte ſcribens. *Hoc enim ſcitote, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim homines ſemetipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita,* ſicut & propheta dicit:
Pſal. 25. 5. *Odivi congregationem malignorum, & cum impiis non ſedebo.* [Et poſt aliquan-
2 Tim. 3. 7. ta, quod noſtro tempore videmus pullulare) ait: *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes: Quemadmodum enim Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſed ultra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus ſicut & illorum fuit.*] Etenim evidenter oſtendit,
Tit. 2. 7. qualiter ſe exhibeant ſuo officio ſacerdotes ita ad Titum ſcribens: *Te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum habens, irreprehenſibile, ut is qui ex adverſo eſt vereatur, nullum*
2 Tim. 2. 3. *malum habens dicere de nobis.* Et iterum ad Timotheum. *Labora* (inquit) *ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, ut placeat ei cui ſe probavit. Nam & qui contendit in agone non coronatur, niſi legitime certaverit.* Hæc quidem bonorum adhortatio. [Quod vero item comprehendit, malorum hominum (ut vos quibuſque intelli-
1 Tim. 6. 3. gentibus apparetis) denuntiatio eſt. *Si quis* (inquiens) *aliter docet, & non acquieſcit ſermonibus ſanis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed langueſcens erga quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſpemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, qui veritate privati ſunt, exi-*

ſtimantium

ſtimantium quæſtum eſſe pietatem.] Sed quid ſparſim poſitis amplius utentes teſtimoniis ſenſuum ac diverſorum undis in deſpecta ingenii noſtri cymbula fluctuabimur? Recurrere tandem aliquando uſque ad lectiones illas (quæ ad hoc non ſolum ut recitentur, ſed etiam adſtipulentur benedictioni qua initiantur ſacerdotum vel miniſtrorum manus, eoſque perpetuo doceant, uti ne à mandatis, quæ fideliter continentur in eis, ſacerdotali dignitate degenerantes recedant, ex omni pene ſanctarum ſcripturarum textu merito excerptæ ſunt) neceſſarium duximus, ut apertius cunctis pateat æterna ſupplicia manſura eos & non eſſe ſacerdotes vel Dei miniſtros, qui earum doctrinas atque mandata opere ſecundum vires ſuas non adimpleverint. Audiamus ergo quid princeps Apoſtolorum beatus Petrus de tali negotio ſignaverit: *Benedictus* (inquiens) *Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui per magnam miſericordiam ſuam regeneravit nos in ſpem vitæ æternæ, per reſurrectionem à mortuis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in hæreditatem incorruptibilem, immarceſſibilem, incontaminatam, conſervatam in cœlis in vos, qui in virtute Dei cuſtodimini.* Quare enim inſipienter à vobis violatur talis hæreditas, quæ non ſicut terrena decidua, ſed immarceſſibilis atque æterna eſt? Et poſt aliquanta. *Propter quod ſuccincti eſtote lumbos mentis veſtræ, ſobrii, perfecte ſperantes in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revelatione Jeſu Chriſti.* Rimamini namque pectoris veſtri profunda an ſobrii ſitis, & perfecte ſacerdotalem gratiam examinandam in Domini revelatione conſervetis. Et iterum dicit. *Quaſi filii benedictionis non configurantes vos illis prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis, ſed ſecundum eum qui vos vocavit ſanctos, & vos ſancti in omni converſatione eſtote, Propter quod ſcriptum eſt: ſancti eſtote, quia ego ſum ſanctus,* Quis rogo veſtrum ita ſanctitatem toto animi ardore ſectatus eſt, ut hoc quantum in ſe eſt avide feſtinaret implere? Sed videamus quid in ejuſdem ſecunda lectione contineatur: *Chariſſimi* (inquit) *animas veſtras caſtificate ad obediendum fidei per ſpiritum in charitate, in fraternitate, ex corde vero invicem diligentes perſeveranter, quaſi renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili verbo Dei vivi, & permanentis in æternum.* Hæc quidem ab Apoſtolo mandata, & in die veſtræ ordinationis lecta, ut ea indirupte cuſtodiretis, ſed nequaquam à vobis in judicio impleta, ſed nec multum cogitata vel intellecta ſunt. Et infra: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationem, & invidiam, & detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabiles, & ſine dolo lac concupiſcite, ut eo creſcatis in ſalutem, quoniam dulcis eſt Dominus.* Recogitate an hæc quoque ſurdis auribus à vobis audita crebrius conculcentur. Et iterum. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus in adoptionem, ut virtutes annuncietis ejus qui de tenebris vos vocavit in illud tam admirabile lumen ſuum.* Non ſolum enim per vos virtutes Dei non annuntiantur vel meliorantur, ſed etiam praviſſimis veſtris apud incredulos quoſque deſpiciuntur exemplis. Audiſtis forte in eodem die, quod in lectione Actus Apoſtolorum lectum eſt. *Petro in medio diſcipulorum ſurgente qui dixit: Viri fratres oportet ſcripturam impleri, quam prædixit ſpiritus ſanctus per os David de Juda.* Et paulo poſt: *Hic itaque acquiſivit agrum de mercede iniquitatis.* Hoc ſecuro vel potius hebeti corde, quaſi non de vobis lectum fuiſſet, audiſtis. Quis (quæſo) veſtrum non quærit agrum de mercede iniquitatis? Judas namque loculos compilabat, vos Eccleſiæ donaria filiorumque animas ejus vaſtatis. Ille adiit Judæos ut Deum venderet, vos tyrannos & patrem veſtrum diabolum ut Chriſtum deſpiciatis. Ille triginta argenteis venalem habuit omnium Salvatorem, vos vel uno obolo. Quid plura? Fertur vobis in medium Matthiæ in confuſionem veſtram exemplum, ſanctorum quoque Apoſtolorum electione vel judicio Chriſti non propria voluntate ſortiti, ad quod cœci effecti non videtis quam longe à meritis ejus diſtetis, dum in amorem & effectum Judæ traditoris ſponte corruiſtis. Apparet ergo eum qui vos ſacerdotes (ſciens) ex corde

1 Pet. i. 3.

1 Pet. 1. 13.

1 Pet. 1. 14.

1 Pet. 1. 22.

1 Pet 2. 1.

1 Pet. 2. 9.

Act. 1. 15.

Act. 1. 18.

de dicit, non eſſe eximium Chriſtianum. Sane quod ſentio, proferam. Poſſet quidem lenior fieri increpatio, ſed quid prodeſt vulnus manu tantum palpare, unguentove ungere, quod tumore jam vel fœtore ſibi horreſcens cauterio & publico ignis medicamine eget, ſi tamen ullo modo ſanari poſſit, ægro nequaquam medelam quærente, & ab hoc medico longius recedente? O inimici Dei & non ſacerdotes, veterani malorum & non pontifices, traditores & non ſanctorum Apoſtolorum ſucceſſores, & non Chriſti miniſtri. Auſcultaſtis quidem ſecundæ lectionis Apoſtoli Pauli verborum ſonum (ſed in nullo modo monita virtutemque ſervaſtis, & ſimulachrorum modo, quæ non vident neque audiunt, eodem die altari a-
1 Tim. 3. 1. ſtitiſtis) tunc & quotidie vobis intonantis. *Fratres* (inquit) *fidelis ſermo eſt, & omni acceptione dignus.* Ille dixit fidelem & dignum, vos ut infidelem &
1 Tim. 3. 1. indignum ſpreviſtis. *Si quis Epiſcopatum cupit, bonum opus deſiderat.* Vos Epiſcopatum magnopere avaritiæ gratia, non ſpiritualis profectus obtentum cupitis, & bonum opus illi condignum nequaquam habetis. *Oportet*
1 Tim. 3. 2. *ergo hujuſmodi irreprehenſibilem eſſe.* In hoc namque ſermone lachrymis magis quam verbis opus eſt, ac ſi dixiſſet Apoſtolus eum eſſe omnibus irreprehenſibiliorem debere. *Unius uxoris virum.* Quid ita apud nos quoque contemnitur quaſi non audiretur vel idem dicere & virum uxorum? *Sobrium prudentem.* Quis etiam ex vobis hoc aliquando ineſſe ſibi ſaltem optavit? *Hoſpitalem,* id ſi forte caſu evenerit, popularis auræ potius quam præcepti gratia factum, non prodeſt Domino, ſalvatore ita dicente: *Amen*
1 Tim. 3. 2. *dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Ornatum, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum.* O feralis immutatio, O horrenda præceptorum cœleſtium conculcatio: nonne infatigabiliter ad hæc expugnanda, vel potius obruenda actuum verborumque arma corripitis, pro queis conſervandis atque firmandis (ſi neceſſe fuiſſet) & pœna ultro ſubeunda, & vita ponenda erat? Sed videamus & ſequentia: *Domum* (inquit) *ſuam bene regentem, filios habentem ſubditos, cum omni caſtitate.* Ergo imperfecta eſt patrum caſtitas, ſi eidem non & filiorum accumuletur. Sed quid erit, ubi nec pater, nec filius mali genitoris exemplo pravatus conſpicitur caſtus? *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam adhibebit?* Hæc ſunt verba quæ indubitatis effectibus approban-
1 Tim. 3. 8. tur. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non vino multum deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* His nimirum horreſcens diu immorari, unum veridice poſſum dicere, quin hæc omnia in contrarios actus mutentur, ita ut clerici (quod non abſque dolore cordis fateor) impudici, bilingues, ebrii, turpis lucri cupidi, habentes fidem & (ut verius dicam) infidelitatem in conſcientia impura, non probati in bono ſed in malo opere præſciti miniſtrantes, & innumera crimina habentes ſacro miniſterio adſciſcantur. Audiſtis etiam illo die (quo multo dignius multoque rectius erat, ut ad carcerem vel cataſtam pœnalem quam ad ſacerdotium traheremini) Domino ſciſcitanti, quem ſe eſſe putarent
Mat. 16. 16. diſcipuli, Petrum reſpondiſſe: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi,* eique Dominum
Mat. 16. 17. pro tali confeſſione dixiſſe: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt.* Ergo Petrus à Deo patre doctus, recte Chriſtum confitetur. Vos autem moniti à patre veſtro diabolo inique ſalvatorem malis actibus denegatis. Vero ſacerdoti dicitur:
Mat. 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Vos quidem
Mat. 7. 26. aſſimilamini *viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam.* Notandum vero eſt, quod inſipientibus in ædificanda domo arenarum pendulæ mobilitati Dominus non cooperetur, ſecundum illud: *Fecerunt ſibi reges, &*
Mat. 16. 17. *non per me.* Itidemque quod ſequitur eadem ſonat dicendo: *Et portæ inferni non prævalebunt,* ejuſque peccata intelliguntur. De veſtra quid exi-
Mat. 7. 25. tiabili ſtructura pronunciatur? *Venerunt flumina & flaverunt venti, & impegerunt*

gerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna. Petro ejuſque ſucceſſoribus dicit Dominus, *& tibi dabo claves regni cœlorum:* Vobis vero, *non novi vos, diſcedite à me operarii iniquitatis,* ut ſeparati ſiniſtræ partis cum hœdis, eatis in ignem æternum. Itemque omni ſancto ſacerdoti promittitur: *& quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis: & quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.* Sed quomodo vos aliquid ſolvetis ut ſit ſolutum & in cœlis à cœlo ob ſcelera adempti, & immanium peccatorum funibus compediti, ut Salomon quoque ait: *Criniculis peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur?* Quaque ratione aliquid in terra Prov. 5. 22. ligabitis quod ſupra modum etiam ligetur præter voſmetipſos, qui ita ligati iniquitatibus in hoc mundo tenemini, ut in cœlis nequaquam aſcendatis, ſed in infauſta tartari ergaſtula non converſi in hac vita ad Dominum decidatis? Nec ſibi quiſquam ſacerdotum de corporis mundi ſolum conſcientia ſupplaudat, cum eorum queis præeſt (ſiqui propter ejus imperitiam vel deſidiam ſeu adulationem perierint) in die judicii de ejuſdem manibus, veluti interfectoris, animæ exquirantur. Quia nec dulcior mors, quæ infertur à bono quoque homine quam malo. Alioquin non dixiſſet Apoſtolus velut paternum legatum ſuis ſucceſſoribus derelinquens, *Mundus ego ſum ab omnium ſanguine. Non enim ſubterfugi quo minus annunti-* Act. 20. 26. *arem vobis omne myſterium Dei.* Multumque nam uſu ac frequentia peccatorum inebriati, & inceſſanter irruentibus vobis ſcelerum cumulatorum acſi undis quaſſati, unam veluti poſt naufragium (in qua ad vivorum terram evadatis) pœnitentiæ tabulam toto animi niſu exquirite, ut avertatur furor Domini à vobis miſericorditer dicentis: *Nolo autem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Ipſe omnipotens Deus totius conſolationis & miſericordiæ pauciſſimos bonos paſtores conſervet ab omni malo, & municipes faciat (ſubacto communi hoſte) civitatis Jeruſalem cœleſtis, hoc eſt, ſanctorum omnium congregationis, pater & filius, & ſpiritus ſanctus, cui ſit honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

VITA

VITA
S. WILFRIDI
Epiſcopi Eboracenſis.

AUCTORE

EDDIO STEPHANO.

c

VITA
S. WILFRIDI

An. Chr. DCCXX.

EPISCOPI EBORACENSIS.

PRÆFATIO.

De humili excuſatione ſcribentis.

PRÆCEPTORUM veſtrorum magnitudine, O venerabiles Domini, Acca Epiſcopus, & Tatbertus Abbas, & totius familiæ ambitu ſuperatus, utinam ut tam effectu parere valeam quam voto. Eſt enim & hoc opus arduum, & meæ intelligentiæ & eloquentiæ facultas exigua, quæ tamen, etſi miniſterium minime expleret injunctum, certe debitum obedientiæ exſolvit obſequium. Maximum enim indicium meæ erga vos reverentiæ eſt, imperiis veſtris amplius me impendere voluiſſe, quam poſſem. Quod ſi dignum aliquid veſtræ electioni confecero, id erit profecto divini muneris: quia nec dubitatur ipſorum fide perficiendum, quorum eſt adhortatione ſuſceptum. Quis namque non intelligit veſtris orationibus præſumtum eſſe, quod etiam per me creditis implendum? Etenim ingens mihi lucrum, & utilitas hoc ipſum, quod beatæ Memoriæ Wilfridi Epiſcopi recordor. Eſt ſiquidem perfecta via ad virtutem, illum ſcire quis fuerit. Ideo ut breviter dicam omnia quæ de eo ſermo referentium jactavit, credite, & minima vos eſtimate de maximis audiviſſe. Quia non ambigo, nec eos potuiſſe omnia cognoſcere. Obſecro itaque eos qui lecturi ſunt, ut fidem dictis adhibeant; relinquentes antiqui hoſtis millenos invidiæ ſtimulos, & recolentes quod eloquentia pertonabat. Semper enim in propatulo fortitudo æmulos habet; feriuntque ſummos fulgura montes, neque enim me quicquam audaci temeritate, niſi quod compertum, & probatum à fidelibus ſit, ſcripſiſſe arbitrentur; alioquin tacere, quam falſa dicere maluiſſem. Cœptum orationibus veſtris nos iter carpamus.

CAP. I. *De nativitate S. Wilfridi, & prodigio.*

IGitur beati WILFRIDI Pontificis, Deo adjuvante, & ſanctis ejus meritis vitam ſcribere exordiar, quem Dominus ſecundum egregii Doctoris ſententiam præſcivit, & prædeſtinavit, vocavit, & juſtificavit, & glorificavit. De utero enim matris ſuæ valde religioſæ ita eum ſanctificatum à Deo prodigium demonſtravit, ſicut Hieremias audivit à Domino dicente *Priuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, Prophetam in gentibus poſui te.* Nam cum mater ejus dolore parturientis fatigata in domo ſua jaceret, & mulieres circa ſe manſiſſent; viderunt viri foris ſtantes domum illam extemplo quaſi ardentem & flammam uſque ad cœlum elevatam. Omnes undique concito curſu pavide advenerunt, flammam minuere aquis, hominesque de incendio eripere cupientes. Quibus mulieres de domo obviarunt dicentes: ſuſtinete ſtabiliter expectantes, ecce modo infans huic natus eſt mundo. Illi vero ſtupefacti videntes magnalia Dei, ſicut Moyſes in rubo vidit flam-

mam ſonantem, nihilque conſumentem, agnoverunt: nos autem, fratres, frequenter legimus ſpiritum ſanctum in igne apparuiſſe, quia Deus ignis eſt conſumens peccatores & illuminans juſtos. Quod lumen non ſub modio, ſed ſuper candelabrum Dominus poni juſſit, & hoc per beatum Wilfridum Epiſcopum omnibus pene Britanniæ Eccleſiis palam effulſit. Sicut præſagi futurorum præviderunt, & rei eventus poſtmodum probavit.

II. *De eo quod in pueritia Deum elegerit.*

CUm ergo puerilis ætatis eſſet, parentibus obediens, omnibus carus, pulcher adſpectu, bonæ indolis, mitis, modeſtus, ſtabilis, nihil inane cupiens more puerorum, ſed ſecundum Apoſtolum Jacobum velox ad audiendum, tardus ad loquendum; omnibus in domum patris ſui venientibus humiliter, aut regalibus ſociis, aut eorum ſervis ſemper edocte miniſtravit, ut ſecundum prophetam omnes Dei docibiles eſſent. Poſtremo tamen XIII. anno, in corde ſuo cogitabat paterna rura deſerere, dona cœleſtia quærere. Privigna enim, matre ſua mortua, ſibi moleſta & immitis erat, tamen arma, & equos, veſtimentaque ſibi, & pueris ejus adeptus eſt, in quibus regalibus conſpectibus apte ſtare poſſet. Cumque benedixiſſet eum pater ejus ſicut Iſaac Jacob, & Jacob filios ſuos, ut creſcerent in multa millia populorum; pergens itinere ſuo uſquedum inveniret Reginam Regis Oſwin nomine Eanfled, & per nobiles viros, quibus ante in domo patris ſui miniſtrabat, laudatus, præſentatuſque eſt Reginæ, ſtatim, Deo adjuvante, invenit gratiam in conſpectu illius. Erat enim decorus adſpectu, & acutiſſimi ingenii, & concedit ei quod petierat, ut ſub ſuo conſilio, & munimine Deo ſerviret. Tunc quidam nobilis eo tempore ex ſodalibus Regis, valde ſibi amabilis & fidelis, nomine Cudda, proponens ſecularia deſideria contemnere propter infirmitatem Paralyſin, cœnobialemque vitam ſub regulari diſciplina in Lindiſfarna arripere maluit. Cui Regina ſupradicta puerum nuper ad ſe venientem diligenter commendavit, ut ſibi miniſtraret, & Deo ſerviret. Jam enim ille ſecundum præceptum Reginæ accepta diligenti miniſtratione, domino ſuo & omnibus ſenioribus in Monaſterio quaſi filius, & coætaneis quaſi frater ſtatim in amore factus eſt, pro eo quod omnem regularem vitam cum intimo cordis amore in humilitate & obedientia adimplere nitebatur, & omnem Pſalmorum ſeriem memorialiter & aliquantos libros didicit. Adhuc enim laicus capite, corde vero à vitiis circumciſus Deo ſerviebat. Et partem cum Samuele Heli ſacerdoti miniſtrante benedictionis accipere meruit.

III. *De eo quod amaverit S. Petri Apoſtoli limina videre.*

DEinde poſt circulum annorum, ſuggerente Spiritu Sancto, appellare & videre ſedem Apoſtoli Petri & Apoſtolorum principis adhuc inattritam viam genti noſtræ tentare in cor adoleſcentis ſupradicti adſcendit, ab ea omnem modum maculæ ſolvendum ſibi credens, & beatitudinem benedictionis accipiendam. Hunc talem ſenſum domino ſuo enotuit, qui ſtatim, ut erat ſapiens, ſuggeſtum à Deo eſſe cognoſcens conſenſum dedit filio chariſſimo omnis boni caput accipere. Tunc autem cum conſilio patris ſui, Eanfleda Regina ad ſuum proprium propinquum Erconbertum Regem Cantuariorum per nuntios diligenter commendatum honorifice emiſit, ut tamdiu eſſet cum eo uſque dum fideles ſocios itineris ad Apoſtolicam ſedem tendentes inveniret: Rex vero venientem ſervum Dei ad ſe, videns juxta conſuetudinem ſuam in orationibus & jejuniis, in lectione & vigiliis ſemper occupatum, mirifice diligebat.

ligebat. Pſalmos namque quos prius ſecundum Hieronymi emendationem legerat, more Romanorum juxta quintam editionem memorialiter tranſmutavit. Anni vertente quoque die, Rex ſecundum petitionem Reginæ, languenti tædio ducem nobilem, & admirabilis ingenii quemdam Biſcop Baducing inveniens, ad ſedem Apoſtolicam properantem ut in ſuo comitatu eſſet adquiſivit. Perrexit igitur ſervus Dei cum benedictione parentum ſuorum ad peregrinationem, ſicut Jacob; quæ eis peregrinantibus demum in bonum contigit. Omnibus affabilis, mente ſagax, corpore ſtrenuus, pedibus velox, habiles ad omne opus bonum, triſtia ora nunquam contraxit; alacer, & gaudens navigio ſecunde Lugduno Galliæ civitati pervenit, ibique cum ſuis ſociis aliquod ſpatium manſit, decedente ab eo auſteræ mentis duce; ſicut à Paulo Barnabas propter Johannem receſſit, qui cognominabatur Marcus.

IV. *De eo quod Dalfinus Epiſcopus S. Wilfridum benigne acceperat.*

BEnedictus Deus qui ſervos ſuos defendit, & protegit, & per bonorum auxilia adjuvabit. Nam in ſupradicta civitate Sanctæ memoriæ Dalfinus Archiepiſcopus erat, qui ſuper ſervum Dei mitiſſimum Wilfridum poſuit oculos ſuos in bonum, & benigne cum ſociis ſuis hoſpitio ſuſceperat; videns in facie ſerena, quod benedictam mentem gerebat: Ideoque omnia illis neceſſaria, quaſi proprii ſui eſſent, abundare fecit, & ſibi illum adoptivum filium eligere voluit, dicens ad eum, ſi manſeris mecum fiducialiter dabo tibi bonam partem Galliarum ad regendum in ſeculum, virginemque filiam fratris mei in uxorem, & te ipſum adoptivum filium habebo, & tu me patrem in omnibus fideliter adjuvantem. Et reſpondens ſanctus Wilfridus ſervus Dei ſapienter, ſicut erat edoctus, dixit: ſunt vota mea Domino quæ reddam, relinquens, ut Abraham, cognationem, & domum patris mei, ut viſitem ſedem Apoſtolicam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas didicerim in augmentum gentis noſtræ, ad ſerviendum Domino: deſiderans à Deo recipere quod diligentibus ſe promiſit; dicens: *Qui reliquerit patrem, aut matrem,* & reliqua, *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Jam enim vita comite, Deo adjuvante, ſi vixero, iterum revertens videbo faciem tuam. Hæc & alia audiens ſanctus Epiſcopus veraciter ſervum Dei eſſe, & à ſpiritu Sancto imbutum intellexit: præparans ſibi neceſſaria, in pace Chriſti ſecundum voluntatem ejus, cum ducibus & opibus, ad ſedem Apoſtolicam emiſit.

V. *De eo quod ad S. Petrum Apoſtolum benedicte pervenit.*

SErvus igitur Dei Wilfridus ad ſedem olim optatam Apoſtoli Petri & principis Apoſtolorum gaudens, & gratulans cum ſociis ſuis proſpere pervenit. Sicut doctor gentium excellentiſſimus pergens Hieroſolymam ad diſcipulos Domini, ne forte in vacuum cucurriſſet, ita & iſte humillimus gentis noſtræ igniculus, excitante Deo, à finibus terræ audire ſapientiam Præſulum mundi Romam venit, & in oratorio ſancto Andreæ Apoſtolo dedicato, ante altare, ſupra cujus ſummitatem quatuor Evangelia poſita erant; humiliter genu flectens, adoravit in nomine Domini Dei Apoſtolum pro quo paſſus eſt, ut pro ſua interceſſione Dominus ei legendi ingenium, & docendi in gentibus eloquentiam Evangeliorum concediſſet, & ſic factum eſt ut multorum teſtimonio comprobatur. Nam per multos menſes loca ſanctorum omni die ad orationem circumiens invenit doctorem ſibi amicum, per Deum & Apoſtolum fidelem factum, nomine Bonifacium, Archidiaconum, unum ex conſiliariis ſapientiſſimum, à quo quatuor Evangelia Chriſti perfecte didicit, & paſchalem rationem, quam ſchiſmatici Britanniæ & Hyberniæ non cognoverunt, & alias multas eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas Bonifacius Archidiaconus,

chidiaconus, quaſi proprio filio ſuo, diligenter dictitavit, nam poſtremo præſentavit eum Papæ beatæ memoriæ, & omnem cauſam itineris adoleſcentuli, ſervi Dei, mirabiliter oſtendit: Qui ponens manum ſuam benedictam ſuper caput ejus, cum oratione benedixit eum. Ille vero ſervus Dei cum reliquiarum ſanctarum, quas illic invenit, auxilio, in pace Chriſti profecturus, iterum ad patrem ſuum Archiepiſcopum Lugduno Galliæ civitatis commode pervenit.

VI. *De eo quod à Dalfino Epiſcopo Tonſuræ Petri Apoſtoli formam accepit & de Martyrio Dalfini.*

INvento igitur Dalfino Archiepiſcopo ſoſpite, & ſano, gratulabundus filius ad patrem ingreditur, & per ordinem ſervus Dei Wilfridus beatitudinem ei itineris ſui omnem narravit. Et Epiſcopus gratias agebat Deo, quod filium ſuum incolumem pergentem, ac iterum revertentem Dominus cuſtodivit. Nam per tres annos ſimul cum eo manſit, & à doctoribus valde eruditis multa didicit, & amor magis ac magis creſcebat inter eos. Etenim ſervus Dei Wilfridus deſiderio concupiſcens tonſuræ Petri Apoſtoli formulam, in modum Coronæ ſpineæ caput Chriſti cingentis, à ſancto Dalfino Archiepiſcopo libenter ſuſcepit. Manus ſuas ſanctus ſuper caput ejus ponens cogitabat in corde ſuo illum habere poſt ſe hæredem, ſi ſic Deus voluiſſet, aliquid enim melius genti noſtræ Deo providente. Nam illo tempore malevola Regina nomine Balcthild Eccleſiam Domini perſecuta eſt. Sicut impiiſſima Regina Jezabel, quæ prophetas Domini occidit, ita iſta, exceptis ſacerdotibus, & Diaconibus, novem Epiſcopos occidere juſſit: Ex quibus unus eſt Dalfinus iſte Epiſcopus, quem duces maligniſſime ad ſe venire juſſerunt. Ille vero intrepida mente, neſciens quid eſſet ſibi futurum, ad agonis locum pervenit, ſimulque cum eo Sanctus Wilfridus ſervus Dei, Epiſcopo tamen prohibente, qui gaudens dixit: nihil melius eſt nobis, quam pater & filius ſimul mori, & eſſe cum Chriſto. Jam enim ſanctus Epiſcopus Martyrio coronatus eſt. At vero cum ſanctus Wilfridus ſpoliatus, & pariter ad palmam martyrii intrepidus ſtaret; Duces interrogaverunt, dicentes: Quis eſt iſte juvenis formoſus, qui ſe præparat ad mortem? Dictumque eſt illis: Tranſmarinus de Anglorum gente ex Britannia. Iterumque dixerunt: Parcite illi, & nolite tangere eum. Ecce jam ſanctus Wilfridus noſter nunc confeſſor factus eſt, ſicut Johannes Apoſtolus, & Evangeliſta in dolio oleo fervente inlæſus ſedebat, & venenum mortiferum bibebat, & nihil ei nocuit, de quo, & Jacobo Apoſtolo fratre ejus Jeſus dixit: *Vos poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum,* &c.

VII. *De eo quod invitatus eſt ab Aluchfrido.*

TUnc eo tempore ſanctus Wilfridus confeſſor, patre ſuo Epiſcopo honorifice ſepulto, cum multiplici benedictione, & reliquiarum ſanctarum auxilio navem adſcendens, flante vento ſecundum deſiderium nautarum ad regionem ſuam proſpere in portum ſalutis pervenerunt. Audiens autem Ealfridus, qui cum Oſwin patre ſuo regnabat, talem ſervum Dei cum ſuis ſociis de Apoſtolica ſede veniſſe, & verum paſcha prædicantem, & Sancti Petri Apoſtoli Eccleſiæ diſciplinam multiplicem didiciſſe, quam maxime Rex diligebat, ſuadente ſibi fideli amico Coenvalcho occidentalium Saxonum Rege: & ideo ad ſe venire juſſit, Veniens ergo Sanctus Wilfridus ad Regem invitantem ſe pacifice ſalutavit eum dicens: Jeſus Chriſtus filius Dei præcepit diſcipulis ſuis, & principi eorum Petro Apoſtolo: *Domum in quamcunque intraveritis, dicite: Pax huic domui.* Hujus pacis fundamenta, primum inter corpus & animam, in nobis ponere debemus, ut doctor gentium prædicavit dicens. *Pax Chriſti exſultat in cordibus veſtris.* Deinde inter nos, & proximos pacem habere

Jeſus

Jeſus Chriſtus præcepit dicens: *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos.* Poſtquam autem finiit prædicationis verba, humiliter Rex proſternens ſe ante pedes ſuſcepit verba ſervi Dei electi, & petiit ab eo benedictionem, videbatur enim ei quaſi angelus Dei loqueretur. Deinde benedixit ei, & mutuo loqui cœperunt, interrogans eum prudenter, ſicut erat ſapiens, de diſciplina diverſa Romanæ Eccleſiæ & inſtitutionis. Ille vero ut erat edoctus ſermone perſpicuo, ſcienter in omnibus reſpondit. Poſtea Rex adjuravit eum per Dominum, & per Sanctum Petrum Apoſtolum, ut eſſet cum eo: & ſibi & omni populo, organo ſpiritali ſe canente, verbum Dei prædicaret. Ille vero intelligens amorem Regis in eum conſentit ei eſſe cum eo. Tunc enim mirifice anima utriuſque in alterum conglutinata erat, ſicut animam David, & Jonathæ in alterum compaginatam legimus.

VIII. *De eo quod dedit ei Alucfridus Cœnobium in HRypis.*

DEinde poſtquam de die in diem inter eos amor augebatur, Alfridus dedit primum Sancto Wilfrido confeſſori terram x. tributariorum Æſtanforda, & poſt paululum Cœnobium in HRypis cum terra xxx. manſionum pro animæ ſuæ remedio conceſſit ei, & Abbas ordinatus erat. Jam enim ſicut ei ſeculi hujus lata janua per dominum aperiebatur, & per Sanctum Petrum Apoſtolum: Ita large creſcebat ei porta aperta eleemoſynis pro Domino in pauperes, pupillos, ac viduas, omnique languore infirmitatis colligatos, oſtendens perſpicue, quid animo gerebat in paupertate. Ecce jam, fratres, videte, & admiramini, quam magnum bonum Deus Regi conceſſit, qui invenit bonam margaritam, & ſtatim ſine mora comparavit eam. Non ſolum autem Ahlfridus Rex Sanctum Wilfridum Abbatem diligebat; ſed omnis populus, nobiles, & ignobiles eum habebant quaſi prophetam Dei, ut erat.

IX. *De eo quod ab Ægilberto Epiſcopo Presbyter ordinatus eſt.*

IN illis autem diebus veniens Ægilbertus Epiſcopus tranſmarinus ad Regem Oſwin, & Alhfridum filium ejus, viſitavit eos; Indicavitque ei Alhfridus Rex de Sancto Wilfrido Abbate ab Apoſtolica ſede venienti, ſicut illi nunciatum erat ab his, qui eum bene noverant, dicens virum eſſe humilem, & quietum in jejuniis, & orationibus occupatum, benignum, ſobrium, modeſtum, miſericordem, plenum autoritatis, & gratiæ Dei; pudicum, prudentem, non vinolentum, docibilem, & bene docentem ſermone puro & aperto, Ideoque rogo te, ut imponas ſuper eum Presbyterii gradum, & ſit mihi comes individuus. Epiſcopus autem reſpondit ei prophetico ſpiritu: Talis utique debet Epiſcopus fieri, & eum ſecundum præceptum Regis in Rypis Presbyterum ordinavit. Sicut enim David, puer electus à Domino, erat per Samuelem unctus dona Prophetica accipere poſt multas tribulationes; ita meruit & ſanctus Wilfridus Presbyter poſt multas benedictiones ſanctorum Dei, & tam multiplices donationes coram Deo, & hominibus, quas enumerare nullus poteſt, Deo concedente, & in anguſtiis ſuis cuſtodiente accepit.

X. *De Conflictu Wilfridi Presbyteri contra Colmannum Epiſcopum, de ratione Paſchæ.*

QUodam tempore in diebus Colmanni Eboracæ civitatis Epiſcopi Metropolitani, regnantibus Oſwin, & Alfrido filio ejus, Abbates, & Preſbyteri, omneſque Eccleſiaſticæ diſciplinæ gradus ſimul in unum convenientes in Cœnobio quod Streaneſhel dicitur, præſenti Sancta-Moniali piiſſima Hilda, præſentibus quoque Regibus, & duobus Colmanno, & Ægelberthto Epiſcopis, de paſchali ratione conquirebant, quid eſſet rectiſſimum,

utrum

utrum more Brittonum, & Scottorum, omniſque aquilonalis partis à XIV. luna dominica die veniente [a] uſque ad XXII. paſcha agendum: An melius ſit ratione ſedis Apoſtolicæ à XV. luna uſque XXI. paſcha eſſet Dominica celebranda. Tempus datum eſt Colmanno Epiſcopo primum, ut dignum erat, audientibus cunctis reddere rationem. Ille autem intrepida mente reſpondens dixit. *Patres noſtri, & anteceſſores eorum manifeſte ſpiritu ſancto inſpirati ut erat Columcille,* XIV. *luna die Dominica paſcha celebrandum ſanxerunt, Exemplum tenentes Johannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, & amator Domini dicebatur. Ille* XIV. *Paſcha celebravit; & nos, ſicut diſcipuli ejus Polycarpus & alii, ea fiducia celebramus: nec hoc audemus pro patribus noſtris, nec volumus mutare. Noſtræ partis detuli ſententiam, vos veſtram dicite.* Imperatum eſt ab Ægelberto Epiſcopo transmarino, & Agathone Papa, Presbytero Sancto Wilfrido, & Abbati ſuaviloqua eloquentia in ſua lingua Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ ſedis dare rationem. Ipſe vero humiliter, ut erat, dicens reſpondit. *Hanc quæſtionem olim in Nicæa Bithyniæ civitate patres noſtri ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi* CCCXVIII. *congregati in unum mirifice inveſtigaverunt, & ſtatuerunt inter alia judicia* XIX. *circulum lunæ in ſe revertentem. Qui nunquam oſtendit quod in* XIV. *luna paſcha faciendum ſit. Hæc ratio diſciplinæ Apoſtolicæ ſedis eſt, & pene totius mundi, & ſic dixerunt patres noſtri poſt multa judicia: qui unum ex his condemnaverit, Anathema ſit.* Tunc Oſwin Rex, tacente Sancto Wilfrido Presbytero, ſubridens, interrogavit omnes dicens: Enuntiate mihi utrum major eſt Columcille, an Petrus Apoſtolus, in regno cœlorum? omnis ſynodus una voce, & conſenſu reſpondit. Hoc Dominus dijudicavit qui dixit. *Tu es Petrus &c. tibique trado claves regni cœlorum &c.* Iterum Rex ſapienter dixit: Ille eſt oſtiarius, & clavicularius, contra quem conluctationem controverſiæ, & judiciorum ejus in vita mea non facio, nec facientibus conſentio. Colmannus vero Epiſcopus audiens quid eſſet faciendum, tonſuram, & paſchæ rationem propter timorem patriæ ſuæ contempſit, ut recederet, & alii meliori ſedem ſuam occupandam relinqueret, & ſic fecit.

XI. *De Electione Wilfridi in Epiſcopatum.*

REges deinde concilium cum ſapientibus ſuæ gentis poſt ſpatium inierunt; quem eligerent in ſedem vacantem, qui voluiſſet ſedis Apoſtolicæ diſciplinam ſibi facere, & alios docere, & eſſet dignus moribus, & Deo acceptabilis, & hominibus amabilis. Reſponderunt omnes uno conſenſu: Neminem habemus meliorem, & digniorem noſtræ gentis, quam Wilfridum Preſbyterum, & Abbatem, quem in omnibus rebus ſapientem eſſe cognovimus, & talem eſſe, qualem Paulus Apoſtolus ad Titum ſcribens docuit: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non litigioſum, non turpe lucrum ſectantem: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentemque eam quæ ſecundum Deum eſt doctrinam; fidelem in ſermone, ut potens ſit exhortari ad doctrinam, & contradicentes revincere.* Hæc omnia ſecundum Apoſtoli judicium iſte habet. Et ideo eum eligimus in perfecta ætate ad legem Dei docendam. Erat enim ita homo ille electus ſicut Johannes præcurſor Domini, & Ezechiel propheta XXX. annorum ætatis. Tunc quoque conſenſerunt reges, & omnis populus huic electioni, & ſancto Wilfrido Presbytero omnis conventus in nomine Domini accipere gradum Epiſcopalem præcepit. Ille autem primo abnuens non eſſe ſe dignum excuſavit: poſtremo tamen obediens factus eſt, noluitque benedictionem Dei effugere. Qualem ergo tunc illi eum intellexerunt, talem adhuc & nos viventes novimus. Fuit enim ſermo ejus purus, & aptus, plenus gravitatis, & honeſtatis, plenus ſuavitatis, & gratiæ: tractans de myſterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ de diſci-

[a] Cod. Sar. Uſque in vigeſima prima Paſchalem diem Dominicam celebrandam.

plina

plina juſtitiæ: Unumquemque ammonens diverſa exhortatione ſecundum morum qualitatem: videlicet, ut prænoſceret quid, cui, & quando proferret. Præ cæteris ſpeciale officium erat, ut jejuniis, & orationibus, & vigiliis incumberet, ſcripturas legens, (memoriam enim miram in libris habuit) percurrens canones, exempla ſanctorum imitatus, cum fratribus pacem implens, tenens quoque humilitatem, & illam ſupereminentem omnibus donis charitatem, ſine qua omnis virtus nihil eſt; curam pauperum gerens, eſurientes paſcens, nudos veſtiens, peregrinos ſuſcipiens, captivos redimens, viduas ac pupillos tuens, ut mercedem vitæ æternæ inter choros Angelorum cum Domino noſtro Jeſu Chriſto accipere mereretur.

XII. *De eo quod in Gallia ordinatus ſit.*

LOcutus eſt autem ſanctus Wilfridus dicens: O Domini venerabiles Reges, omnibus modis nobis neceſſarium eſt provide conſiderare, quomodo cum electione veſtra ſine accuſatione Catholicorum virorum ad gradum Epiſcopalem cum Dei adjutorio venire valeam: ſunt enim hic in Britannia multi Epiſcopi, quorum nullum meum eſt accuſare, quamvis veraciter ſciam, quod aut Quartadecimani ſunt ut Britones, & Scoti, aut ab illis ſint ordinati, quos nec Apoſtolica ſedes in communionem recipit, neque eos qui Schiſmaticis conſentiunt; Et ideo in multa humilitate à vobis poſco, ut me mittatis cum veſtro præſidio trans mare ad Galliarum regionem, ubi Catholici Epiſcopi multi habentur: ut ſine controverſia Apoſtolicæ ſedis, licet indignus gradum Epiſcopalem merear accipere. Tale jam conſilium bene regibus complacuit, præparantes ei navem, & auxilia hominum, & pecuniæ multitudinem, ita ut valde honorifice ad Galliæ regionem perveniret; ibique ſtatim conventio magna facta eſt, non minus quam duodecim Epiſcoporum Catholicorum, è quibus unus erat Ægelberchtus Epiſcopus, qui eum, propter fidem ſuam indicatam, gratanter & honorifice coram omni populo publice ordinaverunt, & in ſella aurea ſedentem more eorum ſurſum elevarunt, portantes in manibus ſoli Epiſcopi intra oratoria, nullo alio attingente, hymnoſque & cantica in choro canentes. Poſt ſpatium namque temporis ad ſedem Epiſcopalem Eboracæ civitatis hunc emiſerunt, & præceperunt ei in nomine Domini in catholica fide permanere, ſicut Paulus Apoſtolus Timotheo filio ſuo cuſtodire propoſitum ſuum præcepit, quod per manus impoſitionem ejus accepit.

XIII. *Quomodo Dominus Pontificem noſtrum de mari, & de manu paganorum cum ſuis liberavit.*

NAvigantibus quoque eis de Gallia Britannicum mare cum beatæ memoriæ Wilfrido Epiſcopo, canentibus Clericis & pſallentibus laudem Dei pro celeumate in choro, in medio mari validiſſima tempeſtas exorta eſt, & venti contrarii, ſicut diſcipulis Jeſu in mare Galilææ, erant. Flante enim vento Euro-auſtro dure, albeſcentia undarum culmina in regionem auſtralium Saxonum, quam non noverant, projecerunt eos. Mare quoque navem & homines relinquens, terras fugiens, litora detegens, in abyſſi matricem receſſit. Gentiles autem cum ingenti exercitu venientes navem arripere, prædam ſibi pecuniæ dividere, captivos ſubjugatos deducere, reſiſtenteſque gladio occidere, incunctanter propoſuerunt. Quibus Sanctus Præſul noſter copioſam pecuniam promittens, animas redimere cupiens, leniter pacificeque loquebatur. Illi vero feroces, & indurato corde cum Pharaone populum Dei dimittere nolentes, & dicentes ſuperbe ſua eſſe omnia, quaſi propria, quæ mare ad terras projecit; ſtans quoque princeps ſacerdotum idololatriæ coram paganis in tumulo excelſo, ſicut Balaam maledicere populum Dei, & ſuis magicis artibus manus

eorum alligare nitebatur. Tunc vero unus ex ſodalibus Pontificis noſtri lapidem ab omni populo Dei benedicto, more Davidico de funda emittens, fronti perforatæ uſque ad cerebrum magi exprobrantis inliſit: quem, retrorſum examinato cadavere cadente, ſicut Goliatus, in arenoſis locis mors incerta prævenit. Ad bellum ergo ſe præparantes Pagani, aciem fruſtra in populum Dei direxerunt. Deus enim pro paucis pugnavit, ſicut jam Gideon Domini juſſu cum trecentis viris bellatoribus Madianitum cxx. millia uno impetu occidit: ita & iſti ſodales Sancti Præſulis noſtri bene armati, viriles animo, pauci numero (erant enim cxx. viri in numero Moyſaicæ ætatis) inito conſilio & pacto, ut nullus ab alio in fugam terga verteret; ſed aut mortem cum laude, aut vitam cum triumpho (quod Deo utrumque facile erat) habere mererentur. Igitur Sanctus Wilfridus Epiſcopus cum Clero ſuo flexis poplitibus genuum, & iterum levatis manibus ad Cœlum, Domini auxilium impetravit. Sicut enim Moſes, Hur & Aaron ſuſtentantibus manus ejus, Jeſu Nave cum populo Dei adverſus Amalec pugnante, frequenter Domini protectionem implorans triumphavit: ita & hîc iſti pauci Chriſtiani, feroces & indomitos Paganos tribus vicibus in fugam verſos ſtrage non modica obruerunt, quinque tantum viris (quod mirum dictu eſt) ex ſua parte occiſis, orante ſacerdote magno ad Dominum Deum ſuum, qui ſtatim juſſit ante horam plenam, priuſquam conſueverat, mare venire. Præparantibus autem paganis cum Rege veniente totis viribus ad quartum prælium, tunc mare redundans fluctibus tota litora implevit, elevataque cimba proceſſit in altum. Glorioſe autem honorificati, gratias ei agentes, vento flante ab Africo, proſpere in portum Sandwich atque ſuaviter pervenerunt.

§ XIV. *De eo quod interim ordinatus erat Ceadda in ſedem ejus.*

QUodam igitur tempore, adhuc Sancto Wilfrido Epiſcopo trans mare non veniente, Oſwin Rex, male ſuadente invidia, hoſtis antiqui inſtinctu, alium præarripere inordinate ſedem ſuam edoctus conſenſit ab his, qui quartadecimanam partem contra Apoſtolicæ ſedis regulam ſibi elegerunt, ordinanteſque ſervum Dei religioſiſſimum, & admirabilem doctorem de Hybernia inſula venientem nomine Ceadda, adhuc eo ignorante, in ſedem Epiſcopalem Eboracæ civitatis indocte contra Canones conſtituerunt. Veniente vero Sancto Wilfrido Epiſcopo, res ut erat male acta, non latuit. Revertens quippe ad ſedem cœnobialem Abbatis humiliter in HRypis III. annis reſedit, niſi quod frequenter ab Wlfario rege Merciorum ad officia diverſa Epiſcopalia in regione ſua cum vera dilectione invitatus eſt. Suſcitavit enim Dominus ſibi Regem hunc mitiſſimum, qui inter alia bona in diverſis locis multa ſpatia terrarum pro animæ ſuæ remedio Epiſcopo conceſſit, in quibus mox monaſteria ſervorum Dei conſtituit. Ecbertus quoque Rex Cantuariorum religioſus, Pontificem noſtrum ad ſe accerſivit, & illic Presbyteros multos, (ex quibus unus erat Puta, qui pro eo Epiſcopatum accepit) & non paucos Diaconos ordinavit. Deuſdedit enim Epiſcopus poſt Honorium Archiepiſcopum diem obiit, ideo autem venerabiliter vivens, omnibus carus, Epiſcopalia officia per plura ſpatia agens cum cantoribus Ædde & Æona, & cæmentariis, omniſque pene artis miniſterio, in regionem ſuam revertens cum Regula Benedicti, inſtituta Eccleſiarum Dei bene melioravit. Tunc ergo in illis regionibus ſancto Epiſcopo, ſicut Paulo Apoſtolo, magnum oſtium fidei Deo adjuvante apertum eſt.

XV. *De eo quod iterum in ſedem ſuam conſtitutus eſt.*

POſtquam ergo tribus annis tranſactis Theodorus Archiepiſcopus de regione Cantuaria veniens ad Regem Deirorum & Bernicorum, ſtatuta

Apoſtolicæ ſedis, unde emiſſus venerat, ſecum deportans; primoque ingreſſu illius regionis rem contra Canones male geſtam à veris teſtibus audivit, quod prædonis more Epiſcopus alterius Epiſcopi ſedem præripere auſus ſit; indigneque ferens, Ceaddam Epiſcopum de aliena ſede juſſit deponi. Ille vero ſervus Dei verus, & mitiſſimus, tunc peccatum ordinandi à Quartadecimanis in ſedem alterius plene intelligens, pœnitentia humili ſecundum judicium Epiſcoporum confeſſus emendavit, & cum conſenſu ejus in propriam ſedem Eboracæ civitatis Sanctum Wilfridum Epiſcopum conſtituit. Tunc Sanctus Pontifex noſter ſecundum præceptum Domini, non malum pro malo, ſed bonum, ut David Saüli, pro malo reddens, qui dixit: *Non mittam manum meam in Chriſtum Domini.* Sciebat ſub Wlfario Rege Merciorum, fideliſſimo amico ſuo, locum donatum ſibi in Licetfelda, & ad Epiſcopalem ſedem aut ſibi, aut alio cuicunque voluiſſet dare paratum: ideoque pacifice inito conſilio cum vero ſervo Dei Ceadda, in omnibus rebus Epiſcopis obediente, per omnes gradus Eccleſiaſticos ad ſedem prædictam plene eum ordinaverunt, & honorifice rege ſuſcipiente eum, in locum prædictum conſtituerunt. Ibique benedicte in vita ſua multa bona perficiens, tempore opportuno in viam patrum exegit, expectans diem Domini in judicio venturo, ut credimus ſibi mitiſſimum, ſicut dignum eſt.

XVI. *De renovatione Baſilicæ in Euroica civitate.*

IGitur ſupradicto Rege regnante, beatæ memoriæ Wilfrido Epiſcopo Metropolitano Eboracæ civitatis conſtituto, Baſilicæ oratorii Dei, in ea civitate à ſancto Paulino Epiſcopo in diebus olim Eadwini Chriſtianiſſimi Regis primo fundatæ, & dedicatæ Deo, officia ſemiruta lapidea eminebant. Nam culmina antiquata tecti diſtillantia, feneſtræque apertæ, avibus nidificantibus intro, & foras volitantibus, & parietes incultæ, omni ſpurcitia imbrium, & avium, horribiles manebant. Videns itaque hæc omnia ſanctus Pontifex noſter ſecundum Prophetam Danielem, *horruit ſpiritus ejus*, in eo quod domus Dei & orationis quaſi ſpeluncam latronum factam agnovit, & mox juxta voluntatem Dei emendare excogitavit: Primum culmina corrupta tecti renovans, artificioſe plumbo puro tegens, per feneſtras introitum avium & imbrium vitro prohibuit, per quod tamen intro lumen radiebat. Parietes quoque lavans ſecundum Prophetam, *ſuper nivem dealbavit*, eam enim non ſolum domum Dei, & altare, in varia ſupellectili vaſorum intus ornavit, verum etiam deforis multa territoria pro Deo adeptus, terrenis opibus paupertatem auferens copioſe ditavit. Tunc ſententia Dei de Samuele, & omnibus Sanctis in eo implebatur, *qui*, inquit, *me honorificat honorificabo eum*, erat enim Deo & omni populo carus, & honorabilis.

XVII. *De Ædificatione Baſilicæ in Hrypis & dedicatione ejus.*

CReſcebat ergo cum ſeculari ſumptu, Deo donante, Pontifici noſtro, amico Sponſi Æternalis, magis ac magis ardentiſſimus amor ſponſæ virginis uni viro deſponſatæ, de matre omnium bonorum progenitæ: quam diſciplinæ moribus quaſi floribus virtutum, caſtam & pudicam, continentem & modeſtam, *circumamictam varietate*, ſubjectam pulchre adornavit, ſecundum Prophetam, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Sicut enim Moyſes tabernaculum ſeculare manu factum, ad exemplar in monte monſtratum à Deo, ad concitandam Iſraelitico populo culturæ Dei fidem, diſtinctis variis coloribus ædificavit: ita vero beatiſſimus Wilfridus Epiſcopus thalamum veri ſponſi & ſponſæ, in conſpectu populorum corde credentium & fide confitentium, auro, & argento, purpuraque varia mirifice decoravit: nam in Hrypis Baſilicam polito lapide à fundamentis

 in

in terra uſque ad ſummum ædificatam, variis columnis & porticibus ſuffultam in altum erexit, & conſummavit. Jam poſtea perfecta domu, ad diem dedicationis ejus invitatis Regibus Chriſtianiſſimis, Ecgfrido, & Ælwino fratribus, cum abbatibus, præfectiſque & ſubregulis, totiuſque dignitatis perſonis, ſimul in unum convenerunt; conſecrantes, ſecundum ſapientiſſimum Salomonem, domum Domino in honorem Sancti Petri Apoſtolorum Principis dicatam; preceſque in ea populorum ſuffragantium; altare quoque cum baſibus ſuis Domino dedicantes, purpuraque aurotexta induentes, populique communicantes omnia canonice compleverunt. Stans itaque Sanctus Wilfridus Epiſcopus ante altare converſus ad populum, coram Regibus enumerans regiones, quas ante Reges pro animabus ſuis, & tunc in illa die cum conſenſu, & ſubſcriptione Epiſcoporum & omnium Principum illi dederunt, lucide enuntiavit, nec non & ea loca ſancta in diverſis regionibus, quæ Clerus Britonum, aciem gladii hoſtilis manu gentis noſtræ fugiens, deſeruit. Erat quippe Deo placabile donum, quod religioſi Reges tam multas terras, Deo ad ſerviendum, Pontifici noſtro conſcripſerunt: & hæc ſunt nomina regionum, juxta Rippel, & in Gaedyne & in regione Dunitinga, & in Caetlevum, in cæteriſque locis. Deinde conſummato ſermone, magnum convivium trium dierum & noctium Reges cum omni populo lætificantes, magnanimes in hoſtes, humiles cum ſervis Dei, inierunt. Addens quoque Sanctus Pontifex noſter inter alia bona ad decorem domus Dei, inauditum ante ſeculis noſtris quoddam miraculum. Nam quatuor Evangelia, de auro puriſſimo in membranis depurpuratis, coloratis, pro animæ ſuæ remedio ſcribere juſſit; nec non & Bibliothecam librorum eorum omnem de auro puriſſimo, & gemmis pretioſiſſimis fabrefactam, compaginare incluſores gemmarum præcepit; quæ omnia, & alia nonnulla, in teſtimonium beatæ memoriæ ejus, in eccleſia noſtra uſque hodie reconduntur, ubi reliquiæ illius requieſcunt, & ſine intermiſſione quotidie in orationibus nominis ejus recordantur.

XVIII. *De eo quod infantem reſuſcitavit.*

Mirabilis eſt Dominus in Sanctis ſuis, & clarificatus in virtutibus eorum, olim jam in veteri lege ſervos Dei varios virtutes per Deum feciſſe legimus; ſicut Helias, & Heliſæus ſervi Dei mortuos ſuſcitaverunt; Ita & Apoſtoli Chriſti, magiſtri exemplum ſequentes, ſecundum promiſſum ejus omnes varios languores in nomine ejus depulerunt, & nunc eodem modo à ſubſecutoribus illorum, è quibus unus eſt Sanctus Pontifex noſter, ad Dei gloriam infirmitate proſtrati ſanantur. Nam quadam die Sancto Wilfrido equitante, & pergente ad varia officia Epiſcopatus ſui, Baptizandi utique, & cum manus impoſitione confirmandi populos; inter eos quædam mulier in villa, quæ dicitur Ontiddanufri, inventa eſt amaro animo ſuſurrans, mœrore & onere fatigata. Habens enim infantem primogenitum ſuum mortuum, ſub ſinu pannis involutum, ejus cadaveris mortui faciem inter alios ad confirmandum Epiſcopo revolvit, volens ſic poſſe vivificare. Ille vero Sanctus Epiſcopus noſter, ſtatim ut vere mortuum eſſe intellexit, aliquantulum tamen moratus quid de eo eſſet agendum. At illa mater coram facie agnoſcentis cecidit in terram flens amare, & adjuravit eum audaciter, ut in nomine Domini Dei cum ſua ſanctitate filium ſuum ſuſcitaret, & Baptizaret, de oreque leonis liberaret. His & aliis verbis magis & magis non ceſſavit adjurare per omnes ſanctitates Epiſcopi, genuflectens, & pedes ejus amplectens deoſculabatur, lachrymiſque amariſſimis irrigavit dicens: *O ſanctiſſime, noli orbatæ mulie-*

ris

ris fidem extinguere. Sed credulitatem meam adjuva, ſuſcita eum & baptiza, tibi enim & Deo vivet in virtute Chriſti, ne dubites. Tunc ille ſanctus vir indubitata Chriſti virtute, & fidem ejus ſecundum Syrophœniſſam mulierem audiens, oratione facta manum ponens ſuper cadaver mortui, ſtatim reſpiravit, & ſpiritum vitæ recepit, reſuſcitatum itaque & baptizatum matri infantem reddidit, præcipiens ei in nomine Domini, ut ſibi filium ſuum in ſeptima annorum ætate Deo ad ſerviendum redderet. Quod mulier malevola, ſuadente marito, videns elegantem puerum, contemſit, fugiens de terra ſua. Quem præfectus Epiſcopi, nomine Hocca, latentem ſub alis Britonum quæſitum invenit, & coacte abſtraxit, ad Epiſcopumque contulit. Erat autem puer cognomine Eadwald & agnomine filius Epiſcopi, vivens in Dei ſervitio in HRypis, uſque dum in mortalitate magna diem obiit. O quam magna, & mirabilis miſericordia Dei! qui per famulum ſuum venerandæ mentionis infantulum defunctum, & non baptizatum, ideo in hanc vitam revocavit, ut baptizatus vitæ perenni viveret futuræ beatitudinis.

XIX. *De victoria Regis in feroces Pictos.*

IN diebus autem illis Ecgfridus Rex religioſus cum beatiſſima Regina Adelreda, cujus corpus vivens ante impolutum, poſt mortem incorruptum manens adhuc demonſtratur; ſimul in unum Wilfrido Epiſcopo in omnibus obedientes facti, pax & gaudium in populis, anni frugiferi, victoriæque in hoſtes Deo adjuvante ſubſecutæ ſunt. Sicut enim juvenis Joas Rex Juda, Joada ſacerdote magno vivente adhuc, Deo placuit, & in hoſtes triumphavit; mortuo vero ſacerdote, Deo diſplicuit, & in hoſtes triumphare deſiit, & regnum minuit: Ita Ecgfrido Rege in concordia Pontificis noſtri vivente, ſecundum teſtimonium multorum, regnum per undique victorias triumphales augebatur; diſcordia vero inter eos poſita, & Regina ſupradicta ab eo ſeparata, & Deo dedicata, triumphare in diebus Regis deſivit. Nam in primis annis ejus, tenero adhuc Regno, populi beſtiales Pictorum feroci animo ſubjectionem Saxonum deſpiciebant, & jugum ſervitutis à ſe abjicere minabantur, congregantes undique de utribus, & folliculis Aquilonis innumeras gentes, quaſi formicarum greges in æſtate de tumulis ferventes, aggerem contra domum cadentem muniebant. Quo audito Rex Ecgfridus humilis in populis ſuis, magnanimus in hoſtes, ſtatim equitatu exercito præparato, tarda molimina neſciens, ſicut Judas Maccabæus in Deum confidens, parva manu populi Dei contra enormem & ſupra inviſibilem hoſtem cum Bernhaeth ſubaudaci Regulo invaſit, ſtragemque immenſam populi ſubruit, duo flumina cadaveribus mortuorum replens, ita (quod mirum dictu eſt) ut ſupra ſiccis pedibus ambulantes, fugientium turbam occidentes perſequebantur: & in ſervitutem redacti populi, uſque ad diem occiſionis Regis, ſubjecti jugo captivitatis jacebant.

XX. *De victoria adverſum Regem Merciorum.*

DEinde poſt hanc victoriam Rex Ecgfridus cum ſupradicto ſervo Dei juſtus, & ſanctus, regenſque populos, & validus ſicut David in contritione hoſtium, humilis tamen in conſpectu Dei apparens, & colla tumentium populorum, & ferocium Regum, audacior à Deo factus confringens, ſemper in omnibus Deo gratias agebat, nam Wlfarius Rex Merciorum ſuperbo animo & inſatiabili corde, omnes auſtrales populos adverſum regem noſtrum concitans, non tam ad bellandum, quam ad redigendum ſub tributo, ſervili animo, non regente Deo, proponebat. Ecgfridus vero Rex Deirorum, & Bernicorum, animo rigido, mente fideli, conſilio ſenum,

patriam cuſtodire, Eccleſias Dei defendere Epiſcopo docente in Deum confiſus, ſicut Barac & Debora, cum parili manu hoſtem ſuperbum invadens, Deo adjuvante cum parvo exercitu proſtravit, & occiſis innumeris Regem fugavit, regnumque ejus ſub tributo diſtribuit, &; eo poſtea quacumque ex cauſâ moriente, plenius aliquod ſpatium pacifice imperavit.

XXI. *De bonitate Pontificis noſtri.*

SIcut igitur Ecgfrido Rege religioſo regnum ad Aquilonem, & Auſtrum per triumphos augebatur: Ita beatæ memoriæ Wilfrido Epiſcopo ad Auſtrum ſuper Saxones, & Aquilonem ſuper Britones, & Scotos, Pictoſque regnum Eccleſiarum multiplicabatur; omnibus gentibus carus & amabilis, eccleſiaſtica officia diligenter perſolvebat, & omnibus locis presbyteros, & Diaconos ſibi adjuvantes abundanter ordinavit, inter ſeculares undas fluctuantes moderate novas Eccleſias gubernabat. Sicut enim unda convivii non demerſit, ita & abſtinentia in ſuperbiam non projecit. Quia in conviviis tam abſtinenter vivebat, ut nunquam ſolus, quamvis parviſſima phiala eſſet, potum conſumſiſſet, aut pro calore ſolis ſitiens, aut pro frigore hyemis fatigatus, ut multorum teſtimonio comprobatur. In vigiliis & orationibus, in lectione & jejuniis quis ſimilis ei inveniatur? corpus quoque integrum ab utero matris, ſicut coram fidelibus teſtatus eſt, ſine pollutione cuſtodivit: quod in aqua benedicta, & ſanctificata nocturnis horis indeſinenter æſtate & hieme conſuetudinarie lavavit, uſquedum Papa Apoſtolicæ ſedis beatæ memoriæ Johannes pro ætate ſua hujus laboris reſolutionem habere præcepit. Ideo namque pene omnes Abbates & Abbatiſſæ Cœnobiorum, aut ſub ſuo nomine ſecum ſubſtantias cuſtodientes, aut poſt obitum ſuum hæredem illum habere optantes voto voverunt: Principes quoque ſeculares viri nobiles filios ſuos ad erudiendum ſibi dederunt, ut aut Deo ſervirent, ſi eligerent; aut adultos, ſi maluiſſent, Regi armatos commendaret. Hæc autem omnia facem invidiæ & odii in pectoribus multorum, flante diabolo, accenderunt. Sanctus tamen Pontifex ſecundum egregium prædicatorem arma à dextris & à ſiniſtris, in proſperis & adverſis æquali lance patienter portabat, dans ſemper tam ſpiritualibus quam ſecularibus dona, & munera tam large ut nullus ei æqualis inveniebatur.

XXII. *De ædificatione domus Dei in Haguſtaldeſæ.*

ADhærebat igitur ſecundum Pſalmiſtam indeſinenter Domino, ponens in eum ſpem ſuam, reddenſque Domino vota ſua dulciſſima, qui ei omnia concedit. Nam in Haguſtaldeſæ adepta regione, & regina Æthildrite Domino dedicata, domum Domino in honorem beati Andreæ Apoſtoli fabrefactam fundavit: cujus profunditatem in terra cum domibus mirifice politis lapidibus fundatam, & ſuper terram multiplicem domum, columnis variis & porticibus multis ſuffultam, mirabilique longitudine & altitudine murorum ornatam, & variis linearum anfractibus viarum, aliquando ſurſum, aliquando deorſum, per cochleas circumductam, non eſt meæ parvitatis hoc ſermone explicare quod ſanctus ipſe Præſul animarum, à ſpiritu Dei doctus, opere facere excogitavit: neque ullam domum aliam citra Alpes montes talem ædificatam audivimus. Porro beatæ memoriæ adhuc vivens gratia Domini Acca Epiſcopus, qui magnalia ornamenta hujus multiplicis domus de auro, & argento, lapidibuſque pretioſis, & quomodo altaria purpura & ſerico induta decoravit, quis ad explanandum ſufficere poterat? redeamus ad propoſita.

XXIII. *De ſanato puero ſemivivo.*

CUm ædificantes namque cæmentarii murorum hujus domus altitudines, quidam juvenis ex ſervis Dei, de pinna enormis proceritatis elapſus ad terram, deorſum cadens in pavimentum lapideum, illiſus cecidit, confracta ſunt crura & brachia; omnibuſque membris diſſolutis ultima ſpiramina trahens jacebat, quem cito cæmentarii, ſecundum præceptum Sancti Pontificis lachrymantis in oratione, in feretro foras portabant, mortuum putantes: ſtatimque ſigno facto, tota familia ſimul in unum conveniens, & ſtans homo Dei in medio fratrum, dixit: Petamus omnes unanimiter Deum plena fide, ut animam hujus pueri in corpus emittat, & vivat ſicut Paulo Apoſtolo conceſſit. Orantes ergo Deum ut ne inluſor omnibus bonis in hoc ædificio gaudium victoris haberet, & flectentes genua ſecundum Heliam & Elizeum, oratione facta à ſancto Epiſcopo noſtro, & benedictione, ſpiritum vitæ recepit: & alligantes medici pannis oſſa confracta, de die in diem melioratus adhuc vivit, & multo tempore vixit, nomenque ejus eſt Bothelm, gratias agens Deo.

XXIV. *De invidia excitata contra Pontificem noſtrum, & de ſede ſua expulſo.*

INſidiator quaſi leo rugiens ſecundum Petrum Apoſtolum circumiit ovile Dei, quærens introitum die noctuque, vigilans ſemper primum militem fortiſſimum vincere concupiſcens, ut timidi facilius ſuperentur; conſueta arma arripiens, vaſa fragilia muliebria quæſivit, per quæ totum mundum maculavit frequenter. Nam Regis Ecgfridi Regina, nomine Irminburg, ſuadente diabolo, invidia tunc temporis torquebatur. Nam de lupa, poſt occiſionem Regis, agna Domini, & perfecta Abbatiſſa, materque familias optima commutata eſt. Jam namque de pharetra ſua venenatas ſagittas venefica in cor Regis, quaſi impiiſſima Jezabel prophetas Dei occidens, & Heliam perſequens, per auditum verborum emiſit, enumerans ei eloquenter Sancti Wilfridi Epiſcopi omnem gloriam ejus ſecularem, & divitias, nec non Cœnobiorum multitudinem, & ædificiorum magnitudinem, innumerumque ſodalium exercitum, regalibus veſtimentis & armis ornatum; talibus itaque jaculis cor Regis vulneratum, ambo calide quærentes ſanctum caput Eccleſiarum in ſuum interitum contemnere, donaque regum pro Deo a ſe audaciter fraudare; ad auxilium ſuæ veſaniæ Archiepiſcopum Theodorum cum muneribus, quæ excæcant etiam ſapientum oculos, quaſi Balach Balaam contra Dei voluntatem invitaverunt. Veniente vero Archiepiſcopo ad eos, quid mente agerent in contemtu ejus patefacientes, & ſine aliquo culpandi piaculo inique damnare (quod abſit) conſenſit. Nam tres Epiſcopos aliunde inventos, & non de ſubjectis illius parochiæ, in abſentia Pontificis noſtri in ſua propria loca Epiſcopatus ſui noviter inordinate ſolus ordinavit. Quo audito ſanctus Pontifex noſter Regem & Archiepiſcopum adiit, interrogans quid cauſæ eſſet, ut ſine aliquo delicti peccato ſuis ſubſtantiis à regibus pro Deo donatis prædonum more defraudarent. Illi reſponderunt famoſum verbum Pontifici noſtro coram omni populo, dicentes: nullam criminis culpam in aliquo nocendi tibi adſcribimus: ſed tamen ſtatuta de te judicia non mutamus. Ille vero Epiſcopus noſter tali judicio fraudabili non contentus, cum conſilio Coepiſcoporum ſuorum, judicium Apoſtolicæ ſedis magis elegit: Sicut Paulus Apoſtolus ſine cauſa damnatus à Judæis, Cæſarem appellavit. Deinde autem ſanctus Pontifex noſter converſus à tribunali regali, adulatoribus cum riſu gaudentibus dixit: Hoc anniverſario die, qui nunc ridetis in meam pro invidia condemnationem, tunc in veſtra confuſione amare flebitis. Et ſic ſecundum prophetiam

Sancti

Sancti evenit. Nam eo die anniverſario, Elfwini Regis occiſi cadaver in Eboricam delatum eſt, omnes populi amare lacrymantes, veſtimenta & capitis comam lacerabant, & frater ejus ſuperſtes uſque ad mortem ſine victoria regnabat.

XXV. *Quomodo Wilfridus ſpoliatus ſit.* ——

BEatæ memoriæ Wilfridus Epiſcopus præparans cum ſuis ſodalibus & Clero naves adſcendere, multa millia monachorum ſuorum ſub manu Epiſcoporum noviter ordinatorum relinquens, mœrentes & flentes, Dominumque indeſinenter deprecantes, ut ſuum iter in voluntate ejus dirigeret. Inimici vero noſtri Præſulis, malorum ſuorum memores, putantes in Auſtrum ad Quoentavic navigantem, & via rectiſſima ad ſedem Apoſtolicam pergentem, præmiſerunt nuntios ſuos cum muneribus ad Theodericum Regem Francorum, & ad Efruinum impium ducem, ut aut exilio majori damnarent, aut occiſis ſociis omni ſubſtantia ſua ſpoliarent. Deus autem de manu inimicorum, quaſi de manu Herodis liberavit eum. Nam eo tempore ſanctus Wulfridus Epiſcopus de Liccitfelda expulſus, ea via pergens venit in manus ſupradictorum inimicorum, quaſi in fauces leonis: captus ſtatim, & omni pecunia ſpoliatus, multiſque ex ſociis ſuis occiſis miſere ad extremum ſanctum Epiſcopum nudum dereliquerunt. Putabant enim, ut non erat, illum eſſe ſanctum Wilfridum Epiſcopum, errore bono unius ſyllabæ ſeducti.

XXVI. *Quomodo in Freis navigio pervenit.*

NAm è contrario Sanctus Pontifex noſter ſecundum deſiderium ejus, Zephyro flante vento, ab occidente temperanter verſis navium roſtris, ad orientem uſquedum in Freis proſpere cum omnibus pervenit; ibique gentilium copiis inventis, ab Algiſo Rege eorum honorifice ſuſceptus eſt. Tunc ſtatim Sanctus Pontifex noſter cum licentia Regis verbum Dei gentibus quotidie prædicavit, enuncians iis verum Dominum patrem omnipotentem, & Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, & ſpiritum ſanctum ſibi coæternum, & baptiſmum unum in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam poſt mortem in reſurrectione manifeſte docuit: & doctrina ejus ſecundum Paganos bene adjuvavit (erat enim in adventu eorum eo tempore ſolito amplius in piſcatione & in omnibus frugifer annus) ad Domini gloriam reputantes, quem ſanctus vir Dei prædicavit. Deinde eo anno accepta prædicatione omnes principes, exceptis paucis, & multa millia vulgi in nomine Domini baptizavit: & primum ibi, ſecundum Apoſtolum, fundamentum fidei poſuit, quod adhuc ſuperædificat filius ejus, in HRypis nutritus, gratia Dei Wilbrordus Epiſcopus, multo labore deſudans, cujus merces manet in æternum.

XXVII. *De eo quod pretium adpretiati Rex renuit.*

EOdem quoque tempore Efruinus, Dux Theoderici Regis Francorum, miſit nuntios ſuos cum literis ad Aldgelſum Regem Freis, ſalutans eum verbis pacificis, promittenſque ei ſub jurejurando modium plenum ſolidorum aureorum dare, pretium utique ſceleſte, ſi Wilfridum Epiſcopum aut vivum deductum, aut caput ejus occiſi ſibi emiſiſſet. Statimque Rex, præſentibus nobis, & nuntiis coram populo ſuo in palatio epulantibus, omnibuſque audientibus, legi literas juſſit: poſt lectam vero chartam, accipiens inter manus ſuas, cunctis videntibus diſcedens diſſipavit, & in ignem coram ſe ardentem projecit, dicens portitoribus: Enunciate Domino veſtro hoc modo me dicentem: ſic rerum Creator regnum & vitam

vitam in Deo ſuo perjurantis, pactumque initum non cuſtodientis ſcindens deſtruat, & conſumens in favillam devellat. Deinde autem nuntii cum confuſione à Rege non conſentiente piaculo ad Dominum ſuum, unde venerant, redierunt.

XXVIII. *Quomodo Daegberth, & Berchtere Reges duo ſuſceperunt eum.*

POſtquam Deo amabilis Pontifex noſter in Freis hiemaverat, populum multum Domino lucratus; verno tempore adveniente cœptum iter, Deo adjuvante, ad ſedem Apoſtolicam cum comitibus carpebat, veniens ad Francorum Regem nomine Daegberth, qui eum cum honore manſuetiſſime pro meritis ejus anteactis in eum ſuſcepit. Nam ſupradictus Rex in juventute ſua ab inimicis regnantibus in exilium [a] perditionis pulſus, navigando ad Hyberniam inſulam, Deo juvante, pervenit. Poſt annorum circulum, amici & propinqui ejus viventem & in perfecta ætate florentem à navigantibus audientes, miſêre nuntios ſuos ad Beatum Wilfridum Epiſcopum, petentes, ut eum de Scotia & Hybernia ad ſe invitaſſet, & ſibi ad Regem emiſiſſet; & ſic Sanctus Pontifex noſter perfecit, ſuſcipiens eum de Hybernia venientem, per omnia ditatum, & viribus ſociorum elevatum, magnifice ad ſuam regionem emiſit. Et hinc Rex beneficiorum ejus memor erat, diligenter poſcens, ut in regno ſuo Epiſcopatum maximum ad civitatem Streitburg pertinentem ſuſciperet: & eum nolentem accipere, cum muneribus & donis magnis, & cum Deodato Epiſcopo ſuo duce ad Apoſtolicam ſedem emiſit. Pergentes itaque Sancti Epiſcopi, viam Domino dirigente, pervenerunt ad Berchterum regem Campaniæ, virum humilem & quietum, & trementem ſermones Dei: qui peregrinos ſecundum præceptum Domini benigne ſuſcipiens, Sancto Pontifici noſtro enuntiavit, dicens: *De Britannia inimici tui nuntios ad me mittentes, ſuis ſermonibus ſalutantes me; & dona mihi maxima promittentes, ſi te ſubterfugientem (ut dixerunt) Epiſcopum angarizarem, & ad Apoſtolicam ſedem tendentem retinerem: quibus, tam nefariam rem renuens dixi: Fui aliquando in diebus juventutis meæ exul de patria expulſus, ſub Pagano quodam Rege Hunnorum degens, qui iniit mecum fœdus in Deo ſuo idolo, ut nunquam me inimicis meis prodidiſſet, vel dediſſet, & poſt ſpatium temporis venerunt ad Regem Paganum ſermone inimicorum meorum nuntii, promittentes ſibi dare ſub jurejurando ſolidorum aureorum modium plenum, ſi me illis ad internecionem dediſſet. Quibus non conſentiens dixit: ſine dubio dii vitam meam ſuccidant, ſi hoc piaculum facio, inritans pactum deorum meorum. Ego vero quanto magis qui Deum verum ſcio, animam meam, pro totius mundi lucro in perditionem non dabo?* Tunc vero Sanctum Pontificem noſtrum & ſuos ſocios cum honore & ducibus, ſicut eum Dominus ubique in peregrinatione protegens magnificavit, ad Apoſtolicam ſedem olim optatam in gratiarum actione emiſit.

XXIX. *Quomodo Beatiſſimus Agatho Apoſtolicæ ſedis Papa cum ſancta Synodo Pontificis noſtri ſcripta receperit.*

PErveniente igitur Deo amabili Wilfrido Epiſcopo proſpere cum omnibus ad ſedem prædictam, cauſa adventus ejus perlata urbe innotuit: quia eo tempore Coenwald religioſus Monachus à Sancto Theodoro Epiſcopo cum ſuis literis emiſſus Romam venit, & Beatum Agathonem Papam ſedis Apoſtolicæ rerum diſſenſio non latuit. Tunc vero congregantibus ſanctiſſimis Epiſcopis, & Preſbyteris plus quam L, in Baſilicam ſalvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ appellatur Conſtantiniana, Agatho autem ſanctiſſimus ac ter beatiſſimus Epiſcopus Sanctæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ in urbe Roma conſedentibus dixit.

[a] f. proditionis.

NOn credo latere veſtram Sanctam Fraternitatem, quamobrem ad hunc venerabilem conventum eam adſciverim, cognoſcere quippe veſtram reverentiam cupio, mecumque tractare, qualis in Eccleſiis Britanniæ inſulæ, per Dei gratiam ubi fidelium multitudo concrevit, nuper exorta diſſenſio, quæ ad nos tam per relationem exinde huc venientium, quam per ſcriptorum ſeriem perlata eſt.

Andreas reverentiſſimus Epiſcopus Oſtienſis, & Johannes Epiſcopus Portuenſis dixerunt: *Omnium quidem Eccleſiarum ordinatio in veſtræ Apoſtolicæ auctoritatis pendet arbitrio, qui vicem Beati Petri Apoſtolorum principis geritis, cui claves ligandi atque ſolvendi conditor atque redemptor omnium Chriſtus Dominus contulit. Verum erga quod nobis eſt injunctum ab Apoſtolica veſtra cenſura, ante hos dies, conſedentibus nobis una cum noſtris Coepiſcopis & conſamulis, relegimus ſingula ſcripta, quæ de Britannia inſula directi Apoſtolico veſtro Pontificatui detulerunt, tam eorum qui ex perſona Theodori reverentiſſimi Archiepiſcopi, illic ab Apoſtolica ſede olim directi, miſſa ſunt, aliorumve cum eiſdem ſcriptis relationes adverſus quemdam Epiſcopum ſubterfugientem, ut aſſerunt, quem huc veniſſe arbitrati ſunt; quam ea quæ à Wilfrido Deo amabili Epiſcopo Eboricæ Sanctæ Eccleſiæ oblata ſunt, qui de ſua ſede ejectus à prænominato ſanctiſſimo, Apoſtolicam ſedem appellans huc uſque pervenit: in quibus cum multas quæſtiones inferrent, neque ſecundum Sanctorum Canonum ſubtilitatem convictum de aliquibus facinoribus, & ideo non canonice dejectum reperimus; neque quælibet facinora perpetraſſe dictis propriis accuſatores ejus comprobare voluerunt, pro quorum flagitiis degradari debuiſſet. Potius autem & modeſtiam hunc tenuiſſe perpendimus, quod non ſeditioſis quibuſdam decertationibus ſeipſum implicuiſſet. Sed poſtquam de ſua ſede repulſus eſt, Coepiſcopis ſuis facti meritum innoteſcens memoratus Deo amabilis Epiſcopus Wilfridus, exinde ad hanc Apoſtolicam ſedem accurrit, in qua ſummi ſacerdotii principatum fundavit, qui ſuo ſanguine ſanctam Eccleſiam redemit omnipotens Chriſtus Dominus, & Principis Apoſtolorum auctoritate firmavit. Veſtri denique Apoſtolatus auctoritati conceſſum eſt, quid in hoc ordinare præcipiatis. Agatho Sanctiſſimus, ac ter Beatiſſimus Epiſcopus Sanctæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ urbis Romæ dixit: Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus Sanctæ Eboricæ Eccleſiæ præ foribus noſtri ſecretarii moratus, ad noſtrum ſecretarium juxta ſuam poſtulationem cum petitione, quam ſecum adferre dictus eſt ammittatur. Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus, dum venerabile ſecretarium ingrederetur dixit: Deprecor veſtram Pontificalem Beatitudinem ut meæ humilitatis detitionem excipi, coramque relegi præcipiatis. Agatho Sanctiſſimus Epiſcopus dixit: Wilfridi Deo amabilis Epiſcopi ejus petitio ſuſcepta coram omnibus relegatur, & accipiens Johannes notarius relegit Sancto & Apoſtolico Concilio.*

Hæc eſt petitio Wilfridi Epiſcopi.

VVIlfridus humilis & indignus Epiſcopus Saxoniæ, ad hoc Apoſtolicum faſtigium, tamquam ad locum munitum turremque fortitudinis, greſſus cordis[a] *ſui Deo præviante perduxi: quia unde normam ſacrorum Canonum in omnes Chriſti Eccleſias per totum orbem diffuſas manare cognoſco, ex eo meæ humilitatis juſtitiæ cenſuram confidenter præſtolor conſervari. Cognoviſſe quippe confido veſtrum Pontificale faſtigium, tam ex meæ parvitatis ſuggeſtione, quam quæ viva voce perſonaliter intimavi, & per ſatisfactionem petitionis ſcriptis narrantibus obtuli ejus Apoſtolicis obtutibus in ipſo mei adventus exordio præſentatus, quod nullam in me ſupplici canonicam culpam reperientes quidam mei Epiſcopatus invaſores, inlicita præſumtione, contra ſacrorum Canonum normas ac definitiones, in conventu Theodori Sanctiſſimi Archiepiſcopi Cantuariorum Eccleſiæ, aliorumque tunc temporis antiſtitum cum eo convenientium, ſedem, quam per decem & eo amplius annos cum Dei clementia diſpenſabam, raptorum more invadere atque eripere moliti ſunt, & in eadem ſede ſubſidere, & non ſolum unum, ſed tres in mea Eccleſia ſeſe promoverunt Epiſcopos, licet Canonica non ſit eorum promotio. Quid autem acciderit, ut Theodorus Sanctiſſimus Archiepiſcopus, me ſuperſtite, in ſedem, quam licet indignus diſpenſabam, abſque conſenſu cujuſlibet Epiſcopi, tres ſua auctoritate,*

a f. mei.

mea

mea humilitate non adquieſcente, ordinaret Epiſcopos, omittere magis quam flagitare pro ejuſdem viri reverentia condecet: Quem quidem, eo quod ab hac Apoſtolica ſede directus eſt, accuſare non audeo. Verum ſi claruit, quod contra jus regularium ſanctionum de diſpenſatione Eccleſiæ, cui licet indignus præeram, ab infeſtis propulſus ſum, ſine convictione cujuſpiam criminis, & abſque culpa facinoris, citra ullius delicti piaculum, quod Canonica percellit ſeveritas; & neque de priſtina ſede pulſus tumultuoſus cuiquam apparui, neque ſeditionis quæſtionem ſuccenſi, neque ambitioſis contentionibus obſtiti; ſed confeſtim hujus ſacro-ſanctæ ſedis appellavi ſubſidium, conſamulos atque conſacerdotes meos earundem provinciarum Epiſcopos tantummodo proteſtatus abſceſſi; ſiquidem præviderit veſtra Apoſtolica ſummitas una cum conſedentibus Sanctiſſimis Epiſcopis privatum me eſſe, qui pro nulla culpa convictus ſum, humili devotione quæ cenſentur amplector. Si autem & priſtinum Epiſcopatum[a] *percipere; ſequor, totiſque viribus veneror ab Apoſtolica ſede prolatam ſententiam: tantum ut invaſores de priſtinis parochiis Eccleſiæ, cui ego indignus veſter famulus præfui, veſtra ſynodali ſanctione pellantur. Et ſi rurſus in eadem parochia, cui præfui, Præſules adhibere providerit; ſaltem tales jubeas providere promovendos, cum quibus poſſim, pacifica atque tranquilla concordia inter nos obtinente, Deo unanimiter deſervire. Ut videlicet unuſquiſque noſtrum conceſſa Eccleſiæ jura cognoſcat, & vigilantiam ſibi commiſſis impertiat, ut ſi placuerit Archiepiſcopo & Coepiſcopis meis, ut augeatur numerus Epiſcoporum; tales eligant de ipſo Clero Eccleſiæ, quales in ſynodo placeat congregatis Epiſcopis: ut non à foris & alienis dominetur Eccleſia: quicquid enim confuſum & indiſcretum eſt, inextricabiles atque inexplebiles diſſenſiones exaggerat: nec valebit à quodam Pontifice ullatenus, de quo contenditur, diſpenſari. Confido enim, quod omnem devotæ obedientiæ obſequelam ſtatutis Apoſtolicis exhibebo: ad cujus æquitatem, omnibus abjectis, cum tota mentis confidentia properavi.*

XXX. *De reſponſione Agathonis.*

AGatho ſanctiſſimus ac ter Beatiſſimus Epiſcopus Sanctæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ urbis Romæ dixit: *non mediocriter audientibus ſatisfacit petitionis ſeries, quam Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus obtulit, in hoc, quod cum ſe indigne de Epiſcopali ſede ejectum agnoſcat, non contumaciter obſtitit ambientibus, nec vi vim repellere ſeculariter maluit: ſed humiliter ſentiens, auctoris noſtri Beati Petri Apoſtolorum principis Canonicum expetivit ſubſidium ſupplici præſtolatione; quæ ſuper eo cenſenda ſunt prompte ſuſcepturum pollicetur; nec ambigit de prolatione ſententiæ: ſed quæ terminantur amplectitur, integra fide ſe ſuſcepturum perhibens, quod noſtro ore auctor noſter Beatus Petrus Apoſtolus, cujus miniſterio fungimur, providerit ſtatuendum.*

XXXI. *De Reſponſione Synodi.*

UNiverſa ſynodus, quæ una cum Sanctiſſimo atque ter Beatiſſimo Agathone Apoſtolico Papa convenit, regulariter inter cætera definiens dixit: "Statuimus, atque decernimus, ut Deo amabilis Wilfridus Epiſcopus Epiſcopatum, quem nuper habuit, recipiat, ſalva definitione ſuperius ordinata, & quos cum conſenſu concilii ibidem congregandi elegerit ſibi adjutores Epiſcopos, cum quibus debeat pacifice converſari ſecundum regulam ſuperius conſtitutam, à ſanctiſſimo Archiepiſcopo promoti ordinentur, expulſis proculdubio eis, qui in ejus abſentia in Epiſcopatum innormiter miſſi ſunt. Si quis proinde contra horum ſtatutorum Synodalium decreta auſu temerario obſiſtere tentaverit, vel non obedientem ſuſceperit, vel poſt quodlibet temporis ſpatium, quiqui ſunt vel fuerunt, infringere ea in totum vel in partes tentaverit; ex auctoritate Beati Petri Apoſtolorum principis eum hac ſanctione percellendum cenſemus: ut, ſiquidem Epiſcopus eſt, qui hanc piam diſpoſitio-

[a] Deeſt *non cenſuerit*, vel aliquid tale.

 "nem

"nem temerare tentaverit, ſit ab Epiſcopali ordine deſtitutus, & æterni "anathematis reus: ſimiliter ſi Presbyter, aut Diaconus fuerit, vel inferioris gradus Eccleſiæ: ſi vero Clericus, Monachus, vel Laicus cujuſlibet ditionis, vel Rex, extraneus efficiatur à corpore & ſanguine ſalvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti; nec terribilem ejus adventum dignus "appareat conſpicere. Si quis vero hæc, quæ a nobis ſtatuta & definita "ſunt, cum ſincera devotione & perfecta ſatisfactione ſuſceperit, tenuerit, perfecerit; videat bona Domini in regione vivorum, conſorſque dextræ partis exſiſtat, ac æternam beatitudinem poſſideat, & illam beatificam vocem mereatur audire cum omnibus ſanctis, qui divino conſpectui "placuerunt, & æternam gloriam poſſederunt, audiens & ipſe pro obedientia, quam Deus præ omnibus ſacrificiis diligit, ab ipſo judice omnium Domino noſtro Jeſu Chriſto: *venite benedicti patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

XXXII. *De reditu Pontificis noſtri.*

TRanſactis itaque ibi multis diebus ſecundum Apoſtolicum imperium, & totius Synodi ſanctæ juſſu, patriam remeare, Judicia Apoſtolicæ ſedis ſcripta ſecum reportare, & ſancto Archiepiſcopo Theodoro, & Rege Ecgfrido oſtendere, Deo amabili Epiſcopo Wilfrido præceperunt. Ille vero ſanctus Pontifex noſter indubitata fide præceptis Apoſtolicæ ſedis, ſicut promiſerat, in omnibus humiliter obediens, circumiens loca ſanctorum ad orationem per plures dies, & reliquiarum ſanctarum ab electis viris plurimum ad conſolationem Eccleſiarum Britanniæ adeptus, nomina ſingulorum ſcribens, quæ cujuſque ſancti eſſent reliquiæ; multaque alia bona, quæ nunc longum erit enumerare, ad ornamentum domus Dei more ſuo lucratur; cum Apoſtolicæ ſedis & univerſæ ſanctæ Synodi benedictione, cum omnibus gaudens & lætus, ad regionem ſuam redire, & ad patriam pervenire, Deo adjuvante, incipiebat. Pergente ergo Sancto Præſule noſtro ab Apoſtolica ſede cum triumphali judicio per Campaniam, & montana tranſcendente, in regionem Francorum pervenit: ibique nuper amico ſuo fideli Daegbertho Rege per dolum Ducum, & conſenſu Epiſcoporum (quod abſit) inſidioſe occiſo: ex quibus unus cum ingenti exercitu obviavit, cogitans impie in corde ſuo inſidias, niſi Deus reſtitiſſet ei, ſodales ſuos omnes ſpoliatos, aut in ſervitutem redigere, aut vendere ſub corona, ſeu rebellantes occidere, atque Paſtorem ſanctum noſtrum anxiatum in cuſtodia uſque ad Efruini Ducis reſervare judicium, Interrogavitque eum Epiſcopus dicens: *Qua fiducia tam temerarie per Francorum regnum pergis, qui dignus es morte, quia nobis Regem ſubſidio tuo factum exilio emiſiſti; Diſſipator erat urbium, conſilia ſeniorum deſpiciens; populos, ut Roboam filius Salomonis, tributo humilians, Eccleſias Dei cum præſulibus contemnens: quorum malorum pœnas luens occiſus, cadaver ejus humatum jacet.* Sanctus vero Pontifex noſter humiliter reſpondit Epiſcopo: *Veritatem dico in Chriſto Jeſu, & per Sanctum Petrum Apoſtolum non mentior, quia talem virum exulantem, & in peregrinatione degentem, ſecundum Dei præceptum populo Iſraelitico, qui accola fuit in terra aliena, auxiliatus enutrivi, & exaltavi in bonum, & non in malum veſtrum: ut ædificator urbium, conſolator civium, conſiliator ſenum, defenſor Eccleſiarum Dei, in nomine Domini ſecundum promiſſum ejus eſſet. O rectiſſime Epiſcope, quid aliud habuiſti facere, ſi exul de genere noſtro & ſemine regio ad ſanctitatem tuam perveniret, quam quod ego in Domino feci? Reſpondit Epiſcopus: Dominus cuſtodiat introitum,* & reliqua. Et, *Væ mihi peccatori, da indulgentiam, quia, ſecundum Judam Patriarcham, video te multo juſtiorem me eſſe. Sit Dominus nobiſcum, & Sanctus Petrus Apoſtolus in auxilio veſtro.*

XXXIII. *De eo quod Rex contemſit judicia Apoſtolicæ ſedis.*

DEinde longa ſpatia terrarum peragrans, Dei adjutorio in navigio maris magnitudinem ſuperans, inlæſus cum omnibus evaſit ad regionem propriam, in ſubditorum ſuorum tædio languentium, & ad dominum cum lachrymis clamantium, gaudium maximum, vita comite veniens, vexillum victoriæ ferens, hoc eſt Apoſtolicæ ſedis judicium ſecum deportans, pacifice ſalutans Regem adiit, Regique humiliter ſcripta Apoſtolicæ ſedis judicia cum totius ſynodi conſenſu & ſubſcriptione oſtendens, cum bullis & ſigillis ſignatis reddidit: deinde omnibus Principibus ibidem habitantibus, nec non ſervis Dei in locum ſynodalem accerſitis, ad audienda ſalutifera conſilia, ab Apoſtolica ſede cauſa pacis eccleſiarum tranſmiſſa. Poſtquam vero quædam difficilia ſibi, & ſuæ voluntati contraria lecta audiverunt, contumaciter quidam ex eis reſpuerunt. Inſuper (quod exſecrabilius erat) defamaverunt in animarum ſuarum perniciem, ut pretio dicerent redempta eſſe ſcripta, quæ ad ſalutem obſervantium ab Apoſtolica ſede deſtinata ſunt. Tum vero juſſione Regis & ejus conſiliatorum, cum conſenſu Epiſcoporum, qui ejus Epiſcopatum tenebant, in cuſtodiam ducere, & novem menſes ſine ullo honore cuſtodire cenſuerunt. Jamjamque Rex (ut diximus) ſcriptis Apoſtolicæ ſedis apertis & recitatis (quod dictu horribile erat) Petri Apoſtoli, & Apoſtolorum Principis, qui habet à Deo ſolvendi ligandique poteſtatem, cum adulatoribus ſuis iratus judicia contemnens, ſanctum famulum Dei ſpoliatum ſeorſum in cuſtodia in ſuo ſolo veſtimento cuſtodire, & omnes ſubjectos ejus diſperſos per compita viarum, nullumque ad ſe ex amicis ejus adire, per ſalutem ſuam jurans auſtere præcepit. Regina vero ejus olim ſuprafata Chriſmarium hominis Dei ſanctis reliquiis repletum (quod me enarrantem horruit) de ſe abſtractum in thalamo ſuo manens, aut curru pergens juxta ſe pependit. Quod Reginæ, ſicut [a] Philiſtæis fugato populo Iſraelitico, arcamque Dei [b] captantibus, Sancta Sanctorum per civitates ſuas reducentibus; omnino in malum accidit.

XXXIV. *De hortatione ſociorum.*

LOcutuſque eſt Deo amabilis Wilfridus Epiſcopus ſociis ſuis, Dicens: *Habete in mente, & fratribus meis dicite dies antiquos, quomodo legimus in veteri lege Patriarchas Deo amabiles, & Iſraelem primogenitum ejus per* CCCC. *annos & amplius de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum, expectantes repromiſſionem, & non deſperantes, pertranſiſſe: nec non Moſes & Aaron, & omnes Prophetæ Dei, varias ab hominibus perſecutiones, ſperantes in Domino, perpeſſi ſunt. Legimus quoque in novo Teſtamento Paſtorem magnum ovium & totius Eccleſiæ caput Jeſum Chriſtum à Judæis crucifixum, & diſcipulos ſuos diſperſos, & poſtea per totum mundum cum ſuis ſubſecutoribus in variis tentationibus coronatos, non obliviſcentes conſolationis quæ tamquam filiis loquitur dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Ideo enim fratres & adjutores mei in Chriſto, ſecundum egregium doctorem, nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.*

XXXV. *De domo inluminata à Deo.*

FInito igitur ſermone conſolationis, duces regis tenentes juſtum doctorem diſciplinæ Dei, & ducentes quaſi ovem ad occiſionem, qui non aperuit os ſuum, ad præfectum nomine Osfrid, qui præerat in Broninis

a f. Philiſtæi. *b* In MSS. *captantes* & *reducentes*, & ita ſcripſerat Heddius.

urbe regis, ante eum ſtatuerunt, præcipientes ei ſermone regis, ut Pontificem noſtrum locis tetra caligine obſcuratis, nullo amicorum ſciente, diligenter cuſtodiret eum: qui tunc ob maxima fidei merita lumen Britanniæ dici potuit. Comes autem ſupradictus Regi fidelis, juſſu ejus urgente, in latebroſis locis, ubi raro ſol per diem inluxit, & lampas in horrorem noctu non accenditur, cum cuſtodibus ſervabat. Cuſtodes vero jugiter Pſalmodiam ſancti hominis Dei audientes, & videntes in obſcura nocte domum intus lucentem, quaſi per diem; omnibus ſanctitatem ejus narrantes timore ſtupefacti [terrorem] incuſſerunt. *O Lumen æternum Chriſte, qui nunquam deſeris confidentes in te, ſed qui lux vera crederis, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum! qui, in primordio nativitatis futuri famuli tui, horam, qua de vulva matris egrediebatur, igneo ſplendore conſignabas; nunc in antro nimiæ obſcuritatis oranti lucem Angelicæ viſitationis adhibere dignatus es, ſicut Petro Apoſtolo tuo ab Herode impio Rege catenato in carcere; Angelus vero Domini adſtitit, & lumen refulſit in habitaculo; ſit tibi gloria & gratiarum actio.* In ipſo ergo temporis ſpatio, quo eum detentum in cuſtodia ſine aliquo honore Rex habuit; Epiſcopatum ex parte quem prius poſſidebat, & dona alia non mediocriter promittebat, ſi juſſionibus & cenſuris ejus acquieſcere voluiſſet; & ſtatuta canonica, quæ ab Apoſtolica ſede miſſa ſunt, eligeret denegare vera eſſe. Ille ad hæc humiliter, & tamen cum fiducia Apoſtolicæ auctoritatis reſpondit, prius ſe capite truncandum eſſe, quam id unquam confiteri velle. Ecce bona voluntas, quæ Dominum novit, immutari non poteſt.

XXXVI. *De ſanata muliere.*

MAnente itaque ſancto Pontifice noſtro patienter in cuſtodia carceris, ſic Dei virtutibus declaratus erat; ſicut Johannes Apoſtolus & Evangeliſta in Pathmos inſula à Cæſare relegatus vidit magnalia Dei: nam eo tempore, ut diximus, anxiato ſancto Pontifice noſtro, mulier Præfecti hujus urbis extemplo alligata languore, totis membris diſſolutis rigida, frigido corpore, clauſis oculis, ſpumantique ore ultima ſpiramina vitæ de pectore inſenſata trahebat? Vir vero ejus videns ſtatim morientem mulierem, feſtinanter cucurrit ad ſanctum Pontificem noſtrum, ſicut Centurio ad Dominum; genuflectens & peccata ſua deplorans, & Regis in eum commiſſa confitens; Adjuravit eum in nomine Domini, ut ſibi non merenti & mulieri morienti ſubveniret. Sanctus autem Pontifex noſter immemor malorum, ſicut Joſeph ductus de carcere, miſeram adiit, ſtans ſuper eam aqua benedicta faciem adſpergens: & oratione facta, Dei auxilium implorans, os ejus guttatim aqua benedicta madefactum irrigavit: deinde autem eructante, & longa ſuſpiria trahente, apertis oculis ſenſum vitæ & intelligentiæ recepit, & poſt paululum calefactis membris, capite elevato, lingua movente loquebatur, gratias agens Domino, ſicut ſocrus Petri ſanata, ſancto Pontifici noſtro honorifice miniſtravit: & adhuc vivens illa, nunc ſancta-monialis materfamilias, nomine Æbbe, cum lacrymis hoc narrare conſuevit.

XXXVII. *De eo quod vincula de ſe cadebant.*

PRæfectus vero ſuprafatus ſanctum Præſulem noſtrum in honore habere propter timorem Regis diutius non morari auſus, & propter ſanctitatem ejus Dei iram timens, in nullam contumeliam ponere maluit, mittens nuntios ad Regem, dicens: Adjuro te per vitam meam & ſalutem tuam, ut ne me cogas hunc ſanctum Epiſcopum, & innocentem in perditionem meam diutius punire: quia magis eligo mori, quam eum innoxium flagellare. Quo audito Rex iratus juſſit duci in urbem ſuam [a] Dyunbaer,

[a] *Al.* Dynb.

baer, ad Præfectum nomine * Tiidlin quaſi ferociorem: Præcipienſque ei, ut hunc talem virum & tantum Pontificem, in compedibus & manicis alligatum, ſeorſum ab hominibus ſeparatum cuſtodiret. Ille vero præcepto regis coactus, vincula ferrea fabros facere juſſit: qui ſine cauſa opus diligenter in membra ſancti confeſſoris noſtri metientes facere inchoabant, Deo eis reſiſtente, nam ſemper aut coanguſta & anxiata vincula circumamplectere membra non potuerunt: aut tam dilata & laxata, ut de pedibus evangelizantis, & de manibus baptizantis reſoluta caderent. Et ideo timidi facti ſine vinculis hominem Dei ſemper pſallentem & Deo gratias agentem, ſecundum Apoſtolum ad Hebræos, dicentem: magnum certamen ſuſtinens paſſionum, in opprobriis ſpectaculum factus, & rapinam omnium bonorum ſuorum ſuſcipiens; & his à contribulibus ſuis illatis: atque ad tempus à Deo definitum inviti ſeorſum cuſtodiebant.

XXXVIII. *De Regina flagellata, & ſanata.*

NAm interim rex cum Regina ſua per civitates & caſtella, vicoſque, quotidie gaudentes & epulantes, in pompa ſeculari circumeuntes, quodam tempore ad Cœnobium, quod Colodesburg dicitur, pervenerunt, cui præſidebat ſanctiſſima materfamilias, nomine Æbbe, ſoror Oſwini regis ſapientiſſima. Illic enim Regina ea nocte abrepta à dæmone, ſicut uxor Pilati multis flagellis defatigata, vix diem vivens expectavit. Craſtina vero die elucente, mox ſapientiſſima materfamilias veniens ad Reginam, contractis membris ſimul in unum ſtricte alligatam, & ſine dubio morientem videns, Regem adiit, Regique memorat lacrymabili voce, unde hoc miſerabile malum ſecundum ſuam intelligentiam ei eveniſſet; dicens audaciter: Ego ſcio, & vere ſcio, quod Deo amabilem Wilfridum Epiſcopum ſine alicujus ſceleris piaculo de ſede Epiſcopatus abjeciſti, & exilio expulſus ſedem Apoſtolicam adiit; & inde reverſum cum ſcriptis Apoſtolicæ ſedis, quæ habet cum ſancto Petro Apoſtolo poteſtatem ligandi & ſolvendi, inſipienter contemnens ſpoliaſti; dum & mala malis addens, in carcerem Sanctum concluſiſti. Et nunc, fili mi, ſecundum conſilium matris tuæ fac, diſrumpe vincula ejus, & ſanctas reliquias, quas regina de collo ſpoliati abſtraxit, & in perniciem ſui, ſicut arcam Dei, per civitates ducens, per fidelem nuntium dimitte ei: & ſi nolueris (quod optimum eſt) illum in Epiſcopatu habere, dimitte eum liberum de regno tuo cum ſuis, quocunque voluerit abſcedat. Tunc ſecundum meam fidem vita vivet Regina, & non morietur: ſin vero hoc renueris, Deo teſte non eritis impuniti. Jam enim Rex obediens matri caſtiſſimæ factus eſt, & ſanctiſſimum ſacerdotem noſtrum reſolutum, cum ſanctis reliquiis, & ſuis ſociis congregatis, à ſe libere diſcedere conceſſit, & Regina ſanabatur.

XXXIX. *De eo quod Beorthvald ſuſcepit eum.*

PRoficiſcente ergo Deo amabili Wilfrido Epiſcopo cum ſuis ſodalibus, patria rura deſerens, auſtralia regna in exilio quærens; Dominus, qui ſanctis ſuis in tentationibus adeſt, Præfectum virum nobili genere, & nomine Beorthvald, filium fratris Ethelredi Regis Merciorum, mitiſſimo animo in obviam emiſit: & ſtatim ut vidit tam honorabiles homines, & cauſas peregrinationis ſancto Doctore noſtro revelante audivit, adjurans in nomine Domini manere ſecum, & partem territorii ſui ad habitandum in eo ſervos Dei cum omni diligentia popoſcit. Sanctus vero Præſul noſter gratias agens Deo, quod aliquod ſolatium requiei dediſſet; ſtatim in eo territorio pro Deo donato Monaſteriolum fundavit, quod adhuc uſque hodie Monachi ejus poſſident. Deinde, vigilante antiqui hoſtis invidia,

* Al. Tydlin.

invidia, Ethelredus rex, & Regina ſua ſoror Ecgfridi Regis, audientes hominem Dei de patria expulſum, & illic manentem, & modicum quieſcentem; præfecto viro Beorthvaldo in ſua ſalute interdicunt, ut ſub eo unius diei ſpatium eſſet, pro adulatione Ecfridi Regis. Deinde cum odio Pontifex noſter expulſus, manentibus tamen illic Monachis ſuis, Regem Weſtſexna adiit, nomine Centwini; per parvumque ſpatium pro ſubſequente perſecutione ibi manebat. Nam illic Regina, ſoror Irmenburgæ Reginæ, odio oderat eum, uti propter amicitiam regum ſupradictorum trium dehinc fugatus abſceſſit.

XL. *Quomodo in Selæſia Paganos convertit ad dominum.*

QUid igitur magis moror in verbis? relaxata cuſtodia, de propria provincia expulſus erat, ita ut nec in aliena regione ultra vel citra mare, ubi poteſtas Ecfridi prævaluit, requiem habere permiſerit: ſed ſine intermiſſione perſecutionem, quam in eum exercuit, in unaquaque regione, in qua diſponebat manere, jugiter commovere non ceſſavit. Tunc vero gentis noſtræ quædam provincia gentilis uſque ad illud tempus perſeverans vixit, quæ pro rupium multitudine & ſilvarum denſitate, aliis provinciis inexpugnabilis reſtitit; & ad illos paganos in Southſexum, Deo dirigente viam, & humano auxilio ceſſante, ſanctus Epiſcopus noſter confugit. Invento itaque Rege eorum, cujus nomen erat Ethelwalch, totius exilii ſui auſteritatem per ordinem enarravit. Cui ſtatim Rex ſub federe pacis talem amicitiam promiſit, ut nullus inimicorum ejus, aut minaci hoſtis gladio belligerantis ſibi terrorem incuteret, aut munerum & donorum magnitudine pactum initum federis ſecum inritaret. Sanctus vero homo Dei gaviſus in verbis conſolationis, gratias agens Deo, primum Regi & Reginæ verbum Dei & regni ejus beatitudinem & magnitudinem leniter ſuadens, quaſi lac ſine dolo dediſſet, prædicare cœpit: deinde poſtea cum conſenſu Regis, Deo concedente, & ex oratione Pontificis ſancti noſtri, gentes, quibus ante prædicatum non erat, & nunquam verbum Dei audierant, congregatæ ſunt. Stans itaque ſanctus Wilfridus Epiſcopus noſter in medio gentilium, ſecundum exemplum Domini noſtri Jeſu-Chriſti & præcurſoris ejus, dixit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum Cœlorum. Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti*, & cætera; per plures menſes longo ambitu verborum ab exordio mundi Omnipotentis Dei facta in contemtum idololatriæ eleganter enumerans uſque ad diem judicii, ubi pœna æterna peccatoribus, & electis Dei vita perpetua præparabitur; ſuaviloqua eloquentia omnia mirabiliter per ordinem prædicavit Prædicator Evangelicus, Tunc quippe ſanctus Pontifex noſter à Deo miſſus invenit gratiam in conſpectu regis, & oſtium magnum fidei, ſecundum Apoſtolum, apertum erat ei; & Paganorum utriuſque ſexus, quidam voluntarie, alii vero coacti Regis imperio, idololatriam deſerentes, Dominum Potentem confitentes, ſicut per Beatum Petrum Apoſtolum in una die multa millia, baptizati ſunt, Rex namque mitis & pius per Dominum factus, villam ſuam propriam, in qua manebat, ad Epiſcopalem ſedem, cum territoriis poſtea additis LXXXVII manſionum Selæſiæ, ſancto novo Evangeliſtæ & Baptiſtæ, qui ſibi ſuiſque cunctis vitæ perpetuæ viam aperuit, concedit: ibique fratribus ſuis congregatis Cœnobium ad requiem fundavit, quod uſque hodie ſubjecti ejus poſſident.

XLI. *De Cedvala Rege facto.*

IN diebus quoque illis per Pontificem noſtrum populus Eccleſiæ Dei copioſe de die in diem creſcens, & nominis ejus gloria magnifice clare-

ſcens

ſcens, venit quidam exul nobili genere de deſertis Ciltinæ & Ondred, nomine Cedvala, ſancti parentis noſtri amicitiam diligenter poſcens, ut ei eſſet in doctrina & auxilio pater fidelis, & ei ille filius obediens, voto vovens promiſit; quo pacto inito, teſte Deo, veraciter compleverunt. Nam ſanctus Antiſtes Chriſti in nonnullis auxiliis & adjumentis ſæpe anxiatum exulem adjuvavit, & confirmavit, uſquedum corroboratus ſpernens inimicos regnum adeptus eſt. Quippe regnante Cedvala, occiſis & ſuperatis inimicis ejus, totam Weſtſexna regionis monarchiam tenens, ſtatim ſanctum Wilfridum Epiſcopum noſtrum, gentilem populum Southſexum bene ad Dominum convertentem, & nomen Domini per ſe magnifice glorificantem, patrem ſuum venerabilem, & ſuper omnes cariſſimum ad ſe venire humiliter accerſivit: jam jamque ſancto & venerabili patre noſtro veniente, rex Cedvala in omni regno ſuo excelſum conſiliarium mox illum compoſuit, ſicut Pharao rex Ægypti Joſeph de carcere deducto ſecundum Prophetam dicentem: *Conſtituit eum dominum domus ſuæ*, uſque, *prudentiam doceret*. Tunc vero Rex Cedvala triumphalis, ſancto Pontifici noſtro per Dominum elevato, &, innumeris terrarum partibus & muneribus donorum ſecundum deſiderium animæ ſuæ pro Deo donatis, magnifice patre ſuo honorificato, regnum ſuum, aut in acie gladii, aut fœdere indultor pacis, inlæſum audaci animo tuebatur.

XLII. *De pace Pontificis noſtri, & Theodori Archiepiſcopi.*

EOdem quoque tempore Theodorus, gratia Dei Archiepiſcopus, auctoritatem Apoſtolicæ ſedis, à qua miſſus erat, metu agitante honorificans, cum Beato Wilfrido Epiſcopo noſtro diu exule ſpoliato vere amicitiam inire diutius moratus non diſtulit. Nam cum Theodorus Archiepiſcopus in ſenecta uberi frequenti infirmitate anxiatus eſt, ad Londoniam civitatem Wilfridum, & Ercenwoldum ſuos Epiſcopos ad ſe invitavit: venientibus autem illis Archiepiſcopus ſapienter totius vitæ ſuæ curſum cum confeſſione coram Domino pure revelavit, dicens: & "hoc maxime ſcrupulum me premit, quod in te, ſanctiſſime Epiſcope, com-"miſi, conſentiens Regibus, ſine cauſa peccati, propriis ſubſtantiis ſpolian-"tibus te, &, mœrentibus ſubjectis tuis, in longum exilium exterminantibus "(heu pro dolor) omnis mali. Et tunc confiteor Domino & Sancto Pe-"tro Apoſtolo; & vos, ſancti Epiſcopi mei, teſtes eſtote, ut cunctos ami-"cos meos regales & principes eorum ubique ad amicitiam tuam, pro re-"miſſione peccati mei, per omnem modum volentes nolenteſque conſtrin-"gens adtraho. Scio enim poſt hunc annum, appropinquantem vitæ meæ "terminum ſecundum Domini revelationem, & ideo adjuro te per Domi-"num, & ſanctum Petrum mihi conſentire, ut in ſedem meam Archiepiſco-"palem ſuperſtitem & hæredem vivens te conſtituam: quia veraciter in "omni ſapientia & in judiciis Romanorum eruditiſſimum te veſtræ gentis "agnovi. Tunc Sanctus Wilfridus Epiſcopus dixit: det tibi Dominus & "Sanctus Petrus remiſſionem omnis controverſiæ commiſſæ, & ero pro tua "confeſſione orans pro te amicus in perpetuum: & modo primum mitte "nuntios cum literis ubique ad amicos tuos, ut noſtram reconciliationem "in Domino, & me olim innoxium expoliatum agnoſcant; & mihi per tu-"am adjurationem in Domino ſecundumque præceptum Apoſtolicæ ſedis "partem aliquam ſubſtantiæ meæ reſtituant; & poſtea, Deo volente, quis "dignus ſit ſedem Epiſcopalem poſt te accipere, cum conſenſu tuo in ma-"jori conſilio conſulemus.

Deinde Archiepiſcopus, poſt pactum veræ pacis initum, ad Alfridum Regem Aquilonalium miſit literas, per quas adjuravit eum, ut propter timorem Domini, præceptaque Apoſtolicæ ſedis Præſulum, & pro redemptione animæ Ecfridi Regis, qui prius Epiſcopum noſtrum privatum

omnibus de patria innocentem exterminavit, reconciliare ſub ſedere pacis ad multorum ſalutem cum eo dignatus ſit. Non ſolum autem hunc Regem Archiepiſcopus ad concordiam excitavit: ſed ſibi ubique amicos, quaſi prius inimicos, facere diligenter excogitavit. Nam ad Ælfledam ſanctam Virginem & Abbatiſſam ſuas literas emiſit, in quibus commendans ſecundum auctoritatem Apoſtolicæ ſedis, ut pacem cum ſancto Wilfrido Epiſcopo ſine dubio iniret: nec non Ethelredum Regem Merciorum adjurans, & in ſua & Chriſti charitate, ſecundum quod prius in mente habebat, ſuſcipere eum his ſequentibus dictis præcepit.

Glorioſiſſimo, & excellentiſſimo Ethelredo Regi Merciorum Theodorus, gratia Dei Archiepiſcopus, in Domino perennem ſalutem. Cognoſcat itaque fili mi dilectiſſime, tua miranda ſanctitas, pacem me in Chriſto habere cum venerando Epiſcopo Wilfrido, & idcirco te cariſſime, paterna dilectione ammoneo, & in Chriſti charitate tibi præcipio, ut ejus ſanctæ devotioni, quantum vires adjuvant, præſtante Deo patrocinium, ſicut ſemper feciſti, quamdiu vivas, impendas: quia longo tempore propriis orbatus ſubſtantiis inter Paganos in Domino multum laboravit. Et idcirco ego Theodorus, humilis Epiſcopus, decrepita ætate hoc tuæ Beatitudini ſuggero: quia Apoſtolica hoc velut ſanctis commendat auctoritas, ut ille ſupra nominatus ſanctiſſimus in patientia ſua, ſicut dicit Scriptura, poſſideat animam ſuam, & injuriarum ſibi injuſte inrogatarum [immemor] humilis & mitis caput ſuum Dominum ſalvatorem ſequens, & medicinam expetens, & ſi inveni gratiam in conſpectu tuo, licet tibi pro longinquitate itineris durum eſſe videatur, oculi mei faciem tuam jucundam videant, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Age ergo, fili mi, fili mi, taliter de illo ſupra fato viro ſanctiſſimo, ſicut te deprecatus ſum. Quod ſi patri tuo non longe de hoc ſeculo receſſuro obedieris, multum tibi proficiet ad ſalutem. Vale in pace, vive in Chriſto, dege in Domino, Dominus ſit tecum.

Quid plura dicam? Poſtquam Ethelredus Rex propter auctoritatem Beatiſſimorum Pontificum, Agathonis ſcilicet & Benedicti Sergiique, percipientium dignitatem Apoſtolicæ ſedis, canonice libenter Pontificem noſtrum ſuſcipiens, multa Monaſteria, & regiones proprii juris reddens, habenſque illum in ſummo honore dignitatis, uſque ad finem vitæ fidelis amicus indeſinenter perſeveravit.

XLIII. *Quomodo Alfridus Rex ſuſcepit Pontificem noſtrum.*

FActum eſt itaque poſtquam, vergentibus annorum multorum circulis, Sancto Rectore noſtro aliquamdiu honorifice in exilio degente, & Monachis ſuis per diverſa loca totius Britanniæ exterminatis, & ſub alienis Dominis mœrentibus, exſpectantibuſque à Domino redemtionem, ut poſtremo audierunt miſerrimæ cladis ruinam, Ecfrido Ultra-Umbrenſium Rege occiſo, & cum omni optimo exercitus ſui agmine à gente Pictorum oppreſſo. Poſt eum Alfridus Rex ſapientiſſimus regnavit, qui ſanctum Wilfridum Epiſcopum noſtrum de exilio, ſecundo anno Regni ſui, venerabiliter ſecundum præceptum Archiepiſcopi ad ſe invitavit; & primùm Cœnobium cum poſſeſſionibus adhærentibus in Haguſtaldeſe indulgens, & poſt intervallum temporis, ſecundum Beatiſſimi Agathonis Apoſtolicæ ſedis Præſulis, & Sanctæ Synodi judicium, propriam ſedem Epiſcopalem in Eborica civitate, & Monaſterium in HRypis cum redditibus ſuis reddidit, expulſis de eo alienis Epiſcopis; quod tantum quinque annis in gaudio ſubjectorum ſuorum de exilio, ſicut Johannes Apoſtolus & Evangeliſta Epheſum rediens ſecure poſſedit.

XLIV. *De ſuſcitata inimicitia inter eos.*

NAm antiquæ inimicitiæ ſuaſores, quaſi de ſopore ſomni excitati, mare hujus ſeculi in gaudio ſerenum, procella flante turbinis, invidiæ folliculo ad triſte naufragium moventes, & facem diſſenſionis extinctam reſuſcitavere. Quippe inter Regem ſapientiſſimum, & ſanctum virum prædictum aliquando pax & ſecuritas, & pene omnis boni gaudium abundavit: aliquando vero aliquod ſpatium olla fervente nequitiæ plures deterioravit; & ſic iterum in concordia, atque iterum in diſcordia, alternatim per multos annos viventes manebant, uſque dum poſtremo maxima flamma inimicitiæ exardeſcente, de regione Ultra-Umbrenſium ſanctus homo Dei à Rege Alfrido expulſus receſſit. Nam prima cauſa eſt diſſenſionis eorum de antiqua origine deſcendens, quia Eccleſia, quæ ſancto Petro Apoſtolo dedicata eſt, territoriis & poſſeſſionibus ſuis injuſte privatur. Secunda eſt, ut Monaſterium ſupradictum, quod in privilegium nobis donabatur, in Epiſcopalem ſedem tranſmutatur; & libertatem relinquere, quam Sanctus Agatho, & quique Reges cenſuerunt fixe & firmiter poſſidere. Tertia deinde eſt, ut juſſionibus & decretis Theodori Archiepiſcopi ab Apoſtolica ſede miſſi obedire oportere cogebat, non illa ſignificans canonica ſtatuta, quæ in principio Epiſcopatus ſui apud nos degens, aut in noviſſimis temporibus vitæ ſuæ conſtituit, quando omnes Eccleſias noſtras ad canonicam pacem unanimiter vocavit: ſed magis ea decreta, quæ mediis temporibus ſuis, quando diſcordia inter nos in Britannia exorta fuerat, ſtatuit. Ideo ſanctus Pontifex noſter hæc renuens, ad amicum fidelem Ethelredum regem Merciorum acceſſit, qui eum cum magno honore propter reverentiam Apoſtolicæ ſedis ſuſcepit; & in multa reverentia Epiſcopatus ejus, quem reverentiſſimus Sexwlfus Epiſcopus vita obeunte ante regebat, ſub protectione Dei & illius degens manſit.

XLV. *De conſilio Ædſwina-pathe* [a].

IGitur Alfredo Rege, cum ſancto Berthwaldo Archiepiſco & totius pene Britanniæ Epiſcopis, congregata ſynodo, in campo qui dicitur Oneſtrefelda; deinde legatis ad præſentiam ſancti Wilfridi Epiſcopi miſſis, rogantibus humiliter ut eorum obtutibus dignaretur præſentari, promittentes per nuntios ſuos ſtatuta canonica de fraude antiqua rationem ſe reddituros, ſi ad illorum conventum non negaret pervenire. Quid plura dicam? poſtquam vero in locum, ubi ſynodalis diſputatio debuerit eſſe, conveniret; deinde non ita contigit, ſicut ei promiſſum fuerat: ſed multæ & magnæ altercationum quæſtiones ab eis exortæ emerſerunt, maxime ab illis Pontificibus Eccleſiarum: cum voluntate tamen Alfridi Regis, & conſenſu quorumdam Abbatum id feciſſe non dubium habetur, qui pacem Eccleſiarum, avaritia inſtigante, nullatenus habere concupiverunt; & multa falſa objicientes, quæ nulla ratione veritatis comprobare potuerunt; inſuper ſecundum ſtatuta & juſſiones Theodori Archiepiſcopi cenſendum Pontificem noſtrum confirmaverunt. Ille vero intelligens quod eſſent argumentati, humiliter reſpondit, dicens præceptis illorum conſentire, eorumque decretis ſecundum Canonum normam cenſuit in omnibus libenter ſe velle obedire. Deinde multis & duris ſermonibus eorum pertinaciam obſtinationis, quia per viginti & duos annos Apoſtolicam poteſtatem non timuerunt contentioſe reſiſtendo exercere, increpavit: & interrogavit eos, qua fronte auderent ſtatutis Apoſtolicis ab Agathone ſancto, & Benedicto electo, & Beato Sergio ſanctiſſimis Papis ad Britanniam pro ſalute animarum directis præponere, aut eligere decreta Theo-

[a] Ætſwinawath.

dori Archiepiſcopi, quæ in diſcordia (ut diximus) conſtituit. Interea dum nullus modus locutionis decenter ab illis ordinatus inventus eſt, unus ex miniſtris Regis Pontifici noſtro valde devotus, quem ille à primævo vagientis ætatulæ incunabulo enutrivit; ex tentorio Regis latenter erupit, ſimulans alterius effigiem, cohortibus ſe circumadſtantium immiſcens quaſi ignotus, uſquedum ad Pontificem noſtrum perveniebat, pandenſque ei cauſam judicii illorum revelabat indicando, dicens: *Hac omnino fraude te moliuntur decipere, ut primitus per ſcriptionem propriæ manus confirmes eorum tantummodo Judicium, quodcumque deſtituentes definient ſuccumbere: ut poſtquam iſto alligatus fueris diſtrictionis vinculo, de cætero in poſterum permutare nullatenus queas. Iſta ſiquidem erit illorum judicii apertio, ut quicquid in Ultra-Umbrenſium aliquando terra poſſidere viſus fuiſti, vel in Epiſcopatu, vel in Monaſteriis, vel in qualibet re, cuncta dimittas; & ſiquid in Merciorum regno ſubſecutus eras ſub Ethelredo rege, omnia reddendo Archiepiſcopo coacte relinquas, ab ipſo donandum cui vult: & ad poſtremum temetipſum damnando, de tuo tu ſanctitatis honore cum ſubſcriptione degraderis.* Hæc dicens ſubito ſubterfugiens diſceſſit. Tunc ſanctus vir, ſummæ virtutis & conſtantiæ, iſta audiens, cognito deceptionis argumento, cautior de ſubſcriptione ſæpius replicata effectus eſt. Reddere vero reſponſa inſtanter quærebant, & aliquando minitantes arguebant, dum qui nollet mature confiteri ſubire arbitrium, cito ſe ſententiæ damnationis ſubjacere ſciret. Quibus reſpondens ait: *Primum Archiepiſcopi audiens judicium illum conſonantem ſtatutis ſanctorum patrum regulis, toto mentis anniſu ſubjacere amplector.* Ad ultimum vero dum diutius multis agnoſcentibus cauſam celare non poterant, primum dixerunt ſanctum famulum Dei omnibus facultatibus ſpoliare taliter velle, ut nec in Ultra-Umbrenſium regno, nec in Merciorum minimam quidem unius domunculæ portiunculum haberet. Hujus autem judicii inclementia ab Archiepiſcopo, & Rege diffinita, & ipſos jam inimicos horruit, dicentes impium eſſe, tam famoſum virum in circuitu nationibus abſque ullo capitali crimine omnibus bonis ſuis privare. Noviſſimum vero aliquid humanius pertractantes cenſuerunt, ut Monaſterium tantummodo quod conſtruxit in HRypis, & dudum cum omnibus ad illud pertinentibus ſancto Petro donans commendaverit, perceptumque privilegium à ſancto Agathone Papa, Abbati familiæque ibidem converſanti detulit, redderent in poſſeſſionem; ea tamen interpoſita dictione, ut propria manus conſcriptione firmiter conteſtaretur, quod illic quietus conſideret, ſepta Monaſterii abſque licentia Regis non tranſmearet, nec aliquid ſacerdotalis officii attingeret: ſed ut ſuum de ſemetipſo (quod dictu horribile erat) gradum honoris abjiceret, ſub teſtimonio confirmationis plurimum cogentes compulerunt. Quo audito ſanctus Wilfridus Epiſcopus noſter conſtanter, & intrepida voce elevata, locutus erat, dicens. *Qua ex cauſa me compellitis, ut tam lugubri calamitatis miſeria in memetipſum gladium diræ interfectionis, hoc eſt ſubſcriptionem propriæ damnationis convertam? Nonne ſine aliquo reatu ſuſpicionis offendiculum faciam cunctis audientibus nominis mei divulgationem, qua Epiſcopi vocabulo, quamvis indignus, per quadraginta prope annos nuncupabar? Nec nonne & ego primus poſt obitum primorum Procerum à ſancto Gregorio directorum [curavi, ut] Scoticæ virulenta plantationis germina eradicarem; ad verumque Paſcha, & ad tonſuram in modum coronæ; quæ antea poſteriori capitis parte abraſa vertice, ſecundum Apoſtolicæ ſedis rationem, totam Ultra-Umbrenſium gentem permutando converterem; aut quomodo juxta ritum primitivæ Eccleſiæ conſono vocis modulamine binis adſtantibus choris perſultare; reſponſoriis, antiphoniſque reciprocis inſtruerem, vel quomodo vitam Monachorum ſecundum regulam ſancti Benedicti Patris, quam nullus prior ibi invexit, conſtituerem? Et nunc contra me quomodo ſubitam damnationis ipſe protulero, extra conſcientiam alicujus facinoris, ſententiam? ſed de hac noviter orta quæſtione, qua meum ſanctitatis habitum violare eſtis conati. Fiducialiter ſedem appello Apoſtolicam: veſtrum autem quiſquis*

deponere meum dignitatis gradum præſumit, à me hodie invitatus mecum pergat illuc ad judicium. Debent etenim diligenter ſcire viri Romani ſapientes, pro qua culpa vos me degradare cupiatis, prius quam vobis ſolis ad iſta conſentiam. Hæc audientes Archiepiſcopus & Rex dixerunt: modo utique culpabilis factus à nobis notatus damnetur, quod magis illorum, quam noſtrum elegit judicium. Et hoc promittendo Rex addebat Archiepiſcopo: Faciam enim, ſi jubes, abſque hæſitationis mora, ut vi opprimentis exercitus mei, coactus hac vice noſtrum ſubire judicium paratum ſe fateatur. Conciliales autem cæteri dicebant Epiſcopi: Recordari oportet, quod in noſtram promiſſionis fidem huc uſque perrexit, aliter non præſumens: pariter proſpero itinere in pace revertamur ad domus noſtras.

XLVI. *De reditu ejus ad Æthelredum regem.*

POſt has igitur ſermocinationes ſolvitur inutile concilium ex utraque parte, & unuſquiſque domi revertens ſeceſſit: & ita, Deo protegente, ſervus ſuus liberatus de manibus inimicorum, ad fideliſſimum Regem Æthelredum redibat indemnis. Noſter autem Sanctus Pontifex pergens devenit ad Æthelredum Regem, denuntians ei cunctam duræ locutionis infeſtationem, quæ à Præſulibus contra illius præceptum illata erat. Tunc interrogans quoque Regem, quomodo & qualiter decreviſſet de poſſeſſione terrarum, propriarumque facultatum, quæ ab ipſo donata ſunt ei; Rex vero reſpondit: *Majorem non addo perturbationem, deſtruendo Monachorum vitam, quæ ad Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli dedicata erat: ſed in eodem permanente ſtatu, vita comite, reſervabo, quæ à me Domino favente conſervata eſt, uſque quo prius tecum nuntios proprios vel ſcripta proprietatis ad Romam præmiſero interrogare de his imminentibus cauſis, quomodo recta deſiderans ſalvus inveniar.* Hac reſponſione percepta, congaudentes diviſi, unuſquiſque ad propria remeabat.

XLVII. *De excommunicatione noſtra.*

INimici vero qui hæreditatem ſancti Pontificis noſtri ſibi uſurpabant, annuntiantes nos eſſe à ſorte fidelium ſegregatos, & eos qui nobiſcum participarent; in tantum communionem noſtram execraverunt, ut ſi quiſpiam Abbatum, vel Presbyterorum noſtrorum, à fideli de plebe rogatus, refectionem ſuam ante ſe poſitam ſigno crucis Dei benediceret, foras projiciendam, & effundendam, quaſi idolothytum, judicabant; & vaſa Dei quibus noſtri veſcebantur, lavari prius, quaſi ſorde polluta jubebant, antequam ab aliis contingerentur.

XLVIII. *De navigio ejus profectuque Romam.*

HÆc miſerabilis & lamentabilis ingruens calamitas à nobis comperta, ad Dominum inceſſabiliter die noctuque clamantes, in jejunio & fletu cum omnibus ſubjectis noſtris congregationibus fundentes precem orationis offerebamus, quouſque parati cum ſancto Pontifice noſtro adſcenderunt navem, & vehiculo navis tranſportati ad litora Auſtralia, Domino præviante, pervenerunt: tunc vero pedeſtri greſſu ſuper terram ſimul gradientes, ſanctis auxiliantibus Apoſtolis, ſalvo ſpatioſo itinere, ad Apoſtolicam venientes ſedem, præſentati adſtiterunt progeniculantes flexis poplitibus, obnixe obſecrantes poſtulabant, ut hoc illorum legationis indiculum, quamvis ruſticitate magis conſcriptum quam urbanitatis facundia exaratum appareat, pro ſua conſuetudinaria pietatis clementia non dedignantes ſuſciperent. *Scire enim, dicebant, veſtram dignitatem hoc volumus, ut neminem per invidiam accuſandum advenimus: ſed tantum, ut ſiquis in veſtro Beatiſſimo Concilio contra aliunde veniens, aliquando perferre auſus eſt accu-*

ſationis objectionem; in quantum veſtra adjuvante clementia valuerimus, aut excuſare, ſi falſa; aut confiteri, ſi vera, parati ſumus. Clementia ergo conditoris noſtri, & Beatorum Apoſtolorum Principis protecti, ad hanc glorioſiſſimam ſedem, quaſi ad matris gremium, confugimus, ſufferendo quicquid veſtra beatiſſima imperabit auctoritas.

Deinde itaque à Beatiſſimo Apoſtolico Papa Johanne Sanctus Pontifex noſter Wilfridus Epiſcopus cum reverendiſſimis Presbyteris, & omni Clero venerabili, benigna pietate ſuſceptus, glorificæ ſedis reſponſa expectantes, per aliquos dies requieſcentes, manſione voluntarie præparata manſerunt. Interim quoque legati à Sancto Archiepiſcopo Berchtvaldo cum ſuis ſcriptis accuſationis ad Apoſtolicam ſedem directis, ſupplices petentes ſibi præberi à glorioſiſſima ſede auditum legationis ſuæ, qua fungebantur, ſimul pervenerunt. Tunc vero Beatiſſimus Apoſtolicus Johannes Papa cum Epiſcopis ſuis undique congregatis, & omni venerabili clero ad Synodalem locum veniens, præſentato Deo amabili Wilfrido Epiſcopo cum fratribus ſuis venerabilibus, primum petitionis ſuæ cartula coram omni conventu relegebatur hoc modo continens.

XLIX. *De cartula petitionis ſuæ,*

Domino Apoſtolico terque Beatiſſimo Univerſali Papæ Johanni, Wilfridus ſupplex & humilis ſervus ſervorum Dei Epiſcopus, " Cognoſcat Sanctitas veſtra iſtas eſſe cauſas, pro quibus hanc ſedem Apoſtolicam, veſtramque Beatiſſimam Præſentiam de ultima terrarum parte jam vice tertia adjuvandus adveni. Primo quia unitas Apoſtolicorum virorum individua ſemper eſſe ſolet; utque quæ à prædeceſſore veſtro Beatiſſimo Apathone Papa juſtiſſimis atque clementiſſimis judiciis decreta ſunt, veſtra pia auctoritas, quia multis non dubium eſt ad ſalutem proficere, confirmet & corroboret; & ut pietas veſtra intelligere dignetur, quia in omnibus veſtræ Beatitudinis juſſionibus humiles, & ſupplices ſubire parati ſumus. Perturbationibus enim nuper in Britannia ortis ex parte eorum, qui contra decreta ſupradicti Beatiſſimi Agathonis Papæ, illiuſque ſucceſſorum venerabilium patrum ſibimet Epiſcopatum & Monaſteria terraſque cum omnibus meis facultatibus uſurpabant, compulſus, hanc ſacroſanctam Apoſtolicam ſedem appellavi, conteſtans eos per Omnipotentem Dominum, & Beatum Petrum Principem Apoſtolorum, ut ſi quis aliquam contra me accuſationem haberet, ad veſtram mecum præſentiam judicandus conveniret, ſicut prædeceſſoris veſtri Beati Sergii Papæ ſcripta decernebant. Et ideo petitionum parvitatis meæ paginam veſtræ glorioſiſſimæ Præſentiæ pro inſtanti nobis notiſſima neceſſitate offerendam curavi, cum quibus veſtræ ſolitæ clementiæ benignas aures pulſare hæc continens præſumo, ut omnia rectitudinis pietatiſque, quæ à Beatiſſimis anteceſſoribus veſtris Dominis Apoſtolicis, ſancto Agathone, & electo Benedicto, & Beato Sergio, unanimiter erga meam parvitatem decreta ſunt, vos largiflua pietatis benevolentia confirmare dignemini. Veſtram inflexibilem auctoritatem ex intima cordis intentione, non ſolum ego, ſed & omnes qui mecum advenerunt fratres obſecrantes humiliter poſtulamus, ut ſi quilibet accuſatores contra nos aliunde venerint, per veſtram juſſionem in medium producti exponant accuſationis cauſas: & ſi vel minimam quidem confirmare potuerint, libenter veſtri arbitrii æquitatem ſuſtinere parati ſumus. Si autem mendacia tantummodo veſtræ Beatiſſimæ Auctoritati falſis commendata cartulis adferre auſi ſunt; detur nobis licentia, prout veſtræ Sanctitati placuerit, ipſas accuſationes expurgare. Nec non ſupplex & humilis veſtram Sanctitatem deprecor, ut eadem auctoritatis inſtantia Ethelredo Regi Merciorum de vitæ noſtræ ſolatio imperare di-

" gnemini

"gnemini, qua prædeceſſores veſtri Beatiſſimi Apoſtolici, ſanctus Agatho, "Benedictus, & Sergius demandabant, hoc eſt, ut ipſa Monaſteria cum cæ- "teris ad ea pertinentibus, quæ mihi ab ipſo Rege Ethelredo, fratre Wl- "fario, vel aliis quibuſlibet, pro redemtione animarum ſuarum perdonata "ſunt, nemo per invidiam vel nefandam cupiditatem auferre & invadere, "contra veſtra ſtatuta atque illius ſupradicti Regis voluntatem, præſumat. "Et adhuc ſummopere veſtram almitatem obnixis precibus humiliter de- "poſco, ut omnia, quæ antedeceſſor veſter ſæpe memoratus, & Beatiſſimus "Agatho in hac Apoſtolica ſede cum univerſa Synodo decreverat, ipſum "Regem Alfridum Aquilonenſium adimplere, tranquilliſſimis monitis ob- "ſecretis. Quod ſi forte hoc illi durum videatur pro mea cauſa eſſe, "Eboraicæ civitatis Epiſcopatus cum cæteris quamplurimis Monaſteriis "in veſtro pendeat arbitrio, cui rectiſſimum gubernare cenſeatis. Tan- "tum ipſa duo Monaſteria, quod primum dicitur HRypis, & alterum, quod "Haguſtaldeſe vocatur, quæ à ſancto Agathone Papa hujus Apoſtolicæ "ſedis ſub uno privilegio adſcripta ſunt, per veſtræ petitionis auxilium "cum omnibus terris atque poſſeſſionibus ad ea pertinentibus nobis reſti- "tuantur. Et poſt has petitiones hoc addam, quod juxta ſtatuta cano- "num debitam venerationem cum fraterna charitate Archiepiſcopo Berth- "valdo ſemper exhibebo: & ſic me libenter facturum promitto, tantum- "modo ſi ipſe prædeceſſorum veſtrorum, Beatiſſimi Agathonis, ejuſque "ſucceſſorum, ſundatiſſima erga meam parvitatem adimpleat decreta.

L. *De eo quod Johannes Papa prædeceſſorum ſcripta recenſenda dixit.*

POſtquam petitionis noſtræ ſeries recitata eſt, & diligenter a glorio- ſiſſimis auſcultata, ad habitaculaque noſtra redire licentiam dede- runt; introductis quoque ad præſentiam eorum honorabilem à Sancto Berthvaldo Archiepiſcopo cum ſcriptis ſuis viris directis ad Apoſtoli- cam ſedem, quorum multiplices & magnas accuſationes contra hominem Dei Wilfridum Epiſcopum audientes, uniuſcujuſque capituli examinatio- nem ambobus præſentibus, hoc eſt accuſatoribus, & excuſantibus, ſtabili- ter audire in futuro tempore per ordinem promiſerunt, & jam ipſos do- mum redire juſſerunt. Tunc Beatiſſimus Johannes Apoſtolicæ ſedis Pa- pa Coepiſcopis ſuis in Synodali loco ſedentibus dixit.

O Sancta Synodus, noſtrum eſt primum ſanctiſſimorum antedeceſſorum noſtro- rum percurrere canones, & examinare ſcripta, de hac eadem inimicitia fraudis ex utraque parte olim ad hanc Apoſtolicam ſedem directa; & diligenter conſiderare, quid ter Beatiſſimus Agatho in his cauſis cenſuerit, & poſt eum electus Benedictus, nec non & prædeceſſor meus ſanctiſſimus Sergius memorialiter retinere, quid de hac eadem re Regibus & ſancto Archiepiſcopo faciendum ſit ab Apoſtolica ſede decreverunt. Deinde facilius ex utraque parte in præſentia fraternitatis veſtræ in invicem certantibus, Deo adjuvante, & ſancto Petro Principe Apoſtolorum ve- ritatis lumine inſtructi mendacium excæcatum agnoſcere valeamus, & ſecundum normam ſanctiſſimorum primorum prædeceſſorum canonice cenſeamus. Et hoc ta- le conſilium Beatiſſimi Johannis univerſæ Synodo complacuit, & ſic fe- cerunt.

LI. *Wilfridus in Synodo Romana per Johannem Papam abſolvitur.*

ITaque quadam die Beatiſſimus Johannes Apoſtolicæ ſedis Præſul, & re- verendiſſimi Coepiſcopi ejus in ſanctum concilium congregati, juſſe- runt utriuſque partis accuſatorum & defenſorum electos viros ſancto con- ventui præſentari, & mox ita factum eſt. Nam ſanctus Wilfridus Epiſco- pus, & venerabiles Presbyteri & Diacones ejus præſentati ſunt, humiles & ſupplices honorabiles facies ſalutantes, promittentes ſe cum intimo cor-

dis

affectu illius Apoſtolicæ ſedis decreta ſuſcipere & adimplere. Nec non & ſancti Archiepiſcopi nuntii ſecundum præceptum ſanctiſſimorum venientes adſtiterunt: quibus datum erat tempus loquendi, ut unum quodcumque capitulum accuſationis eligerent, primum adverſum nos dicerent; poſtea ad alia ordinantes in conflictu accederent. Qui reſponderunt dicentes: *Hoc erat primum capitulum noſtræ accuſationis, quod iſte præſens Wilfridus Epiſcopus judicia Sancti Epiſcopi Berthvaldi Cantuariorum Eccleſiæ & totius Britanniæ ab hac Apoſtolica ſede emiſſi ſtatuta coram Synodo contumaciter renuens contemſit. Nos noſtræ partis ſententiam detulimus, vos veſtram defenſionem dicite.*

Stans itaque Sanctus Wilfridus Epiſcopus noſter, honorabili ſenio convectus, cum fratribus ſuis venerabilibus in conſpectu totius congregationis, dixit: *Humilis & ſupplex excellentiſſimam Sanctitatem veſtram deprecor, ut meæ parvitatis dignemini veritatem hujus rei geſtæ à me audire. Eram enim in concilio ſedens cum Abbatibus meis ac Presbyteris, nec non & Diaconibus: unum ex numero Epiſcoporum illic congregatorum miſerunt ad me, interrogantem ſermonibus Regis, nec minus & Archiepiſcopi, ſi ipſius ſolummodo Archiepiſcopi judicio conſentire voluiſſem; & quicquid ille judicando decreviſſet, an paratus fuiſſem adimplere omnibus votis, annon? Ad iſtud ita ſciſcitanti reſpondebam: quæ erat illius ſententia judicii, ſcire prius oportet, quam confiteamur, utrum pati ea valeamus exſequendo, an aliter. Ille autem ſe neſcire affirmabat, nec alio modo Archiepiſcopum velle revelando cuiquam noſtrum patefacere judicii exolutionem dicebat, antequam propria manus ſubſcriptione coram præſenti concilio fatentes confirmaremus, ut ejus unicum per omnia judicium eligentes tenere; nec ab eo ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes deviaremus. Iſtius tam anguſtam diſtrictionis coartationem, dicebam, numquam antea à quoquam hominum coactam audivi, ut omnino juramenti nodo adſtrictus fateretur decreta compoſita, quamvis impoſſibilia, perſolvere, priuſquam ſciret vim decreti. Attamen ibi coram ſenatu ſpopondi, quatenus in cunctis Archiepiſcopi judicio, in quibus conſonans invenitur ſtatutis ſanctorum Patrum, regulis, & canonicis definitionibus, & non diſcrepans prorſus in ulla re à ſancti Agathonis Synodo, cæterorumque orthodoxorum ei ſucceſſorum reperiatur, toto mentis conatu ſubjacere parati inveniemur.*

Hanc excuſationem ſanctus Pontifex noſter reddidit, & ſilendo quievit. Tunc Sancta Synodus reſpondit: *Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus canonice protectionem ſuæ defenſionis expoſuit. Tunc inter ſe Græcizantes, & ſubridentes nos, ac celantes multa, loqui cœperunt, poſtremo dicentes accuſatoribus: Non ignoratis, cariſſimi fratres, [quod] habemus ex præcepto canonum noſtrorum, quotieſcumque Clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur; & unum ex ipſis, de quo prius egerit, probare non potuerint; ad cætera jam non admittantur. Sed tamen propter honorem ſancti Archiepiſcopi ab hujus Apoſtolicæ ſedis monarchia directi, & pro hujus Beatiſſimi Wilfridi Epiſcopi reverentia diu fraude ſpoliati, ut aſſeritur, Deo & ſancto Petro Principe Apoſtolorum revelante & aperiente, per multos dies & menſes omnia capitula plene eventilantes, finem rei imponere deſiderantes non faſtidioſe curabimus.* Poſt hæc verba Pontifici noſtro cum fratribus ſuis triumphali gaudio incœpto, à Sancta Synodo licentia data, ſe ad aliarum dierum conflictum præparantes, ad manſiones ſuas redierunt. Alii vero è contrario primo ingreſſu conflictionis confuſi, domum ſuam adierunt, & nebulæ mendaciorum flante vento ſapientiæ diſperſæ; ſoleque veritatis per Domini adjutorium & ſanctum Petrum inluceſcente, per plura ſpatia dierum & menſium ab omni piaculo ſcelere degradandi pure perfecteque excuſatus probabilis ſanctus Pontifex noſter apparuit. Nam per IIII menſes & LXX conciliabula ſanctiſſimæ ſedis, de fornace ignis examinandus, Apoſtolica poteſtate hoc modo auxiliante purificatus (ut dicam) evaſit: [recitatumque] breviter, quia in Sancto Paſcha, tertia die, ter Beatiſſimi Agathonis Synodus adverſum pravitates hæreticorum cum centum XXV orthodoxis Epiſcopis conſtituta eſt: ex quibus unuſquiſque

pro

pro ſua provincia & civitate veram fidem confeſſus eſt, & ſubſcriptione ſua confirmavit. Hæc coram omni populo more Romanorum clara voce legebatur, in qua ſcriptura inventum erat inter cætera: *Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus Eboricæ civitatis, Apoſtolicam ſedem de ſua cauſa appellans, & ab hac poteſtate de certis incertiſque rebus abſolutus, & cum aliis* CXXV. *Coepiſcopis in ſynodo judicii ſede conſtitutus pro omni Aquilonali parte Britanniæ & Hiberniæ inſulis, quæ ab Anglorum & Britonum, nec non Scotorum & Pictorum gentibus colebantur, veram & catholicam fidem confeſſus eſt, & cum ſubſcriptione ſua corroboravit.* Itaque quo audito omnes cives Romani ſapientes ſtupefacti ſunt. Tunc Bonifacius & Siſinnius, & alii nonnulli, qui eum in diebus beatæ memoriæ Agathonis agnoſcentes viderant, dicebant iſtum eſſe præſentem Domino amabilem Wilfridum Epiſcopum, quem beatiſſimus Agatho purificatum de accuſationibus Apoſtolica auctoritate abſolutum olim ad propria remiſit: Et iterum nunc (prô dolor!) infeſtatorum inſidiæ exorbitare de propria ſede fecerunt. Qui per XL. & eo amplius [annos] Epiſcopatus officia fungebatur, & tam honorabilem ſenem cum fratribus venerabilibus accuſatores falſidici, & cum Pſeudograiis audaci temeritate, & (ut ita dicam) unus Diaconus & alii omnes ſine aliquo Eccleſiaſticæ dignitatis gradu, in conventu Apoſtolicæ ſedis excellentiſſimam perſonam auſi ſunt accuſare. Et ideo digni ſunt pœnas luere, in ima carceris anguſtia uſque ad finem mortis macerari. Et tunc viri Romani verum eos dixiſſe affirmabant. Dixit autem beatiſſimus Johannes Apoſtolicæ ſedis Papa: *Beatus Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus, in quo nullam criminis per tot conciliabula noſtra examinando tam diligenter objectionem invenimus, beati Petri Apoſtoli & Apoſtolorum principis auctoritate, qui habet poteſtatem ſolvendi ligandique ab occultis delictis, exſolutus ſit: Et quod beatus Agatho, & electus Benedictus, ſanctuſque Sergius, Apoſtolici Præſules, de eo cenſuerunt; noſtræ quoque parvitatis humilitas cum totius Synodi conſenſu, Regibus, & Archiepiſcopis ſcripta judicia per manum beati Wilfridi Epiſcopi ad eos emiſſa affirmare decrevit, hoc modo dicens.*

LII. *Johannis Papæ Epiſtola ad Ethelredum & Alfridum Reges.*

D*Ominis eminentiſſimis, Ethelredo Regi Merciorum, & Alfrido Regi Derorum & Bernicorum, Johannes Papa.* De veſtræ quidem eximiæ religionis acceſſibus, gratia Dei operante, gaudemus; fervorem fidei cernentes in vobis, quam ex prædicatione Principis Apoſtolorum, Domino veſtras animas illuminante percepiſtis, & efficaciter retinetis, ut gaudium noſtrum melior acceſſus amplificet. Illud vero animos noſtros afficit, & conſacerdotum; at totius Eccleſiæ contriſtavit auditum inextricabilis quorumdam diſſenſio, quod & ad correctionem oportet Domino annuente perducere, ut non contemtores Pontificalium decretorum ſed ut obedientiæ filii ante Dominum omnium judicem comprobemini eſſe cuſtodes. Dudum enim ſub Apoſtolicæ memoriæ, prædeceſſore noſtro Agathone Pontifice, dum Wilfridus Epiſcopus ad hanc ſedem Apoſtolicam veniens appellaſſet; præſentibus ejus contrariis, qui à Theodoro venerandæ memoriæ Archiepiſcopo ſanctæ Cantuariorum Eccleſiæ ex hac Apoſtolica ſede mandato, & Hildæ religioſæ memoriæ Abbatiſſæ ad eum accuſandum huc prius advenerant, etiam hic Epiſcopi de diverſis provinciis cum ſuprafato ſancto Pontifice congregati, quæ à partibus dicebantur, regulariter quæſierunt, & ſententialiter decreverunt; eandemque ſententiam ſucceſſores ejus ſancti Pontifices prædeceſſores noſtri ſecuti ſunt. Nec hoc venerandæ memoriæ Theodorus Præſul, qui ab hac Apoſtolica ſede directus erat, contraveniſſe recognoſcitur, neque accuſationem aliquam poſtmodum ad hanc ſedem Apoſtolicam demandavit: magis autem (ut ex ejus dictis apparuit) & decretis Pontificali-

 "bus

" bus obſecutus erat. Succurrendum erat itaque cum Dei præſidio, ne " perſeveret in uno loco diſſenſio, dum cæteris conſacerdotum ac plebium " unanimitas maneat. Et hæc de præteritis memorabimus. De præſen- " tibus quoque innoteſcere inclitæ veſtræ Chriſtianitati prævidimus, quod " hi, qui de eadem inſula Britannia huc advenerunt, & accuſationes con- " tra Wilfridum Epiſcopum detulerunt; ille ſuperveniens cum fratribus " ſuis in accuſatores ejus quod accuſaverunt, retorſerunt. Quorum con- " flictus apud conventum reverentiſſimorum Epiſcoporum & ſacerdotum, " qui hic ad præſens inventi ſunt, per dies aliquot fieri procuravimus: " apud quos omnia quæque in ſcriptis vel anterioribus, vel modernis, par- " tes detulerunt, vel hic inveniri potuerunt, vel à partibus verbaliter di- " cta ſunt; ſubtiliter inquiſita ad cognitionem noſtram perducta ſunt: " donec ipſæ principales perſonæ, de quibus contentio exorta eſt, præ- " ſentes affuerint, quos neceſſe erat, ut contentio omnis finem accipiat, " advenire & conſedere. Et idcirco admonemus Berthvaldum Præſulem " ſanctæ Cantuariorum Eccleſiæ, quem auctoritate principis Apoſtolorum " Archiepiſcopum ibidem confirmavimus, reverentiſſimum fratrem no- " ſtrum, ut Synodum convocet una cum Wilfrido Epiſcopo: & concilio " regulariter celebrato, Bozam atque Johannem Epiſcopos in Synodum " faciat advenire, voceſque partium audiat, & conſideret quid ſibi invi- " cem partes valeant approbare: & ſiquidem eo ſuffragante apud Syno- " dum hoc regulariter determinare valuerit, gratum nobis & partibus ex- " pedit: ſin aliter acciderit, illos Synodaliter moneat, ut commotionibus " ſuis quæque prodeſſe ſuis partibus [poſſunt] unaquæque conſideret, & " hanc ſedem Apoſtolicam ſimul occurrant, ut ampliori concilio flagite- " tur ac decidatur, quod hactenus non valuit terminari; atque per gratiam " Sancti Spiritus, qui cum diſcordia venerant, revertantur in pace. Scire " autem debet quicumque de iis advenire diſtulerit, vel (quod eſt exſe- " crandum) venire contemſerit, ſeipſum dejectioni ſubmittat & hinc ab- " jiciendus: nec ibidem ab ullo Præſulum ſive fidelium recipiendus. Qui " enim ſuo inobediens exſtitit auctori, non poterit inter miniſtros ejus " atque diſcipulos recenſeri. Veſtra proinde Chriſtiana & regalis ſubli- " mitas pro Dei timore & Chriſtianæ fidei reverentia & pace, quam Do- " minus Jeſus-Chriſtus ſuis dedit diſcipulis, ſubventum faciat atque Con- " curſum; ut hæc quæ à Deo inſpirante perſpeximus, ad effectum perve- " niant: ut pro hujuſmodi religioſo anniſu merces vobis adſcribatur in " Cœlis, quatenus & hoc ſeculo Chriſto protegente regnetis incolumes, " & æterni Regni ejus Beatum conſortium habeatis. Ideo recordemini, " O filii cariſſimi, quid de hac eadem re Beatiſſimus Agatho, cæterique poſt " eum conſona voce nobiſcum Præſules Romanæ Eccleſiæ Apoſtolica au- " ctoritate ſanxerunt. Quicumque enim cujuſlibet perſonæ audaci teme- " ritate contemſerit, non erit à Deo impunitus, neque ſine damno cœlitus " alligatus evadet. Incolumem Eminentiam veſtram gratia ſuperna cu- " ſtodiat.

LIII. *Qualiter juſſus patriam redire Sanctas reliquias ſecum portavit.*

TRanſactis itaque multis menſibus, pene quotidie in conflictu diligenter examinatus, poſtremo tamen in victoria omnino excuſabilis apparuit. Jam vero Sancto Pontifici noſtro volenti ad ſedem Apoſtolicam manere, & in ſua ſenectute ſibi mundum crucifigere, vitamque ibi finire; Apoſtolicus Antiſtes, & Univerſa Sancta Synodus humiliter obedientiam ſuam olim promittenti ſingulariter præcipientes illum Apoſtolica auctoritate de certis incertiſque cauſis poſt longam afflictionem pure abſolutum patriam remeare, judiciaque conſcripta Regibus, & Archiepiſcopis portare, & mœrorem ſubditorum ſedare, gaudiumque amicorum

renovare

renovare in nomine Domini juſſerunt. Ille autem Sanctus Pontifex noſter ſciens obedire, cum ſociis loca Sanctorum circumiens, moreque ſuo ab electis viris ſanctas reliquias nominatim congregans, aliaque indumenta purpurea, & ſerica ad ornamenta Eccleſiarum lucratus, cum benedictione Sanctorum patriam remeavit, pergens per plana & aſpera camporum & montium longo itinere, uſquedum Galliarum regionem pervenit.

LIV. *Meldis graviter ægrotans, de ſanitate ſua, ac reditu in patriam cœlitus fit certior.*

DEinde igitur iter agentibus, Sanctus Pontifex noſter maximo languore infirmitatis correptus, equo primitus vehitur: poſtremo tamen inter manus mœrentium ad Dominumque clamantium in feretro portatus, ad Meldum civitatem vix vivus deducitur, nihil de morte ejus dubitantes. Quippe qui nihil alicujus cibi, vel liquoris, quatuor diebus & quatuor noctibus deguſtavit: ſed in exceſſu jacens ſpiritus, tantum halitus & calida membra vivum demonſtrabant. Quinta demum die mane illuceſcente, ecce Angelus Domini in veſte candida Sancto Pontifici noſtro apparuit, dicens: *Ego ſum Michael ſummi Dei nuntius, qui miſit me ad te indicare, quod tibi adduntur anni vitæ pro interceſſione Sanctæ Mariæ genitricis Dei ſemperque Virginis, & pro ſubditorum tuorum lacrymis ad aures Dei pervenientibus: Et hoc tibi erit ſignum, quod ab hac die in dies melioratus ſanaberis, & ad patriam tuam pervenies, tibique ſubſtantiarum tuarum cariſſima reddentur; & in pace vitam conſummabis. Paratus quoque eſto: quia poſt quatuor annorum ſpatium iterum viſitabo te. Jam enim memento, quod in honore Sancti Petri & Andreæ Apoſtolorum domos ædificaſti: Sanctæ vero Mariæ ſemper Virgini intercedenti pro te nullam feciſti. Habes hoc emendare, & in honorem ejus domum dedicare.* Et poſt hæc verba Angelus Dei aſſumtus ab oculis ejus deceſſit. Sanctus itaque Pontifex noſter quaſi de ſomno excitatus ſurgens, inter choros canentium & flentium reſedit, dicens: ubi eſt Acca Presbyter? qui ſtatim cum gaudio advenit, gratias agens Domino cum omnibus, quod eum ſedentem & loquentem vidiſſent. Deinde ergo remotis fratribus de domo, ſolo fideliſſimo Presbytero ſuo Acca, qui nunc eſt beatæ memoriæ gratia Dei Epiſcopus, per ordinem (ſicut ſupra diximus) viſionem omnem revelavit: & ſtatim Sanctus Presbyter præfatus acuti ingenii intellexit, gratias agens Domino, eo modo Pontifici noſtro pro interceſſione Sanctæ Mariæ Virginis matris Domini, & pro ſubditorum ſuorum precibus annos vitæ additos, ſicut Ezechiæ Regi Judæ quindecim annos adjectos: quorum quinque pro electione David patris ſui, alii autem quinque pro Regis ipſius bonitate & ploratu ad parietem converſo anni vitæ adduntur.

LV. *In Angliam tranſmittit, & cum Berthvaldo in gratiam redit.*

TUnc ergo Pontifex Sanctus noſter, manibus & facie lavatis, omnibus noſtris mira hilaritate gaudentibus, vitam ei à Domino conceſſam gratulanter confitentibus; ſumto aliquantulum cibo, ſecundum Jonathan illuminatis oculis refocillatus erat: & poſt paucos dies, convaleſcente eadem infirmitate, capto itinere uſque ad mare pervenerunt: cujus magnitudinem navigio ſuperantes, in Cantuaria Regione portum ſalutis Deo adjuvante invenerunt. Illic autem Archiepiſcopo Berthvaldo invento, Sancti Pontificis noſtri nuntii cum eo loquebantur. Qui eis ſpopondit mitigare judicia dura olim in Synodo ſtatuta: qui Apoſtolica auctoritate coactus, & per nuntios ſuos ſcriptis directis territus erat, & tremebundus, pacifice ſine ſimulatione (ſicut rei eventus probavit) Sancto Pontifici noſtro reconciliatus erat. Deinde itaque cum multitudine Abbatum ſuorum,

rum, cum muneribus juxta Londoniam civitatem ab Oriente læti abeuntes inventi ſunt. Poſtremo ad Ethelredum Regem, qui ante regebat Merciorum populum, ſemper fideliſſimum amicum, nimirum pro nimio gaudio lacrymantem, Sanctus Pontifex noſter veniens, mitiſſime eum ſalutavit, oſculantes & amplexantes ſe invicem, honorifice ab amico more ſuo ſuſceptus erat. Qui ei ſalutationis verba ab Apoſtolica ſede emiſſa, & ſtatuta de ſe judicia ſignata cum bullis & ſigillis humiliter oſtendit. Ille vero ſtatim apertis & recitatis Apoſtolicæ ſedis literis, proſternens ſe in terram obedienter ſpopondit, dicens. *Hujus Apoſtolicæ auctoritatis ſcriptis, ne unius quidem literæ apicem unquam in vita mea condemnabo, neque facientibus conſentiam: ſed ut impleantur, ſecundum vires meas adjuvabo.* Sicut autem promiſerat, ita ſine dubio effecit. Jam enim merces Deo donante æterna retribuetur ei in bono. Nam ſtatim Coenred, quem Regem poſt ſe conſtituit, ad ſe invitavit, & adjuravit eum in nomine Domini & in ſua charitate, obedire præceptis Apoſtolicæ ſedis. Ille autem voluntarie ſic facere promiſit.

LXI. *Legationem ad Alfridum Regem mittit ſine fructu.*

DEnique poſt non multi temporis ſpatium, Ethelredo amico ſuo docente, Sanctus Pontifex noſter electos nuntios Badwinum Presbyterum & Abbatem, magiſtrumque Alfridum ad [a] Aldfridum Ultra-Umbrenſium Regem, ſibique notos emiſit, dicentes ad eum: *Sanctus Pontifex noſter ſalutat te pacificis verbis, poſtulatque à te ut licentiam ſibi veniendi ad præſentiam tuam concedas cum literis ſalutationis Apoſtolicæ ſedis, & judiciis de ſua cauſa Apoſtolica poteſtate conſtitutis.* Quibus Rex in prima vice nihil dure & auſtere reſpondit: ſed conductione facta & ſtatuta die iterum revertendi ad ſe, tunc reſpondere promiſit: fratres vero ſecundum præceptum Regis altera vice in die conductionis revertentes ad eum, ſciſcitanteſque ab eo, quid ad reſponſionem eſſet dicturus. Quibus Rex, ſicut conſiliarii ejus perſuaſerunt, reſpondit: *O fratres mihi ambo venerabiles, petite à me vobiſmet ipſis neceſſaria, & ego propter reverentiam veſtram donabo vobis. De cauſa vero Wilfridi Domini veſtri nolite me ab hoc die diutius flagitare. Quia quod ante prædeceſſores mei Reges, & Archiepiſcopus, cum conſiliariis ſuis cenſuerunt, & quod poſtea nos cum Archiepiſcopo ab Apoſtolica ſede emiſſo cum omnibus pene Britanniæ veſtræ gentis Præſulibus judicavimus; hoc, inquam, quamdiu vixero, propter Apoſtolicæ ſedis (ut dicitis) ſcripta numquam volo mutare.* At hanc ſententiam plene poſtmodum mutavit, & vere pœnituit eum.

LVII. *Alfridi Regis obitus, & ſucceſſores.*

DEinde namque nuntii triſte nuntium portantes receſſerunt ab eo, vultum ejus ultra non videntes: veneruntque ad Dominum ſuum. Nam ultio divina nihil morata, ſed ſecundum Prophetiam Præſulis Apoſtolicæ ſedis in vinculis alligatum infirmitatis diſtricte Regem compreſſit. Qui ſtatim, ut erat ſapientiſſimus, agnoſcens ab Apoſtolica poteſtate perculſum ſe eſſe; pœnitentia ductus confeſſus eſt peccatum ſuum in Sanctum Wilfridum Epiſcopum contra Apoſtolicæ ſedis judicia commiſſum, dicens ſignificando: *Si aliquo modo ad me viventem venire per invitationem potuiſſet, ſtatim piaculum meum emendarem. Et tamem votum vovi Deo & Sancto Petro, ſi de illa infirmitate ſanatus ſurrexiſſem ſecundum Sancti Wilfridi deſiderium & Apoſtolicæ ſedis judicium omnia ſervare. Sin vero Deo volente defunctus fuero, præcipio in nomine Domini, quicumque mihi in Regnum ſucceſſerit, ut cum Wilfrido Epiſcopo pro remedio animæ meæ & ſuæ pacem & concordiam ineat.* Hæc verba fideliſſimi teſtes audiverunt, nobiſque indicaverunt. Ex quibus eſt

[a] Aldfrithum.

Ælfleda

Ælfleda Abbatiſſa & ſapientiſſima virgo, quæ eſt vere filia Regis, nec non & Ædelburga Abbatiſſa, & multi alii teſtes hæc adfirmaverunt. Regem vero languor oppreſſit, loquela illum per multos dies deſeruit, poſtremo diem obiit, & poſt eum Eadwulfus per parvum ſpatium regnavit: ad quem Sanctus Pontifex noſter de exilio cum filio ſuo proprio veniens de HRypis, quaſi ad amicum nuntios emiſit: quibus auſtere & dure, perſuaſus à conſiliariis ſuis, pro antiqua nequitia ſua reſpondebat, dicens: *Per ſalutem meam juro, niſi de Regno meo in ſpatio ſex dierum diſceſſerit, de ſodalibus ejus quoſcumque invenero, morte peribunt.* Et poſt hæc aſpera verba, de Regno, quod duos menſes habuit, conjuratione facta adverſus eum, expulſus eſt, & regnavit pro eo puer Regius, cui nomen erat Oſred, filius Alfridi Regis, & Sancto Pontifici noſtro filius adoptivus factus eſt.

LVIII. *Synodus Niddenſis habita in cauſa Wilfridi apud Northumbros; ubi pax reformata.*

IN primo anno Oſredi Regis, Berthvaldus Cantuariorum Eccleſiæ & pene totius Britanniæ Archiepiſcopus de Auſtro veniens, habens ex præcepto Apoſtolicæ ſedis Aquilonalium Regem cum omnibus Epiſcopis ſuis, & Abbatibus, & totius Regni ejus principibus, ad Synodalem locum de cauſa Beati Wilfridi Epiſcopi diligenter invitare; & ita factum eſt. Nam in unum locum juxta fluvium Nid ab Oriente congregati Rex cum ſuis, & tres Epiſcopi ejus cum Abbatibus, nec non & Beata Ælfleda Abbatiſſa ſemper totius provinciæ conſolatrix, optimaque conſiliatrix; Berchtvaldus quoque Archiepiſcopus & Wilfridus Epiſcopus ſimul in una die advenerunt. Deinde ſedentibus Rege & Epiſcopis cum principibus eorum in loco Synodali, tali modo Archiepiſcopus loqui incipiebat: "Oremus "Dominum Deum noſtrum, ut pacis concordiam in cordibus noſtris per "Spiritum-Sanctum indulgeat. Habemus enim, ego & Beatus Wilfridus "Epiſcopus, ſcripta Apoſtolicæ ſedis parvitati meæ per nuntios directa, "& per ſemetipſum ſimiliter allata, ut ea in præſentia reverentiæ veſtræ "recitentur, humili prece depoſcimus. Quibus venerabiles Domini Li-"centiam dederunt, & coram Synodo omnibus audientibus utriuſque libri "à principio uſque ad finem legebantur. Poſt lectionem autem cunctis "tacentibus Berectfridus, ſecundus à Rege princeps, ad Archiepiſcopum "dixit: nos qui interpretatione indigemus, quid Apoſtolica auctoritas di-"cat, audire delectat. Et reſpondit ei Archiepiſcopus dicens: Judicia "Apoſtolicæ ſedis longo circuitu & ambagibus verborum, unum tamen "intellectum de eadem utrique libri oſtendunt: quorum brevi ſermone "ſenſum tantum explicabo. Apoſtolica namque poteſtas, quæ primum "Petro Apoſtolo & principi Apoſtolorum ligandi ſolvendique donata eſt, "ſua auctoritate de Beato Wilfrido cenſuit, ut in præſentia mea, licet "indignus, & omnis conventus, Præſules Eccleſiarum hujus provinciæ, "antiquam inimicitiam pro ſalute animarum relinquentes, Beato Wilfrido "Epiſcopo in bono reconcilientur. Nam his Coepiſcopis meis è duobus "ab Apoſtolica ſede judiciis optio datur, utrum voluerint eligant, ut aut "cum Wilfrido Epiſcopo pacem plene perfecteque ineant, & partes Ec-"cleſiarum, quas olim ipſe regebat, ſicut ſapientes mecum judicaverint, "reſtituant: aut ſi hoc optimum noluiſſent, omnes ſimul ad Apoſtolicam "ſedem pergerent, ibique majori conſilio dijudicentur. Si quis vero con-"temnens (quod abſit) neutrum ex his duobus implere voluerit; ſciat ſe, "ſi Rex ſit, aut Laicus, à corpore & ſanguine Chriſti excommunicatum: ſi "vero Epiſcopus, aut Presbyter (quod eſt execrabilius & dictu horren-"dum) ab omni gradu Eccleſiaſticæ dignitatis degradari. Hæc ſunt ju-"dicia Apoſtolicæ ſedis brevi ſermone expoſita. Epiſcopi vero reſiſten-"tes, dixerunt: quod prædeceſſores noſtri olim, Theodorus Archiepiſco-

"pus ab Apoſtolica ſede emiſſus. & Ecfridus Rex cenſuerunt, & poſtea "in campo, qui [a] Eſtrefeld dicitur, una nobiſcum pene totius Britanniæ "Epiſcopi, ſuaque Archiepiſcopali præſentia excellentiſſima cum Rege "Alfrido judicavimus, quomodo immutare quis valeat? Interea autem "Beatiſſima Ælfleda Abbatiſſa benedicto ore ſuo dixit: vere in Chriſto "dico teſtamentum Alfridi Regis in ea infirmitate, qua vitam finivit, qui "votum vovit Deo & Sancto Petro dicens: ſi vixero, omnia judicia A-"poſtolicæ ſedis quæ antea renui audire, de Beato Epiſcopo Wilfrido "implebo. Si tamen diem obiero, dicite tamen hæredi meo in nomine "Domini, ut pro remedio animæ meæ judicium de Wilfrido Epiſcopo Apo-"ſtolicum repleat. Hæc ea loquente, Berechtfridus, præfatus Regis prin-"ceps, reſpondens dixit: hæc eſt voluntas Regis & principum ejus, ut man-"datis Apoſtolicæ ſedis, & præceptis Alfridi Regis in omnibus obedia-"mus. Nam quando in urbe, quæ Bebbanburg dicitur, obſeſſi, & undi-"que circumcincti hoſtili manu in anguſtiaque rupis lapideæ manſimus; "inito conſilio inter nos, ſi Deus noſtro regali puero Regnum patris ſui "conceſſiſſet, quæ mandavit Sancta Apoſtolica auctoritas de S. Wilfrido "Epiſcopo, adimplere Deo ſpopondimus: & ſtatim poſt vota, mutatis "animis inimicorum, concito curſu omnes cum juramento in amicitiam "noſtram converſi ſunt, apertis januis de anguſtia liberati ſumus, fugatis "inimicis noſtris Regnum accepimus. Poſtquam hæc verba finita ſunt, Epiſcopi ſibi mutuo ſeparati ab aliis inire conſilium cœperunt; aliquando cum eis Archiepiſcopus, aliquando vero ſapientiſſima virgo Elfleda: & hujus Sancti Concilii talis finis exſtitit, ut omnes Epiſcopi & Rex cum ſuis optimatibus pure pacis concordiam cum Sancto Wilfrido Epiſcopo inierint, quam inter ſe uſque ad finem vitæ conſervaverunt, reddentes ei duo optima Cœnobia, quæ in HRypis & in Haguſtaldeſe cum omnibus reditibus ſuis: & illa die omnes Epiſcopi ſe invicem oſculantes & amplexantes, panemque frangentes communicaverunt: & gratias agentes Deo omnis hujus Beatudinis, in pace Chriſti ad ſua loca remearunt.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, qui pro amore totius eccleſiæ ſalutifera pace animas Præſulum coronavit. Et hæc eſt maxima beatitudo ex utraque parte, tam illorum, qui per longa ſpatia annorum poſſeſſionem ſuam poſſidebant, & voluntari ad emendationem in pace Chriſti ante ſuum obitum Pontifici noſtro reddiderunt; quam noſtrorum, qui per diverſa exilia diſperſi, triſtes ſub alienis Dominis ſervi eramus: & nunc in pace omnium ubique reconciliatorum cum Domino noſtro, capite cariſſimo, ſpem vitæ cum Domino gerentes, gaudentes & exultantes in benedictione vivimus.

LIX. *Wilfridi morbus, morbique interpolatio.*

LÆtitia hujus ſeculi luctu miſcebitur, & omnis res ad finem reſpicit. Nam cum tempus, quod Michael Archangelus prædixerat, appropinquaret; ſanctus Pontifex noſter pergens de Haguſtaldeſe, ex templo tali languore correptus eſt, quali olim in Meldum civitate fatigatus erat, ut inde validiorem ſuſtineret languorem. Tunc omnis familia cum intimo cordis mœrore conſueta arma orationum arripiens, die noctuque indeſinenter canentes & deprecantes Dominum concedere ei inducias vitæ, ſaltem ad loquendum, & domos ſuas ad diſponendas, poſſeſſioneſque dividendas: & ne nos quaſi orbatos ſine Abbatibus relinqueret. Hujus autem luctuoſæ calamitatis fama longe lateque pervolavit, & omnes Abbates ejus de ſuis locis, & Anachoritæ concito curſu pergentes, die & noctu indeſinenter in his ſecundum traditiones hominum de morte ejus hæſitantes, undique congregati, abſque ſpe præſentium & abſentium, tamen

[a] al. Hoſterfeld. i. e. Noſterfeld, ut hodie.

ad

ad viventem pervenerunt: domumque ingreſſi genuflectentes & unanimiter omnes in luctu rogantes Dominum, ut in ſe promiſſionem ſuam expleret dicentem: ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, dicit Dominus, & ut Pontifici noſtro aliquod ſpatium vitæ concederet: & Deo concedente ita factum erat, ut & omnem vitam noſtram in diverſis locis ſecundum ſuum deſiderium ſub Præpoſitis à ſe electis conſtitueret, & ſubſtantiam ſuam intus & foris Deo & hominibus ſuo judicio diſpertiret, quod ante non perfecerat. Nam ex illa die, quaſi de ſomno excitatus, accipiens intellectum, memoriam, & loquendi facultatem, integræ ſanitati redditus erat: & nos Deo gratias agentes, miroque gaudio lætificati, unuſquiſque ſuam viam adiit.

LX. *Ejuſdem teſtamentum, & deſignatio Tatberti Præpoſiti Ripenſis.*

SAnctus itaque Pontifex noſter in gaudio ſuorum, & pace perfecta vivens, ea omnia quæ prius hominibus defuiſſe ei videbantur: per ſpatium anni & dimidii poſt infirmitatem plene perfecteque emendavit. Nam non multo tempore ante Beatæ memoriæ obitum, in HRypis cum duobus Abbatibus & fratribus valde fidelibus, omnibus numero VIII invitatis ad ſe, gazophylacium aperire claviculario præcepit: & omne aurum & argentum cum lapidibus pretioſis in conſpectu eorum deponere, & in quatuor partes ſecundum judicium ſuum dirimere juſſit. Qui nihil moratus præcepto Sancti Patris obediens, ſic omnia complevit, Sanctus autem Pontifex noſter ad fideles teſtes dixit. *Scitote, fratres mei dilectiſſimi, cogitationem meam, quam ante olim cogitavi, ut Sancti Petri Apoſtoli ſedem iterum appellarem & viderem, unde liberatus fui frequenter, Deoque volente vitam illic meam finirem; & unam optimam ex his quatuor partibus ad numera offerenda per Eccleſias ſanctorum mecum deducere, donaque portare ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ matris Domini dedicatam, & ad Sanctum Paulum Apoſtolum munera pro anima mea offerre. Si vero Deus aliquid aliud provideret, ut frequenter ſenibus evenire ſolet, & dies obitus mei me occupaverit; vobis fidelibus præcipio in nomine Jeſu Chriſti, ut per nuntios ad ſupradictas Eccleſias munera mea mittatis. Ex tribus vero aliis partibus unam pauperibus populi mei pro redemtione animæ meæ dividite: alteram autem partem Præpoſiti Cœnobiorum duorum ſæpe dictorum inter ſe dividant: ut cum muneribus, Regum & Epiſcoporum amicitiam impetrare potuerint. Tertiam vero partem iis, qui mecum longa exilia perpeſſi laboraverunt, & quibus terras prædiorum non dedi; ſecundum uniuſcujuſque menſuram diſpertite illis: ut habeant, unde ſe poſt me ſuſtentent. Iterum alia vice poſt ſpatium temporis fidelibus dixit: Fratribus recolite, quod hunc Tatberhtum Presbyterum, propinquum meum, qui nunc uſque meus comes fuit individuus, hujus Cœnobii conſtituo in HRypis Præpoſitum: ut regimen meum, quamdiu vixero, habeat; & poſt obitum meum ſine ſcrupulo poſſideat. Ideo namque hæc ſtatuta dico, ut me Michael Archangelus viſitans paratum inveniat; ſigna enim obitus mei multa frequentant.*

LXI. *Monaſterii rebus diſpoſitis, pergit ad Coelredum Regem Merciorum.*

POſt has ergo ſermocinationes, ſecundum juſſionem Pontificis noſtri pulſato ſigno, tota familia HRyporum ſimul in unum congregata eſt: ad quam introgreſſus Sanctus Pontifex noſter, & reſidens loqui incipiebat, hoc modo dicens: *Frater noſter reverentiſſimus Celinus aliquamdiu Præpoſitus debitæ noſtræ obſervantiæ multum in Domino laboravit: & nunc ad priſtinum ſtatum converſationis atque ad deſerta loca revertere, & contemplativam vitam, ſicut olim, exercere, & ſoli Deo ſervire concupiſcit. Et hoc ei diutius nolo renuere. Admoneo tamen vos, ut regulariter vitæ veſtræ inſtitutionem conſervare dignemini, uſquedum Deo volente iterum veniam ad vos. Verum hi duo Abbates*

bates noſtri, Tibba & Æbba præſentes, à * *Coelredo Rege Merciorum, invitantes me ad colloquium ejus, & hoc pro noſtrorum Cœnobiorum ſtatu, quæ in Regno ejus ſunt, me conſentire ſuaſerunt: Quis enim omnem vitam ſuam meo judicio diſponere promittit. Et iterum cum revertero ad vos, Deo volente vita comite adducam mecum, quem inveni dignum virum veſtræ præpoſitionis principatu. Sin vero aliquid propter frequentes infirmitates meas, Deo providente aliud contigerit; quemcumque hi teſtes, qui nunc juxta me ſedent, Tibba & Æbba Abbates, Tatberhtus, & Hadufrid Preſbyteri, magiſterque Aluhfridus venientes vobis dixerint; illum ſuſcipite, & Abbatem conſtituite; & obedientiam, quam Deo mihique promiſiſtis, & hucuſque perfeciſtis; ſecundum præceptum meum illi reddite.* [Tum omnes] geniculantes lacrymanteſque, inclinato capite in terram omnia præcepta ejus adimplere promiſerunt: pronique orantes, Sanctus Pontifex noſter benedixit eos, & Domino commendavit, & ab eo die ultra faciem ejus ſimul non viderunt.

LXII. *Obit in Cœnobio Undalenſi; officia pro mortuo.*

PErgens igitur ſanctus Pontifex noſter cum pace & benedictione omnium, tam Principum, quam ſubditorum Ultra-Umbrenſium, ad auſtralia Regna tetendit: ibique Abbates ſuos omnes in adventu ejus gaudentes invenit. Illic enim quibuſdam ſupradicta teſtamenta ex ordine narravit, & unicuique eorum ſecundum ſuam menſuram, aut cum terris vitam Monachorum ſuorum augmentavit, aut cum pecunia corda eorum lætificavit, quaſi Prophetiæ ſpiritu ante obitum ſuum hæreditatem hæredibus diſpertiens: Poſtremo ad Monaſterium ejus, quod in Undolum poſitum erat, in quo olim Andreæ Apoſtoli dedicavit Eccleſiam, pervenerunt: ibique ſtatim à languore infirmitatis coanguſtatus eſt; ita ut intelligeret vicinum ſibi eſſe finem hujus vitæ, & paucis verbis admonuit eos, ut memores eſſent omnium bonorum, quæ ante locutus eſt. Nam omnem vitæ ſuæ converſationem memorialiter prius enarravit Tatberhto Presbytero videlicet propinquo ſuo, quadam die equitantibus illis per viam, quaſi præſciens obitum ſuum: nec non recordatus erat omnes terras in diverſis locis, quas Abbatibus ante dederat, aut tunc dare juſſit: ut erat Cœnobium in Haguſtaldeſe, quod Accan Presbytero, qui poſt eum erat Beatæ memoriæ gratia Dei Epiſcopus, in poſſeſſionem dare præcepit. Poſtquam pauca locutus eſt, benedixit eos, ſicut Jacob bendixit filios ſuos: Et cum quiete, non cum gemitu & murmure caput ad cervical lectuli inclinavit & requievit: Illi vero in choro die noctuque indeſinenter Pſalmos canentes, & cum fletu miſcentes uſquedum in Pſalmo CIII. ad verſiculum illum pervenerunt, in quo dicitur, *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Tunc ſanctus pontifex noſter emiſit ſpiritum ſuum, & omnes ſtupefacti ſunt, audientes ea hora ſonitum quaſi avium advenientium, nube teſtium confirmante Abbatem ordinatum acceperunt; qui pro patris amore ſui Sancti Pontificis noſtri multa bona facere conſuevit. Nam omni die pro eo miſſam ſingularem celebrare; & omni hebdomada quintam feriam, in qua obiit, quaſi Dominicam, in epulis venerari; & anniverſaria die obitus ſui univerſas decimarum partes de armentis, & de gregibus pauperibus populi ſui dividere omnibus diebus vitæ ſuæ ad gloriam Dei conſtituit, abſque his eleemoſynis, quas omni die, pro ſe & pro anima Epiſcopi ſui, ſemper nominatim ſimul indigenis & Deo dabat.

LXIII. *Funeris pompa ad Cœnobium Ripenſe; miracula.*

DOminus itaque noſtrum ſanctum Pontificem, magnum virum & fidelem ſervum, ſicut credimus, apud ſe inter ſuos ſanctos miraculorum v irtuus hominibus declaravit. Nam quadam die Abbates undique advenientes

* *Al. Ceolfredo.*

entes ſanctum corpus pontificis in curru deducentibus, ab iiſque petentibus ſanctum corpus lavare, & diligenter honorificeque indui, ſicut dignum erat; licentiam impetraverunt, Tunc enim quidam ex Abbatibus, nomine Bacula, ſyndonem ſuam ſupra faciem terræ expandit, & ſuper eam ſanctum corpus depoſuerunt fratres, ſuis manibus lavantes, eccleſiaſticeque induentes, & præfinitum locum cum hymnis & canticis cum timore Dei portabant: & ſuper domum, quaſi reſidentium avium cum ſonitu iterum audierunt, & ſtatim iterùm avolantium in cœlum cum ſuavi modulamine pennarum. Sapientes autem, qui illic aderant, dixerunt, certe ſe ſcire, angelorum choros cum Michaele veniſſe, ac animam ſancti Pontificis in Paradiſum deducere. Deinde extento foris tentorio, ſanctum corpus balneaverunt, & balneum ibi in terram fuderunt, & habitatores cellæ ligneam crucem ibidem poſtea erexerunt: ibique Dominus multa mirabilia facere conſuevit. Noſtri vero ſanctum corpus linteis induentes, & in curru ponentes, pſalmodiamque canentes, cœpto itinere uſque ad HRypenſe monaſterium pervenerunt: Quibus mox familia tota cum ſanctis reliquiis in obviam exivit. Pene nullus ſe à lachrymis & fletu abſtinuit, elevata voce cum hymnis & canticis introduxerunt ad ſe, & in baſilicam, quam ſanctus Pontifex noſter olim in honorem ſancti Petri Apoſtoli ædificavit & dedicavit, corpus ſanctiſſimi viri honorifice depoſuerunt, anno ætatis ſuæ LXXVI. Quantos vero per XLVI annos Epiſcopatus & Presbyteros & Diaconos ordinaverit, & quantas Eccleſias dedicaverit, quis enumerare poteſt? cujus laus manet in æternum. Et dignum hæredem Tatberhtum Presbyterum ſecundum præceptum Sancti Pontificis noſtri circumdantes Abbates deduxerunt. Iterum itaque Præfatus Abbas ſyndonem ſuam paululum a pedibus miniſtrantium ſordidatam puero ſuo miniſtro involutam dedit, præcipiens ei, ut ad Abbatiſſam ſancti Pontificis noſtri nomine Cynedryd eam deduxiſſet; ſibique talem ſervaret, uſquedum iterum Deo volente ad eam perveniſſet, quæ præceptis Abbatis primitus obediens, poſtremo tamen mundare eam præcepit. Et hoc audiens quædam debilis paupercula ſanctimonialis, per multos annos, ut in Evangelio legimus, aridam manum & inutilem habens, ad Abbatiſſam accedit, cum lachrymis genuflectens adjuravit eam, dicens: In nomine Jeſu-Chriſti, & pro anima ſancti Epiſcopi tui, indulge mihi mea decrepita membra in hoc lavacro lavare. Credo enim indubitata fide, hanc meam manum incurvatam, & brachium longo tempore emarcuatum, in eo lavacro per ſancti ſudoris commixtionem Deo volente poſſe ſanari. Abbatiſſa vero religioſa renuere timens, ſecundum fidem ſuam licentiam dedit. Illa etenim ſtatim cum manu una alteram inſenſatam calefactæ aquæ lexivæ immerſit; ſyndonemque tetigit, & ſtipitem aridæ manus cum veſtimento fricans lavavit. Deinde (quid magis moror in verbis?) digiti erecti, manus vivificata, brachio roborato à tactu ſyndonis per fidem ſanabatur, ſicut mulier ſanata erat, quæ tetigit fimbriam veſtimenti Jeſu; atque gratias agens Domino in mirabilibus ſuis laudabat eum.

LXIV. *Vndalenſe Monaſterium ex parte cœlitus ſervatum.*

ALio quoque in tempore, Dominus Sanctum ſuum Pontificem noſtrum miranter laudabilem more ſuo hominibus ſuis oſtendit. Nam ſupradictum Cœnobium in Undulum, ubi Pontifex noſter viam patrum ivit, nobiles quidam exſules cum exercitu cauſa injuriæ ſuæ ſpoliantes, totum combuſſerunt, excepta una domo, in qua Sanctus Pater noſter obiit, quam diligenti cura cum titionibus & lampadibus ſine cauſa accendere nitebantur. Nam contra naturam ignes eorum detecti, ſtipulo, quaſi madefactis facibus exſtinguebantur. Poſtremo tamen unus ex iis audaci animo introgreſſus, fœnum aridum intus facilius accendere putans, vidit hominem ju-

venem ſtantem in albis, & in ſua manu crucem tenentem auream, ille autem, ſtatim ut vidit, ſtupefactus, & in exceſſu mentis foras rediens, dixit: Recedamus hinc; ecce Angelus Domini hanc domum defendit. Et ab ea receſſerunt. Deinde etiam, quod multorum teſtimonio comprobatur, erat ſepes magna ſpinea, quæ Monaſterium circumcingebat: & eam ſtatim flamma ex hac parte devorante exardeſcebat uſque ad locum, ubi crucem ligneam in loca balnei erectam diximus. Ibi e Regione crucis ignis ille vorax extemplo evanuit: ex altera vero parte Monaſterii ignis ardens, per arentem ſpineam ſepem, cito circumiens uſque ad Angulum eminus ſupra dictæ domus, ibique minuato lumine exſtinguebatur: ibique ea ſola parte ſepis incontaminata manente, homines quoque malevoli ſupradicti vindicante Deo perierunt. Nam quidam nobiliſſimi ex his erant cum exercitibus ſuis poſt intervallum temporis in clara luce excæcati, nihil videntes, ab hoſtibus ſuis improvidi undique coacti, moxque proſtrati & occiſi ſunt: paucique ex ſociis eorum evaſerunt ſigno muniti. Tali igitur prodigio ſanctus Dei Wilfridus precibus injurias vindicavit.

LXV. *De ſigno circuli.*

IGitur poſtquam Sanctus Pontifex noſter migravit ad Dominum, ubique Abbates ejus cum ſubjectis ſuis antiquorum hoſtium inſidias timentes dixerunt: quamdiu vixit optimum caput vitæ noſtræ, frequenter à regibus & Principibus Britanniæ tentationes ſuſtinuimus, quibus omnibus propter Sanctitatem Pontificis & ſapientiam, multorumque amicorum ſubſidium, finem venerabilem ſemper imponere conſuevit: nunc autem noſtrum eſt plane perfecteque credere, interceſſorem noſtrum per ſignum Sanctæ crucis coæquari Apoſtolis Dei Petro & Andreæ, quos maxime diligebat, & quibus ſubſtantiam ſuam cum ſubditis dedicavit, in conſpectu Dei ſine ceſſatione noſtræ defenſionis tutorem exſiſtere. Et mox hujus credulitatis ſignum in cœlo apparuit. Nam anniverſaria die Pontificis noſtri, undique Pontifices noſtri, undique Abbates, ſuos ab oriente & Occidente, ab Aquilone & Auſtro ad ſolemnem diem congregantes, in unum convenerunt, vigiliaſque veſpere facientes in Eccleſia, ubi membra S. Epiſcopi noſtri requieſcunt. Fratribus vero quibuſdam 2ª hora foris ſtantibus, hebetioris ingenii, ſignum in cœlo apparuit: cujus viſionem alternatim uſque mane reticuerunt. Craſtina die audientes nuntiatum, grave tulerunt, muſſitantes pro peccatis ſuis ſibi non eſſe revelatum. Cujus honeſtate levamen & ſolamen mox ſubvenit. Nam cum ſolemnitatis convivio & cœna finita in crepuſculo veſpertino Abbates cum omni familia ad Completorium orationis exierunt; ſtatim in cœlo ſignum admirabile viderunt, quod eſt candidum circulum totum Cœnobium circumdans, quaſi per diem arcus cœli abſque variis coloribus. Namque hujus candidi circuli principium incipiens à cornibus baſilicæ noſtræ Sancto Petro dedicatæ, è regione ubi membra noſtri Epiſcopi requieſcunt, in Auſtralem tendens dexteramque partem Cœnobii, ample circumiens uſque ad Aquilonem pervenit. Deinde continuato circulo in Euro-notum orientis cœli ſurſum adhærens finem defixit, nos vero adorantes laudavimus Dominum mirabilem in ſanctis ſuis, perſpicue intelligentes murum auxilii divini circa vineam familiæ Domini electam, ſicut evidenter de nobis timentibus rei eventus probavit. Nam quia in omnibus regnis citra ultraque Umbrenſium vita noſtra ſub Abbatibus electis utebatur; fratribus videntibus concurrerunt quaſi quidam arcus tendentium & ſagittas mittentium, ac in ſemetipſis retorquentium: nos autem in nomine Domini magnificabimur.

FINIS.

EULOGIUM
BRITANNIÆ
SIVE
Hiſtoria Britonum
Auctore, NENNIO.

N E N N I I
Hiſtoria Britonum.

Incipit Hiſtoria *Nennii* Britonum Hiſtoriographi in Hiſtoria Britonum.

HUMILIS Servorum Chriſti miniſter & ſervus Nennius, Dei gratia Sancti Elboti diſcipulus, cunctis veritatis obauditoribus, ſalutem. Veſtræ ſit notum charitati, quod cum rudis eram ingenio, & idiota ſermone, hæc pro modulo meo, non proprio nitens ſcientiæ, quæ vel nulla vel admodum rara & exilis eſt, Latinorum auribus idiomatizando tradere præſumpſi: ſed partim majorum traditionibus, partim ſcripti, partim etiam monimentis veterum Britanniæ incolarum, partim & de annalibus Romanorum; inſuper, & de Chronicis ſanctorum Patrum, ſcil. Jeronymi, Proſperi, Euſebii; necnon & de hiſtoriis Scotorum Saxonumque, licet inimicorum, non ut volui ſed ut potui, meorum obtemperans juſſionibus ſeniorum, unam hanc hiſtoriunculam undecunque collectam balbutiendo coacervavi: & remanentes ſpicas actuum præteritorum, ne penitus calcatæ deperirent, quarum ampla ſeges quondam extranearum gentium infeſtis meſſoribus ſparſim prærepta eſt, poſterorum memoriæ pudibundus mandare curavi. Quippe multis obnoxius, qui vix aliorum dictamina ſuperficie tenus, prout utile eſſet, intelligere hucuſque quiveram, nedum propria incude ſufficiens, ſed velut barbarus aliorum linguam infringens temere commerdavi. Attamen internum vulnus circum præcordia volvens egre ſerebam, ſi propriæ gentis nomen quondam famoſum & inſigne, oblivione corroſum fumatim evaneſceret. Sed quoniam utcunque hiſtoriographum Britannorum me malo eſſe quam neminem, quamvis adeo plures inveniantur, qui hunc laborem mihi injunctum ſatius explere poterant; relegentes humili prece poſco, quorumcunque aures inconcinnitate verborum offendero, quo veniam majorum voto parenti facili exauditione ex debito ſe noverint præbituros: Errat namque multotiens impotentis effectus, quem errare, ſi poſſet, non ſineret fervens affectus: ſerviat itaque ſufficiens charitas, quibus ſufficere non potuerit verborum meorum inconcinna ſimplicitas; nec vileſcat in auribus audientium hiſtoriæ veritas, quam imperito linguæ vomere exarare ſic auſa eſt mea ruſticitas. Si quidem tutius eſt, ſalubrem documenti hauſtum quolibet vili vaſculo ebibere, quam mixtum melle dulcis eloquentiæ venenum mendacii aureo poculo præſtare. Nec ergo te pigeat diligens lector, excuſſis verborum paleis, hiſtoriæ grana horreo memoriæ condere; quoniam non quis dicat, aut qualiter dicatur, ſed quid dictum ſit veritatis teſtimonio magis attendendum eſſe probatur. Nam nec contemptibilem æſtimat gemmam: poſtquam de cœno jacuerat exterſit, quod ſuo theſauro dignatus eſt poſtmodum adjicere. Cedo namque majoribus & eloquentioribus, quicunque benigno ardore accenſi, exaratura barbarizantis lingua materiam, Romanæ verriculo eloquentiæ planare ſtuduerint, ſi inconcuſſam reliquerint hiſtoriæ columnellam quam ſtatui permanere. Egimus itaque hæc noſtris infirmioribus ſubveniendo, non majoribus invidendo, octingenteſimo

quinquageſimo octavo anno Dominicæ incarnationis: vigeſimo verò quarto Meruini Regis Britonum. Cujus laboris precium majorum precibus recompenſari poſtulo: Sed hæc hactenus prælibata ſufficiant: cætera ſupplex obedientia pro viribus ſupplebit.

Explicit Præfatio.

Incipit Apologia Nennii *Britonum hiſtoriographi gentis* Britonum.

EGO Nennius Sancti Elbodi diſcipulus aliqua excerpta ſcribere curavi, quæ hebetudo gentis Britanniæ dejecerat, quia nullam peritiam habuerunt, neque ullam commemorationem in libris poſuerunt, doctores illius Inſulæ Britanniæ. Ego autem coacervavi omne quod inveni, tam de annalibus Romanorum quam de Cronicis Sanctorum Patrum, & de ſcriptis Scotorum Anglorumque, & ex traditione veterum noſtrorum; quod multi doctores atque librarii ſcribere tentaverint; neſcio quo pacto difficilius reliquerint, an propter mortalitates frequentiſſimas vel clades creberrimas bellorum. Rogo ut omnis lector, qui legerit hunc librum, det veniam mihi; quia cujus ſum poſt tantos hæc tanta ſcribere quaſi garrula avis, vel quaſi quidam invalidus arbiter. Cedo illi qui plus noverit in iſta peritia ſatis quam ego.

Explicit Apologia gentis Britonum.

Incipiunt Capitula.

I. DE Sex ætatibus Mundi, & quot annos unaquæque tenet.

II. Unde dicta ſit Britannia, & à quo ſit ſic nominata, qualiterque ſita, & quot in longum & tranſverſum miliaria habet; quotque civitates in ſe continet: quot genera hominum intra ſe ſuſtinet; quotque adjacentes inſulas poſſidet; quibus præſtantioribus fluminibus interluitur, per quæ divitias & delicias exterorum Regnorum deferuntur.

III. Quod Britones impleverunt eam à Mari uſque ad Mare: & à quo tempore ſecundum Annales Romanorum inhabitari cœpit: qualiterque Romanorum Sugillatio, quod in nos injuſte extorquent, refelli poteſt: De Ortu etiam Bruti & proavorum ejus, & quid Magus de eo nec dum nato prædixerit.

IV. De Regno Æneæ, Aſcanii, Silvii, Bruti & Poſthumi: & quod Bruto Britanniam venerit tempore ſacerdotis Heli.

V. De adventu Pictorum in Britanniam, & quomodo Orcades Inſulas occupaverint & hactenus obtinuerint.

VI. Quod Scoti ex Hiſpania venerint; & quo tempore Hiberniam inhabitare cœperint; & qualiter Bartholomeum de Hibernia peſtilentia cum ſuis eraſerit; & de quodam Nimec qui poſtea illo venit, ſed & poſtea cum ſuis rediit.

VII. De tribus filiis cujuſdam militis Hiſpaniæ, qui Hiberniam applicuerunt: quomodo caſtellum vitreum in mari viderunt, & illud oppugnantes perierunt. Sed tamen reſidui eorum cum ſupervenientibus Hiſpanis paulatim totam Hiberniam poſſiderunt.

VIII. Quod nulla certa hiſtoria originis Scotorum continetur.

IX. Quamdiu Hibernia inhabitabilis fuit. Et de quodam nobili Scytha genere Pharaonis, quem, Rege ſubmerſo cum ſuis, Egyptii expulerunt: quomodo peregrinando vagatus ſit. Et quando Hiberniam appulerit: &

& quot annos, Tribuni, Dictatores ac Conſules Rempublicam obtinuerunt.

X. Qua ætate Britones venerunt ad Britanniam; & qua Scithæ, id eſt, Scoti, qui nunc dicuntur Hibernenſes, ad Hiberniam: & quomodo Britones à Pictis & Scotis impugnati ſunt: quo etiam tempore Romani Monarchiam Mundi adepti fuerint & Scotorum peritiam.

XI. De ſupputatione annorum Incarnationis Domini, Patricii, Brigidæ, Columkillæ; & quo anno Saxones Britanniam venerint.

XII. Aliud experimentum de ortu Britonum indigenarum traditionibus Seniorum, & ex veteribus libris veterum Britonum inventum: Quomodo tres filii Noe diviſerunt Orbem terrarum in tres partes poſt diluvium.

XIII. De nobilitate Britonum, & quod illi de genere Japhet deſcenderint à quodam Alanio, cujus genealogiam uſque ad Adam protoplaſtum ducit.

XIV. Quomodo Julius Cæſar bis à Britonibus repulſus ſit, & quomodo bis victus de Britannia ſine pace & cenſu in fugam rediit.

XV. Qualiter tertio ſuperatis Britonibus Inſulam occupavit; Britoneſque ſibi ſubvigavit & illos tributarios fecit; cenſumque reddere coegit.

XVI. Quod in honorem Victoriæ Julii, Menſis Julius, qui & Quintilis, dedicatus ſit.

XVII. Quod Claudius Imperator cum magno labore & detrimento, ſecundò poſt Julium Britones vicit, & uſque ORCADES totam Inſulam obſedit; & ubi objerit.

XVIII. Quanto tempore ab incarnatione Domini Britones fidem Chriſti ſuſceperunt.

XIX. Qualiter Severus Imperator tertius murum trans Inſulam ob incurſionem Pictorum Scotorumque facere præcepit, & illos à Britonibus diviſit, & ubi poſtea peremptus.

XX. Quomodo Carutius Imperator vindicatus ſit Severum, ſatiatus ſanguine Britonum; & ubi fornicem triumphalem in memoriam ſuæ victoriæ conſtruxit.

XXI. De Conſtantio Conſtantini Magni filio, ubi objerit & ſepultus ſit. Et quæ ſemina in pavimento urbis ſeruerit.

XXII. De Maximo Imperatore, cujus temporibus Sanctus Martinus virtutibus claruit, & quando Imperatores Cæſares nominari deſierunt.

XXIII. De Maximiano Tyranno, qui fretus milite Britonum Gratianum occidit Imperatorem, & Britanniam juvenili flore ſpoliavit, ac Britanniam Minorem, & ad incolatum dedit, ſicque eos tranſmigrare fecit, & quod nunquam poſtea reverti potuerunt.

XXIV. De ſecundo etiam Severo, qui ſolita ſtructura murum alterum, ad arcendos Pictos & Scotos, fieri à Tinmuthe uſque ROUVENES præcepit.

XXV. De Conſtantio, qui Britonibus in Britannia Imperator ultimus præfuit: & quamdiu regnum Romanorum in Britones perduravit, & quando illi Romanos ulterius recipere noluerunt.

XXVI. Quo tempore Britones jugum Romanorum abjecerunt; & quando Nicæna Synodus, Ambroſius, Martinus, Jeronymus, floruerunt, & de Maximiniano Tyranno & filio ejus victoriæ: qualiter & ubi interfecti fuerunt. Et quot anni ab initio Mundi & ab incarnatione Chriſti uſque ad illud tempus tranſierunt.

XXVII. Quot vicibus Britones Romanorum duces occiderunt, & qua calliditate eos tum ſemper ad auxilia ſibi ferenda provocaverunt. Et quot annis Britones ſub dominio Romanorum fuerunt.

XXVIII. Quod ab expulſione Romanorum uſque ad adventum Saxonum, per annos videlicet XL, tota Britannia ſub maximo metu fuit. Et quando

quando Vortigernus Rex impius regnavit; quot timoribus quantiſque anxietatibus oppreſſus extitit: quoto anno à Paſſione Domini Saxones ſuſcepit, & Inſulam Tanet ad inhabitandum tradidit; & de proſapia etiam Hengiſt, & quomodo Britanniam venit, & quomodo imperium Romanorum ſuper Britones omnino eſſe deſiit.

XXIX. Quando ſanctus Germanus fidem prædicaturus Britanniam venerit, & Pelagianam hæreſim extirpavit, damnavit, & omnino deſtruxit.

XXX. De Benli Rege infideli & Tyranno, qui ſanctum Germanum recipere noluit, ſed aditum domus ſuæ prohibuerit.

XXXI. De ſervo qui eum ad hoſpitium invitavit, & de vitulo nocte occiſo, cocto & comeſto, & mane coram matre vivo ſano & integro invento.

XXXII. De quodam viro ab eo baptizato, & juxta ejus vaticinium mox defuncto, & ab angelo Dei ſuſcepto.

XXXIII. Qualiter hoſpitis ſui filios de opido educi præcepit, & nocte ipſa arcem cum Rege ignis de cœlo funditus conſumpſit.

XXXIV. Quomodo vir ille qui ſanctum hoſpitio recepit credidit, & baptizatus fuit, & juxta verbum ejus de ſervo Rex factus eſt: de Regno Powiſorum & omnibus filiis ejus.

XXXV. Qualiter Britones annonas Saxonibus promiſerunt, ut pro eis adverſus hoſtes, ſcilicet Pictos & Scotos, dimicarent, ſed poſtea facere noluerunt.

XXXVI. Qualiter Rex Vortigernus Romwennam filiam Hengiſti adamaverit & duxerit, & Cantiam ſibi in dotem dederit.

XXXVII. Qualiter Hengiſtus Ottam filium ſum, & Ebiſſam filium Hors fratris ſui, ad aquilonales partes Britanniæ invitavit, & quam ſeditioſè gens Saxonum per Hengiſtum poſtea clam & parumper venerit.

XXXVIII. Quomodo Rex Vortigernus filiam ſuam propriam violaverit, & de ea filium genuerit, & crimen in Epiſcopum retorquere voluerit, & ſancto Germano imperanti in Concilio coram omnibus ab infante proditum ſcelus illius ſit, & ſic à beato Germano & omni Conventu damnatus ſit.

XXXIX. Quale Conſilium Britones Regi Vortigerno dederint.

XL. Quomodo cum Magis ſuis locum caſtelli quærens, Snaudune, id eſt Mons Nivis, reperit, ſed omnis collecta materies tertio ſubito terra dehiſcente abſorpta ſit.

XLI. Quomodo Rex Vortigernus Magos ſuos conſuluit, qui ei reſponderunt, dicentes, ſe non poſſe arcem ædificare, ni prius aſpergeretur ſanguine alicujus pueri, qui ſine Patre conciperetur.

XLII. De Puero ſine patre quæſito & invento: quid de ſtagno ſub terra poſito, vaſe, tentorio & Draconibus, & eorum duello prædixerit, & qualiter hæc omnia expoſuerit.

XLIII. Qualiter Rex Vortigernus Ambroſio arcem dedit quam ædificare non potuit.

XLIV. De Vortemir filio Vortigerni Regis, qualiter Saxones cum Principibus eorum, interfecto Hors, viriliter pepulit, & per quinquennium abegit.

XLV. De tribus bellis principalibus, quæ Vortemir contra Saxones geſſit: & quid moriens de ſe ſepeliendo præceperit.

XLVI. Qualiter poſt obitum Vorthemir, Vortigernus iterum Saxones recepit, & de ſimulata pacis concordia per Saxones erga Britones.

XLVII. Quomodo ipſe Vortigernus dolo à Saxonibus captus fuerit, & ſuggeſtione Hengiſti Vortigernum redimere ſe ſolum coegerunt, & quas terras pro redemptione ſua acceperint, & qua fraudulentia Saxones cultellis Britones trecentos viros optimos occiderunt.

XLVIII. De ſecundo adventu ſancti Germani in Britanniam, & qualiter

ter fugientem Vortigernum ut ei fidem prædicaret, ſanctus Germanus ſollicite ſubſecutus ſit, & nocte igne de cælo cadente Rex in arce cum ſuis cruſtus fuit.

XLIX. Quod quædam aſſertio ſit, quod cor ejus ex dolore crepuerit.

L. Item, aliorum opinio aſtruit quod terra eum deglutiverit, cum nihil de eo, vel ſuis reſiduum inveniri in terra potuerit.

LI. Quod quatuor filios Vortigernus habuerit, & de ſancto Fauſto quem de filia ſua genuerit.

LII. De Vortigerni progenie, & retrograda proavorum, tritavorum, & atavorum ejuſdem ſerie.

LIII. De reditu ſancti Germani, & captivitate ſancti Patricii; & quomodo Romam ierit & plura didicerit; & Paladius Scotis prædicaturus apud Pictos objerit.

LIV. Quod angelo monente ad Scotos convertendos ſanctus Patricius miſſus ſit.

LV. Ubi & à quibus ſanctus Patricius Epiſcopus ordinatus ſit, ibique nomen ſuum immutaverit.

LVI. Quod prius Britonibus prædicaverit, & deinde in Hiberniam migraverit.

LVII. Quo anno Incarnationis Dominicæ incœpit ibi prædicare, vel cujus Regis tempore & quot annos prædicaverit, vel quanta miracula perpetraverit.

LVIII. Quæ ſcripſerit, quot Epiſcopos Eccleſiæ vel Presbyteros conſecraverit: quot Regis & hominum Millia baptizaverit, & ubi per dies quadraginta jejunaverit & oraverit.

LIX. Quod tres petitiones in acervo Ely à Domino impetraverit, & in ſpecie avium animas Hibernenſium fidelium ad ſe conveniſſe viderit.

LX. Quod quatuor, & quibus modis ſanctus Patricius Moyſi Legiſlatori comparetur & æquiparetur.

LXI. De morte Hengiſti, & quod poſt ejus obitum Otta filius ejus tenuit Regnum Cantuarienſium.

LXII. De Arturo Rege belligero, & de duodecim bellis quæ adverſus Saxones habuit. Et de Imagine ſanctæ Mariæ in qua triumphaverit, & quot adverſariorum uno impetu proſtravit.

LXIII. Quod Saxones ſemper & ſine intermiſſione de Germania contra Britones auxilium petebant, & multipliciter augebantur, & ſecum Reges ut regnarent ſuper eos deducebant, uſque ad Ida qui primus regnavit in Bernicia.

LXIV. De Ida primo Northumbrorum Rege, & ejus genere, & de ſancti Paulini Archiepiſcopi baptiſmate.

LXV. Quæ ſint nomina vigeſimarum octavarum Civitatum præcipuarum Britanniæ.

Expliciunt Capita.

Incipit Hiſtorica Orthographia de Sex ætatibus Mundi.

CAP. I.

A Principio mundi uſque ad diluvium anni ſunt II. CC. XLII. Adiluvio uſque ad Abraham anni ſunt DCCCC. XLII. Ab Abraham uſque ad Moyſen anni ſunt DCXL. A Moyſe uſque ad David D. anni. Et à David uſque ad Nabuchodonoſor anni ſunt D. LXIX.

Ad Adam uſque ad tranſmigrationem Babyloniæ anni computantur IV. DCCLXXIX. A tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum D. LXIII. Ab Adam vero uſque ad Paſſionem Domini noſtri Jeſu-Chriſti anni ſunt V. CC. A Paſſione autem Chriſti peracti ſunt anni DCCC. Ab Incarnatione autem ejus anni ſunt DCCCXXXII. uſque ad triceſimum annum Enarauth Regis Moniæ, id eſt, Mon, qui regit modo regnum Wenedociæ regionis, id eſt, Guernet. Fiunt igitur anni ab exordio Mundi uſque in annum præſentem VI. C. VIII.

Prima mundi ætas ab Adam uſque ad Noe.

Secunda à Noe uſque ad Abraham.

Tertia ab Abraham uſque ad David.

Quarta ætas à David uſque ad Danielem.

Quinta à Daniele uſque ad Johannen Baptiſtam.

Sexta à Johanne Baptiſta uſque ad judicium, quando veniet Dominus Jesus Christus judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. Britanniæ igitur experimentum juxta traditionem veterum explicare curabo.

Incipit Hiſtoria Nennii *Britonum Hiſtoriographi de prima inhabitatione Britonum Britannicæ Inſulæ.*

CAP. II.

BRitannia Inſula [à Britone filio Hiſicionis, qui fuit filius Alani de genere Japhet, dicta eſt, vel ut alii dicunt] à quodam Bruto Conſule Romano vocatur: Hæc autem ſurgit ab Africa brumali ad occidentem vergens DCCC in longitudine Millium, CC in Latitudine porrigit ſpatium. In ea ſunt XXVIII Civitates, & innumerabilia promontoria, cum innumeris Caſtellis ex lapidibus & lateribus fabricatis: in ea prius habitabant quatuor gentes, Scoti, Picti, atque Saxones, & Britones. Tres magnas Inſulas habet, quarum una vergit contra Armoricas gentes [id eſt, ultra marinos Britones] & vocatur With, quam Britones inſulam Gueid vel Guith [*vocant*] quod Latine divortium dici poteſt. Secunda ſita eſt in umbilico Maris, inter Hiberniam & Britanniam, vocaturque nomen ejus Eubonia, Man. Tertia ſita eſt in extremo limite Orbis Britanniæ ultrà Pictos, & vocatur Orcania Inſula. Sic in proverbio antiquo dicitur, quando de judicibus vel Regibus ſermo fit, judicavit Britanniam cum tribus Inſulis: ſunt in ea multa flumina, quæ confluunt ad omnes partes, id eſt, ad orientem, ad occidentem, ad meridiem, ad ſeptentrionem. Sunt tamen duo flumina præclariora cæteris fluminibus, Tamiſia & Severnia, quæ duo brachia Britanniæ, per quæ olim rates vehebantur ad deportandas divitias, cauſa negotiationis.

CAP. III.

BRitones enim jam olim impleverunt eam, & judicaverunt à Mari uſque ad Mare [id eſt, à Totenes uſque ad Catenes] ſi quis ſcire voluerit quo tempore poſt diluvium habitata eſt [hæc Inſula] hoc experimentum bifarie inveni. In Annalibus autem Romanorum ſic ſcriptum eſt. Æneas poſt Trojanum bellum cum Aſcanio filio ſuo venit ad Italiam; & ſuperato Turno, accepit Laviniam filiam Latini Regis, filii Fauni, filii Piſci, filii Saturni, in conjugium. Et poſt mortem Latini, Regnum obtinuit Latinorum. Aſcanius autem Albam condidit, & poſtea uxorem duxit, & peperit ei filium nomine Silvium. Silvius autem duxit uxorem, & gravida fuit; & nuntiatum eſt Æneæ quod nurus ſua gravida eſſet; & miſit ad Aſcanium filium ſuum, ut mitteret Magum ſuum ad conſiderandam uxorem, & exploraret quid in utero haberet, ſi maſculum vel fœminam. Et venit Magus, & conſideravit mulierem, & reverſus eſt: dixitque Aſcanio Æneæ filio quod maſculum haberet uxor ejus in utero, & fœtus ejus erit fortis, quia occidet, inquit, patrem & matrem ſuam, & erit exoſus omnibus hominibus. Propter hanc vaticinationem occiſus eſt Magus ab eis. Et ſic evenit ut in nativitate illius mulier eſt mortua, & nutritus eſt filius, vocatumque eſt nomen ejus Bruto [Bruto verò fuit filius Silvii, filii Aſcanii, filii Æneæ, filii Anchiſæ, filii Capen, filii Aſaraci, filii Trois, filii Erictomi, filii Dardani, filii Jovis de genere Cam, filii maledicti videntis, & ridentis patrem Noe. Tros vero duos filios habuit, Ilium Aſaracumque. Ilius condidit Ilium Civitatem, id eſt, Trojam primò, genuitque Lamedon; ipſe eſt pater Priami. Aſaracus autem genuit Capen, ipſe eſt pater Anchiſæ, Anchiſes genuit Æneam. Ipſe Æneas pater Aſcanii] Poſt multum enim intervallum temporis, juxta vaticinationem Magi, dum ipſe luderet cum aliis, inopino ictu ſagittæ occidit patrem ſuum, non de induſtria, ſed caſu. Propter hanc cauſam expulſus eſt ab Italia: & Ariminis fuit: & venit ad Inſulas Maris Tyrreni, & expulſus eſt à Græcis pro cauſa occiſionis Turni, quem Æneas occiderat, & pervenit uſque ad Gallos, & ibi condidit Civitatem Turonorum. [Et vocavit eam à nomine cujuſdam militis ſui, qui vocatur Turnus] & poſtea ad iſtam venit Inſulam, quæ à ſuo nomine accepit nomen, id eſt, Britanniam, & implevit eam cum gente ſua, & habitavit ibi: ab illo ſiquidem tempore habitata eſt Britannia uſque in hodiernum diem.

CAP. IV.

ÆNeas autem regnavit tribus annis apud Latinos. Aſcanius annis XXXVII; poſt quem Silvius Æneæ filius regnavit annis XII. Poſthumus annis XXXIX, à quo Albanorum Reges Silvii ſunt appellati; cujus frater erat Brito. Qui Brito regnabat in Britannia, tempore quo Heli ſacerdos judicabat Iſraelem, & tunc arca Domini ab alienigenis poſſidebatur; Poſthumus verò frater ejus, ut diximus, apud Latinos regnabat.

CAP. V.

POſt intervallum annorum multorum non minus DCCCC. Picti venerunt & occupaverunt inſulas, quæ Orcades vocantur; & poſtea ex inſulis affinitimis vaſtaverunt non modicas & multas regiones, occupaveruntque eas in ſiniſtrali plaga Britanniæ, & manent uſque in hodiernum diem. Ibi tertiam partem Britanniæ tenuerunt, & tenent uſque nunc.

CAP. VI.

NOviſſime autem venerunt Scoti à partibus Hiſpaniæ ad Hyberniam. Primus autem homo venit Bartholomeus cum mille hominibus, tam viris quam mulieribus, & creverunt uſque ad quatuor millia hominum: & venit ſuper eos mortalitas, & in una ſeptimana omnes perierunt, & non remanſit ex illis nec unus. Secundus venit ad Hiberniam Nimech quidam filius agnominis, qui fertur navigaſſe ſuper mare annum & dimidium, & poſtea tenuit portum in Hibernia, fractis navibus ejus, manſitque ibidem per multos annos, & iterum navigavit cum ſuis, reverſuſque eſt ad Hiſpaniam.

CAP. VII.

ET poſtea venerunt tres filii cujuſdam militis Hiſpaniæ cum xxx Chiulis apud illos, cum xxx mulieribus in unaquaque Chiula, & manſerunt ibi per ſpacium anni unius, & poſtea conſpiciunt turrim vitream in medio Mari; & homines intuebantur ſuper turrim, & quærebant loqui ad illos, & nunquam reſpondebant: & ipſi unanimo conſenſu ad oppugnationem turris properaverunt, cum omnibus Chiulis ſuis, & cum omnibus mulieribus, excepto una Chiula, quæ quaſſata erat naufragio, in qua erant viri xxx, totidemque mulieres. Aliæ naves navigarunt ad expugnandam turrim, & dum omnes deſcenderunt in littore, quod erat circa turrim, operuit illos mare, & demerſi ſunt, nec unus ex omnibus illis evaſit. De familiâ vero illius confractæ Chiulæ, quæ relicta eſt ut diximus per confractionem, tota Hibernia repleta eſt uſque in hodiernum diem.

CAP. VIII.

ET poſtea venerunt paulatim à partibus Hiſpaniæ, & tenuerunt Regiones plurimas. Noviſſime venit Clamhoctor, & ibi habitavit cum omni gente ſua uſque hodie, [nulla tamen certa hiſtoria originis Scotorum reperitur.] In Britannia quoque Hiſtoreth Iſtorini filius tenuit Dalrietam cum ſuis. Builc autem tenuit Euboniam Inſulam cum ſuis; filii autem Vethan obtinuerunt regionem Dimectorum [ubi civitas eſt quæ vocatur Nimeu.] Et in aliis regionibus ſe dilataverunt, i. e. *Guiher cet Guely*, donec expulſi ſunt à Cuneda, & à filiis ejus, ab omnibus regionibus Britannicis.

CAP. IX.

SI quis ſcire voluerit quanto tempore fuit inhabitabilis & deſerta Hibernia, ſic mihi peritiſſimi Scotorum nuntiaverunt. Quando venerunt filii Iſrael tranſeundo rubrum Mare, venerunt Ægyptii & ſecuti ſunt eos, dimerſique in Mari, ut Scriptura refert. Erat in illis diebus vir nobilis de Scythia cum magna familia apud Ægyptios, expulſus regno ſuo, & ibi erat quando Ægyptii merſi ſunt: ipſe non ivit ad perſequendum populum Domini. Illi autem qui ſuperfuerant injerunt conſilium ut expellerent illum, ne regnum illorum obſideret & occuparet, quia fratres illorum ſubmerſi erant in rubro Mari, ſicque expulſus eſt. [Iſte gener Pharaonis erat, i. e. Mas Scotæ filiæ Pharaonis, à qua ut fertur Scotia fuit appellata.] At ille per XL & duos annos ambulavit per Africam, & venit ad aras Philiſtinorum per Lacum Salinarum, & venit inter Ruſicadam, & montes Azare, & venit per flumen Malva, tranſiitque

per

per maritimam ad columnas Herculis, navigans per Mare Tyrrenum: & applicuit ad Hiſpaniam, habitavitque ibi per multos annos, & crevit, nimiſque multiplicatus eſt; & gens ejus multiplicata eſt. Et poſtea venerunt ad Hiberniam, poſt mille duobus annis poſt merſionem Ægyptiorum in Mari rubro, & venerunt ad Regiones Dalrieta, in tempore quo regnabat Brutus apud Romanos, a quo Conſules eſſe cœperunt, deinde Tribuni plebis ac Dictatores. Et poſtea Conſules rurſum Rempublicam obtinuerunt per annos CCCCXLVII, quæ prius regia dignitate damnata fuerat.

CAP. X.

BRitones venerunt in tertia ætate Mundi ad Britanniam, Scythæ autem, i. e. Scoti, in quarta ætate Mundi obtinuerunt Hiberniam. Scythæ autem, qui ſunt in occidente, & Picti de aquilone pugnabant unanimiter & uno impetu contra Britones indeſinenter; quia ſine armis utebantur Britones. Et poſt multum intervallum temporis, Romani Monarchiam totius Mundi obtinuerunt.

CAP. XI.

A Primo anno quo Saxones venerunt in Britanniam uſque ad annum IIII Mervini Regis ſupputantur anni CCCCXXIX. A Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque ad adventum ſancti Patricii ad Hiberniam CCCCVII anni numerantur: à morte Patricii uſque ad obitum ſanctæ Brigidæ LX. anni ſunt. A Nativitate Columkillæ uſque ad obitum ſanctæ Brigidæ IIII ſunt anni. Initium Compoti. XXIII Cylci decemnovennales ab incarnatione Domini uſque ad adventum ſancti Patricii in Hiberniam; & ipſi anni efficiunt numerum CCCCXXXVII annorum. Ab adventu Patricii in jam dictam Inſulam, uſque Cyclum decemnovennalem in quo ſumus, XXII ſunt Cycli, i. e. CCCCXXI; & ſunt III anni in ogdoade uſque in hunc annum.

CAP. XII.

ALiud experimentum inveni de iſto Bruto ex veteribus libris veterum noſtrorum. Tres filii Noe diviſerunt orbem in tres partes poſt Diluvium. Sem regnavit in Aſia, Cham in Affrica, Japhet in Europa. Sic dilataverunt terminos ſuos in tres partes, quia tot erant fratres. In Aſia ſunt Provinciæ XV. India, Achaia, Parthia, Syria, Perſia, Media, Meſopotamia, Cappadocia, Palæſtina, Armenia, Cilicia, Chaldæa, Suria, Ægyptus, Lydia. In Africa ſunt Provinciæ XII. Libya, Cirmi, Pentapolis, Æthiopia, Tripolitana, Byzantia, Getulia, Natabria, Numidia, Samaria, Syrtes majores & minores. In Europa ſunt Provinciæ XIV. Italia, Calabria, Hiſpania, Alamannia, Macedonia, Tracia, Dalmatia, Pannonia, Polonia, Gallia, Aquitania, Britannia, Hibernia. Aquilonarii, i.e. Auſtralia infra Oceanum.

[Quomodo tres filii Noe, Sem, Cham, & Japhet, diviſerunt inter ſe totum mundum poſt Diluvium in tribus partibus, & quot Provinciæ ſunt in unaquaque parte.

Britones à Bruto dicti, Brutus fuit filius Hiſicionis, Hiſicion filius Alani, Alanus filius Reæ Silviæ, Rea Silvia filia Numæ Pamphili, Pamphilus fil. Aſcanii, Aſcanius fil. Æneæ, Æneas fil. Anchiſæ, Anchiſes fil. Trois, Tros fil. Dardani, fil. Flire, fil. Juvani, Juvanus fil. Japhet. Iſte Japhet VII filios habuit, primus Gomer à quo Galli, ſecundus Magog à quo Scythæ & Gothi, tertius Aialanus à quo Medi, quartus Juval a quo Græci, quintus Tubal a quo Hebræi, ſextus Meſech a quo Cappadoces, ſeptimus Troias a quo Traces. Hi ſunt filii Japhet, filii Noe, filii Lamech, & redierunt ad id unde egreſſi ſunt.]

CAP. XIII.

[PRimus homo de genere Japhet venit ad Europam, Alanus nomine cum tribus filiis ſuis] quorum nomina ſunt hæc, Hiſicion, Armenon, Negno. Hiſicion autem habuit IIII filios, quorum nomina ſunt, Francus, Romanus, Alemannus & Brito, a quo primo Britannia habitata eſt. Armenon autem habuit filios V. Hi ſunt, Gothus, Walagothus, Cebidus, Burgundus, Longobardus. Negno autem habuit IIII filios, quorum nomina hæc ſunt, Wandalus, Saxo, Bogarus, Targus. Ab Hiſicione primogenito Alani ortæ ſunt quatuor gentes, Franci, Latini, Alemanni & Britones. Ab Armenone autem ſecundo filio Alani orti ſunt Gothi Walagothi, Cebidi, Burgundi & Longobardi. A Negno autem tertio filio, Bogari, Wandali, Saxones & Tarinci. Iſtæ autem gentes ſunt ſubdiviſæ per totam Europam. Alanus autem, ut aiunt, fuit filius Fethevir, filii Ogomun, filii Thoi, filii Boib, filii Simeon, filii Mair, filii Ethac, filii Aurthac, filii Ecthet, filii Oothz, filii Abirth, filii Ra, filii Eſra, filii Iſrau, filii Bath, filii Jona, filii Jabath, filii Japhet, filii Noe, filii Lamech, filii Methuſalam, filii Enoch, filii Jareth, filii Malaleel, filii Cainan, filii Enos, filii Seth, filii Adam, filii Dei vivi.

Hanc genealogiam inveni ex traditione veterum, qui incolæ fuerunt in primis Britanniæ temporibus; ſed redeam nunc ad id unde egreſſus ſum.

CAP. XIV.

ROmani autem, dum acceperunt dominium totius mundi, ad Britannos legatos miſerunt ut obſides & cenſum acciperent ab illis, ſicut accipiebant ab univerſis regionibus, & ab univerſis Inſulis; Britanni autem cum eſſent Tyranni & tumidi, legationem Romanorum contempſerunt. Tunc Julius Cæſar, cum accepiſſet ſingulare imperium primus, & obtinuiſſet regnum, iratus eſt valde; & venit ad Britanniam cum LX Chiulis, & venit in oſtium Tamenſis, in quo naufragium perpeſſæ ſunt naves illius; dum ipſe pugnabat contra Dolobellum, qui erat Proconſul Regi Britannico, qui & ipſe Rex Bellinus vocabatur, & filius erat Minocani, qui occupavit omnes inſulas Tyrreni Maris: & Julius Cæſar reverſus eſt ſine victoria, cæſis militibus, fractiſque navibus.

CAP. XV.

ET iterum poſt ſpatium trium annorum, venit cum magno exercitu ſexentiſque Chiulis, & pervenit uſque ad oſtium Tamenſis fluminis, & ibi injerunt bellum, & multi ceciderunt de equis militibuſque ſuis: quia jam dictus Proconſul poſuerat ſudes ferreas, & ſemen bellicoſum, quæ calcitramenta, i. e. cethilocium, in vada fluminis, [*quod*] magnum diſcrimen fuit militibus Romanorum; quia hæc ars inviſibilis fuit illis, & diſceſſerunt tunc temporis ſine pace. Geſtum eſt tertio bellum juxta locum qui dicitur Trinovantum: & accepit Julius imperium Britannicæ gentis, XLVII annis ante Nativitatem Chriſti: ab initio mundi v̄. CC. XV. conſtant anni.

CAP. XVI.

JUlius igitur primus in Britanniam pervenit, & regnum & gentem tenuit, & in honorem illius Quintilem menſem Julium debere vocari decreverunt Romani: & idibus Martis Caius Julius Cæſar in Curia occiditur: tenente Octaviano Auguſto Monarchiam totius Mundi, & cenſum a Britannia ipſe ſolus accepit, ut Virgilius: *purpurea intexti tollant aulæa Britanni.*

CAP. XVII.

SEcundus poſt hunc Claudius Imperator venit, & in Britannia imperavit XL & VIII annos poſt adventum Chriſti: & ſtragem & bellum fecit magnum, non abſque detrimento militum, tamen victor fuit in Britannia, & poſtea cum chiulis perrexit ad Orcades inſulas, & ſubjecit ſibi, & fecit eas tributarias: in tempore illius quievit dari cenſum Romanis à Britannia, ſed Britannicis Imperatoribus redditum eſt. Regnavit autem annis XIII Menſibus VIII, cujus Monumentum in Magantia apud Longobardos oſtenditur, ubi dum ad Romam ibat defunctus eſt.

CAP. XVIII.

ANno Dominicæ Incarnationis CLXIV. Lucius Britannicus Rex cum univerſis Regulis totius Britanniæ baptiſmum ſuſceperunt, miſſa legatione ab Imperatoribus Romanorum, & à Papa Romano Evariſto: [Lucius agnomine Levermaur, id eſt, Magni Splendoris, propter fidem quæ in ejus tempore venit.]

CAP. XIX.

TErtius fuit Severus, qui transfretavit ad Britannos, ubi receptas Provincias ut ab incurſione barbarica faceret tutiores, murum & aggerem a Mari uſque ad Mare per latitudinem Britanniæ, id eſt, per CXXXII Millia paſſuum deduxit, & vocatur Britannico Sermone Gaaul, per CXXXII Milliaria paſſus, id eſt, a Pengaaul, quæ villa Scotice Cenail, Anglice verò Peneltun dicitur, uſque ad oſtium fluminis Cluth & Cairpentaloch, quo murus ille finitur ruſtico opere. Severus ille prædictus conſtruxit, ſed nihil profuit. Carutius poſtea reædificavit imperator, & VII caſtellis munivit; interque utraque oſtia domumque rotundam politis lapidibus ſub ripam fluminis Carun, quod a ſuo nomine nomen accepit, fornicem triumphalem in victoriæ memoriam erigens, conſtruxit. Propterea juſſit fieri inter Britones & Pictos Scotoſque. Quia Scoti ab Occidente & Picti ab Aquilone unanimiter pugnabant contra Britones: nam & ipſi pacem inter ſe habebant, & non multo poſt intra Britanniam reverſus apud Eboracum cum ſuis ducibus occiditur.

CAP. XX.

QUartus fuit Carutius Imperator & Tyrannus, qui & ipſe venit in Britanniam tyrannide, pro occiſione Severi cum omnibus Ducibus Romanicæ gentis, qui erant cum eo in Britannia, [&] tranſverberavit omnes regulos Britonum, & vindicavit valde Severum ab illis, & purpuram Britanniæ occupavit.

CAP. XXI.

QUintus Conſtantius Conſtantini magni Pater fuit, & ibi moritur, & Sepulchrum illius monſtratur juxta urbem, quæ vocatur Cair Coſtaint, ut litteræ quæ ſunt in lapide tumuli ejus oſtendunt: & ipſe ſeminavit tria ſemina in pavimento ſuperdictæ Civitatis, ut nullus pauper in ea remaneret unquam, & vocatur alio nomine Mirmantun.

CAP.

CAP. XXII.

SExtus Maximus Imperator regnavit in Britannia; à tempore illius Conſules eſſe cœperunt, & Cæſares nunquam poſtea appellati ſunt. Et ſanctus Martinus in tempore illo claruit in virtutibus & ſignis, locutuſque eſt cum eo.

CAP. XXIII.

SEptimus Imperator regnavit in Britannia dictus Maximus: ipſe perrexit cum omnibus militibus Britonum à Britannia, & occidit Gratianum Regem Romanorum, & imperium tenuit totius Europæ, noluitque dimittere milites, qui cum eo perrexerunt à Britannia, neque ad uxores ſuas, neque ad filios, neque ad poſſeſſiones eorum, ſed dedit illis multas regiones, à ſtagno quod eſt ſuper verticem montis Jovis, uſque ad civitatem quæ vocatur Tantguic. Ipſi ſunt ad cumulum occidentalem, i. e. Crutochidenit [Britones namque Armorici, qui ultra mare ſunt, cum Maximo Tyranno hinc in expeditionem exeuntes, quoniam redire nequiverant, occidentales partes Galliæ ſolotenus vaſtaverunt, nec mingentes ad parietem vivere reliquerunt: acceptiſque eorum uxoribus & filiabus in conjugium, omnes earum linguas amputaverunt, ne eorum ſucceſſio maternam linquam diſceret, unde & nos illos vocamus in noſtra lingua Letewicion, i. e. ſemitacentes, quoniam confuſe loquuntur.] Hi ſunt Britones Armorici, & nunquam reverſi ſunt ad proprium ſolum uſque in hodiernum diem. Propter hoc Britannia occupata eſt ab extraneis gentibus, & Cives ejus expulſi ſunt; uſque dum Dominus auxilium dederit illis: In veteri traditione veterum noſtrorum, ut legimus, VII Imperatores fuerunt à Romanis in Britannia. Romani autem dicunt IX fuiſſe.

CAP. XXIV.

OCtavus fuit alius Severus: aliquando in Britannia manebat, aliquando ad Romam ibat & ibi defunctus eſt.

CAP. XXV.

NOnus fuit Conſtantinus; ipſe regnavit XVI annis in Britannia, & XVII anno imperii ſui obiit in Britannia Eboraci, ut ipſi dicunt. Hucuſque regnaverunt Romani apud Britones CCCC & IX annis. Britones autem dejecerunt regnum Romanorum, neque cenſum illis dederant, neque Reges eorum acceperunt ut regnarent ſuper eos, neque Romani auſi ſunt ut venirent in Britanniam amplius ad regnandum, quia duces eorum Britones occiderant.

CAP. XXVI.

ITerum repetendus eſt Sermo de Maximo Tyranno. Gratianus cum fratre Valentiniano regnavit annis tribus. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus clarus habebatur in Catholicorum dogmate. Valentinianus cum Theodoſio regnavit annis VIII. Synodus Conſtantinopoli CCCL Patrum celebratur, in qua omnes hæreſes damnantur. Ieronimus Preſbyter Bethleem toto mundo claruit Interpres Catholicus. Dum Gratianus imperium in toto mundo regebat; in Britannia, per ſeditionem militum, Maximianus Imperator factus eſt. Quo mox in Gallias tranſfretante, Gratianus Pariſius, Merobaudis magiſtri militum proditione ſuperatus,

peratus, & fugiens Lugduni captus & occiſus eſt: Maximus Victorem filium ſuum conſortem regni fecit. Martinus Turonenſis Epiſcopus in magnis virtutibus claruit. Poſt multum intervallum temporis à Valentiniano & Theodoſio Conſulibus, in tertio ab Aquileia lapide, ſpoliatus indumentis regalibus ſiſtitur, & capite damnatur: cujus filius Victor ab Argobaſte Comite interfectus eſt intra Galliam: peractis à mundi initio annis v. DC. XC. Ab incarnatione Domini CCCXCI.

CAP. XXVII.

TRibus vicibus occiſi ſunt Duces Romanorum à Britonibus. Britones autem, dum anxiarentur a barbarorum gentibus, id eſt, Scotorum & Pictorum, auxilium flagitabant Romanorum. Et dum legati mittebantur magno luctu; & cum ſablonibus ſuper capita ſua intrabant, & portabant magna munera ſecum Conſulibus, pro admiſſo ſcelere occiſionis Ducum; & ſuſcipiebant Conſules grata dona ab illis. Promittebant ergo Britones cum Sacramento accipere jugum Romanorum, & Romanici juris, licet durum fuiſſet. Et Romani venerunt cum exercitu maximo ad auxilium eorum, & poſuerunt Duces & Imperatores in Britannia. Et compoſito Imperatore cum Ducibus revertebatur exercitus ad Romam uſque; & ſic alternatim per CCCCXLIX annos faciebant. Britones autem propter gravitatem imperii occidebant Duces Romanorum, & auxilium poſtea petebant. Romani autem ad imperium auxiliumque, & ad vindicandum veniebant, & ſpoliata Britannia auro argentoque, cum ære, & omni precioſa veſte, & melle, cum magno triumpho revertebantur. Nunc vero ad gentem Saxonum flectendus articulus.

CAP. XXVIII.

FActum eſt autem poſt ſupradictum bellum, quod fuit inter Britones & Romanos, quando Duces illorum occiſi ſunt; & poſt occiſionem Maximi Tyranni, tranſactoque Romanorum in Britannia imperio, per XL annos ſub metu fuerunt. Gorthigernus regnavit in Britannia, &, dum ipſe regnabat, urgebatur a metu Pictorum Scotorumque, & a Romanico impetu, necnon & a timore Ambroſii. Interea venerunt tres Chiulæ a Germania in exilio pulſæ, in quibus erant Hors & Hengiſt, qui ipſi fratres erant. Hors & Hengiſt filii Guitgils, filii Gugta, filii Guecta, filii Vuoden, filii Frealf, filii Fredulf, filii Fuin, filii Folepald, filii Geata, qui fuit ut aiunt filius Dei. Nunquid ipſe eſt Dominus exercituum vel Dominus Deorum, ſed unus eſt ab idolis eorum quæ ipſi colebant. [Hæc eſt Genealogia iſtorum Marum de quibus primò creverunt Saxones.] Gortigernus autem ſuſcepit eos benigne, & tradidit eis inſulam, quæ lingua eorum vocatur Taneth, Britannico ſermone Ruithina, regnante Martiano ſecundo, quando Saxones a Gortigerno ſuſcepti ſunt, anno CCCCXLVII poſt paſſionem Chriſti.

CAP. XXIX.

IN tempore illius venit ſanctus Germanus, Antiſiodorenſium urbis Epiſcopus, ad prædicandum in Britannia; & claruit apud illos in multis virtutibus, & multi per eum ſalvi facti ſunt; & plurimi increduli perierunt: aliquanta miracula, quæ per illum Dominus fecit, ſcribenda decrevi.

CAP. XXX.

PRimum miraculum de miraculis ejus erat, quidam Rex valde iniquus atque Tyrannus, cui nomen erat Benli, in Regione Ial, & ille vir

ſanctiſſimus Germanus voluit viſitare & properare ad iniquum regem, ut prædicaret illi viam ſalutis. Et cum ipſe homo Domini veniſſet ad oſtium urbis cum comitibus ſuis, venit Portarius & ſalutavit eos. Qui miſerunt eum ad Regem, & Rex durum reſponſum dedit illis, & cum juramento dixit, ſi fuerint vel ſi manſerint uſque ad caput anni in oſtio portæ meæ arcis, non venient unquam in medio urbis meæ. Dum ipſi expectabant janitorem, ut renunciaret illis Sermonem Tyranni, Sol declinabat ad veſperum, & nox adpropinquabat, quo irent neſciebant. Interea venit unus de ſervis Regis è medio urbis, & inclinavit ſe ante virum Domini, & nunciavit illis omnia verba Regis.

CAP. XXXI.

INvitavitque illos ad caſam ſuam, & exierunt cum illo. Quos benigne ſuſcepit, & nihil omnino homo ille habebat in pecudibus, excepta vacca una cum vitulo. Quid ergo? Vitulum occidit, coxit, & poſuit ante ſervum Dei, cæteroſque ſocios ejus; quibus ſanctus Germanus præcepit ut non confringeretur os de oſſibus vituli, & ſic factum eſt: in craſtinum vitulus inventus eſt ante matrem ſuam ſanus, & vivus, incolumiſque, Dei Miſericordia & oratione ſancti Germani.

CAP. XXXII.

ITerum de mane ſurrexerunt ut impetrarent aditum urbis juxta portam præſtolantes; & ecce vir unus currebat, & ſudor illius a vertice uſque ad plantas pedum diſtillabat, inclinans ſe ante eos. Et dixit ſanctus Germanus, Credis in ſanctam Trinitatem? Et reſpondit ille, Credo, & baptizatus eſt, & oſculatus eſt ab eo. Cui dixit ſanctus Germanus, Vade in pace; in iſta hora morieris, & Angeli Dei te in aera expectant, ut gradiaris cum illis ad Dominum cui credidiſti. Et ipſe lætus intravit in arcem, & Præfectus tenuit illum & alligavit: qui ante Tyrannum deductus & interfectus eſt. Mos enim erat apud nequiſſimum Tyrannum, niſi quis ante ſolis ortum veniſſet ad ſervitutem, interficiebatur. Et manſerunt tota die juxta portam Civitatis, nec impetraverunt ut ſalutarent Tyrannum.

CAP. XXXIII.

SOlito more affuit ſupradictus ſervus, & dixit illi ſanctus Germanus, Cave ne in hac nocte aliquis de familia tua maneat in arce: iterum reverſus eſt ad arcem, & deduxit filios ſuos, quorum numerus erat IX; & ipſi ad ſupradictum hoſpitium cum Domino ſuo reverſi ſunt. Præcepitque ſanctus Germanus manere eos jejunos; & clauſis januis dixit, Vigilantes eſtote, & ſi quid evenerit, in arcem nolite aſpicere, ſed orate attentius, & indeſinenter ad Dominum noſtrum clamate: & poſt modicum intervallum noctis, ignis de cælo cecidit, & combuſſit arcem, & omnes qui cum Tyranno erant, nec ultra apparuerunt, nec arx reædificata eſt uſque in hodiernum diem.

CAP. XXXIV.

IN Craſtino vir ille, qui ſanctum hoſpitaverat, credidit, & baptizatus eſt cum omnibus filiis ſuis, & omnis regio cum eis. Nomen viri erat Ketel, & benedixit ei, addiditque & dixit. Non deficiet Dux de ſemine tuo in æternum: ipſe Ketel Durnluc dux; & tu eris Rex ab hodierna die: & ſic evenit, & impletum eſt quod per prophetam dicitur, ſuſcitan

citans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat: juxta verbum ſancti Germani Rex de ſervo factus eſt, & omnes filii ejus facti ſunt Reges, & à ſemine eorum omnis Regio Pouiſorum regitur uſque in hodiernum diem.

CAP. XXXV.

FActum eſt autem, poſtquam caſtra metati ſunt Saxones in ſupradicta inſula Taneth, promiſit Rex ſupradictus dari illis victum & veſtimentum abſque defectione; & placuit illis, & ipſi promiſerunt expugnare inimicos ejus fortiter. At illi barbari cum multiplicati eſſent numero, non potuerunt Britones cibare illos: cum poſtularent cibum & veſtimentum ſicut promiſſum illis erat, dixerunt Britones, non poſſumus vobis dare cibum nec veſtimentum, quia numerus veſter multiplicatus eſt; ſed recedite a nobis, auxilio veſtro non indigemus: ipſi vero conſilium fecerunt cum Majoribus ſuis ut pacem diſrumperent.

CAP. XXXVI.

HEngiſtus autem cum eſſet vir doctus atque aſtutus & callidus, cum exploraſſet ſuper Regem inertem, & ſuper gentem illius, quod ſine armis utebantur, inito conſilio dixit ad Regem Britannicum, pauci ſumus, ſi vis mittemus ad patriam noſtram, ut invitemus milites de militibus regionis noſtræ, & ſit amplior numerus ad certandum pro te & pro gente tua: & Rex hoc idem conceſſit. Qui illico miſerunt, & Legati transfretaverunt trans Scithicam vallem, qui reverſi ſunt cum Chiulis XVII. Militeſque electi venerunt in illis: & in una Chiula venit puella pulchra valde atque decora, hæc erat filia Hengiſti. Poſtquam veniſſent Chiulæ, fecit convivium Hengiſtus Guorthigirno Regi, & militibus ſuis, & interpreti ſuo, qui vocabatur Cerdicſelmet. [Nullo Britone Britonum ſciente Saxonicam linguam, præter iſtum Britonem: ſtudet qui legit quo eventu evenit ipſi viro intelligere ſermonem Saxonicum] Hengiſtus itaque puellam juſſit miniſtrare illis vinum & ſiceram, qui inebriati ſunt nimis & ſaturati. Illis bibentibus, intravit Sathanas in corde Guorthigerni ut adamaret puellam, & poſtulavit eam à patre ſuo per interpretem ſuum, & dixit, omne quod a me poſtulas impetrabis, licet dimidium regni mei. Et Hengiſtus inito conſilio cum ſuis ſenioribus qui ſecum venerant de inſula Oghgul, quid peterent Regi pro puella, unum conſilium illis omnibus fuit, ut peterent Regionem, quæ in lingua eorum vocatur Canthguaraland, in noſtra autem lingua Chent; & dedit illis, Gnoirangono Rege regnante in Cantia; & inſcius erat quod traditum eſſet regnum ipſius Paganis, & ipſe ſolus in poteſtatem illorum clam dari: & ſic data eſt puella illi in conjugium, & dormivit cum ea, & adamavit eam valde.

CAP. XXXVII.

DIxit ergo Hengiſtus ad Regem; ego ſum Pater tuus, & conſiliator ero tibi, & noli præterire conſilium meum unquam, quia non timebis te ſuperari ab uno homine, neque ab ulla gente; gens illa mea valida eſt. Invitabo itaque filium meum cum fratrueli ſuo: bellatores illi ſunt viri ut dimicent contra Scotos, & da illis Regiones quæ ſunt in aquilone, juxta murum qui vocatur Gual. Et juſſit ut invitaret eos: quos & invitavit Ochta & Abiſa cum XL Chiulis. At ipſi, cum navigarent circa Pictos, vaſtaverunt Orchades inſulas, veneruntque, & occupaverunt plurimas regiones trans Mare Freſicum, i. e. quod inter nos Scotoſque eſt, uſque ad confinia Pictorum. Et Hengiſtus ſemper Chiulas ad ſe paulatim

invitavit, ita ut inſulas de quibus venerant abſque habitatore relinquerent: cumque gens illius creviſſet & in virtute & in multitudine, venerunt ad ſupradictam Cantuariam.

CAP. XXXVIII.

ET ſuper hæc omnia mala adjiciens Guorthigernus accepit filiam ſuam propriam in uxorem ſibi, quæ peperit ei filium. Hoc autem cum compertum eſſet à ſancto Germano, venit corripere Regem cum omni Clero Britonum. Et dum conventa eſſet magna Synodus Clericorum ac Laicorum in uno conſilio, ipſe Rex præmonuit filiam ſuam, ut exiret ad Conventum, & ut daret filium ſuum in ſinu Germani, diceretque quod ipſe erat pater ejus; ac ipſa fecit ſicut edocta erat. Sanctus Germanus eum benigne accepit; & dicere cœpit, pater tibi ero, nec te permittam niſi mihi novacula cum forpice pectineque detur, & ad patrem tuum carnalem tibi dare liceat. Mox ut audivit puer obedivit verbo ſenioris ſancti, & ad avum ſuum, patremque carnalem Guorthigernum perrexit, & dixit illi. Pater meus es tu, caput meum tonde, & comam capitis mei pecte. Ille autem ſiluit, & puero reſpondere noluit, ſed ſurrexit, iratuſque eſt vehementer, & ut à facie ſancti Germani fugeret quærebat, & maledictus eſt, & damnatus à beato Germano & omni Conſilio Britonum.

CAP. XXXIX.

POſt hæc igitur Rex ad ſe invitavit omnes magnates ſuos, ut ab eis interrogaret, quid faceret. At illi dixerunt, in extremos fines Regni tui vade, ut arcem munitam conſtruas, in qua te defendas: quia gens quam ſuſcepiſti invidet tibi, & fraude doloſa te occidet, & univerſas regiones quas amaſti occupabit cum univerſa tua gente poſt mortem tuam.

CAP. XL.

POſtea vero ipſe Rex arcem cum Magis ſuis quæſiturus perrexit, & per multas Regiones multaſque provincias peragraverunt, & minime quod quærebant reperientes, noviſſime ad illam Regionem quæ vocatur Guoienit pervenerunt. Et illo luſtrante in montibus Heriri, (id eſt, Snaudun Anglicè) tandem in uno montium, locum in quo aptum erat arcem condere adeptus eſt. Et Magi ad illum dixerunt Arcem in iſto loco fac, quia tutiſſima à barbaris gentibus in æternum erit. Ipſe vero artifices congregavit, i. e. lapidarios, & lapides & ligna congregaverunt: cum vero congregata eſſet omnis materia, in una nocte omnino ablata eſt, tribuſque vicibus juſſit congregari & nuſquam comparuit.

CAP. XLI.

TUnc magos ſuos ad ſe accerſivit, iſtoſque percunctatus eſt, quæ eſſet hæc cauſa malitiæ, & cur hoc eveniret? At illi reſponderunt, niſi infantem ſine patre inveneris, ut habeas qui occidatur, & arx de ſuo ſanguine conſpergatur, nunquam ædificabitur in æternum.

CAP. XLII.

REx vero concite legatos ſuos ex conſilio Magorum miſit in univerſam Britanniam, utrum infantem ſine patre invenirent. At illi luſtrando omnes provincias regioneſque plurimas, venerunt ad Campum Electi, qui eſt in regione quæ vocatur Gleviſing, & pilæ ludum agebant pueri. Et ecce

ecce duo inter ſe litigabant, dixitque alter alteri, O homo ſine patre bonum non habebis. Et illi de puero diligenter percunctantes ad pueros ejuſque matrem, ſi patrem haberet. At illa negavit & dixit, neſcio quomodo in utero meo eſt conceptus, ſed unum ſcio quia virum non cognovi unquam; & juravit illis patrem non habere. Timebat ille ne occideretur a Rege iniquo, ideo patrem ſateri noluit: qui legati ſecum eum duxere uſque ad Guorthigirnum Regem, quem inſinuaverunt Regi eum puerum ſic inveniri.

CAP. XLIII.

IN craſtino Conventio facta eſt, ut puer interficeretur: & puer dixit Regi; cur viri tui me ad te detulerunt? Cui Rex ait, ut interficiaris, & ſanguis tuus circa arcem iſtam aſpergatur, ut poſſit ædificari. Reſpondit puer Regi, quis tibi demonſtravit hoc? Et Rex, Magi mei mihi dixerunt. Cui dixit puer, ad me vocentur: & invitati ſunt Magi, quibus & dixit, quis vobis revelavit ut iſta arx a ſanguine aſpergatur, & niſi aſpergatur a ſanguine meo nunquam ædificaretur? Sed hoc cognoſcam quis è vobis de me palam fecit. Et iterum puer dixit, modo tibi &enucleabo, Rex, & in veritate tibi omnia pandam, ſed ad Magos tuos percunctor, quid in pavimento iſtius loci eſt? Placet enim ut tibi oſtendant quid ſub pavimento habetur: at illi dixerunt, neſcimus nos. Et ille dixit, ego comperior, ſtagnum in medio pavimenti eſt, venite & fodite & ſic invenietis; foderunt itaque & ſic invenerunt ut puer prædixerat. Iterum dixit ad Magos, proferte mihi quid eſt in ſtagno? Magi ſiluerunt & non poterant revelare illi; at ille dixit illis, ego vobis propalabo; duo vaſa concluſa ſunt in eo, & ſic invenietis: venerunt & viderunt ſic. Et puer ad Magos dixit, quid in vaſis clauſum habetur? Et ipſi ſiluerunt, & non potuerunt revelare puero. At ille aſſerit, in medio eorum tentorium eſt, ſeparate ea & ſic invenietis. Et Rex ſeparari juſſit, & ſic inventum eſt tentorium complicatum ut dixerat. Iterum puer interrogavit Magos, quid eſt in medio tentorii? jam nunc enarrate; & non potuerunt. Dixitque puer, duo vermes ſunt in eo, unus albus & unus rufus. Tentorium nunc expandite: & extenderunt, duoque vermes in eo dormientes inventi ſunt. Et dixit puer, expectate & conſiderate quid facturi vermes ſunt. Evigilantes autem cœperunt alter alterum expellere inſimulque bellare; alius autem ſcapulas ſuas ponebat ut alterum uſque ad dimidium tentorii, aliquando uſque ad oram tentorii pellebat, & ſic pugnabant tribus vicibus. Tamen tandem qui infirmior videbatur vermis rufus poſtea fortior albo fuit, & extra finem tentorii pepulit; tunc victor ſuperatum ſecutus eſt trans ſtagnum, & tentorium evanuit. Poſt hoc puer Magos percunctatus eſt, quid ſignificat hoc mirabile ſignum quod factum eſt in tentorio? At illi reſponderunt, neſcimus. Et ait puer, En mihi revelatum eſt hoc myſterium, & ego vobis propalabo. Dixitque puer Regi, Regni tui eſt figura tentorii, duo vermes duæ ſunt gentes. Draco rufus, Draco tuus eſt, & ſtagnum figura eſt hujus Mundi, at ille albus Draco, illius gentis eſt quæ occupavit regiones & gentes plurimas in Britannia, & pene a Mari uſque ad Mare tenebunt. Et poſtea noſtra gens ſurget, & gentem Anglorum trans Mare viriliter dejiciet.

CAP. XLIV.

TU ergo de iſta arce vade, quia ædificare eam non poteris, & multas provincias peragra, ut tutam arcem invenias, ego quidem hic manebo. Et Rex adoleſcenti dixit, quo nomine vocaris? Ille reſpondit, Ambroſius vocor, Embreis gleutic eſſe videbatur. Dixitque Rex, de qua progenie

genie ortus es? At ille, unus de Conſulibus gentis Romanicæ eſt pater meus. Tunc Rex dedit illi arcem cum omnibus Provinciis plagæ Occidentalis Britannicæ. Et ipſe cum Magis ſuis ad ſiniſtralem plagam pervenit, & uſque ad Regionem quæ vocatur Guenneſi affugit, & urbem quæ vocatur nomine ſuo Cair-Guorthigirn ædificavit. Guaſmoric juxta Lugubaliam ibi ædificavit; urbem ſcil. quæ Anglicè Palmecuſtre dicitur.

CAP. XLV.

INterea Guortemir filius Guorthigirni cum Hengiſt & Horſo & illorum gente potenter pugnabat, & eos uſque ad inſulam quæ dicitur Taneth expulit, illoſque illic tribus vicibus concluſit, percuſſit, obſedit, comminuit, terruit. Ipſi itaque legatos trans Mare uſque in Germaniam miſerunt, vocando Chiulas cum ingenti numero virorum bellatorum & fortium. Et poſtea pugnabant contra Reges gentis noſtræ: aliquando vincebant, & dilatabant terminos ſuos; aliquando vincebantur & expellebantur. Et Guorthemir quatuor bella contra eos avide geſſit. Iſte Guorthemir filius Guorthigirni in Synodo habita apud Guartherniaun, poſtquam nefandus Rex, ob inceſtum quem cum filia commiſerat, à facie Germani & Clericorum Britanniæ in fugam iret, patris nequitiæ conſentire noluit: ſed rediens ad ſanctum Germanum ad pedes ejus cecidit veniam poſtulans, atque pro illata à patre ſuo & ſorore ſancto Germano calumnia, terram ipſam, in qua prædictus Epiſcopus obprobium tale ſuſtinuit, in æternum ſuam fieri ſanxivit. Unde & in memoriam ſancti Germani Guarenniaun nomen accepit, quod Latine ſonat calumnia juſte retorta; quoniam cum Epiſcopum vituperare putaverat, ſemet ipſum vituperio affecit. Guortemir vero accepto regno hoſtibus viriliter obſiſtit, qui tantæ magnitudinis eſſe & virtutis dicebatur, ut ſiquando iratus in bello dimicaret, accepta arbore cum frondibus funditus extirparet, & cum ea ſolotenus adverſarios proſterneret: cum tali ille arbore Horſam ſatellitem bellicoſum confractis in alterutrum armis pene defectis viribus proſtravit, cæteroſque in fugam verſos ut ſtipulas terræ allidit, & ex omnibus finibus Britanniæ expulit, & per quinquennium poſtea inſulam intrare non audebant uſque ad obitum Guortemir.

CAP. XLVI.

PRimum bellum ſuper flumen Derevent. Secundum bellum ſuper Vadum, quod dicitur in lingua eorum Episford, in noſtra autem lingua Sathenegabail. Et ibi cecidit Horſa cum filio Guorthigirn, cujus nomen erat Catigirnus. Tertium bellum in Campo juxta lapidem tituli, qui eſt ſuper ripam Gallici Maris, ſtatutum; & barbari victi ſunt, illeque victor fuit, & ipſi in fugam uſque ad Chiulas ſuas reverſi ſunt, in eas muliebriter intrantes. Ille autem poſt modicum intervallum temporis mortuus eſt: & ante mortem ſuam ad familiam ſuam animadvertit, ut illius Sepulchrum in portu ponerent, à quo exirent ſuper Maris ripam, in quo vobis commendo: quamvis in alia parte portum Britanniæ teneant, & habitaverunt, tamen in iſta terra in æternum non manebunt. Illi autem mandatum ejus contempſerunt, & eum in loco in quo imperaverat illis non ſepelierunt: in Lincolnia enim ſepultus eſt. At ſi mandatum ejus tenuiſſent, proculdubio per orationes ſancti Germani quicquid petierant obtinuiſſent. At barbari magnopere reverſi ſunt; cum Guortigirnus amicus illorum erat pro uxore ſua, & nullus illos abigere ultra audacter valuit. Quia non de virtute ſua Britanniam occupaverunt, ſed nutu divino; contra voluntatem Dei quis reſiſtere nitatur? Sed quomodo voluit, Dominus fecit, & ipſe omnes gentes gubernat & regit.

CAP. XLVII.

FActum eſt autem poſt mortem Guorthemir Regis Guortigirni filii, & poſt reverſionem Hengiſti cum ſuis turmis, fallax conſilium hortati ſunt, ut dolum Guortigerno cum exercitu ſuo facerent. At illi legatos ut pacem impetrarent miſerunt, & ut perpetua amicitia inter illos fieret: & Vortigirnus cum ſuis majoribus natu conſilium fecerunt, & ſcrutati ſunt quid facerent; tandem conſilium omnibus fuit ut pacem facerent: & Legati Saxonum reverſi ſunt: poſtea verò conventum adduxerunt, ut ex utraque parte Britones & Saxones in unum ſine armis convenirent ſtatutum eſt, & amicitia firma ad invicem eſſet.

CAP. XLVIII.

HEngiſtus nequiſſimus omni familiæ ſuæ juſſit artavum ſuum ſub pede ſuo in medio ſiconis ſui poneret, & quando clamavero ad vos & dixero, En Saxones NIMED EURE SAXES, id eſt, cultellos veſtros de ſiconibus veſtris deducite, & in illos irruite, & fortiter contra reſiſtite; Regemque eorum nolite occidere, ſed eum, pro cauſa filiæ meæ, quam dedi illi in conjugium, tenete: quia melius eſt nobis ut ex manibus noſtris redimatur. Et conventum adduxerunt, & in unum convenerunt: Saxones autem amicabiliter locuti ſunt, & mente interim vulpino more agebant, & vir juxta virum ſocialiter ſederunt. Et Hengiſtus ſicut dixerat vociferatus eſt, & omnes ſeniores CCC Guortigerni Regis ſunt jugulati; ipſeque ſolus captus & catenatus eſt; ac regiones plurimas pro redemptione animæ ſuæ tribuit illis, id eſt, Eaſtſexæ, Suthſexæ, Midelſexæ, ut ab illicita conjunctione ſe ſepararet.

CAP. XLIX.

SAnctus vero Germanus Guorthigirno prædicabat, ut ad Dominum ſe converteret: at ille uſque ad regionem, quæ à nomine ſuo acceperat nomen, ſcil. Guorthigirnianum, miſerabiliter aufugit, ut ibi cum mulieribus ſuis lateret. Sanctus itaque Germanus eum perſecutus eſt cum omni Clero Britonum, & ibi XL diebus totidemque noctibus manſit, & ſuper petram orabat, ibique die ac nocte ſtabat. Et interim Guortigirnus uſque ad arcem Guortigirni, quam ædificaverat & nomen ſuum impoſuerat, i. e. Din Gurtigirn, atque in regione Dimetorum juxta flumen Teibi ignominioſe abſceſſit. Solito autem more ſanctus Germanus eum ſecutus eſt, & ibi jejunus cum omni Clero ſuo tribus diebus totidemque noctibus cauſaliter manſit; in quarta vero nocte Arx tota, circa mediæ noctis horam, per ignem de cælo miſſum ex improviſu cecidit, ardente igne cœleſti, & Guorthigirnus, cum omnibus qui cum eo erant, & cum uxoribus ſuis defecit: hic eſt finis Guortigirni, ſicut in libro beati Germani reperi, alii autem aliter dixerunt.

CAP. L.

POſtquam exoſi fuerunt illi omnes homines gentis ſuæ pro piaculo ſuo inter potentes & impotentes, inter ſervum & liberum, inter Monachos & laicos, inter parvum & Magnum, & ipſe dum de loco ad locum vagus iret, tandem cor ejus crepuit, & defunctus eſt non cum laude.

CAP. LI.

ALii autem dixerunt terram apertam eſſe, quæ eum deglutivit, in nocte in qua combuſta eſt Arx circa eum, quia non ſunt inventæ ullæ reliquiæ illorum qui combuſti ſunt cum eo in Arce.

CAP. LII.

TRes filios habuit, quorum nomina hæc ſunt, Guorthemir qui pugnavit contra barbaros, ut ſupra ſcripſi. Secundus Cantegirnus. Tertius Paſcent, qui regnavit in duabus Regionibus, i. e. Buelt & Guortigermanum, poſt mortem patris ſui, largiente Ambroſio, qui fuerat Rex in omnes regiones Britanniæ. Quartus fuit Fauſtus, qui illi de filia ſua natus eſt, quem ſanctus Germanus baptizavit, enutrivit, atque docuit; & condidit locum magnum ſuper ripam fluminis, quod vocatur Renis, & manet uſque hodie: & unam habuit filiam, quæ ut diximus mater fuit ſancti Fauſti.

CAP. LIII.

HÆc eſt genealogia illius quæ ad initium retro currit. Firmwail. Ipſe eſt qui regit modo in regione Guortigirmanum: filius eſt Theudubr. Ipſe Theudubr eſt Rex Buelth regionis: Theudubr filius Paſcent Mac Apguocan, Mac Moriud, Mac Eldat, Mac Eldoe, Mac Paul, Mac Mepric, Mac Briecat, Mac Paſcent, Mac Guorthigirn, Mac Guortheneu, Mac Guitaul, Mac Guitolin, Mac Apglovi, bonus Paulus Mauron. Tres fratres fuerunt filii Gloui, qui ædificavit urbem magnam ſuper ripam fluminis Sabrinæ, quæ vocatur Britannico Sermone Cair-Gloui, Saxonice autem Glouceſtre. [Satis dictum eſt de Guorthigerno, & de regno ſuo & de gente ejus.]

CAP. LIV.

BEatus vero Germanus reverſus eſt poſt mortem Guorthigirni ad patriam ſuam; & ſanctus Patricius erat in illo tempore captivus apud Scotos, & Dominus illius dicebatur Melchu, & porcarius cum illo erat, & in XVII. anno ætatis ſuæ de captivitate reverſus eſt, & nutu Dei eruditus eſt in ſacris literis. Ac poſt Romam uſque perrexit, & per longum ſpatium ibidem manſit ad legendum ſcrutandaque myſteria Dei, ſanctaſque percurrit Scripturas. Nam cum ibi eſſet per annos plurimos, miſſus eſt Palladius Epiſcopus primitus à Celeſtino Papa Romano ad Scotos in Chriſtum convertendos, qui prohibitus à Deo per quaſdam tempeſtates, quia nemo poteſt quicquam accipere in terra niſi de Cœlo datum Illi fuerit. Et profectus eſt ille Palladius de Hibernia, pervenitque ad Britanniam, & ibi defunctus eſt in terra Pictorum.

CAP. LV.

AUdita morte Palladii Epiſcopi, Patricius, Theodoſio & Valentiniano regnantibus, à Celeſtino Papa Romano & Angelo Dei, cui nomen erat victor, monente & Germano ſancto Epiſcopo, ad Scotos convertendos in Chriſtum mittitur.

CAP. LVI.

MIſit ergo Germanus cum illo ſeniorem Segerum Epiſcopum ad Amatheum Regem in propinquo habitantem. Ibi ſanctus erat ſciens omnia

omnia quæ ventura eſſent illi, & illic gradum Epiſcopalem à Matheo Rege & à ſancto Epiſcopo accepit, nomenque quod eſt Patricius ſumpſit ibi, quia Maun prius vocabatur. Agrilius presbyter, & Yſerninus diaconus, & cæteri inferiori gradu ſimul cum eo ordinati ſunt.

CAP. LVII.

TUnc acceptis benedictionibus, perfectiſque omnibus, in nomine ſanctæ Trinitatis paratam aſcendit navim, & pervenit ad Britanniam inſulam, & prædicavit ibi non multis diebus: & amiſſis omnibus ambulandi anfractibus, ſumma velocitate flatuque proſpero Mare Ibernicum tranſfretavit; Onerata vero navi, cum transfretaret hoc Mare magnum, mirabilibus & ſpiritualibus theſauris, perrexit ad Iberniam & baptizavit eos.

CAP. LVIII.

A Mundi principio uſque ad baptiſmum Hibernenſium v̄. ccc. xxx anni ſunt. In quinto Loigere Regis anno exorſus eſt Patricius prædicare fidem Dei. Sanctus itaque Patricius Evangelium Chriſti exteris nationibus per annos xl prædicabat, virtutes Apoſtolicas faciebat, cæcos illuminabat, leproſos mundabat, ſurdos audire faciebat, Dæmones ex obſeſſis corporibus fugabat, mortuos ix ſuſcitavit, captivos multos utriuſque ſexus ſuis propriis ſumptibus redemit.

CAP. LIX.

SCripſit abietoria ccclxv, & eo amplius numero. Eccleſias quoque eodem numero fundavit ccclxv. Ordinavit Epiſcopos eodem numero ccclxv, & eo amplius, in quibus ſpiritus Dei erat. Presbyteros autem uſque tres mille ordinavit; & xii millia hominum in una Regione, quæ vocatur Connachta, ad fidem Chriſti convertit & baptizavit; & ſeptem Reges, qui erant filii Amolgith, in uno die baptizavit: xl diebus, totidemque noctibus, in cacumine collis Eli jejunavit, id eſt, Cruachaneli: in quo colle in aere tres petitiones pro his Hibernenſibus, qui fidem Chriſti receperint, clementer poſtulavit.

CAP. LX.

PRima ejus petitio fuit, ut fertur à Scotis, quod unuſquiſque ſuſciperet poenitentiam credentium, licet in extremo vitæ ſuæ ſtatu: ſecunda, ne à barbaris conſumarentur in æternum. Tertia, ut non ſupervivat aliquis Hibernenſium in adventu judicii, quia delebitur aqua, pro honore ſancti Patricii, vii annis ante diem judicii. In illo autem tumulo benedixit populo Hibernenſium; & ideo aſcendit ut oraret pro eis, & videret fructum laboris ſui: veneruntque ad eum aves multi coloris innumerabiles, ut benediceret eis. Quod ſignificat omnes Scotos utriuſque ſexus Hibernenſium pervenire ad eum in die judicii, ad Patrem & Magiſtrum ſuum, ut ſequantur illum ad judicium. Poſtea in ſenectute bona migravit ad Dominum, ubi nunc lætatur in ſecula ſeculorum. Amen.

CAP. LXI.

QUatuor modis æquantur Moyſes & Patricius. Primo, id eſt, Angelo ſibi colloquente in rubo igneo. Secundo, in Monte xl noctibus jejunavit. Tertio, ſimiles fuerunt ætate cxx annis. Quarto, ſepulchrum illius non invenitur, ſed in occulto humatus eſt, nemine ſciente. Quindecim

cim annis in captivitate, in vigeſimo quinto anno ab Amatheo ſancto Epiſcopo ſubrogatur. Octoginta quinque annorum in Hibernia prædicavit. Res autem exigebat amplius loqui de ſancto Patricio, ſed tamen pro compendio ſermonis volui breviare.

CAP. LXII.

IN illo tempore SAXONES invaleſcebant, & creſcebant non modice in BRITANNIA. Mortuo autem Hengiſto, Ochta filius ejus tranſivit de ſiniſtrali parte Britanniæ ad Regem Cantuariorum, & de ipſo orti ſunt Reges illius patriæ. Artur pugnabat contra illos in illis diebus, videlicet Saxones cum Regibus Britonum; ſed ipſe Dux erat bellorum: & in omnibus bellis victor extitit. [Artur, Latine tranſlatum, ſonat urſum horribilem, vel malleum ferreum, molæ leonum. Mabute, Britannice, filius horribilis, Latine; quoniam à pueritia ſua crudelis fuit.]

CAP. LXIII.

PRimum bellum fuit in Oſtium fluminis quod dicitur, Glem. Secundum & Tertium & Quartum & Quintum ſuper aliud flumen, quod vocatur Duglas, quod eſt in regione Linuis. Sextum bellum ſuper flumen quod vocatur BASSAS. Septimum bellum fuit in ſilva Calidonis, id eſt, Cattoit Celidon. Octavum fuit bellum in Caſtello Gunnion, in quo Arthur portavit imaginem Crucis Chriſti, & ſanctæ Mariæ ſemper virginis, ſuper humeros ſuos: & Pagani verſi ſunt in fugam in illo die: & multi ceciderunt, plagaque magna ſuper eos venit per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctæque ſuæ genetricis. [Nam Arthur Ieroſolimam perrexit, & ibi crucem ad quantitatem Salutiferæ Crucis fecit, & ibi conſecrata eſt; & per tres continuos dies jejunavit, vigilavit, & oravit coram Cruce Dominica, ut ei Dominus victoriam daret per hoc ſignum de Paganis; quod & factum eſt; cujus fractæ adhuc apud Wedale in magna veneratione ſervatur. Wedale, Anglice: Vallis doloris, Latine: Wedale eſt villa in Provincia Lodoneſie, nunc vero juris Epiſcopi ſancti Andreæ Scotiæ, VI milliaria ab occidentali parte, ab illo quondam nobili & eximio Monaſterio de Meilros.] Nonumque bellum geſtum eſt in urbe Legionis. Decimum bellum geſtum eſt in littore fluminis quod vocatur Ribroit. Undecimum bellum fuit in monte quod dicitur Agned Cathregonion. Duodecimum fuit bellum in monte Badonis, in quo corruerunt uno die DCCCXL viri de uno impetu ARTUR, & nemo eos proſtravit niſi ipſe ſolus.

CAP. LXIV.

IPſi vero Barbari, dum in omnibus bellis proſternerentur, auxilium à Germania petebant, & augebantur multipliciter ſine intermiſſione; & Reges à Germania deducebant ut regnarent ſuper eos in Britannia. Et regnabant uſque ad tempus quo IDA filius Eobba regnavit, qui fuit primus Rex in Bernicia, id eſt, Iberneich.

CAP. LXV.

IDa filius Eobba tenuit Regiones in ſiniſtrali parte Humbri Maris XII annis, & junxit arcem, id eſt, Dinguirin & Gurbirneth: quæ duæ regiones fuerunt in una regione, id eſt, DENRABERNETH, Anglice DEIRA, & BERNICIA. Elfled filia Edwini XII die poſt Pentecoſten baptiſmum accepit, cum innumerabilibus hominibus de viris & mulieribus cum ea. Et hæc prima baptizata eſt: Edwinus vero poſtea in ſequenti Paſcha baptiſmum

mum ſuſcepit, & XII Millia hominum iu uno dio baptizati ſunt cum eo: ſanctus Paulinus Eboracenſis Archiepiſcopus eos baptizavit, & per XL dies non ceſſavit baptizare omne genus AMBRONUM, id eſt, Aldſaxonum; & per prædicationem illius multi crediderunt Chriſto. Sed cum inutiles Magiſtro meo, id eſt, Beulario presbytero, viſæ ſunt genealogiæ Saxonum & aliarum genealogiæ gentium, nolui ea ſcribere, ſed de Civitatibus & mirabilibus Britanniæ Inſulæ, ut alii ſcriptores ante me ſcripſere, ſcripſi.

Nomina omnium Civitatum Britanniæ.

PRima civitas Britanniæ ipſa eſt, quæ vocatur Cair-Gurthigirn, Cair-Municip, Cair-Meguid, Cair-Eborauc, Cair-Verulam, Cair-Mauchguid, Cair-Canit, Cair-Peris, Cair .... Cair-Guent, Cair .... Cair-Penſavelcoit. Cair-Celemon, Cair-Guinting, Cair-Luadiit, Cair-Colun, Cair-Cuſtent, Cair-Graunth, Cair-Lunden, Cair-Guoirangon, Cair-Daun, Cair-Gorieon, Cair-Legion Guaruſik, Cair-Britton, Cair-Droithon, Cair-Urnach, Cair-Luitcoit. Hæc ſunt nomina omnium civitatum quæ ſunt in Britannia; quarum numerus eſt XXVIII.

Explicit Hiſtoria Nennii, Britonum Hiſtoriographi, de prima inhabitatione Britonum Britanniæ Inſulæ.

FINIS.

APPENDIX. I.

Ex Ninnii MSS. Joannis Cotton Eq. aurati, ſpectantia ad Genealogiam Saxonum, quæ deſunt in aliis Ninnii MSS. exemplaribus. V. hic. Cap. LXVI.

WOden genuit Beldeg, genuit Beor-nec, genuit Gethbrond, genuit Aluſon, genuit Inguet, genuit Edibrith, genuit Offa, genuit Eobba, genuit Ida. Ida autem XII filios habuit, quorum nomina fuerunt, Adda, Eadldric, Decdric, Edric, Deothere, Oſmer, & unam Reginam Beornoch, Ealric. Ealdric genuit Eadlfret, ipſe eſt Eadlfret Fleſaur: nam & ipſe habuit filios ſeptem, quorum nomina fuerunt, Anfrid, Oſgnat, Osbui, Oſguid, Oſgudu, Oſlapf, Offa: Oſguid genuit Alcfrid, & Alfgunn & Echfrid; Echfrid ipſe eſt qui fecit bellum contra fratruelem ſuum, qui erat Rex Pictorum nomine Birdei, & ibi corruit cum omni robore exercitus ſui, & Picti cum Rege ſuo victores extiterunt: & nunquam addiderunt Saxones Ambronem ut à Pictis vectigal exigerent à tempore iſtius belli, vocatur Guerchlum Garan. Oſguid autem habuit duas uxores, quarum una vocabatur Nemmedt, filia Roith, filii Rum, & altera vocabatur Eanfled, filia Eadguin, filii Alli. Hengiſt genuit Octha, genuit Offa, genuit Eormoric, genuit Ealdberht, genuit Ealdbald, genuit Excunberht, genuit Ecgberth. Woden genuit Caſſer, genuit Titinon, genuit Trigil, genuit Rodnum, genuit Kippan, genuit Guithelm, Guechan. Ipſe primus regnavit in Britannia ſuper gentem Eaſtanglorum. Gueca genuit Guffan, genuit Tidil, genuit Ecni, genuit Edric, genuit Aldulfh, genuit Elric. Woden, genuit Guedolgeat, genuit Gueagon, genuit Guithlig, genuit Guerdmund, genuit Offa, genuit Origon, genuit Eamer, genuit Pubba. Ipſe Pubba habuit IX filios, quorum duo mihi notiores ſunt quam alii, id eſt, Penda & Eua, Eadlrit, filius Pantha, Penda filius Pubba. Ecgfrid filius Offa, filius Clum, Inſerth filius Eandalf, filius Offulfh, filius Eaua, filius Pubba. Woden genuit Beldeyg, Brond genuit Siggar, genuit Sibald, genuit Zegulfh, genuit Soemil. Ipſe primus ſuperavit Deur Oberneich. Soemil genuit Sguerthing, genuit Guilglis, genuit Ulfrean, genuit Iffi, genuit Ulli, Ædguin, Osfird & Eadfird. Duo filii Edguin erant, & cum ipſo corruerunt in Bello Ineicen: & de Origine illius nunquam iteratum eſt Regnum, quia non evaſit unus de genere illius de iſto bello ſed interfecti fuerunt omnes cum illo ab exercitu Calguallum Regis Guondotiæ Regionis. Oſguid genuit Ecgfird, ipſe eſt Ocgfird; Ailguin genuit Oſlach, genuit Athun, genuit Echun, genuit Oſlaph: Ida genuit Eadirc, genuit Ecgulf, genuit Liod. Guad genuit Eatan, ipſe eſt Eata Glin Maur; genuit Eadbirth & Ecgbirth Epiſcopum, qui fuit primus de Natione eorum. Ida filius Eobba tenuit Regiones in ſiniſtrali parte Britanniæ, id eſt, Umbri Maris, & regnavit annis XII, & vixit Dynguayrh Guarth berneich. Item Dutigirn in illo tempore fortiter pugnabat contra gentem Anglorum. Item Talhaern Talanguen in Poemate Claruit, & Nuevin, & Talieſſin, & Bluchbar, & Cian qui vocatur Gueinchguant, ſimul uno tempore in Poemate Britannico claruerunt. Mailcunius magnus Rex apud Britones regnabat, id eſt, in Regione Guenedotæ, quia atavus illius Cunedag cum filiis ſuis (quorum numerus octo erat) venerat prius de parte ſiniſtrali, de Regione quæ vocatur Manau Guotadin. CXLVI annis ante quam Mailcun regnaret; & Scotos cum ingentiſſima clade expulerat ab iſtis Regionibus, & nuſquam reverſi fuerunt iterum ad habitandum.

[Adda

[Adda filius Ida regnavit annis octo: Æddric filius Adda regnavit quatuor annis. Deoric filius Ida regnavit ſeptem annis. Friodolguald regnavit ſex annis; in cujus tempore Regnum Cantuariorum mittente Gregorio Baptiſmum ſuſcepit. Huſſa regnavit annis ſeptem: contra illos quatuor Reges, Urbgen, & Ryderthen, & Guallanc, & Morcant dimicaverunt. Deodric contra illum Urbgen cum filiis dimicabat fortiter. In illo autem tempore aliquando hoſtes nunc cives vincebantur; & ipſe concluſit eos tribus diebus, & tribus noctibus in Inſula Medcant; & dum erat in Expeditione jugulatus eſt, Morcanto deſtinante pro invidia, quia in ipſo præ omnibus Regibus virtus maxima erat inſtauratione Belli. Item Eadlfered Fleſaur regnavit XII annos in Berneich, & alios XII in Deur: XXIV annos inter duo regna regnavit, & dedit uxori ſuæ Dinguo Aroy, quæ vocatur Bebbab, & de nomine uxoris ſuſcepit nomen, id eſt, Bebbanburgh. Edguin filius Alli regnavit annis XVII, & ipſe occupavit Elmet, & expulit Certec Regem illius Regionis. Eanfled filia illius, duodecimo die poſt Pentecoſten, Baptiſmum accepit cum univerſis hominibus ſuis de viris & mulieribus cum ea. Eadguin vero in ſequenti Paſcha Baptiſmum accepit, & XII millia hominum in uno die baptizati fuerunt cum eo: ſi quis ſcire voluerit, quis eos baptizavit, Runmap Urbgen baptizavit eos, & per XL dies non ceſſavit baptizare omne genus Ambronum, & per prædicationem illius multi crediderunt Chriſto. Oſuuald filius Eldfred regnavit novem annis; ipſe enim Oſuual Lanniguin, ipſe occidit Catgublaun Regem Guenedotiæ Regionis, in bello Catſcaul, cum magna clade exercitus ſui. Oſguid filius Eldfrid regnavit XXVIII annis & ſex menſibus: dum ipſe regnabat, venit mortalitas hominum, Catgualat regnante apud Britones poſt patrem ſuum, & in ea periit. Et ipſe occidit Pantha in Campo Gai, & nunc facta eſt ſtrages Giti Campi, & Reges Britonum interfecerunt, qui exierunt cum Rege Pantha in expeditione uſque ad urbem quæ vocatur Judeu. Tunc reddidit Oſguium omnes Divitias quæ erant cum eo in urbe uſque in manu Pendæ, & Penda diſtribuit eas Regibus Britonum, id eſt, Albert judium. Solus autem Catgubail, Rex Guenedotæ Regionis, cum exercitu ſuo evaſit de nocte Conſurgens, quapropter vocatus eſt Catgabail Catguommedd. Egfrid filius Osbui regnavit novem annis. In tempore illius, S. Cudberd Epiſcopus obiit in Inſula Medcant: ipſe eſt qui fecit bellum contra Pictos, & corruit ibi. Penda filius Pibba regnavit decem annis: ipſe primus ſeparavit regnum Merciorum à regno Nordorum; & Onnan Regem Eaſte-Anglorum, & ſanctum Oſgualdum Regem Nordorum, occidit per dolum. Ipſe fecit bellum Codoy, in quo cecidit Eoua filius Pubua, frater ejus Rex Merciorum, & Oſguald Rex Nordorum, & ipſe victor fuit per Diabolicam artem. Non erat baptizatus, & non Deo credidit.

APPENDIX. II.

1 A Mundi principio uſque ad Conſtantinum & Ruſum 5658 anni reperiuntur. } 5658

2 Item à duobus Geminis Ruffo & Rubellio uſque in Stiliconem Conſulem trecenti ſeptuaginta tres anni ſunt. } 373

3 Item à Stilicone uſque ad Valentinianum filium Placidiæ, & Regnum Guorthigerni (alii Guortigirni) viginti octo anni. } 28

4 Et à Regno Guorthigerni, alias Guortigirni, uſque ad diſcordiam Guitolini & Ambroſii, anni ſunt XII, quod eſt Guoloppum, id eſt, Catguoloph. } 12

5 Guorthigernus autem tenuit imperium in Britannia, Theodoſio & Valentiniano Conſulibus. Et in quarto anno regni ſui, Saxones ad Britanniam venerunt, Felice & Tauro Conſulibus, quadringenteſimo primo anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti. } 401

6 Ab anno quo Saxones venerunt in Britanniam, & à Guortigerno, ſuſcepti ſunt uſque ad Decium & Valerianum anni ſexaginta novem. } 69

A P-

APPENDIX. III.

Variæ Lectiones Hiſtoriæ Britonum Scriptæ per Nennium Britannum; ex MSS. Cantabrigienſibus, Cottonianis, & aliis.

CAP. I.

INcipit Hiſtoria Orthographia &c.] Incipiunt Geſta Britonum à Gilda ſapiente compoſita. *Sic Codd. duo Cantabrigienſes: quorum alter Nennii, alter Gildæ nomen præfert.*

Ad Adam vero] Colliguntur ergo ab Adam uſque ad paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti v̄. ccxxviii. *Gildas.*

Sunt anni dccc.] ſunt anni dccxcvi. *Gildas.*

Anni ſunt dccccxxxii.] dccccxxxi. *Gild.*

Uſque ad xxx annum &c.] *Deſiderantur uſque ad* prima Mundi ætas &c. in *Gild.*

CAP. II.

INcipit Hiſtoria Nennii &c.] Totus hic titulus deſideratur in *Gilda.*

Britannia Inſula à Britone &c.] Brithannia igitur Inſula à quodam Bruto conſule Romano vocatur: hæc autem ſurgit &c. *Gild.* conſurgit. *Cott.*

Contra Armoricas gentes, id eſt, ultra Marinos Britones, & vocatur.] Contra Armoricas, & vocatur. *Gild.*

Man.] Manau. ſita eſt in extremo limite orbis. *Gild.*

Vocatur Orcania Inſula.] Vocatur Ockania. *Gild.* Orcania. *Cott.*

Tamiſia & Severnia.] Tamenſis & Sabrina, *Gild.* Tamiſis & Sabrina. *Cott.*

Ad deportandas.] Ad portandas, *Gild.* apportantes. *Cott.*

CAP. III.

ID eſt, à Totenes uſque ad Catenes.] deſiderantur in *Gild.* & *Cott.*

Hæc Inſula.] deſunt *Gild.* & *Cott.*

Cum Aſcanio filio ſuo.] Cum Aſcanio, i. e. Julio filio ſuo. *Gild.* & *Cott.*

Filiam Latini regis.] Filiam Latini, filii &c. *Gild. Cott.*

Filii Piſci.] Filii Pici *Cott. Gild.*

Aſcanius autem Albam &c.] Æneas autem Alb. *Cott.* Legit Aſcanius.

Fœtus ejus erit fortis.] Et fœtus ejus mortis erit. Quia filius mortis erit. *Gild.*

Bruto vero fuit filius Sylvii &c.] *Deſunt uſque ad* poſt multum enim intervallum. *Gild.* & *Cott. Schol. in Codice Cantabrigienſi Benedictino*, Brutus vero fuit filius.

Cum aliis, inopino ictu.] Cum aliis ictu ſagittæ. *Gild. Cott. Scholion in Cod. Bened. Samuel.* i. e. *infans Magiſtri mei.* i. e. *Beulani Presbyteri in iſta pagina ſcripſi,* [geneologiam ſuperiorem] *ſed hæc gen. non eſt ſcripta in aliquo volumine Britanniæ, ſed in ſcriptione —ſcriptoris fuit.* Vide Bale de ſcript. p. 75.

Ariminis.] Armilis, *Cott.* Ariminis, *Gild.* cum Heleno, *Virunnius Romulus Æneæ nepos apud Servium* &c.

Et vocavit eam à nomine cujuſdam militis ſui qui vocatur Turnis, & poſtea &c. *Gild. Cott.* vide *Stephanum* in Τυρώνη. Turonis, *H. Hunt.* legit.

CAP. IV.

POſthumus annis 29.] Debent hæc poni poſt *appellati.* Cott.

Qui Brito regnabat in Britannia tempore quo Heli.] Cujus frater erat Brito in Brithannia, qua tempeſtate Heli &c. *Gild. Cott. Chron. Walliæ.*

Poſthumus vero frater.] Poſthumus, ut diximus, apud. *Gild.* & *Cott.*

CAP. V.

NOn minus DCCCC.] Minus octingintorum *Gild.* DCCCC *Cott. H. Hunt.*

Ex inſulis affinitimis.] Finitimis, *Gild. Cott.*

Modicas.] Modice, *Gild. Cott.*

CAP. VI.

NOviſſime autem venerunt Scoti.] Scothi *Cott. Cambd. Brit.* p. 729.

Primus autem homo venit.] Primus qui itaque venit Bartholomeus, *Gild. Cott.* Partholanus, *Cambd.*

CAP. VII.

CHiulis.] Ciulis, *Gild.* Κοίλους. *Keeles.*

Chiula.] Ciula, *Gild.* Chiulæ, *Cott.*

Super turrim.] Per turrim. *Gild.*

Illos & nunquam reſpondebant.] Qui nequaquam reſpondebant, *Gild.*

Ipſi unanimo conſenſu.] Ipſi uno anno, *Gild.*

CAP. VIII.

CLamhoctor.] Clamoctor, *Gild. Cott.* legit Olamoctor. *Cambd.* Elamhi.

Nulla tamen certa hiſtoria originis Scotorum continetur.] Deeſt *Gild.* eſt *Schol. Samuelis.*

Hiſtoreth Iſtorini filius tenuit.] Iſtoreth Yſtoryni filius, *Gild. Cott.*

Euboniam inſulam cum ſuis.] Euboliam inſulam, & *alter,* circiter filii *Gild. Cott. Cambd.*

Vethan.] Bethan *Gild.* Bidtham, *Cott. alius,* filii autem Liethari.

Dimectorum.] Dimetorum, *Gild. Cott. alius,* Dimoctorum.

Ubi Civitas eſt quæ vocatur Nimeu.] Deeſt *Gild.* & *Cott.*

Idem Guhir tee guili, donec.] i. e. Guir Gecgadi, donec. *Gild.* Guircat Gueli. *Cott. alius,* Guhir cet Guely.

CAP. IX.

SIquis autem ſcire &c.] V. *H. Hunt.* p.300.

Secuti ſunt eos, dimerſique.] Secuti ſunt dimerſique, *Gild. Cott.*

Scythia.] Sicia, *Gild.*

Merſi.] Submerſi, *Gild. Cott.* demerſi.

Iſte gener Pharaonis erat, i. e. Mas Scotæ filiæ Pharaonis à qua, ut fertur, Scotia appellata.] Deeſt *Gild. Cott.* & ſunt *Samuelis* interpolatio.

Per Africam.] Per Mauritaniam, *Gild. alii,* per Maritimam.

Montes Azare.] *Al. exemplar habet,* Montana Syriæ, & *Cott. al.* Araret — flumen Malva.

Applicuit.] Applicaverunt. *al. Gild.*

Ha-

Habitavit.] *Al.* habitaverunt, *Gild.*

Et crevit nimiſque multiplicatus eſt; & gens.] *Al.* & creverunt nimiſque multiplicati ſunt, & gens. Crevit nimiſque multiplicatus eſt, & gens. *Gild. Alius* – unuſquiſque mult.

Venerunt.] Venit, *Gild. Cott.*

Et poſtea Conſules rurſum Remp.] Et Conſules Remp. *Gild.* rurſum Cons. *Cott.*

Damnata.] Donata. *Gildas.*

CAP. X.

CItæ autem, i. e. Scoti in quarta ætate mundi.] Scithæ autem in quarta obtinuerunt (*deeſt* ætate) *Gild.* Scythæ, *Cott.* & mox, Picti. *Hos Scythas Herodotus MS. vocat* Σκοποσκύθας.

CAP. XI.

A Primo anno Merlini R.] Mervini, *Cott. & alii. Cætera omnia uſque ad* annum IV Mer. *ſunt aliunde inſerta, ut teſtatur ſcholion Samuelis in codice Benedictino.*

Anni CCCCXXIX.] *Cott.* CCCCXXXIX.

Patricii ad Hibern.] Ad Scotos. *Cott.*

A morte Patricii.] *Cott. pro his*, à morte P. &c. Anni LX. *Alius*, XL. *Adhuc alius Cott.* à nativitate S. Columkille uſque ad obitum S. Brigidæ IV ſunt anni. Initium &c. *Samuel hic notat auctorem ſibi contradicere. Vide Uſſerii Antiq. Br.*

Columkillæ.] Sancti Columkillæ. *Gild. Priſe Defen. H. Br. p. 116.*

Ccccxxi.] Ccccxi, *Gild.* CCCCXXIX *Cott. Priſe, ubi ſupra. Alius*, CCCCXXIV. *Bale conjectabat eſſe annum D. 859.*

Et ſunt III anni.] *Cott.* Et ſunt II anni.

CAP. XII.

EXperimentum inveni de iſto.] Experimento de iſto Bruto inveni, *Gild. omnia hinc uſque ad c. 14. tranſpoſita & confuſa ſunt.*

Sem regnavit in Aſia.] Sem in Aſia, *Gild.*

Cirmi.] Cyrine. *Gild.*

Byzantia.] Biſſanna, *Gild. Al.* Brixantia.

Provinciæ XIV. Roma.] Provinciæ XIII. Roma, *Gild. Lego*, Italia.

Quomodo tres filii &c.] *Hæ lineæ deſunt in MSS Gild.*

Britones à Bruto &c.] Britones &c. *omnia hæc (*Britones à Bruto *uſque ad* redeam nunc ad id à quo digreſſus ſum,*) deſunt in hoc loco ſed poſtea ponuntur in Cap. 13. poſthæc verba*, qui incolæ fuerunt in primis Britanniæ temporibus; *& in Gilda poſt* temporibus *ſequitur* Britones à Bruto *– ut p. 11.*

Sphæra &c.] *Tota Sphæra deeſt in MSS Gildæ.*

Lamech, & redierunt ad id unde egreſſi ſunt.] *Quære poſtea cap. 13.*

CAP. XIII.

ET Brito.] Bruto, *Gild.*

Cebidus.] Coebidus, *in marg. vel* Cibidus.

Ab Hiſicione primogenito Alani.] Ab Yſicione primogenito filio Alani.

Et Briti.] Et Briti, *in marg. vel* Britones.

Fethevir.] *Al.* Sethevir.

Ogomun.] Ogothun & Ogomuin.

Filii Thoi.] Choi.

Symeon.] *Al.* Semeon.

Filii Ethac, filii Aurthac, filii Ecthet, filii Oothz, filii Abirth.] Filii Archaach, filii Exchet vel Echet, filii Ozoz, filii Abirh.

Filii Jona.] Filii Johan. *Gil.*

Filii Enoch, filii Jareth, filii Malaleel, filii Cainan, filii Enos, filii Seth, filii Adam, filii Dei vivi.] *Deeſt.*

In primis Britanniæ temporibus.] Temporibus *deeſt (per errorem) Scriptoris.*)

Britones à Bruto.] *In Gilda hic locus ſic concipitur,* [Brithones à Bruto dicti, Brutus filius Hicionis, Aicion filius Alani, Alanus fil. Reæ Silviæ, Rea Silvia filia Numæ Pompilis, Numa fil. Aſcanii. Aſcanius fil. Æneæ, Æneas fil. Anchiſæ, Anchiſes fil. Troii, Troius fil. Dardani, Dardanus fil. Eliſæ, Eliſa fil. Juvoni, Juvonus fil. Japhet. Japhet vero Septem filios habuit. Primus Gomer, à quo Galli. Secundus Magog à quo Scithæ & Gothi. Tertius Madial à quo Medi. Quartus Javan à quo Græci. Quintus Tubal à quo Hyberi, i. e. Iſpani & Itali. Sextus Meſech à quo Cappadoces. Septimus Tiras à quo Traces: Hi ſunt filii Japhet, filii Noe, fil. Lamech, ſed ut redeam &c.] *Hæc, inquio, omnia hic inſerit Gildas, ſed alii MSS antea ponunt.*

CAP. XIV.

BEllinus.] Belinus, *in marg.* Caſſibelanus *Cott. & Gild. Lego*, pugnabat apud Dole contra Bellinum. *Mox, Caſſibelanus videtur eſſe Wallorum Cadwallanus. i. d. Caſſiiballanus. Cad. vel Catti vel Caſſuellas Dioni. Al. Cadwalla & Cadwella, & Kedwelly; ſed Cad-Catti-Caſſi an dignitatis, an hominis nomen, non conſtat.*

Minocani.] Mitiocani, *Gild.* Minocanni, *Cott. v. H. Hunt. pag.* 301. *Camb.* 241. *Galfr. & Giral. Cam. Deſc. p.* 284. *omnia inter* Bellinum *&* Julius C. *interpoſita ſunt ab interpolatore.*

CAP. XV.

TAmenſis.] Thamenſis. *Gild. & alii.*

Cethilocium.] Cethilon, *Gild. confer Strabonem, l.*4. ἐδεν μέγα Δ[illegible]

Trinovantum.] Trinovantum à Romanis contra Britones, *Gild. H. Hunt. p.* 302.

V. ccxv.] *In margine al. exempl.* XII. *Gild. Cott.*

CAP. XVI.

IN honorem illius.] In hæreditatem ejus, *Gild. Totum hunc locum in Epitomen redegit J. Roſſus, libro de Regibus.*

Et Idibus.] Et poſtea Idibus, *Gild. & Cott. itidem.*

Auguſto Monarchiam.] Auguſto nepote ſuo Monarchiam, *Gild. & Cott.*

Tollunt aulæa.] V. *H. Hunt. p.* 302.

CAP. XVII.

MIlitum tamen.] Militum juvenumque ſuorum tamen, *Gild. & Cott.*

Longobardos oſtenditur ubi dum.] Longabardos oſtenditur. Dum *Gild. & Cott. Serarius Mogunt. l.* 1. *c.* 15. *Noſter videtur aliquid inaudiviſſe de Claudio Druſo, cujus ibi monumentum agnoſcit Eutropius.*

CAP. XVIII.

ANno Dominicæ incarnationis CLXIV Lucius.] Poſt CLXIV annos poſt adventum Chriſti Lucius. *Gild. & Cott. Uſſerius Ant. Brit.*

Euariſto. Tertius.] *Sic Gild. Et Cotton. pro* Euariſto *legit* Eleutherio, *quod rectum.*

CAP. XIX.

GAaul.] Gaul, & Gual, *alii.*

Eboraci.] Multo poſt dolo Britannorum Eboraci Severus moritur in Britannia, *Gild. v. Proſperi Chr.* & *Cotton.* Dolo Pictorum. *Pyke in Chronico. Cambden in Eboraco.*

CAP. XX.

CArutius.] Cærutius, Garutius, *Gild.* & *Cott.* Carauſius, *in nummis.*

Britanniam tyrannide pro occiſione Severi.] Brithaniam cum tyrannide, qui poſtea tyrannus fuit pro occiſione Severi &c. *Gild. & Cott.*

Tyrannide pro occiſione.] *Poſt* Tyrannide *in marg.* qui iratus pro occiſione Severi advenerat, & cum omnibus ducibus Romanicæ Gentis, qui erant cum eo, Britanniam verberavit &c. *Gild. Cott.*

Vindicavit.] Vindicans. *Gild.*

Occupavit.] *Al.* vaſtavit.

CAP. XXI.

COnſtantinus.] *Male* Conſtantinus – *in aliquibus. Alius*, Conſtantius Conſtantini Magni filius.

Cair-Coſtaint.] *Alii*, Cair-ſegent *vel* Kair-ſegunt. *In margine* Eboracum, *Cott. Gild. Cambd.* 195, 535. *Uſſerius Antiq. Brit. p.* 33.

Civitatis, ut nullus.] Civitatis, auri, argenti & æris, ut nullus, *Cott. Gildas.*

Mirmantun.] Mirmantum, *in marg.* Mimmaton, *Gild.* Mirmantoniam & Inermantun, *Cott.* Murimundum, *Cambdenus.*

CAP. XXIII.

DIctus Maximus.] Dicebatur Maximus. *Fragmentum quoddam Gildæ,* ut dicitur, *Gild.* Maximianus, *Scal. ad Euſ. Reineſii Inſcr. p.* 323. *Priſe p.* 49. *Ado Viennenſis.*

Tantguic.] *Cott.* Cantguic. *Fragm. Gild.* Tanguren.

Ipſi ſunt ad cumulum.] Et uſque ad cumulum, *ſic & frag. Gild.*

Crutochidenit.] Crucochident, *Fragm. Gild. Priſe p.* 50. *Uſſer. Ant. p.* 170. *Alius* Crutho exhident.

Propter hoc.] *In marg.* propter illorum abſentiam Britannia ſuperata eſt alienigenis gentibus, & hæredes ejecti uſque à Deo auxilium largiatur, *Gild. Cott. Vide Gildam, & ex eo Bedam.*

CAP. XXV.

OBiit in Britannia Eboraci.] Obiit dolo occiſus in Britannia, Eboraci, *Cott. v. Proſp. Chron.*

Regnum Rom. dejecerunt.] His ita tranſactis, Britones contempſerunt regnum Romanorum. *Roſſus conjicit plures Romanorum hic imperaſſe, ab adventu Jul. Cæſaris ad Arturum, & rebelles Imperio Romano omiſſos eſſe. Hic mihi videtur Nennius Regem & ducem pro eodem habere.* V. Cap. XXXIV.

CAP. XXVI.

ANnis III.] VI. *Cott. Proſper.*

Dum Gratianus.] Tum Gratianus. *v. Adonem Vienenſem in Chron.* Maximus ſe non ſponte ſumpſiſſe imperium affirmabat. *Sulpicius in V. S. Martini.*

Merobaudis.] Meroblaudis.

Maximianus.] Maximus *Gild. Cott. v. Oroſium, Proſper. Tyronem.* Martinus conviva Maximi Tyranni. *Sulpicius in V. M.*

Aquileia.] Incluſus in Muletta *Gild. Proſp. Chron.*

Cujus Filius Vic.] Victor eodem anno. *Gild.* & *Cott.*

CAP. XXVII.

SEcum Conſulibus pro admiſſo ſcelere.] Secum pro admiſſo ſcelere, *Gild. Cott.*

Ccccxlix.] Ccccxlviii, *Gild. Cott.* cccc.

Petebant Romani.] Petebant ab eis Romani, *Gild. Cott.*

Ad vindicandum veniebant.] Ad vindictam proximorum veniebant. *Cott. Gild.*

Melle, cum magno triumpho.] Melle, & muneribus, cum magno triumpho. *Sax Chron. Gild.*

CAP. XXVIII.

OCciſi ſunt, & poſt occiſionem.] Occiſi ſunt, & poſt occiſionem Magni Tyranni. *Gild. Cott.* qui Gratianum occidit, *Cott.*

Fuerunt, Gorthigirnus.] Fuerant Vortigernus. *Gild.*

Regnavit in Britannia.] *In marg.* pugnabat. *Gild. Cott.*

Pictorum Scotorumque.] Scotorum Pictorumque, & à Romanorum (qui remanſerant) impetu. *Cambd. p. 91.*

Tres Chiulæ.] Tres Ciulæ. *Aſſer.* & *H. Hunt. 310.*

Quibus erant Hors.] Quibus Hors. *Gild. Cott.*

Gugta.] Gurtha, *in marg.* Guytha, & Guicta, & Gurgta.

Filii Fuin.] Filii Siun. *Gild.* Sin. *unus Cottonianus.*

Folepald.] Foloroald, *Gild. Cott.*

Nunquid ipſe eſt.] Non, inquio, ipſe. *Cott. Gild. Et in marg.* non Dei veri, nec omnipotentis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ante tempora ſeculorum permanens Patri & Spiritui Sancto coæternus & conſubſtantialis in fine ſeculorum, mortalitatis noſtræ formam non dedignatus eſt induere, ſed unus, *&c.*

Quæ ipſi Caleb.] *Deſunt Cott.* & *Gild.*

Hæc. e. Genea. Marum iſtorum de quibus primò creverunt.] *Hæc à Samuele infulta ſunt, forte ex Chron. Saxon.*

Ruithina.] Rudithin, *Gild.* Ruithon, & Ruoithin, *Cott. Cambd. in Cantio. Errat Nennius, qui putat Saxonas nomen dediſſe inſulæ Tanet: ejus meminit Solinus.*

Regnante Mart.] Gratiano. *Gild. Cott. ſed alius Cott.* Mart.

Anno 447.] *Cott.* 347, & *alius Cott.* cccc.

CAP. XXIX.

DEcrevi.] *Cott. addit* pauca de multis. *Horum nec Beda, nec Conſtantins, nec Fordon meminerunt.*

CAP. XXX.

PRimum miraculum, &c. quidam Rex.] *Gild. Cott. v. Ericum in vita S. Germani; quem hæc à Nennio ſumpſiſſe conſtat.*

Benli

Benli in regione Eal & ille vir.] Benli, Belinus, Beluni; *Higden* Beuli, & *Cott. Alii legunt* Benty. *Uſſerius Antiq. p.* 180. *Pro* Eal, *alii*, & illum, *alii*, Dalreæ *legunt.*

Ad iniquum Regem.] Ad nequiſſimum Regem. *Cott.*

Dixit ſi.] Dixit illi ſi. *Gild. Cott.*

Caput anni, in oſtio portæ meæ arcis non venient.] Caput anni non venient unquam. *Cott. Gild.*

Verba Regis.] Verba Tyranni. *Cott. Gild.*

CAP. XXXI.

BEnigne.] Qui eos benigne. *Gild. Cott.*

CAP. XXXII.

GRadiaris cum illis ad Dominum cui.] Gradieris ad eum cui. *Gild.* Ad ſervitutem, interficiebatur.] Ad ſervitutem in arcem interficiebatur. *Gild.*

CAP. XXXIV.

NOn deficiet Dux de ſemine.] Non deficiet de ſemine tuo qui, *Gild.* non def. Rex. *Cott.* V. Cap. xxv.

Durnlut.] Durnlyt. *Gild.* ipſe eſt Ketel Durnluc. *Cott.*

Tu eris Rex ab hodierna die.] Tu eris, ait Germanus, ab hodierno die. *Gild. Cott.*

Poviſorum.] Poviſiorum. *Gild. Cott.*

CAP. XXXV.

REx ſupradictus, dari illis.] Rex ſupradictus, (*in marg.* Vortigernus) dare illis. *Cott. Gild.*

A nobis, aux.] A nobis inde, auxilio veſt. *Gild.*

Indigemus.] Victum & veſtitum vobis dare nolumus. *Hæc paraphraſtice ex vero Gilda.*

CAP. XXXVI.

VAllem.] Tythicam. *Gild. Forte,* Theticam. *Gildas, ex quo hæc, verbis poetarum ſæpe utitur. Cottonianus legit* Scythicam, *non male: Legatos hic ex Nennio Gulielmus Malmesb. miſſos agnoſcit. Et fere Nennium ſequitur.*

Erat filia.] Et hæc e. f. *Gil. Cott. Alii,* erat enim f.

Cerdic Elmet.] Ceretec. *Cott.* Elmet *eſt territoriolum in Weſtr. Ebor. Cambd. De hoc Ceretico infra* p. 117. *Hic Samuel quærit in Cod. Bened. Cantabr. Quî poterat iſte Brito intelligere linguam Saxonicam?*

Quod à me poſt.] Quod pro ea à me poſtulas. *Gild. & Cott.*

Oghul.] Quæſivit ab eis quid peterent, & quid Regem peterent. *Gil. & Cotton.* Oghgul. i. e. Angul. *Gild.*

Canthguaraland.] *Cotton,* Conguaraland, in noſtra autem Kent. *imo potius* Caint. *Circa prima tempora Normannorum Chent aliquando Chenith dicitur.*

Guoirangono.] *Gildas* Guaranggono regnante. Gorongus *dicitur G. Malmesburienſi. Regem fuiſſe non puto; vox cuſtodem denotat, habes in Barangus,* & Cair Guarongon, *urbs præſidiaria. Interim, vox hæc in Cott. ſcribitur disjunctim,* Guoran cono. *Cuno nomen eſſe dignitatis fatentur Britanni, inquit Cambdenus, & ſcribi Cono etiam in voce Conetodunus notat. Hæc ipſa vox occurrit in vita Marcwardi,* 4°. *Sæc. Act. Bened. p.* 608. *Videtur Nennii* Gorongus

 idem

idem fuiſſe, qui hodie dicitur V portuum Guardianus, Cæſare Britannias invadente quatuor fuere reges in Cantio. Multi credunt honorarios, officiarios, ſeu præſides fuiſſe. Horum primi nomen Cungetoric habet aliquid affine Guorancono. V. Cap. xxv & xxxiv.

Clam dari.] *In marg. Gild. & Cott.* eum dolor nimius exagitabat, quia regnum ſuum clam doloſeque & imprudenter alienigenis datum eſt.

Quos & invitavit.] Qui invitavit. *Cott. Gild.*

Plurimas regiones.] Plurimas regiones & inſulas. *Cott.*

Freſieum.] Freſium Cott. *an Frethieum Britannice dicitur Veriche, & Werith. Ex Friſia Saxones veniſſe huc ſcribit Joan. Leydenſis in Chron.*

De quibus Ven.] *Hæc ſi vere ſcribuntur, ſunt ex Beda intelligenda. Alia lectio eſt,* ad quas venerunt*: ita intelligenda ſunt, ut expuliſſe omnes priſtinos incolas ex inſulis occupatis Saxones dicantur.*

Ad ſupradictam.] *In margine,* ſupr. regionem Cant.

CAP. XXXVIII.

IN ſinu Germ.] In ſinum. *Cott.*

Permittam.] Dimittam. *Gildas. De his agit Uſſerius Antiq. p. 207.*

Puer obed.] Puer – *uſque ad* avum. *Omnia media deſunt Gildæ.*

Ad avum.] Ad avum ſuum patremque Carnalem Vortigernum. *Cott. Putant aliqui Fauſtum hunc fuiſſe Fauſtum Reienſem. Tempora non multum diſcrepant. Sane & hic Fauſtus vulgo ſanctus perhibebatur: & fuit valde longævus. De eo abunde Uſſerius.*

CAP. XXXIX.

MAgnates.] *In margine,* Magos. *Conſiliarios & ſapientes ſic voluit appellare.*

Guoienit.] *In Northwalliam ſeceſſit. Incolæ Guinhediam, Latine Venodotiam vocant. Horum meminit Pauſanias, ubi eos à Brigantibus invaſos ſcribit, regionem eorum vocat* Γενουνίαν *forte ſcripſerat* Γουεντίαν. *Cod. Cott. legit* Guent.

In montibus Hereri.] Luſtrante montana Hereri. *Gild. in margine,* Snaudon Craig-ereri Incolis.

Lapidarios & Lap.] Lapidarios, ligna & lapides. *Gildas & Cott.*

Nocte una.] Nocte omnia ſubl. *Cott. & Gild. Ranulphus Higden affirmat omnia iſta in Solo Galfridi Britannico libro reperiri. Non fuiſſe in eo Gilda, quem ipſe paulo ante citat, veriſimile eſt.*

CAP. XLI.

QUæ eſſet.] Cauſa hujus malitiæ. *Gild.*

CAP. XLII.

UTrum infantem.] Ut infantem. *Gil. Cott.*

Ad campum Electi.] Gleti, *Gild.* Ellecti, *Cott.*

Gleviſing.] *Varie admodum hæc dictio ſcribitur. Vide Aſſerium in Vita Alfridi, & Librum Eccleſiæ Landavenſis in* III *vol. Monaſtici Anglicani.*

Timebat ille.] *Forte,* illa.

Quem inſinuaverunt.] Regem, inſinuaveruntque, *Cott.* & *Gild.*

CAP. XLIII.

UT iſta arx.] Arx ſanguine, *Cott. qui etiam hæc multo fuſius enarrat. Fabulæ fœcundæ ſunt. Quis non videt omnia ficta eſſe ad ſolamen miſerorum Britonum, quos Saxones affligebant. Hinc illa,* Gens noſtra ſurget, & gentem

tem Anglorum trans mare viriliter dejiciet. *Legebat auctor fabulæ in vero Gilda Draconem inſulanum. Unde hic prognati ſunt duo dracones. Sed tædet iſta longius perſequi.*

Duo vaſa ſunt concluſa in eo.] Duo vaſi ſunt, &c. *ſic Cott. Gild.*

Separate ea, & ſic invenietis, & Rex ſeparare juſſit, & ſic inventum eſt.] Separate ea & ſic inventum eſt, *Cott. Gild.*

Et tentorium evanuit.] Et tentorium, & albus evanuit, *Gild. Cott.*

Figura tentorii.] Tentorium, *Cott. Gild.*

Duo vermes duæ ſunt gentes.] Duo vermes duo ſunt Dracones, *Cott. Gild.*

Draco Rufus, Draco tuus eſt.] Vermis Rufus, Draco tuus eſt, *Gild. Cott.*

Quæ occupavit.] Quæ occupant, *Gild. Cott. Hæc ficta ſunt ex verbis Gildæ.*

CAP. XLIV.

EMbreis Gluetic eſſe videbatur, Dixitque.] Embreis Glentic. Dixit: *In marg.* quod eſt Britannice Embreis Gulethic. *Sed Cott.* Embris Glüetic.

Occid. Britannicæ.] Britannicæ, *Cott.*

Vocatur Guenneſi affugit.] Gueneri, *vel* Genneſs affuit, *Gild.* aufugit, *Cott.*

Cair-Guorthigirn.] Kaervortigern. *Gild.* v. *Uſſerii Antiq. pag. 207. Cambd. p. 632.*

Guaſmoric.] *Hæc videntur eſſe Gloſſema, non ſunt in Gilda, nec in Cottonianis, Codd.*

Palme caſtre.] *Forte* Pape-caſtle. Epiacum, *Ptolem. ſcripſerat Ptolemæus* Γεπιακόν. *Sæpe in Ptolemæo initiales literæ abraſæ ſunt.*

CAP. XLV.

GUortimir filius Guorthigirni.] Vortimer filius Vortigerni. *Gild. Cott. Et ſic paſſim.*

Uſque ad Inſulam.] Uſque ad ſupradictam Inſulam quæ dicitur Thanet. *Gild. Cott.*

Bellatorum, & forte.] Bellatorum virorum, *Gild. Cott.*

Avide geſſit, primum bellum.] *Omnia intermedia omittit Gild. Nec Cott. habet. De iſtis Uſſerius, Br. Ant. 206.*

CAP. XLVI.

PRimum Bellum ſ. f. D.] *Aliter* Dergwent. *Aliqui intelligunt fluvium Derbeienſem, qui idem eſt.*

Secundum Bellum – Episford.] *Codex quidam Galfridi legit* Bedford. *Auctor ſcalæ Chronicæ legit* Sleford in Lindicia. *Et notat ibi quidem congreſſos eſſe Horſam & Categernum, ſed neutrum cecidiſſe in ea pugna.*

Tertium Bellum.] *Hoc Bellum apud Episford mihi geſtum videtur. Ita enim numerus præliorum conſtabit. Videatur R. Hygden.*

Tertium Bellum in Campo.] *Quartum facio. Si faverent Codd. MSS. legerem* in Cantio, juxta lapidem populi (Folkſtane) ſuper ripam Gallici Maris. *Alii intelligunt,* Stonar.

Poſt intervallum.] *Gildas. ſed Cott.* poſt modicum intervallum.

Ad familiam ſuam animadvertit ut illius Sepulchrum.] Cum animadvertit futuræ rei caſum, præcepitque familiæ ſuæ ut illius ſepulchrum. *Gild. Cott.*

In quo vobis commendo.] *In marg.* à quo exierant Saxones, quod quamvis in aliis partibus Britanniæ habitaverint, tamen ſi ſic facias, nunquam in terrâ iſtâ manebunt. *Cott. Gild. Cambd. Brit.* 240.

Pro Uxore ſuâ & nullus eos abigere.] *Al.* pro uxore ſua, quam adeo diligebat, ut nullus audebat contra eos pugnare, quia blande deliniebant regem

regem imprudentem, viperino tamen corde dolum agentes, & nullus illos abigere, *Gild. Cott.* B.

Nutu divino contra voluntatem.] Nutu divino, & propter peccata Britonum maxima, Deo ſic permittente, contra voluntatem, *Gild. Cott.* B.

CAP. XLVII.

GUorthemir.] Vortemir *Gild. Cott.*

Majoribus natu.] Magnatibus natu, *Cott.* B.

Firma ad invicem.] Ad invicem firma eſſet, *Gild. Cott.*

CAP. XLVIII.

HEngiſtus nequiſſimus.] *In margine*, latente autem ſub ſpecie pacis doloſa machinatione, Hengiſtus ex ſuis totidem elegit, ſcilicet ccc milites, initoque cum eis conſilio prædixit eis, ut unuſquiſque artavum ſuum in ficone ſub pede ſuo poneret, & milites Regis ad convivium venientes inter ſe miſcerent, illoſque ſoll ...... cum inebriarent, & quando clamavero &c. *Ibidem in marg.* Aliter, Hengiſtus poſtea grande præparans convivium Regi Vortigerno, & ſenioribus militibus ejus ccc, convocavit Regem omnemque familiam ejus ad firmandum pacem, *Gild.*

En Saxones Nimed Eure Saxes.] *Al.* haxas. *In margine* Nimeth Sexees *Cott. Gild. Uſh.* 227. Nime out your Saexes, *Ranulphus.*

Redimatur, & conventum.] Redimatur, quam ut occidatur Conventum.

Pro redemptione animæ ſuæ.] Pro redemp. vitæ *Cott.*

Eaſtſexæ.] *Gildas*, cum reliquis regionibus, quas ipſi eligentes nominaverunt. *Cott.* Eaſtſaxum, Midleſaxum &c. *Et aliter*, Eaſtſexe, Southſexe, Midleſexe. *Cott.*

Ut ab illic.] *Refer ad cap.* 49.

CAP. XLIX.

GUorthigirno prædicabat.] Vortigernum prædicabat, *Gild. Cott. In marg.* & ab illicita filiæ propriæ commixtione alienum ſe faceret. *Gild.*

Guorthigirnianum miſerab.] Vortigirnum. *v. hic Uſſer. Ant. p.* 179. 2075.

Ac nocte ſtabat.] Ac erectus ſtabat. *Gild. Cott. Vide Ran. Higdenum, qui hujus Victoriæ meminit.* Iſte beatiſſimus vir Dux belli contra Saxones una vice factus, non tubarum clangore, ſed ad Dominum ovando cum cantu Pſalmorum; Hallelujah toto excercitu ad Dominum vociferando, hoſtes uſque ad mare ad fugam convertit: & interim &c. *Gild. Ad hæc reſpexit Gregorius Magnus Reg. l.* 1. *ep.* 41. *Uſerius ibid.*

Ad arcem Guorthigirni quam.] Ad arcem quam, *Gild. Cambd. p.* 478.

Impoſuerat, id eſt, Din Gurthigirn atque.] Impoſ. atque in reg. *Gild. Cott. Sed* Din Guort *deeſt Cottonianis, & Uſerianis.*

Flumen Teibi.] Flumen Theſibi: *Gildas.* Theribi *Cott. Priſe,* 124. *Galfridus l.* 5. *c.* 1.

CAP. LII.

BUelt & Guortigermanum.] *I. e.* Guelth & Vortigernianum. *Legit* Guartheuniaun *Uſerius p.* 206. Buelt, *Ptolemæo* Βέλλαιον, *forte* Βέλταιον.

Largiente Ambroſio.] Largiente ſuffragium Ambroſio, *Gild.* Embreſio, *Cott.*

Ambroſio.] Qui fuerat Rex magnus inter omnes regiones Britannicæ gentis, *Cott. Unus alius,* Reges.

Renis, & manet.] Reins, & ſibi conſecravit, & manet, *Cott. Gild. Uſ.* 206.

Et unam habuit filiam.] Quintam habuit filiam. *Gild. Cott. Alii,* Quinta fuit filia, & Mater S. Fauſti ſecundi.

CAP.

CAP. LIII.

TErmwail.] Fermail. *Cott.* & Guorthigirnaun. *Cott.*

Ipſe Theudubr filius Buelth regionis. Theudubr filius Paſcent.] Ipſe Theudrup eſt Rex Guelt regionis, Theudrup filius Paſchent, Mab Goithon (*vel* Mac Gaidean. *al.* Mac Gocan, *Cott.*) Mac Moriud, *in marg.* Goithan, Guordeant.

Mac Eldat.] Maceldat, *in marg.* Merelchat. *Gild. Cott.*

Mac Eldoe.] Mereldoe *ibidem* Marmepric (Macmerit. *Gild. Cott.*)

Mac Briecat.] Merbietat. *Gild. Cott.* Mac-Briaicat.

Mac Paſcent.] Ac Mac Paſchent, Mac Vortigern, Mac Vortimer Guithaut, Mac Guitolin. *Cottoniani Cod.*

Mac ap. Gloui. Dagueſti, bonus Paulus, Mauron [Marion.] Tres fratres fuerunt Gloui qui ædif.] Mac Glouida, qui fuit filius Paul Maurion, tres fuerunt fratres Glouii, qui ædificavit. *Cott. Gild. Ego quæ reperi, ut potui, repræſentavi. Viderint alii, qualia ſint. Hæc Geneologia addita fuiſſe videtur à Samuele, ego ſuſpicor Guortigernum fuiſſe genere Pictum, vel Scytham; qui Pictorum ope ad regnum pervenerit.*

CAP. LIV.

DIcebatur Melchu.] Milku dicebatur, *Cott. al.* Milchu. *Uſſ. An.* 431.

Cum illo erat, & in.] Cum illo erat VII annis, & in, *Gild. Cott.*

Nam cum ibi.] Et jam cum ibidem, *Gild.* annos plurimos, *Cott.*

Primitus.] *In Proſpero,* Primus. *utra Lectio præferenda, non conſtat.*

In Chriſtum.] Ad Chriſtum, *Gild. Vide omnino Uſſerii Antiq. fol.* 416. 417. *Hæc ex Proſperi libro adv. Collatorem.*

Prohibitus à Deo.] Prohibitus eſt à Deo, *Gild. Cott.*

CAP. LV.

AUditâ Morte.] Palladii ep. alius Legatus Patricius, *Cott.*

Monente & G.] *Deeſt* &, *Cott.*

Ad Scotos.] Ad Scotos in Chriſtum convertendos. *Cott. Sed alii legunt* Credentes. *Chronicon quoddam Maidulphesburienſe, cujus meminit Leylandus in Collectaneis, ſic ſcribit.* Anno D. 475. venit S. Patricius ad Hiberniam. Ille conſtituit, ut Pſalmi antiphonatim cantarentur à choro in chorum, nam antea Epiſtola & S. Evangelium recitabantur. *Hibernenſes igitur Scoti ad adventum Patricii fidem Chriſti erant amplexi.*

CAP. LVI.

MIſit ergo Germanus.] Sanctus Ger. cum illo, *Gild.* Miſit igitur S. Germ. Seniorem cum eo, *Cott.*

Segorum Epiſcopum ad Amatheum.] Segerum ad hominem quendam mirabilem Epiſcopum ſummum ad Matheum Regem. *Hæc expendit Uſſ. Ant. p.* 437.

Ibi ſanctus erat ſciens.] Ibi ſanctus ſciens, *Gild.* Ibi S. Patricius ſciens, *Cott. A.*

Ventum eſſet.] Ventura eſſet illic gradum. *Gild.*

Patricius ſumpſit ibi, quia Maun.] Patricius ſumpſit, quia Manimi prius vocabatur, Auſitius, Yſermus, & cæteri inferioris gradus. *Hic in marg. eſt,* Patricius in ordinatione, & *in marg. poſt Manimi,* Mauun vel Manuin, *al.* Manucuis. *Et in marg. p.* Anſitius verò &, *Gil. Camb.* 764. *Rectius,* Auxilius, & Iſernius. *V. Uſſerium, Antiq.*

CAP. LVII.

AMiſſis.] *Lege,* Omiſſis.
Ibernicum transfretavit.] Hybernicum onerata navi cum tranſmarinis mirabilibus, & ſpiritualibus theſauris perrexit ad Hyberniam, & baptizavit eos. *Gild. Cott.*

CAP. LVIII.

LOigere Regis.] In v. Loigere Regis Hyberniæ anno exorſus eſt prædicare regnum Dei. *Gild. Cott. Uſſer. Ant. 443. &c.*
Exteris nationibus.] Aliis nationibus, *Gild.* externis, *Cott.*
Apoſtolicas faciebat.] *Al.* fecit, *Gild. deeſt Cott.*

CAP. LIX.

ABietoria CCCLXV.] CCCXLV *lego,* Abetoria. *Waræus de ſcriptor. Hibernicis.*
Connachta.] Conaita, *Gild.*
Cruachaneli.] Quatheneli, *Gild.* Crua canelimi, cruachan Eile, *vel* Hely, *vel* Ely, *Cott. & Uſſerius. p. 460.*
In aere tres.] In aere manente tres, *Gild. Cott.*

CAP. LX.

UT fertur à Scotis.] Ut fertur, quod unuſquiſque. *Gild.* fertur. Scoti *ſic Cott. ſed in Parentheſi. forte,* ſc. ut ſuſcip.
Credentium licet.] Peccatorum, licet, *Gild. deeſt Cott.*
Conſumarentur.] Conſumentur, *Cott. Forte,* conſumerentur, *vel* conſumantur.
Septem annis ante diem judicii.] Septem annis ante judicium, *Gild. &,* quia delebuntur pro honore p. *Cott. in marg.* ut Terra tegetur aquis, Dominus qui venturus eſt judicare Vivos & mortuos, ut pro oratione Sancti Patricii crimina populi abluantur, & animæ ante judicium protegentur, *Gild.*
Die judicii.] Die judicii patrem magnum ſuum, ut ſeq. *Cott.*

CAP. LXI.

PAtricius primo. i. e. Angelo.] Patricius i. e. uno modo Angelo, *Cott. Gild. Cætera quæ hic de Patricio ſequuntur, penſiculatius tractata videas ab Eruditiſſimo Armachano Archiep. Antiq. Brit. p. 437.*

Quæ ſequuntur excerpta ſunt è quodam Nennii MSS. D. Uſſerii Archiepiſcopo Armach. ad finem Cap. 61. ante hæc Verba, (Res autem exigebat &c.*) Quæ & in MSS. Cantabrig. necnon Cottonienſi omiſſa ſunt. Et ex eodem libro Archiepiſcopi Armach. conſulto lineis tranſverſis expunguntur; ut videat tamen lector qualia ſint, eadem conſcripta hic poſui.*

——————————Octoginta quinque annorum in Hibernia prædicavit.
Hic ut mihi videtur contradicit ſibimetipſi: ſed aliter audivimus & ſcriptum reperimus: Quadragenarius erat quando de Captivitate exivit, & per xxxx annos didicit & Deo ſervivit, & xxxx. prædicavit, in his tribus Quadragenariis vero maxime, Patricius æquatur Moſi: ſicut Moſes xxxx annis in Domo Pharaonis & velut in Captivitate, & xxxx in exilio in terra Madian, & xxxx in Prædicatione & in ducatu Populi, ita Patricius xxxx in exilio inter Gallos, & xxxx in prædicando, & miracula faciendo, atque reſiſtendo Loigeri Regi & ejus Magis, ſicut Moſes Pharaoni & ejus

ejus Magis, viriliter & indefeſſe ſervivit Deo. Nam bene poteſt fieri, illum in Captivitate fuiſſe, per quindecim annos, & quadragenarium egreſſum fuiſſe. Sed hic alter de Moiſe quadragenarius fuit, quando de Ægypto exivit in fugam, & ad Ægyptum, poſt xxxx annos, propter populum Dei miſſus rediit. Et ipſe Patricius quadragenarius erat, quando de Roma in fugam exivit, & poſt quadraginta annos, miſſus ad populum Dei eripiendum de manu Diaboli, ad Hiberniam rediit, & uterque per xxxx annos in ſtudio Prædicationis manſerunt: & * ſimili fias & jeuino diſſimili. Res autem exigebat &c. *Hæc eadem legas in Cod. Bened.*

CAP. LXIII.

BReviare.] Hic expliciunt geſta Britonum à Gildâ ſapiente compoſita. *Sic Codd. Cott. duo, quæ ſequuntur forte ſunt additiones Ninii vel Samuelis ad Gildam: vide Balæum, p. 72. certè non ſunt hujus noſtri ſcriptoris. Gildam cum dixi, intelligo Gildam querulum, non hunc præ manibus Gildam, ſeu Pſeudo-Gildam.*

Ad regem.] Ad regnum, *Gild.*

Cum Regibus.] Cum Regibus Brithonum, & licet multi populi nobiliores eſſent, ipſe tamen duodecies Dux belli fuit, victorque bellorum.

Mabute.] *Lege*, Mabuter, *&*, malleum ferreum, quo franguntur molæ, *Gild. Priſe.*

CAP. LXIV.

GLeni.] Glein, *Gild. In marg.* Devonia, *&* Gleni. *Sed rectius Glem in Lincolnia, ubi Glemford nunc. Vortigernus dedit Hengiſto Lincolniam; unde eum expellere certant Britones bellis ſequentibus, ſub Aurelio, Vortigero, & Arthuro.*

Super aliud flumen.] Super flumen, *Gild. Dug & Du fluvius Linc. alii hæc collocant in Lancaſtria prope Wigan, ibi Dugles fl.*

Linnis.] Limus, *& in marg.* Lindiſey, *Gild.* Linnuis, *Cott. lego*, Lind.

Sextum bellum.] Sextum ſuper, *Gild. ubi nunc Baſton vel Boſton.*

Septimum bellum.] Septimum in ſylva Calidonis, i. e. Cathcoit Celidon. *In marg.* Cornubiæ, *Gild. Cott. rectius,* in Lincolnia.

Octavum.] Caſtello Guynion, *al.* Guimer. *Forte*, Gainsford.

Imaginem crucis Chriſti & Sanctæ Mariæ.] Imaginem Sanctæ Mariæ, *Gild. Cott.*

Sanctæque ſuæ genitricis &c. uſque ad nonum bellum.] *Omnia hæc inter* Genetricis *&* Nonum bellum *hîc deſunt. Gild. & Cott. & ſtant in margine Cod. Benedictini Cantabrigienſis.*

Urbe Legionis.] Urbe Legionis, quæ Brithannice dicitur Kairleun; *Tres fuere urbes Legionum, 1 ad Vſeam, 2 ad Deam, 3 Verovicum, Præſidium Warwic. Sic Joan. Roſſus.*

In Cottoniano deeſt, Kaerleon. *In aliis additur,* quæ Britannice Kairleun dicitur.

Ribroit.] Trathtreviroit, *Gild.* Arderit,*Cott. & Priſe, & Chron. Walliæ MS.*

Undecimum.] Undecimum fuit in montem, qui dicitur Agned Cath-Regenion, ibidem *in marg.* in Sumerſeteſhire, quem nos Cath-bregion appellamus, *Gild. Cott.* Lhuydo, Edenborrow. *Priſe pro* Agned *legit* Aſſuet. *Hæc prælia ſimul enumerata geſta videntur ſpacio xxxx annorum & amplius; & licet hîc omnia videantur Arturo tribui, tamen geſta fuere ſub Vortigerno, Ambroſio & aliis.*

In Britannia.] *Hîc deſinunt Codd. Cott. A & B; alii ab iis, quos ſupra ad cap.* LXIII *finiviſſe diximus.*

CAP. LXV.

IDa filius Eobba.] Yda regnavit, qui fuit filius Ebba, ipſe primus in Bernicia, i. e. in Cernech Rex fuit, & in Cair Effrauc, de gente Saxonum.

Rex in Bernicia.] *Omnia quæ hic ſunt inter* Rex *&* in Bernicia, *&* prima Civitas, *deſunt Gildæ, & Cottonianis quibuſdam Codicibus. Nimirum hæc non poterant à Nennio ſcribi, quoniam quædam ſunt temporum inferiorum. Et ſane videntur eſſe fragmenta Chronologiæ Saxonicæ minime contemnenda; obſcura interim & vitioſe admodum congeſta.*

Junxit arcem.] *Alius,* ſtruxit. *& forte,* arces, *&,* DEIRABERNECH.

Cum eo.] *Hîc in margine Gildæ habetur hoc Scholion.* Si quis ſcire voluerit, quis baptizavit eos, ſic mihi tradidit Reuchidus & Elbodus Epiſcoporum ſcientiſſimus, Rimin ap urb [*al.* Rim map. urb] i. e. S. Paulinus. *Conjicio legi oportere*, Run map Urbgen, i. e. *Romanus urbigena. Eadem fere infra habentur, nec non in Beda & Saxonica Chron.*

Beulario.] *Lege,* Beulario. *& mox,* eas.

Mirabilibus Britanniæ.] *Sequebantur iſta Mirabilia in Codicibus multis, quibus uſus ſum; ea tamen omiſi tanquam ad inſtitutum meum minus nunc facientia: ſimul etiam quod infra in Ranulpho Higdeno recurrant.*

Nomina omnium Civitatum.] *Infra de his agetur, notarum p...... & iterum in Ranulpho Higdeno.*

Ninnii exempl. MSS. V. hîc cap. LXVI.] *Lege* LXV.

Nomine Birdei.] *Cotton. alius,* Bridei, *& Vſſerius, & Beda. Et Fordonius in Scotochr.*

Saxones Ambronem.] Ambronum. *Cotton. forte,* Ambrones.

Vocatur.] Vocaturque Cathlum Garran. *al.* Guethlingarran. *forte,* Cath Langarran.

Genuit Kippan.] *Alius Cott.* Rippan. *Vide omnino Florentium p. 688.*

Penda f. Pubba. Ecgf.] *Hîc in marg. Cott.* Eadbald filius Algund, fil. Ena, f. Penda f. Pubba. *Habet & alius Cottonianus, ſed* Algumch *&* Eva, *pro* Algund *&* Ena.

Primus Superav.] *Si ſic; legerem,* Guir O Brinaic, *Homines montanos, Brigantas. Si vero,* Separavit, *legerem,* Deir O Bernec.

De origin.] *Lege,* origine, *& mox,* eas.

Catguallum.] *De Cadwallone hæc eadem narrat Chron. Walliæ MS. Mox lege,* Oſwi, *pro* Oſguid, *&* Liodguald, *pro* Liod Guad.

Egbirth.] *Is eſt Ecbertus Ebor. Arch. A. D. 735.*

IDA.] *Ante Idam apud Northymbranos ſubreguli ſive Duces fuerunt novem. Parebant Hi regibus Cantianis. Ida primus ſe ipſum in regem Evexit. Scala Chron.*

Humbri Maris.] Δύμβρις κατὰ γλῶσσαν θάλασσα. *Sch. Theocriti.*

Vixit.] *Struxit, ſic ſupra.*

Dutigern.] *An Wortigern? an potius eſt ille Wthigern, cujus meminit, circa hæc tempora, Ethelwerdus? mox lege,* Tantaguen *&* Talaeſſin, *de quo Priſc.*

Mailcunius.] *Eſt* Maglocunus *Gildæ.* Mailgo *Chronicæ Walliæ.*

Ryderthen.] *Conjicio,* Rhyd. Erchen. *Ergen ſive Archen eſt Herefordenſis agri pars.*

Urbgen.] *Forte intelligit* Aurelium Ambroſium.

In illo autem.] *Hæc ex vero Gilda.*

Inſula Medcant.] *Nunc,* Lindisfarn: *ibi enim Cuthbertus deceſſit.*

Elmet.] *Eſt territoriolum agri Ebor. prope Leodes. Hæc Beda tangit.*

Cum ea.] *Camdenus legit,* & hæc prima baptizata eſt. *Beda & Chron. Saxonica.*

Ipſe enim.] Ipſe enim eſt Oſwald. *Cott.*

Cateſcaul.] *Pet. Langtoft vocat* Huntingfeild, *legit etiam* Cateſcaul *Chr. Walliæ. Forte,* Catgual. *Erat prælium prope Vallum Picticum.*

Homi-

Hominum Catgualat.] Catgualiter, *Alii.*

Giti campi.] *Al.* Guenti. *Chron. Walliæ videtur hic ponere,* Strages Gai campi; Pendæ occiſio. *Aliis eſt Winwetfeild: & non procul hinc fluvius Guent, qui nunc Went.*

Vocatur iudu.] *Alius legit,* Nidu. *Nidus bene notus ex Antonino & aliis.*

Catguommed.] *Al.* Catguominec.

Penda fil. P.] *Al.* Wibbæ. *Sax. Chron. & Malmesb. & Florentius p. 688.*

Codoy.] *Al.* Coeboy, & Cothin, & Cocthin. *forte,* Conwey.

Filius Pubba.] *Al.* Pibbæ; *rectius,* Wibbæ. *Conferendus in his H. Huntingdonenſis, qui ſecutus eſt Annales Saxonicos multo auctiores, quam qui nunc extant.*

A Mundi Prin.] *De hac appendice quid ſenſerit Camdenus vide, Britan. p. 95. Priſæus, p. 119. Uſſerius, Antiq. Eccl. Br. p. 217, & 239. Illud interim apparet, non Nennii, ſed melioris eſſe manus.*

Guitolini & Ambroſii.] *Supra in Geneologia Guorthigirni legis,* Guitilin, & *in alio Cod.* Maurion, Guitilin. *Hunc Maurion puto eſſe Marchantum filium Guitolini, de quo paulo ante; inter hunc & Ambroſium diſſidium ortum eſt; & poſtea, ſecuta eſt cædes Ambroſii, in expeditione Tranſhumbrana contra Saxonas. Hinc lux Galfrido, l. 8. c. 3. 4. Chron. Walliæ circa hæc tempora,* Idris jugulatur. *Lego,* Embrids: *qui & Ambroſius, alibi. Gildas in libro querulo graves Britonum inimicitias ante ſua tempora deplorat, p. 14. Sect. 19.* ungebantur reges, &c. paulo poſt – trucidabantur. *Adde his, quod Nennius Urbigenæ filios tribuat, & Ambroſii ſobolem ab avita virtute degenerem ſuo tempore commemoret: Neminem ex Ambroſii ſobole fuiſſe regno ſublimatum dicit. Nam credibile eſt Marchantum & Guitholini factionem, occiſo Ambroſio, iſtam familiam excluſiſſe. An hic Guitholinus is forte fuerit, à quo Warwicum, Cair-Guetholin, denominatam fuiſſe ſcribit Humphredus Lhuydus in Britan. Deſcript. An ille alius Guethlin, ſive Wetheling, à quo nomen ſuum viam Wetlingianam volunt accepiſſe, viderint quibus otium. Quod autem bellum, & ubi loci geſtum fuerit Cat-Guolopum, (cujus hic obſcura eſt mentio) tacent Antiquarii. Gallacum Ptolemæi Cambdenus putat eſſe Whellep, vel Whallop-Caſtle in Weſtmaria. Hoc in vocabulo puto ego latere Cat-Guoloph; & huic conjecturæ adſtipulatur locus ille vicinus Marchantoniby, magnis ruinis notabilis; in illa enim voce Marchanti, filii Guetolini, manifeſtum habes indicium. His ipſis temporibus erat Morganiæ rex Mercaunius, Cognomento inſanus; iſta duo vocabula non multum abludunt. Sed conjecturarum ſatis.*

Interim, dum meliora Nennii exemplaria ſeſe offerant; nonnihil lucis ad hæc obſcura & confuſa ſtemmata intelligenda præſtabunt genealogiæ ſubſequentes.

WODENUS.

Vecta *ſive* Wehta Witta Withgiſilus Hengiſtus *primus rex Cantuariorum* Oricus *cognomine Æſca rex* Octa *rex* Irmenricus *rex* Æthelbertus *rex Chriſtianus* Eadbaldus. Erconbertus Caſera Titmon	Trigilſus Rothmundus Hrippus Wilhelmus Uffa *ſive* Wffa *primus rex Orientalium Anglorum* Titellus *rex* Redwaldus *rex* Eorpwaldus *rex* Wibertus Earneta Geſecg Antſecg	Sueppa Sigefugel Bedca Offa Æſcwinus *primus rex Orientalium Saxonum* Sledda *rex* Sebertus *rex* Sexredus & Siwardus Withelgeatus Waga Wihtleagus	Weremundus Offa Angengeatus Eomerus Icelius Cnebba Cunewaldus Creodda *ſive* Cridarexus *primus Merciorum* Wibba *rex* Penda Peada Weagdeagus	Siggarus Suebdegus Sigeotus Seabaldus Sefugelus Sueartha Seomelus Weſterwalcna Wilgelſus Wuſcfrea Iſſus *dux* Ælla *primus rex Deirorum* Æthelfridus	Bealdeagus Brandius Beornus Beorno Wegbrandus Ingebrandus Aluſa Angengeat Ingengeat Æthelbrihtus Oeſa Eoppa Ida *primus rex Berniciorum* Adda	Freodegalius Friawinus Wigga Gewiſius Eſla Eliſius Cerdicius *primus rex Weſt-Saxonum* Kenricus *rex* Ceaulinus *rex* Ceolricus	Winta Cretta Quelpgilſus Ceadbed Bubba Beda Eanferthus *Ab hoc Lindisfarorum propaſapia. Hic eſt Anfridus, cujus frater Oſguald. Oſlap, Oſlac Oſwid &c. ut apud Alfridum Beverl.*

Nomina

Nomina omnium civitatum Brit.] *Viginti & octo civitates in Britannia primus, quod ſcio, numeravit Gildas; poſt Gildam Beda, Nennius, H. Huntudunenſis, Alfredus Beverlacenſis, Ranulphus Ceſtrenſis, Radulphus Marham; Auctor Eulogii, aliique. Variantes Scriptiones, quas in urbium nominibus inter hos auctores deprehendi, poſui in ſequenti tabula. Alii adhuc ſunt, qui his plures addunt. Reptaceſtre ſive Ruptimuth, Cair Paladour, Cair Badon optimo jure accenſentur. Dicit Gildas, & alii, has fuiſſe urbes celebres temporibus Britonum & Romanorum. Quod multæ plures fuerint, iſtis temporibus, ex Antonino & Marciano & Ptolemæo facile colligitur. Ptolemæus citra Murum Picticum deſignat urbes ſeptem ultra triginta; qui tamen multas omiſit æque antiquas & nobiles, ac ſunt ex iis pleræque, quas recenſuit. Sed nec Breviarium, ſub Theodoſio factum, certiores nos reddit de numero civitatum. Quadraginta & ſex ponit ſtationes: has omnes fuiſſe urbes quis præſtabit? Porro, Stationes hæ fere omnes fuere limitaneæ & quaſi marginales; urbium interiorum paucæ memorantur. Contenti igitur ſimus Catone noſtro.*

Nomina urbium Britannicarum ex Nennio, Henrico Huntudunenſi, Alfr. Beverlacenſi, & aliis collectaneis.

De Nobilibus Civitatibus Britonum. *Erat autem Britannia quondam Civitatibus viginti & Octo nobiliſſimis inſignita, præter Caſtella innumera, quæ & ipſa Muris, Turribus, Portis ac ſeris erant inſtructa firmiſſimis. Civitatum quoque nomina hæc erant Britannice.*

Kair Ebrauc, *id eſt, Eboracum.*
Kaire Kent, *id eſt, Cantuaria.*
Kaer Gorangon, *id eſt, Wigornia.*
Kaer Lundene, *id eſt, Londonia, al.* cair Lud.
Kaer Lirion, *id eſt, Leirceſtria.*
Kaer Collon, *id eſt, Coleceſtria.*
Kaer Glon, *id eſt, Glouceſtria.*
Kaer Cei, *id eſt, Ciceſtria.*
Kaer Briſtow, *id eſt, Briſtoldum.*
Kaer Ceri, *id eſt, Ciriceſtria.*
Kaer Guent, *id eſt, Winceſtria.*
Kaer Grant, *id eſt, Granteceſtria, quæ nunc dicitur Grantebrugia.*
Kaer Lion, *quam vocamus Carleolum.*
Kaer Dauri, *id eſt, Doreceſtria, al.* Dorin.
Kaer Deorm, *id eſt, Dormeceſtre, quæ ſita in Huntedunenſi Provincia ſuper Flumen, quod vocatur Nen. penitus deſtructa eſt.*
Kaer Loidcoit, *id eſt, Lincolnia. f.* Leodes in Elmeto, *al.* cair Ludcoth.
Kaer Merdin, *quæ nunc quoque ſic vocatur.*
Kaer Gnorcon.........
Kaer Cucerat, *al.* Cureraud.
Kaer Guortegern.
Kaer Ruth, *al.* Uruch, & Urnach.
Kaer Celemion, *al.* Coloimon.
Kaer Megnaid, *al.* Megard.
Kaer Licilid, *al.* Licidit.
Kaer Peris. *id eſt, Porceſtria, al.* Cair Poris, & Porari.
Kaer Legion, *in qua fuit Archiepiſcopatus tempore Britonum, nunc autem vix mœnia ejus comparent, ubi Uſca cadit in Sabrinam.*
Kaer Draiton *al.* Draicon.
Kaer Mercipit, *al.* Mercip. & Meircipit.
Kaer Segent, *quæ fuit ſuper Tamiſim non longe à Radinge, & nunc vocatur Silceſtre. Hæc autem erant nomina Civitatum tempore Romanorum & Britonum.*

Ut autem Lectoris faſtidium aliquatenus allevem, præter nuda & barbara nomina viſum eſt adjicere commentationem eruditiſſimam, quam de his urbibus olim edidit doctiſſimus Archiepiſcopus Armachanus Jacobus Uſſerius.

Hæc

Hæc ſunt Nomina omnium Civitatum quæ ſunt in tota Britannia: quorum Numerus eſt XXVIII.

I. Cair-Guintguic, *quæ Norwicum fortaſſe fuerit, (Britannis* Cair-Guntin *appellatum) vel potius Winwick Lancaſtrenſium: veteri Ninii Gloſſatori Winceſtria ſive Wintonia eſt.*

II. Cair-Mincip, *vel* Municip, *apud Henr. Huntingdonienſem perperam* Mercipit *ſcriptum. Eſt Verolamium (juxta Oppidum Sancti Albani) quod Romanorum temporibus Municipium fuiſſe ex Tacito conſtat.*

III. Ligualid, *al.* Legevit, *id eſt,* Luguballia*: quæ Huntingdonienſi Cair-Leil, vulgo Carlile dicitur.*

IV. Cair-Meguaid, *al.* Meiguod, *vulgo* Meiuod *in Mongomerienſi Comitatu poſita, & Ptolemæo ac Antonino Mediolanum olim dicta.*

V. Cair-Colun, *vel* Colon: *quæ Gaufrido Monemuthenſi (lib. 5. Brit. Hiſt. cap. 6.) & Henr. Huntingdonienſi Colceſtria eſt, ad Coln Fluvium ſita, & Antonino in Itinerario Colonia appellata. Hartechiam etiam Merviniæ urbem ad mare Hibernicum poſitam, Cair-Colun olim fuiſſe dictam Camdenus in Merioneth-ſhire affirmat.*

VI. Cair-Ebrauc, *aliis* Cair-Brauc. *Eboracum eſt (Alphred. Beverl, & H. Huntingdon.)*

VII. Cair-Cuſteint. *id eſt. Urbs Conſtantii vel Conſtantini. Cair-Seiont eſt, prope Cair-Nervon, Conſtantii enim Filii Conſtantini Magni, Sepulchrum monſtrari juxta Urbem, quæ vocatur Cair-Segeint, refert Ninius, ut Litteræ, inquit, quæ ſunt in Lapide Tumuli ejus oſtendunt, & antiquam Urbem Conſtantii Imperatoris, Filii Conſtantini Magni, in Arvonia collocat Britannicus ſcriptor vitæ Gruffini Filii Conani Venedotiæ principis, quanquam Anno Domini 1283. apud Caer-Nervon prope Snoudunam, Corpus maximi Principis, patris Imperatoris Nobilis Conſtantini, fuiſſe inventum, & Rege Edovardo I. jubente in Eccleſia honorifice collocatum, Mathæus Weſtmonaſterienſis narrat. Ut ad Conſtantium Conſtantini M. patrem, quem Eboraci in Britannia, potius quam ad Conſtantium Conſtantini Filium, quem Mopſocrenis vel Mopſueſtiæ in Cilicia mortuum eſſe legimus, referenda iſta videantur. Vide an non ad Conſtantinum tyrannum ex Cambd. pag. 195. l. 28. cum §. XIX. is vero an. 407. in Caer-Segent imperator appellatus, in Gallia (non Britannia) an. 411. cæſus eſt.*

VIII. Cair-Caratauc. *Henr. Huntingdonienſi,* Cair-Cucerat *perperam appellata.* Cair-Caradox *autem in Salopiæ Finibus inter Themidem (ſive Temdum) & Colunum Fluvios ſitam fuiſſe, oſtendit in Fragmento Britannicæ deſcriptionis Humfredus Lhuydus. Galfridus Monemuthenſis & Gloſſator Ninii Salesburiam Interpretantur.*

IX. Cair-Grauth, *al.* Grant, *id eſt,* Granteceaſtria, *quæ modo dicitur Cantabrigia, inquit Henr. Huntingdonienſis, Hiſtor. lib. 1. nomine nimirum à Granta ducto, quem idem libro. 5. Fluvium Cantabrigiæ appellat. Ejus Guilielmus de Ramſeye Abbas Crulandenſis in vita Guthlaci, ita meminit.*

Eſt apud Angligenas à Grontæ Flumine, longo Orbe per anfractus ſtagnoſos & Fluviales Circumfuſa palus.

Et ante eum Felix Crulandenſis Monachus, qui ejuſdem Guthlaci vitam Ælfwaldi Orientalium Anglorum Regis juſſu deſcripſit. Eſt in Meditullaneis Britanniæ partibus immenſæ magnitudinis teterrima palus, quæ à Grontæ Fluminis Ripis incipiens, haut procul à Caſtello quod dicunt nomine Grontæ &c. *Ubi Saxonicus Interpres Flumen* ᵹrantecea *Caſtellum* ᵹranteceaſter *reddidit. Grantaceſtir vero ſuo tempore Civitatulam deſolatam fuiſſe teſtatur Beda, lib. 4. Hiſtor. cap. 19. ex cujus Ruinis exiſtimant nonnulli creviſſe Cantabrigiam, quæ ab Aſſerio Menevenſi, Fabio Ethelwerdo & Anglo-Saxonicis Annalibus Florent. Wigorn. Rog. Hoveden & Matth. Florileg. (in anni 875, & 876. hiſtoria) Grantebrycge & Grantanbricge vocatur:*

catur: à qua & toti circumjacenti Comitatui inditum eſt nomen Grantebridgeſhire (in Chartâ Edredi Regis An. 948. data apud Ingulphum) vide H. Hunt. fol. 170, & R. Hoved. fol. 305,313,337. & Guil. Malmes. lib.1. cap.6. Unde etiam Alphredo Beverlacenſi Caer-Grant exponitur Cantebrigge. Quod nomen ab Ethelwerdo primum uſurpatum invenio, Hiſtoriolæ ſuæ libro 4. capite 4. de Danis ita referente. Tranſmeabant pontem Ordine litterato, qui vulgo Cant-bricge nuncupatur.

X. Cair-Maunguid, *vel* Mauchguid. *Putatur eſſe Antonini vel Mancunium, id eſt, Mancheſter in Lancaſtrenſi, vel Manduesſedum potius, id eſt, Mancheſter in Warwicenſi Agro poſitum. Eſt & Menegid in Angleſeia locus a Caradoco Lhancarvanenſi in Anni 873. Hiſtoria commemoratus.*

XI. Cair-Lundein, *aliis* Cair-Lud. *Londinium eſt, Regni Metropolis.*

XII. Cair-Guorthigern. *quam a Guorthigerno Britannorum Rege, in Regione quæ vocatur Guenneſi (id eſt, ut ego Interpretor, Monemuthenſi, quæ Guent & Went-ſet dicta eſt) ædificatam eſſe, confirmat Ninius, vide ſupr. num. 3. & Camd. in Cumberland. 632. Galfridus Monemuthenſis, in Natione Herging ſuper Fluvium Guaiæ, (Vaga ea eſt, ſive Gwy Fluvius, qui inter Monemuthenſes in Sabrinæ influit æſtuarium) in Monte qui Cloarchius nuncupatur, ſitam fuiſſe innuit. Alii, in Regione Cambriæ Gurthrenion dicta, poſitam fuiſſe exiſtimant, & Guthrenion Radnorenſium Caſtrum ex ejus ruderibus extitiſſe. Vide Lhuydi fragment. fol. 20, 21. & Camdeni Britanniam pag.* 479.

XIII. Cair-Ceint, *al.* Kent. *id eſt.* Cantuaria (*Alphred. Beverlac. & H. Huntingd.*)

XIV. Cair-Guiragon. *al.* Guorangon, *id eſt,* Wigornia (Iid.) *Britannis* Cair-Wrangon, *Anglis* Worceſter *appellata. A Conſtantio rege fundatam Roſſus Warwicenſis; olim Romanorum ſuperbiam mœnibus fuiſſe affirmat alius. vid. Camd. in Worceſter-ſhire. pag.* 434.

XV. Cair-Peris, *id eſt, Port-cheſter* (Iid.) *Vide Galfrid. Monemuth. lib.5. hiſt. Britan. cap. 8. (edit Heidelb.)*

XVI. Cair-Daun. *Antonino Danus, vulgo Dancaſter.*

XVII. Cair-Legion. *Quæ Guil. Malmes. lib.1. cap.3. & 6. & Alphredo Beverlacenſi eſt Ceſtria, ſive Weſt-Cheſter. Eadem quæ Bedæ lib. 2. Hiſtor. cap. 2. Eſt Civitas Legionum, quæ a gente Anglorum Legaceſter, a Britonibus autem rectius Cair-Legion appellatur. Ut & Florentio Wigornienſi ad Annum (ſecundum Dionyſium) 894. quanquam ibi Matthæo Florilego (ad Annum 895.) Legeceſtria Anglice Wirhall ſit dicta: ex Annalibus Anglo-Saxonicis Bedæ ſubnexis (non ſatis recte, ut videtur intellectis) in quibus ſic legimus, Hic* ȝeðýðon on anre Ƿeſtre ceaſtre. on Ƿirhealum ſio iſ legaceaſtre ȝehaten.

XVIII. Cair-Guricon, *vel* Guorichon, *quæ vel Warwicum eſt Joh. Roſſo, vel Ptolemæi Viroconium,* id eſt, *Wroxceter in Salopienſi Comitatu.*

XIX. Cair-Segeint. *Segontiacorum in Agro Southantonienſi Civitas: quæ fuit ſuper Thameſin non longe a Redinge, & vocatur Silceſtre; ut Alphredus Beverlacenſis, & Henricus Huntingdonienſis annotant. Qui tamen haud recte (ut puto) Silceſtriæ ſedem ad Thameſin poſuerunt. Eſt & Cair-Seiont in Arvonia, de qua ad numerum* VII. *eſt dictum. Epiſcopatus Silceſtriæ Galfridus meminit lib. 2. cap. 15.*

XX. Cair-Ligion-guar Vſic. *Britannis Cair-Leon ar Uſk, id eſt, Urbs Legionis ad Iſcam fl. adhuc appellata.*

XXI. Cair-Guent. *Quæ Alphredo Beverlacenſi, & Henr. Huntingdonienſi, Wintonia eſt, ſive Winceaſtria; Romanis Venta Belgarum olim dicta: de qua ad num. 1. Eſt & Venta Silurum; quæ in Agro Monemuthenſi non longe à Cair-Leon poſita, antiquum nomen Caer-Went etiamnum retinet. vid. Galf. lib. 9. cap. 15.*

XXII. Cair-Brithon. *Quæ Huntingdonienſi & Cambd. pag. 173. eſt Cair-Briſton, id eſt, Briſtollia. Melius forte Dun-Britton Alcluid olim dictum.*

XXIII. Cair-Lerion, *id eſt*, Leiceſtria. (*Alphred. Beverlac. & Henr. Huntingdon.*)

XXIV. Cair-Draithou *vel.* Draiton. *Nam ſic apud Huntindonienſem legitur: ut forte Salopienſium Draiton fuerit.*

XXV. Cair-Penſavelcoit. *Galfridus Monemuthenſis (eumque ſecutus Eulogii author, libro. 5. & Matthæus uterque Pariſienſis ac Weſtmonaſterienſis ad Annum Gratiæ 52.) Kair penhevelcoit interpretatur Exoniam, pro qua in Heidelbergenſi Britannicæ Hiſtoriæ editione (lib. 4. cap. 16.) & in vetere Aſcenſiana, per errorem ſubſtituta eſt Oxonia. Verum Exoniam, quæ dicitur Saxonicè, Eaxcenceaſtre (vulgo contractius Exceſter) ut Romanis Iſcam Danmoniorum, ita à Britannis (teſtante etiam Aſſerio Menevenſi in geſtis Ælfredi Regis Anno 876.) Cair-Wiſc vel Cair-Iſc appellatam fuiſſe conſtat. Itaque Camdenus noſter, hac repudiata ſententia Galfridi Pen Uchelcoit, Ptolemæi Uzellam, & Cornubienſium Leſtuthiell: Ninii vero Pontavelcoit Ptolemæi Iſchalin, & Somerſettenſium Juelceſter fuiſſe exiſtimat: prius illud nomen Britannicum, Montem editum in Sylva, poſterius, Pontem ad Juel in Sylva, interpretatus. Mihi tamen Ninii Penſavelcoit Guilielmi Pictavienſis, Orderici Vitalis, & Guilielmi Gemeticenſis, Penueſellum potius fuiſſe videatur; quæ Pemſeia hodie dicta, primo Guilielmi Normanni in Angliam appulſu celebris eſt. Cui & Britannici vocabuli coit adiectio non male convenit: quum Silveſtribus ſepibus denſa fuerit, in qua hæc ſita eſt, Sußexienſis Regio.*

XXVI. Cair-Urnach. *Quæ Camdeno Uriconium Antonini; Viroconium Ptolemæi, & Salopienſium Wroxceter fuiſſe videtur.*

XXVII. Cair-Celemion. *Quam idem Somerſettenſium Camalet fuiſſe conjicit.*

XXVIII. Cair-Luit-coyt. *Quæ Alphredo Beverlacenſi Henrico Huntingdonienſi & Ranulpho Ceſtr. eſt Lincolnia, ne quis ad Scotorum Albienſium Sylvam Caledoniam in Albania, quo Saxones nunquam penetrarunt, referat.*

Pro I. VII. X. & XXV. *Henricus Huntingdonienſis in primo Hiſtoriarum ſuarum libro, ſequentes Sex Supponit.*

I. Cair-Glou. id eſt, *Gloueceaſtriam, de qua Ninius, Glovus ædificavit Urbem magnam ſuper Ripam Fluminis Sabrinæ, quæ vocatur Britannico Sermone Cair-Glovi, Saxonice autem Glouceſter. vid. Guil. Malm. lib. 4. de Pontificibus, & infra cap. 6.*

II. Cair-Cei. *id eſt, Ciceaſtriam, vulgo Chicheſter.*

III. Cair-Ceri. *id eſt. Circeaſtriam vulgo Circeſter & Circiter. De qua Aſſerius Menevenſis, in geſtis Ælfredi An. 875. Cirenceaſtre adiit, quæ Britannice Cair-ceri nominatur; quæ eſt in Meridiana parte Huicciorum.*

IV. Cair-Dorm. *id eſt. Dormeceaſtre, quæ ſita in Huntingdonenſi provincia, ſuper Flumen quod vocatur Nen; penitus deſtructa eſt. Hodie Dornford dicitur.*

V. Cair-Dauri. *vel (ut apud Alphredum Beverlacenſem eſt) Cair-Dorin, id eſt, Dorceſtriam.*

VI.

VI. Cair-Merdin; *quæ nunc quoque ſic vocatur. Vox vero Cair, his omnibus præpoſita, Britannis Vrbem vel Caſtrum ſignificat: ut præter alios libro 1. Itinerarii Cambriæ cap. 5. notat Giraldus Cambrenſis. Johannes Caius ex Gervaſio Tilberienſi (2. Diſt. cap. 47.) Cair Lingua Trojana Civitatem dici addit, & Cambris Murum quoque ſignificare. Vt quemadmodum Hebræi* קיר *Murum, &* קרתא קריה *Chaldæi & Syri Vrbem vocant, ita Britannis vox non abſimilis Cair & mœnia & Vrbem mœnibus cinctam denotet. Cujus vocabuli originem etiam in magno Cairo Ægypti obſervant nonnulli, & in ipſa quoque Carthagine, quam Carthadam dictam ſcribit ſolinus. Quod Phœnicum ore exprimit Civitatem novam. Vnde & ipſam, & Cognominem illi Vrbem in Hiſpania extructam à Græcis* Καινὼ πόλιν *dictam fuiſſe notum eſt.*

His adde; Certæ nomine Parthis civitatem ſignificari, Hermolaus Grammaticus ex Stephano auctor eſt. Vide Johannis Twini Commentar. Britan. lib. 2. à pag. 108. ad 113. Solinum Polyhiſt. cap. 27. edit. Salmaſii vel 30. Delrii.

Emendationum in Nennium

FINIS.

CHRONICON Fani Sancti Neoti,

SIVE

ANNALES

JOAN. ASSERII;

Ut nonnullis videtur.

IGitur Britannia Romanis uſque ad Gaium Julium Cæſarem inacceſſa atque incognita fuit. Qui anno ab urbe condita Quingenteſimo Nonageſimo Tertio; ante vero Incarnationis Dominicæ tempus anno Sexageſimo, functus gradu conſulatus cum Lucio Bibulo, dum contra Germanorum Gallorumque Gentes, qui Rheno tantum flumine dirimebantur, bellum gereret, venit ad Morinos, unde in Britanniam proximus & breviſſimus tranſitus eſt; &, navibus onerariis atque actuariis circiter LXXX præparatis, in Britanniam tranſvehitur; ubi acerba primum pugna fatigatus: deinde adverſa tempeſtate correptus, plurimam Claſſis partem, & non parvum numerum Militum, Equitatum vero pene omnem diſperdidit. Regreſſus in Galliam Legiones in Hiberna dimiſit, ac Sexentas Naves utriuſque commodi fieri imperavit. Quibus iterum in Britanniam primo vere tranſvectus, dum ipſe in hoſtem cum exercitu pergit, Naves in Anchoris ſtantes tempeſtate correptæ vel conliſæ inter ſe, vel arenis inliſæ ac diſſolutæ ſunt; ex quibus XL perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ ſunt. Cæſaris Equitatus primo congreſſu à Britannis victus, ibique Labienus Tribunus occiſus eſt. Secundo prælio cum magno ſuorum diſcrimine victos Britones in fugam vertit. Inde ad flumen Tamenſim profectus, in hujus ulteriore Ripa Caſſobellauno Duce immenſa hoſtium multitudo conſederat, Ripamque fluminis, ac pene totum ſub aqua vadum acutiſſimis ſudibus præſtruxerat, quarum veſtigia ſudium ibidem uſque hodie viſuntur, & videtur inſpectantibus quod ſingulæ eorum, ad modum humani femoris groſſæ, & circumfuſæ plumbo, immobiliter erant in profundum fluminis infixæ. Quod ubi à Romanis deprehenſum ac vitatum eſt, barbari legionum impetum non ferentes ſilvis ſeſe abdidere. Unde crebris eruptionibus Romanos graviter ac ſæpe lacerabant. Interea Trinovantum firmiſſima Civitas cum Androgio Duce datis LX Obſidibus Cæſari ſeſe dedit. Quod exemplum ſecutæ urbes aliæ complures in fedus Romanorum venerunt. Eiſdem demonſtrantibus, Cæſar oppidum Caſſobellauni inter duas paludes ſitum, obtentu inſuper Silvarum munitum, omnibuſque rebus conſortiſſimum, tandem gravi pugna cepit. Exin Cæſar à Britanniis reverſus in Galliam, poſtquam Legiones in Hiberna miſit, repentinis bellorum tumultibus undique circumventus & conflictus eſt.

Anno autem ab urbe condita DCC. XCVII. Claudius, Imperator ab Auguſto quartus, cupiens utilem rei publicæ oſtentare Principem, bellum undique & victoriam undecunque quæſivit. Itaque expeditionem in Britanniam

 niam

niam movit, quæ excitata in tumultum propter non redditos transfugas videbatur, tranſvectus in inſulam eſt. Quam, neque ante Julium Cæſarem, neque poſt eum, quiſquam adire auſus fuerat: ibique, ſine ullo prælio ac ſanguine, intra pauciſſimos dies plurimam inſulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam Inſulas ultra Britanniam in Oceano poſitas Romano adjecit Imperio. Ac ſexto quam profectus erat menſe Romam rediit, filioque ſuo Britannici nomen impoſuit. Hoc autem bellum quarto Imperii ſui anno complevit, qui eſt annus ab incarnatione Domini quadrageſimus ſextus; quo etiam anno fames graviſſima per Syriam facta eſt, quæ in Actibus Apoſtolorum per Prophetam Agabum prædicta eſſe memoratur. Ab eodem Claudio Veſpaſianus, qui poſt Neronem imperavit, in Britanniam miſſus, & jam Wectam Inſulam, Britanniæ proximam à meridie, Romanorum ditioni ſubjugavit. Quæ habet ab Oriente in Occaſum xxx circiter millia paſſuum, ab Auſtro in Boream xii. In Orientalibus ſuis partibus Mari ſex millium, in Occidentalibus trium à meridiano Britanniæ Litore diſtans. Succedens autem Claudio in Imperium Nero, nihil omnino in re militari auſus eſt. Unde inter alia Romani Regni detrimenta innumera Britanniam pene amiſit. Nam duo ſub eo Nobiliſſima oppida illic capta atque ſubverſa ſunt.

Anno ab incarnatione Domini Centeſimo Quinquageſimo Sexto, Marcus Antonius Verus, quartus decimus ab Auguſto, Regnum cum Aurelio Commodo Fratre ſuſcepit. Quorum temporibus, cum Eleuther, vir ſanctus, Pontificatui Romanæ Eccleſiæ præeſſet: miſit ad eum Lucius Britannorum Rex Epiſtolam, obſecrans ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur, & mox effectum præpoſtulationis conſecutus eſt: ſuſceptamque fidem Britanni uſque in tempore Diocleſiani Principis inviolatam integramque quieta in pace ſervabant.

Anno ab incarnatione Domini clxxxix, Severus genere Afer, Tripolitanus, ab oppido Gepti, ſeptimus decimus ab Auguſto, Imperium adeptus eſt, & vii annis obtinuit. Hic natura ſævus, multis ſemper bellis laceſſitus, fortiſſime quidem rem publicam, ſed laborioſiſſime, rexit. Victor ergo civilium bellorum, quæ ei graviſſima occurrerunt, in Britannias defectu pene omnium Sociorum trahitur, ubi magnis gravibuſque præliis ſæpe geſtis, receptam partem Inſulæ, à cæteris indomitis gentibus non muro, ut quidam æſtimant, ſed vallo diſtinguendam putavit.

Murus etenim de Lapidibus, vallum vero, quo ad repellendam vim hoſtium Caſtra muniuntur, fit de ceſpitibus, quibus circumciſis ex terra velut murus extruitur altus ſupra terram, ita ut in ante ſit foſſa de qua levati ſunt ceſpites, ſupra quam ſudes de lignis fortiſſimis præfiguntur. Itaque Severus magnam Foſſam firmiſſimumque vallum crebris inſuper Turribus communitum à Mari ad Mare duxit, ibique apud Eboracum oppidum in morbo obiit. Reliquit duos Filios Baſſianum & Getam, quorum Geta hoſtis publicus judicatus interiit. Baſſianus Antonini cognomine adſumpto, Regno potitus eſt.

Anno Dominicæ Incarnationis ccxlvi. Philippus Imperat, primus Chriſtianus Imperator.

Anno Domini cclxxxvi. Diocleſianus & Maximianus [Imperant.] Hoc tempore ſanctus Martyr Albanus paſſus eſt.

Anno Incarnationis Chriſti cccx, hoc eſt, anno ab urbe condita m. lxi. Conſtantinus, Filius Conſtancii & Helenæ glorioſæ Reginæ, Imperat. Anno ccclxv. Hilarius Pict. Epiſcopus obiit.

Anno Dominicæ Incarnationis ccclxxix. Theodoſius Imperat.

Anno Chriſti cccxcv. Archadius Imperat.

Anno Domini ccccviii. Honorius Imperat.

Anno Dominicæ Incarn. ccccix. Roma à Gothis fracta, ex quo tempore Romani in Britannia regnare ceſſarunt.

Anno

Anno Chriſti ccccx. Hoc tempore inventio Corporis ſancti Stephani Primi Martyris, & Sociorum ejus.

Anno Dominicæ Incarn. ccccxii. Sanctus Martinus Turonenſis Archiepiſcopus tranſiit.

Anno Dominicæ Incarn. ccccxxi. Sanctus Hieronymus migravit ad Dominum.

Anno Dominicæ Incarn. ccccxxiii. Theodoſius Filius Archadii Imperat.

Anno Dominicæ Incar. ccccxxiv. Hoc tempore ſanctus Auguſtinus obiit.

Anno Dominicæ Incarn. ccccxxv. Hujus temporis ætate extitit exordium Regum Francorum. Primus Faramundus.

Anno Chriſti ccccxxx. Clodio ſecundus Rex Francorum.

Anno Domini ccccxxxvii. Meroveus tertius Rex Francorum.

Anno Domini ccccxlix. Martianus cum Valentiniano Imperium ſuſcipiens vii annis tenuit, quorum tempore Angli à Britonibus accerſiti Britanniam adierunt.

Anno Chriſti ccccl. Childericus quartus Rex Francorum.

Anno ccccLv. Bellum apud Cantiam, in loco qui dicitur Aegeleſthrep, contra Britones & Regem Britonum Guirthegirnum, in quo cecidit Horſa. Et Frater ejus Hengiſtus Regnum ſuſcepit cum Filio Oiſe apud Cantuarios, eo tempore. Anno ccccLxxiii. Clodoveus quintus Rex Francorum.

Anno ccccLxxxviii. Oiſe Filius Henegiſti cœpit Regnare ſuper Cantuarios, & Regnavit xxiv annis. Anno eodem ſanctus Remigius Baptizavit Clodoveum Regem Francorum primum Chriſtianum. Anno ccccxcii Theodoricus Rex Francorum.

Anno ccccxcv. Venêre in Britanniam duo Duces, videlicet, Cerdic & Kynricus Filius ejus cum v. Navibus, in loco qui dicitur Cerdices ora, & ſtatim die eodem pugnaverunt cum Britonibus, & acceperunt victoriam. Anno dix ſanctus Benedictus claruit. Anno dxxviii. Hoc tempore Dioniſius in urbe Roma Paſcalem Cyclum compoſuit. Tunc Priſcianus profunda Gramaticæ rimatur. Tum Arator ſubdiaconus Romanæ Eccleſiæ Poeta claruit.

Regnavit Cerdic Rex primus Occidentalium Saxonum annos xv. Kynricus annos xxvii. Hoc tempore Sigebertus Rex Francorum occiſus eſt fraude Hilperici Germani ſui, cum quo bellum inierat; Regnumque ejus Childebertus Filius ejus adhuc Puerulus cum Brumchilde Matre Regendum ſuſcepit.

Ceaulin ann. xvii. Hoc tempore, id eſt, anno Dominicæ Incarnationis dlxv. Columba Presbyter de Scotia venit Britanniam, ad docendum Pictos, & in Inſula Hii Monaſterium fecit. Anno eodem Athelbrihtus Rex Cantuariorum Regnum obtinuit, & gubernavit annis liii.

Anno dlxxix, Ceol vi an. Hujus tempore, id eſt, anno dlxxx. Dominicæ Incarnationis, ſanctus Papa Gregorius miſit Britanniam Auguſtinum cum Monachis, qui verbum Dei genti Anglorum Evangelizarent.

Ceolwulfus an. xiv. Eodem anno Dominicæ Incarnationis dxcvii, venêre Britanniam præfati Doctores, qui fuit annus plus minus cl adventus Anglorum in Britanniam. Anno Dominicæ Incarnationis dci, miſit ſanctus Papa Gregorius pallium Britanniam Auguſtino jam facto Epiſcopo, & plures verbi Miniſtros in quibus & Paulinum. Anno dciv Orientales Saxones fidem Chriſti percipiunt ſub Rege Seberchtoe & antiſtite Meblito. Anno Incarnation. Chriſti ccv. ſanctus Papa Gregorius obiit.

Kynegilſus Rex Occidentalium Saxonum primus Chriſtianus Regnavit annis xxxi. baptizatus eſt ad Dorcaceſtram à ſancto Byrino Epiſcopo; ſuſcepitque eum de ſacro fonte ſanctus Oſwualdus Nordanhymbrorum Rex anno Chriſti dcxxxv. Anno Chriſti dcxvi, ſanctus Æthelbryhtus

Rex

Rex Cantuariorum migravit ad Chriſtum, quem ſanctus Auguſtinus Epiſcopus Baptizavit primum. Anno DCXX. Dagobertus Rex Franciæ.

Anno Chriſti DCXXXIV ſanctus Byrinus Epiſcopus prædicavit apud Occidentales Saxones. Anno Chriſti DCXXXVI, prædicavit apud Orientales Anglos ſanctus Felix Epiſcopus.

Anno Chriſti DCXLII. Koemmalch Regnavit XXXI annis. Anno primo Regni ſui occiſus eſt ſanctus Rex Oſwaldus. Et anno Domini DCXLIV, ſanctus Epiſcopus Pantinus quondam Eboraci Archipræſul; ſed tunc Roffenſis Antiſtes migravit ad Dominum. Anno DCLI. ſanctus Oſwinus Nordanhymbrorum Rex fraudulenter occiſus, & ſanctus antiſtes Aidanus defunctus eſt.

His temporibus Sigeberhtus Rex Orientalium Anglorum, dum adhuc Regni inſulas teneret, ſupervenit de Hibernia vir ſanctus nomine Furſens verbo & actibus clarus, ſed & egregiis inſignis virtutibus, cupiens pro Domino, ubicunque ſibi oportunum inveniret, peregrinam ducere vitam. Qui cum ad provinciam Orientalium Anglorum perveniſſet, ſuſceptus eſt honorifice à Rege præfato, & ſolitum ſibi opus Evangelizandi exequens, multos & exemplo virtutis & incitamento ſermonis vel incredulos ad Chriſtum convertit, vel jam credentes amplius in fide atque amore Chriſti confirmavit. Ubi quadam infirmitate corporis arreptus Angelica meruit viſione perfrui; in qua admonitus eſt cœpto verbi Miniſterio ſedulus inſiſtere; vigiliiſque conſuetis & orationibus indefeſſus incumbere, eo quod certus ſibi exitus, ſed incerta ejuſdem exitus eſſet hora futura, dicente Domino, *Vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam.* Qua viſione confirmatus curavit locum Monaſterii, quem à præfato Rege Sigeberćto acceperat, velociſſime conſtruere, ac Regularibus inſtituere diſciplinis. Erat autem Monaſterium Silvarum & maris vicinitate amœnum, conſtructum in Caſtro quodam, quod Lingua Anglorum Cnobheresburgh, id eſt, Urbs Cnobheri vocatur. Quod deinde Rex Provinciæ illius Anna, ac nobiles quique auguſtioribus ædificiis ac donariis adornarunt. Erat autem vir iſte de nobiliſſimo genere Scotorum, ſed longe animo quam carne nobilior. Ab ipſo tempore pueritiæ ſuæ curam non modicam lectoribus Sacris ſimul & Monaſticis exhibebat diſciplinis, & quod maxime ſanctos decet, cuncta quæ agenda didicerat, ſollicitus agere curabat. Quid multa? procedente tempore, & ipſe ſibi Monaſterium, in quo liberius Cœleſtibus ſtudiis vacaret, conſtruxit, ubi correptus infirmitate, ſicut libellus de vita ejus conſcriptus ſufficienter edocet, raptus eſt, è corpore exutus, Angelicorum agminum & aſpectus intueri, & laudes beatus meruit audire. Referre autem ſolitus erat, quia aperte eos inter alia reſonare audiret, *ibunt ſancti de virtute in virtutem*; & iterum, *videbitur Deus Deorum in Syon.* Qui reductus in corpore, & die tertia rurſum eductus, vidit non ſolum majora beatorum gaudia, ſed & maxima malignorum Spirituum certamina, qui crebris accuſationibus improbi iter illi cœleſte intercludere contendebant, nec tamen, protegentibus eum Angelis, quicquam proficiebant. De quibus omnibus ſi quis plenius ſcire vult, id eſt, quanta fraudis ſollertia dæmones, & actus ejus, & verba ſuperflua, & ipſas etiam cogitationes, quaſi in Libro deſcriptas, replicaverint, quæ ab Angelis ſanctis, quæ à viris juſtis, ſibi inter Angelos apparentibus, læta vel triſtia cognoverit, legat ipſum, de quo dixi, libellum vitæ ejus, & multum ex illo, ut reor, profectus ſpiritualis accipiet.] In quibus tamen unum eſt quod & nos in hoc loco ponere multis commodum duximus. Cum ergo in altum eſſet elatus, juſſus eſt ab Angelis, qui eum ducebant, reſpicere in mundum; at ille oculos in inferiora deflectens, vidit quaſi vallem tenebroſam ſubtus ſe in imo poſitam. Vidit & quatuor ignes in aere, non multo ab invicem ſpatio diſtantes: & interrogans Angelos, qui eſſent hi ignes, audivit hos eſſe ignes, qui mundum ſuccendentes eſſent conſumpturi. Unum men-

mendacii, cum hoc, quod in Baptiſmo abrenunciare nos ſatanæ, & omnibus operibus ejus promiſimus, minime implemus. Alterum cupiditatis, cum mundi divitias amori cœleſtium præponimus: tertium diſſenſionis, cum animos proximorum, & jam inſuper vacuis rebus, offendere non formidamus. Quartum impietatis, fraus, cum infirmiores ſpoliare, & eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Creſcentes verò paulatim ignes, uſque ad invicem ſeſe extenderunt, atque immenſam adunati fecerunt flammam. Cumque adpropinquaſſent, pertimeſcens ille dicit Angelo, Domine, ecce ignis mihi adpropinquat. At ille, quod non incendiſti, inquit, non ardebit in te. Nam etſi terribilis iſte, ac grandis eſſe rogus videtur, tamen juxta merita operum ſingulos examinat; quia uniuſcujuſque cupiditas in hoc igne ardebit. Sicut enim quis ardet in corpore per inlicitam voluptatem, ita ſolutus corpore ardebit per debitam pœnam. Tunc vidit unum de tribus Angelis, qui ſibi in tota utraque viſione ductores adfuerunt, præcedentem, ignes flammæ dividere, & duos ab utroque latere circumvolantes, ab ignium ſe periculo defendere. Vidit autem & Dæmones per ignem volantes, incendia bellorum contra juſtos ſtruere. Sequuntur adverſum ipſum accuſationes malignorum, defenſiones ſpirituum bonorum, copioſior cœleſtium agminum viſio; ſed & virorum de ſua natione Scotorum, quos olim ſacerdotali gradu non ignobiliter potitos, fama jam vulgante, compererat, à quibus non pauca, quæ vel ſibi, vel ipſis omnibus qui audire vellent, multum ſalubria eſſent, audivit. Qui cum verba finiſſent, & cum Angelicis Spiritibus ipſi quoque ad cœlos redirent, remanſerunt cum beato Furſeo tres Angeli, de quibus diximus, qui eum ad corpus referrent. Cumque præfato igni maximo adpropiarent, diviſit quidem Angelus, ſicut prius, ignem flammæ: ſed vir Dei ubi ad patefactam uſque inter flammas januam pervenit; arripientes immundi ſpiritus unum de eis, quos in ignibus torrebant, jactaverunt in eum, & contingentes humerum, maxillamque ejus, incenderunt; cognovitque hominem, & quod veſtimentum ejus morientis accepit, ad memoriam reduxit. Quem Angelus ſanctus ſtatim adpræhendens in ignem rejecit, dicebatque hoſtis malignus, nolite repellere, quem ante ſuſcepiſtis: nam ſicut bona ejus peccatoris ſuſcepiſtis, ita & de pœnis ejus participes eſſe debetis. Contradicens Angelus, non, inquit, propter avaritiam, ſed propter ſalvandam ejus animam ſuſcepit. Ceſſavitque ignis, & converſus ad eum Angelus, quod incendiſti, inquit, hoc arſit in te: ſi enim hujus viri in peccatis ſuis mortui pecuniam non accepiſſes, nec pœna ejus in te arderet. Et plura locutus, quid erga ſalutem eorum, qui ad mortem pœniterent, eſſet agendum, ſalubri ſermone docuit. Qui poſtmodum in corpore reſtitutus, omni vitæ ſuæ tempore ſignum incendii, quod in anima pertulit, viſibile cunctis in humero maxillaque portavit; mirumque in modum, quod anima in occulto paſſa ſit, caro palam præmonſtrabat. Curabat autem ſemper, ſicut & antea facere conſueverat, omnibus opus virtutum & exemplis oſtendere, & prædicare ſermonibus. Ordinem autem viſionum ſuarum illis ſolummodo, qui propter deſiderium compunctionis interrogabant, exponere volebat. Supereſt adhuc frater quidam Senior Monaſterii noſtri, qui narrare ſolet, dixiſſe ſibi quendam multum veracem ac religioſum hominem, quod ipſum Furſeum viderit in provincia Orientalium Anglorum, illaſque viſiones ex ipſius ore audierit. Adjiciens quia tempus hyemis fuit acerrimum, & glacie conſtrictum, cum ſedens in tenui veſte vir, ita inter dicendum, propter magnitudinem memorati timoris vel ſuavitatis, quaſi in mediæ æſtatis caumate ſudaverit. Cum ergo, ut ad ſuperiora redeamus, multis annis in Scotia verbum Dei omnibus adnuncians, tumultus inruentium turbarum non facile ferret; relictis omnibus quæ habere videbatur, ab ipſa quoque Inſula patria diſceſſit; & paucis cum fratribus per Britones in Provinciam Anglorum devenit: ibi-

que prædicans verbum, ut diximus, Monaſterii cupiens ſe negotiis alienare, reliquit Monaſterii & animarum curam fratri ſuo Fullano, & presbyteris Gobbano & Dicullo; & ipſe, ab omnibus mundi rebus liber, in anachoretica converſatione vitam finire diſpoſuit. Habuit alterum fratrem vocabulo Ultanum, qui de Monaſterii probatione diuturna ad heremiticam pervenerat vitam. Hunc ergo ſolus petens, annum totum cum eo in continentia, & orationibus, & quotidianis manuum vixit laboribus. Dein turbatam incurſione gentilium provinciam videns, & Monaſteriis quoque periculum imminere prævidens, dimiſſis ordinate omnibus navigavit Galliam: ibique, à Rege Francorum Lotherio, vel Patricio Erconpwaldo, honorifice ſuſceptus, Monaſterium conſtruxit in loco Latiniaco nominato; ac non multo poſt infirmitate correptus, diem clauſit ultimum. Cujus corpus idem Erconpwaldus Patricius accipiens, ſervavit in porticu quodam Eccleſiæ, quam in villa ſua, cui nomen eſt Parrona, faciebat, donec ipſa Eccleſia dedicaretur. Quod, dum poſt dies XXVI eſſet factum, & corpus ipſum de porticu ablatum prope altare eſſet recondendum, inventum eſt ita inlæſum, ac ſi eadem hora de hac luce fuiſſet egreſſus. Sed & poſt annos quatuor, conſtructa domuncula cultiore receptui corporis ejuſdem ad orientem altaris, adhuc ſine macula corruptionis inventum ibidem, digno cum honore tranſlatum eſt: ubi merita illius multis ſæpe conſtant, Deo operante, claruiſſe virtutibus. Hæc & de corporis ejus incorruptione breviter attigimus, ut quanta eſſet viri ſublimitas legentibus notius exiſteret. Quæ cuncta in libello ejus ſufficientius, ſed & de aliis commilitonibus ipſius quiſque legeret inveniet.

Hoc tempore Sigeberchtus, Rex Orientalium Anglorum, pro amore Regni Cœleſtis, relicto Regno, & cognato ſuo Ecgrico commendato, in Monaſterio, quod ſibi fecerat, Monachus factus eſt: & multo poſt tempore, contra Regem Merciorum Pendan, ad confirmandum militem, invitus in certamen ductus, ſuæ profeſſionis non immemor, dum niſi virgam tantum in manum habere noluit, occiſus eſt, una cum Rege Ecgrico. Quorum Regni ſucceſſor factus eſt Anna, filius Eni fratris Redwaldi, anno Chriſti Incarnationis DCLIV. Anna, Rex Orientalium Anglorum, à Penda Rege Merciorum occiſus eſt, & ſanctus Botulfus Abbas fabricavit Monaſterium apud Ycanno. Anno DCLV Penda periit, & Merci facti ſunt Chriſtiani. Ab initio Mundi uſque huc V. DCCL. Anno Domini DCLIX. Clotharius Rex Francorum. Anno Chriſti DCLIV. Eclypſis facta. Ceadda ac Wilfridus Nordanhymbrorum Ordinantur Epiſcopi; & anno eodem ſanctus Deuſdedit Archiepiſcopus tranſiit. Anno Dominicæ Incarnationis DCLXV, ſanctus Theodorus ordinatur Archiepiſcopus. Anno Domini DCLXX. Oſuinus Rex Nordanhymbrorum obiit.

Anno DCLXXII. Sexburch Regina ipſius Koennualchi Regnavit annum unum. Anno Incarnationis DCLXXIII. ſancta Virgo Chriſti Atheldritha Regina cœpit ædificare Monaſterium apud Elig.

Anno DCLXXIV. Æſcuinnus annis II. Regnavit. Anno Chriſti DCLXXVI. Kentwinus Regnavit annis IX.

Anno Chriſti Incarnationis DCLXXVII. ſanctus Audoenus Epiſcopus migravit ad Dominum. Anno Dominicæ Incarnationis DCLXXVIII. Cometa apparuit; ſanctus Wilfridus Epiſcopus à ſede ſua expulſus eſt ab Egfrido Rege; & pro eo Boſa, Eata, & Eadhead conſecrati Antiſtites. Anno Incarnationis Chriſti DCLXXIX. ſancta Regina & virgo Chriſti Atheldritha migravit ad Dominum; & anno eodem Reges extiterunt Francorum Theodericus & Childericus. Anno Chriſti DCLXXX. ſancta Hilda Abbatiſſa obiit apud Streanes-heala. Anno DCLXXXII, mortuo Childerico Regnavit Theodericus.

Anno I°. Ceadwallæ, id eſt. Anno Dominicæ Incarnationis DCLXXXV. Egfridus Rex Nordanhymbrorum occiſus eſt à Pictis. Hoc tempore ſanctus

ſanctus Antiſtes Cuthbertus multis virtutibus claruit. [Anno Dominicæ Incarnationis DCLXXXVII. Pipinus Primus major Domus efficitur.] Anno Regni Aldfredi Regis Norhandymbrorum III. Ceadwalla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſime præfuiſſet, relicto imperio propter Dominum Regnumque perpetuum, venit Romam; hoc ſibi gloriæ ſingularis deſiderans adipiſci, ut ad limina beatorum Apoſtolorum fonte baptiſmatis ablueretur, in quo ſolo didicerat generi humano patere vitæ cœleſtis introitum. Simul etiam ſperans, quia mox baptizatus carne ſolutus ad æterna gaudia jam mundus tranſiret, quod utrumque, ut mente diſpoſuerat, Domino jurante completum eſt. Etenim illo perveniens Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt Die ſancto Sabbati Paſchalis, anno ab Incarnatione Domini DCLXXXIX, & in albis adhuc poſitus Languore correptus, duodecimo Kalendarum Majarum die ſolutus à carne, & beatorum eſt Regno ſociatus in cœlis, cui etiam tempore baptiſmatis Papa memoratus Petri nomen impoſuerat, ut beatiſſimo Apoſtolorum Principi, ad cujus Sacratiſſimum corpus à finibus terræ pio ductus amore venerat, etiam nominis ipſius conſortio jungeretur. Qui in ejus quoque Eccleſia ſepultus eſt, & jubente pontifice epitaphium in ejus monumento ſcriptum, in quo & memoria devotionis ipſius fixa per ſecula maneret, & legentes quoque vel audientes exemplum facti ad ſtudium Religionis accenderet. Scriptum eſt ergo hoc modo.

Hic depoſitus eſt Ceadwalla, qui & Petrus Rex Saxonum, ſub die XII *Kalendarum Maiarum, indictione Secunda; qui vixit annos minus* XXX. *Imperante Domino Juſtiniano Piiſſimo Auguſto, anno & conſulatu quarto, Pontificante Apoſtolico viro Domino Sergio Papa anno* II°.

Abeunte autem Romam Ceadwalla, ſucceſſit in Regnum Ine de ſtirpe Regia, qui cum XXXVII annis imperium tenuiſſet gentis illius, & ipſe relicto Imperio, ac junioribus commendato, ad limina beatorum Apoſtolorum Gregorio Pontificatum tenente profectus eſt, cupiens in vicina ſanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius à ſanctis recipi mereretur in cœlis. Quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles, ignobiles, laici, clerici, ac feminæ, certatim facere conſueverunt. Anno poſt hoc quod Ceadwalla Romæ defunctus eſt proximo, id eſt, DCXC Incarnationis Dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ Archiepiſcopus, ſenex & plenus dierum, id eſt, annorum LXXXVIII defunctus eſt, quem ſe numerum annorum fuiſſe habiturum jamdudum ſomnii revelatione edoctus, ſuis prædicere ſolebat. Manſit autem in Epiſcopatu annis XXII. Sepultuſque eſt in Eccleſia ſancti Petri, in quo omnium Epiſcoporum Doruvernenſium ſunt corpora depoſita. Anno DCXCVIII Clodoveus Rex Francorum. Anno DCC. Childebertus frater Clodovei. Anno Dominicæ Incarnationis DCCIII ſanctus Hedda Epiſcopus tranſiit. Anno Dominicæ Incarnationis DCCIV. Athelredus Rex Merciorum factus eſt Monachus, commiſitque Regnum Coenredo Cognato ſuo.

Fuit autem temporibus hujus Keonredi, qui poſt Athelredum Regnavit, vir in laico habitu atque officio militari poſitus, ſed quantum pro induſtria exteriori, Regi placens, tantum pro interna ſuimet negligentia diſplicens. Ammonebat ergo illum ſedulo, ut confiteretur, & emendaret, ac relinqueret ſcelera ſua, priuſquam, ſubito mortis ſuperventu, tempus omne pœnitendi & emendandi perderet: verum ille, frequenter licet admonitus, ſpernebat verba ſalutis, ſeſeque tempore ſequente pœnitentiam acturum eſſe promittebat. Hæc inter tactus infirmitate decidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingreſſus Rex, diligebat enim eum, multum hortabatur, ut vel tunc antequam moreretur, pœnitentiam ageret commiſſorum. At ille Reſpondit, non ſe tunc velle confiteri peccata ſua, ſed cum ab infirmitate ſua reſurgeret, ne exprobrarent ſibi ſodales, quod timore mortis faceret ea, quæ ſoſpes facere nolebat;

fortiter quidem, ut ſibi videbatur, locutus; ſed miſerabiliter, ut poſt patuit, dæmonica fraude ſeductus. Cumque, morbo ingraveſcente, denuo ad eum viſitandum ac docendum Rex intraret, clamabat ſtatim miſerabili voce, quid vis modo? Quid huc veniſti? non enim aliquid utilitatis aut ſalutis potes ultra conferre. At ille, noli, inquit, ita loqui, vide ut ſanum ſapias; non, inquit, inſanio, ſed peſſimam mihi conſcientiam certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc eſt. Paulo ante, inquit, intraverunt domum hanc duo pulcherrimi iuvenes, & reſiderunt circa me, unus ad caput, & unus ad pedes. Protulit unus libellum perpulchrum, ſed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit, in quo omnia, quæ unquam bona feceram, intuens ſcripta reperi, & hæc erant nimium pauca & modica; receperunt codicem, neque aliquid mihi dicebant. Tum ſubito ſupervenit exercitus malignorum, & horridorum vultu ſpirituum, domumque hanc & exterius obſedit, & intus maxima ex parte reſidens implevit. Tum ille, qui & obſcuritate tenebroſæ faciei, & primatu ſedis, major eſſe videbatur eorum, proferens codicem horridæ viſionis, & magnitudinis enormis, & ponderis pene importabilis, juſſit uñi ex ſatellitibus ſuis mihi ad legendum deferre. Quem cum legiſſem, invenio omnia ſcelera, non ſolum quæ opere vel verbo, ſed etiam quæ tenuiſſima cogitatione peccavi, manifeſtiſſime in eo tetricis eſſe deſcripta literis. Dicebatque ad eos, qui mihi adſederunt, viros albatos & præclaros, quid hîc ſedetis, ſcientes certiſſime quia noſter eſt iſte? Reſponderunt, verum dicitis, accipite, & in cumulum damnationis veſtræ ducite. Quo dicto, ſtatim diſparuerunt. Surgenteſque duo nequiſſimi ſpiritus, habentes in manibus furcas ignitas, percuſſerunt me, unus in capite, & alius in pede, qui videlicet modo cum magno tormento inrepunt mea viſcera, in interiora corporis mei; moxque, ut ad ſe invicem perveniunt, moriar; &, paratis ad rapiendum me dæmonibus, in inferni clauſtra prætrahar. Sic loquebatur miſer deſperans; &, non multo poſt defunctus, pœnitentiam, quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere ſuperſedit, in æternum ſine fructu pœnis ſubditus facit. De quo conſtat, quia ſicut beatus Papa Gregorius de quibuſdam ſcribit, non pro ſe iſta, cui non profuere, ſed pro aliis viderit, qui ejus interitum cognoſcentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improviſo mortis articulo præventi, impœnitentes perirent. Quod autem codices diverſos per bonos ſive malos ſpiritus ſibi vidit offerri, ob id ſuperna diſpenſatione factum eſt, ut meminerimus facta & cogitationes noſtras non in ventum diffluere, ſed ad examem ſummi judicis cuncta ſervari, & ſive per amicos Angelos in fine nobis oſtendenda ſunt, ſive per hoſtes. Quod vero prius candidum codicem protulerunt Angeli, deinde alterum dæmones illi perparvum iſti enormem, animadvertendum eſt, quod in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen univerſa prave agendo juvenis obnubilavit. Qui, ſi e contrario errores pueritiæ corrigere in adoleſcentia, ac benefaciendo à Dei oculis abſcondere curaſſet, poſſet eorum numero ſociari, de quibus ait Pſalmus. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Anno Dominicæ incarnationis DCCV. Obiit Sexwlphus Epiſcopus, fundator Monaſterii apud Medes hamſtede, quod Burh vocatur. Anno eodem obiit Aldfridus Monachus, olim Rex Nordanhymbrorum. Hujus regis tempore, erat quidam Paterfamilias, in Regione Nordanhymbrorum, quæ vocatur Incuneningum, Religioſam cum domu ſua gerens vitam, qui infirmitate corporis tactus, & hac creſcente per dies ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus eſt; ſed diluculo reviviſcens, ac repente reſidens, omnes, qui corpori flentes adſederant, timore immenſo perculſos in fugam convertit; uxor tantum, quæ amplius amabat, quamvis multum tremens & pavida, remanſit. Quam ille conſolatus, noli, inquit, timere, quia jam vere reſurrexi à morte, qua tenebar, & apud homines

mines ſum vivere iterum permiſſus, non tamen ea mihi, qua ante conſueveram converſatione, ſed multum diſſimili ex hoc tempore vivendum eſt. Statimque ſurgens abiit ad villulæ oratorium, & uſque ad diem in oratione perſiſtens, mox omnem quam poſſederat ſubſtantiam in tres diviſit portiones, è quibus unam conjugi, alteram filiis tradidit, tertiam ſibi ipſe retentans ſtatim pauperibus diſtribuit. Nec multo poſt ſeculi curis abſolutus, ad Monaſterium Mailros, quod tumidi fluminis circumplexu maxima ex parte clauditur, pervenit; acceptaque Tonſura, locum ſecretæ manſionis, qua præviderat Abbas, intravit; & ibi, uſque ad diem mortis, in tanta mentis & corporis contritione duravit, ut multa illum, quæ alios laterent, vel horrenda vel deſideranda vidiſſe, etiam ſi lingua ſileret, vita loqueretur. Narravit autem hoc modo quod viderat, lucidus, inquiens, aſpectu, & clarus erat indumento, qui me ducebat; incedebamus autem tacentes, ut videbatur mihi, contra ortum ſolis ſolſtitialem. Cumque ambularemus, devenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad lævam nobis ſita, unum latus flammis ferventibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore, nimium omnia perflante atque verrente, non minus intolerabile præferebat. Utrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ viciſſim hinc inde videbantur, quaſi tempeſtatis impetu jactari: cum enim vim fervoris inmenſi tolerare non poſſent, proſiliebant miſere in medium frigoris infeſti; &, cum neque ibi quippiam requiei invenire valerent, reſiliebant rurſus urendæ in medium flammarum inextinguibilium. Cumque hac infelici viciſſitudine longe lateque, prout aſpicere poteram, ſine ulla quietis intercapedine, innumerabilis ſpirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare cœpi quod hic fortaſſe eſſet infernus, de cujus tormentis intolerabilibus narrare ſæpius audivi. Reſpondit cogitationi meæ ductor, qui me præcedebat, non hoc, inquiens, ita ſuſpiceris; non enim hic infernus eſt ille, quem putas. At cum me, hoc ſpectaculo tam horrendo perterritum, paulatim in ulteriora produceret, vidi ſubito ante nos obſcurari incipere loca, & tenebris omnia repleri. Quas cum intraremus, in tantum pauliſper condenſatæ ſunt, ut nihil præter ipſas aſpicerem, excepta duntaxat ſpecie & veſte ejus, qui me ducebat. Et cum progrederemur ſola ſub nocte per umbras, ecce ſubito apparent ante nos crebri flammarum terrarum Globi, aſcendentes quaſi de puteo magno, rurſumque decidentes in eundem. Quo cum perductus eſſem, repente ductor meus diſparuit, ac me ſolum in medio tenebrarum, & horridæ viſionis reliquit. At cum iidem globi ignium ſine intermiſione modo alta peterent, modo ima barathri repeterent, cerno omnia, quæ aſcendebant, faſtigia flammarum plena eſſe ſpiritibus hominum, qui, inſtar favillarum cum fumo aſcendentium, nunc ad ſublimiora projicerentur, nunc retractis ignium vaporibus relaberentur in profundum; ſed & fœtor incomparabilis cum eiſdem vaporibus ebulliens, omnia illa loca tenebrarum replebat. Et cum diutius ibi pavidus conſiſterem, utpote incertus quid agerem, quo verterem greſſum, qui me finis maneret, audio ſubito poſt terga ſonitum immaniſſimi fletus, ac miſerrimi ſimul, & cachinnum crepitantem quaſi vulgi indocti captis hoſtibus inſultantis. Ut autem ſonitus idem clarior redditus ad me uſque pervenit, conſidero turbam malignorum ſpirituum, quæ animas hominum mœrentes ejulanteſque, ipſa multum exultans & cachinnans, medias illas trahebat in tenebras. E quibus videlicet hominibus, ut dinoſcere potui, quidam erat adtonſus ut Clericus, quidam Laicus, quædam fœmina. Trahentes autem eos maligni ſpiritus deſcenderunt in medium Barathri illius ardentis. Factumque eſt ut, cum longius ſubeuntibus eis fletum hominum & riſum dæmoniorum clare diſcernere nequirem, ſonum tamen adhuc promiſcuum in auribus haberem. Interea aſcenderunt quidam ſpirituum obſcurorum de abyſſo

illa flammivoma, & adcurrentes circumdederunt me, atque oculis flammantibus, & de ore ac naribus ignem putidum efflantes angebant. Forcipibus quoque igneis, quos tenebant in manibus, minitabantur me comprehendere, nec tamen me ullatenus contingere potuerunt, tametſi terrere præſumebant. Qui, cum undique verſum hoſtibus concluſus, & cæcitate tenebrarum, huc illuc oculos circumferrem, ſi forte aliunde quid auxilii quod ſalvaret adveniret, apparuit retro via, qua veneram, quaſi fulgor ſtellæ micantis inter tenebras, qui paulatim creſcens, & ad me ocius feſtinans, ubi adpropinquavit, diſperſi ſunt & aufugerunt omnes, qui me forcipibus rapere quærebant ſpiritus infeſti. Ille autem, qui adveniens eos fugavit, erat ipſe qui me ante ducebat, qui mox converſus ad dextrum iter, quaſi contra ortum ſolis ſolſtitialem brumalem me ducere cœpit: nec mora, exemptum tenebris in auras ſerenæ lucis eduxit; cumque me in luce aperta duceret, vidi ante nos murum permaximum, cujus neque longitudini hinc vel inde, neque altitudini ullus eſſe terminus videretur. Cœpi autem mirari quare ad murum accederemus, cum in eo nullam januam, vel feneſtram, vel aſcenſum alicubi aſpicerem. Cum ergo perveniſſemus ad murum, ſtatim neſcio quo ordine fuimus in ſummitate ejus, & ecce ibi campus erat latiſſimus, ac lætiſſimus, tantaque fragrantia vernantium floſculorum plenus, ut omnem mox fœtorem tenebroſi fornacis, qui me pervaſerat, effugaret admirandi hujus ſuavitas odoris. Tanta autem Lux cuncta ea loca perfuderat, ut omni ſplendore diei ſive ſolis Meridiani radiis, videretur eſſe præclarior. Erant namque in hoc campo innumera hominum albatorum conventicula, ſedeſque plurimæ agminum lætantium. Cumque inter Choros felicium incolarum medios me duceret, cogitare cœpi quod fortaſſe hoc eſſet Regnum Cœlorum, de quo prædicari ſæpius audivi. Reſpondit ille cogitatui meo, non, inquiens, non hoc eſt Regnum Cœlorum quod autumas. Cumque procedentes tranſiſſemus & has beatorum manſiones ſpirituum, aſpicio ante nos multo majorem luminis gratiam quam prius, in qua etiam vocem cantantium dulciſſimam audivi; ſed & odoris fragrantia miri tanta de loco effundebatur, ut is, quem antea deguſtans quaſi maximum rebar, jam permodicus mihi odor videretur, ſicut etiam lux illa campi florentes eximia, in comparatione ejus quæ nunc apparuit lucis, tenuiſſima prorſus videbatur, & parva. In cujus amœnitatem loci, cum nos intraturos ſperarem, repente ductor ſubſtitit; nec mora, greſſum retorquens, ipſa me qua venimus via reduxit. Cumque reverſi perveniremus ad manſiones illas lætas ſpirituum canditatorum, dixit mihi, Scis quæ ſint iſta omnia, quæ vidiſti? Reſpondi ego, non. Et ait, vallis illa, quam aſpexiſti flammis ferventibus & frigoribus horrenda rigidis, ipſe eſt locus in quo examinandæ & caſtigandæ ſunt animæ illorum, qui differentes confiteri & emendare ſcelera quæ fecerant, in ipſo tandem mortis Articulo ad pœnitentiam confugiunt, & ſic de corpore exeunt, qui tamen, quia confeſſionem & pœnitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die Judicii ad Regnum Cœlorum perveniunt. Multos autem preces viventium, & eleemoſinæ, & jejunia, & maxime celebratio Miſſarum, ut etiam ante diem Judicii liberentur, adjuvant. Porro puteus ille flammivomus ac putidus, quem vidiſti, ipſum eſt os gehennæ, in quo quicunque ſemel inciderit, nunquam inde liberabitur in ævum. Locus vero iſte florifer, in quo pulcherrimam hanc inventutem jocundari ac fulgere conſpicis, ipſe eſt in quo recipiuntur animæ eorum, qui in bonis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen ſunt tantæ perfectionis, ut in Regnum Cœlorum ſtatim mereantur introduci, qui tamen omnes in die judicii ad viſionem Chriſti & gaudia Regni Cœleſtis intrabunt. Nam quicunque in omni verbo & opere & cogitatione perfecti ſunt, mox de corpore egreſſi ad Regnum Cœleſte perveniunt, ad cujus vicinia pertinet locus ille, ubi ſonum cantilenæ dulcis

cis cum odore ſuavitatis ac ſplendore lucis audîſti. Tu autem, quia nunc ad corpus reverti, & rurſum inter homines vivere debes, ſi actus tuos curioſius diſcutere, & mores ſermoneſque tuos in rectitudine ac ſimplicitate ſervare ſtudueris, accipies & ipſe poſt mortem locum manſionis, inter hæc quæ cernis agmina lætabunda Spirituum Beatorum. Namque ego, cum ad tempus abſceſſiſſem à te, & ad hoc feci ut quid de te fieri deberet agnoſcerem. Hæc mihi cum dixiſſet, multum deteſtatus ſum reverti ad Corpus, delectatus nimirum ſuavitate ac decore loci illius, quem intuebar, ſimul & conſortio eorum, quos in illo videbam; nec tamen aliquid ductorem meum rogare audebam. Sed inter hæc neſcio quo ordine repente me inter homines vivere cerno. Hæc & alia, quæ viderat idem vir Domini, non omnibus paſſim deſidioſis, ac vitæ ſuæ incurioſis referre volebat, ſed illis ſolummodo, qui vel tormentorum metu perterriti, vel ſpe gaudiorum perennium delectati profectum pietatis ex ejus verbis haurire volebant. Denique in vicinia Cellæ ejus habitabat quidam Monachus, nomine Henigill, honore ſublimatus Presbyteratus, etiam quem bonis actibus adæquabat gradu præminens, qui adhuc ſupereſt, & in Hybernia Inſula, ſolitarius; ultimam vitæ ætatem pane cibario & frigida aqua ſuſtentat. Hic ſæpius ad eundem virum ingrediens, audivit ab eo repetita interrogatione, quæ & qualia eſſent quæ exutus corpore viderat, per cujus relationem ad noſtram quoque agnitionem pervenere, quæ de his pauca perſtrinximus. Narrabat autem viſiones ſuas etiam Regi Aldfrido, viro undecunque doctiſſimo, & tam libenter tamque ſtudioſe ab illo auditus eſt, ut ejus rogatu Monaſterio ſupra memorato inditus ac monachicâ ſit tonſurâ coronatus, atque ad eum audiendum ſæpiſſime, cum illas in partes deveniſſet, accederet. Cui videlicet Monaſterio tempore illo Religioſæ ac modeſtæ vitæ Abbas & Presbyter Æthelwaldus præerat, qui nunc Epiſcopalem Lindis-farnenſis Eccleſiæ cathedram condignis gradu actibus ſervat. Accepit autem in eodem Monaſterio locum manſionis ſecretiorem, ubi liberius continuis in Orationibus famulatui ſui conditoris vacaret. Et quia locus ipſe ſuper Ripam fluminis erat ſitus, ſolebat huc creber, ob magnum caſtigandi corporis affectum, ingredi, ac ſæpius in eo ſupermeantibus undis immergi, ſicque ibidem, quamdiu ſuſtinere poſſe videbatur, Pſalmis vel Precibus inſiſtere, fixuſque manere, aſcendente aqua fluminis uſque ad lumbos aliquando, & uſque ad collum, atque inde egrediens ad terram nunquam ipſa veſtimenta humida atque algida deponere curabat, donec ex ſuo corpore calefierent & ſiccarentur. Cumque tempore hyemali, defluentibus circa eum ſemifractarum cruſtis glacierum, quas & ipſe aliquando contriverat, quo haberet locum ſtandi ſive immergendi in Fluvio; dicerentque qui videbant, mirum Fr. Drycthelme hoc enim erat viro nomen, quod tantam frigoris aſperitatem ulla ratione tolerare prævales. Reſpondebat ille ſimpliciter, erat namque homo ſimplicis ingenii, ac moderatæ naturæ, frigidiora ego vidi. Et cum dicerent, mirum quod tam auſteram tenere continentiam velis, reſpondebat, auſteriora ego vidi. Sicque, uſque ad diem ſuæ vocationis, indefatigabili Cœleſtium bonorum deſiderio corpus ſenile inter quotidiana jejunia domabat, multiſque & verbo & converſatione ſaluti fuit.

Anno DCCIX. Sanctus Aldhelmus Epiſcopus tranſiit. Anno eodem Rex Merciorum Kenredus, cum Rege Orientalium Saxonum Offa, perrexit ad Romam. Ibi ambo attonſi Monachi effecti, atque ibi migraverunt ad Dominum. Anno DCCXIIII. Sanctus Guthlacus Anachorita tranſiit. Anno DCCXVI. Dagobertus ſecundus Rex Francorum. Anno DCCXVII. Karolus Martellus, filius Pipini primi, major domus fit Regis Francorum Dagoberti ſecundi. Anno DCCXX mortuo Dagoberto, Franci Danihelem Clericum in Regem levaverunt, atque Chilpericum nuncupaverunt.

Anno DCCXXVI. Hoc anno Ina Rex Occidentalium Saxonum XXXVIII anno

anno Regni ſui [poſt] monaſterium conſtructum atque dedicatum apud Glaſtoniam, Regnum reliquit, Romam perrexit, & ibi vitam præſentem honorifice finiens, Cœleſtem patriam cum Chriſto regnaturus adiit. Cui ſucceſſit in Regnum Athelherdus, regnavitque annis xiv. Anno dccxxix. Cometa apparuit & Sanctus Egbrychtus tranſiit. Anno dccxxxi. Ceolwlfus Rex Nordanhymbrorum cœpit regnare, & regnavit annis vii. ad quem venerabilis Beda Presbyter ſcripſit Hiſtoriam Anglorum. Qui poſt, relicto Imperio Monachus factus, Lindisfarnenſium extitit Epiſcopus. Anno dccxxxiv. Luna ſanguineo rubore perfuſa, quaſi hora integra, xi Kalend. Febr. circa gallicantum, dehinc, nigredine ſubſequente, ad lucem propriam reverſa eſt. Eodem anno migraverunt ad Dominum ſanctus Tawinus Archiepiſcopus Dorobernia & ſanctus Beda venerabilis Preſbyter.

"Incipit Epilogium de obitu beati atque eximii doctoris Bedæ, qui "Girwinenſis Monaſterii Presbyter extitit, doctorque præcipuus.

"Dilectiſſimo in Chriſto collectori Cuthwino Cuthbertus Condiſci-"pulus in Deo æternam ſalutem.

Munuſculum, quod miſiſti, multum libenter accepi; multumque gratanter litteras tuæ devotæ eruditionis legi. In quibus, quod maxime deſiderabam, miſſas videlicet, & Orationes ſacroſanctas, pro Deo dilecto Patre ac noſtro Magiſtro Beda, à vobis diligenter celebrari reperi. Unde delectat magis pro ejus caritate, quantum fruor ingenio, paucis ſermonibus dicere, quo ordine migraret è ſeculo, cum etiam hoc te deſideraſſe & poſcere intellexi. Gravatus quidem eſt infirmitate maxima creberrimi anhelitus, ſine dolore tamen, ante diem reſurrectionis Dominicæ, id eſt, fere duabus Ebdomadibus, & ſic poſtea lætus & gaudens, gratiaſque agens omnipotenti Deo omni die & nocte, immo horis omnibus, uſque ad diem aſcenſionis Dominicæ, id eſt, vii *kalend Junii, vitam ducebat, & nobis ſuis Diſcipulis quotidie lectiones dabat; & quicquid Reliquum erat diei in Pſalmorum decantatione occupabat: totam quoque noctem in lætitia & gratiarum actione pervigil ducebat, niſi tantum modicum ſomnus impediret. Evigilans autem ſtatim conſueta repetivit, & expanſis manibus Deo gratias agere non deſivit. O vere beatus vir! canebat ſententiam beati Pauli Apoſtoli.* Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, *& multa alia de Sancta Scriptura, & in noſtra quoque lingua, hoc eſt Anglica, ut erat doctiſſimus in noſtris carminibus, dixit.*

Forcham nedfere neni Wirtheth thanċes snotera thonne him thearf syto gehic genne er his heonen gange hwet his gaste godes othe yueles efter deathe heonon demed Weorthe. *Cantabat etiam Antiphonas ſecundum noſtram conſuetudinem & ſui, quarum una eſt. O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie ſuper omnes Cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos Orphanos, ſed mitte promiſſum Patris in nos Spiritum veritatis, alleluja.* Et cum veniſſet ad illud verbum, *ne derelinquas nos Orphanos, prorupit in Lacrimas, & multum flevit; & poſt horam cœpit repetere quæ inchoaverat. Et nos hæc audientes luximus cum illo. Altera vice legimus, altera ploravimus; immo ſemper cum fletu legimus. In tali lætitia quinquageſimales dies uſque ad diem præfatum deduximus, & ille multum gaudebat, Deo gratias agebat, quia ſic meruiſſet infirmari. Referebat, & ſæpe dicebat. Flagellat Deus omnem Filium quem recepit. Et multa alia de Sancta Scriptura: ſententiam quoque Sancti Ambroſii,* "non ſic vixi ut me pudeat "inter vos vivere, ſed nec mori timeo, quia bonum Deum habemus. *In iſtis autem diebus, duo opuſcula multum memoria digna, exceptis lectionibus, quas accepimus ab eo, & cantu Pſalmorum facere ſtudebat. Evangelium ſcil. Sancti Johannis in noſtram linguam ad utilitatem Eccleſiæ convertit. Et de libris rotarum Yſodori Epiſcopi excerptiones quaſdam, dicens,* "nolo ut diſcipuli mei "mendacium legant, & in hoc poſt obitum meum ſine fructu laborent. *Cum veniſſet autem tertia feria ante Aſcenſionem Domini cœpit vehementius ægrotare in anhelitu, & modicus tumor in pedibus apparuit. Totum autem illum ducebat, & hilariter dictabat, & nonnunquam inter alia dixit,* "Diſcite

"cum

"cum feſtinatione neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me "factor meus. *Nobis autem videbatur quod ſuum exitum bene ſciret, & ſic noctem in gratiarum actione pervigil duxit, & mane illuceſſcente, id eſt, quarta feria, præcepit diligenter ſcribi quæ cœperamus, & hoc facto, uſque ad tertiam horam ambulavimus deinde cum Reliquiis Sanctorum, ut conſuetudo illius diei poſcebat. Unus vero erat ex nobis cum illo qui dixit illi. Adhuc, Magiſter dilectiſſime, capitulum unum deeſt, videturne tibi difficile plus te interrogari? At ille, facile, inquit, eſt. Accipe tuum calamum, & tempera, & feſtinanter ſcribe, & ille hoc fecit. Ad nonam autem horam dixit mihi. Quædam pretioſa in mea capſella habeo, id eſt, piperem, oraria, & incenſa. Sed curre velociter, & Presbyteros noſtri Monaſterii adduc ad me; ut & Ego munuſcula, qualia Deus donavit, illis diſtribuam. Divites autem in hoc ſeculo, Aurum, Argentum, & alia quæque pretioſa dare ſtudent, Ego autem cum multa charitate & gaudio Fratribus meis dabo quod Deus dederat. Et allocutus eſt unumquemque, monens & obſecrans pro eo Miſſas & Orationes diligenter facere. Quod illi libenter ſpoponderunt. Lugebant autem & flebant omnes, maxime quod dixerat quia amplius faciem ejus in hoc ſeculo non eſſent viſuri. Gaudebant autem quia dixit, tempus eſt ut revertar ad eum qui me fecit, qui me creavit, qui me ex nihilo formavit. Multum tempus vixi bene, mihi prius judex vitam meam prævidit, tempus reſolutionis meæ inſtat; quia cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Sic & alia multa locutus in lætitia diem uſque ad veſperum duxit. Et præfatus Puer dixit, adhuc una ſententia, Magiſter dilecte, non eſt deſcripta; at ille, ſcribe, inquit, cito. Poſt modicum dixit puer, modo ſententia deſcripta eſt. At ille, bene, inquit, veritatem dixiſti, Conſummatum eſt. Accipe meum Caput in manus tuas, quia multum me delectat ſedere ex adverſo loco ſancto meo, in quo orare ſolebam, ut & ego ſedens Patrem meum invocare poſſim. Et ſic in Pavimento ſuæ caſulæ decantans,* Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, *cum Spiritum Sanctum nominaſſet, ſpiritum è corpore exhalavit ultimum, ac ſic Regna migravit ad Cæleſtia: omnes autem, qui vidére beati Patris obitum, nunquam ſe vidiſſe ullum alium in tam magna devotione atque tranquillitate vitam finiſſe dicebant. Quia, ſicut audiſti, quouſque anima in corpore fuit,* Gloria Patri, *& alia quædam ſpecialia, expanſis manibus, Deo vivo & vero gratias agere non ceſſabat. Scito autem, Frater chariſſime, quod multa narrare poſſem de eo, ſed brevitatem ſermonis ineruditio linguæ facit.*

Anno DCCXL. Cuthred Rex regnavit ann. XVI. Anno DCCXLI. Karolo Martello defuncto, Filii ejus Carolomannus & Pipinus majoratum domus adipiſcuntur.

Karolus Princeps Pipini Regis Pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Eccleſiarum ab eis ſeparavit, atque diviſit, pro hoc ſolo maxime eſt æternaliter damnatus. Nam Sanctus Eucherius Aurelianenſium Epiſcopus, qui in Monaſterio Sancti Trudonis requieſcit, in oratione poſitus ad alterum ſeculum eſt raptus, & inter cætera quæ Domino ſibi oſtendente conſpexit, vidit ipſum Karolum in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti ab Angelo reſponſum eſt ductore, quia Sanctorum indicatione, qui futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumcumque res abſtulit & diviſit ante illud judicium anima, & corpore ſempiternis pœnis eſt deputatus, & recipit ſimul cum ſuis peccatis pœnas, propter omnium, qui res ſuas & facultates in honore & amore Dei ad Sanctorum loca in luminaribus divini cultus & alimoniis Servorum Chriſti ac pauperum pro animarum ſuarum redemptione tradiderunt. Qui in ſe reverſus Sanctum Boneſacium & Fuldarum Abbatem Monaſterii Sancti Dionyſii, & ſummum Capellanum Regis Pipini ad ſe vocavit, eiſque talia dicens juſſit ut ad ſepulcrum illius irent, & ſi corpus ejus ibidem non reperiſſent ea quæ dicebat vera eſſe crederent, ipſi autem pergentes ad prædictum monaſterium, ubi corpus ipſius Karoli humatum fuerat, ſepulchrumque ipſius aperientes, viſus eſt ſubito Draco exiſſe, & totum illud ſepulchrum in-

ventum eſt interius denigratum, ac ſi fuiſſet exuſtum. Nos autem illos vidimus, qui uſque ad noſtram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, & nobis viva voce ſunt teſtati qui viderunt & audierunt.

Anno DCCXLVI. Karolomannus Romam perrexit, & Monachus effectus eſt in Monte Soracte, ubi Eccleſiam in honore Sancti Silveſtri conſtruxit, & inde ad montem Caſſinum Monaſterium Sancti Benedicti tranſiit. Anno DCCLII. Pipinus Rex efficitur.

Anno DCCLVII. Segebrychtus Regnavit annum unum. Anno eodem Pariſius Pipinus Rex Francorum, cum Filiis ejus Karolo & Karolomanno, & Filia Sigila, benedictus eſt à Sancto Stephano Papa inter ſacra Miſſarum ſolemnia, præcipiente Sancto Petro, & Sancto Paulo, & Sancto Dionyſio.

Anno DCCLVII. Kynewlfus Regnavit ann. XXIX.

Anno DCCLXIII. Hiems illa maxima.

Anno DCCLXVIII. Pipinus Rex Francorum obiit.

Anno DCCLXIX. Initium Regni Karoli Magni Regis Francorum. Anno DCCLXXI. Karolomannus Frater Karoli magni obiit XI°. Non. Decembris. Anno DCCLXXIII. Karolus magnus Romam vadit, inde reverſus Papiam cœpit cum Rege Deſiderio, captis Civitatibus & direptis univerſæ Italiæ. Anno DCCLXXVI. Converſio Saxonum. Anno DCCLXXVIII. Karolus magnus in Hiſpanias intravit, Pampiloniam urbem deſtruxit, apud Cæſar-Auguſtam exercitum ſuum conjunxit; & acceptis obſidibus, ſubjugatiſque Saracenis, per Narbonam & Waſconiam Franciam redit. Anno DCCLXXX. Saxonia capta eſt. Anno DCCLXXXIII. Witichingis cum ſociis in Atimaco Baptizati partem Regioni contulerunt.

Anno DCCLXXXVI. Brichtricus Rex Occidentalium Saxonum Regnavit annis XVI. Anno primo Regni ipſius Franci Signum Crucis in veſtibus [viderunt.]

Anno DCCLXXXVII. Item Karolus Romam perrexit: deinde ad Sanctum Benedictum & Capuam. Anno DCCLXXXVIII. Karolus per Alemaniam venit ad fines Bawariæ. Anno DCCLXXXIX. Hoc anno Brychtricus Rex accepit Eadburgam Filiam Offæ Regis Merciorum in matrimonium. Et eo etiam tempore primum III naves Normannorum, [id eſt Danorum.] applicuerunt in Inſula quæ dicitur Portland. Anno DCCLXXXX. Taſſilio Dux venit in Franciam, & Bawaria capta eſt. Anno DCCXCII. Karolus pergit in Sclavos qui dicuntur Wilti. Anno DCCXCIII. Karolus Hungrorum regnum vaſtat. Anno DCCXCIV. Sanctus Aethelbrihtus Orientalium Anglorum Rex innocenter ſub pacis fœdere occiſus eſt ab Offa Rege Merciorum perfidiſſimo. Anno DCCXCVI. Adrianus Papa obiit. Eodem anno Offa perfidus Rex Merciorum obiit, anno XXXIX Regni ſui. Regnavit Ecgfridus Filius ipſius poſt illum diebus Centum quadraginta uno. Anno DCCXCIX. Sanctus Leo Papa à Romanis de ſede ſua eſt expulſus, & oculis evulſis ac Lingua præciſa, ſed Deo juvante viſum recepit & loquelam, ſed & ſedem propriam. Anno DCCCC. Dominus Karolus magnus Rex Francorum Imperator factus eſt, & à Romanis appellatus eſt Auguſtus, qui illos qui Leonem Papam dehoneſtaverant morte damnavit, ſed precibus Sancti Papæ morte indulta exilio retruſit. Ipſe enim Papa Leo Imperatorem eum ſacraverat.

Anno DCCCII. Ecgbrychtus Rex Occidentalium Saxonum Regnavit annis XXXVII. Menſibus VII. Anno DCCCXIV. Karolus magnus Imperator, dum Aquiſgrani hyemaret, anno ætatis circiter LXXI. Regni autem XLVII. ſubactæque Italiæ XLIII. ex quo vero Imperator & Auguſtus appellatus eſt anno XIV. V. Kal. Febr. rebus humanis exceſſit. [Initium Regni Lodwici Filii ipſius Karoli magni.] Anno DCCCXV. Berneardus Rex Longobardorum Nepos Karoli Imperatoris excæcatus moritur. Anno DCCC XVI. Dominus Papa Leo migravit ad Dominum. Anno DCCCXXII. fames valida. Anno DCCCXXIII. In territorio Tullenſi juxta Commerciacum villam

puella

puella quædam annorum circiter XII. poſt ſacram communionem, quam in Paſcha de Sacerdotis manu ſumenda perceperat, primò pane, deinde aliis omnibus cibis & potibus abſtinendo, in tantum jejunâſſe perhibetur, ut nulla penitus corporis alimenta percipiens, ſine omni victus deſiderio plenum triennium compleverit: cœpit autem jejunare, ut diximus, anno Domini DCCCXXIII. & anno Domini DCCCXV. circa Novembris menſis initium, peracto jejunio, eſcam ſumere, ac more cæterorum mortalium vivere cœpit. Eodem anno natus eſt Karolus Rex glorioſus Francorum, Filius Lodwici Imperatoris & Judith Imperatricis, apud Franconoford, idus Junii. In quo, Palatio novo, illo anno Imperator hyemavit, & à Paſchali Papa in die Paſchæ Romæ Coronatus, & Imperator eſt appellatus. Anno DCCCXXV. Beorwlfus Rex Merciorum in Bello occiditur ab Orientalibus Anglis, anno DCCCXXVII. Ludecan Merciorum Rex, dum ſuum prædeceſſorem atque propinquum ulciſci vellet, ab eiſdem Eaſt-Anglis occiditur, & V. Comites cum eo. Anno DCCCXXXI. In iſto anno Franci dereliquerunt Lodwicum, & elegerunt Lotharium. Anno DCCCXXXIII. Redditum eſt Lodwico Regnum.

Anno DCCCXXXIX. Mortuo Ecgbrychto Rege nobili, regnavit Adhelwlfus Rex Occidentalium Saxonum Filius ejus pro eo, regnavitque annos XVIII. & dimidium. Anno DCCCXL. Lodwicus Imperator obiit XII. kal. Julii. Anno DCCCXLI. Bellum inter tres Fratres, ſcilicet Lodwicum, Lotharium, & Karolum Filios Lodwici Imperatoris, haud procul ab urbe Antiſiodorenſium, in quo Chriſtianus utrinque populus mutua ſe cæde proſtravit. VII. kal. Julii diviſum eſt regnum. Anno DCCCXLII. Tranſlatio Sancti Audoeni Epiſcopi, quando Normanni vaſtaverunt Rothomagum, & ſuccenderunt Monaſterium illius, idus Maii. Ipſo anno Bellum contra Paganos Normannos apud Lundoniam, & item apud Quantawic, & rurſum apud Hroſeſceſtram *. Anno DCCCLI. Venerunt Normanni in Sequanam. Eodem anno Ceorl Donnaniæ Comes cum Donnaniis contra Paganos Nordimannos ſive Danos pugnavit, in Loco qui dicitur Wicganbeorga, & Chriſtiani victoriam habuerunt, & ipſo eodem anno primum hyemaverunt Pagani in Inſula quæ vocatur Sceapeige, quæ ſita eſt in Tamenſi flumine, inter Eaſt-Seaxum & Cantuarios, ſed ad Cantiam propior eſt quam Eaſt-Seaxum. Eodem quoque anno magnus Paganorum exercitus cum CCCL navibus in Oſtium Tamenſis fluminis venit, & Lundoniam Civitatem, quæ eſt ſita in Aquilonali ripa Tamenſis fluminis, in confinio Eaſt-Seaxum & Middil-Seaxum, ſed tamen ad Eaſt-Seaxum illa Civitas cum veritate pertinet, depopulati ſunt; & Beorhtulfum Merciorum Regem cum omni exercitu ſuo, qui ad præliandum contra illos venerat, in fugam verterunt. His ibi ita geſtis prædictus Paganorum exercitus perrexit in Suthrigie, quæ paga ſita eſt in Meridiana Tamenſis fluminis ripâ, ab Occidentali parte Cantiæ; & Adhelwlfus Occidentalium Saxonum Rex, & Filius ſuus Adhelbaldus cum omni exercitu ſuo, contra præfatum exercitum, in loco qui dicitur Aclea, diutiſſime pugnaverunt. Ibique cum diu acerrime & animoſe ex utraque parte pugnatum eſſet, maxima pars Paganæ multitudinis funditus deleta & occiſa eſt: ita qualiter nunquam in aliqua regione, in una die, ante nec poſt, ex eis occiſum eſſe audivimus, & Chriſtiani victoriam honorifice tenuerunt, & loco funeris dominati ſunt. Eodem vero anno Adhelſtan Rex Filius Adhelwlfi Regis, & Ealcheræ Comes, magnum Normannorum exercitum in Cantia, in loco qui dicitur Sandwic, occiderunt, & ex navibus eorum IX naves ceperunt, cæteris per fugam elapſis.

Anno DCCCLIII. Rex Adhelwlfus Filium ſuum Alfredum, magno Nobilium & etiam ignobilium numero conſtipatum, honorifice Romam tranſmiſit, quo tempore Dominus Leo Papa quartus Apoſtolicæ ſedi præerat, qui præfatum infantem Alfredum confirmavit, & in Filium adoptionis

 ſibimet

ſibimet accepit, & etiam unctum oleo conſecravit in Regem. Eodem quoque anno Alcheræ Comes cum Cantuariis, & Hiuda cum Suthriis, contra Paganorum exercitum in Inſula Tenet animoſe & acriter belligeraverunt, & primitus Chriſtiani victoriam habuerunt, prolongatoque prælio ibidem ex utraque parte plurimi ceciderunt, & in aqua merſi ſuffocati ſunt, & Comites illi ambo ibidem occubuerunt. Nec non & anno eodem Athelwlfus poſt Paſcha Occidentalium Saxonum Rex Filiam ſuam Burchredo Merciorum Regi, in villa regia quæ dicitur Cippenhame, nuptiis regaliter factis, ad Reginam dedit.

Anno DCCCLV. Rex Eadmundus Orientalium Anglorum glorioſiſſimus, cœpit Regnare VIII. kal. Januarii, id eſt, die Natalis Domini, anno ætatis ſuæ XIV. Hoc etiam anno Lotharius Imperator Romanorum obiit, Filius Lodwici Auguſti piiſſimi. Anno eodem eſt Initium Regni Karoli tertii Imperatoris Filii Lodwici Secundi. Eodem anno magnus Paganorum exercitus hyemavit in Inſula Sceapeige. Eodem quoque anno Adelwlfus venerabilis Rex Occidentalium Saxonum, decimam totius Regni ſui partem ab omni regali ſervitio & tributo liberavit, & in ſempiterno grafio in Cruce Chriſti, pro redemptione animæ ſuæ & Anteceſſorum ſuorum, uni & trino Deo immolavit. Eodemque anno cum magno honore Romam perrexit, præfatum Filium ſuum Aelfredum iterum in eadem via ſecum ducens: eo quod illum plus cæteris Filiis ſuis diligebat. Ibique anno integro demoratus eſt. Quo peracto ad Patriam ſuam remeavit, afferens ſecum Juditham Karoli Francorum Regis Filiam. Interea tamen Adhelwlfo Rege ultra Mare tantillo tempore immorante, quædam infamia contra morem omnium Chriſtianorum in Occidentali parte Salwdæ orta eſt. Nam Adhelbaldus Rex Adhelwlfi Regis Filius, & Eachſtanus Scireburnenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Eanwlfus quoque Sumurtunenſis pagæ Comes conjuraſſe referuntur, ne unquam Adhelwlfus Rex à Româ revertens iterum in Regno reciperetur, quod inauditum omnibus ſeculis ante infortunium Epiſcopo & Comiti ſolummodo perplurimi reputant, ex quorum conſilio hoc factum eſſe perhibetur. Multi quoque Regali ſolummodo inſolentiæ deputant, quia & ille Rex in hac re, & in multis aliis perverſitatibus pertinax fuit, ſicut quorundam hominum relatu audivimus, quod & rei ſequentis approbavit effectus. Nam redeunte eo à Roma, prædictus Filius Regis Adhelwlfi cum omnibus ſuis Conſiliariis, immo inſiliariis, tantum facinus perpetrare tentati ſunt, ut Regem à Regno proprio repellerent, quod nec Deus ita fieri permiſit, nec Nobiles totius Angliæ conſenſerunt. Nam ne inremediabile Angliæ periculum, belligerante Patre & Filio, quin immo tota cum gente ambobus rebellante, atrocius & crudelius per dies ſingulos, quaſi clades inteſtina, augeretur, ineffabili Patris clementia, & omnium aſtipulatione Nobilium, adunatum antea Regnum inter Patrem & Filium dividitur, & Orientales pagæ Patri, Occidentales Filio è contra deputantur. Ubi enim Pater juſto judicio regnare debuerat, illic iniquus & pertinax Filius regnabat. Nam Occidentalis pars Angliæ ſemper Orientali principalior eſt. Adveniente igitur Adhelwlfo Rege à Roma, tota illa gens, ut dignum erat, in adventu ſenioris ita gaviſa eſt, ut, ſi ille permitteret, pertinacem Filium ſuum Adhelbaldum cum omnibus ſuis Conſiliariis à totius Regni ſorte expellere vellent. Sed ille, ut diximus, nimia clementia & prudenti conſilio uſus, ne ad Regni periculum proveniret, ita fieri noluit. Sed & Juditham Karoli Regis Filiam, quam à Patre ſuo acceperat, juxta ſe in Regali ſolio ſine aliqua ſuorum Nobilium controverſia & odio, uſque ad obitum vitæ ſuæ, contra perverſam illius gentis conſuetudinem, ſedere imperavit. Gens namque Occidentalium Saxonum Reginam juxta Regem ſedere non patitur, nec etiam Reginam appellare, ſed Regis Conjugem, permittit. Quam controverſiam, immo infamiam, de

quadam

quadam pertinaci & malevola ejuſdem gentis Regina ortam fuiſſe majores illius terræ perhibent. Quæ omnia contraria ſeniori ſuo & omni populo ita peregit, ut non ſolum ſuum proprium odium mereretur, ut à Reginali ſolio projiceretur, ſed etiam omnibus ſuis ſubſequatricibus eandem peſtiferam tabem poſt ſe ſummitteret. Pro nimia namque illius Reginæ malitia omnes accolæ illius terræ conjuraverunt, ut nullum unquam Regem ſuper ſe in vitâ ſuâ regnare permitterent, qui Reginam in Reginali ſolio juxta ſe ſedere imperare vellet. Et quia, ut opinor, multis habetur incognitum, unde hæc perverſa & deteſtabilis conſuetudo in Anglia ultra morem omnium gentium primitus orta ſit, paulo latius mihi videtur intimandum, quod à Domino meo Aelfredo Angulo-Saxonum Rege veridico, etiam ſæpe mihi referente audivi, quod & ille etiam à veridicis multis referentibus, immo ex parte non modica, illud factum commemorantibus audierat. Fuit in Mercia moderno tempore quidam ſtrenuus, atque univerſis circa ſe Regibus & Regionibus finitimis formidoloſus Rex nomine Offa, qui vallum magnum inter Britanniam & Merciam de mari uſque ad mare facere imperavit. Cujus Filiam nomine Eadburgam Beorchtricus Occidentalium Saxonum Rex ſibi in Conjugium accepit. Quæ confeſtim, accepta Regis amicitia & totius pene Regni poteſtate, more Paterno Tyrannicè vivere incœpit, & omnem hominem execrare quem Brichtridus diligeret. Et omnia odibilia Deo & hominibus facere, & omnes quos poſſet ad Regem accuſare, & ita aut vita aut poteſtate per inſidias privare. Et ſi à Rege illud impetrare non poſſet, veneno eos necabat, ſicut de adoleſcente quodam Regi dilectiſſimo hoc factum compertum habetur, quem cum ad Regem accuſare non poſſet, veneno necavit. De quo veneno etiam præfatus ille Beorchtricus Rex inſcienter guſtaſſe aliquid refertur, neque enim illa venenum dare Regi propoſuerat, ſed puero, ſed Rex præoccupavit. Inde ambo periere. Defuncto igitur Beorchtrico Rege, cum illa inter Occidentales Saxones vel Anglos diutius ferri non poſſet, ultra mare navigans cum innumerabilibus Theſauris, Karolum illum magnum atque famoſiſſimum Francorum Regem adiit. Ad quem cum ante ſolarium multa Regi afferens dona ſtaret, Karolus ait; *Elige Eadburga quem velis inter me & Filium meum, qui mecum in Solario iſto ſtat.* At illa ſine deliberatione ſtulte reſpondens ait; *Si mihi electio conceditur, Filium tuum in quantum te junior eſt, eligo.* Cui Karolus reſpondens & arridens ait, *Si me eligeres, haberes Filium meum, ſed quia Filium meum elegiſti, nec me nec illum habebis.* Dedit tamen illi unum magnum Monialium Monaſterium, in quo depoſito ſeculari habitu, & Monialium indumento aſſumpto, per paucos annos Abbatiſſæ fungebatur officio. Sicut enim irrationabiliter in propria vixiſſe refertur, ita multo inrationabilius in aliena gente vivere deprehenditur. Nam à quodam ſuæ propriæ gentis homine conſtuprata, demum palam deprehenſa, de Monaſterio juſſu Karoli Regis dejecta, in paupertate & miſeria letho tenus vituperabiliter vitam duxit, ita ut ultimum uno ſervulo comitata, ſicut à multis videntibus eam audivimus, cotidie mendicans in Paviâ miſerabiliter moreretur.

Vixit ergo Adhelwlfus Rex duobus annis poſtquam à Roma venit, in quibus inter alia multa præſentis vitæ bona ſtudia cogitans de ſuo ad univerſitatis viam tranſitu, ne ſui Filii poſt Patris obitum indebite inter ſe diſceptarent, hæreditariam, immo commendatoriam, ſcribere imperavit Epiſtolam: in qua & Regni inter Filios ſuos, duos ſcilicet Seniores; & propriæ hæreditatis inter Filios & Filiam, & etiam propinquos: Pecuniarum quoque, quæ poſt ſe ſupereſſent propter animam ſuam, & Filios, & etiam Nobiles ſuos, diviſionem ordinabiliter litteris mandare procuravit. De qua prudenti conſideratione pauca de pluribus poſteris imitanda ſcribere decrevimus; ſcilicet quæ ad neceſſitatem animæ maxime pertinere

 intelli-

intelliguntur. Pro utilitate namque animæ ſuæ, quam à primævo juventutis ſuæ flore in omnibus procurare ſtuduit, per omnem hæreditariam terram ſuam ſemper in x. manentibus unum pauperem, aut indigenam aut peregrinum, cibo, potu, & veſtimento Succeſſoribus ſuis uſque ad ultimum diem judicii poſt ſe paſcere præcepit. Ita tamen ut illa terra hominibus & pecoribus habitaretur & deſerta non eſſet. Romæ quoque omni anno magnam pro anima ſua pecuniam, id eſt ccc. Mancuſas portare præcepit, quæ taliter ibi divideretur; ſcilicet c. Mancuſas in honore Sancti Petri ſpecialiter ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius Apoſtolicæ Eccleſiæ in veſpera Paſchæ, & æqualiter in gallicantu, & c Mancuſas in honore Sancti Pauli, eadem conditione, ad comparandum oleum in Eccleſia Sancti Pauli Apoſtoli, ad implenda Luminaria in Veſpera Paſchæ & in gallicantu. Centum quoque Mancuſas univerſali Papæ Apoſtolico.

Anno DCCCLVI. Hoc eſt anno Secundo Karoli Imperatoris tertii. Anno vero Regni Adhelwlfi Occidentalium Saxonum Regis XVIII. Hunberchtus Orientalium Anglorum Antiſtes unxit oleo, conſecravitque in Regem Eadmundum glorioſiſſimum cum gaudio magno & honore maximo, in Villa Regia quæ dicitur Burna, quia tunc temporis Regalis ſedes erat, anno ætatis ſuæ XV. Sexta feria, Luna XXIV. Die Natalis Domini. Anno DCCCLVII. Adhelwlfus ſæpe memoratus Rex Occidentalium Saxonum viam univerſitatis adiit, & quievit in pace, ſepultuſque eſt apud Steningham. Regnavit Adhelbaldus Filius ejus poſt illum duos annos & dimidium, qui & ipſe antea cum Patre regnavit annis duobus & dimidio; ſed poſt Patrem contra Deum & Chriſtianorum dignitatem, nec non & contra omnium Paganorum conſuetudinem, Thronum Patris ſui aſcendens Juditham Karoli Francorum Regis Filiam, cum magna ab omnibus audientibus infamiâ, in matrimonium duxit. Anno DCCCLIX, hoc anno cœpit gelare XI kal. Decembris, & finivit Non. Aprilis.

Anno DCCCLX. Adhelbaldus Occidentalium Saxonum Rex defunctus eſt, & in Sciréburna ſepultus, & Adhelbrictus Frater ſuus Cantiam & Suthrigiam, Suth-Seaxum quoque ſuo Dominio, ut juſtum erat, ſubjunxit, regnavitque annis V. in cujus diebus magnus Paganorum exercitus de mari adveniens, Wintaniam civitatem hoſtiliter invadens, depopulatus eſt. Cui, cum ad Naves cum ingenti præda reverterentur, Oſricus Hantunenſium Comes cum ſuis, & Adhelwlfus Comes cum Bearrocenſibus viriliter obviaverunt, conſertoque prælio longe ab omni oppido, Pagani paſſim trucidantur, & cum diu reſiſtere non poſſent, muliebriter fugam arripiunt, & Chriſtiani loco funeris Dominati ſunt. Anno DCCCLXIV. Pagani Normanni ſive Dani hyemaverunt in Inſula Tanet, & firmum fœdus cum Cantuariis pepigerunt, quibus Cantuarii pecuniam pro fœdere ſervato reddere promiſerunt. Interea tamen Vulpino more Pagani noctu clam Caſtris erumpentes, fœdere dirupto, & promiſſionem pecuniæ ſpernentes, (ſciebant enim majorem pecuniam ſe furtiva præda, quam pace adepturos) totam Orientalem Cantiæ plagam depopulati ſunt. Anno DCCCLXV. venerant Normanni in Franciam, medio Julii.

Anno DCCCLXVI. Adhelberchtus Rex Occidentalium Saxonum, Frater Adhelbaldi, quinque annis Regno pacifice & amicabiliter atque honorabiliter gubernato, cum magno ſuorum dolore viam univerſitatis adiit, & in Sciréburna juxta Fratrem ſuum honorabiliter ſepultus requieſcit. Eodem vero anno Adheredus, Frater ipſius Adhelberchti Regis Occidentalium Saxonum, Regni gubernacula ſuſcepit. Et eodem anno magna Paganorum Claſſis Angliam advenit, & in Regno Orientalium Anglorum hyemavit, ibique ille exercitus maxima ex parte Equeſtris factus eſt. Anno DCCCLXVII. prædictus Paganorum exercitus de Orientalibus Anglis ad Eboracum Civitatem migravit, quæ in Aquilonali ripa Humbrenſis fluminis

minis ſita eſt. Eo tempore maxima inter Nordanhymbros diſcordia Diabolico inſtinctu orta fuerat, ſicut ſemper populo, qui odium incurrerit Dei, evenire ſolet. Nam Nordanhymbri eo tempore, ut diximus, legitimum Regem ſuum, Osbrichtum nomine, Regno expulerant, & Tyrannum quendam Aella nomine, non de Regali proſapia progenitum, ſuper Regni apicem conſtituerant. Sed, advenientibus Paganis, conſilio divino & optimatum amminiculo, pro communi utilitate diſcordia illa aliquantulum ſedata, Osbrichtus & Aella, adunatis viribus, congregato exercitu, Eboracum oppidum adeunt. Quibus advenientibus Pagani confeſtim fugam arripiunt, & intra Urbis mœnia ſe defendere procurant. Quorum fugam & pavorem Chriſtiani cernentes, etiam intra Urbis mœnia eos perſequi & murum frangere inſtituunt, quod & fecerunt. Non enim tunc adhuc illa Civitas firmos & ſtabilitos muros illis temporibus habebat. Cumque Chriſtiani murum ut propoſuerant fregiſſent, & eorum magna pars in Civitatem ſimul cum Paganis intraſſet, Pagani dolore & neceſſitate compulſi ſuper eos atrociter irrumpunt, cædunt, fugant, proſternunt intus & extra, illic maxima ex parte omnes Nordanhymbrenſium capti, occiſis duobus Regibus, cum multis Nobilibus ibi occubuerunt. Reliqui vero, qui evaſerunt, pacem cum Paganis pepigerunt. Eodem anno Ealchſtanus Epiſcopus Sciréburnenſis Eccleſiæ viam univerſitatis adiens, poſtquam Epiſcopatum per L. annos honorabiliter rexerat, in pace in Sciréburnam ſepultus eſt. Anno DCCCLXVIII. fames valida. Anno eodem Aelfredus venerabilis Rex Secundarii tamen tunc Ordine fretus, uxorem de Mercia, Nobilem ſcil. genere Adhelredi Gainorum, Filiam Comitis qui Cognominabatur Mucill, ſubarravit & duxit. Eodem vero anno prædictus Paganorum Exercitus Nordanhymbros relinquens in Merciam venit & Snotengaham adiit, ibidemque hyemavit. Burchredus Rex Merciorum, & omnes ejuſdem gentis optimates, nuncios ad Æthelredum Regem Occidentalium Saxonum, & ad Alfredum Fratrem ejus confeſtim dirigunt, ſuppliciter obſecrantes, ut illi illis auxiliarentur, quo poſſent contra præfatum pugnare exercitum, quod & facile impetraverunt. Cumque Pagani tuitione arcis muniti bellum dare negarent, & Chriſtianis frangere murum non ſuppetebat, pax inter Mercios & Paganos facta eſt. Anno DCCCLXIX. Item fames magna & mortalitas hominum & peſtis animalium. Eodem anno præfatus Paganorum Exercitus iterum ad Nordanhymbros equitans Eboracum Civitatem adiit, & ibi anno integro manſit.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXX. Paſſus eſt Sanctus Edmundus, Sanctiſſimus Deoque acceptus Rex Orientalium Anglorum. Eadmundus ex antiquorum Saxonum Nobili proſapia oriundus à primævo ſuæ ætatis tempore cultor extitit veraciſſimus fidei Chriſtianæ. Qui atavis Regibus editus, cum bonis polleret moribus, omnium comprovincialium unanimi fauore non tantum eligitur ex generis ſucceſſione, quantum rapitur ut eis præeſſet ſceptrigera poteſtate. Nam erat ei ſpecies digna Imperio, quam ſereniſſimi cordis jugiter venuſtabat tranquilla devotio. Erat omnibus blando eloquio effabilis, humilitatis gratia proclivis, & inter ſuos coævos mirabili manſuetudine reſidebat Dominus, abſque ullo faſtu ſuperbiæ. Jamque vir ſanctus præferebat in vultu quod poſtea manifeſtatum eſt, Divino nutu, quoniam puer toto conamine virtutis arripuit gradum, quem Divina pietas præſciebat Martyrio finiendum. Beatus Eadmundus conſecutus culmen Regiminis, quantæ fuerit in ſubiectos benignitatis, quantæ in perverſos diſtrictionis, non eſt noſtræ facultatis evolvere, qui ejus minima quo conveniret ſermone non poſſumus expedire. Siquidem ita columbinæ ſimplicitatis manſuetudine temperavit ſerpentinæ calliditatis aſtutiam, ut nec antiqui hoſtis deciperetur ſimulatione fraudulenta, nec malignorum hominum reciperet contra juſtitiam ſententias, *rem quam neſciebat diligentiſſime inveſtigans*. Gradienſque via Regia, nec declinabat ad dexteram

teram extollendo ſe de meritis, nec ad ſiniſtram ſuccumbendo vitiis humanæ fragilitatis. Erat quoque egentibus dapſilis liberaliter, pupillis & viduis clementiſſimus Pater, ſemper habens præ oculis dictum illius Sapientis. *Principem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi unus ex illis.* Cumque tam conſpicuis in Chriſto & Eccleſia emineret bonorum actuum ornamentis, ejus patientiam, ſicut & Sancti Job, aggreſſus eſt experiri inimicus humani generis, qui eo bonis juſtius invidet, quo appetitu bonæ voluntatis caret. Quo circa unum ex ſuis membris ei adverſarium immiſit, qui, omnibus quæ habuerat undecunque ſublatis, ad impatientiam ſi poſſet erumpere cogeret, ut deſperans Deo in faciem benediceret. Fuit autem idem adverſarius Hinguar vocabulo dictus, qui cum altero Hubba nomine, ejuſdem perverſitatis homine, niſi divina impediretur miſeratione, conatus eſt in exterminium adducere totius fines Britanniæ. Prædicti iniqui Duces Hinguar & Hubba Nordanhymbrorum primitus aggreſſi expugnare provinciam, gravi depopulatione totam pervagantur ex ordine. Quorum peſſimis conatibus nullus reſiſtere potuit ex provincialibus, quin multabantur merita ſupernæ indignationis ira, agente miniſtro iniquitatis Hubba. Quem præda facta Hinguar reliquit ibi crudelitatis ſocium, & à Boreali parte, Orientali ſubito aſtans cum magna Claſſe, ad ejus quandam Civitatem latenter appulit, quam ignaris Civibus introgreſſus ignibus cremandam dedit. Pueros ſenes cum junioribus in plateis Civitatis obviam fractos ingulat & Matronalem ſeu Virginalem pudicitiam ludibrio tradendam mandat. Maritus cum Conjuge aut mortuus aut moribundus jacebat, in limine infans raptus à Matris uberibus ut major eſſet ejulatus trucidabatur coram Maternis obtutibus. Cumque jam multitudine interfectorum achemeniam rabiem non tantum exſaturaſſet, quantum fatigatus impoſterum detuliſſet, evocat quoſdam Plebeios, quos ſuo gladio credidit eſſe indignos, ac ubi Rex eorum tunc temporis vitam degeret ſolicitus perſcrutator inveſtigare ſtudet. Nam ad eum fama pervenerat, quod idem Rex glorioſus, videl. Eadmundus, florenti ætate & robuſtis viribus bello per omnia eſſet ſtrenuus, & idcirco feſtinabat paſſim neci tradere, quos circumcirca poterat reperire, ne ſtipatus Militum agmine ad defenſionem ſuorum poſſet Rex ſibi reſiſtere, qui morabatur eo tempore ab urbe longius, in Villa quæ lingua eorum Hegeliſdum dicitur, à qua & ſilva vicina eodem nomine vocatur. Exiſtimans impiiſſimus, ut ſe rei veritas habebat, quia quanto ſuus funeſtus ſatelles præoccuparet ad interitum perducere, tanto, ſi dimicandum eſſet, Regius occurſus in exercitu contraheret minus. Dirigit impius Hinguar Dux ad Sanctum Eadmundum, accito uno ex commilitonibus, qui exploret quæ ſit ei ſumma rei familiaris, improviſum, ut contigit, quærens ſubjugare tormentis, ſi ejus nollet obtemperare feralibus edictis. Ipſe cum grandi Comitatu ſuccenturiatus lento pede ſubſequitur, & iniquæ legationis bajulo imperat ut timoris periculo nudus ita incautum adoriatur. *Terra Marique metuendus Dominus noſter Hinguar, inviƈtiſſimus Rex, diverſas Terras ſubjiciendo ſibi armis, ad hujus Provinciæ optatum litus cum multis Navibus hyematurus appulit, atque idcirco mandat ut cum eo antiquos Theſauros & paternas divitias ſub eo regnaturus dividas. Cujus ſi aſpernaris potentiam innumeris legionibus fultam tuo præjudicio & vita indignus judicaberis & regno.* Quo audito Rex Sanctiſſimus alto cordis dolore ingemuit, & directo Nuncio ait. *Omnipotens rerum arbiter teſtis aſſiſtit quod me ſeu vivum ſeu mortuum nullus ſeparabit à charitate Chriſti, cujus in confeſſione Baptiſmatis ſuſcepi annulum fidei, abrenuntiato Satana & omnibus Pompis ejus. Qua abrenuntiatione contigit ut ad laudem & gloriam æternæ Trinitatis tertio mererer conſecrari, delibutus ob compendium perennis vitæ Sanctificati Chriſmatis perunctione. Primo quidem accepta ſtola lavacri ſalutaris: Secundo, per confirmationem exhibitam majuſculo Pontificali ſignaculo: Tertio, ubi noſtra & totius populi communi acclamatione uſus ſum hac*

regni

regni perfunctoria poteſtate. Sicque unguento myſticæ conſecrationis tripliciter irroratus Anglorum rei publicæ decrevi plus prodeſſe quam præeſſe, aſpernando ſubdere colla jugo niſi divino ſervitio. Et ait ad eum qui de conditione regni locuturus ab impiiſſimo Hinguar fuerat miſſus, *Madefactus cruore meorum mortis ſupplicio dignus extiteras, ſed plane Chriſti mei exemplum ſecutus nolo commaculare manus, qui pro ejus nomine paratus ſum occumbere. Ideo veloci gradu rediens feſtinus Domino tuo hæc reſponſa perfer quantocius.* Sanctus vir & Rex Eadmundus vix verba compleverat, & renunciaturus Miles iniquus reſponſa glorioſi Regis ſuo iniquo Domino pedem de domo extulerat, cum ecce obvius iniquiſſimus Judex Hinguar jubet breviloquio ut utatur, illi pandens per omnia arcana Regis ultima, quæ ille dum exequitur, imperat Tyrannus circumfundi omnem turbam ſuorum interius, ſolumque Regem Sanctum teneant, quem ſuis legibus rebellem jam cognoverat. Tunc Sanctus Rex Eadmundus in Palatio ut membrum Chriſti projectis armis capitur, & vinculis arctioribus arctatus conſtringitur, atque innocens ſiſtitur ante impium Ducem, quaſi Chriſtus ante Pilatum præſidem, cupiens ejus ſequi veſtigia, qui pro nobis immolatus eſt hoſtia. Vinctus itaque multis modis illuditur, ac tandem fuſtigatus acri inſtantia perducitur ad quandam arborem vicinam, ad quam religatus flagris diriſſimis diutiſſime vexatur, nec vincitur, ſemper Chriſtum invocando flebilibus vocibus. Quapropter Adverſarii in furorem verſi, quaſi ludendo ad ſignum, eum toto corpore ſagittarum telis confodiunt, multiplicantes acerbitatem cruciatus crebris telorum jactibus, quoniam vulnera vulneribus imprimebant, dum Jacula Jaculis locum dabant. Sicque factum eſt ut ſpiculorum terebratis aculeis circumfoſſus palpitans horreret velut aſper hyricius, aut ſpinis hirtus carduus, in paſſione ſimilis Sebaſtiano egregio Martyri. Cum autem Sanctum Dei Martyrem Eadmundum conſpiceret iniquus Hinguar nec ſic præbere laniſtis aſſenſum, ſed viva voce jugiter inclamantem Chriſtum, lictori mandat protinus ut amputet caput ejus. Ille ſeminecem, cui adhuc vitalis calor palpitabat in tepido pectore, ut vix poſſet ſubſiſtere, avellit cruento ſtipiti feſtinus, avulſumque, retectis coſtarum latebris præ punctionibus crebris, ac ſi raptum eculeo aut ſævis tortum ungulis, jubet caput extendere quod ſemper fuerat inſigne Regali Diademate. Cumque ſtaret mitiſſimus ut aries de toto grege electus, volens felici commercio mutare vitam ſeculo, divinis intentus beneficiis jam recreabatur viſione internæ lucis, qua in agone poſitus ſatiari cupiebat attentius, unde inter verba Orationis quam fudit, eum arrepto pugione ſpiculator uno ictu decapitando hac luce privavit. Sanctus itaque Dei Martyr Eadmundus duodecimo kalendas Decemb. Deo gratiſſimum holocauſtum igne paſſionis examinatus, cum palma victoriæ & corona juſticiæ Rex & Martyr intravit Senatum Curiæ Celeſtis, talique exitu crucis mortificationem, quam jugiter in ſuo corpore Rex pertulit, Chriſti Domini ſui ſecutus veſtigia conſummavit. Ille quidem purus ſceleris, in columna ad quam vinctus fuit, ſanguinem non pro ſe ſed pro nobis flagellorum ſuorum ſigna reliquit; iſte, pro adipiſcenda gloria immarceſcibili, cruentato ſtipite ſimiles pœnas pro ejus amore dedit, ille integer vitæ, ob detergendam rubiginem noſtrorum facinorum, ſuſtinuit benigniſſimus immanium clavorum acerbitatem in palmis & pedibus; iſte, propter amorem nominis Domini, toto corpore gravibus ſagittis horridus, & medullitus aſperitate tormentorum dilaniatus, in confeſſione patienter perſtitit, quam ad ultimum accepta capitali ſententia finivit. Cujus corpus ita truncum & aculeis hirſutum relinquentes, cum ſuo auctore Dani, Miniſtri Diaboli, illud Caput Sanctum, quod non impinguaverat peccatoris oleum, ſed certi Myſterii Sacramentum, in ſilvam, cui vocabulum eſt Haegleſdum, recedentes aſportaverunt, ac inter denſa veprium frutecta longius projectum occuluerunt, id omni ſagacitate elaborantes, ne à Chriſtianis

quos vix paucos reliquerant, ſacratiſſimum corpus Martyris cum capite pro tumulantium modulo honeſtæ traderetur ſepulturæ. Quidam autem Chriſtianæ religionis deliteſcendo interfuit prædicto horribili ſpectaculo, quem ſubtractum, ut credimus, Paganorum gladiis, divina providentia ad manifeſtandum hujus rei indaginem reſervavit, licet omnino ignoraverit quid de capite factum eſſet, niſi quod cum eo carnifices Danos interiorem ſilvam petere conſpexiſſet. Quamobrem quantulacunque reddita Eccleſiis pace, cœperunt Chriſtiani de latibulis conſurgere, diligenti inquiſitione ſatagentes ut caput ſui Regis & Martyris inventum reliquo corpori unirent, & juxta ſuam facultatem cum digno honore reconderent. Siquidem Paganis abeuntibus, & depopulationi quoquo locorum operam dantibus, illud corpus ſanctiſſimum adhuc ſub dio poſitum, facillime eſt repertum in eodem campo ubi Rex occubuit, completo curſu ſui certaminis. Quo, propter antiquam beneficiorum memoriam, & ingenitam Regis clementiam, populi undique gratuito confluentes, cœperunt moeſto animo graviter ferre, quod caruiſſent tanta corporis portione. Quorum animis ſupera inſpiravit benignitas, poſtquam audierunt illius verba utilia, qui tantæ viſioni, ut dictum eſt, particeps aſtiterat, ut collecta plurimorum multitudine quaquaverſum per invia ſilvarum experirentur, ſi ad id loci devenire contingeret, quo viri ſancti caput jaceret. Pro certo etenim omnibus vera ſapientibus inerat, quod alienæ ſectæ cultores invidendo noſtræ fidei ſuſtuliſſent caput Martyris, quod non longius infra denſitatem ſaltus abſcondiſſent, aut vili ceſpite obrutum, aut avibus & feris devorandum. Cumque inito conſilio omnes pari affectu ad id concurrerent, decreverunt ut cornibus vel tubis ductilibus ſinguli contenti eſſent, quatenus circumcirca pervagantes vocibus aut tubarum ſtrepitu ſibi mutuo innuerent, ne aut luſtrata repeterent, aut non luſtrata deſererent. Quod ut factum eſt, res dictu mirabilis & ſeculis inaudita contigit, quippe caput ſancti Regis longius remotum à ſuo corpore prorupit in vocem, abſque fibrarum opitulatione, aut arteriarum præcordiali munere. Veſpillonum ſane more pluribus pedetentim invia perluſtrantibus, cum jam poſſet audiri loquens ad voces ſe invicem cohortantium, & utpote ſocii ad ſocium alternatim clamantium ubi es, illud reſpondebat deſignando locum, patria lingua dicens, *her, her, her,* quod interpretatum latinus ſermo exprimit *hic, hic, hic,* nec unquam eadem repetendo clamare deſtitit, quoad omnes ad ſe perduxit. Palpitabat mortuæ linguæ plectrum infra meatus faucium, manifeſtans in ſe Verbigenæ magnalia, qui rudenti aſellæ humana compegit verba, ut increparet propheticam inſipientiam. Hæc magnalia Chriſtus ſuo conceſſit Martyri primum, & multa poſt alia contulit & confert adhuc, qui vivit in ſecula ſeculorum.

Paſſus eſt autem Sanctus Eadmundus Orientalium Anglorum Rex glorioſiſſimus XII. kalen. Decembris. Anno Chriſti Incarnationis DCCCLXX. Indictione tertia, ſecunda Feria, Luna XXII. Anno ætatis ſuæ XXIX. Anno vero Regni ſui XVI. Et anno etiam XV. Imperii Karoli tertii Auguſti Filii Lodovici Secundi Auguſti. Hoc eſt autem anno V. Adheredi Regis Occidentalium Saxonum.

Sancto Rege ſic martyrizato, proh dolor! Pagani nimium glorıantes, per Merciam item in Orientales Anglos tranſierunt, & ibi in loco qui dicitur Theodforda hyemaverunt, & totam illam regionem ſuo dominio ſubdiderunt, eo quod omnes fortiores & nobiliores ejuſdem gentis una cum ſancto Rege, ſive ante beatum Regem, crudeliter occubuerunt. Eodem quoque anno Dominus Ceolnothus, Archiepiſcopus Doroberniæ, viam univerſitatis adiens, in eadem Civitate in pace Sepultus eſt.

Anno DCCCLXXI. Exoſæ memoriæ Paganorum Exercitus Orientales Anglos deſerens, & Regnum Occidentalium Saxonum adiens, venit ad Villam Regiam quæ dicitur Redinga, in Meridiana Tamenſis fluminis ripa ſitam,

in

bus in eâdem conditione obſides dedit, & juravit nullo modo ſe voluntati eorum contradicere velle, ſed obediens in omnibus eſſet. Anno DCCCLXXV. Sæpe memoratus Paganorum Exercitus Hreopedun deſerens in duas ſe diviſit turmas, cujus altera pars cum Halfdena in Regionem Nordanhymbrorum perrexit, & ibi hyemavit, juxta flumen quod dicitur Tine, & totam Regionem Nordanhymbrorum ſuo ſubdidit dominio: nec non & Pictos & Strecledenſes depopulati ſunt. Altera quoque pars, cum Guthram & Osketello & Anando, tribus Paganorum Regibus, ad locum qui dicitur Grantebriege pervenit, & ibi hyemavit. Eodem anno Aelfredus Rex navali prælio in Mare contra VII naves Paganorum belligeravit, & unam ex eis cepit, cæteris per fugam elapſis. Anno DCCCLXXVI. Paganorum Exercitus nocte clam de Grantebrycge exiens, caſtellum quod dicitur Waerham intravit. Cum quo Aelfredus Rex Occidentalium Saxonum fœdus firmiter pepigit, ea conditione ut ab eo diſcederent. Cui ille Exercitus electos obſides, quantos ſolus nominavit, ſine ulla controverſia dedit, nec non & Sacramentum in omnibus Reliquiis, quibus ille Rex maxime poſt Deum confidebat, juravit; in quibus & ſuper armillam, ſuper quam nec alicui genti prius jurare voluit, ut citiſſime de regno ſuo ſe exiturum eſſe: ſed more ſuo ſolita fallacia utens, & obſides, & juramentum, atque fidem promiſſam non cuſtodiens, nocte quadam fœdere dirupto omnes Equites, quos Rex habebat Occidit, indeque verſus in Domnaniam, ad locum qui dicitur Anglice Exanceaſtra (quæ Civitas in Orientali ripa fluminis Exa ſita eſt) prope Mare Meridianum, ibique hyemavit. Eodem quoque anno Halfdena, Rex illius partis quæ in Nordanhymbris erat, totam regionem ſibimet ſuiſque diviſit, & illam cum ſuo Exercitu coluit.

Rollo cum ſuis anno eodem Normanniam penetravit XV kal. Decembr. Idem Normannorum Dux Rollo, cum in antiqua Britannia, ſive Anglia, hyemaret, militaribus fretus copiis, quadam nocte fruitur viſione, mox futuræ certitudinis. Viſum enim eſt ſibi dormienti, ſupra ſe & Exercitum ſuum ſubito exſurrexiſſe examen apum, ſuoque ſtridore avolare verſus occidentem per Maris medium, terramque petentes inſidere gregatim in frondibus diverſarum arborum, moxque omnem circa regionem quaſi advenientibus congratulantem, aſperſam coloribus variorum florum. Evigilans itaque induſtrius Dux, ſecum primo viſionem tractat, ejuſque ſignificantiam ſapienter ad requiem curſus ſui ſuorumque in eiſdem partibus, ubi apes viderat requieviſſe, conjectat. Pulchreque in hanc ſpem conſortatur, quod tota illa regio ſubitis floribus induebatur. Erat enim hoc quaſi quædam divinæ pietatis evocatio, ut ex Dei munere adepta terra illa mox in Chriſti floreret titulo, variiſque virtutum floribus in vera religione ſua ſuorumque ornaretur ſucceſſio. Advocatis ergo ſuis ſtrenuus Dux edocet ſomnium, illucque totius Claſſis jubet parari curſum. Aſpirat quoque proſpere divina miſeratio, tum neceſſario venti ſpiraculo, tum Maris & Cœli habitu jocundiſſimo ſubeunt Sequanæ hoſtium, optatoque curſu perveniunt ad ipſam Metropolim Rothomagum, fiuntque rebellantium internicies, dedentium vero ſe, & eorum ſocietati conſaventium deſenſio & requies. Amore ergo pacis, potiſſimum autem prælii tædio allecto Francorum Rege, impellenteque hinc gratia illinc violentia, facta eſt tota regio illa Ducis ſuorumque Normannorum Dominica, ut eam ſcilicet ſuis uſibus poſſiderent, & in Regis Francorum fidelitate eam ſibi recognoſcerent, & deſervirent. Suſcepta itaque tota monarchia illa, redit inclitus Dux Rothomagum, deſtructum ejus relevat murum, reparat propugnacula, foſſaque & turribus ejus ambit mœnia. Interea frequentius accerſito ad colloquium ſuum ejus Archiepiſcopo Francone, venerabilis vitæ viro, divinæ Religionis inſtruitur documento; & ſuper talibus paulatim cœpit delectari, interius inſpirante Spiritu Sancto. Abluitur tandem,

Asser's life

dem, eodem Pontificante, divinæ Regenerationis Sacramento in agnitionem Dei, ejuſque exemplo omnis exercitus ejus eodem modo Chriſto regeneratus in albis candeſcit, fidei inſiſtit. Deinde Chriſtianæ fidei amator glorioſus Dux in combuſtis Eccleſiis & Monaſteriis reparandis in Chriſti honore, ſanctorumque corporibus referendis, quæ ſua ſuorumque hoſtili ablata fuerant formidine, relataque ad ſua ampliori relocavit cultu & reverentia; ſummo enim ſtudio uſus eſt & diligentia circa ſanctorum reliquias devotius recondendas, adhibitis in eorum famulitio Clericis vel Monachis, prout didicerat quoſque fuiſſe in ſingulis ſanctorum locis. Terras etiam, non ſolum eas quæ ex antiquo eis adiacebant, verum plures ſuperaddidit, ut eos interceſſores haberet apud Deum, qui eos ſibi ſanctificavit. Omnibus itaque recte curatis verus Chriſticola, ut pius Pater omnibus pie præfuit. Ipſo anno hoc Lodwicus Rex, Filius Lodwici Imperatoris, obiit. Item ipſo anno Karolus Italiam ingreditur, & eandem terram per aliam viam Karlomannus intravit. Inde Karolus Tertius fugit, & in eodem itinere mortuus. Anno DCCCLXXVII. Item Exercitus Paganorum Werham deſerens, partim equitando, partim navigando; ſed cum pervenerunt ad locum, qui dicitur Swanawic, perierunt CXX è navibus; equeſtrem vero exercitum Rex Alfredus inſequens, quouſque venit ad Exanceſtram, ibi accepit obſides & juramentum ab eo, ut cito diſceſſurus erat. Ipſo anno, menſe Auguſto, ille exercitus perrexit in Merciam, & illam regionem Merciorum partim dedit Ceolwlfo cuidam inſipienti, Regis Miniſtro, partim inter ſe diviſit. Anno DCCCLXXVIII. Magnus Paganorum Exercitus Danorum, ſive Nordmannorum, poſt Theophaniam, latenter Cippanham Villam Regiam adiit, quæ eſt ſita in ſiniſtrali parte Pagæ Wiltunenſis, in Orientali ripa fluminis Abon, & ibi hyemavit, & multos ejuſdem Occidentalium Saxonum gentis ultra mare compulit hoſtili vi, ut pro penuria atque pavore navigarent & abdicarent ſe in Oceano. Et maxima ex parte omnes illius regionis habitatores ſuo ſubdiderunt dominio. Eodem tempore Alfredus ſæpe ſupra memoratus, Rex Occidentalium Saxonum, cum paucis ſuis Nobilibus, & etiam cum quibuſdam Militibus & Vaſſallis, per ſilveſtria & gronnoſa Sumertunenſis Pagæ loca, in magna tribulatione & anguſtia inquietam vitam ducebat. Nihil enim habebat quo uteretur, niſi quod à Paganis, & etiam à Chriſtianis, qui ſe Paganorum ſubdiderant dominio, frequentibus irruptionibus aut clam aut etiam palam ſubtraheret. Et, ut in vita Sancti Patris Neoti legitur, diu latebat apud quendam ſuum vaccarium. Contigit autem die quadam ut Ruſtica, uxor videlicet illius vaccarii, pararet ad coquendum panes, & ille Rex ſedens ſic contra focum, præparavit ſibi arcum & ſagittas, & alia bellorum inſtrumenta. Cum vero panes ad ignem poſitos ardentes aſpexit illa infelix mulier, feſtinanter currit & amovit eos, increpans Regem invictiſſimum & dicens, *heus homo,*

Urere quos cernis panes girare moraris,
Cum nimium gaudes hos manducare calentes?

Mulier illa infauſta minime putabat illum eſſe Regem Alfredum, qui tot bella geſſit contra Paganos, tantaſque victorias accepit de eis. Non ſolum autem eidem glorioſo Regi victorias de inimicis, & proſperitatem in adverſis conferre Dominus dignatus eſt, verum etiam ab hoſtibus fatigari, adverſitatibus affligi, deſpectu ſuorum deprimi, multotiens eum idem benignus Dominus permiſit, ut ſciret quoniam, *unus eſt omnium Dominus, cui curvatur omne genu, cujus in manu corda ſunt Regum. Qui ponit de ſede potentes & exaltat humiles,* qui ſuos fideles in ſumma proſperitate poſitos flagellis adverſitatum vult aliquando tangi, ut depreſſi de Dei miſericordia non deſperent, & exaltati de honore non ſuperbiant. Sed etiam ſciant cui debent omnia quæ habent. Quam ſiquidem adverſitatem, præfato Regi illatam, non immerito ei eveniſſe credimus, quia in primo tem-

in illa Paga quæ dicitur Bearrocſcire, tertioque adventus ſui ibidem die Comites eorum cum magna illius parte in prædam equitaverunt, aliis vallum inter duo flumina Tamenſem & Kynetan à dextrali parte ejuſdem Regiæ Villæ facientibus, quibus Adhelwlfus Bearroccenſis Pagæ Comes cum ſuis Sodalibus, in loco qui dicitur Englafeld, obviavit, & animoſe ex utraque parte ibidem pugnatum eſt. Cumque ibi diu utrique reſiſterent, altero Paganorum Comite occiſo, & maxima Exercitus parte deleta, cæteriſque fuga elapſis; Chriſtiani victoriam accipientes loco funeris dominati ſunt. His ibi ita geſtis, poſt quatuor dies Adheredus Rex Occidentalium Saxonum, & Ælfredus frater ejus, adunatis viribus, congregato Exercitu, Readingum adierunt. Cumque uſque ad Portam arcis perveniſſent, cedendo & proſternendo quoſcunque de Paganis extra arcem inveniſſent: Pagani non ſegnius certabant, lupino more totis viribus bellum perquirunt, ibique diu & atrociter ex utraque parte dimicatum eſt. Sed heu proh dolor! Chriſtianis demum terga vertentibus, Pagani victoriam accipientes loco funeris dominati ſunt. Ibique Adhelwlfus præfatus Comes inter cæteros occubuit, quo dolore & verecundia Chriſtiani commoti, iterum poſt quatuor dies contra præfatum Exercitum, in loco qui dicitur Æſceſdum, quod latine Mons Fraxim interpretatur, totis viribus & plena voluntate ad prælium prodeunt. Sed Pagani in duas ſe turmas dividentes æquali lance teſtudines parant. Habebant enim tunc duos Reges & multos Comites, concedentes mediam partem Exercitus duobus Regibus & alteram omnibus Comitibus, quod Chriſtiani cernentes etiam & ipſi Exercitum in duas turmas ſimiliter dividentes, teſtudines non ſegnius conſtruunt. Sed Aelfredus citius & promptus cum ſuis, ſicut ab his qui viderunt veredicis referentibus audivimus, ad locum prælii advenit nimirum, erat enim adhuc ſuus frater Adheredus Rex in tentorio in oratione poſitus, audiens Miſſam & nimium affirmans ſe inde vivum non diſceſſurum, antequam Sacerdos Miſſam finiret, & divinum pro humano nolle deſerere ſervitium. Et ita fecit. Quæ Regis Chriſtiani fides multum apud Deum valuit, ſicut in ſequentibus apertius declarabitur. Decreverant ergo Chriſtiani ut Adheredus Rex cum ſuis copiis contra duos Paganos Reges ſumeret prælium, Aelfredus vero ſuus frater cum ſuis cohortibus contra omnes Paganorum duces belli ſortem ſumere debere ſciret. Quibus ita firmiter ab utraque parte diſpoſitis. Cum Rex in oratione diutius moraretur, & Pagani parati ad locum certaminis citius adveniſſent, Aelfredus tunc ſecundarius, cum diutius hoſtiles acies ferre non poſſet, niſi aut bello retrorſum recederet, aut contra hoſtiles copias ante fratris adventum in bellum prorumperet, tamen quamvis Rex adhuc non venerat, copias dirigens, divino fretus conſilio & adjutorio, fultus teſtudine ordinabiliter condenſata, confeſtim contra hoſtes vexilla movet; ſed hoc loco neſcientibus intimandum eſt, quod ille locus certaminis belligerantibus inæqualis erat. Nam Pagani editiorem locum præoccupaverant, & Chriſtiani ab inferiori loco aciem dirigebant. Erat quoque in eodem loco unica ſpinoſa arbor, brevis admodum, quam nos ipſi noſtris propriis oculis vidimus. Circa quam ergo hoſtiles inter ſe acies cum ingenti omnium clamore, illi perperam agentes, iſti pro vita & dilectis atque Patria pugnaturi, hoſtiliter conveniunt. Cumque aliquamdiu animoſe & nimium atrociter hinc inde utrique pugnarent, Pagani divino judicio Chriſtianorum impetum diutius non ferentes, maxima ſuarum copiarum parte occiſa, opprobrioſam fugam cepere: quo in loco alter de duobus Paganorum Regibus & v. Comites occiſi occubuerunt, & multa millia Paganæ gentis in eodem loco, & inſuper per totam campeſtrem latitudinem ubique diſperſa, longe lateque occiſi corruerunt. Cecidit ergo illic Beagſecg Rex, & Sidroc ille Senex Comes, & Sidroc Junior Comes, & Osbearnus Comes, & Freano Comes, & Haroldus Comes, & totus Paganorum Exercitus in fugam

gam verſus eſt uſque ad noctem, & etiam uſque ad diem ſequentem, quo uſque ad Arcem qui evaſerant pervenerunt. Quos Chriſtiani uſque ad noctem perſecuti ſunt, & ubique proſternentes. His ibi ita geſtis iterum poſt XIV dies Adheredus Rex, una cum fratre ſuo Aelfredo, adunatis viribus contra Paganos pugnaturi, Baſengas adierunt, quibus hinc vel inde hoſtiliter convenientibus & diu reſiſtentibus, Pagani victoriam accipientes, & loco funeris dominati ſunt. Quo prælio peracto de ultra-Marinis partibus alius Paganorum Exercitus ſocietati ſe adjunxit.

Et eodem anno poſt Paſcha Adheredus Rex præfatus, regno quinque annis per multas tribulationes ſtrenue ac honorabiliter cum bona fama gubernato, viam univerſitatis adiens, in Winburnham Monaſterio ſepultus adventum Domini & primam cum juſtis reſurrectionem expectat. Eodem anno Alfredus ſæpe ſupra memoratus, qui uſque ad id temporis viventibus fratribus ſuis, ſecundarius fuerat, totius regni gubernacula, divino concedente nutu, cum ſumma omnium illius regni accolarum voluntate, confeſtim fratre defuncto ſuſcepit. Quod etiam, vivente fratre ſuo, ſi dignaretur accipere, facillime conſenſu omnium poterat invenire, nempe quia & ſapientia & cunctis moribus bonis cunctos fratres ſuos præcellebat, & inſuper eo quod nimium bellicoſus & victor prope in omnibus bellis erat. Cumque regnaret quaſi invitus, uno menſe non jam impleto, divino fultus auxilio contra univerſum Paganorum Exercitum, in loco qui dicitur Wiltum, qui eſt in Meridiana ripa fluminis Wili, de quo flumine tota illa Paga nominatur, cum paucis & nimium inæquali numero acerrime belligeravit, & cum hinc inde utrique hoſtiliter & animoſe non parva diei parte pugnarent, Pagani ad integrum ſuum periculum propriis ſuis conſpectibus cernentes & hoſtium infeſtationem diutius non ferentes, terga in fugam verterunt: ſed proh dolor! paucitatem perſequentium deſpicientes iterum in prælium prodeunt, & victoriam capientes loco funeris dominati ſunt. Nec hoc cuiquam mirabile videatur, quoniam Chriſtiani tam parvum in prælio numerum habebant, erant enim Saxones vel Angli maxima ex parte in eodem uno anno VIII contra Paganos præliis populariter attriti, in quibus VIII præliis unus Rex Paganorum & IX. Duces cum innumeris cohortibus occiſi periere, exceptis quotidianis & nocturnis irruptionibus innumerabilibus, quas Aelfredus ſæpe memoratus, & ſinguli Duces illius gentis cum ſuis, etiam perplures Miniſtri Regis, contra Paganos infatigabiliter ſtudioſe exercebant. In quibus frequentiſſimis irruptionibus quot millia Paganæ expeditionis occiſa perierunt, niſi ſoli Deo, incognitum eſt. Exceptis his qui in VIII ſupra memoratis præliis trucidati ſunt. Eodem quoque anno Occidentales Saxones cum iiſdem Paganis, ea conditione ut ab eis diſcederent, pacem pepigerunt, quod & impleverunt.

Anno DCCCLXXII. Præfatus Paganorum Exercitus Londoniam adiit, & ibi hyemavit, cum quo Merci pacem pepigerunt.

Anno DCCCLXXIII. Memoratus Paganorum Exercitus Londoniam deſerens in Nordanhymbrorum regionem perrexit, & ibi hyemavit, in loco qui dicitur Turkeſige, cum quo iterum Merci pacem pepigerunt. Anno DCCCLXXIII. Sæpe dictus Paganorum Exercitus Lindiſig deſerens Merciam adiit, & hyemavit in loco qui dicitur Hreopedun, Burgoredum quoque Merciorum Regem regnum ſuum deſerere, & ultra Mare exire, & Romam adire contra voluntatem ſuam coegit XXII. Regni ſui anno, qui, poſtquam Romam adierat, non diu vivens ibi defunctus eſt, & in Schola Saxonum ſive Anglorum in Eccleſia Sanctæ Mariæ honorifice ſepultus, adventum Domini & primam cum juſtis reſurrectionem expectat. Pagani quoque poſt ejus expulſionem totum Merciorum regnum ſuo dominio ſubdiderunt, quod tamen miſerabili conditione cuidam inſipienti Miniſtro Regis, cujus nomen erat Ceolwlfus, eodem pacto cuſtodiendum commendaverunt, ut qualicunque die illud vellent habere, iterum pacifice illis aſſignaret, quibus

tempore Regni ſui, cum adhuc iuvenis erat, animo juveniſi detentus fuerat. Homines ſui regni ſibique ſubjecti, qui ad eum venerant, & pro neceſſitatibus ſuis eum requiſierant, & qui depreſſi poteſtatibus erant, ſuum auxilium ac patrocinium implorabant, ille vero noluit eos audire, nec aliquod auxilium eis impendebat, ſed omnino eos nihili pendebat. Quod beatiſſimus Vir Neotus adhuc vivens in carne, qui erat cognatus ſuus, intimo corde doluit, maximamque adverſitatem ob hoc ei venturam ſpiritu prophetico plenus prædixit. Sed ille & piiſſimam viri Dei correptionem parvi pendebat,& veriſſimam ejus Prophetiam non recipiebat. Quia igitur quicquid ab homine peccatur, aut hîc aut in futuro, neceſſe eſt ut quolibet modo puniatur, noluit verus ac pius Judex illam Regis inſipientiam eſſe inpunitam in hoc ſeculo, quatenus illi parceret indiſtricto Judicio. Quare ergo idem ſæpe dictus Alfredus, in tantam miſeriam ſæpius incidit, ut nemo ſubjectorum ſuorum ſciret ubi eſſet, vel quo deveniſſet. Verumtamen in maximis neceſſitatibus ac periculis ei poſito Beatus Neotus ſæpe apparuit, conſolans eum ac prædicens eum bene ſuperaturum omnia mala ſibi inſtantia. Eodem anno frater Hynguari & Healſdenæ, cum XXIII. navibus de Demetica regione in qua hyemaverat, poſt multas ibi Chriſtianorum ſtrages factas, ad Domnaniam enavigavit, & ibi à miniſtris Regis cum mille ducentis infelici exitu perperam agens occiſus eſt ante arcem Cynuit; quia in eadem arce multi Miniſtri Regis cum ſuis ſe concluſerant, confugii cauſa. Sed cum Pagani arcem inparatam, atque omnino inmunitam, niſi quod mœnia noſtro more erecta ſolummodo haberet, cernerent; non enim effringere moliebantur, (quia & ille locus ſitu terrarum tutiſſimus eſt ab omni parte niſi ab Orientali,) obſidere eam cœperunt, putantes homines illos manum cito daturos, fame & ſiti & obſidione coactos, quia nulla aqua illi arci contigua eſt. Quod non ita ut putabant evenit. Nam Chriſtiani antequam talem penuriam omnino ſubire paterentur divinitus inſtigati, multo melius judicantes aut mortem aut victoriam mereri, diluculo ſuper Paganos ex improviſo irrumpunt, & prima hora hoſtes hoſtiliter cum Rege ſuo maxima ex parte, paucis ad naves per fugam elapſis, proſternunt, ibique acceperunt ſpolia non minima, in quo etiam acceperunt illud vexillum quod Reafun nominant. Dicunt enim quod tres ſorores Hinguari & Aubbæ, filiæ videlicet Lodebrochi, illud vexillum texuerunt, & totum paraverunt illud uno meridiano tempore. Dicunt etiam, quod in omni bello ubi præcederet idem ſignum, ſi victoriam adepturi eſſent, appareret in medio ſigni quaſi corvus vivus volitans: ſi vero vincendi in futuro fuiſſent, penderet directe, nihil movens. Et hoc ſæpe probatum eſt. Anno eodem poſt Paſcha, Alfredus Rex cum paucis adjutoribus fecit arcem, in loco qui dicitur Aethalingaeig, & de ipſa arce ſemper cum nobilibus Vaſallis Sumurtunenſis Pagæ contra Paganos infatigabiliter rebellavit. Iterum in Hebdomada VII poſt Paſcha, ad petram Egcbrichti, quæ eſt Orientali parte ſaltus, qui dicitur Salwdu, Latine autem Silva magna, equitavit; ibique obviaverunt illi omnes accolæ Hantunenſis Pagæ, qui non ultra mare propter metum Paganorum navigârent, viſoque Rege, ſicut dignum erat, quaſi redivivum poſt tantas tribulationes recipientes, inmenſo repleti ſunt gaudio, & ibi Caſtra metati ſunt una nocte: diluculo ſequenti illuceſcente, Rex inde Caſtra commovens, venit ad locum qui dicitur Iglea, & ibi una nocte Caſtra metatus eſt. Nocte illa, cum ſe ſopori dediſſet, apparuit ei quædam effigies in ſpeciem Sancti Neoti, quondam ejus familiaris amici & propinqui, ammonuitque ut *omnem terrorem & metum Barbarorum abjiceret, ne in deſperationem incideret propter multitudinem eorum, quia Dominus in craſtinam viſitaturus eſſet eum & Plebem ſuam, & quia propter arrogantiam ſuam quam habuit in Juventute, omnia illa adverſa ſibi ſuſtinenda fuiſſent.* Et adjecit. *Cras præcedam tota die ante vexilla tua, ut ſecurius dimices contra hoſtes tuos,*

nihil

nihil timens; & ſcias quia Dominus Omnipotens pugnat pro te, & pro populo tuo. Statimque Rex ſomno excitus lætiſſimus effectus eſt de Angelica Viſione. Mane illuceſſente vexilla commovens inde, ad locum qui dicitur Ethandun, & contra univerſum Paganorum Exercitum venit, cum denſa teſtudine atrociter belligerans, animoſeque diu perſiſtens, divino nutu tandem victoria potitus, Paganos maxima cæde proſtravit, & fugientes uſque ad arcem percutiens perſecutus eſt, & omnia quæ extra arcem invenit, homines ſcilicet & equos & pecora, confeſtim cædens homines, ſurripuit, & ante portas Paganicæ arcis cum omni exercitu ſuo viriliter caſtra metatus eſt. Cumque ibi per xiv dies remoraretur, Pagani fame, frigore, timore perterriti, & ad extremum deſperatione percuſſi pacem ea conditione petiverunt, ut Rex nominatos Obſides quantos vellet ab eis acciperet, ille nullum eis daret, ita vero qualiter nunquam cum alio aliquo Rege vel Principe pacem ante pepigerant. Quorum Legatione audita, Rex ſuatim utens conſilium, miſericordia motus nominatos quantos voluit Obſides ab eis accepit. Quibus acceptis Pagani inſuper juraverunt ſe citiſſime de ſuo regno exituros; necnon & Gythram Rex eorum Chriſtianitatem ſubire, & Baptiſmum ſub manu Alfredi Regis accipere promiſit. Quæ omnia ille & ſui, ut promiſerant, impleverunt. Nam poſt tres hebdomadas Guthram Paganorum Rex, cum triginta electiſſimis de Exercitu ſuo viris, ad Alfredum Regem prope Aethelinga-ege, in loco qui dicitur Alre, pervenit, quem Alfredus Rex in filium adoptionis ſibi ſuſcipiens de Fonte Sacro Baptiſmatis elevavit; cujus chriſmatis ſolutio viii die in villa Regia, quæ dicitur Wedmore, fuit. Qui poſtquam Baptizatus fuit xii noctibus cum Rege manſit. Cui Rex cum ſuis omnibus multa & optima ædificia largiter dedit. Anno dccclxxix indictione xii. Non. Octob. præcellentiſſimus Imperator Karolus ſanctæ recordationis, inſigniſque memoriæ temporalem finiens curſum, feliciter, ut credimus, ad gaudia migravit æterna. Hic ſiquidem fuit Sereniſſimi Auguſti Hludovici filius, ac nepos glorioſiſſimi Cæſaris ejuſdem nominis Karoli. Eodem anno Eclipſis Solis inter nonam & veſperam, ſed propius nonam facta eſt, ipſoque anno obiit Hlodovicus Rex Occidentalium Francorum, frater Judittæ Reginæ Adhelwlfi Regis Anglorum. Eodem vero anno præfatus Paganorum Exercitus de Cyppanhame ut promiſerat conſurgens, Cyrenceaſtram adiit, quæ eſt in Meridiana parte Hwicciorum ſita, ibique per unum annum manſit. Et eodem anno magnus Paganorum Exercitus de ultra-Marinis partibus venit, navigans in Tamenſem fluvium, & adunatus eſt ſuperiori exercitui, ſed tamen hyemavit in loco qui dicitur Fullanham, juxta flumen Tamenſis, Lodwicus Rex Saxonum, adhuc fratre ſuo Karlomanno vivente, Bawariam ingreditur. Anno dccclxxx. Sæpe memoratus Paganorum Exercitus Cyrenceaſtre deſerens ad Orientales Anglos perrexit, ipſamque Regionem dividens cœpit inhabitare. Eodem anno Paganorum Exercitus, qui in Fullanhamme hyemavit, Angliam deſerens, iterum ultra mare navigans ad Orientalem Franciam perrexit, & per unum annum in loco qui dicitur Gaent manſit. Anno dccclxxxi. Initium belli Francorum contra Paganos, finitoque prælio Pagani equis inventis equites facti ſunt. Anno dccclxxxii. Lodovico Filio Lodwici Regis primum exeunte ad pugnam, Deoque donante, potiti ſunt victoriam, & pars innumerabilis eorum maxima cecidit. Anno dccclxxxiv. Sedes Normannorum in Duisburg. Anno dccclxxxv. Paganorum Exercitus diviſit ſe in duas turmas, una etenim turma in Orientalem Franciam perrexit, & altera ad Angliam veniens Cantiam adiit, Civitatemque, quæ Hroſeſceaſtra dicitur, in Orientali ripa fluminis Medowege ſitam, obſedit: ante hujus portam Pagani Caſtellum ſibimet firmum ſubito fabricaverunt, ſed tamen non potuerunt expugnare Civitatem, quia Cives illi ſe viriliter defenderunt, quouſque Aelfredus Rex ſupervenit cum magno exercitu adjutorium illis conferens, Pagani vero relicta

relicta arce ſua, & omnibus equis quos de Francia ſecum adduxerant derelictis, maxima parte & Captivorum ſuorum in arce dimiſſa, adveniente ſubito Rege, ad naves ſuas confeſtim confugiunt. At Angli ſtatim diripiunt captivos & equos à Paganis derelictos. Pagani itaque magna neceſſitate compulſi eadem æſtate iterum Franciam adierunt. Eodemque anno Karlomannum Regem Occidentalium Francorum, Aprorum venationem agentem ſingulari congreſſione, horrendo dente Aper dilacerans miſerabili funere percuſſit. Cujus frater Hlodwicus ſuperiori anno defunctus eſt, qui & ipſe erat etiam Francorum Rex. Ipſi etenim ambo Filii Hlodwici Regis Occidentalium Francorum erant, qui etiam Hlodwicus ſupra memorato anno quo Eclipſis Solis eſt facta defunctus eſt. Ipſe quoque Hlodwicus Filius Karoli Francorum Regis erat. Cujus Filiam Judittam Adhelwlfus Occidentalium Saxonum Rex ad Reginam ſibi voluntate ſuſcepit. Eodem anno Karolus Alamannorum Rex, Occidentalium Francorum regnum, & omnia regna quæ ſunt inter Mare Tyrrhenum, & illum Maris ſinum, qui inter antiquos Saxones & Gallos adjacet, voluntario omnium conſenſu accepit abſque Armoricano Regno, id eſt, minori Britannia. Lidwicus qui Karolus Hlodwici Regis Filius fuit. Ipſe vero Hlodwicus Germanus Karoli Regis Francorum, Patris videlicet Judittæ Reginæ prædictæ, erat, qui etiam duo Germani fuerunt Filii Lodwici. Hlodwicus vero ille Filius Karoli magni, & antiqui atque ſapientiſſimi, qui etiam fuit Filius Pipini. Eodem anno beatæ memoriæ Marinus Papa univerſitatis viam migravit, qui Scholam Anglorum in Roma conſiſtentem, pro amore & deprecatione Alfredi Occidentalium Saxonum Regis, ab omni Tributo & Theloneo benigne liberavit. Qui etiam multa dona prædicto Regi illa vice tranſmiſit, inter quæ etiam non parvam illius Sanctiſſimæ Crucis partem, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro univerſali hominum ſalute pependit. Anno DCCCLXXXVI. Alfredus Rex Occidentalium Saxonum, poſt incendia urbium ſtrageſque Populorum, Lundoniam Civitatem honorifice reſtauravit, & habitabilem fecit, quam genero ſuo Adheredo Merciorum Comiti commendavit ſervandam; ad quem Regem omnes Angli, Merci, Cantuarii, Auſtrales & Occidentales Saxones, qui prius ubique diſperſi fuerant aut cum Paganis ſub Captivitate erant, voluntarie reverterunt, & ſuo dominio ſe ſubdiderunt. Karolus Tertius Imperator Filius Hlodwici Regis Noricorum ſive Bajoariorum, hoc tempore vidit viſionem, quam ita ut hic conſtat, ſcriptam referebat dicens. Ego Karolus gratuito Dei dono Rex Germanorum, & Patricius Romanorum, atque Imperator Francorum, ſacra nocte Dominicæ diei, poſt celebratum nocturnarum horarum officium, dum irem repauſationis Cubitum, & vellem dormitionis carpere ſomnum, venit vox ad me terribiliter dicens. Karole, exiet modo Spiritus tuus à te, & venies & videbis juſta Dei judicia, & tibi aliqua præſagia, & tamen revertetur ad te iterum ſpiritus tuus in hora non modica. Statimque fui raptus in Spiritu, & qui me ſuſtulit candidiſſimus fuit, tenuitque manu ſua glomerem lineum clariſſimi jubar luminis emittentem, ſicut ſolent facere Cometæ quando apparent, cœpitque illum diſſolvere, & dixit ad me. Accipe filum glomeris micantis, & liga ac noda firmiter in pollice tuæ manus dexteræ, quia per illum duceris in Laberintheas infernorum pœnas, & hoc dicto præceſſit me velociter diſtorquens lucifluum glomus, duxitque me in profundiſſimas valles & igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus Pice, & Sulphure, Plumbo, Cera, & Adipe. Ubi inveni Pontifices Patris mei & Avunculorum meorum. Quos cum pavens interrogarem ob quid paterentur tam gravia tormenta, reſponderunt mihi. Fuimus Epiſcopi Patris tui & Avunculorum tuorum, & dum debuimus illos & Populum de Pace & Concordia admonere, & prædicare; ſeminavimus diſcordias, & incenſores Malorum fuimus, unde nos incendimur in iſtis Tartareis ſuppliciis; & nos & alii homicidiorum

& Rapinarum amatores. Huc etiam & tui Epiſcopi, & Satellitum populi venient, qui ſimiliter amant nunc facere. Et dum hæc tremebundus auſcultarem, ecce nigerrimi Dæmones advolantes cum uncinis igneis volebant apprehendere filum glomeris, quem in manu tenebam, & ad ſe trahere, ſed reverberantibus radiis illius glomeris non valebant filum contingere. Deinde poſt tergum meum currentes voluerunt me aduncinare, & in ipſos Puteos ſulphureos præcipitare: ſed Ductor meus qui portabat glomerem, jactavit ſuper Scapulas meas filum glomeris, & duplicavit illum, traxitque me poſt ſe fortiter, ſicque aſcendimus ſuper montes altiſſimos igneos de quibus oriebantur Paludes & flumina ferventia, & omnia metallorum genera bullientia. Ubi reperi innumeras animas hominum & principum Patris mei, & fratrum eorum & meorum præcipitatas, alias uſque ad Capillos, alias uſque ad Mentum, alias uſque ad Umbilicum. Clamaveruntque ad me ejulando. Dum viximus, amavimus tecum & cum patre tuo & cum fratribus tuis, & cum Avunculis tuis facere prælia, & homicidia, & rapinas pro cupiditate terrena: ideoque in iſta bullientia flumina & metallorum diverſa genera ſuſtinemus tormenta, & cum ad hæc timidus intenderem, audivi retro me animas clamare, *Potentes potenter tormenta patiuntur*. Et reſpexi, & vidi ſuper ripas fluminis bullientis Fornaces Piceas & Sulphureas, plenas magnis Draconibus & Scorpionibus, & Serpentium diverſis generibus. Ubi etiam vidi aliquos Patris mei Principes, & meos, & Fratrum meorum, necnon & Avunculorum meorum dicentium ad me. Heu! nobis Karole! vides quam gravia habemus tormenta propter noſtram malitiam & ſuperbiam & mala conſilia, quæ Regibus noſtris & tibi dedimus propter rem cupiditatis. Cumque hæc dolenda congemiſcerem, concurrerunt contra me Dracones apertis & plenis faucibus igne & Sulphure & Pice volentes me inglutire. At Ductor meus triplicavit ſuper me enixius filum Glomeris, à cujus claritatis radiis ſuperata ſunt ora illorum ignea, & protraxit me validius, & deſcendimus in unam maximam vallem, quæ erat ex una parte tenebroſa, ardens velut clibanus ignis, ex alia vero parte tam amœniſſima & ſplendidiſſima, ut nulla ratione dicere valeam. Vertenſque me contra tenebroſam & flammivomam partem, vidi ibi aliquos Reges mei generis eſſe in magnis ſuppliciis, & tunc nimis conſtrictus anguſtia, putavi me ſtatim demergi in ipſis ſuppliciis à Gigantibus nigerrimis, qui ipſam vallem inflammabant cunctis generibus ignium. Et valde tremens filo Glomeris illuminante oculos meos vidi è latere vallis pauliſper albeſcere lucem, ibique duos Fontes fluere, unus nimium calidus, alter vero tepidus & clarus, & erant ibi duo dolia. Cumque illuc irem, filo glomeris regente greſſus meos, intuitus ſuper unum dolium, ubi erat fervens aqua, vidi ibi ſtare genitorem meum Hlodwicum uſque ad femora, nimioque dolore perculſus ſum & angore aggravatus, dixit autem ad me. Domine meus Karole, noli timere, ſcio quia rurſus revertetur Spiritus tuus ad Corpus tuum, & permiſit te Deus huc venire, ut videres propter quæ peccata ego talia & omnes quos vidiſti toleramus ſupplicia. Uno enim die ſum in iſto ferventis balnei dolio, ſed alia die tranſmutor in iſto altero ſuaviſſimæ aquæ dolio, hocque fit precibus Sancti Petri, Sanctique Remigii, cujus Patrociniis hactenus genus noſtrum Regale regnavit. Sed ſi mihi ſubveneris cito tu & mei fideles Epiſcopi & Abbates, & omnis Ordo Eccleſiaſticus in Miſſis, Oblationibus, Pſalmodiis, Vigiliis, Orationibus & Eleemoſinis, velociter liberatus ero de iſto Bullientis aquæ dolio. Nam Frater meus Hlotharius, & Filius ejus Hlodwicus, interceſſionibus Sancti Petri Sanctique Remigii, exempti ſunt de iſtis pœnis, etiam deducti ſunt in gaudium Paradiſi Dei. Dixitque mihi, reſpice ſiniſtrorſum. Cumque reſpexiſſem, vidi ibi duo altiſſima dolia bullientia. Iſta inquit tibi ſunt præparara, niſi te emendaveris & pœnitentiam egeris de tuis nefandis delictis. Cœpi igitur graviter horrere.

rere. Cumque cerneret comes meus in tanto pavore eſſe ſpiritum meum, dixit ad me. Sequere me ad dexteram partem luculentiſſimæ vallis Paradiſi, & gradientibus nobis, contemplatus ſum ingenti claritate cum glorioſis Regibus ſedere Hlotharium meum Avunculum ſuper Lapidem Topazion miræ magnitudinis, Coronatum Diademate pretioſiſſimo, & juxta eum Hlodwicum filium ejus ſimiliter Corona ornatum; videnſque me cominus accerſivit me blanda voce dicens, Karole Succeſſor meus nunc tertius Imperio Romanorum, veni ad me. Sapio quoniam veniſti per pœnalem locum, ubi eſt Pater tuus Fraterque meus poſitus in thermis ſibi deſtinatis; ſed per miſericordiam Dei citiſſime de illis liberabitur pœnis, ſicut & nos liberati ſumus meritis Sancti Petri, & precibus beati Remigii, cui Deus magnum Apoſtolatum dedit ſuper Reges, & ſuper omnem gentem Francorum. Qui niſi quiſquilias noſtræ propaginis ſuffragatus fuerit & adjuverit, jam deficiet noſtra Genealogia regnando & imperando. Unde ſcito quoniam modernis tolletur ocius diebus poteſtas Imperii de manu tua, & poſtea parviſſimo vives tempore. Tunc converſus Hlodwicus contra me dixit mihi, Imperium Romanorum, quod hactenus tenuiſti jure hæreditario, debet recipere Hlodwicus filius filiæ meæ, & hoc dicto viſum eſt mihi affore impræſentiarum Hlodwicum infantulum. Quem contuens Hlotharius avus illius dixit mihi. Talis videtur iſte eſſe Infans qualis ille fuit, quem ſtatuit Dominus in medio Diſcipulorum & dixit. *Talium eſt,* inquit, *Regnum Cælorum. Dico vobis quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in Cœlis eſt.* Tu vero redde illi poteſtatem Imperii per illud filum glomeris quem in manu tenes. Diſnodans itaque filum de pollice manus meæ dexteræ, donabam illi omnem Monarchiam Imperii per ipſum filum; ſtatimque ipſum glomus fulgidum ſicut jubar ſolis coadunatum eſt totum in manu illius. Sicque poſt hoc factum mirabile viſu reverſus eſt ſpiritus meus in corpus meum, valde feſſus & contritus. Denique ſciant omnes velint aut nolint, quoniam ſecundum deſtinationem Dei in manu illius revertetur totum Imperium Romanorum, & quod ſuper illum non prævaleam agere, præripiente me articulo meæ vocationis. Deus qui vivorum Dominator & mortuorum eſt, illud perficiet & adimplebit, cujus æternum Regnum & ſempiternum Imperium permanet ſine fine in Secula Seculorum, AMEN.

Anno DCCCLXXXVII. Karolus Imperator viam univerſitatis adiit, ſed Arnulfus filius fratris ſui ſexta antequam defunctus eſſet Hebdomada illum Regno expulerat. Quo ſtatim defuncto quinque Reges ordinati ſunt, & regnum in quinque partibus conſciſſum eſt, ſed tamen principalis ſedes regni ad Arnulfum juſto & merito provenit, niſi ſolummodo quod in Patruum ſuum indigne peccavit. Cæteri quoque quatuor reges fidelitatem & obedientiam Arnulfo, ſicut dignum erat, promiſerunt, nullus enim illorum quatuor regum hæreditarius illius regni erat in Paterna parte niſi Arnulfus ſolus. Quinque itaque reges confeſtim Karolo moriente conſecrati ſunt. Sed Imperium penes Arnulfum remanſit. Talis ergo illius regni diviſio fuit. Nam Arnulfus Orientales regiones HReni fluminis, Rodulfus quoque internam partem regni accepit, Otto etiam Occidentale regnum. Berengarius & Wido Langobardiam, nec non & illas regiones quæ in illa parte Montis ſunt, nec tamen tanta & talia regna inter ſe pacifice ſervaverunt. Nam bis pleno prælio inter ſe belligeravêre, & illa regna perſæpe devaſtaverunt invicem, & unuſquiſque alterum expulit de regno. Anno DCCCXC. Obiit Guthram Rex Paganorum, qui & Athelſtanus nomen in Baptiſmo ſuſcepit. Qui primus apud Orientales Anglos regnavit poſt Paſſionem ſancti regis Eadmundi, ipſamque regionem diviſit, coluit, atque primus inhabitavit. Mortuus eſt itaque anno XIV. poſtquam Baptiſmum ſuſcepit, mauſoleatuſque in Villa Regia quæ vocatur Headleaga apud Orientales Anglos. Anno DCCCXCI. Cometæ apparuerunt poſt-

 paſcha

paſcha circa Rogationes. Anno DCCCXCII. Magnus Paganorum Exercitus venit de Orientali regno Francorum uſque ad Bononniam, indeque cum CCCL. navibus in Oſtium Limenæ fluminis, & ibi non longe à flumine in loco qui dicitur Apuldran, fecerunt Caſtellum firmiſſimum. Quod Liminæ flumen currit de Silva magna, quæ vocata eſt Andreadeſweald, quæ Silva habet ſpatium in longitudine ab Oriente in Occidentem milliaria CXX. & eo amplius, & in Latitudine XXX. Eodem anno Haſtengus venit cum LXXX navibus in Oſtium Tamenſis fluminis, fecitque ſibi firmiſſimum oppidum apud Middeltunam in Auſtrali ripâ Tamenſis. Non multo poſt fecit alium in Aquilonali parte Tamenſis, in loco qui dicitur Beanfleot. Anno DCCCXCIII. Initium Regis Karoli pueri, hujus miles Hagano. Eodem anno capta eſt Civitas Ebroacenſis à Nordmannis, ſed Epiſcopus Sebar nomine Deo auctore evaſit. Hoc etiam anno Alfredus Rex Occidentalium Saxonum pugnavit contra Nordmannos, in loco qui dicitur Fearnhame, qui eos occidit & regem eorum ſauciavit atque fugavit, necnon & ſpolia multa eis diripuit, tranſieruntque Tamenſis flumen coacti, ad Eaſt-Seaxam profecti ſunt, ſed tamen multi in Tamenſe perierunt. Rex vero Alfredus ut audivit quod magna pars Paganorum Exercitus, quæ inde fugata eſt, perrexit per mare navigans uſque ad Exanceaſtriam, qui ſtatim Equeſtrem atque Pedeſtrem ſecum illo adducens Exercitum, contra eos atrociter pugnans, illoſque ibidem devicit ſtravit atque fugavit. Interea ex præcepto regis Alfredi Adhered Comes Merciorum una cum Civibus Lundoniæ, & aliis innumeris bellatoribus prudentiſſimis, venit uſque Beamfleotam, munitionemque Paganorum obſedit, fregit, atque innumera ſpolia ibidem accepit in Auro & Argento Equis & veſtibus. In quibus etiam & Uxor Haſtengi cum duobus Filiis ad Lundoniam eſt adducta. Et ante Regem Alfredum præſentata, quos Rex ſtatim juſſit reddi, eo quod filii ſui, unus erat filiolus regis Alfredi, alter Adheredi Comitis. Cum autem Haſtengus iterum venit Beanfleatam, reparavit ibidem Caſtellum quod fractum fuerat. Deinde perrexit ad Sceobyrig, & ibi conſtruxit munitionem validiſſimam, adjunctuſque eſt ei Exercitus ille qui apud Apuldran ſedit, necnon & ab Orientalibus Anglis & à Nordanhymbris non minima ſed maxima multitudo, qui ſimul properantes ſurſum trans Tamenſem fluvium, deprædantes quouſque pervenerunt ad ripam Sabrinæ fluminis, & ibi apud Buttingatunam munitiſſimum oppidum fecerunt, ſed mox Adheredus Comes Merciorum cum Comitibus Eathelmo & Eathelmnotho, necnon & cum aliis fidelibus regis, obſedit oppidum ex omni parte, quouſque Paganis defecit omnis victus, ſic ut carnes Equorum ſuorum comederent, ac demum fame coacti procedunt ad Bellum contra eos qui ex Orientali parte obſidionis erant. Ceciderunt ibidem multi ex utraque parte, tamen Deo auxiliante Chriſtiani victoriâ ſunt potiti, Dani vero in fugam ſunt verſi. Item ad Eaſt-Seaxum redierunt unde venerunt. Anno DCCCXCIV. Præfatus Exercitus Paganorum hyemavit in Inſula quæ vocata eſt Mereſeige. Anno DCCCXCV. Haſtengus cum Exercitibus ſibi adhærentibus, tertio anno poſtquam venerunt in Oſtium Tamenſis & in Oſtium Liminæ fluminis, Mare tranſivit ſine lucro, & ſine honore; ſed multis perditis ex ſociis ſuis applicuit in Oſtium Sequanæ fluminis. Anno DCCCXCVIII. Arnulfus Imperator obiit, & Lodwicus filius ejus in regem elevatur. Eodem anno Rollo cum Exercitu ſuo Carnotenſem Civitatem obſedit, ſed Epiſcopus ejuſdem Urbis Walthelmus nomine, vir Religioſiſſimus, Richardum Burgundiæ Ducem & Ebalum Pictavenſium Comitem in ſuo auxilio provocans, Tunicam Sanctæ Mariæ Virginis in manibus ferens Rollonem Ducem Divino nutu fugavit & Civitatem liberavit.

Anno DCCCC. Alfredus veridictus, vir in Bello per omnia ſtrenuiſſimus, Rex Occidentalium Saxonum nobiliſſimus, prudens vero & Religioſus, atque ſapientiſſimus, hoc anno cum magno ſuorum dolore viam univerſitatis

ſitatis adiit die VII. kal. Novemb. anno regni ſui XXIX & dimidio; anno vero ætatis ſuæ LI. Indictione III. Qui apud Wintoniam Civitatem regalem decenter & regali honore eſt ſepultus, in Eccleſia Sancti Petri Apoſtolorum Principis: Mauſoleum quoque ipſius conſtat factum de Marmore Porfyrio pretioſiſſimo.

Nam inter cætera bona quibus aſſidue & maxime ſtudebat, duo Monaſteria conſtruere imperavit; unum Monachorum, in loco qui dicitur Aethelingaeige, in quo conſtituit Johannem Abbatem Religioſum virum de genere Antiquorum Saxonum, quia nullum potuit invenire de ſua propria gente nobilem vel liberum hominem, niſi infantes qui nil boni eligere nec mali reſpuere pro teneritudine & invalida ætate, qui Monaſticam voluntarie vellet ſubire vitam: ideo diverſi generis Monachos in eodem Monaſterio congregare ſtuduit. Nam quodam tempore, cum inſtinctu Diabolico quidam Sacerdos & Diaconus Gallici generis ex præfatis Monachis, invidia quadam excitati contra ſuum Abbatem præfatum Johannem, nimium latenter in tantum amaricati ſunt, ut Judaico more Dominum ſuum dolo circumvenirent & proderent. Nam duos ejuſdem Gallicæ gentis ſervulos præmio conductos, ut nocturno tempore armati intrarent Eccleſiam, quam poſt ſe iterum ſolito more clauderent, & unicum Abbatis adventum in ea abſconſi præſtolarentur: cumque ſolus ſolito more orandi cauſa Eccleſiam latenter intraret, & ante Sanctum Altare flexis ad terram genibus ſe inclinaret, hoſtiliter irruentes in eum & tunc ibidem occiderent: cujus Corpus examine inde trahentes ante oſtium cujuſdam Meretricis, quaſi illic occiſus eſſet in meretricando jactarent: quod etiam machinaverunt, crimen crimini addentes, ſicut dictum eſt, *& erit noviſſimus error pejor priore.* Sed divina miſericordia, quæ ſemper innocentibus ſolet ſubvenire, impiam impiorum meditationem maxima ex parte fruſtrata eſt, quo non per omnia eveniret ſicut propoſuerunt. Omni itaque mala doctrina à malis doctoribus malis auditoribus elucubratim expoſita, & condicta nocte adveniente, latrunculi duo armati in Eccleſia ſe concluſerunt, adventum Abbatis præſtolantes. Cumque media nocte Abbas ſolito more, nemine ſciente, orandi gratia Eccleſiam intraſſet, & flexis genibus ante Altare oraret, tunc illi duo nequiſſimi ex improviſo diſpoliatis gladiis in eum irrumpunt & crudelibus afficiunt vulneribus, ſed ille vociferans quantum poterat reluctabatur, inclamitans Dæmones eſſe, & non homines, quia nec hoc homines auſos eſſe exiſtimabat, vulneratus eſt tamen antequam ſui advenirent uſque ad mortem. Latrunculi præcipiti curſu ad latibula paludis ſemi-vivum Abbatem relinquentes confugiunt. Monachi vero Seniorem ſuum cum gemitu & mærore domum reportaverunt. Aliud quoque Monaſterium juxta Orientalem portam Sceaphtesburgh habitationi Monialium habile, idem Rex ædificare imperavit, in quo propriam filiam ſuam Aethelgeovam devotam Deo Virginem. Abbatiſſam conſtituit, cum qua etiam aliæ multæ nobiles Sanctimoniales in Monaſtica vita Deo ſervientes in eodem Monaſterio, terrarum poſſeſſionibus & omnibus divitiis locupletatum ditavit. Erat enim ille Rex fortiſſimus defenſor Sanctarum Dei Eccleſiarum, clementiſſimus conſolator Orphanorum & Viduarum, largiſſimus diſtributor Eleemoſinarum in toto regno illo, præter illum ſolum pauperes aut nullos aut pauciſſimos habebant adjutores. Nimirum quia etiam pene omnes illius Regionis potentes & nobiles ad Secularia magis quam ad divina mentem declinaverunt negotia. Erat namque Rex ille in exequendis judiciis ſicut in cæteris aliis omnibus rebus, diſcretiſſimus indagator. Nam omnia pene totius ſuæ Regionis judicia quæ in abſentia ſua fiebant ſagaciter inveſtigabat, qualia fierent juſta aut injuſta, aut ſi aliquam in illis judiciis iniquitatem intelligere poſſet, aut per ſe ipſum aut per alios ſuos fideles, quoſlibet interrogabat quare ita nequiter judicaſſent, utrum per ignorantiam aut propter quamlibet mali volentiam,

 vel

vel pro aliquorum amore vel timore, aut aliorum odio, aut etiam pro alicujus pecuniæ cupiditate. Denique ſi illi judices profiterentur propterea ſe talia judicaſſe, quod nihil rectius de his rebus ſcire noſſent, tunc ille diſcrete & moderate illorum imperitiam & inſipientiam redarguens ajebat ita dicens. *Nimium admiror veſtram hanc inſolentiam, eo quod Dei dono & meo ſapientium Miniſterium & gradus uſurpaſtis, ſapientiæ autem ſtudium & operam neglexiſtis. Quapropter aut terrenarum poteſtatum miniſteria quæ habetis illico dimittatis, aut ſapientiæ ſtudiis multo devotius de cæteris ſtudeatis impero.* Quibus auditis verb. perterriti, veluti pro maxima vindicta correcti, Comites & Præpoſiti ad æquitatis diſcendæ ſtudium totis viribus ſe vertere nitebantur, ita ut mirum in modum illi illitterati ab infantia Comites, pene omnes præpoſiti, ac Miniſtri litteratoriæ arti ſtuderent, magis inſuetam diſciplinam laborioſe diſcere volentes, quàm poteſtatum miniſteria dimittere. Sed ſi aliquis litteralibus ſtudiis aut pro ſenio vel etiam inuſitati ingenii tarditate proficere non valeret, filium ſuum, ſi haberet, aut propinquum, vel etiam ſi alium non haberet, ſuum proprium hominem liberum vel ſervum, quem ad lectionem longe ante promoverat, libros ante ſe die & nocte, quandocumque ullam haberet licentiam, Anglicos imperaberat recitare: in quibus juſſu regis præfati fuerunt ſcripta juſta judicia inter potentes & inpotentes, & alia multa utilia tam Cleri quam Plebis.

Anno eodem Edwardus Filius ipſius regis Aelfredi unctus eſt in regem, regnavitque annis XXVI. Hoc etiam anno Adhelwoldus Patruelis Regis Eadwardi diſceſſit ab eo, perrexitque ad Exercitum Paganorum, qui occupaverat gentis Nordanhymbrorum, ſtatimque totus Exercitus elegit eum ad Regem. Anno DCCCCII. Sanctus Grimbaldus Sacerdos tranſiit. Et Adhulfus Comes Frater Alchſwithæ Reginæ obiit. Anno DCCCCIII. Adhelwoldus Rex Danorum Frater Regis Aelfredi venit cum Claſſe magna ad Eaſt-Seaxam. Anno DCCCCIV. Adhelwoldus Rex Paganorum adduxit magnum Exercitum ab Eaſt-Seaxa, & ab Orientalibus Anglis, per totam Merciam deprædantem & Occidentem, quouſque pervenit ad Criccaladam, ibique tranſiit Tamenſem, & ubique circa Bradenam maxima ſpolia diripuit, indeque reverſus eſt. Rex vero Eadwardus quam citius potuit congregavit Exercitum Chriſtianorum, & perrexit uſque inter Foſſas & uſque Huſam fluminis, & deprædavit terram eorum uſque ad paludes Boreales. Cum autem Rex expectavit ibidem Exercitum ejus de Cantia, ſubito ſupervenit Adhelwoldus Rex Danorum cum tota Paganorum gente, qui confeſtim contra hoſtes vexilla erexerunt, conſertoque Prælio, hinc & inde atrociter pugnantes, ceciderunt multi ex utraque parte. Ex parte autem Chriſtianorum Sigewlfus Comes, & Sigehelmus Comes, & Adwoldus Præſes, & Kewlfus Abbas de Burch, & Sigeberchtus filius Sigewlfi, & Eadwoldus Filius Accan, & multi alii ex nobilibus Anglorum. Ex parte vero Nordmannorum ceciderunt Eochricus & Athelwoldus reges eorum, & Brichtſinus Filius Brichtnothi Clitonis, & Hyſopa & Oskytellus Barones, & multi plures, quorum numerum nemo ſcit, ſed tamen proh dolor! Pagani loco funeris Dominati ſunt. Eodem etiam anno Alchſwytha. Regina Mater Regis Eadwardi deceſſit. Anno DCCCCIX. Aſer Epiſcopus Scireburnenſis obiit, & Fritheſtanus ſuſcepit Epiſcopatum Wintoniæ. Anno DCCCCX. Bellum apud Wodnesfeldam, in quo ceciderunt Eowilſus & Healfdena reges Paganorum, & Ochter, & Scurfa Comites, & Othulfus, & Benſingus, & Anolafus niger, & Thurfridus, & Osfridus, & Godefridus, & alius Godefridus, & Eagellus, & Agamundus Primates Paganorum, & multi alii innumerabiles, quaſi arena Maris. Anno DCCCCXI. Lodwicus Imperator filius Arnulfi Imperatoris obiit, & Burchardus Dux occiditur. Conradus filius Conradi in Regem elevatur. Ipſo anno Aetheredus Comes Merciorum obiit. Et Eadwardus Rex ſuſcepit Lundoniam, &

& Oxenafordam cum omnibus eis adjacentibus. Anno DCCCCXII. Eadwardus Rex juſſit ædificare Urbem Aquilonalem apud Heortfordam, inter flumina quæ Nuncupata ſunt Memeram, & Beneficeam, & Lygeam, circa Feſtivitatem Sancti Martini. Circa quoque Feſtivitatem Sancti Johannis Baptiſtæ præcepit conſtruere Urbem apud Witcham. Item ipſo anno apud Heortfordam in Auſtrali parte Lygean fluminis. Hoc etiam anno Baptizavit Franco Archiepiſcopus Rotomagenſis Rollonem Ducem Nordmannorum. Anno * DCCCCIV. Facta eſt pax inter Karolum Regem Francorum & Rollonem Ducem Northmannorum.

* DCCCCXIV.

FINIS.

POLYCHRONICON
RANULPHI
HIGDENI
Monachi Cheſtrenſis.

Lib. I.

Polychronicon Ranulphi Higdeni Chestrensis *De rebus Britannicis & Hibernicis, uſque ad Conqueſtum.*

De Hibernia

ERAT Hibernia ab olim Britanniæ jure dominii concorporata, quam, Duce Giraldo in ſua topographia, eam ad unguem plenius deſcribente, preſſioribus laudibus congruit illuſtrare. Ad cujus notitiam liquidius conſequendam viam aperient tituli ſubſequentes, Dicetur ergo. 1. De ſitu Terræ locali. 2. De ejus quanto & quali. 3. In quibus Terra ſufficit. 4. In quibus rebus deficit. 5. De Incolis prioribus. 6 De Incolarum moribus. 7 De locorum prodigiis. 8. De Sanctorum præconiis.

De Situ Terræ Locali.

HIbernia omnium Inſularum Occidentalium noviſſima ſic dicta eſt à Hibero Hiſpanico, fratre ſcil. Hermonii, qui duo ſimul juncti eam conquiſierunt. Vel dicta eſt ab Hibero flumine Hiſpaniæ Occidentali; dicta eſt etiam aliquando Scotia à Scotis eam inhabitantibus, priuſquam ad aliam Scotiam Britannicam devenirent, unde in Martyrologio legitur, tali die apud Scotiam Sanctæ Brigidæ, quod eſt, apud Hiberniam. Hæc Terra ab Euro-Auſtro habet Hiſpaniam trium dierum navigatione collateralem. Ab Oriente habet Britanniam majorem, unius diei velificatione diſtantem; ab Occaſu habet Oceanum infinitum. A Septentrione Iſlandiam trium dierum velifico curſu diſtantem. [*Solinus*] Sed & mare quod inter hanc & Britanniam interluit undoſum & inquietum eſt toto anno, & niſi paucis diebus vix enavigabile, in centum xx millibus paſſuum latitudinis expanſum.

De ejus quanto & Quali.

HIbernica Inſula poſt Britanniam maxima ab Auſtro in Boream extenſa, à Brendanicis ſcil. montibus uſque ad Columbinam Inſulam, continet VIII dierum dietas, quarum quælibet xxxx mil. exiſtit. Et à Dublinnia, uſque ad Patricii colles Connacticumque mare in latum, IV dierum excurſum tenet; quæ in ſui medio ſtrictior eſt quam circa capita, ſed è contra eſt Britannia; & ſicut Hibernia brevior eſt ad Boream quam Britannia, ita productior eſt ad Auſtrum. Terra quidem inæqualis, montuoſa, pluvioſa, ventoſa, mollis & ſilveſtris, per latera maritima valde demiſſa, introrſus montana & ſabuloſa. [*Solinus*] Alias itaque pabuloſa, ut pecora ibidem, niſi à paſcuis interdum arceantur, ad periculum agat ſatietas. [*Gir. in Top.*] Indigenarum ſanitas continua, advenarum quoque propter humiditatem nutrimentorum fluxus ventris periculoſus eſt. Carnes ibi vaccinæ ſalubres, porcinæ noſcentes: incolæ nulla febris

 ſpecie

ſpecie vexantur, excepta acuta, & hoc perraro; omnes igitur Orientales pompas in lignis, herbis, gemmis, veſtibus, hujus terræ ſalubritas & veneni carentia compenſant, & videtur hæc ſalubritas cauſari ex eo quod modicus eſt ibi exceſſus in frigore aut calore.

In quibus rebus ſufficit.

TErra hæc magis Vaccis quam Bobus, paſcuis quam frugibus, gramine quam grano fœcunda: abundat tamen Salmonibus, Murenis, Anguillis, & cæteris marinis piſcibus; Aquilis quoque, gruibus, pavonibus Coturnicibus, Niſo, Falcone, & Accipitre, Geſo. Lupos quoque habet, Mures nocentiſſimos, ſed & Araneas, Sanguiſugas, & Lacertas habet. Innocuas Muſtelas quoque parvi corporis ſed valde animoſas poſſidet. Habet & aves quas Bernaces vocant, quas Aucis ſilveſtribus ſimiles de lignis abietinis quaſi contra naturam natura producit, quibus Viri Religioſi tempore Jejuniorum veſcuntur, eo quod de coitu vel de carne minime procreantur. Sed huic opinioni repugnare videtur, quod ſiquis de femore primi parentis comediſſet, carnem utique comediſſet, quamvis de carne mimine propagatam: & ſicut illa caro ex limo, ita iſta caro ex ligno æque mirabilis. Abundat etiam hæc terra, lacte, vinis, non vineis. Et quamvis Beda dicit, hanc terram vineis non expertem, [*Et Solinus & Iſi.*] Apibus eam carere aſſerant, circumſpectius tamen è diverſo ſcripſiſſent, ſi eam vineis carere, & Apum expertem non fuiſſe dixiſſent, [*Item Beda dicit.*] Caprearum venatu Inſulam fore inſignem, cum tamen conſtet eam ſemper Capreis caruiſſe. Nec mirum, cum Beda nihil de hac Inſula oculata fide cognoverit, ſed per relatorem audierit. Ibi quoque gignitur Lapis Saxagonus, ſcil. Iris, qui ſoli appoſitus format in aere Cœleſtem Arcum. Ibi quoque invenitur lapis Gagates, & Margarita candida.

In quibus rebus deficit.

TRitici grana ſunt hîc minuta, vix manu purgabilia, & omnium animantium corpora hîc, quam alibi minora exceptis hominibus reperiuntur. Deſunt hîc pene omnes Piſces, qui ex aquis dulcibus non marinis ſementinam trahunt originem; deſunt hîc degeneres Falcones, quos Lanerios vocant, deſunt & Giroſalcones, Perdices, Faſiani, Picæ, Philomenæ. Caret quoque Capreis & Damis, Hericiis, Putaciis, & Talpis, & cæteris venenoſis. Unde fingunt aliqui ſatis favorabiliter Sanctum Patricium cunctis peſtiferis animantibus Inſulam purgaſſe; ſed probabilius eſt, Inſulam ab initio hujuſmodi nocivis caruiſſe. Quin & venenoſa aliunde allata ſtatim moriuntur ibidem, & toxicum aliunde advectum ultra medios fluctus verſus Hiberniam vim ſuæ malignitatis amittit; ac etiam pulvis Terræ illius aliunde aſperſus venenoſos vermes fugat, adeo ut corium hujus Terræ vermi circumdatum, aut ipſum occidit aut Terram penetrare cogit. In hac Terra Galli cantant in ipſo noctis crepuſculo, & quantum alibi à tertia, tantum hîc à prima Galli voce dies diſtare dinoſcitur.

De Incolis prioribus.

REfert Giraldus, quod hæc Inſula inhabitata ſit primo à Caſera nepte Noæ Diluvium timente, & ad hanc Inſulam cum tribus viris

&

& L mulieribus proximo ante Diluvium anno applicante.

2. A Bartholano Seræ filio, cum tribus filiis de ſtirpe Japhet filii Noæ deſcendentibus, CCC poſt Diluvium anno, caſu vel induſtria hîc applicantibus, qui uſque ad IX millia virorum excreſcentes, ex corruptione cadaverum Gigantium quos oppreſſerant, omnes mortui ſunt, excepto ſolo Ruano, qui per mille quingentos annos uſque ad tempora Sancti Patricii perdurans, cuncta geſta illius gentis Sancto Viro replicabat.

3. Nimeth ſive Nimedus cum IV filiis ſuis de Schytia veniens, per CCXVI annos Terram incoluit, & tandem ejus ſobole per varia infortunia bellorum & mortalitatum detrita, CC itidem annis Terra vacua manſit.

4. Vero quinque Duces germani fratres, Gandius, Genandius, Sagandius, Rhuteragus & Slanius de poſteris Nimedi prædicti, de Græcia venientes Terram occupaverunt, & eam in quinque partes diviſerunt, quarum quælibet pars continebat XXXII Cantredos. Eſt autem Cantredus portio centum Villarum, poſueruntque lapidem in media terra quaſi in medio umbilico, velut quinque Regnorum principium. Tandem Slanius factus eſt Monarcha Terræ totius.

5. Debilitata multum per XXX annos natione iſta, advenerunt de Hiſpaniæ partibus, in LX navium Claſſe, IV Nobiles Milleſii Regis filii cum pluribus aliis, de quibus duo nominatiſſimi fratres, Heberus & Hermon Regnum inter ſe diviſerunt: ſed procedente tempore, rupto fœdere fraterno, Hiberoque occiſo, Hermoni ceſſit Monarchia, à cujus tempore uſque adventum Patricii primi CXXXI Reges de eadem gente fuerunt. Et ſic ab adventu Hibernienſium uſque ad obitum Patricii primi, ſunt anni MDCCC. Ab iſto Hibero dicti ſunt Hibernici; vel ſecundum alios ab Hibero Hiſpaniæ fluvio. Dicti ſunt etiam Gaiteli & Scoti à quodam Gaitelo Phenii nepote, qui poſt Linguarum confuſionem apud Nembroticam Turrim in variis linguis peritus duxit Scotam filiam Pharonis, ex quibus Ducibus Hibernienſes deſcenderunt. Iſte etiam Gaitelus, ut aiunt, Hibernicam linguam compoſuit, quæ & Gaitelaf dicitur, ex omnibus linguis collecta. Tandem Gurguntius Belivi Regis Britanniæ filius de Dacia rediens apud Orcades Inſulas quoſdam Baſclenſes de Hiſpaniæ partibus advectos invenit, quos locum habitationis petentes Rex ad Hiberniam tunc vacuam tranſmiſit, quibus Duces aliquot ex ſuis deſignavit. Ex quo videtur quod de jure antiquo Hibernia debeat ad Britanniam pertinere. Ab adventu autem Sancti Patricii primi uſque ad Fedlimidii Regis tempora XXXIII Reges per CCCC annos in Hibernia Regnaverunt. In hujus autem Fedlimidii diebus Norguagenſes, Duce Turgeſio, Terram hanc occupaverunt, factiſque quampluribus per loca foſſatis profundis, Caſtella ſimplicia, duplicia, triplicia, pleraque murata, adhuc integra, vacua tamen, erexerunt. Sed Hibernicus populus Caſtella non curat, nam Silvis pro Caſtris, Paludibus utitur pro Foſſatis. Tandem Turgeſius dolo puellarum deluſus interiit. Et quia Anglorum populus clamat Gurmundum ſubjugaſſe Hiberniam, & illa foſſata feciſſe, de Turgeſio nihil memorans, Hibernienſes vero Turgeſium prædicant, Gurmundum vero prorſus ignorant: ideo ſentiendum eſt Gurmundum in Britanniæ Regno, quod ſibi ſubjugaverat, extitiſſe; & à Britannia Turgeſium iſtum cum electa inventute ad Hiberniam expugnandam tranſmiſiſſe: qui quidem Turgeſius, quia hujus expeditionis Tribunus & Rector extiterat, idcirco Gens Hiberniæ illum quem vidit & novit famoſe celebrat. Gramundo tandem in Galliarum partibus interfecto, Turgeſius in Hibernia filiam Regis Medeuſis adamavit, quam pater ſuus cum XV puellis tranſmittere Turgeſio promiſit, quibus apud Stagnum Lacherinum cum totidem Nobilioribus Gentis ſuæ Turgeſius occurrere ſpopondit, quod dum faceret, à XV juvenibus imberbibus, ſub habitu puellari ſicas ferentibus, doloſe occiditur; poſtquam XXX annis in Inſula imperaverat. Non multo poſt de Norguegiæ partibus quaſi ſub

pacis obtentu & mercationis exercendæ prætextu tres fratres Amelanus, Siracus, & Ivorus, cum ſua ſequela, ad hanc Inſulam venerunt; & de conſenſu Hibernienſium ocio deditorum maritima loca occupantes, tres Civitates Dublinniam, Waterfordiam, Limiricum conſtruxerunt, qui tandem numero ſuccreſcentes contra indigenas frequenter rebellarunt, & uſum ſecurium, qui Anglice Sparth dicitur, ad terram Hiberniæ comportarunt. Igitur à tempore Turgeſii uſque ad ultimum Monarcham Rothericum Connactiæ Regem, XVII Reges in Hibernia fuerunt. Et in univerſo, à primo Hermone uſque ad ultimum Rothericum, (quem ſubjugavit Rex Angliæ Henricus Secundus anno ætatis ſuæ XXXX. Regni ſui XVII. Ab Incarnatione Domini MCLXXII,) rexerunt Hiberniam CLXXXI Reges; non Coronati, non inuncti, non hæreditarii, ſed vi & armis ſuccedentes.

De Incolarum moribus.

REfert Solinus, quod Gens hujus Terræ ſit barbara, inhoſpita, belliçoſa, faſque nefaſque pro eodem ducens. Gens habitu ſingularis, & inculta, victu parca, animo ſæva, affatu aſpera, ſanguine interemptorum prius hauſto vultus ſuos obliniunt, carnibus & fructibus pro eſu, lacte pro potu eſt contenta; Gens quidem ludis, ocio, & venationi plus dedita, quam labori. [*Ger. in Top.*] Gens iſta poſt ortum dure nutritur, moribus & veſtibus inculta, laneis tam braccis quam caligis, capuciis quoque ſtrictis trans humeros deorſum cubito tenus prætenſis, & vice palliorum falangis nigris utitur. Item non ſellis, non ocreis, non calcaribus equitando utuntur. Virgam in ſuperiori parte cameratam ad concitandum equos manu ferunt, frenis chami vice fungentibus, & pabula nequaquam impedientibns, utuntur. Inermes corpore, pugnant tantum jaculis binis, lanceis, & ſecuribus amplis. Una tantum manu confligunt, lapides pugillares cum alia defecerint in promptu habent. Gens itaque agriculturam ſpernens, paſcuis tantum utens, barbis & comis à poſteriori parte capitis luxurians, non lino, non lanificio, non aliquo mercationis genere, nec ulla mechanicarum artium ſpecie vitam producunt, ſed ocio dediti, delicias reputant labore carere, divitias deputant libertate gaudere, & cum Scotia hujus terræ filia utatur lyra, tympano, & choro; ac Wallia cithara, tibiis, & choro; Hibernici tamen in duodus muſici generis inſtrumentis, cithara ſcil. & tympano æreis cordis armato, præ cæteris ſunt periti, quibus inſtrumentis quamvis præcipitem & velocem, ſuavem tamen & jocundam criſpatis modulis & intricatis notulis efficiunt armoniam. Ab molli incipiunt, & ſub obtuſo groſſioris cordæ ſonitu latenter ludentes in idem redeunt, ut pars artis maxima videatur artem velare, tanquam, ſi lateat proſit, ferat ars deprehenſa pudorem. Gens etiam iſta ſpurciſſima, nondum decimas ſolvunt, nondum matrimonia rite contrahunt, non inceſtus vitant; ſed fratres fratrum uxores ducunt, proditionibus inſiſtunt, ſecurim & ſparth in manu, quaſi pro baculo, bajulant, quâ ſibi confidentes præoccupant. Gens iſta verſipellis & inconſtans, varia & verſuta, cujus magis timenda ars quam Mars, pax quam fax, mel quam fel, malicia quam militia; cujus mores ſunt, quod nec in bello fortes, nec in pace fideles inveniuntur, cum illo quem doloſe opprimere volunt, primo compaternitatis, & conſecratæ fraternitatis fœdera jungunt, in qua alter alterius ſanguinem ſponte fuſum bibunt, alumnos & collactaneos aliquantulum diligunt, fratres, & cognatos perſequuntur, vivos decipiunt, mortuos ulciſcuntur; inter quos adeo in naturam converti prævaluit pravæ conſuetudinis longus abuſus, adeo à convictu mores formantur, ut etiam hoc vitio proditionis alienigenæ

genæ huc advecti fere inevitabiliter involvantur. In hac gente quamplures viri ſedendo, mulieres ſtando urinam emittunt. Multi ſunt in hac terra deformes, naturæ beneficio in membris deſtituti, ita ut ſicut qui hîc bene formantur, nuſquam melius, ita qui male nuſquam pejus, & recte quidem, ut de Gente inceſta nequiter copulata, natura deformante, tales natura læſa contra legem naturæ producat. In hac Terra & in Wallia vetulas quaſdam in Leporinam formam ſe tranſmutare ubera vaccina ſugendo, alienum lac ſurripere, Leporarioſque magnatum curſu fatigare vetus quidem & adhuc frequens querela eſt. Quidam etiam Magicis Artibus pingues porcos ſed rubeos duntaxat, ex aliqua præjacente materia producentes, in Nundinis vendunt: ſed hi ſtatim ut aliquam aquam tranſeunt in propriam naturam redeunt, ſed & hi quacunque induſtria ſerventur, ultra triduum non perdurant. Inter hæc & hujuſmodi advertendum eſt, quod mundi extremitas novis ſemper Prodigiis quibuſdam pollet, ac ſi natura licentius ludat in privato & remoto quam in propatulo & propinquo, unde & in hac Inſula plurima ſunt miranda & ſtupenda.

De locorum Prodigiis.

AFfirmatum eſt à multis, quod in Boreali parte Hiberniæ ſit Inſula viventium, in qua nemo mori poteſt, ſed cum diutino detenti fuerint langore ad proximam deportantur Inſulam; & alia ibi Inſula in qua mulieres parere non poſſunt, tamen concipere poſſunt; eſt & alia Inſula in qua mortuorum corpora putreſcere non poſſunt; eſt Lacus in Ultonia Inſulam continens bipartitam, cujus una pars vaſtationibus Anglorum aſſueta, alter Dæmonum incurſibus expoſita, in qua eſt Purgatorium Patricii, quod precibus obtinere meruit ad confirmationem Dicti ſui, dum Populo incredulo de pœnis reproborum ac gaudiis Sanctorum prædicaret, cujus loci, ut aſſerunt, ſi quis tormenta ex injuncta pœnitentia ſuſtinuerit, infernales pœnas, ubi finaliter fuerit impoenitens, non ſubibit, ſicut in fine hujus capituli plenius exemplabitur. Eſt & Inſula in Connactæ ſalo à Sancto Brendano conſecrata muribus carens, ubi humana corpora nec humantur nec putreſcunt, ſed ſub divo ſervantur incorrupta; eſt Fons in Momonia, cujus aquis ſi quis abluitur, pro toto ſeu pro parte canus efficitur: E contra eſt alius Fons in Ultonia, quo intinctus non caneſcit ulterius. Eſt & Fons in Momonia qui ſi tactus fuerit ab homine ſtatim tota Provincia pluviis inundat, quæ non ceſſabunt donec Sacerdos Virgo à nativitate, Miſſa in vicina Capella celebrata, aquæ benedictione & lactis vaccæ unius coloris aſperſione, barbaro ſatis ritu, Fontem reconciliaverit. Apud Glindelacan circa Oratorium Sancti Keywini, ſalices more pomerii poma proferunt magis ſalubria quam ſapida, quod Sanctus ille ad ſalutem pueri ſui precibus produxit. Eſt Lacus in Ultonia piſcoſa ſatis xxx millia paſſuum in longum, & xv in latum habens, ex quo fluvius Banna uſque in Oceanum Borealem ſe diffundit, cui Lacui talis, ut aſſerunt, caſus initium dedit. Celebre fuit aliquando, apud loci illius Incolas vitio coeundi cum Beſtiis conſuetiſſimos, quod quam cito Fons quidam Terræ illius, ex priſca reverentia ſemper tectus, relinqueretur diſcoopertus; tanta ſtatim Fons inundatione exuberaret quod totam Provinciam ſubmergeret; unde contigit mulierem quandam hauriendi aquam ad Fontem acceſſiſſe, qua necdum Fonte ſignato ad parvulum vagientem properante, Fons ita ebullivit, ut & mulierem cum parvulo mergeret, & totam Provinciam ſtagnum faceret. Hujus rei argumentum eſt, quod Piſcatores aquæ illius Turres Eccleſiaſticas more Patriæ illius altas & rotundas ſub undis ſereno tempore adhuc conſpiciunt. Apud Auſtralem plagam Hiberniæ in Regione

gione Oſſirienſi, quolibet ſeptennio, per imprecationem cujuſdam Sancti Abbatis, duo conjuges Mas & Femina à finibus illis & à formis propriis exulare coguntur. Nam formam Lupinam induentes, completo ſeptennio, ſi forte ſuperſtites fuerint, aliis duobus loco eorum ſimili conditione ſubrogatis, ad priſtinam redeunt tam Patriam quam Naturam. Eſt Lacus in hac Terra, quo ſi per aliquod ſpatium palus ligneus infigatur, pars ſolo inhærens fit Ferrea, quæ in aqua eſt fit Lapidea, ſed quæ ſupra aquam eſt Lignea manet. Eſt etiam ibidem Lacus in quem ſi virgam de Corylo inieceris, convertitur in Fraxinum & è contra. Item in Hibernia ſunt tres Salmonum ſaltus, quibus ad ſumma ab imis contra rupem, ad altitudinem unius haſtæ, Salmones ſe transferunt. Item in Lagenia eſt unum Stagnum, ubi ſunt aves Sancti Colemmani, ſcil. Tercellæ manibus hominum aſſuetæ, quibus ſi injuria fiat, aves non redeunt & aquæ ibidem amareſcunt, & fœtent, & injuriator non evadet vindictam, niſi condigne ſatisfaciat. [℟.] Circa Purgatorium Patricii eſt notandum. Quod Sanctus Patricius Secundus, qui fuit Abbas & non Epiſcopus, dum in Hibernia prædicaret, ſtuduit animos hominum illorum Beſtiales terrore tormentorum infernalium à malo revocare, & gaudiorum Paradiſi promiſſione ad bonum confirmare; illi autem dixerunt ſe nolle converti, niſi aliquis eorum tormenta illa & gaudia poſſet aliqualiter in hac vita experiri. Quamobrem Patricio ſuper hoc oranti apparuit Jeſus Chriſtus dans Textum Evangelii, & Baculum unum, quæ adhuc manent in Patria illa apud Summum Archiepiſcopum. Eduxit ergo Dominus Patricium in deſertum Locum, ubi Foſſam unam rotundam intrinſecus obſcuram ei oſtendit, dicens, quod ſi veraciter quis pœnitens per diem & noctem in illa Foſſa manſerit, & fide conſtans per illam tranſierit, videbit Tormenta malorum, & gaudia bonorum: ad hæc Chriſto diſparente Patricius conſtruxit bidem Eccleſiam, Canonicos Regulares inſtituens; Foſſam autem illam quæ modo in Cœmiterio eſt ad Orientalem Eccleſiæ Frontem, muro circumcinxit; Januam obſeravit, nequis temere ſine licentia Epiſcopi & loci Prioris ingrederetur. Multi quippe temporis illius Patricii ingreſſi ſunt & regreſſi, narrantes pœnas & gaudia quæ viderant, quæ & literis ibidem demandantur, qua occaſione multi tunc ad fidem convertebantur, multi quoque intraverunt, qui nuſquam redierunt: ſed in diebus Stephani Regis Angliæ quidam Miles nomine Owinus intravit, & rediens manſit in negociis Monaſterii Ludenſis, Ordinis Ciſtercienſis, quoad vixit, narrans quæ viderat. Locus autem vocatur Purgatorium Patricii, Eccleſia regularis vocatur. Nulli imponitur ut locum intret, ſed potius in primo diſſuadetur ingreſſus; quod ſi omnino intrare voluerit, accedet primo ad Epiſcopum loci, qui primo ingreſſum diſſuadet, ſed perſeveranti in tali propoſito, literas tradit ut loci Priorem adeat, qui ſimiliter ingreſſum diſſuadet, hortando ut aliam pœnitentiam aſſumat, quod ſi perſeverat, introducit eum in Eccleſiam ut xv diebus Jejuniis & Orationibus indulgeat, poſt quos hominem communione munitum perducit cum Proceſſione & litania uſque ad Oſtium Purgatorii, ubi etiam iterum diſſuadet ingreſſum, ſed ſi perſeverat, Oſtium ei cum benedictione aperit, & poſt ingreſſum Oſtium conſignat, uſque in diem alterum; mane quo adveniente, Prior ſi hominem regreſſum reperit, cum Proceſſione in Eccleſiam deducit, ubi aliis xv diebus Jejuniis & Orationibus intendit.

De Sanctorum Præconiis.

Notat hic Giraldus. Quod ſicut iſtius Nationis homines hac in vita ſunt præ aliis gentibus impatientes & præcipites ad vindictam, ſic Sancti hujus

hujus Terræ præ ceteris Regionibus vindicis animi eſſe noſcuntur. Clerus hujus Terræ caſtitate pollet, orationi vacat, ſed abſtinentiæ per artificialem diem indulget, noctem tamen aſſidua potatione polluit. Ita ut pro miraculo ducatur quod ubi vina dominantur, Venus non regnet, & ſicut inter eos mali ſunt peſſimi, ita boni quamvis pauci, ſunt optimi. Prælati locorum in corripiendis exceſſibus deſides, contemplationi & ocio, non prædicationi vacantes, unde fit ut omnes Sancti Terræ illius Confeſſores ſint, & nullus Martyr. Nec mirum, cum omnes pene hujus Terræ Prælati de Monaſteriis in Clerum electi, quæ Monachi ſunt complent, quæ Clerici ſunt vel Prælati, negligunt, unde cum ſemel Caſſilienſi Epiſcopo objectum fuiſſet, quomodo tot Sancti poſſent eſſe in illa Terra ubi nullus Martyr, ex quo tam feroces ſunt ſubditi, & tam deſides Prælati; Reſpondit ille ſatis oblique, verum eſt, inquit, quod Gens noſtra ſatis ferox eſt, ſed ad ſeipſam; nunquam tamen in Dei Miniſtros manum mittere voluit cum eos ſumme colat; verum modo venit in hanc terram Gens Anglicana quæ Martyres facere & novit & conſuevit. [*R.*] Hoc autem dixerat Epiſcopus ille, quia tunc temporis venerat Henricus Rex ſecundus ad terram illam recenter poſt Martyrizationem beati Thomæ Cantuarienſis, [*Gir.*] In hac etiam terra, ſicut in Wallia & in Scotia, ſunt Campanæ baculi recurvi, & alia hujuſmodi pro reliquiis in magna veneratione habita, ita ut Sacramenta ſuper hæc longe magis quam ſuper Evangelia præſtare revereantur, inter quæ præcipuus videtur Baculus Jeſu apud Dubliniam, per quem, ut aiunt, Patricius primus vermes ejecit, [*Auguſt. de ci. li. 16. c. 7.*] Si quæretur quomodo varia genera animalium, quæ ex commixtione procreantur, etiam poſt Diluvium in Inſulis eſſe potuerunt, creditur aut ad Inſulas tranſiſſe natando, ſed tunc ad proximas, aut per homines navigantes ſtudio venandi adductas, aut Dei juſſu & opere Angelorum allata, aut ex terra exorta ſecundum primam originem, quando Deus dixerat, producat terra animam viventem.

De Scotia.

VUlgatum eſt, quod Scotia prout hodie nuncupatur, eſt Promontorium & borealis pars Britanniæ majoris, marinis Brachiis ab ea ſeparata verſus Auſtrum; in reliquis lateribus undique cincta mari. Hæc quondam vocabatur Albania, ab Albenacto Regis Bruti filio eam primum inhabitante, ſive ab Albania provincia quæ eſt pars Scythiæ vicina Amazonibus, unde & Scoti quaſi Scyti à Scythia originem duxerunt; poſtmodum dicta eſt Pictavia à Pictis ibidem regnantibus per ſpacium MLXX annorum, vel ſecundum quoſdam MCCCLX annos, & tandem dicta eſt Hibernia, [*Gir. in Top.*] Tum propter affinitatem contractam cum Hibernienſibus, de quibus uxores acceperant, tum quod tam cultu quam lingua, tam armis quam moribus patenter oſtendit, tum propter inhabitationem Hibernienſium. [*Beda li. p.*] Qui Hibernienſes duce Reuda de Hibernia, quæ proprie Scotorum patria eſt, progreſſi, ferro vel amicitia juxta Pictos ſedes ſibi ad ſeptentrionalem partem ſtatuerunt. [*Gir.*] Nunc autem corrupte vocatur Scotia à Scotis, de Hibernia venientibus, & in ea Regnantibus per ſpatium CCCXV annorum uſque, ſcil. ad regnum Wilhelmi Rufi fratris Malcolini. [*R.*] Quod autem hæc Scotia ſæpius vocetur Hibernia patet per Bedam, [*Li. 2. c. x,*] ubi dixit ſic. Laurentius Archiepiſcopus Doroberniæ Scotorum populis, qui Hiberniæ Inſulam Britanniæ proximam incolunt, paſtoralem curam impendebat. [*It. Bed. li. 3. c. 27.*] Clades mortalitatis Hiberniam Inſulam pari clade premebat. [*It. li. 5. c. 2.*] Porro gens Scotorum quæ in Auſtralibus Hiberniæ, partibus

A a mora-

morabantur, &c. [*It. li. 4. c. 3.*] Ubi dicunt Ceddam adoleſcentem didiciſſe normam Monachicam in Hibernia. [*It. li. 4. c. 22.*] Rex North. Egfridus vaſtavit Hiberniam, [*It. li. 5. c. 15.*] Plurima pars Scotorum in Hibernia: & ibi in eodem Capitulo vocat Hiberniam proprie dictam illam Inſulam in occidente, quæ centum milliaria ab omni Britannia per mare ſeparatur, & Scotiam vocat illam partem quæ nunc Scotia dicitur, ubi dicit quod Adauman Abbas Inſulæ hujus navigavit Hiberniam, ut doceret Hibernicos legitimum Paſcha ac tandem Scotiam rediit, [*Iſi. li. 14.*] Hujus Scotiæ Incolæ dicuntur Scoti propria lingua, ſeu Picti à picto corpore, quaſi Schyti, eo quod aculeis ferreis cum atramento variarum figurarum ſtigmate antiquitus annotentur, [*Erodotus,*] Scoti ſunt animo leves, barbari ſatis & ſylveſtres, ſed admixtione cum Anglis in parte emendantur, in hoſtes ſævi, ſervitutem ſumme deteſtantur, in lecto mori reputant ſegniciem, in campo interfici arbitrantur gloriam, parvi victu, diutius famem ſuſtinent, raro ante ſolis occaſum comedunt, carnibus, lacticiniis, piſcibus, & fructibus magis quam pane veſcuntur. Et cum ſint elegantis formæ ſatis tamen ex proprio habitu deformantur, paternos ritus commendant, alienos aſpernantur, terra eorum ſatis fertilis in paſcuis, hortis, & agris, [*Gir. l. p. c. 18.*] Scotorum Principes, ſicut Hiſpaniæ Reges, nec coronari ſolent nec inungi. In hac terra Scotiæ memoria beati Andreæ Apoſtoli quam plurimum celebratur; nam beatus Andreas, qui ſorte prædicationis aquilonales mundi partes Scythas & Pictavos ſuſcepit convertendos, tandem apud Patras civitatem Achaiæ in Græcia occubuit, ubi cuſtodita ſunt oſſa ejus uſque ad tempora Conſtantini Magni ſpatio CCLXXII annorum. Et tunc tranſlata ſunt Conſtantinopolin, & recondita uſque ad tempora Theodoſii Imperatoris, ſpatio CX annorum. Tunc Rex Pictorum in Scotia Unguſt magnam partem Britanniæ vaſtans, cum apud campum Merc à numeroſo exercitu Britonum circumdaretur, audivit ſubito beatum Andream ſic eum alloquentem, Ungus Ungus, audi me Apoſtolum Chriſti auxilium tibi promittentem, cum hoſtes tuos me juvante deviceris, dabis tertiam partem hæreditatis tuæ Deo in eleemoſynam, & in honorem beati Andreæ, &c. Tertia die, ſigno crucis exercitum ejus præcedente, victor effectus eſt: ſic quoque patriam reverſus hæreditatem ſuam diviſit, & cum incertum haberet, quam urbem beato Andreæ aſſignaret, per triduum cum populo ſuo jejunavit, orans beatum Andream, ut ſuper hoc certificaretur, & ecce unus de cuſtodientibus corpus beati Andreæ apud Conſtantinopolim ammonitus eſt in Somnis, ut exiret de terra illa & locum adiret quo Angelus eum duceret, qui tali ducatu venit in Scotiam ad verticem montis Rigmund cum ſeptem comitibus ſuis, eademque hora lux cœlica circumfulſit regem Pictorum venientem cum exercitu ad locum qui dicitur Carcenan, ubi ſtatim plurimi ſanabantur infirmi, ibique occurrebat Regi Regulus Monachus Conſtantinopolitanus cum reliquiis Sancti Andreæ, in cujus honore fundata eſt ibi Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum in terra Pictorum, in quo loco Regulus Monachus factus eſt Abbas primus, qui Monachos ibidem congregavit ac totam decimam terram, quam Rex ſibi aſſignaverat, per Monaſteria locorum diſtribuerat.

De

De Wallia.

LIbr curſus nunc Cambriam
Pius tangit quam Angliam,
Sic Propero ad Walliam
Ad priani proſapiam,
Ad magni Jovis ſanguinem
Ad Darlani progeniem,
Sub titulis his quatuor
Terræ ſtatim exordior,
Primo de cauſa nominis,
Secundo de præconiis,
Tandem de gentis ritibus,
Quarto de Mirabilibus.

De Ratione Nominis.

HÆC terra quæ nunc Wallia
Quondam eſt dicta Cambria,
A Cambio Bruti filio
Qui Regit hanc Dominio.
Sed prius eſt dicta Wallia
A Gwalaes Reginula,
Regis Ebrauci filia
Ad hæc nupta confinia:
Seu à Gualone Procere
Rupto ſoni caractere,
Reperies ad litteram
Denominata Walliam.
Cujus circumferentia
Quamvis ſit minor Anglia,
Par tamen glebæ gloria
In matre & in filia.
Terra fœcunda fructibus
De carnibus & piſcibus,
Domeſticis ſilveſtribus
Bobus equis & Ovibus,
Apta cunctis ſeminibus,
Culmis ſpicis graminibus.
Arvis pratis nemoribus,
Herbis gaudet & floribus,
Fluminibus & fontibus,
Convallibus & montibus.
Convalles paſtum proferunt,
Montes mettalla conferunt.
Carbo ſub terræ cortice
Creſcit viror in vertice,
Calcem per artis regulas
Præbet ad tecta tegulas.
Epularum materia
Mel, lac, & lacticinia,
Mulſum medo cerviſia
Abundant in hac patria,
Et quicquid vitæ congruit
Ubertim terra tribuit.
Sed ut de tantis dotibus
Multa claudam ſub brevibus,
Stat hæc in orbis angulo
Ac ſi Deus à ſeculo,
Hanc daret promptuarium
Cunctorum ſalutarium.
Hæc Wallia dividitur
Amne quæ Tiwy dicitur,
Norwallos ab Auſtralibus
Scindit certis limitibus,
Auſtrina pars Demecia,
Secunda Venedocia.
Prima ſagittis prævalet,
Haſtis ſecunda præminet,
In hoc procinctu Walliæ
Tres olim erant Curiæ,
Ad Kaermerthym primaria
In Angleſey ſed alia,
Tertia in Powyſia,
Peugwern quæ nunc ſalopia.
Septem quondam pontifices
Nunc quatuor ſunt præſules,
Quondam ſuis Principibus
Parebant nunc Saxonibus.

De Incolarum Ritibus.

COnvictus hujus patriæ
Differt à ritu Angliæ,
In veſtibus in victibus,
In cæteris quam pluribus,
His veſtium inſignia
Sunt clamis & camiſia,
Et criſpa femoralia.
Sub ventis & ſub pluvia,
Plura non ferunt tegmina
Quamvis brumeſcat borea.
Sub iſtis apparatibus
Spretis Lintheaminibus,

Stant, ſedent, cubant, dormiunt,
Pergunt, pugnant, proſiliunt.
Hi ſine ſuper tunicis
Collobiis & tunicis,
Capis tenis capuciis
Nudatis ſemper tibiis,
Vix aliter incederent,
Regi licet occurrerent.
Haſtis ſagittis brevibus
Concertant in conflictibus,
Validiores pedites
Ad pugnam ſunt quam Equites.
His ſilvæ ſunt pro turribus
Paludes pro aggeribus,
Fugam ut pugnam capiunt
Cum oportunum ſentiunt.
Hos dicit Gildas fragiles
Et nec in pace ſtabiles,
Cujus ſi cauſa quæritur,
Mirum nequaquam cernitur,
Si gens expulſa ſatagat
Ut expulſores abigat:
Sed fruſta his temporibus
Succiſis jam Nemoribus,
Cum ſint circa Maritima
Firmata Caſtra plurima.
Gens diu famem ſuſtinens
Communem victum diligens,
Cocorum artificia
Non quærit ad edulia,
Nam panem Ordeaceum
Edit & Avenaceum,
Latum, rotandum, tenuem,
Ut decet tantum ſanguinem.
Raro frumento veſcitur
Vix furni flammis utitur.
His pultes ad legumina
Pro Epulis acrumina,
Buturum lac & caſeus
Oblongus & Tetragonus,
Hæc ſunt eorum fercula
Quæ provocant ad pocula,
Medonis & Cerviſiæ
Quibus inſtant cotidie.
Vinum putant præcipuum
Quanto ſit magis Rubeum.
Potando gens hæc garrula
Vix ceſſat fari frivola.
Ad menſam & poſt Prandium
Sal porri ſunt ſolatium,
Sed & pater familias
Hoc reputat delicias,
Caldarium cum pultibus
Dare circumſedentibus,
Taxando portiunculas,
Servans ſibi reliquias.
Hoc eis nocet nimium
Ad carnis infortunium,
Quod contra juſſum Phyſicum
Edunt ſalmonem calidum.
Domos demiſſas incolunt
Ex virgulis quas conſtruunt,
Diſtantibus limitibus
Non prope ut in urbibus.
Cum devaſtarunt propria
Vicina quærunt atria,
Edentes quod inveniunt
Poſt hæc ad ſua redeunt,
Vitam ducentes ocio
Sopore & incendio.
Mos cunctis eſt Walenſibus
Aquam dare hoſpitibus,
Si primo pedes laverint
Pendunt quod bene venerint,
Ita quieti victitant,
Quod raro burſam bajulant.
His pecten & pecunia
Pendent ad femoralia.
Et cum abhorrent nimium
Ani pudendum ſonitum,
Mirum quod ante oſtium
Habent latrinas ſordium.
Choro lira & tibiis
Utuntur in conviviis,
Sed elatis funeribus
Clangunt caprinis cornibus,
Extollunt Troiæ ſanguinem
De quo ducunt Originem.
Propinquos ſatis reputant,
Quos centum gradus ſeparant,
Sic præferunt ſe cæteris
Parent tamen presbyteris,
Et ſummi Dei Famulos
Venerantur ut Angelos.
Hos conſuevit fallere
Et ad bella impingere,
Merlini Vaticinium
Et frequens Sortilegium.
Mores brutales Britonum
Jam ex convictu Saxonum,
Commutantur in melius,
Ut patet luce clarius.
Hortos & Agros excolunt
Ad opida ſe conferunt,
Et Loricati equitant
Et calciati peditant,
Urbane ſe reficiunt
Et ſub Tapetis dormiunt,
Ut indicentur Anglici
Nunc potius quam Wallici.
Hinc ſi quæratur ratio
Quietius quam ſolito,

Cur

Cur illi vivant hodie,
In cauſa ſunt divitiæ,
Quas cito Gens hæc perderet
Si paſſim non confligeret.
Timor damni hos retrahit
Nam nil habens nil metuit,
Et ut dixit ſatyricus
Cantat Viator vacuus,
Coram latrone tutior,
Quam Phaleratus ditior.

De terræ Mirabilibus.

AD Brechnoc eſt Vivarium
Satis abundans Piſcium,
Sæpe coloris varii,
Comma gerens Pomerii,
Structuras Ædificii
Sæpe videbis inibi.
Sub lacu cum ſit gelidus
Mirus auditur ſonitus.
Si terræ Princeps venerit
Aves cantare juſſerit,
Statim depromont modulos
Nil concinunt ad cæteros.
Juxta Caerlion mœnia
Ad duo miliaria,
Stat rupes fulva nimium,
Contra ſolarem radium,
Quam Goldeclif gens nominat
Ut Aurum quia rutilat.
Nec fruſtra ſit in rupibus
Flos talis ſine fructibus,
Si floret qui penitima,
Terræ venas & viſcera,
Tranſpenetrare ſedula
Noviſſet arte prævia,
Occulta latent plurima
Naturæ Beneficia,
Quæ hactenus incognita
Humana pro incuria,
Per poſterorum ſtudia
Patebunt ſub notitia;
Quod antiquis neceſſitas
Hoc nobis dat ſedulitas.
Itidem in South-Wallia
Apud Kaerdif eſt Inſula,
Juxta Sabrinum Pelagus,
Barri dicta antiquitus,
In cujus parte proxima,
Apparet rima modica,
Ad quam ſi aurem commodes
Sonum mirandum audies,
Nunc quaſi flatus follium
Nunc metallorum ſonitum,
Cotis ferri fricamina
Fornacis nunc incendia.
Sed hoc non eſt difficile
Ex fluctibus contingere,
Marinis ſubintrantibus
Hunc ſonum procreantibus.
Apud Penbroc eſt Regio
Quam Dæmonum illuſio,
Vexat jactando ſordida,
Et exprobrando vitia,
Qui nullis valet artibus
Fugari neque precibus,
Quod quando terram agitat
Caſum gentis pronoſticat.
Ad Crucmaur in Weſt-Wallis
Eſt tumulus mirabilis,
Qui deconformem cuilibet
Advenienti exhibet,
Ubi ſi Arma integra
Relinquantur in Veſpera,
Confracta proculdubio
Reperies diluculo.
Ad Neuyn in North-Wallia
Eſt Inſula permodica,
Quæ Bardiſcia dicitur,
A Monachis incolitur,
Ubi tam diu vivitur
Quod Senior præmoritur.
Ibi Merlinus conditur
Silveſtris ut aſſeritur.
Duo fuerunt igitur
Merlini ut conjicitur,
Unus dictus Ambroſius
Ex incubo progenitus,
Ad Kaermerthyn demeciæ
Sub Vortigirni tempore,
Qui ſua Vaticinia
Proflavit in Snawdonia,
Ad ortum Amnis Conewey
Ad Clivum montis Eryry,
Duias Embreys ut comperi
Sonat Collem Ambroſii,
Ad ripam quando regulus
Vortiger ſedit anxius.
Eſt alter de Albania
Merlinus quæ nunc Scotia,
Repertus eſt binomius
Silveſtris Calidonius,
A Silva Calidonia
Qua prompſit Vaticinia,

Silveſtris dictus ideo
Quod conſiſtens in prælio,
Monſtrum videns in Aere
Mente cœpit excedere,
Ad ſilvam tendens propere
Arthuri Regis tempore,
Prophetavit apertius
Quam Merlinus Ambroſius.
Sunt montes in Snaudonia
Cum ſummitate nimia,
Ab imis uſque verticem
Vix tranſmeatur per diem,
Quos Cambri vocant Eriry
Quod ſonat montes nivei,
Hi Walliæ pecoribus
Sufficerent in paſcuis.
In horum ſummo vertice
Sunt duo lacus hodie,
Quorum unus erraticam
In ſe concludit Inſulam,
Ventis hinc inde mobilem
Ripis approximabilem,
Ita ut armentarii
Mirentur ſe clam provehi.
Dat alter lacus Parthios
Turcos omnes monoculos,
Quod reperitur hodie
In Mulwellis Albaniæ,
Rothelan in confinibus.
Tegengil eſt Fons modicus,
Qui non marinis moribus
Die bis undat fluctibus,
Sed undis crebro deficit,
Undis viciſſim ſufficit.
In Monia North-Walliæ
Quæ Angleſei eſt hodie,
Eſt lapis ſicut didici,
Concors humano femori,
Qui quantolibet ſpatio
Aſportetur ab Aquilo,
Nocte per ſe revertitur;
Hoc comperit ut legitur,
Hugo Comes Salopiæ
Henrici primi tempore,
Probandi cauſa lapidem
Ligavit ad conſimilem,
Magnis Catenis ferreis
Et projecit in fluctibus,
Qui tamen ſub diluculo
Viſus eſt loco priſtino,
Hunc ſemel quidam Ruſticus
Ligavit ſuis Cruribus,
Statim femur computruit
Lapis ad locum rediit:
Si opus fiat veneris,
Juxta procinctum lapidis,
Lapis ſudorem faciet
Et proles non proveniet.
Eſt Rupes audientium
Sic dictus per contrarium,
Ubi ſi ſonum feceris
Cornu vel exclamaveris,
Hac parte non percipitur
Sonus qui illac editur.
Eſt alia & Inſula
Huic loco contigua,
Sed Heremitas continet
Quorum ſi quiſquam diſſidet,
Statim ſe mures congregant
Eſcas eorum devorant,
Nec ceſſat hæc moleſtia
Donec ceſſet diſcordia.
Sicut hîc & Hibernia
Gens extat melancolica,
Sic Sancti hujus climatis
Propoſiti ſunt vindicis.
In hac quoque Provincia
Hibernia & Scotia,
Campanæ ſunt & Baculi
Ornatu ſub multiplici,
Tam digni proculdubio
In Clero & in populo,
Quod vereantur hodie
Perjurium committere,
Tam ſuper horum alterum
Quam ſuper Evangelium.
Ad Baſingwerk Fons oritur
Qui ſatis vulgo dicitur,
Et tantis bullis ſcaturit,
Quod mox iniecta rejicit,
Tam magnum flumen procreat
Ut Cambriæ ſufficiat,
Egri qui dant rogamina
Reportant medicamina.
Rubro guttatos lapides
In ſcatebris reperies,
In ſignum ſacri ſanguinis
Quem Wenefredæ Virginis,
Guttur truncatum fuderat.
Qui ſcelus hoc patraverat,
Ac nati & nepotuli
Latrant ut Canum Catuli,
Donec Sanctæ ſuffragium
Poſcant ad hunc fonticulum,
Vel ad urbem Salopiæ
Ubi quieſcit hodie.

De

De Britannia.

POſt Inſulas Oceani licet Britanniam deſcribere, cujus terræ gratia hæc præſens lucubrata eſt Hiſtoria, ubi dicetur, 1. de varia ejus nuncupatione. 2. De ſitu ejus & dimenſione. 3. De ejus prærogativis attollendis. 4. De mirabilibus in ea ſtupendis. 5. De partibus ejus principalibus. 6. De Inſulis collateralibus. 7. De plateis ejus regalibus. 8. De famoſis fluminibus. 9. De antiquis urbibus. 10. De Provinciis & comitatibus. 11. De legibus legumque vocabulis. 12. De regnis regnorumque limitibus. 13. De Epiſcopatibus & ſedibus. 14. A quot quando & quibus inhabitata ſit gentibus. 15. De incolarum linguis & moribus.

De Varia Inſulæ nuncupatione.

PRimitus hæc Inſula vocabatur Albion ab albis rupibus circa litora maris à longe apparentibus, tandem à Bruto eam acquirente dicta eſt Britannia, deinde à Saxonibus ſive Anglis eam conquirentibus vocata eſt Anglia, ſive ab Angela Regina, clariſſimi ducis Saxonum filia, quæ poſt multa tempora eam poſſedit; ſive ut vult. [*Iſi. eth. 15.*] Anglia dicitur ab Angulo orbis. [*Vel ſecundum Bed. li. primo.*] Beatus Gregorius videns Anglorum pueros Romæ venales, alludens Patriæ vocabulo ait, vere Angli quia vultu nitent ut Angeli, nam terræ nobilitas in vultibus puerorum relucebat. [*Alfr.*] Anglia Britannia alter orbis appellatur, quam olim Karolus Magnus præ omnium bonorum copia cameram ſuam vocavit. [*Solinus.*] Ora Gallici litoris finis foret orbis, niſi Britannia Inſula nomen pene alterius orbis mereretur. [*Alfr.*] Et dicta eſt Inſula eo quod in ſalo ſit poſita, crebriſque undarum jactibus, adverſariorumque incurſibus tundatur.

De ſitu ejus & Dimenſione. [Plin. l. 2. c. 77.]

HÆC Britannia clara Græcis noſtriſque monumentis, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ adverſa inter ſeptentrionem & occidentem jacet interiecto mari, hæc abeſt à Geſſoriaco Morinorum gentis litore proximo trajectu millium quinquaginta. [*Bed. li. p.*] Et quia prope ſub iſto ſeptentrionali mundi vertice jacet, lucidas æſtate noctes habet, ita ut ſæpe medio noctis tempore in quæſtionem veniat intuentibus utrum crepuſculum adhuc permaneat veſpertinum, an jam advenerit matutinum, utpote nocturno ſole non longe ſub terris ad orientem per plagas boreales redeunte, unde fit ut plurimæ longitudinis habent dies in æſtate, ſicut econtra longas in hieme, id eſt, horarum XVIII. Et iterum in hieme noctes ſunt horarum XVIII & dies VI. Cum tamen in Armenia, Macedonia, Italia, cæteriſque ejuſdem lineæ regionibus, longiſſima dies ſive nox ſit ſolummodo XV horarum æquinoctialium, breviſſima vero dies ſive nox IX duntaxat horas compleat. [*Plinius.*] In Meroe Inſula, quæ eſt caput Æthiopum, ſic fit ut longiſſimus dies ſit XII horarum æquinoctialium, Alexandriæ Ægypti XIII horarum, in Italia XV horarum, in Britannia XVIII, apud Inſulam Tilæ ſævis menſibus æſtivalibus dies habetur continuus, & iterum ſævis menſibus brumalibus nox continua. [*Iſi. li. 14.*] Britannia intra oceanum quaſi extra orbem poſita, adverſa Galliæ ad proſpectum Hiſpaniæ ſita eſt. [*Gir.*] Oblonga eſt & amplior in medio quam in extremis

tremis. [*Oroſius.*] Britannia per longum extenditur ab Auſtro in Boream ab Euro habet Galliam ab Auſtro Hiſpaniam. Ab Aquilone Nortguegiam, ab Occaſu Hiberniam, cujus proximum litus tranſineantibus civitas apparet quæ dicitur Rutipi Portus. Quæ à gente Anglorum nunc corrupte vocatur Repcaceſtrius. [*Solinus.*] Britannia octingenta millia paſſuum in longum continet, ſiquis eam à Toteneſio litore uſque in Calidonicum angulum metiatur. [*Alfr.*] Hoc eſt à loco, qui Penwithiſtrete dicitur, xv leucis ultra Micheliſtowe in Cornubia uſque ad Cateneſſe, quæ eſt trans Scotiam; in latitudine autem habet pluſquam ducenta millia paſſuum à Menevia, ſcil. quæ eſt in extremo Walliæ uſque ad Gernemutham in Northſolchia. [*Bed. v. ſupra.*] Exceptis duntaxat prolixioribus diverſorum promuntoriorum tractatibus, quibus efficitur ut circuitus ejus quadragies octies ſeptuaginta millia paſſuum contineat.

De Prærogativis Inſulæ attollendis, [Gir. in Top.]

UTI Gallia Britanniam, ſic Britannia Hiberniam vincit ſerenitate, ſed non ſalubritate. [*Beda li. p.*] Hæc Inſula opima eſt frugibus & arboribus, alendiſque apta pecoribus ac jumentis, vineis etiam quibuſdam in locis germinans, ſed avium atque beſtiarum diverſi generis terra marique, ferax fluviis piſcoſis, atque fontibus præclara copioſis, Yſicio potiſſime abundat & Anguilla. [*Wilt. de pont. li. 3.*] Ita ut ruſtici projectis piſcibus ſues paſcant. [*Bed. li. p.*] Capiuntur ibi ſæpiſſime Delphini & Vituli marini, necnon & Balenæ, exceptis variorum Conchiliorum generibus, in quibus ſunt & Muſtelæ incluſam continentes Margaritam omnis quidem coloris, id eſt, rubicundi, purpurei, jacintini, praſini, & maxime candidi; ſunt & abundantes Cocleæ, quibus tinctura coccinei coloris efficitur, cujus rubor pulcherrimus nullo unquam ſolis ardore, nulla valet pluviarum injuria palleſcere, ſed quo vetuſtior eo ſolet eſſe venuſtior; habet & ſalivarum, fonteſque calidos, & ex eis fluvios Balneorum calidorum omni ætati & ſexui per diſtincta loca cuique accommodos. Aqua enim ſecundum Baſilium fervidam qualitatem recipit, cum per certa quædam metalla tranſcurrit. Hæc etiam Inſula venis metallorum, æris, ferri, plumbi, ſtanni, & argenti eſt fœcunda. [*Plinius li. 16. c. 6.*] In qua etiam Inſula de ſub cortice ſoli inventum eſt genus terræ quam Marlam vocant, in qua tanquam deſiccante ſe pinguedinis nucleo, ſpiſſior, cum ſpergitur, ubertas in agris reperitur; eſt & ibi aliud genus albæ cretæ, quæ reſperſa fœcundat agros uſque ad LXXX annum. [*Solinus.*] Gignit etiam hæc Inſula lapidem Gagatem, cujus ſi decorem requiras nigro-gemmeus eſt; ſi naturam, aqua ardet, oleo extinguitur; ſi poteſtatem, attritu calefactus applicita detinet; ſi beneficium, Ydropicis eam potantibus confert. [*Beda.*] Incenſus ab igne ſecundum putes fugat, calefactus applicita detinet, æque ut ſuccinum. [*Iſi. li. 15.*] Ibi oves lanigeræ, ferarum & multitudo cervorum, ſed pauci lupi, ideoque oves ibi tutius ſine cuſtodia in caulis relinquuntur. [*R.*] In ea quoque ſunt urbes multæ ſpecioſæ & opulentæ, flumina magna & piſcoſa, nemora pecualia & ſpatioſa, gleba terræ mineris & ſalinis copioſa; in ea quippe ſunt lapidicinæ marmoris varii ſaxi rufi & albi, mollis & ſolidi, calciſque candidæ; eſt etiam ibi argilla alba & rubea ad componendum vaſa fictilia, & tegulis tingendis velut altera Samia multum accomoda, denique lanam ejus zelat Flandria, coria & pelles Normannia, ferrum & plumbum Vaſconia, mineras & ſales Hibernia, æra ejus nivea univerſa ſitit Europa. [*Alfr.*] Cæterum Britannia omni materia affluit, quæ pretio ambitioſa ſeu uſu neceſſaria eſt ferrariis, & ſalmis nunquam deficit, unde & quidem metricus in laude ejus ſic prorupit.

An-

Anglia terra ferax & fertilis angulus orbis,
Anglia plena jocis, gens libera digna jocari.
Libera gens cui libera mens & libera lingua,
Sed lingua melior liberiorque manus.
Anglia terrarum decus & flos finitimarum,
Et contenta ſui fertilitate boni.
Externas gentes conſumptis rebus egentes,
Quando fames lædit recreat & reficit,
Commoda terra ſatis mirandæ fertilitatis,
Proſperitate viget cum bona pacis habet.
Anglorum portus occaſus novit & ortus,
Anglica claſſis habet quod loca multa juvet;
Et cibus & cenſus magis hîc communis habetur,
Nam de more viri ſunt ibi magnifici.
Illa quidem longe celebri ſplendore beata,
Glebis lacte fanis ſupereminet Inſula cunctis,
Inſula prædives quæ toto non eget orbe
Et cujus totus indiget orbis ope,
Inſula prædives cujus miretur & optet,
Delicias Salomon, Octavianus opes.

De Mirabilibus in ea ſtupendis, [*Solinus.*]

SUnt in Britannia fontes calidi opiparo ex cultu apparati ad uſus mortalium, quibus fontibus præſul eſt numen Minervæ, in cujus æde perpetui ignes nunquam caneſcunt in favillas; ſed ubi ignis tabet vertitur in globos Saxeos. [*Alfr.*] Cum Britannia in ſe plura continet mirabilia, quatuor tamen præ cæteris habet miranda. Primum eſt, quod apud Peccum ventus egreditur de cavernis terræ tam valide ut veſtes injectas rejiciat. 2. Eſt apud Stanhenges juxta Sarum, lapides miræ magnitudinis in modum portarum elevantur, ita ut portæ portis ſuperpoſitæ videantur, nec tamen liquido perpenditur qualiter aut quare ibi ſunt conſtructi. 3. Eſt apud Cherdhole, ubi Concavitas eſt ſub terra, quam cum multi ſunt ingreſſi, ſæpe terræ ſpatia & flumina videntes, nuſquam ad finem venire potuerunt. 4. Eſt quod pluvia videtur de montibus elevari, & cito per campos diffundi. Eſt etiam in ea ſtagnum LX. Inſulas habitabiles continens, quod LX rupibus ambitur, in quarum qualibet aquila nidificat, & LX flumina fluunt in illud, quorum nullum ad mare progeditur præter unum. Eſt ibi ſtagnum muro lapideo & latericio circumdatum, in quo frequenter lavantur, homines, quibus fit lavacrum unicuique ſicut voluerit frigidum ſeu calidum; ſunt in ea fontes ſalis longe à mari, quorum aquæ per totam Ebdomadam ſalſæ ſunt uſque ad horam nonam Sabbati, & tunc dulces uſque ad diem Lunæ, à quibus decoquitur ſal candidum & ſubtile. Eſt etiam in ea ſtagnum, cujus aqua tantam habet efficaciam, ut ſi totus Exercitus Patriæ aſtaret juxta, & faciem dirigeret verſus undam, unda illos attraheret violenter, veſtibus humore madefactis, ſimiliter & equi traherentur: ſi autem facies hominum fuerunt averſæ; non nocebit unda. Eſt etiam fons in quo nec à quo fluit rivus, & tamen in eo capiuntur quatuor genera piſcium; & habet fons tantum in longitudine 20 pedes, & 20 in latitudine, nec tamen eſt profundus, ſed uſque ad genua, ripas altas habens ex omni parte. In regione Wenta eſt fovea à qua ventus flat inceſſanter, ita ut nemo poſſit ſubſiſtere ante eam. Eſt etiam in ea ſtagnum quod facit lignum impoſitum dureſcere in lapidem, ſi per annum in eo manſerit, unde formantur

mantur ligna in cotes. Eſt in cacumine montis ſepulcrum, cui quilibet accedens & ſe demetiens inveniet menſuræ ſuæ quantitatem, & ſi peregrinus vel laſſus aliquis ibi flexerit genua ad illud, nullum ilico ſentiet tædium. [*Gir. in Top.*] Juxta Monaſterium Winburnenſe, quod eſt non longe à Bathonia, eſt nemus fructuoſum, cujus ligna, ſi in aquam vel in terram vicinam per annum ceciderint, in Saxum convertentur. [*Gir. in itin.*] Sub civitate Ceſtriæ currit flumen Deæ, quod hodie diſterminat Angliam à Wallia, quod ſingulis menſibus, ut aſſerunt accolæ, vada ſua ſolet mutare, & ut finium Angliæ ſeu Cambriæ alveo relicto magis incubuerit, gentem illam eo anno ſuccumbere, & alterum prævalere certum habent prænoſticum, iſte fluvius Deæ de lacu cui nomen Pimbilmere originem ducit, & cum flumen ſalmonibus abundet nuſquam tamen in lacu ſalmo reperitur. [*Wil. de Reg. li. 2.*] Conſiderandum eſt quantus diem pietatis fulgor ab initio ſuſceptæ fidei populum Anglorum illuſtraverit, quod nuſquam gentium in una Provincia reperiuntur tot Sanctorum poſt mortem illibata corpora finalis incorruptionis ſimulacrum proferenda, ſicut patet in beatis Etheldreda, Edmundo Rege, Elphego, Cuthberto, quod ideo fieri credo cœlitus, ut natio extra orbem pene poſita ex conſideratione talis incorruptelæ fidentius ad ſpem reſurrectionis animetur.

De partibus Inſulæ principalibus.

COepit Britannia Inſula poſt Bruti primi tempora tres habere partes principales, ſcil. Loegriam, Cambriam, Albaniam, quæ nunc Scotia dicitur; Loegria à Locrino Bruti primogenito denominata, hodie vulgato vocabulo Anglia dicitur, cujus limites primo fuerunt Fretum Gallicanum ad Ortum & Auſtrum. [*Beda li. p. c. 12.*] Et ad Aquilonem duo maris brachia altrinſecus in terram longo ſpatio irrumpentia, quamvis ad ſe invicem non pertingant, quorum Orientalis ſinus incipit duobus ferme millibus à Monaſterio Ebbirturing, ad Occidentem urbis de Pemlton, & habet in ſe urbem Guydi, Occidentalis vero ſinus habet ad dextram ſui urbem minutiſſimam Alcluid, quod lingua eorum ſonat petram cluit, & ponitur juxta flumen nominis ſui Cluit. [*R.*] Volunt tamen quidam Loegriam apud flumen Humbræ terminari, nec ulterius verſus Boream debere extendi. Secunda pars Britanniæ, Albania ſive Scotia dicitur, ab Albanacco Bruti filio ſic denominata, extendit ſe à duobus marinis Brachiis prædictis uſque ad mare Norguegiæ verſus Aquilonem; pars tamen auſtrina Albaniæ, quæ eſt à fluvio Tuidy uſque ad mare Scoticum, à Pictis quondam inhabitata, pertinuit aliquando ad Regnum Northamhymbrorum Berniciorum, à primis viz. Regum Anglorum temporibus, uſque dum Rex Scotorum Kinadius Alpini filius Pictos deleret &c. partem illam Regno Scotiæ annecteret. Tertia pars Britanniæ dicitur Wallia, quæ & Cambria à Cambro Bruti filio ſic dicta, quam ex parte Orientali flumen Sabrinæ quondam ſequeſtrabat à Loegria; hodie tamen flumen Deæ apud Ceſtriam in Borea, & flumen Vaga apud caſtrum Strigulenſe in Auſtro, Walliam ab Anglia ſecuit. Inſuper & Rex Offa, ad perpetuam Regnorum Angliæ & Walliæ diſtinctionem habendam, fecit foſſam perlongam, quæ ab Auſtro juxta Briſtolliam ſub montibus Walliæ jugiter ſe extendit in Boream, fluminaque Sabrinæ & Deæ in eorum pene primordiis tranſcindit &c. uſque ad oſtium fluminis Deæ ultra Ceſtriam, juxta caſtrum de Flint, inter collem Carbonum & monaſterium de Baſingwerk, in mare ſe protendit. Hujus Foſſæ famoſiſſimæ extant adhuc veſtigia, quam cum armis prætergredi tempore Sancti Edwardi Regis cunctis Cambrigenis pœnale fuit, procurante hoc Comite Haroldo, ſicut inferius dicitur: ſed hodie hinc inde ultra citraque foſſam illam potiſſime

tiſſime, in Provinciis Ceſtriæ, Salopiæ, Herfordiæ, Wallici cum Anglicis paſſim ſunt promixti.

De Inſulis adiacentibus.

ET præter Inſulas Orcadas, quas Claudius Cæſar ad Britanniam pertinere fecerat, habet Britannia tres Inſulas ſibi propinquas, quaſi tribus Britanniæ partibus principalibus correſpondentes; nam Loegriæ ad Auſtrum adjacet Inſula Vecta; Walliæ ad boream Inſula Monia, quæ Angliſeia dicitur; Scotiæ ad Occaſum Inſula Eubonia, quæ dicitur Menania, ſive Man dicitur. Omnes pene ejuſdem ſunt quantitatis de quibus hîc per ordinem. [*Bed. li. p. c. 3.*] Inſula Vecta, quam Veſpaſianus à Claudio miſſus ſubjugavit, protenditur ab Ortu in Occaſum 30 millibus, ab Auſtro in Boream 12 millibus, & diſtat à Meridiano Britanniæ litore 6 millibus in Oriente ſui parte, & tribus millibus in Occidentali. [*Bed. li. 4. c. 15.*] Hujus Inſulæ menſura ſecundum æſtimationem Anglorum eſt mill. CC. familiarum [*Gir. in itin. li. 2.*] Inſula Monia, quæ & Angliſeia brevi maris brachio quaſi duobus milliaribus ſeparatur à North-Wallia, & continet *363* Villas pro tribus Cantredis, computatur quaſi 30 mill. habens in longum ſed 12 in latum, & dicitur Cantredus compoſito nomine tam Britannica quam Hibernica lingua tanta terræ portio, quanta Centum Villas continet. In hujus Inſulæ laudem proverbialiter ſolet dici Cambrice ſic, Mon Mam Kymry, quod Latine ſonat Monia mater Cambriæ; nam aliis terris victu deficientibus, hæc gleba præpollet adeo, ut hæc in annona monte Snaudoniæ in paſtura totius Cambriæ populo & armentis videatur ſufficere, unde & illud Virgilius aptari ſibi poſſit.

Et quantum longis carpunt Armenta diebus
Exigua tantum gelidus vos nocte reponit.

In Marino Brachio quod hanc Inſulam à North-Wallia ſecernit eſt vorago attrahens naves, & abſorbens inſtar Scyllæ ſeu Charybdis, niſi pleno mari ſubtiliter tranſnavigetur. [*R.*] De Mirabilibus hujus Inſulæ vide ſupra capitulo Wallia. [*Gir. in itin.*] Tertia Inſula, quæ Eubonia ſeu Mevania dicitur, inter Hibernicam Ultoniam & Scoticas Galwodias, quaſi in umbilico maris, media jacet. [*Bed. li. 2. c. 9.*] Hæc duas continet partes quaſi Inſulas, quarum prior ad Auſtrum & ſitu amplior & ubertate felicior, nongentarum LX familiarum eſt juxta Anglorum æſtimationem, ſecunda trecentarum & ultra ſpatium tenet. [*Gir. in Top.*] De qua quondam Inſula cui Regioni, Hiberniæ ſcil. an Angliæ, applicari deberet exorta contentione, qui venenoſos Vermes advectos admiſit, eam Britanniæ applicandam cenſuerunt. [*R.*] In illa Inſula vigent ſortilegia, ſuperſtitiones atque præſtigia: nam mulieres ibidem navigaturis ventum vendunt, quaſi ſub tribus fili nodis incluſum, ita ut ſicut plus de vento habere voluerint plures nodos evolvant. Ibi frequenter ab indigenis videntur de die homines prius mortui decapitati, ſive integri, juxta modum ſuæ mortis: ut autem Alienigenæ & adventitii hoc videre poſſint, ponunt pedes ſuper pedes incolarum &c. videre poterunt quod Incolæ vident. [*Beda li. 2.*] Hæc Inſula ab initio fuit à Scotorum gente inhabitata, Thanatos Inſula juxta Cantiam à morte ſerpentium ſic dicta, quos dum ipſa neſciat, ejus tamen terra aliunde aſportata angues interimit, cujus gleba plurimum ferax uberem creditur benedictionem contraxiſſe ab adventu Auguſtini Prothodoctoris Anglorum ibidem primum applicante.

De Plateis Regalibus.

STatuit Molmucius Rex Britonum XXIII^us. & primus eorum Legiſer, ut aratra Colonum, templa Deorum, viæ quæ ad civitates ducentes, immunitate confugii gauderent, ita ut nullus reus ad aliquod iſtorum trium confugiens pro tuitione ab aliquo invaderetur. Verum quia procedente tempore de viis, cum non eſſent certis limitibus diſtinctæ, orta eſſet diſſentio, Belnius Rex filius Molmucii prædicti, ad ſubducendum omne ambiguum, quatuor regales vias, omni privilegio munitas, per Inſulam ſterni fecit, quarum viarum prima & maxima Foſſa dicitur ab Auſtro in Boream extenſa, quæ incipit ab Angulo Cornubiæ apud Toteneſſe, & terminatur in fine Scotiæ apud Cateneſſe. [*R.*] Verius tamen ſecundum alios incipit in Cornubia, tendenſque per Devoniam, Somerſete, juxta Tetteburium, ſupra Cotteſwold, juxta Coventriam, uſque Leiceſtriam procedit, indeque per vaſta plana verſus Newark progrediens diutius, apud Lincolniam terminatur. Secunda Via principalis dicitur Watlingſtrete, tendens per tranſverſum prioris viæ, viz. ab Euro-Auſtro in Zephyrum Septentrionalem. Incipit enim à Dovoria, tranſiens per medium Cantiæ, ultra Tameſium, juxta Londonium, ad Occidentem Weſtmonaſterii, indeque procedit juxta Sanctum Albanum ad Occidentem per Dunſtapulam, per Stretfordiam, per Touceſtriam; Wedmam, ad Auſtrum Lilleburum, per Atherſcotiam uſque ad montem Gilberti, qui modo Wrekene dicitur. Deinde tranſcindit Sabrinam, juxta Wrokceſtriam, tendit ad Strettoniam, & inde per medium Walliæ uſque ad Cardigan in mari Hibernico terminatur. Tertia Via dicitur Ernimgiſtrete, tendens à Zephiro in Eurum, & incipit à Mavonia, in Weſt-Wallia, procedens uſque ad portum Hamonis, quæ modo dicitur South-Hamptonia. Quarta Via dicitur Rykenildeſtrete tendens ab Affrico in Boream Vulturnalem, & incipit à Mavonia prædicta, tenditque per Wigorniam, per Wicum, per Birmyngham, Lichefeld, Derby, Cheſterfeld Eborum uſque, ad Oſtium Tyne fluminis quod Tynemutha dicitur.

De famoſis fluminibus.

TRia per Britanniam fluunt famoſa flumina, per quæ ex univerſis pene nationibus tranſmarina per totam Inſulam navigio feruntur commercia, viz. Thamiſia, Sabrina, & Humbra, quorum alveis per ampla Oſtia oceani marinum flumen influens & refluens, tres Inſulæ Principales provincias quaſi tria Regna diſterminant, id eſt, Loegriam, Cambriam & Northimbriam. [*R.*] Tamiſia videtur componi à nominibus duorum fluminum, quæ ſunt Thama & Yſa. Thama currens juxta Dorceſtriam cadit in Yſam; inde totus fluvius à ſuo exortu uſque ad mare Orientale dicitur Thamiſia; nempe juxta urbem Tetteburiam, quæ tribus millibus ad Boream Malmesburiæ ponitur: naſcitur Thamiſia ex fonticulo verſus Orientem decurrente, ac plateam Foſſæ tranſcindente, Provinciaſque Gloverniæ & Wiltoniæ diſterminante, qui ſecum alios fonticulos profluendo trahens, apud Circeſtriam grandeſcit. Inde quoque verſus Hamptonam tendens, per Oxoniam, per Wallingfordiam, per Radingum, perque Londoniam. [*W. de pon. li. 2.*] Apud Sandicum portum labitur in mare Orientale, nomenque ſuum retinet ultra Londoniam, per xxxx milliaria, fuitque quondam terminus Cantiorum, & Eſt-Saxonum, Weſt-Saxonum, & Merciorum. [*R.*] Sabrina fluvius Britanniæ dicitur Habren ab Habren filia Eſtrildis, quam Guendolena Regina ſubmerſit in ea, ſed per corruptionem

ptionem Latinæ Linguæ dicitur modo Sabrina; oritur quoque in medio Walliæ, tranſitque primo verſus Orientem uſque Salopiam, inde vergit ad auſtrum uſque Brugges, Wigorniam, Glouceſtriam, & apud Briſtolliam labitur in mare Occidentale, fuitque terminus aliquando Cambriæ & Loegriæ. [*W. de Pont. li. 4.*] Sabrina eſt alveus gurgite rapax, arte piſcoſus, in quo furor voraginis ſeu potius vertiginis ab imo verrens arenas conglobat in cumulum, ripaſque frequenter tranſcendit. [*R.*] Humbra quoque ab Humbro Rege Hunnorum in ea ſubmerſo nomen ſortita eſt, primo ab auſtrali parte Eboracenſium arcualiter decurrens, inde provinciam Lindiſienſem, quæ olim ad Mercios ſpectabat, à reliqua plaga Northimbrana diſterminat, hanc autem Humbram multum adauget flumen Trentæ & Ouſæ in ea cadens.

De Antiquis Urbibus. [Beda li. p. ca. p.]

REgio Britanniæ quondam erat civitatibus nobiliſſimis XXVIII inſignita, præter Caſtella innumera, quæ & ipſa muris & turribus, portis ac ſerris, erant inſtructa firmiſſimis.

[Alfr.] *Civitatum nomina hæc erant:*

CAerlud, id eſt, *Londonium.*
Caerbranc, id eſt, *Eborum.*
Caerkent, id eſt, *Cantuaria.*
Caergorangon, id eſt, *Wigornia.*
Caerlirion, id eſt, *Leiceſtria.*
Caerclan, id eſt, *Glouceſtria.*
Caergolden, id eſt, *Colceſtria.*
Caercri, id eſt, *Chiceſtria,* quæ olim apud Saxones vocabatur *Ciſcanceſtria.*
Caercri, id eſt, *Cirenceſtria.*
Caerguent, id eſt, *Wintonia.*
Caergrant, id eſt, *Cantebrugge.*
Caerliel, id eſt, *Lugubalia.*
Caerperis, id eſt, *Porceſtria.*
Caerdorm, id eſt, *Dorceſtria.*
Caerludcoit, id eſt, *Lincolnia,* ſive *Lindocolinum.*
Caermerthyn, id eſt, *Urbs Merlini.*
Caerſegent, id eſt, *Seleceſtria,* quæ ſuper Thamiſim non longe à *Radingo* ponitur.
Caerthleon, ſive Caerlegion, id eſt, *Urbs Legionum,* quæ poſt *Legeceſtria,* dicebatur ſed modo *Ceſtria* dicitur.
Caerbadun, id eſt, *Bathonia,* quæ aliquando Urbs *Achamani* vocabatur.
Caerpalodour, id eſt, *Septonia,* quæ hodie vocatur *Shaſtisburia.*

[*R.*] Sunt & alia urbium nomina in Chronicis reperta ad intelligendum obſcuriora, de quibus hîc per ordinem aliqua ſuut dicenda. [*W. de Pont. li. 2.*] London eſt Civitas ſuper Thamiſim flumen poſita, opima civium divitiis, negotiatorum commerciis, unde fit ut quando ubique in Anglia ſit Victualium cariſtia, ibi minus vendatur, aut forſan vendentium compendio aut ementium diſpendio. [*Gaufrid.*] Hanc urbem Brutus primus Rex Britonum conſtruxit primam Britanniæ urbem, in memoriam Troiæ amiſſæ,

 vocans

vocans eam Troinovantum, id eſt, Troiam novam. Tandem Rex Lud vocavit eam à nomine ſuo Caer-Lud. [*R.*] Quam ob cauſam indignati ſunt Britones, ſicut refert Gildas. Demum Angli vocaverunt eam Londene. Poſtmodum Normanni vocaverunt eam Lounders, quod Latine dicitur Londonia. Cantuariam caput Cantiæ conſtruxit Rex Ruthudibras filius Regis Leill VIII, quam vocavit Caerkent, quæ poſtmodum ab Anglis dicta eſt Dorobernia, quæ alia eſt à Dorovernia, ſive à Dovoria ſupra Litus maris Gallicani ſituata, & diſtante ab iſta 12 milliaribus Anglicanis. Tandem Dorobernia dicta eſt Cantuaria: Wintoniam urbem conſtruxit Rex Ruthudibras prædictus, quam vocavit Caerguent, quæ poſtmodum ab Anglis dicta eſt Wenta, ſive Wineceſtria, à quodam Wyne Anglo ibidem pontificante, cui tota Weſt-Saxonia plaga ſubjecta fuerat. Idem quoque Rex fecit urbem Paladour, id eſt, Septoniam, ubi dicunt Britones Aquilam quondam prophetaſſe. Bathoniam urbem ſive Badonem conſtruxit Rex Britonum nonus Bladud Nigromaticus filius Leill, quam ex nomine ſuo vocavit Caerbadun, quæ poſt ab Anglis vocata eſt Athamannia, & tandem dicta eſt Bathonia. [*W. de Pont. li.* 2.] In hac urbe calidorum Balneorum latex emergens auctorem Julium Cæſarem habere creditur, [*R.*] Sed Gaufridus Monemutenſis in ſuo Britannico libro aſſerit, Regem Bladud hujus rei fuiſſe auctorem. Forſan Willielmus, qui Britannicum Librum non viderat, iſta ex aliorum relatu, aut ex propria conjectura, ſicut & quædam alia minus ſcripſit exquiſite. Proinde videtur magis veriſimile quod licet Rex Bladud hanc urbem conſtruxerit, non propter hoc ipſe aut Julius hæc calida Balnea conſtruxerit. Immo quod aqua originalis tranſiens per venas ſulphureas, quibus naturaliter calefacta ebulliat, in urbe illa fervidas ſcaturigines per loca varia, ubi ſcabredines & putredines ſæpe purgantur. Glouceſtriam, ſive Gloverniam, ſeu Claudioceſtriam, conſtruxit Claudius Cæſar in nuptiis filiæ ſuæ, quam copulavit Regi Britonum Arvirago; hæc urbs dicta eſt primo à Britonibus Caerclan, à Claudio, ſed poſt dicta eſt Glouceſtria à Glora duce Regionis illius, & ponitur ſupra Sabrinum mare, in confinio Loegriæ & Cambriæ. Salopia urbs eſt in confinio Cambriæ & Angliæ, ſuper Sabrinam in vertice collis poſita, quæ Anglice vocatur Schrobbesburia à dumis & fructibus in illo colle aliquando creſcentibus ſic dicta, Britannice vero vocatur Pengueru, quod ſonat Caput abietis, & fuit aliquando caput Powiſiæ terræ, quæ ſe extendit per tranſverſum mediæ Walliæ uſque ad mare Hibernicum. Notingham ponitur ſuper flumen Trent, olim vocabatur Snotingham, quod ſonat Manſio ſpeluncarum, quas Dani ut ferunt ibidem perhendinantes excavarunt de ſub Saxo. Lincolnia caput eſt provinciæ Lindiſiæ, primo vocabatur Caerludcoit, deinde Lindecolnium, à quo primo conſtructa fuerit incertum habetur, niſi forſan Rex Lud eam fundaverit, quod & nominis Interpretatio videtur ſonare, nam Britannice Caer ſonat civitatem, Coit ſilvam, inde videtur dici Caerludcoit quaſi urbs nemoroſa Lud. Leiceſtriam conſtruxit Rex Britonum x Leir filius Bladud, quaſi in meditullio Loegriæ, ſuper amnem Soram, & ſuper foſſam Viam Regalem.

Ws. de Pont. l. 3.

EBoracus urbs eſt ampla ex utraque parte Amnis Ouſæ conſtructa, Romanæ elegantiæ præferens judicium, quouſque Rex Angliæ Conqueſtor Willielmus illam cum adjacente Regione incendio deformaret, ita ut ſi modo eam viderit Peregrinus ingemiſcat, ſi vetus incola non agnoſcat. [*Gaufr.*] Hanc urbem conſtruxit Ebrancus Rex Britonum v, vocans eam ex nomine ſuo Caerbranc. Fecit quoque idem Rex alias duas urbes inſignes, unam

unam in Albania, quæ dicitur Edenburgh, aliam verſus Albaniam in finibus Loegriæ, quæ dicitur Alcluid. [*R.*] Eſt autem Edenburgh urbs in Pictorum terra, inter flumen Twidi & mare Scoticum poſita, quæ quondam vocabatur Caſtrum Puellarum: poſtea tamen dicta eſt Edenburgh, ab Edan Rege Pictorum, qui ibidem regnavit, tempore Egfridi Regis Northimbrorum.

Alcluid urbs quondam inſignis, nunc cunctis Angligenis pene eſt ignota: nam ſub tempore Britonum, Pictorum, & Anglorum, uſque adventum Dacorum, urbs erat celebris; tandem circa annum Gratiæ DCCCLXX, vaſtantibus Danis partes Northimbranas, deſtructa eſt & illa. Quo autem in loco Britanniæ illa fuerat conſtructa varii ſunt Auctores, [*Nam Bed. li. p. c. 12.*] Dicit illam fuiſſe conſtructam ad Occidentalem ſinum illius marini Brachii, quod olim ſeparabat Pictos à Britannis, ubi vallum Severi, ſive murus ille famoſus ad Occidentem terminatur; & ſic videtur ſecundum ipſum, quod non multum diſtet à Lugubalia, id eſt Caerliell; quia & ipſa ad finem illius muri ponitur. Volunt alii Hiſtorici, quod urbs Alcluid ſit illa, quæ modo vocatur Aldeburgh, quod ſonat Villam Veterem, quæ ponitur juxta flumen Ouſe, non longe à Burghbrigge, quæ diſtat ab Eboraco XV milliaribus ad Occidentem: & hoc videtur probare ex dictis Gaufridi de Geſtis Britonum, qui ſcribit Elidurum Regem Britonum, dum apud urbem Alcluid cauſa venatici ſolacii perhendinaret, reperiſſe fratrem ſuum Archgallonem in vicino nemore Calaterio aberrantem. Conſtat autem quod nemus Calaterinum, quod Anglicè Caltrees dicitur, attingit pene Eborum, & inde verſus Zephyrum extenditur juxta Aldeburgh in longum, ſpatio XX milliarium, cujus nemoris plurima pars hodie ſuccisis arbuſculis ad culturam redigitur. Volunt alii ut Alcluid ſit urbs illa, quæ modo vocatur Burgham, in Borealibus finibus Weſtmerlond, juxta Comberlond, ſuper flumen Edene ſita, cujus adhuc miranda apparent veſtigia; hîc dijudicet prudens Lector quid de Alcluid ſit tenendum. Caerliell urbs eſt in finibus Anglorum Borealium, verſus Zephyrum ſeptentrionalem, quæ alio nomine Lugubalia dicitur, quam condidit VII Rex Britonum Leill. [*R.*] Habetque urbs hæc in ſe aliquam partem illius muri famoſi, qui tranſcindit Northimbriam. [*Will. de Pont. li. 3.*] In qua urbe manet adhuc ex lapideis fornicibus triclinium concameratum, quod nulla unquam Tempeſtatum contumelia, aut ignium flamma, valuit labefactare. In vicina quoque plaga apud Comberlond legitur adhuc in fronte triclivii ſic inſcriptum, Marii Victoriæ, quod quidem ſic hæſito, niſi forſan pars Cumbrorum olim his locis inſederit, cum fuiſſent à Mario conſule Italia pulſi. [*R.*] Sed probabilius videtur, quod ibi fiat mentio de Mario Rege Britonum filio Arviragi, qui illis in locis Vodricum Regem Pictorum devicerat, ſicut teſtatur Gaufridus in ſuo Britannico li. quem W. Malmesburienſis nuſquam viderat. Haguſtaldenſis Eccleſia locus eſt LXXX milliaribus ab Eboraco ad Zephyrum Borealem diſparatus, ut vult [*W. de Pont. li. 3.*] Locus ille ab olim ad Epiſcopum Eborum pertinuit, ubi quondam fuerunt artificioſa ædificia, Romano more cocleata, qualia citra Alpes vix uſpiam viſebantur. Et vocatur hodie locus ille Heſtoldeſham ſive Heghliſham. [*Beda li. 3. c. p.*] Et eſt locus ille juxta murum longum Romani operis ad Boream. [*R.*] Eſt autem differentia inter provinciam Lindisfarorum & Eccleſiam Lindisfarnenſem. Nam Provincia Lindisfarorum eſt idem quod Lindiſeia, quæ jacet ad Orientem Lincolniæ, cujus ipſa caput eſt, de qua dicit [*Bed. li. 4. c. 11.*] quod Sexwlfus erat ibidem primus Epiſcopus, ſed Eccleſia Lindisfarnenſis, [*Secundum Bed. li. 4. ca. 23.*] idem eſt quod Inſula quæ dicitur Haly-Elond, in fluvio Twidi, prope Berwicum. Et ſic colligitur ex dictis Bedæ quod in illo famoſo marino Brachio, in quod fluit amnis Twidi, quod hodie ab Oriente ſeparat Anglos à Scotis, ſunt tres Inſulæ, ſcil. Mailros, quod modo dici-

tur

tur Meuros. Inde ſuperius verſus occidentem eſt Lindisfarnenſis Eccleſia, id eſt, Hali Elond. Inde aſcendendo ponitur Inſula Farne, quæ eſt Farny Elond. Inde aſcendendo per duo milliaria ponitur urbs Regia ſuper ripam Twidi, quondam dicta Bebbauburgh, id eſt, urbs Bebbæ, hodie dicitur Bamburgh, Caſtrum habens fortiſſimum. [*Gir. in itin.*] Urbs Legionum duplex eſt, quæ Britannicè vocatur Caerlegion, vel Caerleon, una eſt in Demecia, id eſt, South-Wallia, quæ dicitur Caerult, ubi Uſta flumen cadit in Sabrinum mare juxta Glammorganciam, à Belino Rege Britonum quondam conſtructa, metropolis fuit Demeciæ. Poſtmodum tempore Claudii Cæſaris dicta eſt urbs Legionum, quando, ad inſtantiam Gemiſſæ Reginæ, Veſpaſiano & Arvirago concordatis, miſſæ ſunt aliquæ Legiones Romanæ in Hiberniam. Urbs hæc auctentica, ac per Romanos muris coctilibus circumdata, ubi multa adhuc priſtinæ nobilitatis apparent veſtigia, Palacia ſcil. immenſa, turris Gigantea, thermæ inſignes, templorum reliquiæ, & loca theatralia egregiis muris partim exſtantibus pene clauſa; & tam intra quam extra murorum ambitum ædificia ſubterranea, aquarum ductus, Ypogæique meatus, ſtuphas quoque videas ibidem miro artificio conſertas, lateralibus quibuſdam anguſtiis ſpiraculi vice occulte calorem exalantibus, in qua urbe tres olim egregiæ fuerant Eccleſiæ, una Julii Martyris, Virginum choro venuſtata, alia beati Aaron, præclaro Canonicorum Ordine nobilitata, tertia vero metropolitana ſede totius Cambriæ fuit inſignita, de qua poſtmodum uſque Meneniam ſedes illa eſt tranſlata. Hoc in loco Amphibalus Doctor Albani exſtitit oriundus, hîc magni Arthuri, ſi fas ſit credere, magnam curiam Legati adiere Romani. [*R.*] Eſt & alia urbs Legionum ejuſdem nominis, ubi & præſens Chronica fuit elaborata, ſicut per capitales hujus primi libri apices clarius patet. Urbs quidem in confinio Angliæ ad proſpectum Cambriæ, inter duo marina brachia, Dee & Merſee, ſituata, quæ tempore Britonum caput fuit & Metropolis Venedociæ, id eſt, North-Walliæ; cujus fundator ignoratur. Nam intuenti fundamenta lapidum enormium videtur potius Romano ſeu Giganteo labore, quam Britannico ſudore fundata exſtitiſſe. Hæc aliquando vocata eſt Britannicè Caerthleon, Latine Legeceſtria, nunc autem dicta eſt Ceſtria, ſive urbs Legionum, eo quod ibidem hiemarent legiones militares, quas Julius Cæſar ad ſubjugandam Hiberniam, & poſtmodum Claudius Cæſar ad ſubigendas Orcades Inſulas inde tranſmiſerat. Urbs itaque iſta, quicquid de ea Willielmus Malmesburienſis ad aliorum relatum ſomniaverit, omni genere victualium abundat, farris, carnis, piſcis, potiſſime Salmonis optimi copioſa: mercimonia varia recipit & refundit; quippæ quæ in ſuis confiniis ſalinas habet mineras & metalla, in hac urbe per Northimbros & Danos viciſſim conquaſſata, ſed per Elphedam tandem Merciorum Dominam egregie reparata & adaucta ſunt, viæ ſubterraneæ Lapides opere mirabiliter teſtudinatæ, triclinia concamerata, inſculpti lapides prægrandes antiquorum nomina præferentes, numiſmata quoque Julii Cæſaris, aliorumque illuſtrium inſcriptione inſignita, aliquando ſunt effoſſa. Hæc urbs eſt, quam Rex Northimbriæ Ethelfridus contrivit, occidens juxta eam duo pene millia Monachorum Bangorenſis Monaſterii; hæc eſt inquam urbs ad quam venit aliquando Rex Edgarus, cum VII ſubregulis, in cujus urbis laudem Metricus quidam ſic prorupit.

Ceſtria de Caſtro nomen quaſi Caſtria ſumpſit,
Incertum cujus hanc manus ediderit,
Hæc Legeceſtria tunc eſt dicta, vel urbs Legionum,
Anglis & Cambris nunc manet urbs celebris.
In muris pendent lapides velut Herculis actus,
Agger & augetur tutior ut maneat.

Gaxula

Gaxula Saxonica ſuper extant addita magnis,
Concava teſtudo bina latet ſub humo.
Mineras profert ſalinas proxima tellus,
Quas ſpergit multis Gentibus occiduis.
Carnibus & farre, ſic piſcibus affluit urbs hæc.
Merces & Claſſes advehit unda mare,
Henrici quarti Godeſcalli Cæſaris olim,
Regis & Haraldi pulvis habetur ibi.
Mars & Mercurius Bacchus Venus atque Laverna,
Protheus & Pluto regna tenent inibi.
Ejus gens ſequitur multum more Babilonis,
Quæ dum plus poterit, plus ſolet eſſe ferox.

De Provinciis & Comitatibus.

NOtandum eſt quod Anglia continet XXXII Shiras, & Provincias, quæ hodie dicuntur Comitatus, exceptis Cornubia & Inſulis. [*Alfr.*] Nomina Comitatuum ſunt iſta. Kent, Southſex, Southereie, Hampteſhire, Barrocſhire, quæ ſic denominatur à quadam nuda quercu in Foreſta de Windeſora, ad quam ſolebant Provinciales convenire in tractatibus habendis. Item Wiltſhire, quæ quondam dicebatur Provincia Severiana, Somerſete, Dorſete, Doeveneſhire, ſive Dovania. Hæ IX Provinciæ Auſtrales prædictæ, quatenus flumen Thamiſiæ eas ſecernit, à reliqua Anglia indicabantur olim illa lege, quæ vocabatur Weſtſaxenelaga, ſed Eſtſex, Midelſex, Southfolc, Northfolc, Herteſordſhire, Huntingdonſhire, Northamptonſhire, Cantebriggeſhire, Bedeſordſhire, Buckinghamſhire, Leiceſtreſhire, Derbeiſhire, Notinghamſhire, Lincolnſhire, Yorkſhire, Duremſhire, Northumberlond, Caerlielleſhire cum Cumberlond, Appelbyſhire cum Weſtmerelond, Lancaſtreſhire, quæ continet quinque modicas ſhiras; iſtæ XV Provinciæ prædictæ Orientales & Boreales indicabantur olim lege illa, quæ vocabatur Denelaga, ſed Oxenfordſhire, Warwickſhire, Glouceſtreſhire, Wyrceſtreſhire, Hereſordſhire, Salopeſhire, Staffordſhire, Cheſtreſhire, iſtæ VIII ſhiræ mediterraneæ & occidentales indicabantur olim Lege Marcia, quæ Anglice Merenlaga vocabatur. Eſt ergo ſciendum, quod Provincia Eborum ſolummodo ſe extendit hodie ab arcu Humbræ fluminis, uſque ad flumen Teyſe. Et tamen ſunt in ea XXII Hundredi, id eſt, Wapentakes: Hundredus autem Latinè, ſive Cantredus Wallicè & Hibernicè, continet centum Villas. Wapentake Anglice idem eſt quod, arma capere, eo quod in primo adventu novi Domini ſolebant Tenentes reddere arma ſua pro homagio. Duremſhire ſe extendit à fluvio Theſe uſque ad flumen Tyne. Northumberlond propriè ſumendo ſe extendit à flumine Tyne uſque ad flumem Twidi, quod eſt principium Scotiæ. Si igitur plaga Northimbrana, quæ fuit olim ab Humbra uſque Twidam, hodie pro unica Provincia ſeu Comitatu ſicut antiquitus computetur, tunc ſunt in Anglia ſolummodo XXII Shiræ. Si autem plaga Northimbrana dividatur in VI Provincias prædictas, quæ ſunt Everwykſhire, Duremſhire, Northumburlond, Caerlielſhire, Appelbyſhire, Lancaſtreſhire, tunc ſunt in Anglia, præter Cornubiam & Inſulas, XXXVI Shiræ, Provinciæ, ſive Comitatus. Quas omnes fecit Rex Willielmus Conqueſtor deſcribi, & per Hidas ſeu Carucatas demetiri; & inventi ſunt Comitatus XXXVI & dimidium, Villæ vero *52080*, Eccleſiæ Parochiales *45002*, Feoda Militum *60015*. De quibus Religioſi habent *28015* Feoda; ſed hodie nemoribus ſuccisis, novalibuſque procisis, multo plures ſunt Hidæ & Villæ quam tunc erant.

De Legibus Legumque vocabulis.

SAncivit primum Leges in Britannia Dunwallo Molmucius, cujus Leges Molmutinæ dicebantur, uſque ad tempora Willielmi Conqueſtoris ſatis celebres. Interque ſtatuit, ut Civitates & Templa Deorum, viæque ad illa ducentes, ac aratra colonum, immunitate confugii gauderent. Deinde Marcia Regina Britonum, uxor Gintelini Regis, à qua provincia Merciorum putatur denominata, Legem edidit diſcretione & Juſtitia plenam, quæ Lex Marcia vocabatur: has duas Leges Gildas Hiſtoricus tranſtulit de Britannico in Latinum, & Rex Aluredus poſtmodum de Latino in Saxonicum, quæ Merchenelaga dicebatur. Ipſe quoque Aluredus Legem Anglicè conſcriptam ſuperadiecit, quæ Weſtſexenelaga vocabatur. Tandem Danis in hac terra dominantibus tertia Lex emanavit, quæ Danelaga dicebatur. Ex his tribus Legibus Sanctus Edwardus tertius unam Legem communem edidit, quæ Leges Edwardi uſque hodie vocantur. De quibus nonnulla vocabula adhuc frequentata cum eorum expoſitionibus hîc inſerere dignum duxi, Mundbriche, id eſt, læſio Majeſtatis, Gallice Bleſmure de Honour. Burghbriche, id eſt, læſio libertatis aut ſepti, Gallice Bleſmure de Court ou de clos. Grithbriche, id eſt, fractio pacis. Miskenning, id eſt, variatio loquelæ in Curia. Scheawing propoſitio mercimonii, Gallice deſplegure de marchandiſe. Hamſokne vel Hamfare, id eſt, inſultus factus in domo. Forſtawing, id eſt, coactio vel obſiſtentia facta in ſtrata Regia. Frithſokne, id eſt, tutatio in juriſdictione, Gallice ſeurte en defens. Infangtef, pelfindeinward, id eſt, infra ſuum capere reum, Gallice, Dedeinz le ſeon atachement de Laron. Saka, id eſt, Juriſdictio, Gallice, Court Juſtice, forfeat ou acheſon. Soka, id eſt, Secta curiæ, & inde dicitur Sokne; ſed Sokne dicitur aliquando interpellatio majoris audientiæ. Wergelthef, id eſt, Solte de Laron eſchape. Theam, id eſt, landare auctorem, Gallice, revocher garant, & quandoque dicitur ſequela nativorum. Fyghtwit, id eſt, ferir per melle. Wardwite, id eſt, ſurſiſe de garde. Blodwit, id eſt, Amerciamentum pro effuſione ſanguinis. Flytwit, id eſt, emenda proveniens pro contentione. Leirwit, id eſt, emenda pro corruptione nativæ. Gultwit, id eſt, emenda pro tranſgreſſione. Scot, id eſt, Simbolum ad opus Ballivorum Domini. Hidage vel Taillage, id eſt, Taillagium de Hidis Terrarum. Danegeld, id eſt, Taillagium datum Danis, id eſt, III^{d}. de qualibet Bonata terræ. Wapentake & Hundredus idem ſunt, quia procinctus centum Villarum ſolebat reddere arma in adventu Domini. Leſtage, id eſt, Conſuetudo exacta in Nundinis & Mercatis. Stalage, id eſt, Exactio pro ſtatione in plateis tempore Nundinarum.

De Regnis Regnorumque limitibus, [Alfr.]

INconcuſſa ſtetit apud Britones Inſulæ Monarchia, à primo ſcilicet, Bruto, uſque ad Julium Cæſarem, à quo Julio uſque ad Severum hæc Inſula Romanis fuit vectigalis, & ſubacta. Reges tamen habuit ex ſeipſa à Severo quoque uſque ad ultimum municipem Gratianum: deficiente Britonum ſucceſſione, Romani in ea regnaverunt, viz. à tempore Julii Cæſaris, per CCCCLXX annos ferme. Romanis tandem propter itineris longitudinem, ſeu propter inevitabiles aliunde occupationes, regnare deſiſtentibus, Scoti & Picti Britanniam, omni armato milite per abductionem Maximi Tiranni vacuatam, diutius afflixerunt, quouſque Saxones à Britonibus invitati

vitati contra Pictos, Regem Hibernicum Gurmundum cum Pictis ſuis, & ipſos Britones cum Caretico Rege ſuo de Loegria expulſos, uſque in Cambriam profugaſſent. Sic Saxones victores effecti, prout quæque provincia potentior erat, Reges proprios ſibi conſtituentes, terram Angliæ in VII Regna diviſerunt, quæ tamen poſtmodum ſucceſſive in unam Monarchiam ſub Principe Adelſtano coierunt. Dani tamen à diebus Athelwulfi patris Aluredi, uſque ad tempora Regis Edwardi tertii, per CLXX circiter annos, terram hanc jugiter infeſtaverunt, ſed per XXX annos in ea continue regnaverunt. Poſt Danos vero Sanctus Edwardus tertius XXIII annis & paulo plus, & poſt eum Haroldus IX Menſibus regnum tenuit, poſt quos Normanni in ea uſque hodie præſederunt. Quod quamdiu tenebunt in poſterum, novit ille qui nihil ignorat. [*R.*] De VII vero Regnis prædictis, eorumque limitibus, quando inceperunt, quantumve duraverunt, aliqua breviter hîc perſtringam. [*Alfr.*] Primum Regnum fuit Cantuariorum, ab Auſtrali Oceano uſque ad flumen Thamiſiæ protenſum. In quo primus Hengiſtus ſub anno Domini ſecundum Dionyſium CCCCLV. regnare cœpit; & duravit Regnum illud per annos CCCLVIII. ſub Regulis XV; donec, Baldredo expulſo, Egbertus Rex Weſtſaxonum illud Regnum ſuo annecteret Imperio. Secundum Regnum fuit Southſaxoniæ, habens ab Oriente Cantiam, ab Auſtro mare & Vectam Inſulam, ab Occidente Hampteſhire, ab Aquilone Southeram. In quo primus Elle cum tribus filiis ſuis, XXX°. ab adventu Anglorum anno, cœpit regnare. Quod quidem Regnum cito poſt in aliorum Regna tranſivit. Tertium Regnum fuit Eſtſaxoniæ, habens ab Oriente Gallicum mare, ab Occidente Pagum London, ab Auſtro Thamiſiam, ab Aquilone Southfolk; cujus loci Reges, à primo Saberto uſque ad tempora Dacorum, per X Reges fere ſub aliis Regibus parebant; frequentius tamen & diutius Regibus Merciorum ſubiacebant; donec Rex Weſtſaxonum Egbertus Regnum illud ſuo annecteret Imperio. Quartum Regnum fuit Eſtanglorum, comprehendens Northfolc, & Southfolc; habens ad Orientem & Aquilonem mare, ad circuitum Cantebriggeſhire, ad Occidentem Foſſam Sancti Edmundi & Hertfortſhire, ad Auſtrum Eſtſeex. Et duravit hoc Regnum ſub XII Regulis, donec occiſo Rege Edmundo, Dani utrumque Regnum Eſtanglorum & Eſtſaxonum ſibi uſurparent. Quibus poſtmodum Danis, aut fugatis, aut ſubactis, Rex Edwardus Senior ambo illa Regna ſuo annexuit Imperio. Quintum Regnum fuit Weſtſaxonum, omnium Regnorum durabilius, habens ab Oriente Southſaxonum, ab Aquilone Tamiſiam, ab Auſtro & Occidente Oceanum, viz. uſque ad ultimum finem Cornubiæ. In quo cœpit Regnare Cordicus cum filio ſuo Kinrico, anno Domini ſecundum Dionyſium CCCCCXIX, ab adventu Anglorum LXXI. In quod Regnum cætera Regna tranſierunt. Sextum Regnum fuit Merciorum, cæteris Regnis magis ſpacioſum, cujus limites fuerunt ad Occaſum flumen Deæ, juxta Ceſtriam, & flumen Sabrinæ, juxta Salopiam, uſque Briſtolliam. Ad Ortum vero mare Orientale, ad Auſtrum flumen Thamiſiæ uſque London, ab Aquilone flumen Humbræ, deſcendendo Occidentaliter uſque ad flumen Merſee, quouſque juxta Cornu Wirhalliæ deſcendat in mare Occidentale. In hoc Pago Regnavit primo Penda filius Wibbæ, anno Domini ſecundum Dionyſium DCXXVI, ab adventu Anglorum CLXXV, ſtetitque hoc Regnum ſub Regibus XVIII per annos circiter CCLXIII, uſque ad ultimum Colwulfum, cui Dani, expulſo Burdredo Rege, Regnum illud tradiderant cuſtodiendum. Verum Rex Weſtſaxonum Edwardus ſenior, expulſis Danis, Regnum Merciorum ſuo annexuit Imperio. Erat tamen hoc Regnum in ſui primordio in tres partes diviſum, ſcilicet in Occidentales Mercios, in Mediterraneos, & Orientales Mercios. Septimum Regnum Northimbrorum fuit, cujus limites fuerunt ab Ortu & Occaſu Oceanus, ab Auſtro flumen Humbræ, deſcendendo verſus Occidentem, per fines Comitatuum Nothinghamiæ, & Derbeiæ, uſ-

que ad flumen de Merſee. Ab Aquilone autem mare Scoticum, quod Scotice dicitur Forth, Britannice Werid, Anglice Scotisſhſee. Hoc autem Regnum Northimbrorum primitus diviſum fuit in duas Provincias; in Deiram ad Auſtrum, & in Berniciam ad Aquilonem, quæ duo Regna flumen Tyne tunc temporis diviſerat. Nam Regnum Deirorum à fluvio Humbræ uſque ad flumen Tyne extendebatur; Regnum vero Berniciorum à flumine Tyne uſque ad mare Scoticum prædictum porrigebatur; & quando Picti ibidem morabantur, ſicut patet per [*Bed. li. 3. ca. 2.*] ubi dicit quod Ninian vir Sanctus convertit Auſtrales &c. In Bernicia cœpit primum regnare Ida, anno Gratiæ ſecundum Dionyſium DXLVII. In Deira vero Rex Elle, anno Gratiæ DXLIX. Quæ duo Regna ſub duobus Regibus, ut præmittitur, interdum diviſa, quandoque ſub uno Rege redintegrata, cucurrerunt ſub Anglis Regibus quaſi XX, per annos CCCXXI. Demum Osbricto & Elle IX°. anno regni ſui per Danos occiſis, Northumbria vacavit ſine Rege VIII annis; & tunc Dani regnaverunt in ea XXXVI annis, uſque ad Monarchiam Regis Adelſtani, qui ſub anno Domini DCCCXXVII. ſubactis Danis, Wallis, & Scotis Regibus, ſolus & primus Monarchiam Angliæ tenuit. Quod autem fluvius de Merſee fuit aliquoties terminus & limes Merciorum & Northimbrorum patet dupliciter; primo per ſignificationem vocabuli. Nam Anglice Merſee ſonat terminans mare, quia diſterminabat unum Regnum ab alio. Item in Chronicis Henrici & Alfridi habetur, quod Rex Edwardus Senior firmavit Caſtrum apud Mameeſtriam, in terra Northimbrorum, ſed conſtat quod urbs Mameeſtriæ vix diſtat III millibus à fluvio Merſee.

De Epiſcopatibus & ſedibus. [Alfridus.]

SEdes Archiepiſcoporum in Britannia tres fuerunt tempore Lucii Regis Britonum Chriſtiani primi. Viz. apud Londoniam, apud Eborum, apud Caeruſt urbem Legionum in Glammorgancia, quibus tunc ſubiecti fuerant XXVIII Epiſcopi, Flamines tunc vocati, videlicet, Londonii Metropolitano Cornubia & tota Loegria uſque ad flumen Humbræ; Eboracenſi vero tota terra Northimbrana ab arcu Humbræ fluminis, cum tota Albania; urbi Legionum ſubiacuit tota Cambria, VII tunc Epiſcopis, nunc vero IV ſuffraganeis inſignita, quam flumen Sabrinæ tunc ſecernebat à Loegria. [*W. de Pont. li. p.*] Sed temporibus Saxonum, quamvis beatus Gregorius privilegium Archiepiſcopale Londonio conceſſerit; Auguſtinus tamen ab eo miſſus, ſedulitate Hoſpitis ſui Regis Ethelberti, Civiumque Cantuarienſium charitate captus, Metropolitanam ſedem poſt mortem Gregorii ad Cantuariam tranſtulit, ubi uſque hodie permanſit, niſi quod medio tempore Offa Rex Merciorum Cantuaritis infenſus honorem primatus ab eis tulit, & Lichetfeldenſem Epiſcopum Aldulphum, annuente Adriano Papâ muneribus fortaſſis inclinato, Archiepiſcopali Pallio pro tempore ſuo decoravit. Quod tamen ſub Kenulpho Rege reſtitutum eſt. Eboracenſis honor ab initio uſque hodie ibidem duravit, quamvis Albania proceſſu temporis ab ejus ſubjectione ſe ſubtraxit. [*Gir. in itin. li. 2.*] Ab urbe autem Legionum uſque ad Meneviam, quæ eſt ad Occidentem Demeciæ ſupra Hibernicum mare ſita, tranſlata eſt ſedes Metropolitana, tempore Sancti David ſub Arthuro Rege; à cujus tempore uſque ad Sampſonem Archiepiſcopum ſederunt XXIII Archiepiſcopi. Tandem ingruente per Cambriam flavâ peſte, quam ictericiam vocant, Sampſon Epiſcopus ſumpto ſecum Pallio Armoricam Britanniam adiit, ac ſedi Dolenſi præſedit, à quo tempore uſque ad dies Henrici primi Regis Angliæ ſederunt apud Meneviam,

quæ

quæ Sancti David dicitur, xxi Epiſcopi, vel propter ignaviam, vel propter paupertatem, pallio carentes; ſemper tamen uſque tunc Epiſcopi Walliæ à Menevenſi fuerunt conſecrati; & ipſe ſimiliter ab aliis Walliæ Epiſcopis tanquam ſuffraganeis fuerat conſecratus, nulla penitus alterius Eccleſiæ facta profeſſione, vel ſubjectione. Cæteri vero ſuccedentes Epiſcopi, Regio urgente mandato, Cantuariæ conſecrationem recipiunt, in cujus inveſtituræ & ſubjectionis ſignum Bonifacius Archiepiſcopus Cantuariæ, tempore Henrici ſecundi crucis Legatione fungens, in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus Cambriæ primus omnium Cantuariæ Archiepiſcoporum Miſſam ſolemniter celebravit. [*R.*] Sed hodie in tota Anglia ſolummodo duo ſunt primates, Cantuariæ & Eborum; Cantuarienſi xiii in Anglia, & iv in Wallia Epiſcopi ſunt ſubjecti, Eborum vero duos duntaxat habet Suffraganeos, ſcil. Cardilienſem & Dunelmenſem. De quorum omnium ſucceſſivis ſedium inſtitutionibus hîc per Ordinem [quædam] ſunt tangenda; ubi eſt advertendum, quod in primitivâ Anglorum Eccleſia Præſules in locis humilibus, tanquam contemplationi & devotioni aptis, ſedes ſuas ſtatuerunt, ſed, tempore Willielmi Conqueſtoris, ex Canonum Decreto edictum eſt, ut Epiſcopi de villulis ad urbes tranſirent, unde factum eſt ut Dorceſtrenſis ſedes ad Lincolniam migraret, Lichetfeldenſis ad Ceſtriam, Thedfordenſis ad Norwicum; Shirburnenſis ad Sarum, Wellenſis ad Bathoniam, Cornubienſis ad Exceſtriam, Seleſienſis ad Ciceſtriam. [*De Epiſcopis Auſtralibus.*] Roffenſis itaque præſul, qui Parochiam non habet, ſed Capellanus Archiepiſcopi Cantuariæ, ab initio ſuæ inſtitutionis per Cantuarienſem Anguſtinum factæ uſque ad dies noſtros, nuſquam ſedem mutavit; Ciceſtrenſis vero, qui ſolis Southſaxonibus & Vectæ Inſulæ præſidet, primo apud Selyſeie, quod ſonat Inſula Vituli Marini, tempore Theodori Archiepiſcopi ſedem habuit, & à primo Wilfrido uſque ad ultimum Stigandum cccxxxiii annis ſub xx Epiſcopis ibidem duravit. Tandem Stigandus, Edicto Regis Willielmi Conqueſtoris, ſedem Seleiſe tranſtulit ad Ciceſtriam.

De Epiſcopis Occidentalibus. [Wills.]

MEmorandum eſt, quod tota Weſtſaxonica Provincia unicum ab initio uſque ad adventum Theodori habuit Epiſcopum, primus autem Birinus, largiente Rege Weſtſaxonum Kingiſlo, ſtatuit ſedem apud Dorceſtriam, villam humilem, ad Auſtrum Oxoniæ, juxta Wallingford, inter collapſus duorum fluminum Thamæ & Yſæ ſitam. Birino autem defuncto, Kenwalcus Rex ſtatuit ſedem apud Wintoniam; ſicut & pater ſuus aliquando feciſſe propoſuerat, ubi Gilbertus natione Gallus præſedit primus toti provinciæ Weſtſaxonicæ; ex quo tempore urbs & ſedes Dorceſtrenſis pertinuit ad provinciam Merciorum, eo quod urbs illa ſita ſit infra Thamiſiam, qui fluvius diſterminat Mercios à Weſtſaxonibus; poſt Agilbertum de Wintonia expulſum, præſedit Wine natione Anglus, à quo putant quidam urbem Wintoniæ denominatam fore Wineceſtria, quaſi Ceſtria, id eſt, urbs Wine: ipſo tandem expulſo ſucceſſit Leutherius, nepos Agilberti prædicti, poſt quem Hedda aliquandiu ſedem tenuit. Quo defunctoTheodorus Archiepiſcopus duos præſules ad Provinciam Weſtſaxoniæ ordinavit, Danielem apud Wentam, cui ſubjecti fuerant duo Pagi Soutthreriæ & Southampteſhiriæ: Aldelmum quoque ad ſedem Shirburnenſem ordinavit, cui tunc ſubjacuerunt ſex Pagi, Barrocenſis, Wiltonenſis, Somerſetenſis, Dorſetenſis, Devonienſis & Cornubienſis. Deinde tempore Edwardi Senioris ad has duas additæ ſunt aliæ tres ſedes, Edicto Formoſi Papæ, videlicet, Wellenſis, cui ſubjacuit Somerſete, Cridienſis, cui ſubjacuit

cuit Devonia; & Cornubienſis, apud Sanctum Petroclum ſeu Sanctum Germanum, cui ſubjacuit Cornubia. Nec multo poſt ſexta ſedes poſita eſt apud Ramysburiam, cui ſubjacuit Pagus Wiltoniæ: poſtremo Edicto Willielmi Regis Conqueſtoris omnes hæ ſedes, excepta Winton, de villis ad urbes ſunt tranſlatæ. Nam Shirburnenſis & Ramysburenſis tranſierunt ad Sarum, cui uſque hodie ſubjacent Pagi Barrocenſis, Wiltonenſis, Dorſetenſis Provinciæ, Wellenſis quoque ſedes tranſiit ad Bathoniam, cui uſque hodie ſubjacet Pagus de Somerſete, Cridienſis & Cornubienſis migraverunt ad Exceſtriam, cui ſubjacent Devonia & Cornubia.

De Orientalibus Epiſcopis. [Will.]

OBſervatum eſt quod Eſtſaxones ab initio uſque modo ſemper paruerunt Londonienſi Præſuli, ſed provinciæ Eſtanglorum, quæ continent Northfolc & Southfolc, præfuit primo apud urbem Dommic unicus Epiſcopus Felix quidam Burgundus XVII annis, poſt quem Thomas quinque annis, poſt quem Boneſacius XVII annis; deinde Biſi per Theodorum inſtitutus, quouſque proſpera valetudo permitteret, provinciam ſolus rexit, poſt quem duo Epiſcopi per CXLIII annos uſque ad tempora Egberti Regis Eſtſaxonum provinciam illam rexerunt, unus apud Dommuc, alter apud Elmham, poſt dies tamen Ludecani Regis Merciorum manſit tantum una ſedes apud Elmham, uſque ad quintum annum Willielmi Conqueſtoris, quando Herfaſtus, XXIII[us]. Orientalium Epiſcopus, ſedem ſuam Elmhamenſem tranſtulit ad Tedford. Ac ſucceſſor ejus Herebertus Loſinga, licentia Regis Willielmi Ruphi, ſedem Tedfordenſem tranſtulit ad Norwicum; ſedem autem Helienſem, quæ huic de prope eſt, Rex Henricus primus IX°. Regni ſui anno inſtituit, ſubjecta ad hoc Provincia Cantebrigge, quæ prius fuerat pars Epiſcopatus Lincolniæ, in cujus rei compenſationem dedit Henricus Rex Epiſcopo Lincolniæ Regiam urbem ſuam de Spalding.

De Epiſcopis Merciorum. [Wills.]

NOtandum eſt hîc ſolerter, quod ſicut Merciorum Imperium pro tempore fuerat ſemper ampliſſimum, ita & in plures Epiſcopatus diviſum, præſertim animoſitate Regis Offæ, qui XXXX annis imperans Merciis, tranſtulit ad Lichetfeldiæ honorem Cantuariæ Metropolitanum, annuente ad hoc Papa Adriano. Igitur Provinciæ Merciorum & Lindisfarorum primis annis Chriſtianitatis, tempore regis Wulfarii, unicus fuit Epiſcopus apud Lichetfeldiam, Duina primus, Celath ſecundus, ambo Scoti, poſt quos tertius Trumhere, quartus Jarumannus, quintus Cedda. Sed tempore Ethelredi fratris Wlferi, Cedda mortuo, ſubſtituit Theodorus Archiepiſcopus Winfridum Diaconum Ceddæ, quem tamen poſtmodum ratione cujuſdam inobedientiæ depoſuit, ſubſtituens Sexwulfum Abbatem de Medehamſtede, quod nunc de Burgo dicitur. Sed poſt IV[tum] Sexwulfi annum ordinavit Theodorus Provinciæ Merciorum V Epiſcopos, ſcilicet, Boſel ad Wigorniam, Cudwinum ad Lichetfeldiam, Sexwulfum prædictum ad Legeceſtriam, quæ nunc Ceſtræ dicitur, Ethelwinum ad Lindeſeiam, apud urbem Sideneiam; Eatam quoque Monachum de Monaſterio Hildæ, apud Whiteby ſumptum, ordinavit ad Dorceſtriam, juxta Oxoniam, quæ & Dorkinga tunc dicebatur. Et ſic ſedes Dorceſtrenſis, quæ tempore Sancti Birini ſpectabat ad Weſtſaxonicos, à tempore Theodori Archiepiſcopi ſpectabat ad Mercios. Ipſe quoque Sexwulfus Epiſcopus, Cantia per Regem Merciorum Etheldredum vaſtata, Puctam Roffenſem Epiſcopum de

Cantia

Cantia venientem ordinavit primum Herefordiæ Epiſcopum. Sexwlſo tandem defuncto ſucceſſit Hedda, apud Lichetfeldiam, & Wilfridus de Northumbria diu profugatus ſucceſſit apud Legeceſtriam, quæ modo Ceſtria dicitur: poſt duos tamen annos, defuncto Rege Northumbriæ Alfrido, Wilfridus ad propriam ſedem Haguſtaldenſem rediit, & ſic Hedda ambas parochias, ſcilicet, Legeceſtrenſem & Lichetfeldenſem tenuit; poſt quem Albinus, qui & Wor; poſt quem tres ſucceſſerunt, ſcilicet, Totta apud Legeceſtriam, Wytta apud Lichetfeldiam, Eata adhuc in Dorceſtriam remanente, cujus ſedem eo defuncto præſules Lindiſienſes per CCCLIV annos tenuerunt, donec Remigius, licentia Regis Willielmi primi, ſedem tranſferret ad Lincolniam. Sed tempore Regis Edgari Leofwinus Præſul conjunxit ambas parochias Ceſtrenſium & Lindisfarorum quoad ipſe viveret.

De Epiſcopis Northimbranis. [Wills.]

APud Eboracum unica ſedes primo fuit per totam provinciam Northumbranam, quam Paulinus primus à Dorobernenſi Juſto ordinatus VII annis tenuit. Deinde occiſo Rege Northumbriæ Edwino, turbatiſque rebus, receſſit Paulinus navigio ad partes Cantiæ unde primo venerat, ſumpto ſecum Pallio. [*W. li. 3.*] Sicque ceſſavit Præſulatus Eborum XXX annis, uſus vero Pallii ceſſavit ibidem CXXV annis, donec Egbertus Epiſcopus, & frater Regis terræ, auctoritate Papali Pallium recuperaret. [*R.*] Regnante interim Sancto Oſwaldo præfuit Aidanus Scotus apud Bernicios, poſt quem Finanus, poſt quem Colmannus. [*W. v. ſupra.*] Quo tandem ad Scotiam indignanter recedente, eo quod de illegitima Paſchæ obſervatione per Wilfridum fuerat redargutus, XXX°. poſt Paulini receſſum anno Wilfridus ad ſedem Eboracenſem inſtitutus eſt. [*Beda li. 4.*] Sed ipſo circa ſuam conſecrationem apud Gallias diutius demorante, ad inſtigationem quartadecimanorum Cedda de Monaſterio ſuo Leſtingenſi ſumptus, annuente Rege Oſwi, ſubintruſus eſt. Quo tandem poſt triennium per Theodorum Archipræſulem amoto, & ad provinciam Merciorum aſſignato, Wilfridus per Theodorum reſtitutus eſt: ſed & ipſe tandem, propter quaſdam ſimultates inter ipſum & Regem Oſwi exortas, poſt decimum officii ſui annum, cooperante & corrupto Theodoro, à ſede ſua expulſus eſt. Ordinavitque tunc Theodorus ad Regis inſtantiam Boſam apud Eborum, Tunbertum apud Haguſtaldenſem Eccleſiam, Eatam apud Lindisfarnenſem Eccleſiam, quæ eſt Haly Elond, in flumine Tuidi, quam ſedem Aidanus primo fundaverat, Eadhedum vero de Lindeſeie reverſum præfecit Ripenſi Eccleſiæ, ubi Wilfridus quondam Abbas fuerat, Trunwinum autem deſtinavit ad terram Pictorum, in Finibus Anglorum juxta Scotiam, in loco qui Candida Caſa, ſeu Whiterne dicitur, ubi Sanctus Ninianus Brito primus Fundator & Doctor exſtiterat. Sed hæ omnes ſedes, excepta Eborum, paulatim defecerunt. Nam ſedes Candidæ Caſæ, quæ tunc ad Anglos ſpectabat, aliquot annis ſub X Epiſcopis durabat, donec depopulatione Pictorum à ditione Anglorum omnino deficeret: Haguſtaldenſis vero & Lindisfarnenſis ſedes, quæ viciſſim unica erat ſub IX. Epiſcopis, XC ferme annis uſque adventum Dacorum duravit. Quo in tempore Hingar & Hubba, Ardulfus Epiſcopus diu cum Corpore Cuthberti vagabatur, uſque ad dies Aluredi Regis Weſtſaxonum, quando ſedes Lindisfarnenſis apud Kunegeſtriam, ſive Cunnigisburgh ponebatur, qui locus hodie dicitur Ubbeford, ſuper Tuedam. Tanden XVII. anno Regis Egelredi, filii Edgari, ſedes illa uſque Dunelium tranſlata eſt, & Corpus Cuthberti ibidem reconditum eſt per Edmundum Epiſcopum: ex tunc defecit omnino ſedes Haguſtaldenſis & Lindisfarnenſis. Henricus autem primus, nono Regni ſui anno, inſtituit novam ſedem apud Caerliell.

De Numero ſedium Epiſcopalium.

CAntuarienſis Metropolis habet ſub ſe XIII Epiſcopos in Anglia, & IV in Wallia, viz. Roffenſem ſoli Cantiæ præſidentem; item Londonienſem, qui præeſt Eſtſaxoniæ, Middelſexiæ, & medietati Herfordſhiriæ; item Ciceſtrenſem, ſoli Southſaxiæ, & Vectæ Inſulæ præſidentem; Wintonienſem, qui præeſt Hampteſhiriæ, & Southeriæ; Saresburienſem, qui præeſt Dorſetenſibus, Barrokſhiriæ, & Wilteſhiriæ; Exceſtrenſem, qui præeſt Dovoniæ & Cornubiæ; Bathonienſem, qui præeſt Somerſetenſibus; Wigornienſem, qui præeſt Glovernenſibus, Wigornienſibus, & dimidiè Warwicenſibus. Herfordenſem, qui præeſt Herfordenſibus, & partim Salopſhiriæ; Ceſtrenſem ſive Coventrenſem & Lichetfeldienſem, qui præeſt Ceſtriæ, Staffordiæ, Derbeiæ; dimidium Warwicenſem, partim Salopiæ, partim Lancaſtreſhiriæ, viz. à flumine de Merſee uſque flumen de Rippul; Lincolnienſem, qui provinciis præeſt, quæ ſunt inter Thamiſiam & Humbram, viz. Lincolniæ, Leiceſtriæ, Northamptoniæ, Huntingdon, Bedeford, Buckingham, Oxoniæ, & dimiæ Hertfordſhiriæ; Helienſem, qui præeſt Cantebriggeſhiriæ, præter Merlond; Norwicenſem, qui præeſt Merlond, Norfolchiæ, & Soutfolchiæ. Item Cantuarienſis habet in Walliâ IV Suffraganeos, ſcil. Landavenſem, Minevenſem, Bangorienſem, & Sancti Aſaph. Eboraci autem Metropolis hodie tantum duos ſub ſe habet Epiſcopos, ſcil. Dunelmenſem & Cardulienſem. [*R.*] Cum igitur duo in Anglia ſolummodo ſunt Primates, Cantuarienſis, qui dicitur Primas totius Angliæ, & Eborum qui Primas Angliæ dicitur, quid unus alteri debeat, & in quibus ſubjacere teneatur, in ſubſequentibus circa annum Domini CLXXII plenius continetur, ubi, coram Rege Willielmo primo & Angliæ Præſulibus, ex mandato Papæ inter præfatos Primates cauſa ventilata, decretum eſt ut Eboracenſis in his quæ ad cultum catholicum pertinent Cantuarienſi ſubjaceat: ita viz. ut ubicunque in Anglia Cantuarienſis Concilium cogere voluerit, Eboracenſis cum ſuis ſuffraganeis adeſſe teneatur, & Canonicis Decretis obedire; obeunte autem Cantuarienſi Eboracenſis Doroberniam veniet, Electum cum cæteris Epiſcopis in Primatem proprium conſecrabit. Quod ſi Eboracenſis obierit, ſucceſſor ejus ad Cantuarienſem accedet, & ordinationem ab eo recipiet, faciendo Juramentum cum profeſſione de Obedientia Canonica. Inferius autem circa annum Domini MCXCV. ſub tempore Regis Richardi, ponuntur rationes pro parte & jure utriuſque Primatis facientes. Nec non & à tempore Conqueſtus uſque ad tempora ultimi Henrici Regis, ſub diebus Thurſtini, Thomæ, & aliorum Eborum Pontificum, quid alter Primas alteri fecerit, quomodo quoque alter alterius manum ſubterfugerit, plenius edocetur; præſentem vero locum, cum prologi magis quam pleni tractatus vicem gerat, præfatis rationibus amplius onerare nimis foret tædioſum.

A quot, quando, & quibus hæc terra ſit Inhabitata Gentibus.

HÆc Inſula in primis Britones Incolas habuit, qui anno Hely ſacerdotis XVIII, tempore Regis Latinorum Silvii Poſthumi, poſt Troiam everſam anno CCCCIII, ante urbem Romam conditam CCCCXXXII. [*Bed. li. p.*] De tractu Armorico advecti Auſtrales Inſulæ partes diu tenuerunt. Contigit poſtmodum, tempore Veſpaſiani Ducis Romani, Gentem Pictorum de Schicia longis navibus Oceanum ingreſſam, circumagente flatu Ventorum,

torum, oras Boreales Hiberniæ intraſſe, atque inventa ibi Scotorum gente, ſedes ſibi petiviſſe, nec impetrare potuiſſe. Nam cum Hibernia, ut Scoti aſſerebant, ambas gentes capere non poſſet, Scoti remiſerunt Pictos ad ſeptentrionales partes Britanniæ, opem contra Britones adverſantes, ſi inſurgerent, promittentes: uxoreſque illis de filiabus ſuis ea conditione tradiderunt, ut ubi res veniret in dubium, magis de fœminea proſapia quam de maſculina Regem ſibi eligerent. [*Gaufr.*] Tempore autem Veſpaſiani Cæſaris, regnante apud Britannos Mario filio Arviragi, Rodricus quidam Rex Pictorum de Scythia veniens cœpit Albaniam devaſtare, quem Marius interficiens dedit devicto populo, qui cum Rodrico venerat, Borealem partem Albaniæ, quæ Catanefia dicitur, ad inhabitandum. Illi vero uxoribus carentes, cum de natione Britonum uxores habere non poſſent, tranſfretantes Hiberniam Hiberniensium filias ſibi copularunt, eo tamen pacto ut ſanguis maternus in ſucceſſionibus præferretur. [*Gir. de p. c. 17.*] Servius tamen ſuper Virgilium dicit Pictos eſſe Agathyrſos, ſedeſque quondam circa paludes Scythicas habuiſſe. Et dicuntur Picti quaſi ſtigmatizati ſeu cauteriati, propter abundantiam fleumatis, quia ubi ex crebris ſtigmatibus cicatrices obducuntur, corpora quaſi picta redduntur. Suntque iſti populi idem quod Gothi. Nam cum Maximus Tyrannus de Britannia in Galliam cum omni armato terræ milite ad occupandum Imperium tranſvectus fuiſſet, Gratianus & Valentinianus fratres Imperiique conſortes, Gentem hanc Gothicam, in rebus bellicis fortem & ſtrenuam, beneficiis & blanditiis allectam, à Scythiæ finibus in Boreales Britannicæ partes ad infeſtandos Britones omni armato milite tunc nudatos navigio tranſmiſerunt; ſicque de prædonibus accolæ effecti uſurpatas ſedes Aquilonales tenuerunt. [*Gaufr.*] Carauſius Tyrannus dolo Pictorum, qui in auxilium Baſſiani venerant, ipſum Baſſianum interfecit, deditque Pictis locum manſionis in Albania: ubi permixti cum Britonibus per ſubſequens ævum permanſerunt. [*R.*] At cum Picti Boreales prius Albaniæ partes occupaſſent, videtur quod locus manſionis, quam Carauſius iſte dedit Pictis, ſit pars Auſtrina Albaniæ, à muro ſcil. Romani Operis tranſverſa uſque ad mare Scoticum protenſa, in quo continetur Galwodia & Lodoneia, [*de quibus Bed. li. 3. c. 2.*] ſic loquitur, Nivianus vir Sanctus convertit Auſtrales Pictos &c. Hunc tandem pagum Saxones ſupervenientes fecerunt pertinere ad provinciam Northimbrorum Berniciorum, donec Kinadius Alpini filius Rex Scotorum, deletis Pictis, illud Territorium, quod eſt inter Twedam & mare Scoticum, fecerat ſuo Regno pertinere. [*Bed. li. p. c. p.*] Proceſſu vero temporis Scoti Duce Reuda de Hibernia, quæ proprie Scotorum propria eſt, egreſſi, vel amicicia vel ferro ſibimet juxta Pictos ſedes ſtatuerunt, ad ſeptentrionalem partem ſinus maris, qui ab Occidente in terra longo ſpatio irrumpentes Britones antiquitus ſecernebant à Pictis, à quo Duce Reuda Scoti vocabantur Dalrendini. Nam lingua eorum Dal partem ſignificat. [*Gir. de. p.*] Picti quia uxores, quas de Britonibus habere non poterant, de Scotis Hiberniensibus obtinuerant, eos ad cohabitandum, allexerunt, terramque maritimam ubi mare anguſtum eſt, quæ nunc Galwodia dicitur, eis conceſſerunt. [*Marianus*] Apud Argail applicuerunt Scoti, qui & Hibernienſes, quod ſonat Latinè Margo Scotorum, eo quod Scoti ibidem applicarent ad faciendum damna Britannis, vel quia locus ille proximior eſt Hibernicis ad applicandum. [*Bed. li. p.*] &c. Scoti tertiam in Britannia poſt Britones & Pictos gentem addiderunt, [*R.*] Tandem Saxones contra Scotos & Pictos à Britonibus invitati, expulſis Britonibus uſque in Cambriam, terram paulatim occupantes, & uſque ad mare Scoticum fines ſuos dilatantes, quartam in Inſula gentem fecerunt, [*Bed. li. 5. c. 9.*] Quia Angli ſeu Saxones à Germania originem duxerunt, hactenus à vicina gente Britonum corrupte Garmanni nuncupantur, [*R.*] Veruntamen circa annum gratiæ DCCC^um^. Egbertus Rex Weſtſaxonum juſſit omnes indigenas vocari Anglos,

glos. [*Alfr.*] Dani denuo cc ferme annis, à tempore ſcil. Egberti uſque ad tempora Sancti Edwardi terram conterentes quintam in Inſula gentem fecerunt, ſed & illi poſtmodum defecerunt. Poſtremo Normanni ſub Duce Willielmo, ſubjugatis Anglis, terram uſque hodie poſſidentes ſextam in Inſula gentem fecerunt. Sed & Flandrenſes, tempore Regis Henrici primi, in magna copia juxta Mailros ad Orientalem Angliæ plagam habitationem pro tempore accipientes, ſeptimam in Inſula gentem fecerunt; jubente tamen eodem Rege, ad Occidentalem Walliæ partem, apud Hanerford, ſunt tranſlati, [*R.*] Sicque Britannia modo, deficientibus omnino Danis, & Pictis, his quinque nationibus habitatur in præſenti, viz. Scotis in Albania, Britonibus in Cambria, Flandrenſibus in Weſtwallia, Normannis & Anglis permixtim in tota Inſula; cum igitur de ſubtractione Danorum, quoad modum & eventum, apud Hiſtoricos nulla ſit hæſitatio, qualiter Picti defecerint modo ſit agendum. [*Gir. p. c. 17.*] Occupata aliquando à Saxonibus Britannia, ſtabilique cum Pictis pace firmata, Scoti, qui Pictis adjuncti ſupervenerant, videntes Pictos quamquam pauciores, tamen armis & animo præſtantiores, ad ſolitas tanquam ſibi innatas proditiones, quibus cæteris præminent gentibus, recurrerunt. Convocatos namque tanquam ad convivium Pictorum Magnates, captata crapulæ oportunitate, extractione clavorum, qui tabulata tenebant, in Bancorum concavitate ſedebant, mira decipula poplice tenus communiter & improviſe lapſos, ſtatim trucidarunt; ſicque ex duobus populis gens bellicoſior totaliter evanuit, altera vero gens Scotorum longe impar, ex tali proditione emolumentum quodammodo conſequuta, totam terram illam, quam à nomine ſuo Scotiam vocaverunt, uſque hodie poſſident. Quibus eo tempore diebus, viz. Regis Edgari, Kinadius Alpini filius poſſidens, Pictaviam invaſit, Pictos delevit, ſexies Saxoniam debellavit, & terram omnem à mari Scotico uſque ad flumen Tuedæ uſurpavit.

De Incolarum Linguis. [R.]

UT Patet ad ſenſum quot in hac Inſula ſunt gentes, tot gentium ſunt Linguæ, Scoti tamen & Wallani, utpote cum aliis Nationibus impermixti, ad purum pene priſtinum retinent idioma, niſi forſan Scoti ex convictu Pictorum, cum quibus olim confederati cohabitabant, quippiam contraxerint in ſermone. Flandrenſes vero, qui occidua Walliæ incolunt, dimiſſa jam barbaria, Saxonice ſatis proloquuntur. Angli quoque, quamquam ab initio tripartitam ſortirentur linguam, Auſtrinam ſcil. & Mediteraneam & Borealem, veluti ex tribus Germaniæ populis procedentes, ex commixtione tamen primo cum Danis, deinde cum Normannis, corrupta in multis propria lingua, peregrinas jam captant boatus & garritus. Hæc quidem nativæ linguæ corruptio provenit hodie multum ex duobus, quod viz. pueri in ſcholis contra morem cæterarum nationum à Normannorum adventu, derelicto proprio vulgari, conſtruere Gallice compelluntur. Item quod filii Nobilium ab ipſis cunabulorum crepundiis ad Gallicum idioma informantur. Quibus profecto rurales homines aſſimulari volentes, ut per hoc ſpectabiliores videantur, Francigenari ſatagunt omni niſu. Ubi nempe mirandum videtur, quomodo nativa propria Anglorum lingua, in unica Inſula coartata pronunciacione ipſa ſit tam diverſa, cum tamen Normannica lingua, qua adventitia eſt, univoca maneat penes cunctos. De prædicta quoque lingua Saxonica tripartita, quæ in paucis adhuc agreſtibus vix remanſit, Orientales cum Ociduis tanquam ſub eodem Cœli Climate lineati, plus conſonant in ſermone, quam Boreales cum Auſtrinis. Inde eſt quod Mercii ſive Mediterranei

terranei Angli, tanquam participantes naturam extremorum, collaterales linguas, Arcticam ſcilicet, & Antharcticam melius intelligunt, quam adinvicem ſe intelligant jam extremi. [*W. de pon. li. 3.*] Tota lingua Northumbrorum maxime in Eboraco ita ſtridet incondita, quod nos Auſtrales eam vix intelligere poſſumus, quod puto propter viciniam barbarorum contigiſſe, & etiam propter jugem remotionem Regum Anglorum ab illis partibus, qui magis Auſtrum diverſati, ſi quando Boreales partes adeunt, non niſi magno auxiliatorum manu pergunt. [*R.*] Frequentioris autem moræ in Auſtrinis partibus quam in Borealibus cauſa poteſt eſſe, gleba feracior, plebs numeroſior, urbes inſigniores, portus accommodatiores.

De Incolarum Moribus.

SIgnificatis ſuperis utcumque Wallanorum & Scotorum moribus, jam de Ritibus permixti Anglorum populi erit perorandum. [*Gir. in itin.*] Et quidem Gens illa Flandrenſis ad Occidentem Walliæ, quaſi Anglica jam convictu eſt effecta, fortis eſt & robuſta, bellico conflictu Cambrenſibus infeſtiſſima, lanificiis & mercimoniis uſitatiſſima, ad ſubeundem Terræ Mariſque pericula pro lucro captando promptiſſima, viciſſim pro loco & tempore nunc ad arma, nunc ad aratra accommoda. De qua gente mirandum videtur, quod in armis arietum dextris carne nudatis, & non aſſis ſed elixis, futura proſpiciunt, præſentia, & præterita; ſed loco abſentia, quaſi quodam Spiritu vatidico & arte miranda, pacis & guerræ ſigna, Regni ſtatum, cædes, & adulteria, rimularum & notularum indiciis declarant. [*R.*] Reliqua vero gens Anglorum Loegriam inhabitans, utpote Inſulana, permixta, & à primitivis ſcatebris longius derivata, proprio motu, etiam ſive alieno hortatu, facile flectitur ad oppoſita: adeo quoque quietis impatiens, curæ æmula, ocium nauſeat, [*W. de pon li. 3.*] ut cum Hoſtes externos funditus depreſſerit, ipſa mutuo ſe conterat, & more vacui Stomachi agat in ſeipſam. [*R.*] Gens tamen Auſtralis quietior, & mitior, Borealis vero mobilior & ferocior, gens media participii vicem tenet. Item gens Angligena præ cæteris gulæ dedita, in victu & veſtitu multum ſumptuoſa; quod quidem vitium diebus Hardeknuti Regis Danici, qui bina bis fercula etiam in cœnis juſſerat apponi, creditur contraxiſſe. Gens hæc equo & pede expedita, ad omne genus armorum accommoda, in bellicis congreſſibus, ubi fraus abfuerit, ſolet lauream reportare. Gens iſta curioſa ſatis, ut noſcat & narret mirabilia quæ viderit, Regiones colluſtrat, in ſolo proprio vix locupletior, in longinquis magis felix. Nova nanciſci melius novit, quam hæreditaria conſervare. Hinc eſt quod late per Orbem diſpergitur, putans ſibi patriam omne ſolum; geus denique ad omnem idonea induſtriam; ſed ante factum importuna & præceps, poſt factum ſagacior, facile deſerit quod incœpit. [*Pol. li. 6.*] Proinde eſt quod Eugenius Papa dixit, gentem Anglicanam ad quæcunque vellet fore idoneam, & cæteris gentibus præferendam, niſi levitas animi impediret. Et ſicut Hannibal negabat poſſe vinci Romanos, niſi in propria patria, ita & gens Anglica, dum peregrinatur, invincibilis eſt, in ſedibus propriis facilius expugnatur. [*R.*] Gens iſta quæ ſua ſunt faſtidiens vituperat propria, commendat aliena: de ſtatus ſui gradu vix unquam contenta, quod alteri congruit libenter in ſe transfigurat, unde fit ut vernaculus quod Armigeri eſt, Armiger quod Militis, Miles quod Ducis, Dux quod Regis eſt, in ſe repræſentat; imo nonnulli genus circueuntes in novo genere ſunt, omnem ordinem acceptantes nullius ordinis ſunt. Nam in geſtu ſunt Hiſtriones, in affatu Citherones, in convictu Nebulones, in quæſtu Caupones, in apparatu ſunt Tirones. In lucris

Argi, in laboribus Tantali, in curis Dedali, in cubilibus Sardanapali, in Templis Simulacra, in Curiis Tonitrua, in Privilegiis & Præbendis Clericos ſe fatentur; ſed & in cunctis paſſim tanta veſtium varietas & apparatus multiformitas inolevit, ut neutri jam generis quilibet pene cenſeatur, de qua re prophetavit quidam ſanctus Anachorita, temporibus Regis Egelredi, in hunc modum, [*Hen. li. 6.*] Angli quia proditioni, ebrietati, & negligentiæ Domus Dei dediti ſunt, primo per Danos, deinde per Normannos, 3. per Scotos, quos viliſſimos reputant, erunt conterendi. Adeo quia tunc varium erit ſeculum, ut varietas mentium, multimoda veſtium variatione deſignetur.

Explicit Liber Primus.

LIBER. II.

Anno Abrah. 888. LAtinus tertius Silvius Poſthumus, filius Æneæ, & Aſcanii, ex Lavinia Noverca progenitus, cœpit regnare, & regnavit xxxv annis. Quo anno Brutus filius Silvii filii Aſcanii ſecundum Hiſtoricos Britanniam occupavit.

Ranul.] De patre iſtius Bruti Hiſtoriæ videntur diſſonare; nam Britonum Hiſtoria dicit, iſtum Brutum fuiſſe filium Silvii Aſcanii; ſed Hiſtoria Romana dicit Aſcanium genuiſſe Julum, à quo familia Juliorum exorta eſt, nullam penitus de Silvio faciens mentionem. Niſi ergo iſte Julus fuit Binomius, & dictus Silvius; altera dictarum hiſtoriarum vacillat. Nam cum Brutus iſte afferatur patrem ſuum venando quindennis occidiſſe, & Silvius Poſthumus ſecundum omnes Hiſtoricos ſit filius Æneæ, non filius Aſcanii, diuque poſt, non occiſus, vixerit, & regnaverit; liquet profecto, quod iſte Silvius Poſthumus non ſit pater Bruti: niſi forſan quia Hiſtoria Romana dicit, Aſcanium poſt mortem Æneæ Silvium Poſthumum ſumma pietate educaſſe, ob hoc patrem ejus putandum fore, quod quidem indubitanter admitterem, ſi Silvius Poſthumus à Bruto filio occiſus minime legeretur.

Gaufr. & Alfr.] Hic igitur Brutus, quia matrem in puerperio, & patrem poſtmodum venatu quindennis occidit, idcirco de Italia pulſus Græciam adiit, ubi ope Trojanorum Pandraſum Regem Græcorum devicit, filiamque Regis Pandraſi Innogen deſponſavit, Trojanos liberavit; deinde enavigans reſponſo Dianæ accepto, Africam appulit. Inde Ariſphilenorum, Lacu Salinarum, flumine Maluæ, Columniſque Herculis pertranſitis, Tyrrenum æquor apprehendit, ac reperto ibidem Corineo ad Acquitanniam pervenit, ubi Gaphario Pictavorum Duce devicto, ſed Turno Bruti nepote, apud urbem Turnew ſeu Turon de nomine ſuo dictam occiſo, proſperis velis Inſulam Britanniæ apud Totoneſium Litus in Cornubia tenuit. In qua primus Monarcha effectus Gigantes Incolas deſtruxit, Inſulam à nomine ſuo Britanniam, ſocioſque ſuos Britones vocavit, Cornubiam Corineo tradidit. Urbem Trinovantum quaſi novam Trojam, quæ nunc London, ſuper Thamiſim conſtruxit, tres filios Locrinum, Cambrum & Albanactum progenuit, & poſtquam 24 annis Inſulam rexiſſet, deceſſit.

911. Locrinus primogenitus Bruti cœpit regnare quaſi ſuper tertiam partem Inſulæ Britannicæ, à Meridiano ſc. freto uſque ad Humbram fluvium, quam partem Inſulæ Loegriam à nomine ſuo nuncupavit, ſicut ſupra libro primo de Britannia dictum eſt. Sed Albanacto fratre ſuo occiſo,

ciſo, & Cambrio tertio fratre defuncto, Locrinus poſt viceſimum annum Regni ſui occiſus eſt in bello, quod ei uxor ſua Guendolena, propter pellicem Eſtrildam, intulerat; Guendolena poſt Maritum regnavit XV an.

Latinorum IV. Æneas Silvius filius Poſthumi cœpit regnare, & regnavit XIII annis. 927.

Ran.] Secundum aliquas Hiſtorias frater Poſthumi Latinus Silvius ponitur IV^tus^. & iſte Æneas Silvius ponitur quintus, ſed hoc in loco iſte Æneas ponitur quartus.

Maddan filius Locrini, & Guendolenæ regnavit apud Britones XXXX annis, genuitque Mempricium & Maulum. 936.

Gauf. Alfr.] Mempricius quintus Rex Britonum regnavit XX annis. Hic nempe fratrem ſuum Maulum, quaſi pro concordia ad Colloquia vocatum occidit, & ſic Regnum invaſit, tyrannidem in plebe multam exercuit, ac tandem relicta uxore, ex qua inclytum juvenem Ebrancum genuerat, Sodomiticæ Peſti indulſit, ac poſtremo, dum venationi intenderet, à lupis devoratus eſt.

Gaufr. Alfr.] Ebrancus filius Mempricii, Britannorum Rex ſextus, cœpit regnare ſuper Britones, ſuper quibus regnavit LX annis. Hic vir fortis & elegans, ex XX conjugibus genuit XX filios, & XXX filias, quarum pulcherrima fuit Gualaes; has filias direxit Ebrancus ad Albam Silvium Regem Latinorum, ut Trojano ſanguini copularentur, eo quod Sabinæ Mulieres cubilia Latinorum diffugerent. Filii quoque Ebranci, Duce Aſſaraco, partem Germaniæ occupabant. Ebrancus Tranſhumbram urbem Eboracum condidit; in confinio Northimbriæ & Albaniæ urbem Alcluid ſtatuit. Sed & infra Albaniam Caſtrum Puellarum, quod nunc Edenburgh dicitur, fundavit. Poſt hæc Claſſem in partes Galliarum direxit, & plurimum ditatus rediit.

Brutus cognomento Viride Scutum, primogenitus Ebranci, regnavit ſuper Britones XII annis.

Leil filius Bruti Viridis Scuti regnavit ſuper Britones XXV annis.

Ruthudibras filius Leil regnavit ſuper Britones XXXIX annis, fecitque tres urbes inſignes, Cantuariam, Wintoniam, Septoniam.

Bladud filius Ruthudibras regnavit ſuper Britones XX annis. Qui ſecundum, [*Gauf. & Alfr.*] conſtruxit arte Nigromantica urbem Caerbadun, id eſt, Bathoniam, in qua fecit calida Balnea. [*Ran.*] Veruntamen Wills. Malmesburienſis dicit Julium Cæſarem illa Balnea excogitaſſe, quod non puto verum, prout ſupra de urbibus dicitur.

Explicit Liber Secundus.

LIBER. III.

LEIL filius Bladud regnavit ſuper Britones LX annis, qui conſtruxit Leirceſtriam ſuper flumen Soram, genuitque tres filias ſecundum librum Britannicum.

Gaufr.] Cordeilla filia Regis Leir regnavit ſuper Britones poſt patrem ſuum V annis, quam tandem filii ſororum ſuarum Morganus & Cunedagius incarceraverunt. Cunedagius regnavit ſuper Britones poſt Cordeillam XXXIII annis. Occiderat namque fratrem ſuum Morganum contra ſe rebellantem, apud Glammorganciam Cambriæ, à quo eventu Plaga illa vocatur adhuc terra Morgani. Poſt Cunedagium Rinallo, poſt quem Gurguſtius, poſt quem Silvius, poſt quem Jago, poſt quem Kimmarchus,

An. ab Urbe conditâ. poſt quem Gorbodio, cui nati ſunt duo filii, Ferrex & Porrex; ſed Porrex dominandi cupidine accenſus, fratrem ſuum interfecit; ex hoc mater eorum indignata, ſoporatum homicidam cum ancillis ſuis aggreſſa fruſtavit, dilaceravit. Ex hinc civilis diſcordia ſub v Regibus populum afflixit, uſque ad tempora Molmucii Dunwallonis.

285. *Gaufr.*] Circa hæc tempora Dunwallo Molmucius, filius Ducis Cornubiæ, cœpit regnare apud Britannos, qui interfectis Regibus Loegriæ, Cambriæ, & Albaniæ, Inſulam ſolus obtinuit, Diadema ex auro ſibi fecit, Leges quæ Molmutinæ vocantur, compoſuit, quas poſtmodum Gildas in Latinum, deinde Rex Aluredus de Latino tranſtulit in Anglicum. Hic tandem cum xxxx annis regnaſſet obiit, & juxta Templum Concordiæ in urbe Trinovantum ſepultus eſt. Hic eſt ille, qui Templa Deorum, aratra Colonum, urbes, & vias ad illa ducentes immunitate inſignivit.

326. *Alfr. & Gaufr.*] Belinus filius Molmucii regnavit apud Britannos, Loegriam cum Cambria ac Cornubiam ſibi retinens; reliquam vero terram Tranſhumbranam cum Albania Brennio fratri ſuo tradens. Igitur quinquennio in Regno concorditer tranſacto, rebellavit Brennius contra Belinum, ſed contritus ab eo fugit ad Seginum Ducem Allobrogum, id eſt, minoris Britanniæ, cujus filiam in conjugem, & etiam Regnum poſt mortem Ducis ſuſcepit: poſt annum ſuſcepti Ducatus, venit cum Gallis & Allobrogis Britanniam contra fratrem ſuum debellare, ſed mater eorum jam annoſa, ſparſis crinibus, & expoſitis mamillis, quibus utrumque fratrem lactaverat, pacem procuravit. Inde poſt annum fratres conjuncti Galliam ſubjugarunt, Germanos protriverunt, ac tandem Romam obſederunt.

351. *Eutrop. Gaufr.*] Senones Galli, Duce Brennio, xi ab urbe milliario, apud flumen Alliam, Romanos devicerunt, quos ad urbem fugaverunt, urbem cœperunt, uſque ad Capitolium.

Gaufr. Alfr.] At Belinus de Italia ad Britanniam reverſus, pacifice deinceps vixit, urbes reparavit, inter quas Caeruſt ſuper Uſtani flumen prope Sabrinam fundavit, portam Belini, quæ modo corrupte ab Anglis vocatur Belingſgate, ſuper Thamiſim in urbe Trinovantum condidit, & Turrim deſuper locavit, in qua poſtmodum combuſti corporis ſui pulvis repoſitus eſt, fecit etiam Leges & quatuor vias Regales, prout ſupradictum eſt, &c.

383. *Gaufr. Alfr.*] Circa hæc tempora Gurguncius Bartrus filius Belini, Rex Britannorum, rediens de Dacia tributa ſolita ſibi negante, invenit juxta Orcades Inſulas xxx naves Baſclenſibus repletas, de Oris Hiſpaniæ illuc advectas, quos cum Duce illorum Bartholomeo miſit ad partes Hiberniæ, omni Incola tunc carentis.

406. *Gaufr.*] Circa hæc tempora regnavit apud Britannos Guitelinus, filius Gurguncii, cujus uxore Marcia cunctis artibus pene imbuta, Legem edidit Marcianam.

Gaufr.] Ipſa quoque Marcia poſt mortem mariti aliquantiſper regnavit, poſt quam Siſillius, poſt quem Kymarus, poſt quem Danius, poſt quem Morindus crudelis, qui tandem devoratus eſt à Bellua.

454. *Gaufr. Alfr.*] Circa hæc tempora regnavit apud Britanniam Morindus Crudelis, filius Danii ex Tanguſtela concubina progenitus, qui, poſt multa ſævitiæ ſuæ geſta, devoratur à Bellua Marina, relictis poſt ſe quinque filiis, quorum primogenitus Gorbomanus, æquitatis amator, aliquantiſper regnans obiit. Deinde Arthgallo ſecundus natu Regnum crudeliter tractavit. Quo tandem per populum expulſo, Elidurus tertius natu pius in Regnum ſubſtituitur, qui, poſt quinquennium ſuſcepti Regni, venatui intendens apud nemus Calaterium, [*R.*] quod hodie Caltrees dicitur, juxta Eboracum, [*Gaufr.*] juxta urbem Alcluid, fratrem ſuum Arthgallonem nuper de Regno expulſum, errabundum reperit, quem latenter in Camera ſua occubuit, langoreque ſimulato, proceres Regni ad ſe vocavit, quos fratrem ſuum in Regnum reſtituere coegit. Tandem Arthgallone poſt x

annos

annos obeunte, Elidurus rurſum reſtituitur, ſed reſidui duo fratres Vigemus & Peridurus expugnaverunt eum, & apud urbem Troinovantum incarceraverunt; quibus viciſſim regnantibus, & tandem obeuntibus, Elidurus de carcere levatus, jam tertio in Regno reſtituitur, & ex tunc vitam pacifice peregit, poſt quem XXXII Reges apud Britannos conſequenter regnaverunt, inter quos Rex Bledgaret omnes prædeceſſores in Muſicis melodiis præcellebat, ita ut Deus Joculatorum diceretur. Poſt hæc Hely per XXXX annos regnans, tres illuſtres filios poſt ſe reliquit, Lud, Caſſibelanum, & Neminum.

Ran.] Sub hoc anno, qui ſecundum Bedam LX eſt ante Incarnationem, venit Julius Cæſar ad ſubjugandum Britanniam, in hunc modum, [*Beda li. p. ca. 2. & Oro. li. 6.*] Julius Conſul, dum contra Germanos & Gallos, qui tantum Rheno flumine dirimuntur, bellum gereret, venit ad Morianos, præparatis CXXX navibus onerariis, & actuariis, in Britanniam eſt tranſvectus, ibique acerba pugna fatigatus, deinde adverſa tempeſtate correptus, plurimam navium & equitum partem amiſit. Regreſſus ad Galliam, quaſdam militum legiones ad Hiberniam miſit, ac navibus iterum paratis, dum ipſe in hoſtes Britannos pergit, XXXX naves tempeſtate franguntur, & ipſe primum victus, Labieno Tribuno occiſo, vix ſecundo prælio Britannos fugavit. Nam Britanni Ripam Tamenſis fluminis, ubi Julius applicuerat, acutis ſudibus præſtruxerant, quorum veſtigia, ad modum femoris humani groſſa, & plumbo circumfuſa, uſque hodie viſuntur infixa. Quo comperto Romani periculum vitantes, urbem Trinovantum per induſtriam Andragii, datis XXXX obſidibus, capiunt: deinde urbem Caſſibelani munitam opulentam in paludibus ſitam occupavit. Exinde Cæſar à Britannia reverſus in Galliam, repentinis bellorum tumultibus, undique conflictatus eſt. 692.

Gauf. Alfr.] Apud Britannos mortuo Rege Lud, qui urbem Troinovantum à nomine ſuo Caerlud appellaverat & portam occidentalem in ea, quæ à nomine ſuo Ludgate dicitur, extruxerat; ſucceſſit ei in Regnum frater ſuus Caſſibelanus. Nam Lud reliquerat duos filios, Andragium & Tennancium ad Regendum immaturos. Sed pubeſcente eorum ætate, dedit Caſſibelanus Andragio urbem Trinovantum cum Ducatu Cantiæ, & Tennancio Ducatum Cornubiæ; ſub quo tempore Julius Cæſar Britanniam advectus eſt, biſque repulſus, ſed dum propter necem nepotis Regis, quem nepos Andragii in ludo paleſtræ enecaverat, Rex ipſe & Andragius plurimum diſceptarent, vocatus Julius per Andragium Britanniam ſubjugavit, Regemque Caſſibelanum tributarium fecit, qui poſt receſſum Julii VII annis vixit.

Alfr. Gaufr.] Defuncto Caſſibelano apud Britanniam, & in Eboraco ſepulto, ſucceſſit ei nepos ſuus Tennancius Dux Cornubiæ, filius Regis Lud, ac frater Andragii. Nam ipſe Andragius cum Cæſare Romam perrexerat. 700.

Gaufr.] Kimbelinus filius Tennancii regnavit apud Britannos, & genuit duos filios Guiderium & Arviragum. 744.

Explicit Liber Tertius.

LIBER

LIBER. IV.

Ab Incarnatione Domini 30. *Ran.*] KImbelinus Rex Britonum obiit, relictis duobus filiis, Guiderio & Arvirago, quorum Guiderius regnum ſuſcipiens, dum tributum Romanis denegat, ſupervenit Claudius Cæſar, cum Duce Lelio Hamone.

38. *Ran.*] Circa hæc tempora regnavit apud Britannos Guiderius filius Kimbelini.

Gauf. Alfr.] Regnante apud Britannos Rege Guidero, tributumque Romanis negante, ſupervenit Claudius Cæſar [*Bed. li.p. c. 3.*] Britanniam quaſi abſque prælio conquiſivit, quæ excitata in tumultum, propter non redibitos transfugas, videbatur. Itaque tranſvectus eſt in Inſulam, quam neque ante Julium Cæſarem, neque poſt eum quiſque adire auſus fuerat; Orcades etiam inſulas, ultra Britanniam in Oceano poſitas, Romano adjecit Imperio, ac ſexto poſtquam profectus eſt menſe Romam rediit, filioque ſuo Britannici nomen impoſuit.

Dux Claudii Lelius Hamo apud Porceſtriam Regem Guiderium occidit. Ipſeque Hamo apud Portum Hamonis à nomine ſuo ſic vocatum, quæ modo Hamptonia dicitur, occubuit. Deinde Claudius, poſt variam belli ſortem Arviragum fratrem Guiderii in gratiam recepit, filiamque ſuam Genuiſſam de Roma adductam Regi Arvirago copulavit, locumque nuptiarum celebrem facere volens, à nomine ſuo Claudioceſtriam nuncupavit, [*Ranul.*] quod Britannice Caerclaud dicitur, id eſt, urbs Claudii, ſed poſtmodum vocata eſt Glouceſtria, ſive Glovernia, à Glora Duce Demeciæ, quem Claudius Cæſar fertur ibidem genuiſſe. Deinde Claudius legiones militares in Hiberniam miſit, ſed eo Romam reverſo cum Arviragus ſubeſſe diffugeret, miſſus eſt à Roma Dux Veſpaſianus, qui Regem & Regnum, Inſulam quoque Vectam, Britanniæ ab Auſtro proximam, Romano ſubegit Imperio.

70. *Gaufr. Alfr.*] Circa hæc tempora Marius filius Arviragi regnavit apud Britannos, cujus diebus Rex quidam Pictorum Rodricus de Scythia veniens, Borealem partem Britanniæ, quæ Albania, ſive Scotia dicitur, occupavit, qui tandem à Mario occiſus eſt. In cujus ſignum triumphi, Rex lapidem erexit in illa Provincia, quæ à nomine ſuo Weſtmaria dicitur, id eſt, Weſtmerlond. Eſt autem in lapide illo adhuc ſic inſcriptum, MARII VICTORIAE. [*Ranul.*] Hîc fuit Willielmus Malmesbirienſis deceptus, putans hujus lapidis titulum ad Marium Conſulem Romanum pertinere, nec mirum, cum ipſe Britannicum librum non legiſſet, ubi de Mario Rege continetur, poſt hæc Marius devicto populo Rodrici terram Cathaneſiæ, in ultimis finibus Albaniæ, ad habitandum dedit, qui cum à Britonibus uxores habere non poſſent, ab Hibernienſibus acceperunt, eo pacto quod ſucceſſio per maternum genus deſcenderet.

99. *Gaufr.*] Coillus filius Marii, ab infantia Romæ nutritus, regnavit apud Britannos, qui tributum Romanis ſolvit & vitam pacificam duxit. [*Ran.*] Ferunt nonnulli urbem Colceſtriam, quæ caput eſt Eſtſaxonum, ab eo fundatam.

162. [*Gir. de p. c. 17. Bed. li. p. ca. 4.*] Circa primum annum hujus Marci, Lucius filius Coilli cœpit regnare apud Britones. Qui miſit literas Eleutherio Papæ pro Chriſtianitate ſuſcipienda, & obtinuit, quam fidem Britanni uſque ad tempora Diocletiani integram ſervaverunt.

178. Eleutherius Papa, ad petitionem Lucii Regis Britonum, miſit Foganum

& Dannanum, qui baptizaverunt Regem, & populum ſuum ac loco gentilium Flaminum, & Archiflaminum poſuerunt Epiſcopos, & Archiepiſcopos; & duravit hæc Chriſtianitas in Britannia per CCXVI annos, uſque ad tempora Diocletiani, quando Martyrizatus eſt beatus Albanus.

Severus Afer Tripolitanus &c. [*Bed. li. p. ca. 5.*] Hic fortiter, ſed laborioſe, rexit Rem-publicam; tandem Britanniam adiens, non muro de lapidibus, ut quidam æſtimant, ſed vallo de ceſpitibus eam diſtinxit, quibus circumciſis de terrâ velut murus altus exſtruitur ſupra terram, ita ut in ante ſit Foſſa, de qua levati ſunt ceſpites; ſupra quam ſudes de lignis fortiſſimis præfiguntur: turribus etiam crebris illud munivit; poſt hæc apud Eboracum obiit, relinquens poſt ſe duos filios, Baſſianum & Getam, quorum Geta hoſtis publicus judicatus interiit; Baſſianus vero, Antonii nomine aſſumpto, potitus eſt Regno. 195.

Gauf.] Lucio Rege Britonum abſque Liberis defuncto, & in Claudioceſtria ſepulto; diſſidium inter Britones ortum eſt, & Romana infirmata: unde & Severus ſenator cum duabus Legionibus mittitur ad Britannias, qui poſtquam vallum inter Deiram & Albaniam ſumptu publico conſtruxiſſet, contra Fulgentium Regem Pictorum apud Eboracum congrediens interfectus, & ibidem ſepultus, relictis duobus filiis Geta ex Romana matre, Baſſiano ex Britannica progenitis. Quapropter pugna inter fratres commiſſa Geta interfectus eſt, & Baſſianus Regno potitus.

Gir.] Britones elegerunt Baſſianum, quia de matre Britannica fuerat; ſed Romani elegerunt Getam, quia de matre Romana fuerat; ſed ipſis congredientibus, Geta occiſus eſt, vult tamen Eutropius in Hiſtoria Romana quod iſte Geta occiſus eſt apud Edeſſam urbem, dum expeditionem faceret contra Parthos. Gaufridus tamen in Hiſtoria Britonum dicit Getam interfectum à Carauſio tyranno & invaſore.

Bed. li. p. ca. 6.] Baſſiano Regnante, Carauſius quidam ex infima gente Britonum progenitus, ſed conſilio & manu promptus, obtinuit à ſenatu ut obſervaret maritima Britanniæ, quæ tunc Franci & Saxones infeſtabant, quo tamen poſitus plus in perniciem, quam in commodum reipublicæ egit; unde Britonibus promiſit, quod ſi eum Regem facerent, etiam Romanos de Inſula exterminaret. Interfecit igitur Baſſianum, & Regno per Septennium potitus eſt; nam Picti, quos Dux Fulgentius frater matris Baſſiani de Scythia & aliunde adduxerat, donis Carauſii corrupti, in ipſo prælio Baſſianum reliquerant, unde & Carauſius victor effectus dedit Pictis locum manſionis in Albania, ubi cum Britonibus permixti, per ſubſequens ævum permanſerunt. Senatus Romanus hoc audiens miſit Allectum cum tribus Legionibus in Britanniam, ut Carauſium interficeret; quo occiſo Allectus per triennium regnavit, & ſic Britanniam poteſtati Romanæ reſtituit. 212.

Gir.] At quia iſte Allectus Britones Carauſio nuper adhærentes afflixit, Aſclepiodotus Dux Cornubiæ in Regem erigitur, qui Allectum poſt tertium annum cum multis millibus Romanorum apud London interfecit.

Gauf.] Gallum vero ſocium Allecti, poſt diutinam obſidionem Londonii, Venedoti irruentes apud Torrentem infra Londonium, qui à nomine ſuo Gallibroc diciur, occiderunt; regnavitque Aſclepiodotus in Inſula per x. annos, uſque ad tempora Diocletiani, tuncque Cœlus Dux Colceſtriæ Aſclepiodotum interfecit.

Ran.] Iſtum Aſclepiodotum, quem Geraldus & Gaufridus vocant Ducem Cornubiæ, [*Beda li. p. ca. 6.*] Sequens Eutropium in Hiſtoria Romana, dicit eſſe Præfectum Prætorii. [*Eutropius.*] Opilius Macrinus Præfectus Prætorii, poſt Baſſianum imperavit quaſi uno anno, & tunc cum filio ſuo apud Archelaidem tumultu militari occiditur.

Gir. Gaufr.] Circa hos dies Conſtantius quidam miſſus eſt à Romanis ad ſubigendum Regem Britonum Cœlum, & ad recipiendum tributum denegatum; ſed mortuo poſt adventus ſui menſem Cœlo, Conſtantius Regno 277.

 potitus,

potitus, copulavit ſibi Helenam filiam Cœli prædicti, de qua Conſtantinum magnum cito procreavit.

304. *Bed. li. p. ca. 6.*] Eo quoque tempore apud Britanniam paſſus eſt Sanctus Albanus, de quo Fortunatus Presbyter ſic meminit, in libro quem de laude Virginum intitulavit,

Egregium Albanum fœcunda Britannia profert.

Iſte Albanus cum eſſet Paganus Clericum quendam Chriſtianum hoſpitavit, cujus monitis converſus ſeipſum in habitu Clerici, qui dicitur Caracalla, pro Clerico judici præſentavit, mortique adjudicatus, multum populum juxta Torrentem quem precibus ſuis ſiccavit ad Deum convertit, poſtea in vertice montis ubi occubuit fontem precibus de terra produxit, ſpiculatoremque ſuum ad fidem convertit; paſſus eſt ergo juxta urbem Verolanium Anglice Verlanicheſtre ſive Watlingceſtre.

Beda li. 1.] Hoc tempore Arriana exoritur Hæreſis, quæ non ſolum Orbem, ſed & Orbis Inſulas, quæ ſemper aliud novum audire, & nihil cer-
307. tum tenere gaudent, infecit.

Beda li. p. c. 7.] Quo in tempore Conſtantius XIII°. Principatus ſui anno obiit in Britannia apud Eboracum, relinquens poſt ſe Conſtantinum ex
313. Helena progenitum Regem Britanniæ atque Galliarum.

Giraldus de p. c. 17.] Igitur ſeptimo anno Conſtantini, dum ipſe contra Maxentium præparet, vidit per ſoporem ſignum Crucis in Cœlo flammeo nitore rutilans, Angeloſque aſſiſtentes, & dicentes, Conſtantine Thoicanaca, quod eſt, in hoc ſigno vinces, unde evigilans, ſignum quod viderat fecit in vexillis militum ſuorum depingi, Maxentio itaque apud Pontem Milvium extincto, Conſtantinus Romam ingreditur, & in manibus dextris imaginum, quas ſenatus ad honorem triumphi ejus erexerant, fecit ſignum Crucis depingi, & ſubtus deſcribi. HOC EST SIGNUM INVINCIBILIS DEI VIVI.

Gauf. Alfr.] Recedente Conſtantino de Britanniis ad Imperium Romanorum, Octavius quidam Dux Gewiſſeorum Regnum Britanniæ invaſit, quo audito Conſtantinus miſit Trahern avunculum Helenæ matris ſuæ cum tribus Legionibus militum contra Octavium, quibus varia ſorte viciſſim dimicantibus, occiſus eſt Trahern per inſidias, ſicque regnavit Octa-
386. vius, uſque ad tempora Gratiani & Valentiniani Imperatorum.

Gaufr.] Octavius Rex Britonum jam ſeneſcens invitavit de Roma ſenatorem quendam nepotem Helenæ, Maximum nomine, ut Regnum Britanniæ cum unica filia ſua ſuſciperet; qua de cauſa Conanus Regis nepos, qui ad Regnum aſpirabat, indignatus, ſæpius cum prædicto Maximo conflixit; tandem ambo pacificati omnem armatum militem è Patria ſecum abduxerunt, Armoricamque provinciam expugnaverunt; ibique Maximus Conanum regnare fecit, dum ipſe Imperatores Gratianum & Valentinianum expugnaret, eo quod de tertia parte Imperii quam petebat repulſus eſſet.

Eutr. & Bed. li. p. ca. 10.] Maximus quidem vir probus & ſtrenuus, niſi contra ſacramenti fidem emerſiſſet, ſeditione militum apud Britannias factus Imperator, in Gallias ſtatim tranſiit, Galliam & Germaniam diris præliis ſubjugavit, Gratianum Auguſtum ſubita incurſione perterritum apud Lugdunum interfecit, fratremque ejus Valentinianum ab Italia fugavit. Qui ſtatim ad Theodoſium in Oriente fugiens pie reſtitutus eſt ad Regnum; nam ſolertia Theodoſii cito poſt Maximus apud Aquileiam concluſus interemptus eſt.

Gaufr. Alfr.] Interea Conanus Dux Armoricæ nuptias Gallorum deteſtans, miſit ad Dionotum Regem Cornubiæ pro uxoribus Populo ſuo copulandis. Qui ſtatim deſtinavit ſibi Urſulam filiam ſuam pulcherrimam cum XI millibus Virginum, quarum aliquæ ſævientibus ventis ſubmerſæ ſunt, aliquæ in barbaras nationes appulſæ; nonnullæ vero à nefandis Du-

cibus

cibus Gwanio, & Melga, eo quod eorum libidini conſentire nollent, trucidatæ ſunt. Erat autem Guanius Rex Hunnorum, & Melga Rex Pictorum, quos ambo Gratianus & Valentinianus ad maritima Germaniæ tranſmiſerant, ut fautores Maximi Tyranni trucidarent. Deinde hi nefandi Duces Guanius & Melga, cum comperiſſent Britanniam per abductionem Maximi omni armato milite vacuatam, aſſociatis ſibi collateralibus Inſulis, Albaniam primo occupaverunt. Quod cum comperiſſet Maximus Tyrannus, miſit ſtatim duas Legiones millitum cum Gratiano Municipe, qui Duces prædictos uſque in Hiberniam fugavit. Sed poſtquam Gratianus iſte audivit Maximum interfectum, fecit ſe Regem Britanniæ; at quia nimiam excercuit Tyrannidem, à populo ſuo plebeio occiſus eſt. Ejus loco Conſtantinus quidam ex infima militia, ſed propter ſolam ſpem nominis ſine merito virtutis, eligitur. Qui ſtatim ad Gallias tranſiens plurimum reipublicæ detrimento fuit. Quamobrem Conſtantius Comes, jubente Honorio Auguſto in Galliam miſſus, apud Arelatem Conſtantinum occidit, una cum Conſtantio filio ſuo, quem Comes Gerontius ex monacho Cæſarem fecerat.

Bed. li. p. c. 17.] Divulgata igitur morte Maximi Tyranni, Gratiani Municipis, necnon & Conſtantini, reverſi ſunt de Hibernia hoſtes ſupradicti Gua- 418.
nius & Melga cum Scotis & Norguegenſibus, qui Regnum Britanniæ à mari uſque ad mare ferro & flamma afficiunt. Qua de cauſa Britones ad Romanos mittunt, ſubjectionem continuam promittunt, auxilia depoſcunt; quibus ſtatim ab Honorio mittitur Legio, quæ Barbaros ſtravit, & Britones inter duo maria, trans Inſulam, murum ad arcendos hoſtes conſtruere docuit. Reverſa tandem Legione, Inſulani tantæ artis ignari, murum non tam de lapidibus quam de ceſpitibus conſtruentes, ad nihil utile ſtatuunt, à loco ſcilicet, qui Penneltun dicitur, uſque ad Occidentem, ubi eſt urbs Alcluit, ut ubi Aquarum munitio deeſſet, ibi incolæ præſidio valli fines ſuos defenderent. Sed hoſtes navigio advecti omnia vaſtant, calcant anniverſarias, ut prius, agunt prædas. Mittitur iterum à Romanis Legio armata Britonibus, quæ, hoſtibus ſtratis & fugatis, murum de lapidibus firmum VIII. pedes in latum & XII in altum à mari uſque ad mare inter urbes, ubi quondam Severus vallum fecerat, locavit; monentque Britones ut de cætero, ignavia dejecta, arma corripiant, eo quod Romani aliunde fatigati, tam laborioſæ expeditioni amplius intendere non poterant. Conſtruunt igitur murum lapideum ſumptu publico & privato, adjuncta ſecum Britannorum manu, præbent etiam eis armorum exemplaria. Sed & in litore Oceani, ubi Barbarorum irruptio timebatur, turres per intervalla collocant, valedicentes eis, tanquam ultra non reverſuri. [*Gildas*] Quibus recedentibus certatim emergunt de cavernis, tanquam ſole incaleſcente, vermiculorum cunei, tetrique Scotorum & Pictorum greges, moribus quidem multum diffidentes, habitu tamen & cultu ſanguiniſque fundendi aviditate concordes, pilis potius quam veſtibus corporis pudenda tegentes, cognita Legionum Romanorum reverſione, confidentius ſolito fines Britonum devaſtant.

Beda.] Cuſtodes murorum jugulant, Incolas terræ trucidant. Unde & à manſionibus ſuis ejecti imminens famis periculum latrocinio & mutua rapacitate temperabant, augentes clades cladibus, donec omnis regio cibi ſuſtentaculo, excepto venandi ſolatio, privaretur.

Gaufr. Alfr.] Deliberato igitur inter Britones concilio, transfretavit Gui- 443.
telinus Archiepiſcopus ad Aldroenum, qui tunc quartus poſt Conanum apud Armoricam regnabat Britanniam. Et expoſita Britonum calamitate, reduxit ſecum Conſtantinum Regis fratrem cum multis millibus armatorum, quem apud Cirenceſtriam erexit in Regem. Habuit autem iſte Conſtantinus tres filios, ſcilicet, Conſtantem primogenitum, quem in Eccleſia ſancti Amphibali apud Wintoniam fecit tonſorari in Monachum; reliquos

vero duos, Aurelium & Uther, Guitelino Epiſcopo tradidit educandos. Conſtantino tandem poſt decennium Regni ſui dolo cujuſdam Picti, quem in obſequio ſuo habuit, interfecto, Vortigernus quidam Conſul Gewiſſeorum ad Regnum aſpirans, Conſtantem Monachum de Wintonia abſtractum, eo quod pigri & inertis eſſet ingenii, erexit in Regem; ſtatimque Vortigernus C. Pictos de Albania evocatos fecit eſſe Regis ſtipatores. Illi autem per Vortigernum multum ditati & refecti, cum intellexiſſent Vortigernum ad Regnum anhelare, Regem Conſtantem occiderunt, & caput ejus Vortigerno attulerunt. Ille vero, ut ſe oſtenderet immunem ab hoc facto, triſtitiam ſimulans, omnes illos centum Pictos coram proceribus provinciæ fecit decollari; & ſic ſibi Diadema Regni impoſuit. Quo audito Nutricii duorum fratrum Aurelii & Utheri ſibi metuentes, ad Regem Armoricæ Britanniæ cum pueris diffugerunt.

Explicit Liber Quartus.

LIBER. V.

449. *Beda*] MArcianus copulata ſibi ſorore Theodoſii, imperavit annis quaſi VII. Cujus primis temporibus celebratum eſt Concilium Chalcedonenſe, contra Euticen & Dioſcurum, prout ſupradictum eſt. Ipſo tandem Marciano conjuratione ſuorum apud Conſtantinopolim occiſo, Hunni & Wandali vaſtaverunt urbes Galliæ ſupra Rhenum ſitas. Quo in tempore, Regnante apud Britannos Vortigerno, tanta frugum copia abundavit, quanta nulla retro ætas meminit, cum qua etiam luxuria, & omnis ſcelerum lues creſcere cœpit: crudelitas, & odium veri, non ſolum in ſæcularibus, ſed etiam in ipſo grege Domini, & in ipſis paſtoribus viguit; adeoque in veracem hominem, tanquam in Britanniæ ſubverſorem, omnia tela torquerentur, ebrietati, animoſitati, litigio, invidiæ ſua colla dederunt. Interea ſubito tanta peſtis, & mortalitas corruptæ mentis homines invaſit, ut nec ſepeliendis mortuis, vivi vix ſufficerent; ſed nec hoc timore correcti ſunt ſuperſtites, quamobrem multo acrior ultio ſubſecuta eſt. Nam initum eſt Concilium à Vortigerno & ſuis, ut Paganam gentem Saxonum de tranſmarinis partibus in auxilium vocarent. quod Dei nutu actum eſſe conſtat ut veniret contra improbos malum.

Gaufr.] Metuebat namque Vortigernus Pictos, quos nuper offenderat, & ex alia parte timebat adventum Aurelii Ambroſii, quem naves ad transfretandum paraſſe jam audierat; hac de cauſa Saxones bellis validos advocare decreverat.

Beda.] Igitur Saxonum gens armis valida, ſedibus vaga, à Britonibus invitata, tribus longis navibus, quas Ciulas vocant, Britanniæ advehitur, in cujus Orientali parte (ſcilicet, apud Thanatos Inſulam juxta Cantiam) locum manendi ſuſcepit, quaſi pro patria pugnatura, ſed potius patriam expugnatura.

Will.] Omnis namque terra fere, quæ trans Oceanum Britannicum ſub Septentrionali Axe jacet, quia tot homines gignit, Germania vocatur. Quapropter ſicut laſcivientes arboris ramuſculos ſolent ſuccidere, ut reliquæ arbori vitæ ſuccus poſſit ſufficere, ſic Incolæ Germaniæ, antiquorum expulſione, matrem terram allevant, ne tam immenſæ prolis paſtu exhauſta ſuccumbat, ſed ut facti invidiam minuant, ſorte ducunt eliminandos. Inde eſt quod homines terræ illius fecerunt ſibi de neceſſitate virtutem, ut nativo

tivo ſolo ejecti peregrinas ſibi ſedes vendicent, ſicut quondam Wandali protriverunt Africam, Longobardi Italiam, Normanni Galliam: ſic primo venerunt de Germania duo fratres Hengiſtus & Horſus, cum parva manu, abnepotes ſcilicet illius Woden, de quo omne pene Barbararum Nationum Regium genus lineam traxit, quemque tunc Gens Saxonum Deum putantes, quartum ei diem in Ebdomada, & uxori ejus Frigæ ſextum Diem perpetuo ſacrilegio conſecrarunt.

Beda.] Advenerant ſiquidem de tribus fortioribus Germaniæ populis; Saxones, Angli, Iuti. De Iutis venerunt Cantuaritæ, vectuarii, & ea gens, quæ contra Vectam Inſulam ponitur. De Saxonibus venerunt Orientales Saxones, Meridiani,& Occidui. De Anglis venerunt Orientales Angli, Mediterranei, id eſt, Mercii, & gens Northumbrorum, quorum Duces Hors & Hengiſt fuerunt.

Henr.] Hæc gens ſic advecta hoſtes Britonum ſtravit, qui jam uſque Stanfordiam venerant, quæ urbs XL milliaribus ab Lincolnia ad Auſtrum diſtat. Cumque Picti & Scoti pilis & lanceis uterentur, Saxones longis gladiis & ſecuribus decertabant.

Gaufr. &c.] Sic itaque Vortigernus, ope Saxonum victoria potitus, dedit Hengiſto terram in Lindeſeia, ubi ille Caſtrum ædificavit, quod lingua Anglorum Thuangcaſtre nominatur, quod ſonat Caſtrum corrigiæ, eo quod tantum terræ ſpatium ad conſtruendum Caſtrum ei concedebatur, quantum una corrigia circuire poſſet. Unde & Hengiſtus corium Tauri in unam corrigiam circumduxit, & dictum locum circuivit.

Beda.] Quod ubi nunciatum eſt domi (ſcilicet, Britanniæ fertilitas, incolarum debilitas) illico mittitur claſſis prolixior, adaugens numerum, qui eo pacto bellum ſuſcipiunt, ut illi pro patria pugnant, & Britones ſtipendia cum alimentis miniſtrent.

Will.] Saxones igitur ſecundo cum XVI navibus venientes filiam Hengiſti adducunt, virginem quidem naturæ miraculum, viris ſpectaculum, quam ocius conſpectam, jubet Rex Vortigernus ut vice pincernæ fungatur, ad quam ſtatim inardeſcens, nuptias petit, patrem quaſi nolentem urget, totam Cantiam pro munere probet, datque licentiam ut Hengiſtus pro filio ſuo mittat.

Gaufr.] Celebratis his nuptiis, Rex uxorem legitimam repudiat, ex qua tres inclytos invenes procreaverat Vortimerum, Categirnum, & Paſcentium.

Beda.] Tunc Saxones inito fœdere cum Pictis, quos nuper repulerant, in ſocios Britones arma vertunt. Et primo quidem annonam exigunt ampliorem, qua non largita, patriam vaſtant, Præſules cum populis trucidant.

Gaufr. &c.] Britones igitur multitudine Saxonum preſſi, ſuaſerunt Regi ut Saxones deſereret, quod cum nollet, eum abjecerunt, & filium ejus Vortimerum in Regem erexerunt.

Will.] Qui poſt VII annos initi fœderis dimicavit contra Anglos frequenter levibus præliis, ſed quinquies acriter cum totis copiis.

Gaufr. &c.] Quorum primum bellum fuit ſuper flumen Derwent. Secundum ſuper vadum Epiford, ubi Horſus & Categirnus mutuis vulneribus conciderunt. Tertium bellum fuit ope Sancti Germani patratum, ubi ter proclamato Alleluya Saxones fugerunt. Quartum bellum fuit ſuper ripam maris, ubi Saxones ad Inſulam Thanet fugerunt.

Rad.] W. tamen dicit, quod poſtquam Vortimerus per XX annos contra Anglos valide conflixiſſet, fatali ſorte ſublatus eſt.

Gaufr.] Mortuo Vortimero, Vortigernus iterum in Regnum conſtituitur, ſub qua ſpe pacis conveniunt utrinque, Britones & Angli Kalendis Maii, juxta Cœnobium Ambrii, de pace mutuo tractaturi. Ubi Hengiſtus nona proditione uſus, indixit ſuis commilitonibus, ut quando proclamaret Anglice, Nymeth your Saxas, ſtatim extractis cultris, quos in caligis abſconſos habebant, ſocios Britones interficerent, quod & factum eſt. Sed

Dux Claudioceſtriæ Eldol, arrepto palo, viriliter ſe defendendo LXX. Saxones occidit & evaſit, Saxones tamen noluerunt Vortigernum occidere, ſed pro redemptione ejus quaſdam nobiles urbes Britanniæ receperunt. Ille vero receſſit ad Occidentales partes Cambriæ, apud Oppidum Genoren ſuper flumen Guaniæ, in monte Cloarcio, ubi Aurelius Ambroſius poſtmodum ſuperveniens, ipſum cum turri ſua combuſſit.

Rad.] Sed W. aliter ſentit dicens, quod Hengiſtus vitio fraudis generum ſuum Vortigernum cum CCC[is]. ſuorum ad convivium invitavit, cumque invitatos & inebriatos ex induſtria ad jurgium provocaſſet, poſt jurgia ventum eſt arma, unde Britonibus occiſis, Rex ipſe captus, datis tribus provinciis Orientalibus, vitam redemit.

Dicit etiam idem W. Quod Vortigernus propriam filiam ſpe Regalis ſucceſſionis ſollicitam corruperit, & filium genuerit, unde & à Sancto Germano, & ab omni cœtu ſacerdotum excommunicatus, fugit ad Occidentalem partem Cambriæ.

Legitur etiam quod cum Sanctum Germanum inſequentem fugeret, combuſtus eſt per ignem in turri ſua de Cœlo deſcendentem, unde Britanni collecto excercitu, Duce Aurelio Ambroſio, aciem contra Horſum & Hengiſtum in Cantiam direxerunt.

Vult tamen Gaufridus in ſuo Britannico, quod Aurelius, poſt reditum ſuum de tranſmarinis, Vortigernum in ſua turri combuſſit, deinde Humbram tranſiens, apud Conyngesburgh fecit Hengiſtum decollari, filio ejus Ottæ apud Eboracum obſeſſo & humiliato pepercit. Poſt hæc Paſcentium filium Vortigerni, & ejus adiutorem Gillomaurum Regem Hiberniæ devicit, ac tandem, dum apud Wintoniam ægrotaret, veneno cujuſdam Saxonici Eope nomine, quem Paſcentius pro medico ſubornaverat, interiit.

In Legenda Sancti Germani habetur, quod dum Vortigernus hoſpitium Sancto Germano denegaret, ſubulcus Regis videns Sanctos Dei afflictos, exhibuit hoſpitium, vitulum ad cibum dedit; ſed poſt cœnam Germanus vitulum reſuſcitavit. In craſtino vero ex Dei mandato Germanus Vortigernum de Regno depoſuit, & ſubulcum prædictum, cunctis ſtupentibus, Regem conſtituit, ac ex tunc Britannorum Reges ex genere ſubulci prodierunt.

Gildas tamen in Hiſtoria ſua dicit iſta contigiſſe non de Vortigerno: ſed de Rege Powiſiæ nomine Benly, cujus ſucceſſores in illa parte Cambriæ prodierunt de genere illius ſubulci.

Ea igitur quæ in hoc loco de exitu Vortigerni leguntur, quodammodo per anticipationem dicuntur, ut Hiſtoriæ integritas conſervetur. Cæterum quæ de ſtagno, de duobus Draconibus albo & rubeo, de caduca Vortigerni ſtructura, de fantaſtica Merlini genitura, de Prophetia ejuſdem tam obſcura, in ſolo Britannico libro continentur; præſenti Hiſtoriæ addidiſſem, ſi ea veritate fulciri credidiſſem.

452. *Marc.*] Hoc anno idem v°. Marciani Hors & Hengiſt pugnaverunt contra Britones, in loco qui dicitur Aegliſtrop, ubi Horſus & Categirnus filius Vortigerni mutuis vulneribus corruerunt, ſed Hengiſtus victoria potitus eſt.

Beda.] In diebus illis fides Britonum multum labefacta eſt, tum propter Saxonum Barbarorum vicinitatem. tum propter Pelagianam Hæreſim nuper apud eos exortam; qua de cauſa mittunt Galliam pro auxilio contra perfidos obtinendo. Quibus mittuntur Germanus, Altiſiodorus, & Lupus Trecaſinus Epiſcopi, qui in navigando marinas procellas ſuis orationibus ſedaverunt, præfatam Hæreſim vitæ ſanctitate, veritate doctrinæ, & miraculorum oſtenſione, confutarunt, puellam decennem cœcam curaverunt. Inde germanus ad Sepulcrum Albani accedens, Reliquias Apoſtolorum & Martyrum ibidem recondidit, rubentem tamen pulverem de loco tulit.

Inde

Inde procedens locum hoſpitii ſui cum omnibus ſibi commendatis ab incendio ſalvavit, cæteris rebus igne conſumptis. Inde progrediens cum Britonibus contra Saxones Pictis vinctos ter clamando Halleluja abſque ſanguine hoſtes vicit, Inſula ſic expiata, Germanus domum rediit, ſed repullulante Hæreſi præfata, denuo reinvitatur; veniens autem cum Severo Lupi diſcipulo errorem amovit, patriam rediit. Sed dum apud Ravennas pro pacificatione Armoricæ gentis Valentinianum exoraverat obiit, jubenteque Auguſto ad propriam ſedem remittitur tumulandum.

Leo Imperator poſt Marcianum occiſum regnavit annis 17; cujus anno primo, Vortimerus filius Vortigerni morbo perjit, & Hengiſtus cum filio ſuo Oſca, recollectis viribus, & reductis ſuis diſperſis commilitonibus, pugnavit valide contra Britones apud Crekanford. Ex quibus 4. Duces cum 4 millibus peremit, reliquos de finibus Cantiæ, uſque London fugavit, qui uſque poſtea Cantiam redierunt. Nam frater ſuus Horſus nuper cum Categirno ceciderat. Cujus ſepulcrum adhuc in Orientibus Cantiæ partibus oſtenditur. 456.

Et ſic incepit Regnum Cantuariorum ſub Hengiſto 8. anno adventus Saxonum in Britannia. Et ex tunc regnavit Hengiſtus in Cantia 24 annis.

Henr.] Hengiſtus & Oſca filius ſuus apud Wippedifflete occiderunt 12 Duces Britonum cum multis aliis, uno ſolummodo Anglo corruente, nomine Wipet, ex cujus nomine locus ille vocabulum ſumpſit, quod ſonat natatorium Wippet. 465.

Henr.] Elle & ejus tres filii Cimen, Plegting, Ciſſa, anno à primo adventu Anglorum xxx, cum tribus navibus Britanniam advecti apud Cymeneſhore, multos Britones peremerunt, & uſque ad ſilvam de Audreſleg fugaverunt. Et ſic occupaverunt Southſexeam. 478.

Will.] Hoc anno obiit Hengiſtus in Cantia XXXII anno ab adventu ſuo in Angliam, vir ſucceſſus ſuos non minus fraudibus quam viribus urgens, cruentius quam civilius agere malens; cui ſucceſſit Oſca filius ejus XXIV annos regnaturus, qui magis tuendo quam ampliando regno contentus, paternos limites nuſquam exceſſit. 482.

Rad.] Anno Gratiæ CCCCXCII incepit regnum Orientalium Anglorum ſub Uffa, à quo omnes Orientales Anglos Uffingas vocamus, quos nunc Fikanos ſeu Fikeys appellamus. 492.

Beda] Hoc quoque anno facta eſt magna ſtrages Saxonum in obſidione Badonici montis per Ducem Britonum Aurelium Ambroſium, viz. XLIV anno ab adventu Anglorum. 493.

Henr.] Hoc anno duo Duces Saxonum Cerdicus & filius ejus Kinricus V navibus advecti, applicuerunt apud Cerdicheſore, quæ nunc dicitur Gernemouth, Britones fugere compulerunt. 495.

Henr.] Hoc anno Porth cum duobus filiis ſuis appulit apud Porteſmutham in Suthſexia, ubi ſtrenuum juvenem Britonum Natanleod cum aliis multis interemit. 501.

Cujus tempore (Lotharii) mortuo apud Britanniam Aurelio Ambroſio, ſucceſſit frater ejus Uterpendragon. 503.

Rad.] Qui ſecundum traditionem hiſtoriæ Britannicæ, ſi fas ſit credere, ope Merlini vatis adduxit de Hibernia Coream Gigantum, quæ nunc in planis Sarum Stanhenges dicitur, Paſcentium quoque filium Vortigerni, & Gillomaurum Regem Hiberniæ interfecit. Oſcam filium Hengiſti, & Oſcam cognatum ejus occidit. Gozolum Ducem Cornubiæ necavit, Igernam uxorem ejuſdem Ducis ſibi copulavit, ex qua inclytum Arthurum, & Annam ſororem ejus progenuit; tandem veneno intoxicatus defecit, & ſepultus eſt juxta fratrem ſuum Aurelium in Corea Gigantum.

Mortuo Oſca filio Hengiſti ſuccedit in Regno Cantiæ Offa filius ejus, qui regnavit XXII annis. 514.

Henr.] Hoc anno LXXI ab adventu Anglorum Regnum Weſtſaxonum incœpit 519.

incœpit ſub Cerdico & Kinrico filio ſuo, juvantibus eos potiſſime Stuff & Wihtgar nepotibus eorum, qui tribus navibus nuper advecti, apud Cerdicheſore Britones valide protriverant, quibus nepotibus data fuit Inſula Vecta.

534. Sardicus primus Rex Weſtſaxonum, poſt quam Regnaſſet XVII annis obiit, cui ſucceſſit filius ſuus Kinricus XXVI annis.

544. *Henr.*] Hoc Anno, qui fuit decimus Cerdici Regis, ſurrexit apud Britones Arthurus Belliger quaſi Octodennis. Qui contra Saxones duodecies victor fuit, primo ſuper flumen Gleny; item quater ſuper flumen Dugglas, quod eſt, in regione Ines.

Rad.] Hodie fluvius ille vocatur Anglice Dugglis, & currit ſub urbe de Wigan, per decem milliaria à fluvio de Merſee diſtante, in Comitatu Lancaſtriæ.

Henr.] Item ſexto ſuper flumen Baſſa; VII°. juxta Lincolniam in ſilva Celidonis, quæ Britannice vocatur Caercoit Celidon; nono apud urbem Caerlegion; XII°. in monte Badonis.

Will.] Hic eſt Arthurus de quo nugæ Britonum delirant, dignus plane quem non fallaces fabulæ, ſed veraces hiſtoriæ prædicarent. Quippe qui labantem patriam ſuſtinuerit, qui infractos civium animos ad bellum acuerit, poſtremo in obſidione Badonici montis nongentos hoſtium ſolus profligavit.

Rad.] In quibuſdam Chronicis legitur, quod Cerdicus ſæpius cum Arthuro confligens, ſi ſemel vinceretur, alia vice acrior ſurrexit ad pugnam. tandem Arthurus extædiatus poſt XXVI annum adventus Cerdici, fidelitate ſibi jurata dedit ei Hampteſhiram, & Somerſetam, quam partem vocavit Weſtſexam.

Item legitur in Chronicis Anglorum quod Mordredus nepos Arthuri regnare cupiens, ſed ſolum Cerdicum metuens, dedit Cerdico quoſdam alios Pagos, ut ſibi faveret. Cerdicus autem his conſentiens, ſuas provincias novis Saxonibus inſtauravit, & coronatus eſt more gentili apud Wintoniam; Mordredus vero Coronatus eſt ſuper Britones apud London. Vecta tamen Inſula Withgaro nepoti Cerdici remanſit. Veruntamen ſecundum hiſtoriam Britonum Arthurus poſtmodum cum Mordredo confligens occidit, & occiſus eſt in Valle Analoniæ, juxta Glaſtoniam ſepultus. Cujus corpus poſtmodum etiam cum corpore Guenneveræ uxoris ſuæ, ſub anno Domini 1680, tempore Regis Henrici ſecundi, repertum eſt, & ad Eccleſiam tranſlatum, ſicut refert (*Giraldus diſtinctione p. c. 18.*) qui tunc vixit, & oſſa Arthuri contrectavit.

Mortuo Otta Rege Cantiæ, ſucceſſit Ermenricus filius ſuus, & regnavit XXV. annis.

Cæterum de iſto Arthuro, quem inter omnes Chronographos ſolus Gaufr. ſic extollit, mirantur multi quomodo veritatem ſapere poſſint, quæ de eo prædicantur, pro eo quod ſi Arthurus, ſicut ſcribit Gaufridus, terdena Regna adquiſivit, ſi Regem Francorum ſubjugavit, ſi Lucium procuratorem reipublicæ apud Italiam interfecit, cur omnes Hiſtorici, Romani, Franci, Saxonici, Britonici, tot inſignia de tanto viro omiſerunt, qui de minoribus viris tot minora retulerunt. Ad hæc dicit Gaufridus Arthurum Regem Francorum Frollonem viciſſe, cum tamen de Frollonis nomine nuſquam reperiatur apud Francos. Item dicit Arthurum tempore Leonis Imperatoris Lucium Hiberium reipublicæ procuratorem extinxiſſe, cum tamen juxta omnes hiſtorias Romanas conſtet nullum Lucium eo tempore rempublicam procuraſſe, nec illum Arthurum ullatenus tempore Leonis regnaſſe, neque etiam tunc natum fuiſſe, ſed tempore Juſtiniani Imperatoris, qui quintus fuit à Leone prædicto, ſicut hic poſt.

Denique Gaufridus dicit ſe mirari, quod Gildas & Beda nullam de Arthuro

See over page 733

APPENDIX
ANTIQUITATUM
BRITANNICARUM.

1 Cl. Ptolemæi deſcriptio Britanniarum. p. 735.
2 Antonini Itinerarium Britanniarum. p. 742.
3 Notitiæ Dignitatum in Britannia. p. 744.
4 Anonymus Geographus de Britannia. p. 746.
5 Hydæ Saxonicæ. p. 748.
6 Notæ ad Antoninum, Suritæ. p. 749.
7 Conſuetudines & jura *ex libro* Doomeſ-day. p. 759.
8 Antiqui Populi, Vrbes, &c. Britanniarum. p. 779.
9 Notæ ad Ptolemæum, } *Tho. Gale.* p. 787.
10 Notæ ad Antoninum, }
Index Rerum, & Locorum.

thuro in ſuis ſcriptis fecerunt mentionem. Imo magis mirandum puto, cur ille Gaufridus tantum extulerit, quem omnes antiqui veraces, & famoſi Hiſtorici, pene intactum reliquerunt. Quod ſi quiſquam antiquorum ipſum Arthurum taliter deſcripſiſſet, profecto ipſi Gaufrido omnium ſummarie tetigiſſe ſuffeciſſet. Sed nunc Gaufridus derivat in immenſum, ubi nullum fontis habet beneficium; ſed fortaſſis mos eſt cuique nationi, aliquem de ſuis laudibus attollere exceſſive, ut quemadmodum Græci ſuum Alexandrum, Romani ſuum Octavianum, Angli ſuum Richardum, Franci ſuum Karolum, ſic Britones ſuum Arthurum præconiantur. Quod ſæpe contingit, ſicut dicit Joſephus, aut propter Hiſtoriæ decorem, aut propter legentium delectationem, aut ad proprii ſanguinis exaltationem. Nam dicit (Auguſt. de ci. li. 18. c. p.) quod Athenienſium geſta majora fuerunt fama quam re ipſa, & hoc propter ſcriptorum ibidem florentium præclara ingenia, qui ſenſum ſuum ad ardua, & linguam ſuam ad laudiſona laxare ſunt gaviſi.

Igitur ſecundum Gaufridum in ſuo Britannico libro, Arthurus moriturus conceſſit Diadema Regni ſui Conſtantino cognato ſuo, qui fuit filius Cadoris Ducis Cornubiæ, qui pluries cum filiis Mordredi conflixit, ſed tandem eos extinxit, ſicque poſt quatuor Regiminis ſui annos obiit.

Poſt quem Aurelius Conanus III annos Regnum tenuit, poſt quem Vortiporius IV annos; poſt quem Malgo pulcher, ſtrenuus, & dapſilis, ſed ſodomitica peſte infectus aliquot annos regnavit, poſt quem Careticus inviſus Deo & Britonibus, civilis diſſidii amator, aliquantiſper regnavit. Cujus inconſtantiam comperientes Saxones, advocaverunt Regem Africanum Burmundum de Hibernia, quam nuper ſibi ſubjugaverat, qui cunctis viribus ipſum Careticum de urbe in urbem fugaverunt, & tandem in Cirenceſtria obſederunt; poſt hæc ipſum Careticum cum gente ſua uſque in Walliam ultra Sabrinum mare detruſerunt; Loegriam quoque ferro & flamma vaſtaverunt, atque ex tunc Britones Monarchiam amiſerunt.

Quo revera anno ab adventu Anglorum XCVIII Northumbrorum Regnum incepit ſub Ida filio Eoppe, XII à Woden, à quo tota Northumbrorum Regalium proſapia duxit originem. Et regnavit in Bernicia XII annos, habuitque plures filios. 546.

Kinricus Rex Weſtſaxonum obiit. Ceaulinus filius ejus ſucceſſit XXXIII annis. Iſte fugavit Britones de urbibus Glauceſtriæ, Cirenceſtriæ, Bathoniæ, uſque in ſaltuoſa & confragoſa Walliæ. 559.

Will.] In fine tamen omnibus odibilis factus, tam Anglis quam Britonibus, cæſo exercitu ſuo fugatus eſt & exilio datus, ubi & obiit.

Cujus quoque anno primo Elle filius Iſſi XII à Woden cœpit regnare in provincia Deirorum, & regnavit pene XXX annis, ad cujus nomen magnus Gregorius Papa, cum Anglos pueros Romæ venales videret, fertur alluſiſſe dicens, debet ibi Hallelujah decantari.

Rad.] Veruntamen gratia fidei ad Regem Elle non pervenit, ſed ad filium ejus Ediomum. Interim regnavit Adda primogenitus Idæ ſuper Bernicios VII annos, Clappa V annos, Theodwulfus uno anno, Freothulfus VII annis, vivente adhuc Elle, ſuper Deiros, ſed mortuo Elle, filioque ejus Ediono, Trinio fugato, Ethelricus filius Idæ regnavit V annis ſuper ambas Provincias Deiram & Berniciam.

Will.]. Ethelbricus pronepos Hengiſti filius Ermenrici regnavit ſuper Kentenſes ſecundum Bedam LV annos, ſecundum Chronicam LIII annis. Qui in pubeſcentibus annis vicinis Regibus ludibrio fuit, utpote qui binis præliis pulſus, vix ſuos limites tutaret; ſed adoleſcentiori ævo omnes conterminos Reges præter Northumbrianos ſub jugo duxit. Tunc copulata ſibi Berca Francigena, exemplis Letardi Epiſcopi, qui cum ea venerat, ad exuendum mores ſilveſtres inflexus, tandem prædicante Auguſtino paternis ſacris ſacrilegis renunciavit, leges accommodas patrio ſermone tu- 560.

lit, quibus præmia bonis, reprobis ſupplicia decerneret, XXI anno poſt ſuſceptam fidem deceſſit.

569. *Henr.*] Hoc anno Juſtini ſecundo, Ethelbrictus Rex Cantiorum bellum intulit. Regi Weſtſaxonum Ceaulino & Cuthæ fratri ſuo, ſed ab eis fugatus eſt uſque Cantiam, duobus Ducibus ejus Oſlano & Knelbano apud Wilbandonum occiſis, & hoc fuit primum bellum inter Saxones. Quo anno Cuthwulf frater Regis Ceaulini pugnavit ſtrenue contra Britones apud Bedeford, & abſtulit ab eis IV urbes, Inganburgh, Eglesburgh, Beſington, Eyveſham; & eodem anno deceſſit.

582. *Mar.*] Hoc anno Ceaulinus & Cutha filius ejus pugnavit contra Britones apud Fethanleigh, ſed Cutha occiſo Ceaulinus potitus eſt victoria.

588. *Beda*] Elle Rex Deirorum XXX anno Regni ſui obiit, & Ethelricus Idæ filius ſuper ambas provincias Deirorum & Berniciorum Regnavit V annis.

592. *Beda*] Hoc anno Ceaulinus Rex Weſtſaxonum & Crida perierunt, cui ſucceſſit Colfricus filius Cuthulfi fratris ſui V annis, regnans victorioſe; poſt quem Colwulfus frater ejus regnavit XIV annis.

592. *Beda*] Ethelfridus filius Ethelrici filii Idæ cœpit regnare ſuper Northumbros, & regnavit ſtrenue XXIV annis. Hic fortiſſimus, & gloriæ cupidus omnibus Anglorum principibus gentem Britonum vaſtavit, ac tributarios fecit, cui nati ſunt VII filii, & una filia ſancta Ebba ex Acta filia Elle Regis, quorum duo fuerunt Oſwaldus & Oſwinus.

595. *Beda*] Quo etiam anno miſit Gregorius magnus Auguſtinum Monachum cum aliis prædicare Anglis verbum Dei. Quibus itinerando pertritis, rediit Auguſtinus ad Gregorium, qui tamen confortans eum, miſit cum eo literas ad Arelatenſem Archiepiſcopum, ut Auguſtinum juvaret in quibus indigeret.

Rad.] Quarum tenor literarum, & aliarum ad Regem Cantiæ directarum, una cum reſponſis Gregorii ad inquiſitiones Auguſtini, ponuntur in Regiſtro Gregorii & in Beda.

596. Hoc anno Auguſtinus applicuit ad Orientalem partem Cantiæ in Inſula Thanatos, cum XL. ſociis & cum aliquibus Interpretibus, ſecundum conſilium beati Gregorii, de terra Franciæ aſſumptis, quos ad Regem Ethelbertum anno Regni ſui XXXVI. mittens mandavit, quod ob ſalutem Regis Regnique ſui de Roma venit. Rex itaque hæc audiens, qui famam Chriſtianæ Religionis nuper audierat, utpote qui Reginam Chriſtianam de genere Francorum ea conditione à parentibus acceperat, ut ſibi liceret ritum fidei ſervare, per dies aliquot venit ad Inſulam præfatam, ſed ſub divo cum eiſdem loquuturus, ſervans in hoc ſuperſtitionem gentilem. At illi levantes in ejus adventu Crucis Vexillum cum imagine Crucifixi in tabula depicta Letanias canebant, & Verbum Vitæ prædicabant. Quibus Rex ait, Pulcra ſunt quæ promittitis, ſed quia nova ſunt, non ſtatim aſſentire potero: verum quia de longe mei cauſa veniſtis, non ſolum vobis moleſti non erimus, ſed neceſſaria vitæ vobis miniſtrantes, quoſcunque de noſtris veſtræ fidei ſociare poteritis concedemus. Quo audito illi proceſſionaliter procedentes urbi, & Halleluja canentes, dixerunt, deprecamur te Domine in omni miſericordia, ut auferatur ira tua à civitate iſta. Et intrantes urbem Doroberniam, vitam more primitivæ Eccleſiæ in jejuniis, vigiliis, & orationibus, ſervantes, prædicantes, celebrantes, baptizantes, in Orientali parte urbis, in antiqua Eccleſia beati Martini, quouſque Rex ipſe cum plurimo populo converteretur: Rex autem converſus dedit Doctori ſuo locum ſedis Epiſcopalis cum multis poſſeſſionibus apud Eccleſiam Salvatoris, ſed ad Orientem urbis Monaſterium Petri & Pauli conſtruxit, ubi ipſe Auguſtinus, & ſucceſſores ſui, nec non & Reges Cantiæ ſepeliri ſolent.

Beda] Interea ipſe Auguſtinus ad Arelatenſem Archiepiſcopum migrans, Archiepiſcopus ab ipſo conſecratus eſt, ſuper quibus beatus Gregorius

rius certioratus, miſit & alios cooperatores, Mellitum, Juſtum, Paulinum, Codices, & Sanctorum reliquias, una cum reſponſionibus ad inquiſitiones Auguſtini, cujuſmodi ſunt iſtæ; Mos eſt Romanæ Eccleſiæ, ut in omni ſtipendio quod accedit, quatuor fiant portiones, una Epiſcopo & ejus familiæ, propter hoſpitalitatem exhibendam: ſecunda clero: III^a. pauperibus: IV^{ta}. Eccleſiis reparandis: cæterum viventibus in communi omnia ſint communia, & quod ſupereſt, in cauſis piis & religioſis erogandum eſt. Ad II^m. quando quæritur cum una ſit fides, cur variæ ſunt conſuetudines Eccleſiarum? reſpondetur in hunc modum; Quod plus Omnipotenti Deo placere noveris de pluribus Eccleſiis collectis, hoc in Eccleſiis Anglorum infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca ſunt amanda.

Colwulfus filius Cuthæ fratris Ceaulini regnavit ſuper Weſtſaxones XIV annis. 598.

Beda] Hoc anno Auguſtinus ad juſſum Gregorii ordinavit duos Metropolitanos, unum Londonio, alterum Eboraco. Interea Auguſtinus, ope Regis Ethelbricti, convocat Epiſcopos & Doctores Britonum, in loco qui dicitur Auguſtines Oc, quod ſonat, Robur Auguſtini. Qui locus eſt in confinio Wictiorum & Occidentalium Saxonum, ubi monuit eos, ut ſecum evangelizarent Anglis, & ut quædam alia erronea corrigerent apud ſemetipſos, potiſſime de ritu Paſchalis termini, quod & illi plane abnuerunt, donec per oſtenſionem ſigni notabilis pateſceret, quæ pars eorum ſequenda foret; tunc adductus eſt in medio quidam cæcus natione Anglus, qui deficientibus in hac parte Britonibus ad orationem Auguſtini curatus eſt; tunc Britones fatentur veram etiam viam Auguſtini, ſed non poſſe ſe dicunt abſque conſenſu ſuorum priſcis ritibus renunciare; ſtatuitur ergo Synodus, ubi VII Britonum Epiſcopi cum viris doctiſſimis de illo famoſo Monaſterio Bangorienſi conveniunt, accepto tamen prius à quodam Heremita conſilio, quod Auguſtino parerent, ſi eum humilem & mitem velut Chriſti Diſcipulum reperirent, quod ex hoc probare poſſent ſi illis ad Synodum venientibus Auguſtinus aſſurgeret, quod cum ille in ſella ſedens Epiſcopali non faceret, ſpreverunt eum iracunde: tum ille, ſaltem mihi in tribus ſi in reliquis non vultis obtemperate, ut S. feſtum Paſchæ debito tempore celebretis, ut Baptiſmum more Eccleſiæ Romanæ conferatis, ut genti Anglorum mecum evangelizetis, & cætera in vobis corrigenda æquanimiter tolerabo, quæ cum ipſi omnino ſpernerent, prædixit eis Auguſtinus in ſpiritu, quod qui pacem cum fratribus accipere nollent, bellum & ultionem ab eiſdem forent accepturi, quod poſtmodum Domini Judicio per Regem Ethelfridum Northimbrorum patratum eſt, quando apud urbem Legionum populus cum Monachis Bangorienſibus occubuit; Interfecit enim circiter M. CC^{os}. Monachos de Monaſterio prædicto, ſolis quinquaginta cum Duce eorum Brocinail de acie fugientibus, qui pro militibus ſuis orandum venerant, Monaſterii prædicti numerus erat ſepties CCC Monachorum, omnes de labore manuum viventes. 601.

Bedá] Focas poſt occiſionem Mauricii regnavit VIII annis, cujus anno primo Ethelfridus Rex Northimbrorum pugnavit contra Edan Regem Scotorum apud Dexſaſtan, & vicit eum glorioſe; ſed Thedbald frater Regis cum omni quem ducebat excercitu peremptus eſt. 603.

Beda] Quo etiam anno pater Auguſtinus, die Natalis Domini, poſtquam X millia Anglorum in rapaci fluvio qui dicitur Swala, juxta Eboracum, baptizaverat, prænoſcens ſe moriturum, ordinavit ſibi ſucceſſorem Laurentium adhuc vivens, ne ſe defuncto ſtatus Eccleſiæ Anglicanæ adhuc tam rudis vacillaret, quod & fecit exemplo beati Petri, Clementem adiutorem & ſucceſſorem ſibi fecerat.

Ordinavit etiam Melitum Orientalibus Saxonibus, qui Thamiſi fluvio dirimuntur à Cantia, quorum Metropolis Londonium, in qua Ethelbri-

ctus Rex Cantiæ conſtruxit Eccleſiam beati Pauli ad ſedem Epiſcopalem.

Rad.] Alia Chronica dicit quod Sebertus Rex Orientalium Anglorum conſtruxit Eccleſiam Pauli in Londonio, Juſtum vero conſtituit Epiſcopum in Cantia apud urbem Dorubreni; quæ modo Rouceſtre dicitur, à quodam primario Ruff, diſtans à Dorobernia XXIV milliaribus ad Occidentem, in qua Rex Ethelbrictus conſtruxit Eccleſiam beati Andreæ.

607. Hoc quoque anno Ethelfridus ferus Rex Northumbrorum vaſtavit Britones apud Legeceſtriam, quæ nunc Ceſtria, urbem infregit, & Monachos de Bancornaburgh occidit, juxta vaticinium beati Auguſtini, ſicut ſuperius dictum eſt.

611. *Will.*] Corwulfus Rex Weſtſaxonum obiit, cui ſucceſſerunt duo filii fratris ſui Colrici pariter corregnantes, ſcilicet, Kinegilſus & Quichelinus, qui multa ſtrenue fecerunt contra Britones, potiſſime apud Bampton juxta Oxoniam, & etiam contra Pendam Regem Merciorum, qui voluit eis abſtuliſſe de Regno eorum urbem Cirenceſtre; tandem Kinegilſo per Birinum baptizato, ſubterfugit Quichelinus ſuſcipere ſacramentum, donec poſtmodum, valetudine corporis ammonitus, conſors ipſe Baptiſmi fieret, ſed eodem anno obiit, ſicque Kingilſus cum fratre ſuo, & poſt fratrem regnavit in toto XXXII annis.

Rad.] Hic conſideranda eſt varietas inter auctores. Nam Willielmus Quichelinum fuiſſe fratrem Kinegilſi, ſed Beda dicit eum fuiſſe filium Kinegilſi.

614. Deuſdedit ſive Theodorus poſt Bonefacium ſedit annis IV. Quo in tempore quidam civis Londonienſis ad inſtigationem Regis Ethelberti conſtruxit Eccleſiam beato Petro, in occidentali parte Londonii, in loco qui tunc dicebatur Thorneye, quod ſpinarum Inſula, nunc autem dicitur Weſtmonaſterium.

616. *Beda*] Hoc anno Rex Cantiæ, poſtquam Regnum temporale LVI an. tenuerat, obiit, & Cœlum ſubiit, anno ſcilicet XXI poſt ſuſceptam fidem; cui ſucceſſit filius ſuus Edbaldus, XXV annos regnaturus. Qui fuit Apoſtata noverca ſua abutens, & ideo crebra inſania vexatus.

Quo in tempore defuncto Saberto Rege Orientalium Saxonum, tres ejus filii & hæredes converſi ſunt ad idolatriam, petentes ab Epiſcopo Melito ut panem candidum eis daret, ſicut quondam Patri eorum dederat, quod cum renueret facere, niſi ipſi Baptiſma ſuſciperent, expulerunt eum, qui ſtatim acceſſit ad Epiſcopos Cantiæ; igitur communi decreto Mellitus & Juſtus ad Gallias recedunt, malentes ibi Domino pacifice ſervire, quam inter Barbaros ſine fructu reſidere. Sed cito poſt Reges perfidi à Rege Gewiſſeorum ſunt occiſi.

Beda] At Laurentius Archiepiſcopus proponens poſt alios duos Epiſcopos patriam deſerere, nocte quadam poſt fuſas preces apparuit ei beatus Petrus, qui eum non ſolum quod plebem ſuam deſerere vellet objurgavit, ſed etiam acriter flagellavit. Mane facto Epiſcopus oſtendit vulnera ſua Regi Edbaldo, unde & ipſe rejecta idolatria & illegitimo thoro, ad fidem reverſus eſt; Epiſcopoſque profugos ad ſedes relictas revocavit: ſed Londonienſes noluerunt recipere Mellitum Epiſcopum ſuum, malentes idolatriæ deſervire; nam tanta huic Regi, quanta patri non erat poteſtas, ut eos compeſcere poſſet; unde & Laurentio decedente ſucceſſit Mellitus ad Archiepiſcopatum, qui, quamvis podagricus corpore fuerit, mente tamen alacer ægros curabat, incendia urbis ſua oratione avertebat.

Beda] Dum Edwinus, perſecutionnem Ethelfridi fugiens, apud Redwaldum Regem Orientalium Anglorum lateret, ipſe Redwaldus, aut minis Ethelfridi, aut muneribus, in necem Edwini conſenſit, quod quidam Edwini amicus comperiens, eum de proditione præmunivit, promittens quod ad tutum locum, ſi vellet, eum adduceret, quod dum ille renueret, tanquam nolens fœdus cum Rege initum primus infringere, ſedit

ſolus

ſolus ſecum cogitans; ad quem quidam ignotus acceſſit inquirens cur tali hora ſolus & mœſtus in lapide ſederet, & adiecit, ſcio quis es & quare mœres, & quæ tibi ventura formidas; ſi ergo aliis extinctis hoſtibus tuis te ad Regnum proveheret; inſuper & conſilium ſalutis optimum, & melius quam aliquis de progenitoribus tuis unquam audivit, tibi oſtenderet, num ei obtemperare, & monita ſua ſuſcipere conſentis? At ille, fideliter promitto; tum alius manum ſuam capiti ejus imponens ait, cum ergo hoc ſignum tibi advenerit, memento hujus temporis & loquelæ noſtræ, ut promiſſionem impleas, & hæc dicens diſparuit; poſt hoc venit ad eum amicus ejus præfatus, nuncians Regis voluntatem ad eum converſam, qui tandem collecto excercitu occurrit contra Ethelfridum, in finibus Merciorum, ad Orientem amnis Idle, & occidit eum, ſicque Edwinum promovit ad utrumque Regnum Northumbrorum, ſcilicet ſuper Deiros & Bernicios. Qui XVII annis regnavit. Quo facto duo filii Ethelfridi, ſcilicet, Oſwaldus duodennis, & Oſwinus quadrimus induſtria nutriciorum ſuorum ducti ſunt in Scotiam.

Laurentius Cantuariæ Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit Mellitus Londonii annis V; ſed & illi apud Londonium ſucceſſit Ced frater ſancti Ceddæ. 621.

Mortuo Mellito Cantuariæ Archiepiſcopo, ſucceſſit Juſtus, qui nuper Roffenſis fuerat Epiſcopus, & tunc pro ſe Romanum conſtituit Roffenſem Epiſcopum. Nam ipſe Juſtus miſerat nuper Paulinum, qui fuerat tertius Roffenſis præſul, Northumbranæ genti ut eſſet Eboraci præſul, & ut etiam Edelburgam ſororem Regis Edbaldi Regi Edwino copularet, & gentem ejus converteret. 624.

Henr. & Will.] Hoc anno Penda Paganus filius Wibbæ, decimus à Woden, cum eſſet quinquagenarius, cœpit regnare ſuper Mercios, & regnavit XXX annis, 626.

Rad.] Tradunt tamen Chronicæ nonnullæ, quod Crida filius Kinewold X^us^. à Woden primus regnaverit ſuper Mercios X annos, & poſt eum Wibba filius ejus XX annis, & poſt eum Ceorlus conſanguineus Wibbæ X annis, poſt quem Penda filius Wibbæ XXX annis. Hic occidit duos Reges Northumbrorum, Edwinum & Oſwaldum, nec non & tres Reges Eſtanglorum, Sigebertum, Egricum & Annam, cui Regina ſua Kyneſwida peperit quinque filios, ſcilicet Wedam, Wolferum, Etheldredum, Merwaldum, Mercelinum, & duas filias, ſanctam Kineburgam & ſanctam Kineſwidam.

Beda] Hoc anno venit doloſe ad urbem regiam, juxta amnem Dorwencionem, primo die paſchæ, quidam ſicarius nomine Eumerus, à Rege Weſtſaxonum, cum toxicata ſica miſſus, ut Regem Edwinum necaret: ſed Lilla miniſter Regis amiciſſimus, cum ſcutum aliud non haberet, ictui corpus ſuum oppoſuit, quo tamen perforato, Rex ipſe eodem ictu vulneratus, at ſicarius dum undique gladiis impeteretur, etiam alium militem ſica ſua peremit. Eadem quoque nocte paſchali Regina peperit filiam nomine Eanfledam, quam Rex in pignus implendæ promiſſionis ſuæ, ſcilicet quod Chriſtianus fieret, ſi contra Regem Weſtſaxonum victoria potiretur, Deo conſecrandam per Paulinum aſſignavit. Die igitur Pentecoſtæ, puella baptizata, Rex ipſe tunc primo vix curatus, collecto exercitu Regem Weſtſaxonum devicit, ſed quamvis Rex Edwinus, abjecta idolatria, ipſum Paulinum libenter audiret, diu tamen ſecum & cum ſuis tractavit, quid ſanius in hac parte foret actitandum; Quo etiam tempore Rex ipſe exhortatorias de fide à Papa Bonifacio recepit literas, una cum camiſia partim deaurata, & una læna anciriana miſſa eſt, & alia epiſtola conſimilis formæ Reginæ, cum ſpeculo argenteo, & pectine eburneo partim deaurato. Cum igitur Paulinus videret Regem ad convertendum difficilem, fuſa ad Deum prece, didicit in ſpiritu Oraculum 627.

quondam Regi oſtenſum, dum apud Redwaldum exulaverat; unde & die quadam Paulinus manum ſuam regio capiti imponens, inquiſivit an illud ſignum agnoſceret? quo agnito, adjecit Paulinus; ecce hoſtes deviciſti, Regnum adquiſiſti; fac ergo quod promiſiſti, ut fidem ei ſerves, qui hæc tibi contulit: Rex autem, librato conſilio cum Optimatibus ſuis, baptizatus eſt apud Eboracum cum aliis multis, anno Regni ſui XI. Tunc Coiſi primus pontificum abjecta Idolatria, contra ritum Sacrorum ſuorum armis indutus, equum emiſſarium aſcendit, fana idolorum deſtruxit. Non ei licuit pontifici Gentili aut arma ferre, aut præterquam in equa equitare; Paulinus autem ab eo tempore per ſex continuos annos, uſque ad interfectionem Regis Oſwini, baptizabat, & prædicabat in utraque provincia, ſcilicet Deirorum & Berniciorum, in flumine Glevy, & in flumine Swala, prædicavit etiam in provincia de Lindeſey, & ædificavit Eccleſiam de lapide in Lindecolino, in qua poſtmodum, mortuo Juſto Archiepiſcopo, conſecravit pro eo Honorium Archiepiſcopum Doroberniæ, cum tali auctoritate ab Honorio Papa miſſa, ut cum Dorobernenſis aut Eboracenſis Archiepiſcopus obierit, is, qui ſupereſt, habeat poteſtatem conſecrandi alium loci defuncti.

Beda] Igitur tanta fuit pax ſub Regno Edwini, ut etiam mulier à mari uſque ad mare ſine lædente tranſire poſſet. Idem etiam Rex ad refrigerium itinerantium juxta publicos tranſitus, ubi erant fontes lucidi, erectis ſtipitibus, æreos cancos ſuſpendi juſſit, nec illos quidem niſi ad uſus inſtitutos quiſquam tangere audebat. Hic primus Regum Anglorum Euboniam Inſulam conquiſivit.

630. Corpwaldus filius Redwaldi, Rex Orientalium Anglorum, hortatu Regis Edwini fidem ſuſcepit cum ſua gente, ſed non multo poſt occiſus eſt à viro gentili Rigberto.

632. *Beda*] Hoc anno miſit Honorius Papa Honorio Archiepiſcopo Doroberniæ pallium, cum literis informatoriis de modo ordinandi Metropolitanos in Britannia. Miſit etiam literas genti Scotorum de obſervatione Paſchali, exhortans ne ſuam paucitatem in finibus orbis conſtitutam ſanctiorem modernis Catholicis, aut antiquis æſtimaret.

633. *Beda*] Hoc anno occiſus eſt Rex Edwinus in Campo de Halfeld, à Rege Merciorum Penda, & Cedwalla Rege Britonum, qui adeo debacchati ſunt in illa provincia, ut nec ætati, ſexui, aut religioni parcerent. Quippe cum uſque hodie mos ſit Britonum fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere.

Sub hac clade Paulinus Archiepiſcopus Eboracenſis, aſſumpta ſecum Regina Ethelburga cum filia ſua Eanfleda, rediit Cantiam navigio, atque in Eccleſia Roffenſi, per ſummerſionem ſui Epiſcopi Romani tunc vacante, Epiſcopus factus præſedit ibi XIX annis, & moriens pallium ſuum ibi reliquit.

W.] Sicque Eccleſia Northimbranæ gentis caruit præſulatu poſt diſceſſum Paulini XXX annos, uſu vero pallii caruit CXXV annis, donec per Egbertum præſulem, fratrem ſcilicet Ethelberti Regis Northimbrorum, eidem Eccleſiæ pallium reſtitueretur.

Beda] Mortuo Edwino ſuſcepit Regnum Deirorum filius patrui ſui Elfrici, nomine Oſricus, ſed Regnum Berniciorum ſuſcepit filius Ethelfridi Eanfricus, qui ſtatim ad idola ſunt converſi, ſed ambos eodem anno ſucceſſive occidit Cedwalla juſta Dei ultione, ideoque placuit cunctis tempora ſupputantibus, ut ablata de medio memoria Regum perfidorum annus ille infauſtus Regno Oſwaldi ſubſequentis aſcriberetur, qui poſt occiſionem fratris ſui Eanfridi cum parvo exercitu occidit Cedwallam prædictum, cum immenſis copiis occurrentem, in loco qui Demſſeburum, id eſt, rivus Deniſi vocatur: locus autem ubi Oſwaldus ante pugnam commiſſam flexis genibus crucem erexerat, & Deum pro ſalute gentis ſuæ exoraverat,

raverat, vocatur Hevenfeld, id eſt, Cœleſtis Campus, qui in magna veneratione nunc habetur.

Will.] Et eſt locus ille ad borealem partem muri illius famoſi, quem quondam legiones Romanæ per tranſverſum Inſulæ fecerant, non longe ab Eccleſia Haguſtaldenſi.

Beda] De hujus Crucis aſtulis multæ fiunt virtutes: nec ante tempora illa, ulla Eccleſia ullum altare in terra Berniciorum habuit, antequam Rex Oſwaldus in illa pugna Crucem erexerat, ubi cito poſt conſtructa eſt Eccleſia.

Beda] Oſwaldus Rex petivit & obtinuit à gente Scotorum Aidanum Epiſcopum ad informandum gentem ſuam, cui dedit locum ſedis Epiſcopalis in Inſula Lindisfarnenſi, ubi miro ſpectaculo, Epiſcopo prædicante Scotice, Rex ipſe interpretaretur Anglice. Tunc confluebant cotidie ad prædicandum Anglis Monachi Scotici de Monaſterio Aidani, quod erat in Inſula Hu. *635.*

Beda.] Erat quippe Aidanus ſpeculum abſtinentiæ, uſque ad nonam cotidie jejunans, non aliter vivens, quam docens, cuncta ſibi donata pauperibus facile erogans, pedibus non equo vectus, deambulans prædicabat, nunquam divitibus honoris aut timoris gratia relicta reticebat, nec pecuniam illis, ſed eſcam duntaxat, ſi haberet, tribuebat, captivos redimebat, quos frequenter poſtmodum ſuos Diſcipulos efficiebat. Fuit autem talis occaſio adventus ſui in Angliam, cum enim prius quidam auſterioris animi vir ad petitionem Regis Oſwaldi Anglis informandis mitteretur, ac parum proficiens, caſſo labore patriam rediret, tractatu inter Scotos habito de alio mittendo, fertur Aidanus ibidem reſpondiſſe viro ſic reverſo, videtur mihi frater, quod durior juſto fuiſti indoctis & rudibus hominibus, quando ſecundum Doctrinam Apoſtoli lac mollioris doctrinæ in principio non propoſuiſti, ut paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora aſſueſcerent. Quo audito, Aidanus tanquam diſcretior miſſus eſt, cujus verbo & exemplo Oſwaldus inſtructus, non ſolum ſpem cœleſtis Regni, ſed amplitudinem terreni Regni conſequutus eſt. Nam omnes Britanniæ nationes, quæ in quatuor Linguas ſcilicet, Britonum, Pictorum, Scotorum, & Anglorum, tunc dividebantur, in ditione ſua accepit; denique fertur de eo, quod die Sancto Paſchæ, aſſidente ſecum in menſa Epiſcopo Aidano, venit ad januam Regis magna pauperum multitudo, elemoſinam petens, & cum Rex aliud ad manum non haberet porrigendum, ipſum ferculum coram ſe poſitum, cum diſco argenteo minutatim confringendo, miſit ad pauperes. Quo viſo, Pontifex aſſidens, apprehenſa Regis manu dextra, ait Rogo Deum ut nunquam invetereſcat manus iſta, quod revera ita contigit. Nam Oſwaldo poſtmodum interfecto Brachium à corpore reſecatum duravit incorruptum, apud urbem Regiam de Bebbanburgh.

Beda] Fertur de iſto Rege, quod ob crebrum morem orandi, ſive Deo gratias agendi, ſemper, ubicunque ſederet, ſupinas ſuper genua manus habere ſolitus erat, unde & adhuc proverbialiter dici ſolet, Deus miſerere animabus, dixit Oſwaldus cadens in terra.

Will.] Sanctus Birinus Confeſſor, miſſus ad prædicandum Anglis ab Honorio Papa, dum mare Britannicum ſulcaret, recordatus eſt reſcellarum ſuarum, quas obliviosè in portu dimiſerat, pedibus ivit ſuper mare & reſcellas reportavit. *636.*

Beda] Iſte Birinus Regem Weſtſaxonum Kynegilſum convertit & baptizavit, apud urbem Dorcic, id eſt, Dorceſtriam, aſſiſtente tunc Rege Oſwaldo ipſius Kynegilſi Patruo & genero mox futuro. Qui ambo Reges dederunt Birino urbem illam, ad ſtatuendum Sedem Epiſcopalem, ubi & poſtea ſepultus eſt poſt XIV Epiſcopatus ſui annos, ſed tandem per Heddam Wentanum Epiſcopum ad urbem Wentanam tranſlatus eſt in Eccleſiam Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Rad.]

Rad.] Reclamant tamen Canonici Dorceſtrenſes, & dicunt aliud corpus quam Birini tranſlatum fuiſſe, & ipſos tranſlatores in hoc deceptos fuiſſe. Unde & feretrum mirandi operis ſuper locum primæ ſuæ ſepulturæ apud Dorceſtriam cernitur. Diſtat autem urbs Dorcit ſive Dor-Kinga ab urbe Oxoniæ VI milliaribus ad Auſtrum, inter duo flumina Thamam & Thamiſim ſita. Repertum eſt enim in Chronicis, quod Rex Kingilſus aſſignavit totam terram in circuitu Wintoniæ ad ſpacium VII milliarium ad conſtructionem ſedis Epiſcopalis in Winton, & ad ſuſtentationem miniſtrantium, quod quia Rex ipſe lætali morbo præpeditus implere non potuit, filium ſuum Kenwalcum illud impleturum fore juravit.

Will.] Hæc urbs ab eo tempore uſque adventum Normannorum apud Epiſcopos Merciorum manſit; ſed tempore Willielmi Conqueſtoris, qui ordinavit ut Epiſcopi de locis humilibus ad urbes inſignes tranſirent, tranſlata eſt ſedes ad Lincolniam.

Will. Hoc anno Felix genere Burgundus qui Sigeberto Rege Orientalium Anglorum in Gallia quondam exulanti familiaris extiterat, cum eodem Angliam venit & ſedit Epiſcopus primus apud Dunwic XVI. annis.

Beda] Iſte Sigebertus poſt Corpwaldum fratrem ſuum Regno potitus, ſicut in Galliis viderat, ſcolas Literarum in Regno ſuo ordinavit, ac Pedagogos pueris inſtruendis more Cantuariorum aſſignavit; qui tandem commendato Regno nepoti ſuo Egrico, tonſoratus eſt in Monaſterio quod ipſe conſtruxit; ſed poſtmodum Penda Pagano Rege illud Regnum infeſtante, extractus eſt Sigebertus de Monaſterio, quaſi ad milites roborandos, & ſic occiſus eſt in ſimplicitate ſua, ſolam virgam manu geſtans, totuſque pene exercitus ejus cæſus eſt & diſperſus. Cui ſucceſſit in Regnum Anna filius Eni, quem poſtmodum Penda occidit: ſed & Sigeberto Regnante, venit de Hibernia vir quidam ſanctus nomine Furſeus ad Provinciam Orientalium Anglorum, in qua multos aut convertit, aut amplius confirmavit. Ubi aliquando langueſcens, monitus eſt per Angelicam viſionem cœpto miniſterio inſiſtere, orationibus incumbere: unde & ipſe regia ope adjutus, Monaſterium conſtruxit juxta mare in Caſtro, quod Cnubbrisburghiam dicitur; ubi iterum languore correptus, raptus eſt è corpore uſque ad beatam Angelorum viſionem, ubi audivit reſonare illud Pſalmi. Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon. Qui etiam reductus in Corpore, & die tertia iterum eductus, vidit non ſolum majora bonorum gaudia, ſed & maxima malignorum ſpirituum certamina, quibus impedire ſanctos nituntur; cum ergo in altum levaretur, vidit ſub ſe quatuor ignes in aere, quos Angelus ductor ejus ſic expoſuit. Hi Ignes ſunt mundum conſumpturi, primus ignis eſt mendacii, quia homines non implent quod in Baptiſmo promiſerunt. Secundus eſt cupiditatis, quando divitiæ Deo præponuntur. Tertius eſt diſſentionis, quando ſine cauſa proximus offenditur. Quartus eſt impietatis, quando ſuperior inferiorem opprimere non timet. At cum ignes iſti quaſi in unum glomerari viderentur, expavit Furſeus & clamavit. Cui Angelus ait, quod non incendiſti, non ardebit in te, iſte ignis ſingulorum merita examinabit. At dum Furſeus perveniſſet ad januam quandam patentem, Dæmones projecerunt in eum unum hominem quem torrebant, unde & humerus & maxilla Furſei comburebatur; cognovit ſtatim Furſeus hominem illum, & quod veſtimentum illius morientis aliquando receperat, quod quidem veſtimentum Angelus ductor Furſei in ignem projecit; & dixit Dæmon noli repellere, quod prius approbaſti. Nam ſicut bona peccatorum recepiſti, ita & pœnas eorum participare debes. Cui contradicens Angelus ait; Non propter avaritiam, ſed pro ſalvanda ejus anima hoc ſuſcepit, & tunc ceſſavit ignis. Dixitque Angelus Furſeo, quod incendiſti, hoc arſit in te. Quamobrem Furſeus ipſe ad Corpus reſtitutus, ſemper deinceps ſignum incendii, quod in

ma

anima pertulit, viſibiliter in humero & in maxilla portavit. Hac quotieſcunque Furſeus poſtmodum narraret, quamvis in tenui eſſet veſte, & in media hieme, ſemper ſudaret præ timore. Tandem Furſeus, relicto Monaſterio illo fratri ſuo Fullano, liber ipſe cum alio fratre ſuo Vulcano, per unum annum vitam heremiticam tranſegit. Deinde turbata nimium provincia illa incurſione barbarica, navigavit Galliam, ubi poſt multas virtutes moriens, ſepultus eſt apud Peronam.

Beda] Edbaldus Rex Cantiæ obiit, relinquens Ercombertum filium Hæredem ex Emma Francorum progenitum, qui XXIV annos regnavit in Cantia, qui delubra deſtruxit, jejunium Quadrageſimale in regno ſuo ſervari inſtituit. 640.

Ex uxore ſua Sexburga, filia ſcilicet Annæ Regis Orientalium Anglorum, genuit filiam Erkengodam, quæ apud Briggenſe Monaſterium in Gallia facta eſt ſanctimonialis, ubi & matertera ſua Ethilberga, Relicta, ſcilicet, Edwini, Deo famulabatur, ubi etiam poſtmodum utraque illarum præfacta eſt Abbatiſſa.

Eo quippe tempore moris erat Anglorum, nec dum multis in Anglia Monaſteriis conſtructis, Francorum Monaſteria converſationis gratia quærere, maxime apud Brigge, Calays, & Andilegum.

Beda] Hoc anno, defuncto Rege Weſtſaxonum Kingilſo, ſucceſſit filius ſuus Kenwalcus & regnavit XXXI annis. Nam alter frater ſuus natu prior, nomine Quichelinus, prius cum patre regnaverat, & eo anno quo cum patre baptizatus fuerat obierat, relicto filio Cuthredo, quem ſimiliter Birinus baptizaverat. 641.

Ran.] Nota hîc veritatem inter Bedam & Willielmum, nam Beda dicit Quichelinum fuiſſe filium Kingilſi, & Willielmus dicit eum fuiſſe fratrem Kingilſi.

Beda] Hic itaque Kenwalcus in principio Regni ſui fidem ſuſcipere renuit. Ideoque Regnum juſte perdidit. Nam repudiata uxore ſua, ſorore Regis Pendæ, aliam ſuperduxit. Idcirco Penda eum quinto Regni ſui anno effugavit.

Will.] Qui tunc apud Annam Regem Orientalium Anglorum tribus annis exulavit, quâ de cauſa Penda poſtmodum Annam occidit. Sed & Kenwalcus, ſub illo exilii ſui tempore, apud Annam baptizatus eſt à Felice Epiſcopo, & Regnum ſuum juvante Annâ recuperavit, Pontificemque provinciæ ſuæ Agilbertum, natione Gallum, venientem de Hibernia conſtituit; qui XV annos provinciæ Weſtſaxonum apud Wentam præſedit. At dum Rex barbaræ linguæ eſſet pertæſus, aut alias neſcio unde offenſus, ſubintroduxit alium ſuæ linguæ Pontificem nomine Wyne, cui in Gallia ordinato tradidit Rex provinciam ſuam in duas parochias diviſam, principalem ſedem in Wenta urbe ponens: unde offenſus Agilbertus receſſit ad Gallias, ſedem apud Pariſium poſtmodum adeptus. Nec multo poſt idem Wine, poſt biennium ſuſcepti præſulatus, per Regem pulſus, emit à Rege Merciorum Wulfero ſedem London urbis, quam dum vixit tenuit; ſicque provincia Weſtſaxoniæ quatuor annis Epiſcopo caruit: tandem Rex Kenwalcus multipliciter ab hoſtibus impetitus pro Agilberto expulſo miſit, ſed ille redire nolens, aut non valens, miſit pro ſe nepotem ſuum Leuthericum, qui confirmatus à Theodoro Archiepiſcopo VII annos ibidem præfuit.

Will.] Iſte Kenwalcus Britannos bis contrivit, primo apud Whitgoſnelburgh: ſecundo apud montem Penciæ, & in vindictam paternæ perſecutionis Wulferum filium Pendæ magnâ Regni ſui parte multavit.

Beda] Hoc anno Occiſus eſt Rex Northymbrorum Oſualdus per Paganum Regem Pendam, in loco qui dicitur Mazefeld, ubi ſæpe divina fuerunt miracula. Porro caput ejus & brachia juſſit Penda ſuſpendi in ſtipitibus. 642.

Will.] Quo poſt annum veniens ſucceſſor ſuus & frater Rex Oſwy, caput ſepelivit in cimiterio Lindisfarum, quæ nunc Dunelmiæ inter brachia Cuthberti dicunt contineri, ſed brachia Oſwaldi condidit in urbe Regia de Bebbanburgh, corpus vero & oſſa reliqua abduxit ſecum Regina Merciorum Oſtrida, filia Oſwi, uxor Etheldredi, uſque ad Monaſterium de Bardeney in Lindeſey, ubi minime admitti potuit, donec lucis columna per totam noctem ſuper reliquias illas radiare videretur. Poſt multos autem annos, cum locum illum infeſtarent barbari Dani, oſſa illa apud Gloverniam in Eccleſiam Canonicorum ſunt allata per Elfledam Dominam Merciorum.

Will.] Brachium tamen Sancti Oſwaldi, nervis, carne, & cute integrum, apud Monaſterium de Burgo Sancti Petri, ut fertur, habetur, ab antiqua requietionis ſede furtim ſublatum; daturque ibidem oſtentui ſcrinium precioſum, ſed fides dictorum vacillat, ubi nil viſus auditor explorat, hæc quippe non ideo dixerim, quod de integritate Sancti illius ſim dubius, ſed utrum eo loci contineatur nolo eſſe aſſertor præproperus.

Beda] Oſwaldo ſic occiſo ſucceſſit in Regnum Northymbrorum Oſwi frater ſuus, qui ſtrenue regnavit XXVIII annos, ſed laborioſe, nam in primis VII annis habuit conſortem Regni ſuper Deiros Oſwinum, de ſtirpe Edwini, filium Edrici, virum utique præſtantem, religioſum, affabilem, humilem, quem tamen fecit Rex Oſwi occidi in Domo Comitis Humbaldi, ad quem confugerat, poſt quem habuit Oſwi conſortem Regni ſuper Deiros Odilwaldum filium fratris ſui Oſwaldi.

647. *Beda*] Hoc anno obiit Paulinus, tunc Roffenſis, quondam Eborum Archiepiſcopus, cui ſucceſſit Ithamar. Obiit etiam Felix primus Eſtanglorum Epiſcopus, pro quo Honorius Cant. ordinavit Thomam Diaconum ejus ad ſedem præfatam; Quo tandem defuncto poſt V Epiſcopatus ſui annum, Bonefacium quendam inſtituit, qui XVII annis ſedem illam tenuit.

650. *Beda*] Circa hoc tempus Eſtſaxones fidem quam olim abjecerant mediante Oſwy Rege Northumbrorum receperunt; Nam Rex eorum Sigebertus baptizatus eſt à Finano Epiſcopo Northumbrorum juxta murum illum prolixum, qui quondam Britannos diſtinxit à Scotis, unde & ſecum aſſumpſit Ced Presbyterum de provincia Merciorum, fratrem Ceddæ, ad prædicandum genti ſuæ Orientali. Qui pacto negotio illo rediit ad Finanum prædictum, à quo ordinatus Epiſcopus rediit iterum ad prædicandum Orientalibus Anglis, potiſſime in loco qui Ithauceſtre dicitur, quod eſt juxta ripam Pentæ amnis & etiam in villa de Tilleburgh, quod eſt juxta Thamiſim.

Contigit autem ſemel in partibus illis, ut Ced Epiſcopus præfatus excommunicaret comitem quendam cum comitantibus, pro eo quod illicito incumberet matrimonio. Contempſit Rex Sigebertus juſſum Epiſcopi, & à Comite illo rogatus, cibum cum illo in domo ejus ſumſit, recedenti de prandio Regi Ced Epiſcopus obviavit, ac cum virga quam manu tenuit, Regem tetigit, ſic inquiens, quia noluiſti ad præceptum meum à domo illius perditi abſtinere, tu in illa domo morieris. Quod & ita contigit. Nam Comes prædictus cum fratre ſuo germano Regem in domo illa occiderunt, ac poſtmodum interrogati cur ſic feciſſent, hoc ſolum reſponderunt, quia Rex erat nimis remiſſus erga inimicos ſuos, injurias ſuas facile remittendo.

Beda] Hoc etiam anno Rex Oſwi juſſit Oſwinum Regem Deirorum occidi in domo Comitis Hunbaldi, ad quem Oſwinus dimiſſo excercitu fidenter confugerat, tanquam oportuniora expectans tempora ad pugnandum. De iſto Oſwino fertur, quod equum ſuum optimum aliquando donaverat Epiſcopo Aidano, qui magis pedibus pergere quam equo vehi conſueverat, qui tamen equum illum cito poſtmodum, cum aliud ad manum non haberet, cuidam pauperi Elemoſinam petenti donavit, hoc cum Regi

relatum

relatum fuiſſet plurimum indignatus ait Epiſcopo Aidano ſecum ad menſam commeſſanti; quid feciſti, Domine Præſul, numquid non viliores equos habuimus, qui ad Elemoſinam ſufficerent? cui Epiſcopus; quid loqueris, Domine Rex, num carior nobis filius equæ quam filius Mariæ, continuo Rex procidens ad pedes Epiſcopi veniam rogavit, promittens fideliter quod nunquam deinceps obloqueretur in hac parte. Dum ergo pacati ſimul ad menſam conſiderent Rex & ipſe Pontifex, Præſul ſubito in lacrymas eſt ſolutus, cujus rei cauſa à circumſtantibus inquiſita, ait Præſul; non multo tempore victurus eſt apud nos Rex iſte, hucuſque non vidi Regem humilem, nec digna eſt gens iſta nequam talem Regem diu habere, unde contigit cito poſt Regem illum, ſicut dictum eſt, occidi, nec ſupervixit Aidanus Præſul niſi XII ſolummodo diebus, cujus animam vidit Cuthbertus in Cœlum ab Angelis ferri.

Ra.] Iſto etiam anno obiit Sanctus Birinus, primus Dorceſtrenſis Epiſcopus, poſt XIV^tum^. adventus & Præſulatus ſui annum, cujus corpus juxta Hiſtoriam Bedæ tranſtulit Hedda Wentanus Præſul uſque Wintoniam. De hoc vide ſupra libro primo de Pontificibus Weſtſaxonum.

Beda] Hoc anno Rex Deirorum Odilwaldus filius Oſwaldi dedit Ced Epiſcopo Orientali, ad partes Boreales ſæpius venienti, locum in arduis montibus, qui vocatur Leſtingai, ad conſtruendum inibi Monaſterium; ſed Ced præfatus antequam Monaſterium fundaret jejunavit cotidie per totam Quadrageſimam, excepta Dominica, uſque ad veſperam, & tunc quidem modicum panis, unum ovum gallinaceum, cum parvo lacte aqua mixto, ſumebat, juxta morem Diſcipulorum Aidani, à quibus edoctus fuerat; hunc nempe locum frater ſuus Chimbil poſt eum rexit, & tempore mortalitatis ibidem ſepultus, poſt quos Cedda locum fovit.

Vitalianus Papa poſt Eugenium ſedit annos XIV. Hic miſit Eccleſiis Anglorum Archipræſulem Theodorum Monachum Tharſenſem. 653.

Beda] Hoc anno Middelangli, (id eſt) Mercii, ſub Principe ſuo Weda filio Pendæ, myſterio fidei ſunt imbuti. Nam ipſe Weda, volente Patre ſuo, acceperat in conjugem Elfledam filiam Regis Oſwi, ea conditione ut Chriſtianus fieret, & eo libentius hoc fecit, quod Alfridus filius Oſwi ſororem ſuam Kineburgam deſponſaverat; unde & Weda quatuor ſacerdotes de terra Northymbrorum, Ced, Adda, Becti, Duina ſecum duxerat ad prædicandum genti ſuæ, nec prohibuit Penda Rex quin converterent ad fidem Chriſtianam quicunque vellent. Hoc etiam anno obiit Honorius Archiepiſcopus Cantuariæ, cui poſt annum ſucceſſit Deuſdedit IX annos, quem confirmavit Ithamar Præſul Roffenſis.

Will.] Hoc anno Benedictus, cognomento Biſcop Abbas, & nutricius Bedæ Presbyteri, miniſterque Regis Oſwi, domum, cognatos, patriam amore Chriſti linquens, anno ætatis XXV°. Romam adiit, & doctior inde rediit. Itidem vero uſque quinquies Romam viſitans, libros, & reliquias Sanctorum ad Monaſteria ſua, quæ erant in ripa Wiri fluminis, revexit, artem vitriariam primus ad partes ſuas attulit, duo Monaſteria, ſcilicet Petri & Pauli, ſuper ripam Wiri fluminis in gyrum hinc inde conſtruxit, quibus utriſque jure Abbatis præfuit, egregiumqne alumnum Bedam ſeptennem ſuſcipiens, quoad vixit docuit.

Will.] Ejus induſtriam & patientiam miratur Beda. Induſtriam quidem, quod tantam copiam librorum is & artificum Angliam advexerat, toto ævo ſuo pene peregrinans, in quo amor patriæ, & voluptas elegantiæ aſperos fallebant labores. Patientiam etiam in eo miratur, quod in poſſeſſione Cœnobii Sancti Auguſtini Cantuariæ, ubi per Regem Cantiæ Abbas fuerat præfectus, venienti Adriano libenter ceſſerit, etiam in ſua abſentia ſubintroductum Wirenſibus alium Abbatem æquanimiter tulerit, domumque reverſus parilem ei honorem communicaverit, quin etiam ipſe tandem paralyſi percuſſus etiam tertium Abbatem adjunxerit.

Hoc anno Penda Rex Merciorum occidit Bello Annam Regem Orientalium Anglorum, pro eo quod Regem Kenwalcum foverat contra eum.

Hoc quoque anno Botulphus Abbas conſtruxit Monaſterium ad Orientem Lincolniæ, in loco qui dicitur Itanno.

655. *Beda*] Hoc anno deceſſit Penda Rex Merciorum cum xxx ducibus extinctus, qui venerat ad partes Northymbrorum ut Regem Oſwi deleret, ſicut fratrem ſuum Oſwaldum aliquando deleverat, neque cohibuit eum reſpectus affinitatis inter filios & filias contracta, veruntamen Rex Oſwi obtulerat Pendæ donaria plurima, ut à finibus ſuis recederet, quo nolente, ait Oſwi, ſi Paganus noſtra donaria neſcit recipere, offeramus ei qui novit; Vovit igitur Rex Oſwi, quod ſi victor in bello exiſteret, filiam ſuam Elfledam Deo ſacraret, inſuper & xii poſſeſſiones ad conſtruenda Monaſteria Deo daret. Commiſſo igitur prælio in regione Leedis non longe ab Eboraco, juxta flumen Winwed tunc plurimum inundatum, ibi periit Penda cum xxx Ducibus ſuis; quamvis tricies majorem haberet exercitum. Nam qui gladium evaſerant in flumine mergebantur. Tunc Alfridus cum patre fuerat, ſed Egfridus obſes apud uxorem Pendæ tenebatur.

Odilwald filius Oſwaldi tunc cum Penda fuerat, ſed ſeorſum ſtetit ut eventum videret. Hac victoria peracta, Rex Oſwi tradidit filiam ſuam vix tunc triennem diſcipulatui Hildæ Abbatiſſæ, apud Monaſterium ſuum de Herteſeye, quod ſonat Inſula Cervi, quæ tamen poſtmodum rexit Monaſterium apud Streniſhalt, quod ſonat ſinus farri, quod modo Whiteby dicitur, xxx milliaribus ab Eborum diſtans, ubi & ipſa Elfleda poſtmodum præfuit. Dedit etiam tunc Oſwi poſſeſſiones promiſſas ſex in provincia Deirorum, & ſex in provincia Berniciorum, ad conſtruenda Monaſteria. Dedit etiam Wedæ generi ſuo Regnum Auſtralium Merciorum, quod eſt ut ajunt quinque millium familiarum, diſcretum fluvio Trenta ab Aquilonalibus Merciis. ſed Weda poſt triennium Regni ſui cito periit proditione uxoris ſuæ. Quo mortuo Mercii rebellantes contra Regem Oſwi, erexerunt ſibi in Regem Wulferum filium Pendæ, quem occulte ſervaverant, qui primus omnium Regum Merciorum Chriſtianus factus, Ermenildam filiam Erconberti Regis Cantiæ in conjugem accepit, ex qua Kenredum & Wereburgam progenuit. Regem Weſtſaxonum Kenwalcum apud Asſhednum glorioſe devicit; Vectam Inſulam ſubjugavit, quam poſtmodum Regi Eſtanglorum ut Chriſtianus fieret dedit, cujus & ipſe in Baptiſmo Patrinus extitit; tandem poſt xvii Regni ſui annum apud Litchetfeldiam ſepultus eſt.

660. Hoc anno Egfridus filius Regis Oſwi deſponſavit ſanctam Etheldredam, quæ tamen prius Todberto Comiti deſponſata fuerat, Quæ licet bis deſponſata, & ad implexum jugiter fuiſſet ſollicitata, virgo tamen manſit, & ab Egfrido ſeparata ad Elig Monaſterium ſe tranſtulit, & Abbatiſſa effecta miraculis coruſcavit.

664. *Beda*] Ercombertus Rex Cantiæ obiit, cui ſucceſſit Egbertus filius ſuus ix annos. Eo etiam anno obiit Archiepiſcopus Deuſdedit, unde pari conſilio Rex Cantiæ & Rex Northymbrorum miſerunt Wighardum Papæ Vitaliano, ut ordinaretur Archiepiſcopus Cantuariæ. Quo mox mortalitatis peſte per Angliam tunc graſſante cum omnibus pene ſuis comitibus extincto; ordinavit Papa Theodorum Monachum Anglorum Eccleſiis præſidendum.

Beda] Eo quoque anno facta eſt clades mortalitatis per Britanniam, incipiens à partibus Auſtrinis, ſub qua peſte contigit quod de Egberto Monacho tunc correpto narratur; Vir quippe iſte, cum ſe ſentiret moribundum, tempore matutino clam de Lectulo egreſſus eſt, cordeque compuncto Dominum jugiter exoravit, ne morti tunc daretur, priuſquam præteritas negligentias plenius diluiſſet, vovit ad hoc, quod ſi peſtem illam evadere tunc poſſet, quod peregrinando obiret, quod præter cotidianam

anam & canonicam Pſalmodiam, Pſalterium cotidie perſolveret, ſi tamen corporis valetudo non obſtaret, & quod in omni Ebdomada diem unum cum nocte ſua jejunus tranſiret. His completis clam in lectulo ſe recollegit; veruntamen ad aliqualem ſtrepitum, quem recubando concitaverat, expergefactus ſodalis ejus ſic eum alloquitur; Egberte quid feciſti? ſperabam quod ſcilicet ad requiem pergeremus, tamen quod poſtulaſti conceſſum eſt tibi. Unde & mortuo illo ſodali, Egbertus præfatus uſque in nonageſimum ætatis annum vitam protelavit, ad priora tamen vota hoc addidit, quod tribus anni temporibus, in Adventu, in Quadrageſima, & ante Pentecoſtam, xl diebus continuis in pane & lacte tenui, ſublata ſuperficie craſſiori, jejunavit.

Beda] Circa hæc tempora defunctis jamdudum Aidano & Finano Northymb. Epiſcopis, ſucceſſit Colmannus Scotus per triennium pontificaturus; in cujus diebus venit Agilbertus præſul Weſtſaxonum ad partes Northymbrorum, ubi & ordinavit Wilfridum tunc Ripenſem Abbatem, in Presbyterum, Rege Oſwi id rogante. Quo in tempore facta eſt quæſtio magna, & frequens de obſervatione termini paſchalis, quod non rite tunc à Scotis & Britonibus obſervabatur, ſed ob reverentiam ſanctorum Patrum, Columbæ, Aidani, Finani, & aliorum venerabilium Patrum tolerabatur, unde & facta eſt Synodus in Monaſterio Hildæ Abbatiſſæ apud Streniſhalt ſub anno Domini dcliv, ubi ex una parte convenerunt Colmannus Epiſcopus, & Hilda Abbatiſſa, allegantes pro ſe quod eorum prædeceſſores venerabiles, patres ſancti fuerunt, qui à xvii luna uſque viceſimam Paſcha celebrarunt, & potiſſime Johannes beatus Evangeliſta, qui apud Aſiam ſic obſervabat. At contra ex parte altera Agilbertus Epiſcopus Weſtſaxonum, Jacobus Presbyter Paulini, quondam Eborum Archiepiſcopi, Wilfridus Ripenſis Abbas, & Alfridus Oſwi Regis filius, una cum uxore Regis, diſputante pro eis Wilfrido, qui allegabant pro ſe morem univerſalis Eccleſiæ, puta Græciæ, Italiæ, Romæ, Africæ, Galliæ, præferendum fore conſtitutioni unius orbis anguli, qui nimirum decreta Synodalia non noverat, præſertim cum Johannes Evangeliſta in primitiva & novella tunc Eccleſia Legis adhuc ſcita in multis obſervaret, Judaizante tunc Eccleſia in multis, nec ipſo Johanne valente tunc omnia ad plenum abradere, ſicut legitur de Paulo apoſtolo quod Timotheum circumcidit, quod hoſtias in templo immolavit, quod cum Aquila & Priſcilla caput ſuum totondit Corinthi ad nihil utile, niſi ad ſcandalum Judæorum devitandum, quin etiam beatus Johannes, juxta Legis ritum, xiv die menſis primi ad veſperam incipiebat Paſcha, nil curans an hoc Sabbato an alia feria proveniret. At vero Petrus Apoſtolus, cui datus eſt Eccleſiæ primatus, cum poteſtate ligandi & ſolvendi, ſecundum legis traditionem, quartamdecimam lunam primi menſis naſcentem in veſpere plenam, ſicut & Johannes expectavit, & proxima Dominica, quæ illud plenilunium & æquinoctium uſque ad lunam viceſimam primam ſequebatur, paſcha celebravit. Si vero Dominica dies in ipſa xiv luna caderet, illam non obſervabat, quia illa Dominica tunc foret de præcedente anno, & non de novo incipiente. His auditis Rex Oſwi ſubintulit, ex quo vos aſſeritis tot & tanta Petro fuiſſe à Chriſto collata, tali hoſtiario contradicere non audeo, ne forſan cum venero claudat mihi fores Cœli. His dictis aſſenſit multitudo, ſed & Ced Orientalis Epiſcopus tunc præſens deinceps manſit correctus. Colmannus tunc Epiſcopus Northymbrorum indignanter receſſit ad partem Scotorum.

Ran.] Igitur ad terminum feſti paſchalis infallibiliter reperiendum juxta ſententiam Bedæ li. 5. de geſtis Anglorum, oportet tria obſervare & expectare, ſcilicet æquinoctium vernale, plenilunium perfectum, & diem Dominicum. Nam ſicut in principio mundi ſol procedens à medio Orientis æquinoctium vernale ſuo præfixit exortu, deinde ſole occiden-

te, luna plena ſequuta eſt, à medio Orientis. Ita omnibus annis ſequentibus, idem primus menſis lunæ oportet ſervari, ut non ante æquinoctium, ſed vel in ipſo æquinoctii die, ſicut in principio mundi factum eſt, vel æquinoctio tranſcenſo plenilunium habere debeat. Quæ igitur luna ante æquinoctium plena fuerit, puta XIV, XV, XVI, vel deinceps exiſtens, hæc ad ultimum præcedentis anni menſem pertinet. Idcirco ad Paſcha celebrandum habilis non eſt. Quæ vero luna in ipſo æquinoctio vel poſt plena eſt, in illa tanquam in tertia hebdomada primi menſis lunaris à veſpera quartædecimæ diei, uſque ad veſperam viceſimæ primæ diei procurrente, ubi Dominica dies primum occurrerit, Paſcha celebrandum eſt. Error tamen quem in noſtro Kalendario uſuali ad hæc tolerat Eccleſia, tantummodo inolevit, quod ſolſtitia & æquinoctia & ingreſſus ſolis in ſigna jam circa annum Gratiæ M. CCC. XX. per XII dies in Kalendario retroceſſerunt. Et ex hoc proveniet, quod niſi Kalendarium noſtrum uſuale per ſubtractionem dierum Biſextilium ad tempus aut alio modo corrigatur, ſi tempus gratiæ uſque ad XVI millia annorum procurrerit Paſcha Kalendarii noſtri eveniet circa breviſſimum diem anni. Et ſi ſexta ſeculi ætas ad duplum prædicti numeri ſe protenderit, dies natalis ſancti Johannis Baptiſtæ erit anni breviſſima, & dies natalis Domini longiſſima, cujus erroris ratio in Almageſto Ptolomæi declaratur.

Will.] Colmanno igitur Northymbrorum Epiſcopo de erroneo Paſchate per Wilfridum convicto, & ad Scotos ut prædictum eſt reverſo indignanter, idem Wilfridus, procurante Alfrido Regis filio, ad Archiepiſcopatum Eborum electus eſt, deinde ad Gallias conſecrandus tranſmiſſus eſt. Nam Archiepiſcopus Cantuariæ, qui eum conſecrare debuerat, Deuſdedit jam obierat. Sub illis diebus Rex Weſtſaxonum Kenwalcus ſuam provinciam in duas ſedes diviſit, unde offenſus Agilbertus indignanter ad Gallias, unde erat oriundus reverſus eſt &c. prout ſupra dictum eſt eodem li. c. 15.

Wilfrido igitur, ut prædictum eſt, ad Eboracenſem Eccleſiam electo, & ultra mare apud Agilbertum pro confirmatione ſua moras nectente, Oſwius Rex præventus conſilio quartadecimanorum, id eſt, illorum qui obſervabant Paſcha, in XIV luna, Ceddam Abbatem de Leſtingai contra regulas canonicas ſedi Eboracenſi intruſit.

Beda] Unde & ipſum Ceddam, ut Præſul confirmaretur, Cantiam miſit; verum quia Archiepiſcopus Deuſdedit jam obierat, Cedda divertit ad Epiſcopum Weſtſaxonum Winam, ut ab eo ordinaretur, aſſumptis ſecum in ſocietatem ordinationis duobus de gente Britonum Epiſcopis.

Rediens igitur Wilfridus de Galliis, cum videret Ceddam loco ſui introductum, moratus eſt per triennium in Cantia, uſque ad adventum Theodori, ubi Ordines celebravit; Eccleſias conſecravit; Puttam in arte canendi peritum in ſedem Roffenſem inſtituit. Hoc quoque anno Benedictus Biſcop ſecundo Romam adiit. Inde redeundo apud Lirinenſe Monaſterium attonſus biennio militavit. Inde tertio Romam veniens, cum Theodoro Epiſcopo & Adriano Abbate, jubente Papa Vitaliano, Angliam rediit.

666. Ciſſa regulus pater Inæ Regis conſtruxit Monaſterium apud Abendon.

669. *Beda*] Hoc anno Theodorus Archiepiſcopus Cantiam venit VI°. Kalend. Junii, ſecundo conſecrationis ſuæ anno, ubi per XXI^m^. annos menſes quatuor pontificavit. Hunc virum Monachum Tharſo Ciliciæ natum, ſeculari & divina literatura Græce & Latine inſtructum, annos ætatis LXVI habentem, miſit Papa Vitalianus Anglis Epiſcopum, aſſocians ei cooperatorem Adrianum Abbatem, ne forſan quicquam fidei contrarium more Græcorum in Eccleſiam Anglorum introduceret. Qui mox ut venit totam Inſulam peragravit, ordinem recte vivendi inſtituit, modum rite Paſcha celebrandi tradidit, artem modulandi & calculandi in Aſtronomia ſub utraque lingua Græca & Latina, juvante Adriano, ſuis Diſcipulis infudit,

Epiſcopos per loca ordinavit, non rite ordinatos aut amovit, aut curſum rite conſecravit.

Ra.] Inter quos Ceddam Epiſcopum ad Eboracum ſedem non rite conſecratum, ſed defectum ſuum humiliter recognoſcentem ab Eboraco amovit, Wilfridum reſtituens, ipſumque Ceddam denuo confirmatum Epiſcopum Merciorum petente Rege Wulſero ordinavit præcipiens ut equo de cætero veheretur.

Beda] Erat tunc temporis magna cura doctoribus Deo ſervire, non ſeculo, cordi, non ventri. Quapropter religionis habitus in magna erat veneratione, ita ut Clericus vel Monachus libenter ſuſciperetur, & ab illis itinerantibus benedictio poſceretur, nec eis alia adeundi vicos cauſa fuit, quam prædicandi, baptizandi, & animas curandi gratia, nec aliquas poſſeſſiones ad conſtruenda Monaſteria niſi à poteſtatibus oblatas quaſi coacti ſuſciperent.

Beda] Hoc etiam anno Oſwi Rex Northymb. obiit, cui ſucceſſit Egfridus filius ſuus, qui regnavit annos XV.

Hic duxerat in uxorem Etheldredam relictam Tondberti principis Auſtralium Girwiorum, quam cum per XII annos conſortem habens, nec prece nec precio ad concubitum flectere poſſet, à Rege licentiata facta eſt Sanctimonialis apud Coludi ſub Aebba Regis Egfridi amita, ſed poſtmodum apud Hely facta eſt Abbatiſſa, ubi ſemel per diem manducans, nunquam lineis uſa, poſt ſynaxim uſque ad diem vigilans, poſt VII^m. annum ſuæ præſidentiæ moriens, XVI annis jacuit incorrupta.

Beda] Hoc anno facta eſt Synodus Epiſcoporum ſub Theodoro apud Tetford, in qua ſtatutum eſt, primo, de recta Paſchæ obſervatione: ſecundo, ut nullus Epiſcopus alienam parochiam invadat. Tertio, ut Epiſcopi Monaſteria non inquietent. Quarto, ut Clerici & Monachi paſſim non migrent abſque licentia Superiorum. Quinto ut ſaltem ſemel in anno Synodus congregetur in provincia.

Hoc anno ſtrages avium ad invicem confligentium facta eſt magna.

Mar.] Hoc etiam anno Agilbertus Weſtſaxonum Epiſcopus indignanter receſſit ad partes Galliæ, pro eo quod Kenwalcus Rex ſuam diœceſin in duas divideret. Cui ſubrogatus eſt Leutherius nepos ejus VII annorum, Rege id volente, & Theodoro Archiepiſcopo id confirmante. 671.

Egbertus Rex Cantiæ obiit, cui ſucceſſit Lotharius frater ſuus annos XI. 672.

Kenwalcus Rex Weſtſaxonum obiit XXX°. Regni ſui anno, cujus uxor Sexburga poſt eum regnavit uno anno, ſed ſecundum Bedam ſubreguli inter ſe Regnum per X annos diviſerunt.

Beda] Hoc anno Sanctus Cedda Epiſcopus obiit apud Lichfeld tertio Epiſcopatus ſui anno, cujus loco ſubſtituit Theodorus Winfridum Diaconum Cedda, quem non multo poſt ob meritum cujuſdam inobedientiæ depoſuit, & Sexwulfum Abbatem de Medehamſtude ſubſtituit.

Ra.] Medehamſtude dicitur hodie Burgum Sancti Petri, quod quondam erat in regione Girwiorum. Winfridus vero ſic depoſitus IV°. conſecrationis ſuæ anno acceſſit ad Monaſterium de Barwe, ubi ſancte quievit.

Beda] Sanctus Erkenwoldus, poſt mortem Winæ III^us. Londonii Epiſcopus, conſtruxit duo Monaſteria, unum ſibi in Southreia apud Inſulam Ceoroti, quod nunc Certeſeia dicitur, XV milliaribus à Londonio ad Occidentem diſtans, & alterum ſorori ſuæ Ethelburgæ ad Orientem Londonii in provincia Eſtſaxonum, quod dicitur Berkinges, ubi ipſa in magna ſanctitate præfulſit Abbatiſſa, ad quam Sanctus Adelinus ſcripſit librum de virginitate. 674.

Will.] Creditur quod hujus Sanctæ virginis orationibus locus ille nunquam deſtructus ſit, ſed aliud Monaſterium de Certeſeia per Danos deſtructum eſt, quod poſtmodum reparavit Rex Edgarus.

Hoc

Hoc anno Eskwinus cœpit regnare ſuper Weſtſaxones, & regnavit III annos, & pugnavit contra Regem Merciorum Wulſerum apud Widanhaef.

Quò etiam anno Wulſerus Rex Merciorum obiit. Cui ſucceſſit Etheldredus frater ſuus, regnans XXX annos. Nam Kinredus filius Wulſeri præ immaturâ ætate regnare non poterat. Uxor autem Wulſeri Ermenilda, mortuo marito cum filia ſua Wereburga, apud Hely eſt attonſa, ſub Sancta Etheldreda Abbatiſſa. Hanc autem Wereburgam Sanctimonialem præfecit patruus ſuus Rex Etheldredus quibuſdam virginum Monaſteriis, ſcil. apud Trikingham, Wedimam, Hamburgham; ſed apud primam obiit, apud tertiam ut ipſa vivens juſſerat ſepulta fuit, ubi per CCC^os. ferme annos, uſque ſcilicet adventum Dacorum incorrupta jacuit. Denuo hyemantibus Danis apud Rependon, fugatoque Rege Merciorum Burdredo, Hamburgenſes cives ſibi timentes, cum feretro corpus beatæ virginis continente, tunc primum in pulverem reſolutæ, ad Legeceſtriam, quæ nunc Ceſtria dicitur, tanquam ad locum tutiſſimum contra ſtragem barbaricam confugerunt; in qua urbe à tempore Adelſtani Regis uſque adventum Normannorum Canonici Seculares, collatis viciſſim poſſeſſionibus, ac deinde Monachi Regulares ad virginis laudes militarunt.

Igitur Regi Wulfero tres fuerunt germani ut prædictum eſt, Weda, Etheldredus & Merwaldus, qui Occidentalibus Merciis præfuit; cui Regina ſua Ermenberga, filia Regis Cantiæ Ermenredi, peperit tres filias Sanctas, Milburgam, Mildridam, Milguidam; & unum filium Mereſin nomine, magnæ ſanctitatis puerum.

Will.] Habuit etiam Wulferus duas ſorores ſanctas Kinedridam, & Kineſwidam Deo dicatas, quæ ambæ ſepultæ ſunt apud Medehamſtude, quod modo Burgum dicitur, ubi poſtmodum Sanctus Ethelwaldus conſtruxit Monaſterium; Kineſwida quidem ita Regem Offam converterat, ut, poſtquam ejus nuptias ſpreverat, Romam cum Kenredo & Egwino Wictiorum Epiſcopo profectus, Monachum induerit.

676. *Beda*] Quo anno Etheldredus Rex Merciorum vaſtavit Cantiam, & Putta Roffenſis Epiſcopus receſſit ad Sexwulfum, à quo accepit Herefordenſem Eccleſiam, ubi plus indulſit Eccleſiaſticis modulationibus, quam proprio Epiſcopatui reparando. Quo etiam anno Benedictus Biſcop aſſumpto ſecum Colfrido Monacho, IV°. Romam pergens Johannem Archicantorem ſecum adduxit.

677. *Beda*] Hoc anno conſerto gravi prælio inter Regem Northymb. Egfridum & Regem Merciorum Etheldredum juxta fluvium Trentæ, occiſus eſt frater Regis Egfridi Elſwinus nomine, utrique Regno amabilis, pro cujus morte nonnulla pecuniâ datâ ad inſtantiam Theodori Archiepiſcopi facta eſt concordia; in qua pugna quidam miles Egfridi graviter vulneratus, dum aſſurgere vellet, captus eſt ab hominibus Etheldredi, qui quoties apud hoſtes, aut apud Friſonem cui vendebatur, vincularetur, ſoluta ſunt vincula ejus ea hora qua frater ſuus ſacerdos pro eo tanquam pro defuncto celebraret, quouſque ipſe redemtione ſoluta ad fratrem ſuum rediret.

Hoc anno apparuit ſtella Cometa per tres menſes tempore Autumnali. Quo in tempore Rex Egfridus ad inſtigationem uxoris ſuæ expulit Wilfridum de Epiſcopatu Northymbrorum.

Will.] Cooperante ad hoc Theodoro Archiepiſcopo, qui voluntati Regis favens, pulſo Wilfrido inſtituit Boſan apud Eboracum, Eatam apud Lindisfarum Eccleſiam, Tunbertum ad Haguſtaldenſem, Trunwinum ad terram Pictorum apud Candidam caſam.

Mar.] Eadhedum vero de Lindeſey nuper reverſum, eo quod Etheldredus Rex Merciorum provinciam illam contra Regem Egfridum recuperaverat, ad Ripenſem Eccleſiam poſuit.

Will.]

Will.] Ubi videri & doleri poteſt humana miſeria, quod quantalibet ſanctitate quis polleat, non tamen ad plenum mores exuat pervicaces, ſiquidem Theodorus Wilfridum injuſte, quantum noſtra habet conjectura, ejecit.

Beda] Wilfridus igitur ſic expulſus, Romam pro cauſa ſua tendit, ſed itinerando ventis interpellentibus Friſiam pulſus eſt, ubi multam plebem primus omnium convertit, quod & Willebrordus poſtmodum implevit. Tandem Romam veniens, coram Agathone Papa auditus & approbatus eſt, & in Synodo cxxv Epiſcoporum ibidem congregata contra errorem illorum, qui unam in Chriſto naturam & voluntatem dogmatizabant, diſputavit.

Will.] Cauſamque ſuam ita modeſte promovit, ut nec Theodorum ab Apoſtolica ſede directum accuſationibus urgeret, nec tamen innocentiam propriam fluctuare permitteret. Dixerat enim Domino Papæ, quid eſt, Domine, quod Theodorus in mea ſede, me ſuperſtite, tres ſua auctoritate, me non aſſentiente, Epiſcopos ordinaverit? quem, quia ab hac ſede directus, accuſare ſuperſedeo, ſed quamvis ibidem Wilfridus approbatus fuerit, rem tamen non obtinuit, obſiſtente Regis protervia, & Theodori conniventia.

Beda] Propterea Wilfridus ad Auſtrales Saxones divertit, ubi apud Seliſeye, quod interpretatur, Inſula Vituli Marini, Monaſterium conſtruxit; per v annos uſque ad mortem Egfridi prædicavit, populum convertit: tum, quia per tres annos ante ejus adventum ibidem non pluerat, prima die Baptiſmi ſui imber cecidit, terra viruit, homines patriæ collectis retibus Anguillaribus piſcari docuit.

Oſcwinus Rex Weſtſaxonum obiit, cui ſucceſſit Kentwinus, qui regnavit ix annos. Quo anno defuncto Leutherio Epiſcopo illius provinciæ, Theodorus ordinavit Heddam, qui ſedit apud Wentam xxx annos.

Beda puer naſcitur.

Beda] Sancta Etheldreda Helienſis Abbatiſſia obiit, cui ſucceſſit in regimine ſoror ſua Sexburga, Regis Cantuariæ Ercomberti quondam Relicta. 678.

Beda] Hoc anno obiit Hilda Abbatiſſa de Whitby, ſexennali languore decocta, xv Kalend. Decembres, anno ætatis lx, neptis Edwini Regis, mulier quidem ſancta, prudens, literata, de cujus Monaſterio quinque Epiſcopi exierunt, ſcilicet Boſa, Eata, Offor, Johannes, Wilfridus; in cujus Monaſterio fuit frater quidam nomine Cedmon, divinitus edoctus in lingua patria facere carmina compunctiva, cui nullus alius in hujuſmodi potuit æquiparari. Nec ipſemet in alia materia quam ædificatoria quicquam agere ſcivit; quod illi ſic donatum eſt, dum ſcilicet verecundatus exiſſet de convivio, eo quod ad citharam rogatus canere neſciret, triſtis valde exiens obdormivit, cui aſtitit quidam in ſomnis, monens ut cantaret, & ille, neſcio, & ideo fugi, tamen alius, Canta de cætero confidenter de rerum principio, à quo tempore frater ille evigilans fecit mira poemata quaſi per omnes ſacræ Scripturæ Hiſtorias. 679.

Henr.] Theodorus Archiepiſcopus coegit conſilium Epiſcoporum & aliorum Doctorum apud Hatfeld, ut ſciret cujus ſinguli forent fidei, ſicut ei Papa Agatho mandaverat per Johannem Archicantorem ſuum, qui cum Benedicto Biſcop nuper de Roma venerat, & huic Synodo interfuerat. Quo tempore provincia Merciorum, quam ſolus Sexwulfus tunc regebat, diviſa eſt in quinque parochias, una apud Legeceſtriam, alia apud Wigorniam, tertia apud Lichfeld, quarta in Lindeſeia apud Sideneiam, quinta apud Dorceſtriam. Sed Putta manſit apud Hereford, quondam inſtitutus per Sexwulfum,

Oſricus ſubregulus Merciorum conſtruxit Monaſterium de Glovernia. 681.
Cui præfecit ſororem ſuam Kineburgam. Kentwinus Rex fugavit Britones

nes Occidentales in ore Gladii uſque ad mare; & Benedictus Biſcop conſtruxit Monaſterium ſancti Pauli apud Girnum in ripa Wiri fluminis, qui nuper, in alia ripa ejuſdem fluminis, aliud Monaſterium ſancti Petri, ſuffragante Rege Egfrido, conſtruxerat, cui præfecit Colfridum.

684. Hoc anno Beda puer ſeptennis traditus eſt Benedicto Biſcop informandus. At ille quinto Romam adiens commiſit Bedam Colfrido.

Beda] Hoc anno congregata eſt Synodus ſub Rege Egfrido, aſſiſtente Theodoro, juxta flumen Alne, in loco qui dicitur Twiford, ubi Timdberto de Epiſcopatu Haguſtaldenſi depoſito, Cuthbertus ſubrogatus eſt. Verum, quia ipſe plus dilexit Eccleſiam Lindisfarnum, ad ipſam quoque tranſiit, Eata ad Haguſtaldenſem ſubſtituto.

Beda] Iſte Cuthbertus primo apud Mailroſenſe Monaſterium Monachus effectus, & tandem præpoſitus conſtitutus; poſtremo in Inſula Farne anachoritice vixit, ubi frequenter, ſub tres mortalitatis idolatras, frequentantes philacteria & incantationes ad fidei rectitudinem convertebat.

Beda] Hoc etiam anno Egfridus Rex miſere vaſtavit gentem Scotiæ, genti Anglorum ſemper amiciſſimam, at ipſi divino invocato auxilio, ſequenti anno callide fugam ſimulantes, ipſum Egfridum amicorum precibus & diſſuaſionibus nullatenus acquieſcentem, cum magna exercitus ſui parte inter anguſtias montium attractum extinxerunt. Ex quo tempore ſpes & virtus Anglorum cœpit defluere. Nam & Picti & Scoti, ac nonnulla pars Britonum terras ſuas cum libertate receperunt.

685. *Bedo*] Cedwalla ſtrenuus juvenis de regio genere Gewiſſeorum, poſt Kentwinum mortuum, regnavit ſuper Weſtſaxones, qui fuit filius Kenbrichti, filii Ceaddæ, filii Cuthæ, fratris Ceaulini, filii Kenrici, filii Cerdici; qui ſtatim Athelwoldum Regem Southſaxonum interfecit, provinciam ejus captivavit, Cantiam vaſtavit, inſulam Vectam cepit, cujus quartam partem, quæ eſt ccc^arum^. familiarum, Sancto Wilfrido pro Dei amore dedit.

Hoc Anno apud Northymb. poſt Egfridum extinctum, ſucceſſit Alfridus frater ſuus Nothus, qui regnavit XVIII annis.

686. *Beda*] Lotharius Rex Cantuariæ moritur ex vulnere quod receperat in pugna Auſtralium Saxonum contra Cedwallam; poſt quem Edricus filius Egberti ejus interfector regnavit uno anno & dimidio; poſt quem Regnum illud ſub incertis Regibus aliquamdiu vacillavit. Donec Whitred legitimus filius Egberti confortatus, in Regnum ſuccederet.

Pluvia ſanguinea deſcendit in Britannia.

687. Mull frater Regis Cedwallæ cum XII militibus in Cantia interemptus eſt, & combuſtus, unde commotus Cedwalla, iterum vaſtavit Cantiam, & Sanctus Wilfridus, juvante Rege Alfrido, ſedem Haguſtaldenſem recepit. Nam Sanctus Johannes Beverlacenſis defuncto nuper Boſa ad Eboracum tranſierat.

688. Sanctus Cuthbertus obiit apud Inſulam Farne, quam ſemper dilexerat, cujus tamen corpus ad Inſulam Lindisfarnum delatum eſt, ejuſque Epiſcopatum rexit Wilfridus anno uno.

689. Hoc anno Cedwalla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti ſuæ tribus annis ſtrenue præfuiſſet, relicto Imperio Romam venit peregrinus, ubi à Sergio Papa baptizatus, & Petrus vocatus, in albis adhuc poſitus languore correptus, non plene XXX annorum exiſtens, obiit XII Kalendarum Maii, ſepultuſque in Eccleſia Petri, famoſo Epitaphio meruit inſigniri, unde verſus,

Culmen, opes, ſobolem, pollentia Regna, triumphos,
Exuvias, Proceres, mœnia, Caſtra, lares.
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe
Cedwal Armipotens liquit amore Dei.

Girald.]

Girald.] Hic notandum eſt quod iſtum Cedwalladrum ultimum Regem Britonum Hiſtoria Romanorum, & Longobardorum, & Bedæ, vocat Cedwallam, ſed corrupte, cum ſint Britannicæ Linguæ ignari, unde & ultimum verſum in Epitaphio prædicto alicubi reperitur ſic correctum.

Rex Cedwaladrus liquit amore Dei.

Quod autem dicitur baptizatus à Sergio intelligendum eſt confirmatus per Sacri Chriſmatis inunctionem. Et tunc fuit proprium nomen ejus mutatum, ſicut contingit in confirmationibus parvulorum. Et cum eſſet Rex Britonum, tamen dictus eſt Rex Occidentalium Saxonum, quia & illis ſimiliter principabatur, cum ſint contigni Walenſibus; ſed etiam opinionem Walenſium, qua dicunt ſe denuo Reges rehabere, cum oſſa Cedwalladri à Roma fuerint reportata, fabuloſam reputo, ſicut & Hiſtoriam Gaufridi in fine.

Cedwallæ ſucceſſit Ine de ſtirpe Regia, filius Kenredi, filii Ceolwold, filii Cuthæ, filii Cuthwin, filii Ceaulini &c. & regnavit XXXVII annis. At tunc & ipſe Romam petiit, pontificante Gregorio, quod & multi tunc fecerunt. Quo etiam anno Benedictus Biſcop obiit pridie Idus Januarii, cui ſucceſſit in regimine utriuſque Monaſterii ſui in ripa Wiri fluminis Colfridus.

Obiit autem & Theodorus Archiepiſcopus anno ætatis LXXXVIII°. Epiſcopatus vero XXII; cui ſucceſſit Brithwoldus Abbas, uſque ad hoc tempus fuerant Romani Archiepiſcopi, ſed ex tunc Angli.

Sanctus Wilfridus denuo accuſatus ab Alfrido Rege coram multis Epiſcopis ab Epiſcopatu pulſus eſt. Inde Romam appellans, ita coram Johanne Papa cauſam ſuam defendit, ut Literas Apoſtolicas de ſua reſtitutione regibus Anglorum afferret. Juvit autem multum cauſam ſuam lectio Synodi tunc recitata, cui ipſe Wilfridus tempore Agathonis Papæ interfuerat, ſed lectis ſuis literis Alfrido Regi directis, eum adhuc recipere noluit. Inde ad Regem Merciorum Ethelredum divertens recepit ab ipſo Epiſcopatum Legeceſtrenſium apud Mercios, quoad uſque Alfridus obdormiret.

Beda] Circa hos dies Egbertus, ſacerdos & Monachus, qui dudum tempore mortalitatis precibus & votis mortem evaſerat, cum jam circumnavigata Britannia Germanicam gentem convertere diſpoſuiſſet, ſuperna illi Oracula & opera reſtiterunt. Nam navis, quam ad illud iter præparaverat, ſubita tempeſtate quaſſata eſt. At tunc quidam de fratribus ſuis per viſum monitus dixit Egberto quod, vellet, nollet, oporteret eum ad Monaſteria Sancti Columbæ redire, eo quod aratra illorum non recte incederent. Unde & ipſe miſit Willebrordum cum XII Comitibus ad partes Germaniæ, qui ope Ducis Francorum Pipini ſenioris, qui citeriorem Friſiam nuper ſubjugaverat, multos ad fidem convertit, & tandem auctoritate Sergii Papæ roboratus, Trajectenſi Eccleſiæ Epiſcopus eſt deſtinatus, quam XL ferme annis nobiliter rexit, & poſt ibidem ſepultus eſt.

Defuncto Offoro Wictiorum Epiſcopo ſucceſſit Sanctus Egwinus, qui 692.
cito poſt, annuente Rege Ethelredo, Monaſterium de Eveſham conſtruxit.

Eo quoque anno Cantuarienſes pace facta cum Ine Rege Weſtſaxonum 693.
tria millia librarum pro morte Mul fratris Cedwall dederunt.

Beda] Unde rogatu Ducis Pipini Sanctus Willebrordus genere Anglus 695.
à Sergio Papa genti Friſonum eſt Archipræſul deſtinatus.

Northimbrenſes occiderunt Oſtridam uxorem Ethelredi Regis Mercio- 696.
rum, quæ fuit filia Oſwi.

Will.] Hoc anno Guthlacus Confeſſor, anno ætatis XXIV°. pompis abrenuncians ſæcularibus & armis, Monaſterium Repondonii adiit, ibique ſub Abbatiſſa Alfrida tonſuram & habitum recepit clericalem, deinde III°. poſt hoc anno ad Inſulam de Croulond tranſiit, ubi anachoritice cœpit vivere,

 miraculis

miraculis coruſcavit, poteſtatem magnam ſuper immundos ſpiritus accepit, adeo quod, ſicut vulgus tradit, eos ædificia conſtruere cogeret, & quendam talem ſpiritum in olla bulliente includeret, ad cujus corpus ædificatur Monaſterium, inter tot bellorum turbines, inter tot temporum volubilitates, nuſquam deletum. Ibi quieſcit Neotus Confeſſor, beati quondam Erkenwoldi Diſcipulus, & quamvis locus ipſe de Croulond non poſſit niſi navigio adiri, nunquam tamen pene loco deſunt hoſpites.

697. *Beda*] Hoc quoque anno contigit in Britannia id memorabile ad excitationem viventium de ſtatu animæ, quod quidem Brichtwoldus nomine aliquamdiu mortuus ad vitam ſurgens multis narravit, unde & ſtatim ſubſtantiam ſuam in tres partes diviſit, quarum primam ſubſtantiam uxori, ſecundam liberis ſuis, tertiam ſibi reſervavit, quam & pauperibus mox diſtribuens in Monaſterio Mailroſenſe finivit.

Hoc etiam anno Beda Monachus gradum Diaconatus à beato Johanne Eborum Epiſcopo ſuſcepit, & cito poſt vitam Sancti Cuthberti Oratione Rethorica, & dulcedine metrica extulit.

700. *Beda*] Circa hæc tempora venit Britanniam Arnulphus quidam Galliarum Epiſcopus, qui locorum ſacrorum gratia Jeruſolimam venerat, & luſtrata tota terra promiſſionis, Damaſcum, Conſtantinopolim, Alexandriam; multaſque maris Inſulas adierat, patriamque navigio revertens, vi tempeſtatis ad Occidentalia Britanniæ litora appulſus eſt, ubi Chriſti famulum Adamnanum Abbatem Hienſis Inſulæ docuit de mirabilibus ſacrorum locorum, & ipſe mox audita in librum redegit, quem Regi Alfrido legendum tranſmiſit.

Ra.] Ex eo libro videtur Beda ſumſiſſe, quod poſtea de locis ſacris tradidit tam patenter.

703. Quo tempore Etheldredus Rex Merciorum relicto Regno temporali apud Bardeney eſt attonſus, cui ſucceſſit filius fratris ſui Wulferi v ann.

704. Quo tempore obiit Hedda Wentanus Præſul, poſt quem Parochia illa diviſa eſt in duas. Nam Brichtelinus Archipræſul poſuit Danielem apud Wentam, & Sanctum Adelinum Abbatem de Maltebi, id eſt, Malmeſbury, poſuit apud Shirburn.

Will.] Eo quoque anno obiit Sexwulfus Merciorum Epiſcopus, poſt quem Hedda tenuit Lichfeld, Wilfridus Legeceſtriam: ſed poſt biennium, mortuo Alfrido Northymbrorum Rege, rediit Wilfridus ad ſedem ſuam Haguſtaldenſem, per quatuor annos pontificaturus. Et tunc Hedda tenuit ambas Diœceſes, viz. Lichfeld & Legeceſtre.

705. Hoc anno obiit Rex Alfridus apud Driffeld, cui ſucceſſit Oſredus filius ſuus, puer octo annorum, qui regnavit XI annis.

706. Conſtantinus primus Papa, Reges Britannorum Kenredum & Offam Monachos totondit.

Venerabilis Beda XXX°. ætatis anno gradum Presbyteratus à Sancto Johanne Eborum ſuſcepit, à quo tempore cœpit ſcribere libros, commentarios, & expoſitorios, uſque ad XXIX^m. poſt hunc annum. Inter quos Hiſtoria Anglorum quaſi ultima fuit.

708. *Beda*] Kenredus Rex Merciorum, relicto Regno ſuo Colredo, filio patrui ſui Ethelredi, Romam ivit una cum Offa filio Regis Eſtſaxonum, & Egwino Epiſcopo Wictiorum, ubi Monachus attonſus obiit. Egwino vero de Roma epiſtolam privilegii ad munimen Monaſterii ſui de Eveſham domi ſecum ferente.

Colredus filius Etheldredi ſucceſſit Kenredo, & regnavit IX annis. Hic tranſtulit primo de ſub terra apud Hamburgum corpus Sanctæ Wereburgæ virginis, quod IX annis jacuerat incoruptum, & c diu duravit, uſque adventum Danorum.

709. *Beda*] Sanctus Aldelmus Shirburnenſis Præſul obiit, quem ſepelivit Egwinus. Hic, Regis Ine nepos ex fratre Kenten, fuit vocatus Aldelinus,

quia ſenex Almus vel vetus Galea, literis Græcis & Latinis optime inſtructus, Muſicæ artis inſtrumenta, quæ vel fidibus, vel aliis generibus excercentur, habitu & uſu tenuit. Monachus quidem primum, deinde Sacerdos & Abbas in Meldunenſi Cœnobio, id eſt, Malmesburienſi effectus hoc ſibi indixit Martyrium, ut quando carnis ſentiret incentiva, virginem pulchram in ſuo ſtratu tam diu ſecum retineret, quouſque Pſalterium ex ordine diceret. In ſeptimana Sabbati, accurrentibus ad urbem mercatoribus, inſtanter fundebat verbum Dei. Ejus tandem fama incitatus Sergius Papa Sanctus, Apoſtolicus, eum ad ſe aſcivit literis & epiſtolis. Qui Romam, quam diu videre concupierat, tandem cum veſtibus ſacerdotalibus, quas ſecum ſemper detulit, aliquando adiens in Laternenſi Eccleſia coram Papa celebravit; ubi, dum die quadam poſt Miſſam miniſtris ſuis retro ſe caſulam ſuam porrigere crederet, affuit ſtatim bajulus ſolaris radius, ubi alius defuit carnalis famulus, & diu portavit infulam, quæ adhuc decorat Meldunenſem Eccleſiam. Quo in tempore, infamato viro Apoſtolicò de procreatione cujuſdam ſpuriæ prolis, adiurat Aldelmus IX dierum puerum, ad baptizandum ſibi oblatum, ut ſi Sergius Papa eum genuerit, ibi recognoſcat, reſpondit infans Papam immunem fore. Tandem cum multis privilegiis domum rediens, ſcripſit egregios libellos, viz. de virginitate, de termino Paſchali, de Veteris ac Novi Teſtamenti floribus, de charitate, de inſenſibilium rerum natura, de regulis pedum metricorum, de methaplaſmo, de metrico dialogo.

Manſit autem Abbas in Meldunenſi Cœnobio XL annis, poſtmodum per quatuor annos ſtetit Epiſcopus, quo in tempore alium Abbatem nequaquam ſibi erexerant fratres ſui, ſed ipſum mortuum ſepelivit ſuperveniens Præſul Egwinus, divino ut creditur admonitus oraculo, cujus locum & thecam multum coluit poſtmodum & ornavit beatus Præſul Dunſtanus, conferens organa & tintinnabula, reliquias, & ornamenta, quæ ne de loco perperam tollerentur, adiecit Anathema, ſic inſcribens; Organa do Sancto Dunſtanus Præſul Aldelmo, perdat hic æternum, qui vult hæc tollere Regnum. Item in Hydria aquatica ſic, Hydriolam hanc fundi, Dunſtan mandaverat Archipræſul, ut in Templo Sancto ſerviret Aldelmo. Item in campanula refectorii ſic inſcripſit: Elyſiam cœli nunquam conſcendat ad aulam, qui furat hanc nolam Aldelmi ſede beati.

Circa hunc annum obiit Sanctus Wilfridus, in cujus tumulo tales verſus ſunt inſcripti.

Wilfridus Sanctus meritis & nomine dignus
Mactatus multis per ſæcula longa periclis.
Quindecies ternas poſtquam egit Epiſcopus annos
Tranſiit & gaudens cæleſtia Regna petivit.

Beda] Hic puer acris ingenii XIV. ætatis anno Monaſterium Lindisfarnenſe petiit, ubi poſt nonnulla Regularis & Eccleſiaſticæ Doctrinæ rudimenta comprehenſa, cum deprehenderet quædam non recte à Scotis obſervari, Romam tetendit, ut perfectius doceretur. Ibi nempe didicit à Bonefacio Archidiacono quatuor Evangelia, compotum Paſchæ, & alia uſui Eccleſiæ neceſſaria. In redeundo manſit cum Alfino Lugdunenſi Epiſcopo per tres annos, donec per Batildem Reginam necaretur. Inde Britanniam rediens, terram ad conſtruendum Monaſterium in Ripun à Rege Oſwi recepit, ubi & Sacerdos ab Agilberto ordinatus eſt, poſt hoc finita controverſia de Paſchali termino, Eboracenſis Epiſcopus electus eſt &c. ut ſupra. Ei tamen defuncto ſucceſſit Acca Presbyter ſuus apud Haguſtaldenſem Eccleſiam.

Beda] Hoc anno obiit Adrianus Sancti Petri Abbas & cooperator Theodori Archiepiſcopi, cujus diſcipulus & ſucceſſor fuit Albinus, de quo infra ſcribitur. 710.

Eo quoque tempore Naitanus Rex Pictorum, miſit legationem ad Colfridum Abbatem Monaſterii Girwienſis, ut inſtrueretur de vera Paſchæ obſervatione, & de modo Eccleſiaſticæ tonſuræ, qui reſcripſit inter cætera, quod in obſervatione Paſchæ tres regulæ ſunt obſervandæ, è quibus duæ in Lege Moyſi, tertia de Evangelio per inſtitutionem Apoſtolicam continentur, viz. ut primo menſe anni, & tertia ejuſdem menſis hebdomada, id eſt, à xv^a. die uſque ad xxi^{um}. fieri debeat Paſcha, & etiam quod in ipſa tertia hebdomada dies Dominica debeat expectari, ita computando, quod non xiv dies, ſed veſpera ejus, id eſt, xiv^a. luna, quæ eſt initium tertiæ hebdomadæ, & nox xv^æ. lunæ debeat expectari ſecundum 1^d.
Num. Numerorum, Profecti igitur de Rameſſe xv^a. die primi menſis, altera die fe-
33. 3. cerunt phaſe Domino. Et ita protendi debet uſque ad veſperam xxi diei. Quod ſi poſſet fieri ut ſemper in xv die primi menſis dies Dominica occurreret, uno ſemper eodemque tempore cum antiquo populo Dei, licet diverſo ſacrorum genere, Paſcha poſſemus celebrare. Per æquinoctium autem vernale inveniri poteſt, quis menſis anni primus vel ultimus fuerit; ſolet autem æquinoctium vernale ſecundum Orientales, & ſecundum Ægyptios xii Kalendarum Aprilis provenire, quod & nos horologica inſpectione probavimus. Quæcunque igitur luna ſive xiv ſive xv ante æquinoctium plena eſt, ad præcedentis anni noviſſimum pertinet menſem. Ideoque Paſchate celebrando habilis non eſt. Quæ vero in ipſo æquinoctio, vel poſt æquinoctium, ſuum habet plenilunium, quemadmodum in principio mundi factum eſt, in ea luna, ubi Dominica dies primo occurrerit, Paſcha celebrandum eſt.

714. Quo anno Sanctus Guthlacus Anachorita apud Crouland obiit. Et Ine Rex Weſtſaxonum, & Colredus Rex Merciorum, pugnaverunt apud Wodenesburgh, ita acriter, & utrique infeliciter, ut neſciretur cui clades deteſtabilior provenerit.

715. Hoc anno Rex Etheldredus, poſtquam xxx annis ſuper Mercios regnaſſet, & xiii annos apud Bardeney Monachus fuiſſet, obiit. Et Colredus filius ejus Rex Merciorum obiit, & apud Lichfeld ſepelitur: poſt quem Ethelbaldus conſobrinus ſuus, id eſt, pronepos Pendæ, ex parte fratris Alivii ſucceſſit, ac ſicut Guthlacus confeſſor prædixerat, xl annis regnavit. Hic nempe xviii°. anno Regni ſui villam de Somertonâ obſedit & ſubjugavit. Northimbriam deprædavit, Walenſes devicit: ſed anno Regni ſui xxxvii°. devictus eſt à Cuthredo Rege Weſtſaxonum, & ultimo anno Regni ſui occiſus eſt à gente propria apud Secandon. Iſte aliquando per Cartam ſuam fecit Eccleſias & Monaſteria Regni ſui libera à publicis vectigalibus & operibus, præter conſtructiones arcium & pontium, quæ nulli relaxari poterunt.

Vir quoque Domini Egbertus de gente Anglorum Sacerdos & Monachus, qui dudum cladem mortalitatis, ſicut prætactum eſt, precibus ſuis evaſerat, plures Scotiæ gentis provincias, & præſertim Hienſes Monachos ad veram Paſchæ obſervantiam, & ad Eccleſiaſticam tonſuram pia devotione convertit. Quo etiam anno, teſte Beda, multi Anglorum Romam pergere petierunt. Inter quos Venerabilis Colfridus Abbas Girwienſis apud Lingonas Burgundiæ obiit, anno ætatis lxxiv°. qui inter alia donaria Eccleſiæ beati Petri, cui præfuit, miſit pandecten de tranſlatione Sancti Ieronimi ex Hebræo in Latinam linguam verſum.

716. *Will.*] Hoc anno obiit Sanctus Egwinus tertius Wictiorum Epiſcopus, qui aliquando peccatorum juvenilium conſcius, pedes ſuos vinculavit, claves compedum in flumine, quod dicitur Avena, projecit, palamque dixit tunc demum de peccatis ſe fore ſecurum, quando compedes ſui, aut divina virtute aut illis clavibus forent reſerati; ſic quoque vinculatus Romam profectus eſt, campanæ Urbis, ut fertur, in ejus adventu per ſe ſonuerunt, cum muminentis & privilegiis Eccleſiæ ſuæ revertitur, ac dum in mari Britannico

Britannico navigaret, piſcis pergrandis in puppim Præſulis ſaliit, in cujus jecore clavis reperta eſt, quæ compedes illius reſeravit.

Ingils frater Ine Regis Weſtſaxonum obiit, quorum ſorores fuerunt Sancta Quenburga, & Sancta Cutburga, quæ Monaſterium Virginum apud Wynburnam conſtruxit: hanc ſane Alfridus Rex Northymbrorum in conjugem habuit, ſed ante finem vitæ ambo pro Dei amore carnali copulæ renunciaverunt.

Beda] Conredus Rex Northymbrorum moritur, Oſricus ſucceſſit.

Sanctus Johannes Epiſcopus Eborum XXXIII°. Epiſcopatus ſui anno obiit 721.
apud Silvam Deirorum, id eſt, Beverlacum, ſepultus in Porticu Monaſterii. Qui in primis annis, & potiſſime in XLa. converſatus eſt in oratorio Sancti Michaelis, apud Haguſtaldenſem Eccleſiam, non longe à flumine Tyne, in monte ſeptentrionali ejuſdem loci, qui Anglice vocatur Herneſhow, Latine Mons Aquilæ; deinde apud Beverlacum obiit. Qui locus diſtat ab Eboraco ad Orientem XXIV milliaribus, quaſi locus vel lacus Caſtorum, ſic dictus à Caſtoribus, qui olim de Hull ibi vicina confluere ſolebant, ubi beatus Johannes conſtruxit unam Eccleſiam in honore beati Nicholai, & alium in honore Sancti Johannis Baptiſtæ in colle ad Refectorium fratrum; cujus loci immunitas ad magnam prærogativam excrevit, ita ut non admittat duellum aliquorum, ſed qui accuſatus fuerit ſola ſe manu purget, & Eccleſia uſque ad certum procinctum, contra cujuſcunque impetitionem, loci privilegium, immunitatem præſtat confugientibus.

Beda] Huic Johanni ſucceſſit Wilfridus ſacerdos ſuus præſidens pene XXX annis.

Ra.] Iſte vocatur Wilfridus junior, & tranſcendit tempora Bedæ. Nam tres fuerunt Wilfridi famoſi, ſcilicet Wilfridus primus & major, qui ter Romam adiit, de quo ſupradictum eſt, alius Wilfridus junior, qui Johanni in Eboracenſi ſede ſucceſſit, tertius Wictiorum Epiſcopus, qui Egwino ſucceſſit.

Will.] Rex Ine, ſicut Aldelmus ei aliquando conſuluerat, conſtruxit Mo- 724.
naſterium apud Glaſtoniam, quod ſplendide duravit, uſque ad tempora Dacorum: ſed poſtmodum ope Dunſtani ſub Regibus Edmundo & Edgaro egregie reparatum eſt, & ornatum, uſque adventum Normannorum: cæterum ex tunc neſcio quo infortunio ſemper peſſimis eſt infractum laboribus. Quin etiam Abbates loci rerum gloria elati tyrannos ſe exhibent, foris tumidi ſed invalidi, intus crudeles & incommodi, quod potiſſime liquebat tempore Abbatis Thurſtini.

Ra.] Illuc tranſlata ſunt oſſa Sanctorum Hildæ Abbatiſſæ, Colfridi Abbatis Girwienſis, aliqua oſſa Aidani Epiſcopi, quæ advexit Rex Edmundus, dum eſſet in expeditione contra Scotos. Quieſcit etiam ibidem Sanctus Patricius ſecundus Hiberniæ Abbas, & Confeſſor, qui teſte Martyrologio, quod die Sancti Bartholomæi legitur, dum Hibernicos convertere non potuit, Hiberniam deſerens Glaſtoniam adiit, ubi & obiit die Sancti Bartholomæi Apoſtoli.

Beda] Wightredus Rex Cantiæ obiit, & Thobias Roffenſis Epiſcopus, 726.
qui ita Græcam & Latinam Linguam noverat ut propriam.

Will.] Rex Ine, commendato Regno ſuo Ethelardo cognato ſuo, Ro- 728.
mam profectus eſt. Qui primus omnium Regum Denarium ex ſingulis domibus Regni ſui beato Petro fertur conceſſiſſe, quod diu ab Anglis Romeſcot, Latine vero Denarius Sancti Petri vocatur. Cui peregrinationi uxor Regis Ethelburga occaſionem præbuit in hunc modum. Dum enim ipſa crebro ſuaſiſſet viro ſuo ut ſaltem in extremis vitæ annis valefaceret rebus mundanis, nec proficeret, aſtu tandem vincere tentavit. Cum enim aliquando apud urbem Regiam ambo Regales luxus explicuiſſent, poſt triduanum eorum receſſum, villicus urbis ex Reginæ ſuaſu & conſcientia, palatium quantâ potuit deformitate, fimo pecudum, & aggere ruderum fœdâvit,

ſœdavit, & in lecto ubi Rex cubaverat porcam noviter enixam collocavit. Regina tunc uxoriis deliramentis virum exoravit, ut illuc unde abierant pedem referant. Quo impetrato Rex vidit locum ſardanapalicis deliciis parem, ſœda decoloratione tunc deformem. Tunc illa occaſione aucupata ait, ubi quæſo, mi Domine, ſunt modo illa aulæa ſidonicis ſuccis ebria? ubi nunc paraſitorum diſcurrens petulantia? ubi modo illa exquiſita gulæ lenocinia? nonne omnia tranſierunt? ſic Domine defluent carnes noſtræ, quæ modo nutriuntur in croceis. His inflexus maritus poſt triumphales bellorum manubias, tradito nepoti Regno, Romam adiit, ubi non publicis vultibus expoſitus crimen depoſuit, ſed plebeio cultu amictus inter mendicos conſenuit. Regina vero Etelburga ad Berkingam Monaſterium ſeceſſit, ubi ſoror ejus Abbatiſſa fuerat. Sed & ipſa poſtmodum Virginibus illis prælata beato fine quievit.

Oſricus Rex Northymbrorum poſt XI^m. annum Regni ſui obiit. Cui ſucceſſit Colwulfus, IX annis regnavit, ad quem Beda ſcripſit Hiſtoriam Anglorum.

Beda] Quo anno duæ ſtellæ, Cometæ horribiles, circa ſolem apparuerunt, per duas plene hebdomadas, quarum una mane præcedebat, altera veſpere ſolem ſequebatur, protendentes quaſi ardentes facculas verſus Aquilonem, diræ cladis præſagæ, nam tunc gravis Saracenorum lues Galliam premebat.

Beda] Hoc anno Brightwoldus Archiepiſcopus Dorobemiæ obiit; cui ſucceſſit Tadwinus, conſecrantibus eum Epiſcopis Londonienſi, Wentano, & Roffenſi.

Hoc etiam anno provinciæ Auſtrales uſque ad confinium Humbræ fluminis Regi Merciorum Ethelbaldo ſubjectæ erant; Picti & Scoti cum Anglis pacem habebant. Britones partim ſui juris, partim ſervitio Anglorum mancipati ſunt.

732. Tadwinus Doroberniæ Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit Nothelinus Londonienſis Præſul. Eoque anno Alwinus, qui & Wor dicebatur, Lichfeldienſis Epiſcopus obiit. Quo defuncto Witta ordinatus eſt apud Lichfeld, Totta apud Legeceſtriam, Eata adhuc apud Dorceſtriam perdurante.

Ra.] Quo anno obiit Venerabilis Beda Presbyter, qui VII°. ætatis anno traditus eſt Benedicto Biſcop Abbati Girwienſis Monaſterii educandus, & inſtruendus, ac deinde Colfrido poſt mortem ejus Abbati & ſucceſſori; XIX°. ætatis anno ordinatus eſt à Johanne Eboracenſi Epiſcopo in Diaconum, & XXX°. in Sacerdotem, quo quidem anno incœpit ſcribere, ſicque cunctum vitæ tempus in eodem Monaſterio peragens, meditandis ſcripturis & exponendis operam dedit, atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis, & cotidianam in Eccleſia cantandi curam, aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce duxit, LXXVIII libros edidit, quos in fine hiſtoriæ ſuæ Anglicanæ enumerat. Hic ſuccumbit ingenium, deficit eloquium, ſufficienter admirari hominem à ſcholaſtico exercitio ſemotum, ſub tantillo vitæ ſpatio, tam ſobrio ſermone, tanta elaboraſſe volumina; ex quibus conjicio quod nunquam Romæ fuit, quamvis aliqui contendant eum Romam iviſſe ut libros ſuos Eccleſiaſticæ convenire doctrinæ præſens aſſereret, vel ſi reſultarent, Apoſtolico nutu corriperet: ſed quod cæcus ad prædicandum obambularet, quod ad prædicandum lapidibus tanquam hominibus per famulum fraudulenter ſit adductus, quod vocem lapidum reſpondentium Amen audiret, quod Romam ter ierit, & tria R. & tria F. ſcripta invenerit & expoſuerit, in nullis authenticis literis invenitur exaratum. Fuit autem ſecundum quoſdam talis ſuperſcriptio, R. R. R. F. F. F. & talis expoſitio, Regna Ruent Romæ, Ferro Flammaque Fameque.

Will.] Conſtat tamen Bedam per Epiſtolam Sergii Papæ Colfrido Abbati tranſmiſſam invitatum fuiſſe ut veniret, ad enodandum aliquas nuper emerſas

emerſas quæſtiones, ubi advertendum eſt quanti penſus ſit ille à curia, quo Romana ſublimitas ad elucidandas quæſtiones indigeret, quanti & pendendus ſit à nobis ex modo vivendi & docendi. Non enim poterat ſervire vitiis, qui mentem ſuam ſic conſumeret in ſcripturarum expoſitionibus. Ejus tamen puritas multum patuit in ejus extrema diſſolutione, ſiquidem VII continuis hebdomadis inſtigatione ſtomachi cibos nauſeans, anguſtoque ſuſpirio halitum trahens, non tamen literalium ſtudiorum operam rejecit, ſed cotidie inter debitum plaſmodiæ penſum, Diſcipulos in lectionibus & quæſtionibus edocuit, Evangelium Johannis lingua Anglica interpretatus eſt, ſic inquiens, Diſcite filioli dummodo vobiſcum ſum, neſcio enim quamdiu ſubſiſtam. Viciſſim illud Ambroſianum ſubintulit, non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec mori timeo quia bonum Dominum habemus. Noctibus vero, cum deeſſent qui docerentur, lucubrabat ipſe ſibi pernox in gratiarum actione, feria IIIa. ante Aſcenſionem Domini, appropiante morte, pedes intumuit, inunctus & communicatus, oſculo fratribus libato, futuram ſui memoriam à ſingulis implorans, nonnullis familiarioribus ſuis xeniola, quæ in ſecretis habebat, largitus eſt. Die autem Aſcenſionis ſubſtracto cilicio decumbens, Spiritus Sancti invitabat gratiam, dicens, O Rex gloriæ, Domine virtutum &c. ſicut in Eccleſia canitur: qua finita, ultimum efflavit Spiritum cum ineffabili odoris ſuavitate, humatus tunc ibidem; ſed modo effert fama ipſum Dunelinæ cum Cuthberto collocatum, ſepultaque eſt cum eo omnis pene uſque ad conqueſtum Angliæ geſtorum notitia, omnis pene literarum peritia, cum poſt ejus tempora pigro pigrior ſuccederet: magnum dent ignaviæ teſtimonium pudendi verſus Epitaphii ſui, tanti viri mauſolæo indigni, viz.

Presbyter hic Beda requieſcit carne ſepultus
Dona Chriſte animam in cœlis gaudere per ævum.
Daque eum ſophiæ debriari fonte, cui jam
Suſpiravit ovans intento ſemper amore.

Circa hæc tempora Ricoldus Dux Friſonum &c.

Will.] Circa hos dies obiit beata virgo Frideſwida, in Pago Oxoniæ oriunda, filia Ducis Didani, quam, dum quidam Regulus nomine Algarus, carne lubricus, uſque ad urbem Oxoniæ inſequeretur, virgine ingreſſa urbem Portæ ſe clauſerunt, & Rex inſequens cæcitatem incurrit; viſum tamen, virgine pro eo orante, recepit. Ex hinc deinceps formidant Reges Angliæ urbem illam ingredi, ne infortunium illis eveniat. 735.

Colwulfus Rex Northymbrorum, poſt VIIIm. Regni ſui annum relicto Regno Egberto Patrueli ſuo, effectus eſt Monachus in Cœnobio Bedæ, & Egbertus regnavit XIX annis. 738.

Ra.] Attonſus eſt in Lindisfarnenſi Eccleſia, & tandem juxta Cuthbertum ſepultus eſt.

Nothelino Archiepiſcopo Doroberniæ defuncto ſucceſſit Cuthbertus Herfordiæ.

Ethelardus Rex Weſtſaxonum obiit XIVo. anno Regni ſui, cui ſucceſſit propinquus ſuus Cuthredus, qui Regem Merciorum Ethelbaldum bello ſæpius laceſſivit, & regnavit XVI annis, cui ſucceſſit Sigebertus ejus cognatus II annos; qui ex prædeceſſoris ſui eventibus elatus, ſubditos ſuos male tractavit, Leges ad libitum deflexit, Cumbranum Conſulem nobilem, quia hæc ei intimaverat, nequiter occidit. Tandem cum incorrigibilis eſſet à Regno eſt pulſus, qui inde in ſilvam quandam ſecedens abſcondit ſe, ſed Porcarius quidam Conſulis interfecti ipſum reperiens occidit. 740.

Wilfridus Wictiorum Epiſcopus obiit, ſucceſſit Milredus. 741.

Wilfridus junior Epiſcopus Eborum obiit, cui ſucceſſit Egbertus frater Regis Edberti XXXVI annos. 744.

Will.] Qui ſua induſtria, & fratris ſui Regis pecunia, ſedem illam in geminum ſtatum reparavit. Vir namque animoſioris ingenii ſtrenue animo revoluit, quod ſicut ſuperbum eſt indebita appetere, ita ignavum eſt debita negligere. Unde & Pallium Archiepiſcopale, quod Paulinus primus vi hoſtilitatis pulſus apud Roffam reliquerat, & per multos ſucceſſores neglectum fuerat, ipſe multa ſedis Apoſtolicæ interpellatione recuperavit, ac nobiliſſimam librorum Bibliothecam Eboraco inſtituit, de quo Alcuinus nobilis Anglorum Doctor, apud Regem Karolum pro pace Anglorum miſſus, in ſua epiſtola Anglorum Eccleſiæ miſſa, facit laudabilem mentionem. Item Regi Karolo ſcribit in hunc modum; Date mihi eruditionis libellos, quales in patria mea Anglia per induſtriam Magiſtri mei Egberti habui, & remittam vobis aliquos ex pueris noſtris, ut excipiant inde neceſſaria, & revehant in Franciam flores Britanniæ, & non ſit tantum in Eboraco ortus concluſus, ſed etiam in Turonica emiſſiones paradiſi.

Hoc anno obiit Sanctus Daniel Wentanus Præſul, cui ſucceſſit Hunfridus.

754. Kenulphus de proſapia Cerdici quinto gradu, Nepos Pendæ, ex Patre Kenwalco, vir magnus & virtutibus famam ſupergrediens, auxilio Weſtſaxonum Regem eorum Sigebertum ob immanitatem ſcelerum ſuorum Regno expulit, & pro illo regnavit xxx annis. Veruntamen Hamptunenſem provinciam ei conceſſit, uſque dum Cumbranum Ducem occidiſſet, tunc enim omnino dejectus in nemore latitans à ſubulco Ducis confoſſus eſt.

755. Ethelbaldus Rex Merciorum apud Sigiſwold occiditur à Beornredo Tyranno, & apud Rependonium tumulatur. Sed cito poſt Offa nepos Ethelbaldi occidit Beornredum, & regnavit pro eo ſuper Mercios xxxix annis.

Hic vicit prælio, Northimbros, Weſtſaxones, & Kentenſes, adeo ut Metropolitanam ſedem Cantuariæ ad provinciam Merciorum apud Lichfeld transferret. Tranſtulit quoque oſſa Sancti Albani ad majus Monaſterium, quod ipſe conſtruxerat, deditque Domino Papæ Vicario Petri annuum redditum de ſingulis domibus Regni ſui. Fecit etiam Foſſam inſignem, perpetuo petentem qua diſtingueret Walliam à Regno Merciorum, quæ uſque hodie vocatur Offedich.

Will.] Iſte Offa amicitiam Regum aucupans, copulavit filiam ſuam Ethelburgam Brihtrico Regi Weſtſaxonum, Alcuinum ſive Albinum Doctorem Anglorum pro pace procuranda ad Karolum Regem Francorum miſerat, quia tam grandis diſcordia tunc erat inter Regna, ut negotiantium commeatus hinc inde prohiberentur.

757. Egberto Rege Northymbrorum tonſorato, Oſwulfus filius ſuus ſuccedens, in fine ſui primi anni occiſus eſt à Northymbrenſibus, poſtquam Moll, qui & Ethelwold, regnavit VII annis.

764. Moll Rex Northymbrorum Regnum diviſit, ſucceſſit Alredus IX annos, & habuit iſte Alredus duos filios, ſcilicet Oſredum, qui III°. poſt eum loco regnavit, & Sanctum Alcmundum, qui poſtmodum in opem Mercenſium contra Weſtſaxones occiſus eſt.

774. Northimbrenſes Regem ſuum Aluredum expulerunt, & filium Molli Ethelbertum ſeu Etheldredum Regem ſtatuerunt, qui regnavit ſuper eos V annos.

777. Offa Rex Merciorum Lambertum Archiepiſcopum Doroberniæ, primatus ſui dignitate ſpoliavit, quam apud Lichfeld, quoad viveret, annuente Papa Adriano poſuit.

778. *Mar.*] Hoc anno Kenulphus Rex Weſtſaxonum, & Offa Rex Merciorum pugnaverunt acriter propter urbem de Reſington, ſed Offa prævaluit, & poſſedit.

779. Hoc anno Northimbrenſes expulerunt Regem ſuum Ethelbertum, & Alfwoldum ſtatuerunt, qui regnavit IX annis.

Will.]

Will.] Rex Weſtſaxonum Kenulfus Clitonem Kinehardum, Regis Sigeberti prædeceſſoris ſui germanum, de Regno ſuo expellere moliens, domum cujuſdam mulieris amaſiæ ſuæ apud Mertonam de nocte adiit, ubi Clito cum LXXX ſociis Regem circumvallavit. Rex tamen expergefactus viriliter ſe defendit, in fine tamen occubuit. At milites Regis ad clamorem mulieris impetum facientes, & blanda Clitonis promiſſa ſpernentes, cum pauci eſſent, omnes ſimiliter occubuerunt. Mane vero Regis morte vulgata, Oſricus Dux Regis cum ſuis locum adiens, Clitonem cum ſociis omnibus interemit, corpus Regis apud Wintoniam ſepelivit.

Poſt Kenulphum ſucceſſit in Regnum Weſtſaxonum Brightricus de genere Cerdici XV annis. Qui ſtatim ope Regis Offæ, cujus filiam deſponſaverat, expulit Egbertum filium Alcmundi ſubreguli, filii Offæ, de genere Kingilſi & Ine deſcendentem. Qui ſtatim ſic expulſus Gallias adiit, ſcolam militarem excercuit. Brihtrico mortuo rediit & regnavit, ac quod de re militari apud Gallias didicerat edocuit.

Defuncto Lull Archiepiſcopo Doroberniæ ſucceſſit Richulfus XXVIII 786.
annis, qui magnam Baſilicam Sancti Albani à fundamentis inchoans, mirabili opere de cocto latere conſummavit.

Will.] Hoc anno Rex Offa copulavit filiam ſuam Ethelburgam Brigh- 787.
trico Regi Weſtſaxonum, de qua relatum eſt quod omnes familiares mariti ſui aut poteſtate aut veneno extinguere ſatagebat. Cum ergo ſemel uni de Regis familiaribus venenum porrigeret, ipſum Regem cum adoleſcente extinxit, unde & ipſa cum immenſis Theſauris Regem Francorum Karolum adiit; cui cum Rex, ſemel aſtans in ſolario cum filio ſuo, optionem daret, quem è duobus patrem aut filium in virum habere vellet, ipſa Regis filium præelegit. Ad quam Rex ait, ſi me elegiſſes filium meum obtinuiſſes, verum quia me recuſâſti, nec me nec filium meum habebis, quin etiam ſæculari pompa depoſita, Monaſterium te adire oportebit, ubi, dum à quodam Laico ſtuprata fuiſſet, ejecta eſt, & pauper obiit.

Ab eo tempore inolevit apud Anglos uxorem Regis neque Reginam vocari, neque in Regia ſede juxta Regem collocari.

Hen.] Hoc anno apparuit in veſtibus Anglorum ſignum Crucis mirabile, & ſanguis de Cœlo in terram profluxit. Quod utrum advenerit in ſignum motionis Jeruſolymitanæ, poſt trecentos annos, tempore ſcilicet Willielmi Rufi futuro, an potius ad correctionem gentis Angligenæ, ut plagam Dacorum venturam formidarent, nos nihil temere diffinimus, ſed Deo ſua ſecreta committimus.

Hoc anno Dani primum Angliam venerunt, quibus præpoſitus Regis 789.
Weſtſaxonum cum paucis improvide occurrens interfectus eſt.

Sanctus Alfwoldus Rex Northymbrorum à gente ſua occiditur, cui nepos ſuus Oſredus filius Aluredi, & frater Alcmundi ſuccedens, cito poſt expellitur, & tandem occiditur. Poſt quem Etheldredus nuper expulſus iterum ſuccedens, cito poſt occiditur. Quamobrem Colwulfus Lindisfarnum Præſul ſedem & Regnum deſeruit; poſt hoc Osbaldus paucis diebus regnavit, & poſt eum Ardulfus uno anno ſucceſſit. Deinde per annos LXXVI aliqui regnaverunt, quorum ultimi fuerunt Osbricht & Elle, qui anno Gratiæ DCCCLXVII. in Eboraca civitate cum flore gentis ſuæ perempti ſunt à Danis. Qui Dani ex tunc per LII annos regnaverunt in Northimbria, uſque ad tempora Ethelſtani.

Sanctus Ethelbertus Rex Eſtanglorum juſſu Regis Offæ, & perſuaſione 793.
uxoris ſuæ Kinelwithæ, & Regno & vita privatur.

Offa Rex Merciorum obiit, cui filius ſuus Egfertus uno anno ſucceſſit. 794.
Cui vir pius Kenulphus filius Cuthberti ſucceſſit, qui ex Regina ſua Alfritha genuit Quendridam, Burgemldam, & Sanctum Kenelmum.

Will.] Iſte Kenulphus V°. gradu nepos Pendæ, vir magnus, & virtutibus famam ſupergrediens, domi religioſus, in bello victorioſus, Cantiam va-

 ſtavit,

ſtavit, Regem eorum Egbertum, qui & Pren, ligatum ſecum in Merciam adduxit, templum beatæ Mariæ in Winchecumbia conſtruxit, honorem Patriarchalem Athelardo Cantuariæ Archiepiſcopo reſtituit, ac poſtquam XXIV annos ſtrenue præfuiſſet, obiit, apud Winchecumbiam tumulatus, Kenelmum filium relinquens hæredem.

Hoc etiam anno, ſcil. x°. Brichtrici, viſi ſunt flammei Dracones in Anglia volitare per aera, quod ſignum duæ peſtes ſequebantur, ſcilicet fames pervalida, & infeſtatio Danica, quæ primo Northimbriam invaſit, deinde Lindeſeiam, ſed ea vice Dani devicti ſunt, & ad naves fugere compulſi.

797. Corpus Sanctæ Withburgæ virginis, filiæ Regis Annæ, ſororiſque Sexburgæ, poſt annos LV. apud Villam de Dirham, ubi tumulabatur, repertum eſt incorruptum.

Will.] Rex Weſtſaxonum Brichtricus obiit, veneno uxoris extinctus; poſt quem Egbertus, filius Alcmundi ſubreguli, filii Offæ, de ſtirpe Ine, ſucceſſit, & regnavit XXXVII annis.

Hic quondam per Brichtricum fugatus Galliam adiit, rediensque quod de re militari didicerat ſuis ſubditis, tam plebanis, quam liberis infudit, fortes & agiles ordinavit milites, ac tempore pacis arma portari fecit, cujus ſtudia Rex Merciorum Bernulphus aliquando deridens, irritat exercitatum feriatus ad prælium, & rigide imperat, ut ſibi homagium faciat, pugnatur igitur in æſtate apud Elindon, in Hamptunenſi provincia, diſpari militum numero & cultu. Nam contra centum milites Egberti palidos & macilentos veniunt mille rubicundi & pingues, prius ſudore quam ſanguine ſuffocandi: ſed illo prælio conſummato, univit Egbertus Regno ſuo Regnum Merciorum, Cantuarienſium, Northimbrorum. Cepitque Legeceſtriam ſuper Britones uſque tunc à Britonibus poſſeſſam. Deinde convocatis proceribus apud Wintoniam coronatus eſt Rex totius Britanniæ, ubi edictum fecit ut ab illo die omnes Saxones & Iuti vocarentur Angli, & Britannia Anglia vocaretur.

His diebus Ethelmundus ſubregulus Merciorum fines ſuos uſque ad vadum Chimereſford egreſſus, pugnavit contra Ducem Wiltonienſium Weoſſtanum, in quo bello, Ducibus hinc inde corruentibus, Wiltonienſes victoria potiuntur: ſed & Sanctus Alcmundus Martyr filius Aluredi Regis Northymbrorum, qui in parte Ethelmundi venerat, occubuit; cujus corpus apud Album Monaſterium primo, deinde apud Berbeiam urbem, in Eccleſia Aquilonali ſuo nomine conſtructa reconditur, ubi ſignis variis clareſcens, à Northimbrenſibus peregre venientibus ſedule viſitatur.

801. *Will.*] Hoc anno Albinus Anglus, qui & Alcuinus, ſcientia clarus, mare tranſiit, Franciam adiit, quam ſua doctrina illuſtravit, orationes miſſales, & officia per ferias ordinavit, ſtudium quod a Græcis olim Romæ tranſlatum fuerat, Pariſium advexit. Hic vir omnium Anglorum, quos legerim, poſt Aldelmum & Bedam doctiſſimus, apud Karolum Regem potiſſime, ſive terræ amœnitate, ſcilicet in Regis humanitate captus reſedit, quem docuit Dialecticam, Rethoricam, Aſtronomiam, cui Rex commiſit Monaſterium Sancti Martini Turonenſis, Abbatis jure regendum, quia Monachi ibidem ad laſciviam nimis defluxerant: qua de cauſa, uno Monacho id aſpiciente, duo Angeli Dormitorium illorum ingreſſi omnes Monachos loci, excepto illo qui hoc viderat, extinxerunt. Demum Alcuinus apud Sanctum Paulum de Cormarico quieſcit, ubi cotidie quatuor Monachorum victus pro anima illius inferuntur elemoſinæ.

810. Maxima mortalitas boum totam pene vaſtavit Europam maxime Britanniam.

819. Kenulphus Rex Merciorum obiit, cui ſucceſſit filius ſuus puer VII annorum Kenelmus. Qui poſt paucos menſes, inſtigante germana ſua Quendreda, ab Heskeberto in ſilva condenſa occiſus eſt. Quem lucis columna de

de corpore ad Cœlum erecta prodidit, ſed per cartam aureis literis Anglice conſcriptam, columbaque ferente, ſuper Altare Petri coram Papa demiſſam, atque à quodam Anglico tunc præſente perlectam, mors Kenelmi, & mortis locus Romæ innotuit.

Ra.] Fuit autem Scriptura talis. **At Cleuc in Coubache Kenelm Kine beru lith under thorne hebid bi webid.** Quod ſonat latine.

In Cleuc ſub ſpina jacet in convalle bovina.
Vertice privatus, Kenelmus fraude necatus.

Corpore igitur Kenelmi ad tumulandum delato, necis auctrix ad vocem canentium è feneſtra caput extulit, & ut lætitiam cantantium infirmaret Pſalmi illud. Deus laudem, neſcio quo præſtigio nequitiæ retrograde dixit, ſed oculos amiſit cum ſanguine profluente. Extant adhuc cruoris ſigna Dei ultionem ſpirantia in Pſalterio illo quem tunc manu tenebat.

Poſt Kenelmum ſucceſſit in Regnum Merciorum Colwulfus patruus ſuus, quem poſt biennium Beornulphus Tyrannus expulit, & pro eo regnavit II annis. Qui aliquando à Rege Weſtſaxonum Egberto apud Elindon devictus, contra Eſtanglos, qui Egbertum juverant, expeditionem movit, à quibus & occiditur, cujus mortem ſucceſſor ſuus & propinquus Ludecanus vindicare volens in Eſtanglos, etiam ab eiſdem eſt occiſus cum V Ducibus ſuis, cui ſucceſſit Wiglanus propinquus ſuus, XIII annos regnaturus. 820.

Cujus tempore naſcitur Puer Swithinus, in Pago Wintoniæ, qui poſt defunctionem Helmſtani miraculis ibi claruit. 826.

Hoc anno Dani deprædati ſunt Inſulam de Schepeigh juxta Cantiam, unde & Rex Egbertus pugnavit cum eis apud Carrum, ſed fugatus eſt ab eis. 831.

Hoc anno obiit Helmſtanus Wentanus Præſul, ſucceſſit Swithinus. 835.

Dani cum multa Claſſe apud Occidentales Britones in loco qui dicitur Curvalia applicuerunt, & fœdus cum Britonibus inierunt, qui ſcilicet conglobati fines Regis Egberti invaſerunt. Sed apud Hengiſtdonia ſuperati ſunt.

Egbertus Rex Weſtſaxonum obiit, cui ſucceſſit filius ſuus Athulfus ſive Ethelwulfus XXII annis; hic aliquando beato Helmſtano Wentano Præſuli tradebatur educandus, à quo & ſubdianus eſt ordinatus, tandem Papa Leone concedente ad Regnum eſt aſſumptus. Qui, poſtquam ex uxore ſua Oſburga filia pincernæ ſui genuerat quatuor inclytos filios poſt patrem ſucceſſive regnaturos, aſſumpto ſecum Aluredo filiorum noviſſimo Romam perrexit, per annum ibidem demoratus, ubi ſcholam Saxonum egregie reparavit, quæ, ut fertur, ab Offa Rege primitus fuerat inſtituta, ſed anno proximo præcedente conflagraverat. Ibi quoque cum publice pœnitentes ac exules ferro vinctos videret, impetravit à Domino Papa ut Angli deinceps extra patriam ſuam nunquam vincti pœniterent. Ob hoc ferunt ipſum Denarium Petro de ſingulis domibus Regni ſui annuatim conceſſiſſe, ſed & omni anno ex tunc CCC Marcas Romæ miſit, viz. C. ad luminare Petri, C ad luminare Pauli, & centum Domino Papæ. Inſuper & Eccleſias Regni ſui ab omni tributo regali liberavit, decimam rerum ſuarum Deo obtulit. In redeundo de Roma, Juditham filiam Karoli Calvi deſponſavit XII anno Regni ſui, & Angliam ſecum duxit. Quam quia contra morem Weſtſaxonici Regni in throno juxta ſe collocavit, inſurrexit in eum primogenitus ſuus cum multis Proceribus, ita ut tradita primogenito magna Regni parte vix tumultus ſedaretur. Nam obſervatum fuerat apud eos ne Regina ſic honoraretur, in odium Ethelburgæ filiæ Regis Offæ, quæ virum ſuum Brichtricum intoxicaverat. 836.

Ra.] Hic quoque Aluredum filium ſuum prædilectum incurabili morbo languentem,

languentem, ad Sanctum Modwennam apud Hiberniam tunc morantem curandum tranſmiſit, unde poſtmodum, vaſtata Eccleſia Modwennæ, Rex ipſe tradidit Modwennæ Angliam venienti terram pro duobus Monaſteriis Virginum conſtruendis, unum in Ardera apud Polliſwurtham, quod uſque hodie floret. In quo Oſitha & Athea Virgines una cum Sancta Editha ſorore Athulfi Regis manſerunt. Ipſa autem Modwenna manſit aliquantiſper in altero Monaſterio apud Streneſhale, & inde Romam ter viſitavit. Quæ tandem apud Inſulam Andreſeiam juxta Burtoniam poſt ſeptennem incluſionem obdormivit in Domino.

838. Hoc anno Dani multos occiderunt in Lindeſey, Eſtanglia, & Cantia.

Hoc anno Wiglaff Rex Merciorum obiit, anno Regni XIII°. & apud Rependon ſepelitur, qui genuerat Wigmundum, & ille Sanctum Wiſtanum Martyrem. Succeſſit tamen apud Mercios, Bertulphus XII annis, cujus filius Bertfertus Sanctum Wiſtanum crudeliter peremit.

850. Hoc anno Bertulphus in Pentecoſta occidit nepharie Sanctum Wiſtanum, cujus corpus ſepultum eſt apud Rependon in Avi ſui tumulo Wiglani, ſed de loco occiſionis ſuæ columna lucis per XXX dies conſpicua ſtabat.

852. Hic Leo V^us^. etiam adoptavit in filium Aluredum filium Ethelwulfi Regis Weſtſaxonum, & annuente patre, in Regem futurum inunxit.

Hoc anno Bertulphus Rex Merciorum obiit, cui ſucceſſit Burdredus, qui ſtatim deſponſavit Ethelwitham filiam Regis Athulfi, cujus auxilio ſubdidit mediterraneos Britones, qui inter Merciam & mare Occidentale inhabitant. Hic etiam Burdredus XXII°. anno Regni ſui per Danos expulſus Romam adiit, ubi non diu vivens apud Scholam Saxonum in Eccleſia beatæ Mariæ ſepultus eſt.

Eoque anno, poſt quam Dani Londonium & Cantiam prædaverant, & Regem Bertulphum profugaverant, contriti ſunt in Southreia apud Oclea per Regem Ethelwulphum.

856. Hoc anno Sanctus Edmundus cœpit regnare ſuper Eſtanglos, ſed XIV°. anno occiditur.

857. *Will.*] Rex Weſtſaxonum Ethelwulfus obiit Idus Januarii, & Wintoniæ ſepelitur, cui ſucceſſit primogenitus Ethelbaldus, qui tantum uno anno regnavit, nec mirum, quia mortuo patre uxorem ejus Juditham novercam ſuam contra ritum catholicum ſibi in uxorem copulavit, & apud Shirburn ſepelitur.

858. Mortuo Rege Weſtſaxonum Ethelwulfo prædicto primogenitus ſuus Ethelbaldus, qui vivente patre occiduas partes tenuerat, in Regnum Weſtſaxonum ſucceſſit, ut ſupra.

860. Ethelbertus poſt Ethelbaldum fratrem ſuum ſucceſſit in Regnum Weſtſaxonum V annis. In cujus diebus magnus Dacorum excercitus depopulans Wintoniam, antequam ad naves ſuas redire poſſet, à Ducibus Regis trucidantur.

Sanctus Swithanus Wentanus Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Dunbertus de quo mira leguntur.

865. Etheldredus tertius natu poſt duos fratres ſuccedit in Regnum Weſtſaxonum VIII annis, cujus anno primo magna Dacorum Claſſis apud Eſtangliam appulit & Hiemavit; inde apud Eboracum ſe tueri compelluntur. Nam cum Northimbrenſes diabolico prius inſtinctu Regem ſuum Osbrichtum à ſe expulerant, & Tyrannum quendam nomine Ellam ſuperinduxerant, metu tandem hoſtium aliquantulum ſedati, cum utriſque regibus ſuis Dacos aggrediuntur, quos ad urbem Eboracum tunc non bene muratam fugere compellunt, quos dum inconſultè debellant, paſſim conteruntur cæſis regibus. Ita ut qui evadere poterant pacem cum Danis fecerunt, & ſic Reges Northymbrorum defecerunt.

Alſtanus Shireburnenſis Epiſcopus poſt L ætatis annum obiit.

Hoc

Hoc anno Dani relicta Northymbria venerunt in Regnum Merciorum, apud Snotingham per totum annum commorantes; quibus Burdredus Rex Merciorum occurrit. Cumque Dani arte muniti bellum dare nollent, & Anglis murum frangere non ſuppetebat, pace facta, Reges domum redierunt, & Dani Eboracum repetierunt, ubi per annum manſerunt.

Hoc etiam anno Dani deſtruxerunt urbem Alcluit, & à partibus Northymbriæ tranſierunt ad Eſtangliam, per annum hiemantes apud Tedford. 869.
Quo quidem anno Hinguar & Hubba Dani Sanctum Edmundum Regem occiderunt apud Egglisdon.

Will.] Caputque Regis Edmundi inter frutecta occultatum civibus quærentibus patria lingua ſe patefecit dicens, her. her. her. ubi repertus eſt.

Obiit etiam Colnothus Dorobernienſis Archiepiſcopus, ſucceſſit Etheldredus.

Will.] Poſt Regis occiſionem, Edwolfus frater ejus exhorrens mundi delicias, eo quod ſe & fratrem ſuum durior fortuna excepiſſet, apud Cernelienſe Cœnobium in Dorſetania, juxta fontem placidum, quem quondam Sanctus Auguſtinus ad baptizandum populum converſum precibus produxerat, vitam heremiticam ſolo pane & aqua protrivit. Fit enim plerumque ut adverſitatibus ſæculi admonitus animus generoſus ad Deum ſe convertat attentius, qui nec falli nec fallere novit. Ibi poſtmodum conſtructum eſt Monaſterium ſatis locuples, ſi illi quorum intereſt non nebulonibus ſed Dei ſervis ea impertirent; ſed omnia noſtro ſub tempore ita in Anglia immutavit ambitio, ut res, quas antiqui liberaliter contulerunt Monaſteriis, magis diſpergantur poſſeſſorum ingluvie, quam indigentium aut hoſpitum famulentur vitæ. Sed certe datores non fraudabuntur mercede, quorum intentiones librantur divina lance.

Will.] Quo anno Dacorum excercitus, relicta Eſtanglia, Ducibus Hingar & Hubba venerunt verſus Weſtſaxoniam, apud Radingum, ubi III°. 871.
adventus ſui die duo Duces Danorum ad faciendam prædam exeuntes apud Engilfeld trucidati ſunt, IV°. poſt hoc die duo fratres Reges Weſtſaxonum occurrentes magnam de Danis ſtragem fecerunt. Dani tandem de arce erumpentes Ducem Barrocenſium Ethelwulfum occiderunt, & Anglos retrocedere coegerunt. Qua verecundia commoti Angli IV°. poſt hoc die bellum apud Aſſchedonium, qui mons Aſini vel fraxini interpretatur, inſtaurant; ubi Aluredus neceſſitate coactus fratrem ſuum Regem Miſſam tunc audientem ad bellum prævenit, cujus quidem Regis oratio multum ea die apud Dominum valuit. Nam licet Dani editiorem montis locum præoccupaſſent, Chriſtiani tamen ab inferiori aſcendentes Regem Danorum Oſric cum V Ducibus & multis hoſtium millibus trucidarunt, reliquos per diem uſque Radingum inſequendo. Veruntamen XIV°. poſt hoc die apud Baſingum Dani bellantes, & iterum poſt duos menſes, apud Merton victoria ſunt potiti: interea Reges Merciorum, Northymbrorum, Eſtanglorum, dominationem Weſtſaxonicorum ferre detrectantes, maluerunt hoſtes ſuſtinere, & obſidatos confovere, quam patriotis inſuadentibus pro patria opem præbere, ex quo provenit ut hoſtes creſcerent & prævalerent, indigne ſuccumberent & deflerent. Deinde Rex Weſtſaxonum Etheldredus, anno ſequenti, poſt multos agones, IX Kal. Maii obiit: ſepultus eſt apud Winburnium.

Explicit Liber Quintus.

LIBER.

LIBER. VI.

873. *Will.*] ALuredus quartus natu, qui regnantibus fratribus ſemper fuerat ſecondarius, ad integram Monarchiam Weſtſaxonum ſucceſſit, quam XXIX annos ſtrenue ſed laborioſe rexit; de cujus initio, progreſſu, & fine hîc notandum eſt, quod Aluredus forma venuſtus plus cæteris fratribus ab utroque parente dilectus eſt; qui uſque ad XII^{um}. ætatis annum in paterna curia illiteratus manſit, Saxonica poſtmodum poemata docilis puer memoriter tenuit. In Venatoria arte præcipuus, in Architectonica ſummus, Pſalmos & Orationes in unum libellum compegit, quem Manualem appellans, id eſt, Hand boc, ſecum jugiter tulit. Grammaticam minus perfectè attigit, eo quod tunc temporis in toto Regno ſuo nullus Grammaticæ Doctor extiterit. Quamobrem ad conſilium Neoti Abbatis, quem crebro viſitaverat, Scholas publicas variarum Artium apud Oxoniam primus inſtituit, quam urbem in multis articulis privilegiari procuravit, neminem illiteratum ad quamcunque dignitatem Eccleſiaſticam aſcendere permittens. Optimas leges in linguam Anglicam convertit; tandem Pſalterium transferre aggreſſus, vix parte prima explicata vivendi finem fecit. Cum igitur adultus effectus mentem in Dei mandatis ſtabilire vellet, ſed propter carnis petulantiam tunc ſibi ſatis moleſtam hoc perficere non poſſet, Sanctorum templa mane, veſpere, gallicantu, pro ſedanda hac illecebra, crebro viſitabat; exorans Deum ut ipſe carnem ſuam tali morbo flagellaret, quo mundanis artibus non inutilis Deo liberius vacare poſſet; unde & Dei nutu fici langorem per multos annos ſuſtinuit, ſub qua tandem deſperans Cornubiam adiit, Eccleſiam Sancti Gueroür, ubi Sanctus Neotus requieſcit, viſitavit, aut pro morbo ſedando, aut ſaltem immutando.

Ra.] Tradunt tamen nonnulli, quod per Sanctam Modwennam Virginem Hibernicam ab hac peſte ſit curatus. Voto tandem adepto infeſtior eum morbus etiam ſub nuptiis à XX°. uſque ad XLV annum acrius fatigaverat. Igitur nati ſunt ei ex Regina ſua Ethelſwitha duo filii, Edwardus ſenior, & Egelwardus; tres etiam filiæ, ſcilicet, Elfleda Merciorum Domina, Ethelgora ſanctimonialis, & Elfrida, quos omnes liberalibus fecit artibus erudiri.

Aluredus igitur Elemoſinæ dator, Miſſarum auditor, rerum ignotarum inveſtigator, Sanctum Grimbaldum Monachum literatura & cantu peritum, de partibus Galliæ, ac Johannem Monachum de ultimis Walliæ finibus, ſcilicet, de Monaſterio Sancti David Meneviæ ad ſe vocavit, ut literis inſtrueretur. Optimates ſuos ad diſcendam literaturam adeo provocavit, ut ipſi filios ſuos, vel ſi filios non haberent, ſaltem ſervos ſuos, ſi ingenio pollerent, conceſſa libertate literis commendarent. Facta Miniſtrorum ſuorum, & potiſſime Judicum, diligenter inveſtigatus eſt adeo, ut quos ex avaritia aut imperitia errare cognoſceret, ex officio amoveret. Fecit & Werefrithum Wigorniæ Epiſcopum transferre libros Dialogorum Gregorii in Saxonicam linguam.

Will.] Omnes proventus ſuos in duas partes diviſit, quarum primam partem adhuc in tres partes ſubdiviſit, & primam illarum ſuis Miniſtris Regalibus, qui in tres erant diviſi cohortes, diſtribuit; duæ namque partes Regalium Miniſtrorum per duos menſes ad diſponendam rem familiarem Domi reſidebant, III°. menſe quælibet cohors coram Rege miniſtrabat. Secundam particulam primæ partis Operariis diverſis, quos undecunque collegerat

collegerat, aſſignavit, III^am^. particulam advenis confluentibus impendebat. Secundam vero partem principalem proventuum ſuorum adhuc in quatuor partes diviſit, quarum prima pauperibus, ſecunda Monaſteriis fundandis; tertiam Scholaribus Oxoniæ congregatis & congregandis, quarta Eccleſiis reparandis aſſignabatur. Et ut vitam ſuam rite æquilibraret, XXIV^or^. horas, quibus dies naturalis integratur, in tres partes diviſit, è quibus octo horas legendo, ſcribendo, orando; octo circa corporis curam; octo circa Regni negotia tranſegit; ad quæ diſtinguenda poſuit in Capella ſua candelam XXIV^or^. partium, quarum diſpertita conſumptione per æddituos ſuos de ſingulis prædictis moneretur.

Et poſt menſem accepti Regni pugnavit cum Danis apud Wilton, cum magno utriuſque excercitus diſcrimine. Angli namque ſub octo præliis uno anno confecti multum fuerant debilitati; idcirco hoc anno Angli cum Danis pacem fecerunt, eo pacto, ut Dani ab eis recederent, quod & fecerunt. Nam eo anno apud Londonium, & anno ſequenti apud Lindeſey hyemaverunt, cum quibus etiam Mercii tunc pacem fecerunt; ſed III°. anno Dani pacem infringentes, de Lindeſey uſque Rependonium tranſierunt.

Hoc anno Dani Lindeſeiam deſerentes venerunt apud Rependonium, ubi 875.
expulſo Burdredo Rege Merciorum, Regnum illud tradiderunt cuidam Colwulfo Burdredi Miniſtro, eo pacto, ut quando vellent illud reacciperent: verum triennio elapſo partem Regni illius inter ſe diviſerunt, partem Colwulfo reliquerunt, qui & ultimus Regum Merciorum fuit. Poſt cujus mortem Rex Aluredus primo Londonium, & poſtmodum partem Colwulfi ſuo annexuit Regno.

Eo quoque anno Danis apud Rependonium adventantibus Hamburgenſes indigenæ, qui V circiter milliaribus à Rependonio diſtant, pavore ſoluti corpus Sanctæ Wyrburgæ virginis diu ibidem reconditum, & ſemper uſque tunc incorruptum, ad Ceſtriam tanquam ad locum tutum tranſtulerunt.

Hoc etiam anno Rex Aluredus pacem fecit cum Danis, qui una nocte omnes equites Regis occiderant, unde & Rex commotus fugavit eos uſque Exceſtriam, ubi iterum datis obſidibus morabantur per annum.

Hoc anno Dani de Warham navigantes verſus Exceſtriam, CXX naves 777.
marina tempeſtate perdiderunt; pars tamen illorum villam Regiam de Cipenham cum adiacenti territorio occupavit, multis Anglis ibidem aut ſubactis aut fugatis: ſub qua tempeſtate Rex Aluredus cum paucis per ſilveſtria Somerſetenſis Pagi vitam incertam & inquietam ducebat; quippe qui nihil unde viveret habebat, niſi quod prædando aut venando, aut piſcando, adquireret. Tandem dum Socii ſui piſcationi inſtarent, & ipſe moleſtiam ſuæ vagationis meditatione ſcripturarum ſolaretur, aſtitit ei quidam peregrinus in Dei nomine Elemoſynam petens, cui Rex utraſque ad cœlum manus levans, ait, Gratias ago Deo qui pauperem ſuum hodie in paupere viſitavit, qui dignatur hodie quod dedit exigere, & quod exegit, cum uſura reſtituere. Vocat cito Rex Miniſtrum ſuum, qui nihil præter modicum vini & unum panem habebat; juſſitque mediam partem pauperi dare; gratias egit pauper, & nullo tranſitus ſui veſtigio in paludibus reperto, ſubito evanuit. Et ecce quæ largita fuerant inventa ſunt integra, & qui piſcatum ierant, multitudinem piſcium reportarunt copioſam. Igitur Regi ſoporato apparuit quidam pontificalibus indutus, qui de diligendo Deo, de obſervanda Juſtitia, de miſericordia in pauperes, de reverentia in Sacerdotes exhibenda eum monuit, & adjecit, O mi Alurede, Chriſtus conſcientiam tuam reſpiciens ærumnis tuis finem imponit, cras namque aderunt tibi fortes auxiliarii, quorum ope hoſtes devinces. At Rex, quis es tu? Et ille, Ego ſum Sanctus Cuthbertus peregrinus ille heſternus, cui panem porrexiſti, tui, tuorumque curam agens; memento

hujus rei cum bene tibi fuerit. Sed quomodo meminerit ſui peregrini, libertas & poſſeſſio Dunelmenſis Eccleſiæ hodie declarant.

Will.] Inde Aluredus ergaſtulum exiens magnæ aſtutiæ periculum fecit, nam ſub ſpecie Joculatoris tentoria Regis Danorum ſubiens, exploratis omnibus quæ voluit Ethelingum rediit, otium hoſtium Comitibus ſuis exponit, unde & hoſtes ſuos repente adorſus incredibili ſtrage cecidit. Nam in die ſequenti, Wiltonienſes, Somerſetenſes, Hamptunenſes ad eum venerunt; quorum ope arcem apud Ethelingum, quod interpretatur nobilium Inſula, conſtruxit, de qua hoſtes ſæpius debellavit, præcipue juxta Selwode, quod interpretatur magna Sylva, ita ut acceptis obſidibus electiſſimis Guttrim Regem Dacorum cum xxx electiſſimis viris Rex Aluredus de fonte levaret, nomen Adelſtani ei imponendo. Qua de cauſa Regi Guttrun, quem nos Gurmundum vocamus, datæ ſunt provinciæ Eſtanglorum & Northymbrorum ad inhabitandum. Verum quia non facile mutat Æthiops pellem ſuam, Guttrun per xi annos terras illas tyrannico facile faſtu protrivit, & in xii°. anno obiit. Reliqui Dani, qui noluerunt effici Chriſtiani, ad partes Gallicanas ſe tranſtulerunt. Eſt autem locus prædictus de Ethelingiſeye, non maris Inſula, ſed ita paludibus & ſtagnis inacceſſa, ut non niſi navigio adiri queat, terra utique vix duobus jugeribus lata feras tamen venaticas continet.

879. Hoc etiam anno, mortuo Dunberto Wintonienſi Epiſcopo, præfecit Rex Aluredus Dunewulfum, quem tempore latibuli ſui ſubulcum & laicum in ſilvis invenerat, ſed comperto ejus ingenio, poſt multam ætatem literis informandum tradiderat.

Dacorum exercitus, ſicut Aluredo promiſerat, urbes de Cipenham & Cirenceſtre, quæ ſunt ad meridiem Wictiorum, deſerentes, tranſtulerunt ſe ad Orientales Anglos, ubi magnus exercitus Dacorum de tranſmarinis partibus per Karolum fugatus advenit, & apud Fullanham reliquo Dacorum exercitui ſe junxit.

880. Quo etiam anno Aluredus reparavit urbem Septoniæ, quod eſt Schaſtesburg, ſicut teſtatur magnus lapis, qui in Capitulo Sanctimonialium ibidem uſque hodie eſt inſculptus.

884. Martinus Papa poſt Johannem ſedit uno anno, qui ſcholam Saxonum, prece Regis Aluredi, ab omni Tributo relaxavit. Inſuper & magnam Sanctæ Crucis partem Aluredo miſit.

885. Quo anno Dani de Gallia redeuntes, obſederunt urbem Roffenſem, ac Arcem contra urbis portas conſtruxerunt, ſed cives urbem defenderunt, quouſque Rex Aluredus ſuperveniens, captis Danorum Equis eos fugere compelleret, unde & Dani Franciam repetierunt. Sed & Rex Claſſem ſuam bellatoribus plenam à Cantia ad Eſtangliam dirigens, xvi naves Danorum cepit, ſed in redeundo Regia Claſſis devincitur.

886. Dani per aquam Sequanæ remigantes urbem Pariſienſem anno integro obſederunt. Quo anno Rex Aluredus Londonium reparavit, quam Etheldredo Merciorum Comiti cuſtodiendam tradidit. Et tunc Angli diſperſi Regi Aluredo ſe dederunt.

887. Quo in tempore Rex miſit Elemoſinas ſuas ad Romam, & ad Indiam; ac duo Monaſteria conſtruxit, unum virorum apud Ethelingiſey, aliud mulierum apud Schaſtisbury, in quo filiam ſuam Ethelgof præfecit Abbatiſſam.

892. *Hen.*] Hoc anno venerunt contra Regem Aluredum iv^{or}. exercitus Danorum, unus in Northymbriâ, alter in Eſtanglia, iii^{us}. apud Exceſtriam, iv^{tus}. apud Legeceſtriam, ſed apud Legeceſtriam ita obſeſſi ſunt Dani, quod equos ſuos præ fame comederunt.

893. Tres Scotici viri Dusblan, Mahbon, Malmunyn peregrinam pro Chriſto vitam ducere cupientes, ſumpto ſecum unius hebdomadæ viatico, carabum qui ex duobus coriis & dimidio conficitur intrantes, mirum in modum ſine velo,

velo, ſine armentis, poſt VII dies in Cornubia applicuerunt, & poſtea Regem Aluredum adierunt.

Plegmundus Dorobernia Archiepiſcopus, literis nobiliter inſtitutus, accepto à Formoſo Papa nuper Pallio, VII Anglorum Eccleſiis VII Epiſcopos una die ordinavit. Hoc anno Rex Aluredus fugavit Danos, primo de Cantia, de Oxonia, de Chicheſtria. 894.

Hen.] Dani, qui apud Legeceſtriam erant, poſt triduanam obſidionem fame coacti, urbem reliquerunt, Northwalliam prædaverunt &c, & per Northimbriam circumgirantes, ad Eſtangliam, ubi uxores eorum & naves erant, regreſſi ſunt; flumen de Luya intrantes caſtrum de prope ædificabant; ſed Londonienſes ope Regis caſtrum deſtruunt, flumen prædictum in tria Brachia dividunt, ita quod naves Danorum educi non poterant, ac Dani, relictis navibus illis, apud Brugg ſuper Sabrinam juxta Walliam hyemaverunt, ubi & caſtrum inſigne firmaverunt. Sic quoque per illud triennium vexata eſt Anglia triplici clade, ſcilicet, infeſtatione Dacorum, mortalitate hominum, lue animalium.

Will.] Hoc anno Rex Aluredus obiit. Qui primo in Epiſcopali Eccleſia Wintoniæ ſepultus erat, ſed pro deliramento Canonicorum, dicentium Regios manes reſumpto cadavere noctibus per domos oberrare, filius ejus Edwardus Genitoris oſſa tulit, & in novo Monaſterio poſuit. Has nænias & conſimiles Angli pene ingenita tenent credulitate, à gentilibus hoc mutuantes, ut credant nequam hominis cadaver poſt mortem, Dæmone agente, diſcurrere; unde Virgilius. 900.

Morte obita quales fama eſt volitare figuras.

Ra.] In laudem Regis hujus Henricus li. 5. ponit verſus ſic.

Nobilitas innata tibi probitatis honorem,
Armipotens Alurede dedit probitaſque laborem.
Perpetuumque labor nomen cui mixta dolori,
Gaudia ſemper erant ſpes ſemper mixto timori.
Si modo victus erat ad craſtina bella parabat,
Si modo victor erat ad craſtina bella pavebat.
Jam poſt tranſactos Regni Vitæque labores,
Chriſtus ei ſit vera quies ſceptrumque perenne.

Edwardus cognomento Senior regnavit poſt patrem XXIV annis, literarum cultu patre inferior, ſed gloria ſæculari ſuperior. Nam urbes novas condidit, mutilatas reparavit, fines Regni latius quam pater dilatavit; porro Scotorum, Cumbrorum, Wallanorum Reges in deditionem recepit. Eſſexam Northimbriam, Merciam, de manibus Dacorum extorſit, totam Merciam poſt obitum ſororis ſuæ Elfledæ obtinuit. Hic ex uxore ſua prima Egwina genuit primogenitum ſuum Ethelſtanum. Ex Regina Edgina genuit Edredum, Edwinum, & ſex filias, quarum unam copulavit Othoni Imperatori, aliam Karolo Regi Occidentalium Francorum, tertiam Sithrico Duci Northimbrorum. 901.

Will.] Ex tertia uxore Ethelwitha genuit Edredum & Edmundum, qui ambo poſt fratrem Ethelſtanum regnaverunt. Genuit etiam duas filias, ſcilicet Sanctam Edburgam virginem Deo ſacratam, Wintoniæ quieſcentem, & Edgivam formoſam Lodowico Aquitannico Regi copulatam. Hic quoque Rex filios ſuos literis fecit inſtrui, filias vero ſuas primo literis, deinde colo & acu fecit exercitari.

Will.] De iſta virgine Edburga traditur, quod cum trima eſſet, volens

 pater

pater ejus experiri utrum ad Deum an ad ſæculum eſſet declinatura, poſuit ex una parte triclinii ſui diverſarum poſſeſſionum ornamenta, ex alia parte Calices & Evangelia, inde armillas, & monilia. Illuc puſiola virgo nutrice allata jubetur quæ vellet eligeret, at ipſa manibus repens Evangelia apprehendit, quam pater deoſculans, vade, inquit, quo te vocat Divinitas, ſequere fauſto pede, qui te ducit; ſicque poſtmodum facta eſt Monacha, quam non reſupinavit Regalis proſapia, quin etiam ſoccos ſororum ſuarum de nocte latenter ſurripuit, & lotos junctoſque clam reportavit.

903. Eoque anno Sanctus Grimbaldus, Confeſſor quondam, Doctor Regis Aluredi, obiit Wintoniæ.

904. Hoc anno Plegmundus Archiepiſcopus in urbe Doroberniæ ordinavit VII Epiſcopos Eccleſiis Anglorum, viz. V. ad terram Gewiſeorum & Weſtſaxonicorum, hoc eſt apud Wintoniam unum, ad Cornubiam unum, ad Schireburniam unum, apud Wellenſem Eccleſiam unum, apud Cridinton unum, item apud Auſtrales Saxones unum, & apud Mercios in Dorkinga unum. Nam Papa Formoſus maledictionem ſuam dederat Regi Edwardo & Anglis, propter nimiam carentiam Epiſcoporum in terra Anglorum, quæ per VII annos Epiſcopis caruerat.

Clito Ethelwoldus patruelis Regis Edwardi contra Regem inſurrexit, Winburnam juxta Bathoniam occupavit, affirmans quod ibi aut triumpharet aut occumberet. Veruntamen rapta ſecum de nocte Sanctimoniali de Monaſterio Winburnenſi ad Dacos Northimbranos receſſit, quorum auxilium petivit: ſed Rex valide perſequutus eſt eum, adeo ut relicta Angliâ Franciam adiret, Sanctimonialem tamen ſecum reduxit, Monaſterioque ſuo reſtituit.

Eodem tamen anno rediit Ethelwoldus cum magno navium apparatu, & junctis ſecum Danis Eſtangliam habitantibus, invaſit Merciam uſque ad Crekanford, quod eſt Crikelade, cuncta conſumens: deinde Thamiſia pertranſita uſque ad Bradeneſtok terram ſpoliavit, & ſic Eſtangliam rediit. Quem Rex à tergo inſequens, terram hoſtium à flumine Ouſe uſque ad limites terræ Sancti Edmundi deprædavit, præcipiendo ſuis ut nullus poſt ſe remaneret. Cantuaritæ tamen juſſu Regis neglecto ibidem remanentes à Danis pene trucidantur, multis hinc inde ruentibus, ſed & Clito Ethelwoldus inter hoſtes occubuit, unde & Dani ſentientes Regem Edwardum fore invincibilem, pacem cum eo fecerunt.

908. Hoc anno Civitas Caerlegion, ſive Legeceſtria, quæ modo Ceſtria dicitur, ope Etheldredi Ducis Merciorum, & Elfledæ uxoris ſuæ, poſt confractiones per Danos factas reſtaurata eſt, & novis muris circumdata, & pene ad duplum, quod prius, ampliata; ita ut caſtrum, quod ab olim ibidem extra muros juxta aquam poſitum fuerat, nunc intra muros ſituatur.

909. *Ra.*] Rex Edwardus conſtruxit caſtrum apud Hereford. Tunc fundatum eſt Monaſterium Cluniacenſe &c.

Quo in tempore Dux Merciorum Etheldredus, & uxor ſua Elfleda, tranſtulerunt oſſa Sancti Oſwaldi Regis de Bardeneya uſque Gloverniam, ubi Monaſterium conſtruxerunt.

911. In provincia Staffordenſi apud Totenhale Angli vicerunt Dacos, & poſtmodum apud Wodenisfeld Rex Edwardus occidit de Dacis duos Reges, duos Comites, cum multis millibus Dacorum Northimbranorum.

912. Dux & ſubregulus Merciorum Etheldredus obiit, cujus uxor Elfleda, ſoror Regis Edwardi Regnum Merciorum, exceptis Londonia & Oxonia, quas Rex ſibi retinuit, longo tempore ſtrenue rexit, urbes multas condidit & reparavit, quæ ſunt Brimnusburia, Brugg ſuper Sabrinam, Thaniworth juxta Lichfeld, Stafford, Warwicum, Chirisburium, Waburium, Edesburium, in foreſta juxta Ceſtriam, quæ nunc omnino deleta eſt. Item

con-

conſtruxit urbem cum caſtro in Borealibus finibus Merciorum ſuper flumen Merſee, quæ tunc Romicoſan, ſed modo Runcorna vocatur.

Will.] Iſta Elfleda virago potentiſſima, favor civium, terror hoſtium, multum juvit fratrem ſuum Regem in conſiliis dandis, in urbibus conſtruendis, quæ poſtquam experta fuerat difficultatem primi & unici partus, complexum viri perpetuo exhorruit, proteſtans non convenire Regis filiæ voluptati intendere, quam tale incommodum ſubſequi oporteret.

Dani piratæ, qui ante ferme XIX annos Gallias, Britannia relicta, adiverant, Angliam redierunt, & circumnavigata Cornubia Sabrinum mare intrantes prædas egerunt, Epiſcopum quendam Britannicum apud Ærchenefeld ceperunt, quem Rex Edwardus XL libris redemit; hoſtes uſque ad Hiberniam profugavit, munitionem ad oſtium amnis Avenæ conſtruxit; deinde alias munitiones apud Buckingam ex utraque parte fluminis Uſe poſuit, Ducem Danorum Turkecillum cum Dacis inhabitantibus Bedefordiam & Northamptonam ſubegit. 913.

Elfleda Rectrix Merciorum egit prædas in terra Britonum apud Breghnoc, cepitque uxorem Regis Wallanorum, & renovavit Legeceſtriam. 916.

Rex Edwardus condidit urbes de Tomeſtriam & Wiggemere, & deſtruxit munitionem, quam Dani fecerunt apud Themesford, Elfleda cepit urbem Derbeiæ ſuper Danos, ejus tamen IV^or^. miniſtri occidebantur. 917.

Will.] Hoc anno XIX°. Kalend. Julii Elfleda obiit, quinquennio ante obitum fratris ſui Edwardi, ſepulta eſt Gloverniæ in Eccleſia Sancti Petri, quam ipſa cum viro ſuo conſtruxerat ſuper oſſa Sancti Oſwaldi Regis, quæ à Bardeney ibidem attulerant. Sed & illa Eccleſia per Danos deſtructa, Aldredus, Eboraci ſcilicet & Wigorniæ Epiſcopus, aliud quod in urbe nunc eſt præcipuum Monaſterium reparavit; filiam autem unicam Elfledæ nomine Elfwinam Rex Edwardus, poteſtate Merciorum ei adempta, duxit ſecum in Weſtſaxoniam. 918.

Ra.] In hujus Elfledæ laudem (*Henr. li. 5.*) hanc decantavit camœnam.

O Elfleda potens, O terror Virgo Virorum,
Victrix naturæ nomine digna Viri,
Te quoque ſplendidior fecit natura Puellam.
Te probitas fecit nomen habere Viri.
Te mutare decet ſed ſolum nomina Sexus,
Tu Regina potens Rexque trophea parans.
Jam nec Cæſarei tantum meruere triumphi,
Cæſare ſplendidior Virgo Virago Vale.

Henr.] Rex Edwardus, audita morte ſororis ſuæ, ſubjugavit ſibi Thomewurth & Snotingam, ubi conſtruxit novam urbem ex parte Auſtrali contra antiquam urbem, ponens pontem ſuper Trentam inter utramque urbem. Poſt hoc eodem anno tres Reges Scotorum, Dacorum, Wallanorum in deditionem recepit.

Rex Edwardus conſtruxit apud Thelewalle, quæ eſt in Borealibus finibus Merciorum juxta aquam de Merſee, ubi poſuit militum cuſtodiam; inde tranſiens aquam Merſee inſtauravit urbem Mainceſtre, quæ eſt in Auſtralibus finibus Northimbrorum. 920.

Rex Edwardus obiit apud Farndon juxta Oxoniam, & ſepultus eſt Wintoniæ in novo Monaſterio. 924.

Ethelſtanus primogenitus Regis Edwardi, apud Kingeſton juxta London in Southreia in Regem levatus, regnavit XVI annis. Cujus anno primo natus almus puer Dunſtanus in Pago Glaſtonienſi, cujus vita tota ab ortu ad exitum virtutibus & miraculis coruſcavit. 924.

925. *Alfr.*] Rex Ethelſtanus copulavit ſororem Sichtrico Danico Regi Northimbrorum; quo cito poſt mortuo, Rex filium ejus expulit, & Regnum illud ſuo redintegravit; deinde Hoelum Regem Britonum, & Conſtantinum Regem Scotorum prælio ſubactos in deditionem recepit.

Hunc Conſtantinum dum Rex Ethelſtanus Regem Scotiæ faceret, dixit glorioſius eſſe Regem facere, quam Rex fore.

Will.] Copulavit etiam Rex Ethelſtanus & aliam ſororem ſuam Othoni Imperatori, à quo, præter gemmas & equos, recepit quoddam vas ex Onichino tranſparens & politum, ita ſubtili cælatoris arte compoſitum, ut vere fluctuare ſegetes, gemmare vites, hominum imagines moveri videantur; recepit etiam enſem Conſtantini magni, in quo literis aureis nomen poſſeſſoris legebatur, in cujus capulo ſuper craſſas auri laminas figebatur clavus ferreus, unus de quatuor, quo Chriſtus in cruce figebatur. Item & lanceam Karoli magni, qua vibrata, ſemper victor abibat, quam tradunt aperuiſſe latus Chriſti. Item & vexillum Mauricii Martyris, quo Karolus uſus eſt contra Saracenos. Item partem Sanctæ crucis, & partem coronæ ſpineæ, quarum aliquas partes Rex Adelſtanus Monaſterio Malmesburiæ delegavit.

929. Frithſtanus Wintoniæ Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Briſtanus, de quo legitur, quod quaſi cotidie pro defunctis celebravit; unde dum quadam nocte cœmiteria circuiret, Pſalmos pro defunctis decantando, in quorum fine dum ſubjungeret, requieſcant in pace, audivit ſubito voces quaſi infiniti exercitus de ſepulcris reſpondentis, Amen. Et Odo de Wiltoniæ factus eſt Doroberniæ Archiepiſcopus.

934. Et Birſtanus Wintonienſis Præſul obiit, cui ſucceſſit Elphegus Monachus, cognomento calvus, vir propheticus, & Dunſtani propinquus.

Will.] Qui, dum pro more pœnitentes die cinerum à liminibus Eccleſiæ excluderet, cæteros adhortabatur ut jejunio & caſtitati vacantes etiam uxorias delicias illis diebus abjicerent. Inter quos unus ait, Non poſſum, Domine, temperare à convivio ſcilicet & conjugio, quinimo uxorem, quam ad tempus ſubmovi, in proximo reſumam. Cui pontifex, contriſtas me miſer, neſciens quid futura pariat dies, unde & poſtremo die inventus eſt examinis in cubili ſuo.

Hic quoque Elphegus, dum aliquando ordinaret in Presbyteros tres Monachos, ſcilicet, Dunſtanum, Ethelwoldum, & Ethelſtanum, completis ſolemniis, ait ad illos, hodie coram Deo tribus viris manus impoſui, quorum duo pontificalem gratiam nanciſcentur, tertius vero miſerabiliter finietur. Cui Ethelſtanus tanquam pro cognatione familiarior ait, Num ego ero pontifex, Non erit, inquit, tibi pars in ordine illo, niſi diu geres veſtem iſtam.

Quia Rex Scotorum Conſtantinus contra pactum venerat, Rex Ethelſtanus verſus Scotiam properabat, & in eundo Beatum Johannem Beverlacenſem viſitabat, ſuper cujus altare cultellum ſuum pro Vadio poſuit, promittens quod ſi victor rediret, cultellum digno prælio redimeret, quod & implevit. Poſt Victoriam vero in redeundo Deum rogavit, ut prece Sancti Johannis Beverlacenſis aliquod evidens ſignum oſtenderet, quo præſentes & futuri cognoſcere poſſent, quod Scoti de jure deberent Anglis ſubjacere, unde Rex cum gladio ſuo percuſſit ſcopulum quendam lapideum juxta caſtrum de Dunbar, qui uſque hodie ad menſuram unius ulnæ ex ictu cavatur; deinde in redeundo digna dotatione cultellum redemit.

937. Anlaf paganus filius Sihtrici Rex Hiberniæ, multarumque Inſularum, à ſocero ſuo Rege Scotorum Conſtantino incitatus, oſtium Humbræ fluminis valida cum claſſe intravit, cui Rex Ethelſtanus cum fratre ſuo Edmundo apud Brunfort occurrit.

Will.] Cum igitur acies conveniſſent, Anlaf exquiſito aſtu cithara manibus

nibus

nibus ſumpta, ſub ſpecie cithariſtæ tentorium Ethelſtani ingreditur, ubi dum inter epulas omnia exploraſſet, & ſtipem quaſi pro melodia accepiſſet, ſtipem nauſeans latenter ſub ſe in terra defodit. Notatum eſt hoc à quodam qui aliquando cum eodem Anlaf militaſſet, qui & hoc poſt receſſum Anlafi Ethelſtano nunciavit. Rex incuſat relatorem cur hoc non prius indicaſſet. Ille reſpondit, fidem, o Rex, quam modo tibi debeo, quondam Analaſo dedi, unde ſi illam modo erga illum violaſſem, idem de me putares erga perſonam tuam fore facturum, ſed audi nunc conſilium meum, tentorium tuum abhinc remove, ut cum ipſe petulanter advenerit, ipſum propoſito fruſtratum modeſte frangas; quo facto, Anlaf nocte advolans, Epiſcopum quendam in via Caſtrametantem cum ſua familia cecidit, ulteriuſque progrediens in Regis tentoria impegit, ſed tanto fremitu Regi experrecto gladius è vagina excidit, ſed inclamato Deo & Sancto Aldelmo, ad preces Odonis Archiepiſcopi, qui tunc cum Rege erat, gladium vaginæ relapſum invenit, qui uſque hodie in theſauro Regio ſervatur. Eſt autem gladius ille ex una parte ſectilis, nec uſquam auri vel argenti receptivus. Quo Dei dono Rex tunc fretus, hoſtes per totam auroram & diem ſequentem fugavit, ubi ceciderunt Rex Conſtantinus cum v Regulis, xii Ducibus, & tota pene congeries Barbarorum.

Poſt hoc apud Hereford Aquilonales Britones perdomuit, ita ut ei annuatim xx libras auri, ccc libras argenti penderent, boves vero xxv millia annumerarent. Inde Cornugalliam ſubegit, Exceſtriam reparavit, in cujus laudem quidam ſic cecinit.

Regia progenies produxit nobile ſtemma.
Cum tenebris noſtris illuxit ſplendida Gemma.
Magnus Ethelſtanus patriæ decus, Orbita recti
Illuſtris probitas à vero neſcia flecti.

Mortuo apud Gloverniam Ethelſtano ſine liberis, atque apud urbem Maidulfi ſepulto, ſucceſſit Edmundus frater ſuus xx^m^. jam agens annum, regnavit ferme vii annis, genuitque ex Regina ſua Elgina filios Egwinum & Edgarum pacificum. 941.

Will.] Hujus Edmundi tempore Northimbri rebellarunt, Anelaſum de Hibernia revocarunt, quem tamen Rex Edmundus cum Raynaldo filio Gurmundi devicit & exlegavit, Northimbriam in proprio dominio recepit, terram de Cumberlond rebellantem contrivit, quam Malcolmo Regi Scotiæ tradidit, ita ut ſibi auxilio ubique foret.

Ra.] In hac expeditione, ut dicitur, Rex Edmundus accepit ſecum oſſa Colfridi Abbatis & Hildæ Abbatiſſæ, & detulit uſque Glaſtoniam.

Tradidit Alfridus & Marianus, quod Rex iſte vii°. Regni ſui anno, dum Dapiferum ſuum de manibus æmulorum ſuorum eripere vellet, interfectus ſit ab illis apud Pulkirchiam.

Sed W. li. ii dicit, quod Rege convivante in feſto Sancti Auguſtini apud Pulkirchiam, dum quidam latrunculus Leof nomine, quem Rex prius propter ſcelera ſua eliminaverat, inter convivas aſſideret, quem Rex è menſa proſiliens capillis arreptum in terram dejecit, ſed nebulonis artavo eviſceratus eſt. Occiſor vero inter manus tumultuantium nonnullos ſaucians aut occidens à ſatellitibus membratim diſſectus eſt.

Will.] Edmundus Rex Angliæ v nobiliſſimas civitates, ſcilicet, Lincolniam, Snotingham, Derbeiam, Staffordiam, Legeceſtriam, quas eatenus Dani Pagani incoluerunt, de manibus eorum extorſit, & luce fidei illuſtravit. Nam Anlaf de ſacro fonte levavit, magis viribus cedentem quam prædicationi credentem. Hic quoque Rex conſilio Dunſtani ſtatuenda ſtatuit, corrigenda correxit, Monaſterium Glaſtingenſe rebus & perſonis nobilitavit. 947.

Ra.]

Ra.] Tandem, ſicut prædictum eſt, apud Pulcrechirchiam obiit. Sed apud Glaſton ſepelitur.

947. Edredus in villa de Kingeſton ab Odone conſecratus, poſt Edmundum fratrem ſuum ſucceſſit x annis, eo quod filii Edmundi Edwinus & Edgarus adhuc minoris erant ætatis, nec regnare poterant. Hic Edredus primo Regni ſui anno, Northimbros rebellantes valide contrivit, unde & Scoti ſibi timentes ſe ei ſubdiderunt.

953. *Mar.*] Sed tandem pro infidelitate Northimbrenſium terram eorum devaſtat, Monaſterium Ripenſe ſuccendit, recedente vero Rege domum, exercitus de Eboraco erumpens, extremam partem Regii exercitus multum læſit; quamobrem Rex iratus totam plagam Northimbranam delere cogitavit, ſed Northimbrenſes, Duce, quem ſibi præfecerant, abjecto, Regem Edredum muneribus placaverunt.

956. Dum Rex Edredus graviter ægrotaret, Dunſtanum Confeſſorem ſuum accerſivit, cui feſtine accedenti vox obitus clare inſonuit, modo Rex Edredus quieſcit in pace. Ad quam vocem Dunſtani, cui inſedit abſque ſeſſoris læſione, ad terram corruens expiravit, Dunſtanus autem ſepelivit Regem apud Wintoniam in novo Monaſterio.

957. Edwinus primogenitus Edmundi conſecratus eſt in Regem Angliæ ab Odone Archiepiſcopo apud Regiam Villam de Kingeſton juxta Londonium, qui primo conſecrationis die in nefarium cubitum ruit, quamobrem à beato Dunſtano redargutus ipſum Dunſtanum exiliavit.

Will.] Monachos quamplures ſuis facultatibus nudatos in exilium egit, Monaſterium Malmisburienſe, expulſis ſuis, contulit Clericis. Tandem Northimbrenſes & Mercenſes ipſum Edwinum pro mala vita ſua expulerunt, & fratrem ſuum Edgarum, XVI annorum exiſtentem, in Regem levaverunt. In cujus Edgari exortu audivit Dunſtanus Angelos canentes ſic, Pax terræ Anglorum, exorti nunc pueri Dunſtanique tempore. Sicque tunc actum eſt ut flumen Thamenſe res duorum Regum diſterminaret, regnavitque Edwinus IV^or. ferme annis, & tandem mortuus ſepultus eſt Wintoniæ, ejus tamen anima poſt obitum precibus Dunſtani ab inferno liberata, in ſortem pœnitentium animarum eſt tranſlata.

Will.] Et ſicut eadem terra bonas & malas herbas nutrit, & urticæ quandoque proxima eſt roſa, ſic ex eodem pio Edmundo Edwinus peſſimus & Edgarus optimus proceſſerunt.

964. Edgarus Juvenis XVI annorum in Regem levatus eſt, & XVI annos poſt fratrem ſuum pene regnavit. In quorum XII°. anno apud urbem Achamanni, id eſt, Bathon, Idus Maii, die Pentecoſtæ, à beatis Dunſtano & Oſwaldo præſulibus in Regem conſecratus eſt. Qui ſtatim Dunſtanum de exilio revocavit, quem de Abbate Glaſtoniæ Wigorniæ præſulem fecit, diviſa Regna redintegravit, improbos oppreſſit, rebelles repreſſit, modeſtos dilexit, Eccleſias reparavit, ac multis in locis abjectis Clericis inſolenter viventibus, Monachos inſtituit, & pluſquam XL Monaſteria conſtruxit, inter quæ, Glaſton, Abendon, Burgum, Thorney, Rameſey, Wilton, Winton locupletavit; ſed apud Winton in novo Monaſterio, quod ad eventu nunc Hida dicitur, Monachos loco Clericorum primus inſtituit. Nam Clerici laborem chori fugientes, & bona Eccleſiæ pro libito alibi conſumentes, vicarios parum ad victum habentes loco ſui conſtituerant. At cum ipſi ad monita Regis Edgari, Epiſcopi Ethelwoldi, ac Archipræſulis Dunſtani, minime corrigerentur, Rex ipſe præbendas Clericorum prædictorum præfatis vicariis contulit. Sed & illi in perſonatum promoti vicarios ſibi facientes facti ſunt pejores prioribus, unde Rex turbatus, annuente Papa Johanne XIII°. expulſis Clericis Monachos ibidem introduxit.

Will.] In diebus ejus nullus privatus latro aut publicus prædo quin pœnas ſolveret. Denique ipſe Rex omnes feras ſanguinis avidas exterminare

cogitabat,

cogitabat, unde & Ludwallo Wallanorum Regi indixit, ut certis annis ccc^{rum}. luporum tributum penſitaret, quod cum III annis reddidiſſet, in IV°. anno nullum lupum invenire potuit.

Will.] Et quamvis iſte Edgarus ſtaturæ fuerit & corpulentiæ perexilis, quemcunque tamen audacem & fortem in congrediendo laceſceret. Denique in quodam convivio, ubi ſe plerumque fatuorum dicacitas liberius oſtentat, fertur Kinadium Regem Scotorum ludibunde dixiſſe, mirum videri, quod tam puſillo homuncioni tot provinciæ forent ſubjectæ, id quoque à quodam mimo auditum Edgaro relatum eſt. At ille, re ſuis celata, de convivio, ubi aderat Kinadius, aliquando ſurgens, Kinadium quaſi magni myſterii conſulendi gratia accerſitum longe in ſilvam deduxit, unum è duobus quos ſecum attulerat gladium tradens, & inquiens, liceat nunc tibi vires tuas experiri, cum ſoli ſimus, appareat modo quis noſtrûm alteri ſubeſſe debeat, turpe namque eſt Regem in convivio dicacem fore, nec in prælio pugnacem, confuſus ille ad pedes Edgari ſe projecit, ſimplicis joci veniam deprecatus.

In omni æſtate poſt feſtum Paſchæ naves coadunari fecit, quas in quatuor partes diſtributas ad quatuor Angliæ partes poſuit, unde cum Occidentali claſſe navigavit ad partem Borealem, cum Boreali claſſe ad partem Auſtralem, cum Auſtrali claſſe ad partem Occidentalem, pius in hoc explorator ne piratæ quid turbarent, hieme vero per provinciam equitando judicia miniſtrorum exquirebat, violati juris ſeverus ultor, ſed in utroque reipublicæ utilis conſultor, veruntamen ipſo Dacorum petitionibus inconſulte favente, vix fuit in Anglia viculus quo non cohabitarent Daci cum Anglis. Negotium hoc bono animo toleratum ſummæ calamitati peperit eventum. Nam Dani à natura potatores fortiſſimi hoc unum prædicabile perpetuum reliquerunt Anglis, ut jam Anglorum probitas toti præjudicet mundo in calicibus epotandis. Quamobrem ipſe Rex Edgarus clavos in crateris infigi fecit, ut per emenſos ſcyphorum terminos biberent ad Menſuram.

Will.] Hic igitur Edgarus ex Egelfleda cognomento candida, genuit primogenitum ſuum Edwardum, poſtea Regem & Martyrem. Deinde ex Alfritha filia Ordgari Ducis Dovoniæ genuit Edmundum, qui ante patrem ſuum obiit, & Egelredum, qui poſt Sanctum Edwardum regnavit: tandem de Sancta Wilfritha genuit Sanctam Editham virginem. Hanc autem Wilfritham non vere ſanctimonialem, ſicut opinio vulgaris delirat, ſed timore Regis Edgari eam illicite concupiſcentis ſe velantem conſtat, Regioque cubili ſic ſubactam. Unde Rex, quod feminam illam attigiſſet, quæ vel umbratice ſanctimonialis putabatur, à beato Dunſtano redargutus, ſeptennem exegit pœnitentiam. Illa quoque partu explicito voluptati renuncians religioſe vixit, ſanctaque celebratur apud Wiltonienſe Monaſterium & aſſeritur. De filia quoque ejus Editha traditur, quod & illa apud Wilton ſanctimonialis effecta cultioribus aliquando veſtibus, quam ſua profeſſio depoſceret, aliquoties ornata, & ob hoc à Sancto Ethelwoldo increpata, reſpondiſſe fertur, nec inepte, nec facete, Infallibile, inquit, Dei Judicium ſola operitur conſcientia, puto ergo quod tam Sancta & incorrupta mens poterit latere ſub iſtis veſtibus deauratis, ſicut ſub tuis diſciſſis pellibus.

Hanc aliquoties Dunſtanus, dum Eccleſiam quandam conſecraret, viderat pollicem dextram frequenter protendere, & ſignum crucis fronti ſuæ imprimere, ex quo delectatus Dunſtanus ait, nunquam putreſcat hic digitus, continuoque inter Miſſarum ſolemnia Dunſtanus in lacrymas prorupit, ſic inquiens, cito hæc florida roſa poſt ſex hebdomadas marceſcet, quod & ita contigit; nam corpore poſtmodum de terra levato repertum eſt totum in pulverem reſolutum, præter digitum præfatum, & alvum cum ſecreto inferiori. Hujus rei cauſam Sancto Dunſtano ſuper hoc meditanti

ditanti ipſa per viſum expoſuit, dicens, ne mireris quod incorrupta ſim in inferioribus corporis mei partibus, cum crapulæ & libidinis ſemper fuerim immunis. Item de iſta Sancta legitur, quod dum Rex Canutus, qui parum dilexerat Sanctos Angliæ, ſemel in quodam feſto Pentecoſtæ apud Wiltoniam convivans, ſolennes cachinnos in Sanctam Editham effuderit, dicens ſe nunquam crediturum, quod filia Edgari libidinoſi & tyranni Sancta foret, contradixit Ednothus Archiepiſcopus tunc ibi præſens, qui ſtatim ſepulcrum ſepultæ virginis aperuit, ubi illa cingulotenus ſe erigens in contumacem Regem impetum facere viſa eſt. Quo metu Rex turbatus humi quaſi exanimis cecidit, ſed tandem reſpirans lætus erubuit, quod pœnitentiæ reſervatus eſt.

Will.] Circa hæc tempora Odo Archiepiſcopus Cantuariæ obiit. Hic quidem natione Danus, ſed tandem feritate depoſita aliquando Edwardo ſeniori militaverat. Nec multo poſt Clericaliter attonſus Wiltoniæ Præſul effectus eſt. Regem Adelſtanum amicum ſibi effecerat, potiſſime per elapſum gladii amiſſi in Regiam vaginam, ita ut Cantuarienſem ſedem ſortiretur, quam ut Sanctius ſubiret, cum omnes Anteceſſores ſui Monachi fuiſſent, ipſe mari tranſito apud Floriacum juxta Aurelianum monachilia induit, rediit, Regi adhæſit; tandem cum Edredo Rege Northimbriam profectus, ſacros cineres Wilfridi Epiſcopi advexit Cantuariam, de qua re inter Cantuaritas & Eboracenſes jugis adhuc concertatio habetur, utrum oſſa majoris Wilfridi apud Ripenſem Eccleſiam tumulati, aut minoris Wilfridi, qui Presbyter & ſucceſſor Johannis in Eborum ſede fuerat, ſunt oſſa antedicta.

Hic etiam Odo Edwinum Regem præcipitis luxus infamem à Chriſtianitate ſuſpendit, ob quod Edwinus in omnes Angliæ Monachos vicem reddidit, dum nemo Regi præter Odonem & Dunſtanum in tota Anglia reſiſtere auderet, quia ut ait ſeneca.

Gallus in proprio ſterquilinio multum valet.

Ita Odo templum ſuum aliquando diſcoopertum, toto quo tectura parabatur tempore, ita precibus operuit, ut nec pluviæ ſtillicidium loci madefaceret ambitum. Cum tamen plurima vis imbrium, & turbinum, illis diebus totum concuteret mundum. Alio quoque tempore, dum Odo Dunſtanum Wigorniæ conſecraret Præſulem, ita conſecrationis egit ordinem, ac ſi Cantuariæ conſecraſſet Archipræſulem; & cum à ſuis ſuper hoc culparetur, ſcio, inquit, filii, quid in me agat Spiritus Sanctus; nec vero præſagio matura defuit fides, quamvis Elſinus Wentanus Præſul interpolate ſedem illam palpaſſet.

Nam, defuncto Odone, Elſinus prædictus, paratis Advocatis quorum manus palpaverat, ſurrepto Regis Edicto Cantiam intruſus eſt: primoque exceptionis die non abſtinuit quin conceptas furias mente conſotas evomeret, tumbam beati Odonis pedibus pulſans, animamque ejus tali voce laceſcens, peſſime ſenex animam effudiſti, ſero ſatis te meliori locum feciſti, itaque quod diu concupivi, te invito jam teneo, unde tibi malas grates ago; ſed illo die exacto, cum hujus rabiei efflator cubili ſe dediſſet, vidit beati Odonis Effigiem improperare convicium, minari exitium. Ille autem, qui volatico phantaſmate ſe putabat derideri, nihilominus ad recipiendum pallium Romam pergens, per Alpes tranſivit, ubi hiemali frigore congelatus, exenteratorum equorum ſpirantibus extis pedes, quibus tumbam Odonis pulſaverat, involutus obiit. Cui ſucceſſit in Cantuarienſi ſede Brihtelinus Wintoniæ Præſul. At, quia ad tantum pondus minus ſufficiens erat, juſſu Regis ad Wintoniam rediit; & Sanctus Dunſtanus ad Cantuariam tranſiit, Romamque profectus pallium à Johanne Papa recepit, inde rediens à Rege obtinuit, ut Sanctus Oſwaldus fratruelis Odonis ſedem teneret Wigornienſem.

Will.]

Will.] Dunſtanus igitur primo Glaſtoniæ Abbas, deinde Wigorniæ & Londoniæ Præſul, tandem Cantuarienſem ſedem indefeſſis comens virtutibus, cor Regis Edgari ad conſona ſalutis urgere, mores Regis ad ſubditorum exemplum & ſpeculum effigiare, & cum exceſſiſſet, corripere ſtuduit. Unde & illum ſeptenni pro illicito ſanctimonialis concubitu pœnitentia multavit, ex quo exemplari vulgus coercuit, milites compoſuit, fures refrænavit. Ordo Monaſticus reviruit, pro eo quod haberet rectores religioſos ſcientia claros, quos nec deſidia tardos, nec audacia præcipites effecerat. Itaque inter hanc Regis & Archiepiſcopi morum concordantiam Clericis optio dabatur, ut aut animum mutarent, aut locis ſuis valefacerent, melioribus habitacula relinquentes. Ut ſic non degenerarent à decore ædium mores inhabitantium; agri tunc proventu uberi reſpondebant cultoribus, omnis copia plenis effulſit cornibus, elementa læta, nubila vix ulla, procul peſtis & hoſtis.

Will.] Defuncto Askecillo Eboracenſis Archiepiſcopo Sanctus Oſwaldus Præſul Wigornienſem ſuſcepit Archiepiſcopatum, ſcilicet cum Wigornienſi illum regens. Qui juxta Cathedralem Eccleſiam Sancti Petri Wigorniæ conſtruxit aliam beatæ Mariæ, ubi cum Monachis ſuis familiarius converſabatur, plebem per hoc in ſui favorem multum alliciens, unde & Clerici de proxima Eccleſia hæc videntes, maluerunt monachari, quam ſic ludibrio relinqui. Sed & Oſwaldus, poſtquam intronizatus eſt in ſede Eboracenſi, advocavit in patriam literatos homines, ne illo bono patriam fraudaret, ſine quo cætera bona mihi videntur pene inania; de quibus literatis viris fuit Abbo Floriacenſis Monachus, qui præter multam ſcientiæ frugem, quam Angliæ advexit, vitam Sancti Edmundi Regis & Martyris, rogante Dunſtano, deſcripſit. Is Abbo poſtmodum domi reverſus, & Abbas conſtitutus, cum apud quandam Cœnobii ſui cellulam, quæ in Vaſconia ad Regulam dicitur, Religionis vigorem vellet exercere, Vaſconica crudelitate id non ferente, eliſo gutture deceſſit. At Oſwaldus v annis ſupervivens, cum ad lotionem pedum pauperum incumberet, dicendo gloria Patri &c. deceſſit. 971.

Will.] Rex igitur Edgarus, XII°. Regni ſui anno, à beatis Dunſtano & Oſwaldo apud Badonem inunctus in Regem, & conſecratus, circumnavigata ſeptentrionali Britannia, ad urbem Legionum, quæ nunc Ceſtria, appulit; cui octo ſubreguli occurrerunt, cum quibus die quadam aſcendit ſcapham, clavum gubernaculi per flumen Dee ibidem decurrentis manu regens, cæteris Regulis ad remos locatis, ſicque ad Eccleſiam beati Johannis navigando pervenit. Qui, dum pari pompa remigando ad palatium ſuum perveniſſet, fertur ſuis dixiſſe, tunc demum quemquam ſucceſſorum ſuorum poſſe gloriari, quando tali pompa tot Regibus ſibi ſubſequentibus potiretur.

Anglici Orbis baſileus flos & decus Edgarus, non minus memorabilis Anglis quam Cyrus Perſis, Romulus Romanis, Alexander Græcis, Karolus Francis, anno vitæ ſuæ XXXVII°. Regni ſui cum fratre ſuo & poſt XXI°. Idus Julii obiit, apud Glaſtoniam ſepelitur. 975.

Will.] Ubi poſtmodum, ſub anno Gratiæ M°. LII°, cum Abbas Ailwardus tumulum ejus irreverenter effodiſſet, inventum eſt corpus ejus incorruptum, & ita corpulentum, ut in novo locello ingredi non poſſet; ſanguiſque recens de corpore ejus viſus eſt ubertim diſtillare, ſicque corpus illud in ſcrinium, quod ipſemet illi Eccleſiæ contulerat, ſuper altare locatum eſt cum capite Sancti Apollinaris, & aliis reliquiis Sancti Vincentii, quæ Rex ille magno pretio empta Domui dederat. Abbas autem ille temerator amens effectus de Eccleſia exiit, & fractis cervicibus expiravit.

Ra.] Tradunt Hiſtoriæ Britannicæ in vita Sancti Eltuti, quod dum Rex Edgarus Regionem Glamorganenſium propter eorum contumaciam

devaſtaret, ablata fuit vola Sancti Eltuti, & in collo cujuſdam equi ſuſpenſa. Qua de cauſa Regi Edgaro, hora meridiana in ſtrato quieſcenti, apparuit quidam pectus ejus lancea percutiens, unde poſt ſomnum juſſit Rex ut rapta reſtituerentur, veruntamen poſt IX dies ipſe Rex obiit, in cujus laudem ſic cecinit quidam.

Henr.] *Auctor opum, Vindex ſcelerum, largitor honorum,*
Septriger Edgarus Regna ſuperna petit.
Hic alter Salomon, legum pater, orbita pacis,
Quod claruit bellis claruit inde magis.
Templa Deo, Templis Monachos, Monachis dedit agros;
Nequitiæ lapſum, juſtitiæque locum.

Will.] Sunt tamen qui ingenti gloriæ Edgari tentant neminem apponere dicentes, ipſum primis temporibus ſuis crudelem fuiſſe in cives, libidinoſum in virgines; ut, verbi gratia, Ethelwoldus quidam Comes fuit ei à ſecretis, cui aliquando injunxerat, ut Elfridam filiam Orgari Comitis Donoviæ, forma ſpectabilem, Regiis nuptiis conciliaret, ſi tamen forma famæ conſonaret, & veritas famæ conquadraret. Ille viam celebrans, ſuis potius uſibus puellam applicuit; rediens tandem, quæ conducibilia ſuis forent partibus allegans, dixit, puſiolam illam vulgaris & cotidianæ eſſe formæ, nec Regiæ Majeſtati convenire. Nunciant interim delatores, quanta Regem Ethelwoldus aſtutia decepiſſet. Ille clavo clavum expellens, fraude ſcilicet fraudem eludens, frontem ſerenam Comiti oſtendit, diemque quo dictam mulierem viſitaret, quaſi joco edixit. Qui tam terribili ludo quaſi examinatus præcurrit ad conjugem, rogans ut ſuæ ſaluti conſuleret, ac quantum poſſet veſte & cultu in conſpectu Regis ſe turparet, ſed quid non audet fœmina? Illa vice verſa ſpeculo ſe comit, nihil penitus omittit, quod Ephebi lumbos acuere poſſit; in viſam fœminam Rex ardeſcens, diſſimulato odio, Comitem in ſilva de Werewell, quæ Harewode dicitur, venandi cauſa accitum jaculo trajecit; ubi cum nothus Comitis filius acceſſiſſet, interrogatus à Rege qualiter talis venatio ſibi complaceret, reſpondiſſe fertur, Bene Domine Rex, quod enim tibi placet mihi diſplicere non debet; quo dicto ita tumentis Regis animum manſueſcit, ut nihil ſibi carius poſtmodum Rex haberet quam filium Comitis interfecti, pro hujus facti expiatione Elfrida illa poſtmodum Monaſterium ſanctimonialium apud Werewell conſtruxit.

Ra.] Immo potius propter homicidium privigni ſui Edwardi, quem ea intentione occidi procuravit, ut filius ſuus Egelredus regnaret.

Will.] Huic exemplo crudelitatis adjungunt aliud libidinis, quod ſcilicet Deo dicatam virginem de Monaſterio abſtraxerit, & inquinaverit; item quod apud Andoveram, non longe ab Wintonia, aliquando pernoctans, filiam cujuſdam Ducis ſpecioſiſſimam juſſerit ſibi ſubduci; mater vero puellæ ſtuprum dedignans, ancillam ſuam, virginem ſane ſatis elegantem & lepidam, Regis appoſuit cubili: irradiante tandem aurora, mulier conata ſurgere, interrogatur cur feſtinaret, ad opus, inquit, ſolitum & cotidianum perſolvendum. Igitur pro mercede nocturni connubii petit ingenuitatem, ut ſic voluptatis Regiæ conſcia, de cætero non perferat imperia crudelium Dominorum. Mox in riſum Rex ſolutus, ancillam illam fecit Dominam Dominorum, ſed quocunque iſta ſe habeant, conſtat ipſum ſalubri pœnitentia talia expiaſſe, ſicut patet.

976. Edwardus Juvenis, ope Dunſtani cæterorumque Præſulum, in Regem erigitur, contra voluntatem quorundam optimatum, & potiſſime novercæ ſuæ Elfrithæ, quæ filium ſuum Egelredum ſeptennem provehere conabatur, ut ſic ipſa potius ſub nomine ejus imperitaret. Regnavit quaſi quatuor annis: ex tunc felicitas Regni imminuata eſt; nam viſa eſt in firmamento

mento ſtella Cometa, quæ ſemper vel peſtem provincialium, vel mutationem Regni portendere ſolet. Nec mora, ſequuta eſt ſterilitas arvi, fames hominum, mors animalium: ſed & Alferus Princeps Merciorum Reginæ Elfrithæ per omnia favens, ejectis Monachis, quos Edgarus inſtituerat, Clericos cum concubinis reinduxit; ſed Dunſtanus & Comes Eſtanglorum viriliter reſtiterunt. Clerici namque nuper expulſi rediviva jurgia ſuſcitarunt, dicentes miſerabile fore dedecus, ut novus advena veteres incolas è ſedibus pellat, hoc non Deo gratum, qui veteri habitatori hoc conceſſit, nec probo homini hoc acceptum, qui ſibi idem timere poſſet, quod alteri fieri vidiſſet. Ea de re celebri Synodo apud Wintoniam primo coacta, imago Crucifixi de pariete loquuta eſt veram Dunſtani viam fore. Sed adhuc non ſedatis animis tortuoſorum, apud Calvæ Vicum Regium conſilium indictum eſt, ubi cum, abſente Rege propter tenellam adhuc ætatem, conſidentibus in cœnaculo Angliæ ſenatoribus, Sanctus Dunſtanus validis conviciorum jaculis impeteretur, ſolarium totum cum axibus & trabibus diſſiliit & cecidit, quibuſdam exinde peremptis, quibuſdam perpetuo læſis, omnibus autem ſaltem contritis, excepto Dunſtano, qui probe evaſit, quod quidem miraculum peperit ſubſequentibus illius querelæ ſilentium.

Dum igitur juvenis Edwardus venatu laſſus in redeundo ſitiret, inter pocula, quæ Noverca ſibi porrexit, ſica percuſſus eſt. Unde & ſonipede ſuo quibus poterat viribus ad effugiendum agitato, uno pede lapſus, alteroque per devia tractus, undante cruore, apud Corniſgate ſigna mortis dedit. Tunc ipſi apud Warham per triennium ignobiliter ſepulto arriſerunt divina miracula. Nam cœleſti luce de ſummis emiſſa, claudus recepit greſſum, mutus, cæcus, & ſurdus organum, omnis denique invalitudo ſoſpitatis ſuſcepit ſtatum. Quo rumore excita interfectrix ipſius properat jumento vecta, quod quidem nec flagris nec clamoribus accedere potuit, mutatum ſæpius jumentum id idem oſtendit, quamobrem quod ipſa non potuit, per alium effecit. Nam Elferus miniſter ejus, qui nuper in Mercia extruſis Monachis Clericos induxerat, corpus Edwardi apud Septoniam, quæ eſt Shafterburia, ſolenniter tumulavit.

Ra.] Succedente tempore pars corporis ejus apud Leof Monaſterium juxta Herford, pars apud Abendon tranſlatum eſt. Locus vero apud Septoniam, ubi pulmo ejus adhuc integra viriditate palpitat, Edwardiſtowe nuncupatur.

Will.] Pro hac autem interfectione prædicta Elfritha conſtruxit duo Monaſteria feminarum, unum apud Ambrisburium, & aliud apud Werewell; ubi ipſe depoſita terrena pompa diu & dire pœnituit, jugi cilicio & jejunio corpus frangens, quod quondam fuerat ſpecioſum, cruces quas potuit jugiter fronti & pectori imprimens, ibique requieſcit, nec tamen omnino vindictam evaſit Elfricus prædictus, quin, poſt annum à tumulatione prædicti Martyris, à pediculis vermibus penitus ſit conſumptus.

Will.] Egelredus filius Edgari, ex ſecundo matrimonio ex Elfritha genitus, poſt ſeniorem fratrem Edwardum in Regem levatus apud Kingeſton Clito elegans XXXVIII annis Regnum potius obſedit quam rexit. Nam 979.
vitæ ſuæ curſus ſævus & infauſtus in principio, miſer in medio, turpis in poſtremo. Nam dum beatus Dunſtanus eum baptizaret, ventris profluvio ſacrum fontem fœdavit, quare turbatus Dunſtanus ait, per Deum & matrem ejus ignavus erit iſte, & adjecit in die coronationis ſuæ hoc Oraculum; quoniam aſpiraſti ad Regnum per mortem fratris tui, in cujus ſanguine conſpiraverunt Angli, cum ignominioſa matre tua, non deficiet ab eis ſanguis & gladius, donec populus ignotæ linguæ ſuperveniens, eos in ultimam redigat ſervitutem, nec expiabitur hoc delictum niſi longa vindicta. Cum autem iſte Egelredus puer decennis audiret Edwardum fratrem ſuum ſic necatum, ejulatu ſuo matrem furentem in tantum commovit,

vit, ut cum ipſa aliud flagellum ad manum non haberet, arreptis cereis candelis ipſum pene ad mortem flagellavit, quamobrem in omni vita ſua lumen ceræ exhorruit. Hic quoque ex Ethelgina filia Egberti Comitis genuit Edmundum, cognomento Ferreum latus, Edwinum, Ethelſtanum, & filiam Edginam. Ex Eunna vero Normannica poſtmodum Alfredum & Edwardum.

980. Nubes media nocte per totam Angliam, nunc ſanguinea, nunc ignea, viſa eſt; deinde per radios & colores diverſos mutata, circa auroram diſparuit.

981. Hoc anno urbs Southamptoniæ & Inſula Thanet juxta Cantiam, Monaſterium Sancti Petroci, in Cornubia, & provincia Legeceſtriæ, per piratas devaſtantur.

983. Civitas London igne proprio concremata eſt.

984. Sanctus Ethelwoldus Wintoniæ Præſul obiit. Qui Wintoniæ natus ſub Dunſtano, Glaſtoniæ educatus, & cucullatus, tempore Edredi Regis factus eſt Abbas Abendoniæ, tempore Edgari factus eſt Wintoniæ Præſul, ubi conſtruxit Monaſterium Monialium, & corpus Sancti Swithini tranſtulit de terra, cui ſucceſſit Sanctus Elphegus Abbas Bathonienſis, qui poſtmodum Cantuariæ Archipræſul effectus occiſus eſt à Danis, de quo in ſubſequentibus dicetur.

986. *Will.*] Rex Egelredus propter quaſdam diſſenſiones inter ipſum & Roffenſem Præſulem, urbem Roffenſem obſedit, mandat ei Dunſtanus, ut furori deſiſtat, nec Sanctum Andream loci patronum irritet. Nuditate verborum contempta, adornat præcepta pecunia, mittit c. libras ut obſidionem ſolvat, quibus acceptis miratus Dunſtanus hominis cupiditatem, per nuncios iſta mandat. Quia prætuliſti aurum Deo, argentum Apoſtolo, cupiditatem tuam mihi, venient cito ſuper te mala, ſed non me vivente. Biennio igitur poſt hoc mortuo Dunſtano venerunt Dani.

987. Hoc anno duæ retro ſæculis incognitæ peſtes Anglorum genti acciderunt, ſcilicet febris hominum, lues animalium, quæ Anglice ſhitta, Latine fluxus interaneorum vocatur.

988. Beatus Dunſtanus obiit; cujus vita, virtutibus & prodigiis plenam deſcripſit Osbernus Cantuarienſis Monachus; inter quæ refert, quod dum, ad rogatum cujuſdam Matronæ religioſæ, Dunſtanus ſacerdotalem ſtolam imaginibus Apoſtolorum & Martyrum inſigniret, audita eſt cithara parieti appenſa modulos illius antiphonæ, Gaudent in cœlis animæ Sanctorum &c. abſque humano pulſu dulciter inſonare. Item narrat quod Dunſtanus varia artis mechanicæ induſtria inſignitus, dum in cella ſua juxta Glaſtoniam, calicem quendam opere aurifico effigiaret, affuit Sathan corporali ſpecie varia ſibi voluptatum fantaſmata immittens, quod Dunſtanus in ſpiritu comperiens, forcipibus ſuis ignitis naſum Dæmonis comprehendit, & tenuit, donec Dæmone ululante factum hoc convicaneis innoteſceret. Item Dunſtanus aliquando ſoporatus, audivit ſpiritus Angelicos ſuaviter pſallere, Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon. Cujus modulos harmoniæ adhuc continet tropus ille apud Angelos famoſus, Kyrie Rex ſplendens.

Igitur, Dunſtano mortuo, ſupervenerunt Dani, quaſi in quobilet Angliæ portu, ita ut neſciretur, ubi illis poſſet occurri. Qua propter quos ferro repellere non poſſent argento repulerunt, primo ſolvendo per annum conſilio Siricii Archiepiſcopi, qui Dunſtano ſucceſſerat, x millia librarum, deinde XVI M. XX M. XXIV M. poſt XXX M. librarum tandem XL M. librarum, donec, pecunia deficiente, iterum ad rapinas intenderent.

Ad hæc Elfricus quidam navibus regiis præfectus, nocte pugnam præcedente, ut vilis transfuga ad hoſtes ſeceſſit, præmuniens eos, de quibus deberent præcavere, qua de cauſa filius ejus Algarus exoſculatus eſt. Item tamen rediit Elfricus, ſed iterum defecit; unde & Dani totam Northimbriam deprædantes, Londonque obſidentes, Regem coegerunt ad tributa.

Interea

Interea Elphegus Wintoniæ Epiſcopus Aulafum Regem Danorum datis obſidibus Regi Egelredo adduxit, quem Rex Egelredus de fonte ſuſcepit, Epiſcopuſque confirmavit; unde ille deinceps nil nocens ad ſua rediit, ſed nec ſic quievit malum, quin etiam ut Hydræ capita hoſtes ſuccreſcentes patriam vaſtaverunt. Et cum in re bellica plurimum valeat ducis præſentia, ſpectata audacia, uſus, & bellandi diſciplina; his inter Anglos tunc deficientibus, ſi quando exercitus colligebatur, ſi naves fabricarentur, nihil proſpere proceſſit; quia gens noſtra non cohibita ad rapinas inceſſit, non animata facile fugit, naves noſtras tempeſtas diſſolvit, reliquas ſervatas Wilnothus quidam, quem Rex exlegaverat, ſubdole occupavit, merſit, aut incendit, & ſi quando Duces ad conſilium venerunt, minime conſenſerunt, quia plus de ſimultatibus domeſticis quam de neceſſitatibus publicis conſultabant. Ad hæc cum quid utile decerneretur ad hoſtes cito deferebatur. Nam præter Elfricum ſupradictum Edricus quidam, quem Rex Merciis præfecerat, verſutus nebulo, diſſimulare peritus, fingere paratus, conſilia Regis ut fidus perquirebat, ut proditor ſeminabat. Interim inedia graſſante, hoſtes libere per L. milliaria prædicta abducentes ad naves portabant, tunc auctum eſt tributum Danis perſolvendum. Fuit autem conditio Regis talis ut Anglos facile exhæredaret, ficto crimine opibus emungeret, in uxorem Emmam adeo protervus ut ipſa raro cubili admiſſa cum pellicibus volutaretur.

Sanctus Oſwaldus Archiepiſcopus Eborum ſimul & Wigorniæ Epiſcopus obiit. Sepultus eſt Wigorniæ. 992.

Hoc anno ſedes Epiſcopalis, quæ quondam Lindisfarum dicebatur, apud Dunelmum conſtituta eſt, & corpus Sancti Cuthberti ibidem tranſlatum, quod dudum Ardulphus circumtulit. 995.

Rex Egelredus vaſtavit Cumberlond, & Inſulam Moniam. Inventio corporis Sancti Ivonis Epiſcopi. 1001.

Will.] Iſte Ivo natione Perſicus, relictis ſæculi deliciis, multiſque terrarum ſpatiis decurſus, in ruſtico habitu, tribus tantum comitibus, apud Inſulam de Rameſey vitam peregit; cujus ſepulcrum & nomen, cum diu neſciretur ab incolis, apparuit ipſe Ivo cuidam viro ſimplici, nomen, locum, & gradum ſuum pandens, monuitque ut ad Abbatem Rameſaye iret, ut ſimul cum eo corpus ſuum de terra levaret: quod dum fieret, fons omni valetudini ſalubris de mauſoleo erupit, ita ut uſque hodie in tota vix Anglia ſit ullus Sanctus beato Ivone exoratu facilior aut efficacior.

Hoc anno Rex Egelredus duxit Emmam, Normannorum gemmam, filiam Richardi primi Ducis Normanniæ, quo proventu elatus miſſis literis ſuis ad urbes Angliæ juſſit omnes Danos una nocte occidi, quod & factum eſt, in nocte Sancti Briccii. Quo etiam anno fundatum eſt Monaſterium Burtoniæ ſuper Trentam, per quendam Optimatem Wulricum Spot, Rege annuente. 1002.

Rex Dacorum Suanus, audita morte Danorum in urbibus Angliæ clam facta, cum magna claſſe Cornubiam appulit, ubi per traditionem Hugonis Comitis Normannici, quem Emma Regina nuper Dovoniæ præfecerat, Suanus cepit Exceſtriam, & muros deſtruxit, cui Weſtſaxones viriliter occurrerunt, ſed quoties exercitus appropinquaverunt, Dux Anglorum Edricus proditor, vomitu ſimulato, ægrotare ſe dixit, quamobrem ſolutis Anglis, Rex Suanus deprædavit Wiltoniam, Shireburniam & ad naves rediit. 1003.

Anno ſequenti Norwicum advectus patriam vaſtavit, Tedford incendit. Quo cognito, Dux Usketel mandavit provincialibus ut naves hoſtium comburerent: ſed illis aut diſſimulantibus, aut id agere non audentibus, ipſe Dux cum quibus potuit acerrimum bellum Danis intulit. Verum quia fames valida eo anno Angliam invaſerat, Rex Suanus Daciam rediit, anno ſequenti reverſurus. 1004.

Hoc

1007. Hoc anno Elphegus Wentanus Præſul, mortuo Wulrico Doroberniæ Metropolitano, factus eſt Archiepiſcopus. Menſe poſt hoc Julio Danica claſſis Sandwicum appulit, Cantiam & Suthſexam deprædavit, Anglorum exercitum multiplici deluſione, nunc rapiendo, nunc redeundo, vexavit. Quos ſemper tres ſequebantur comites, prædatio, occiſio, combuſtio. Nam Rex Egelredus, qui tunc temporis apud Shrobbesburiam morabatur, Danos
1008. feſtine repellere non potuit, donec Barocſhiram devaſtaſſet. Idcirco Rex Egelredus, de conſilio procerum, ſolvit Danis tributum xxx li. pro pace habenda. Quo quidem anno conſtituit Edricum proditorem Ducem Merciorum, virum quidem genere humilem, ſed lingua locupletem, callentem ingenio, ſuavem eloquio, ſed animo verſipellem.

1009. Danicus Comes Trakillus applicuit Cantiam, cui Cantuaritæ tria millia librarum pro pace dederunt. At Dani Inſulam Vectam adeuntes, prædas agebant, contra quos quoties Rex procederet, Edricus Comes bellum diſſuaſit, unde Dani hoc anno multum ditati, mediam fere Angliam à Northamptonia uſque ad Inſulam Vectam vaſtaverunt.

1010. Circa Feſtum Sancti Matthæi Dani Cantuariam obſederunt, quæ urbs, xx°. obſidionis die, traditione Almari Diaconi, quem Sanctus Alphegus nuper à morte liberaverat, traditur & incenditur. Abbas Sancti Auguſtini abire permittitur, grex Chriſti decimatur, novem ſcilicet occiſis, & decimo reſervato, quorum alii ferro, alii præcipitio, alii per verenda ſuſpenſi, aut crinibus detracti, obierunt. Inter quos pontifex Elphegus capitur, VII menſibus vinculatur, variis apud eos pœnis illuditur, quamobrem ira Dei in populum homicidam adeo deſævit, ut dolor viſcerum nunc denos, nunc vicenos, ad magnum numerum abſumeret, quapropter movebantur Dani à fidelibus, ut Præſuli ſatisfacerent, ſed differunt. Nam ſabbato ſecundo paſchæ optionem Præſuli proponunt, ut aut tria millia librarum ſolvat, aut vita careat, ipſe vero totum renuens prohibuit obnixe ſuis fidelibus, ne quis quicquam pro ſua redemptione daret; unde & Dani ex hoc gravius exaſperati, vino æſtuantes, ſabbato ſequenti Præſulem educunt, lapidibus & oſſibus bovinis XIII°. Kal. Maii Sanctum virum interficiunt, ſepultura ei negatur, donec poſtera die lignum aridum ſanguine ejus intinctum virideſceret, cujus corpus die ſequenti London delatum, in Eccleſia Sancti Pauli honorifice eſt ſepultum; poſtmodum tamen concedente Canuto Rege Danico ad propriam Eccleſiam eſt relatum, corpore integro.

Will.] Iſte Elphegus poſt Monachicum habitum apud Dirhurſt ſuſceptum, anachoritice apud Bathon vixit, Monachos poſtmodum ibidem congregavit, qui, ut fieri ſolet in magno collegio, corruptelam contraxerunt, nam quidam ex eis, neſciente patre, convivia de nocte fecere, uſque ad diurnam lucem fere potationibus indulſere. Sed hujus factionis ſignifer, Deo ulciſcente, in medio potantium æde expiravit. Quod pater ex ſonitu comperiens, ad feneſtram acceſſit, duos Dæmones corpus illud contundere vidit. At dum ille miſer ſuffragium quæreret, reſponderunt Dæmones, nec tu obediſti Deo, nec nos tibi obediemus. Tandem ſuaſione Beati Andreæ, Dunſtano apparente, factus eſt Elphegus Præſul Wintoniæ, qui carnibus edendis nunquam niſi æger indulſit, de nocte fallens cuſtodes, demerſus ad Ilia ſtabat in amne, laudes Deo uſque ad diluculum ſolvens. Demum poſt XXII annos in Præſulatu Wintonienſi exactos, ſedem Cantuariæ invitus aſcendit. Romam tamen pro pallio tendens, in quodam viculo rebus ſuis ſpoliatur; ubi dum vindicante viculus ille arderet, convicanei ſcelus ſuum cognoſcentes, veniam rogant, rapta reſtituunt, precibus Elphegi ignem extinctum cernunt.

1014. *Henr.*] Suanus Rex Dacorum circumnavigata Eſtanglia cum claſſe ſua, Humbræ flumen intravit, & per Trentam flumen uſque ad Geynesburgh proceſſit, cui Incolæ, qui ad Boream Watlingſtrete habitant, obſidibus datis fidelitatem

fidelitatem juraverunt. Ille autem claſſem ſuam cum illis obſidibus filio ſuo Canuto commendavit, dum ipſe Auſtrales Mercios vaſtaret, mares occidens, & fœminas ſuæ ſuorumque libidini reſervans. Inde Oxoniam & Wintoniam cepit, ſed verſus Londonium tendens, dum pontem non quæreret, multos de ſuis in flumine Thamiſiæ amiſit. De London tamen per Regis Egelredi præſentiam pulſus, Weſtſaxoniam ſubjugavit. Quod videntes Londonienſes miſerunt illi obſides: inde conſternatus Rex, uxorem ſuam Emmam cum duobus filiis ſuis una cum Londonienſi Epiſcopo, ad Richardum ſecundum Comitem Normannum Emmæ fratrem tranſmiſit. Ipſe interim apud Inſulam Vectam naviter oberrans ſic Natale Domini celebravit; tandem rebus omnino deſperatis Normanniam navigavit. Suanus Rex ex hoc magis elatus, ad cumulum propiæ damnationis ex urbe ſancti Edmundi Martyris grande tributum exegit, quod niſi ſolveretur, urbi incendium, civibus exitium, comminatus eſt. Inſuper & ſancto Edmundo probroſe detraxit, ſed imminente veſpera in medio commilitonum ſuorum apud villam de Geynesburgh pugione ſancti Edmundi confoſſus eſt, ſicque vociferans noctis crepuſculo 3°. Non. Febr. obiit.

Will.] Canutus filius ejus hoc videns, mitius deinceps cum ſancto Edmundo egit. Nam foſſatum terræ ſuæ circumduxit, immunitatem ab omni præſtatione conceſſit, Baſilicam ſuper corpus Martyris conſtruxit, Monachos inſtituit, prædia multa donavit. Ex hinc inolevit, ut Reges Angliæ coronas ſuas ſancto Edmundo mittant, quibus, ſi uti voluerunt, magno pretio redimunt. Exactores vectigalium, qui alias per Angliam debacchantur, ſupplices citra foſſatum Edmundi lites ſiſtunt.

Mortuo igitur Suano, Dani Canutum filium ejus in Regem erigunt, Angli vero ad Regem Egelredum apud Normanniam mittunt, promittentes, quod ſi benigniorem ſe ad illos ſolito exhiberet, excluſo Canuto illum præoptarent. Ille oblatis conſentiens filium ſuum Edwardum pro pace firmanda præmiſit, poſtmodum Rex circa Quadrageſimam feſtine adveniens, Canutum de Lindeſeia profugavit: tunc Canutus fuga ſibi conſulens, apud Sandwicum in Cantia omnes obſides quondam patri ſuo traditos, truncari fecit manus & nares, & navigavit Daciam, anno ſequenti reverſurus.

Hoc anno Canutus circumnavigata Eſtanglia, partes Auſtrales deprædavit, cui viriliter occurens Clito Edmundus Irneſide, dolo Edrici comperto, ſe retraxit, Edricus cum ſuis Canuto ſeſe dedidit. Id item Weſtſaxones fecerunt. 1016

Rex Egelredus IX Kal. Maii Londonii defunctus eſt, in Eccleſia Pauli ſepultus, poſt cujus mortem Epiſcopi, Abbates, & Proceres terræ ejus progeniem abnegantes, recognoverunt apud Southamptoniam Canutum fore Regem eorum. Ipſe vero juravit, quod foret illis fidelis Dominus ſecundum Deum & ſeculum. Londonienſes vero, cum nonnulla parte procerum, Edmundum ferreum latus in Regem levaverunt, qui ſtatim Weſtſaxones partim timore partim ſponte ſubegit. Canutus interim Londonium obſedit, ſed inde repulſus in Dorſetania provincia juxta Gillingham contra Edmundum dimicavit, ſed vincitur. Poſt hoc media æſtate tranſacta Edmundus cum majori exercitu Wictiorum contra Canutum tam acriter pugnavit, ut præ laſſitudine uterque exercitus ab invicem diſcederet. 1017

Mar. & Alfr.] Sed poſtera die Edmundus Danos protriviſſet, niſi perfidus Dux Edricus caput cujuſdam militis Edmundo ſimillimi excercitui oſtendiſſet, dicens, fugite Angli, ecce caput Domini veſtri Edmundi; ſed Edmundus hoc cognito acrius inſtat uſque ad noctem dimicans. Canutus de nocte Londonium tendit, Edmundus à tergo inſequens, urbem liberavit, ſed & 3°. Thamiſi pertranſito, apud Brentford Dani devincuntur. Tunc Dux Edricus fidelitatem Edmundo juravit, & ipſe Edmundns jam 4°. deprædantes Danos apud Otteford in Cantia devicit, & uſque ad Inſulam de Shepeye profugavit. Revertente ergo ad Weſtſaxoniam Edmundo Canutus

 Merciam

Merciam deprædavit. Ob hoc Edmundus apud Aſhedunum occurrit, ubi hinc inde viriliter dimicato, Dux Edricus, cum videret Danos inclinari, fugam doloſe capeſſit, unde & multi Nobiles ex parte Edmundi una cum Epiſcopo Lincolnienſi & Abbate de Rameſeye, qui ad orandum pro milite venerant, corruerunt. Igitur ſecundum conſilium Edrici pax inter Reges, obſidibus mutuo hinc inde datis, in Ripa Sabrinæ apud Dorhurſt reformata eſt in hunc modum; ſurrexerat unus commilitonum in medio exercitus, ſic dicens, Cotidie morimur, ſed nullus vincit. Invincibilis eſt Edmundus propter inſuperabilem fortitudinem, invincibilis eſt Canutus propter fortunæ favorem, ſed hujus diſcriminis quis erit fructus, niſi ut cæſis utrinque militibus, Duces tandem neceſſitate compulſi componant, vel certe ſine milite ſoli pugnent. Quare ergo unum iſtorum non modo faciunt? quod ſi componant, quare non ſufficiet modo Regnum duobus ſolito locupletius, quod olim quinque Regibus ſatis fuit; quod ſi tanta ſit in eis Dominandi libido, ut uterque dedignetur cum reliquo partem habere, aut alteri ſubeſſe, tunc pugnent ſoli, qui ſoli cupiunt dominari, ne ſi omnes pugnent, omnibus interfectis non ſint milites quibus Duces imperent, ne etiam non ſint, qui adverſus extraneos Regnum defendant.

Convenientibus igitur apud inſulam de Olney juxta Gloverniam hinc inde Ducibus cum ſuis exercitibus, acclamatum à cunctis, aut componant, aut ſoli pugnent. Occurrentes igitur ambo Reges in medio Inſulæ, populo hinc inde ſpectante, primo in equis, poſtmodum pedibus pugnam committunt ſingularem. At ubi Canutus Edmundum comperit invincibilem, de Regni participio componit. Inde projectis armis in oſcula mutua ruunt, mirantibus & exultantibus inde cunctis.

His itaque geſtis Edricus proditor cupiens ſe gratum Canuto facere, apud Oxoniam, ubi Edmundus ad requiſita naturæ acceſſerat, Edricus ſub domo purgatoria latenter ſe occultat, Regem Edmundum ad neceſſaria ſedentem inter celanda ferro transfodit. Inde ad Canutum pergens ait, Salve Rex Solus, cui Rex hac re cognita ait, quia me tali obſequio placandum putaſti, & mundi meliorem extinxiſti, ſuſtollam caput tuum ſuper omnes proceres Angliæ; ſcinditur illico caput Edrici, & ſuper eminentiorem portam Londonii ponitur.

Ra.] Veruntamen nonnulli Hiſtorici tradunt, & potiſſime Marianus, quod Edmundus non ſic obierit, ſed poſt fraternitatem inter Reges ut prædictum eſt formatam, poſtque Regnum inter eos diviſum, Edmundus circa feſtum beati Andreæ Londonii obierit, & cum Avo ſuo Edgaro Glaſtoniæ ſepultus ſit, quod quidem veriſimile videtur ex hoc, quod communes Chronicæ tradant Canutum Regem poſt mortem Edmundi, Merciam tradidiſſe Edrico perfido, ac etiam Conſilio Edrici fratrem Edmundi exlegaſſe, ac multa alia feciſſe; quod profecto ſtare non poteſt, ſi Edricum prius excapitaſſet.

1018. Canutus Danicus poſt mortem Edmundi Monarcha effectus XIX. pene annis regnavit. Regnum Angliæ in quatuor diviſit, aſſignans Weſtſaxoniam ſibi ipſi, Eſtangliam Turkillo Comiti, Merciam Edrico perfido, Northumbriam Hiricio. Inde apud Londonium conſilio coacto, quærit à proceribus, an in illo fœdere ſociali inter ipſum & Edmundum firmato, aliqua mentio fuiſſet facta de ſucceſſione fratrum aut filiorum Edmundi, poſt mortem ejuſdem. Sed illi reſponderunt falſiſſime, & adulatorie, quod non, æſtimantes per hoc, ſe magnos apud Regem futuros. Inſuper & jam jurarunt, quod ipſum Canutum in Regem ſuſciperent, & propinquos Edmundi omnino depellerent. Unde & quidam illorum juſto Dei judicio ſunt interfecti, quidam exterminati. Nam conſilio Edrici Rex exlegavit Edwinum fratrem Edmundi, qui Rex ruſticorum appellabatur. Poſtmodum tamen doloſe reconciliatus factione ſuorum interemptus eſt. Sed & Canutus Rex filios Edmundi, Edmundum ſcilicet & Edwardum, tum præ pudore,

tum conſilio Edrici ſerire metuens, ad Regem Suavorum feriendos tranſmiſit. Qui Deum timens, miſit eos ulterius ad Salomonem Regem Hungariorum vitæ reſervandos. At Edmundus filiam Regis illius duxit, ſed cito poſt ſine liberis deceſſit, Edwardus vero duxit Aghatham filiam Henrici Imperatoris, ex qua progenuit Margaretam, quæ fuit poſtmodum Scotorum Regina, etiam Chriſtianam ſanctimonialem atque Edgarum Adeling.

Henr.] Iſtud Vocabulum Adeling componitur Saxonice ex Adel, quod eſt nobilis, & Ling, quod eſt imago, quaſi nobilis imago; unde & Weſtſaxones habent in proverbio ſummi deſpectus, Hinderling, quod ſonat, ab honeſtate dejectum, vel retrocedens imago. Iſtum Edgarum Adeling, ſanctus Rex Edwardus poſtmodum propoſuerat Hæredem Angliæ feciſſe, ſed filios Godwini ac gentis propriæ nequitiam formidans, Willielmum Nothum adoptavit.

Will.] Rex Canutus menſe Julio, ut Regnum Angliæ firmius ſibi aſtringeret, duxit Emmam Reginam in uxorem, ex qua genuit Hardeknutum: poſt hæc in Natale Domini apud Londonium perfidum Edricum beneficia collata ſibi improperantem in palatio ſuo juſſit occidi, corpuſque ejus extra Muros projici in Thamiſiam, proſpiciens ſibi in hoc, ne ejus inſidiis circumveniretur; quoſdam alios proceres profugavit; ſed Comitem Leofricum ſemper carum habuit. Poſt hoc apud Oxoniam Parliamentum coegit, ubi Angli ſcilicet & Dani de Legibus Regis Edgari obſervandis concordes ſunt effecti.

Henr.] Hoc anno Canutus adivit Daciam, ducens ſecum Anglos contra 1019.
Wandalos ſibi infeſtos; unde & nocte bellum præcedente, angli Duce Godwino, inſcio Rege, improviſos hoſtes fugaverunt, & diſperſerunt, qua de cauſa Rex in ſummo honore deinceps habuit Anglos, eoque anno rediit.

Hoc anno defuncto Alduno Lindisfarum Epiſcopo, ſedeque per triennium 1022.
pene vacante, facta eſt Synodus circa præſulis electionem, ubi Presbyter Edmundus ſuperveniens joco dixit, cur me Epiſcopum non eligitis? Cujus jocum cæteri non jocoſe ſumentes, triduano ſuper hoc indicto jejunio, velle beati Cuthberti conſulunt. Unde & celebrante Presbytero Miſſam, vox de Sepulcro ſancti Cuthberti in medio Canone audita eſt, tribus vicibus inſonare, Edmundum debere in Epiſcopum ſumi.

Will.] Circa hæc tempora Brightwoldus Monachus Glaſtonienſis, qui poſtmodum fuit primus Wiltoniæ Epiſcopus, dum contemplando cogitaret de Regia ſtirpe Anglorum pene tunc deleta, ſopor irrepſit; & ecce vidit Petrum Apoſtolum manu ſua tenere Edwardum filium Egelredi in Normannia tunc exulantem, in Regem conſecrare, ac ſanctitatem ejus cum numero XXIII annorum, quibus regnaturus erat, plene oſtendere. Cumque Monachus ille de poſteritate Edwardi & ſucceſſione regiminis inquireret, reſpondit Petrus, Regnum Anglorum Regnum Dei eſt, poſt iſtum providebit Deus.

Henr.] Circa hos dies quidam vir Dei prædixit Anglis inſperatum à Francia Dominum venturum qui eos redimeret, &c. ut ſupra in fine primi Libri.

Will. Hoc anno Egelnothus Archiepiſcopus Cantuariæ Regem Canu- 1024.
tum auctoritate ſanctitudinis in bonis mulcens, in exceſſibus terrens, corpus Elphegi de Londonio ad propriam reduxit Eccleſiam, deinde de Roma rediens apud Papiam urbem Brachium ſancti Auguſtini Doctoris c. talentis argenti, & uno talento auri comparavit, quod amore Leofrici Comitis Coventriam miſit. 1031.

Quo etiam anno Canutus de Dacia Romam ivit, larga Donaria beato Petro dedit, ſcolam Saxonum ibidem, ab omni tributo liberavit. In redeundo verſus Angliam largas Elemoſynas diſperſit; paſſagium Peregrinorum magno pretio multis in locis redemit; clauſuras itinerum aperiri procuravit; pretium, quod primates Regni ſui pro pallio habendo conſueverant dare

Papæ, relaxari procuravit, de quibus omnibus epiſtolam ſuis proceribus Angliæ miſit, monens eos ut ante adventum ſuum omnia prava corrigerent.

1035. Hoc etiam anno Rex Canutus parum ante obitum conſtituit ſuper Norreganos Regem Suanum quendam, qui ipſius Canuti & Elgivæ Hamptunenſis filius putabatur. Aſſeverabant ſiquidem nonnulli ipſam Elgivam, cum prolem de Rege concipere non poſſet, præfatum Suanum de quadam Presbyteriſſa recenter natum ſibi decubanti ſuppoſuiſſe, Regemque Canutum ad id credendum inflexiſſe; ſuper Danos quoque Regem conſtituit, ſuum & Emmæ filium, Hardeknutum.

1036. Canutus Rex obiit apud Septoniam. Sed in veteri Monaſterio Wintoniæ ſepelitur.

Henr. Cujus tria feruntur fuiſſe inſignia, primum quod filiam ſuam Imperatori Conrado maritavit. Secundum, quod Romam ſolemniter viſitavit, & rediit portans ſecum magnam partem Dominicæ Crucis. Tertium, quod in litore maris æſtuantis ſemel poſuit ſedile ſuum, imperans mari, quod terram ſuam non aſcenderet, aut veſtes Domini ſui humectaret. Mare vero de more naturæ ſuæ aſcendit, & Regis crura madefecit: Rex autem reſiliens ait, Sciant mortales vanam eſſe potentiam Regum, nec Regis nomine quempiam dignum, præter illum, cujus legibus omnia ſubſternuntur. Et ab illa hora coronam in capite non geſtavit, ſed ſuper caput Crucifixi Wintoniæ poſuit.

1037. Mortuo Canuto facta eſt apud Oxoniam magna alteratio de Regni ſucceſſione. Nam Leofricus Conſul Ceſtriæ, & cæteri principes ex Boreali parte Thamiſis, una cum Londonienſibus Haraldum Hareſot, ut putabatur, Canuti & Elgivæ Hamptunenſis filium erexerunt, quamvis Godwinus pro Hardeknuto zelaret.

Mar.] Ferebant nonnulli iſtum Haraldum fuiſſe cujuſdam ſutoris filium, ſed doloſe per Elgivam ſuppoſitum.

Haraldus ergo in Regem erectus, opes Regias Emmæ adimens, de Anglia expulit, quam tamen Comes Flandriæ reverenter fovit.

1038. Ethelnotus Dorobernienſis Archipræſul obiit, poſt quem VII die obiit Ethelricus Wintoniæ Epiſcopus, qui jugiter Deum rogaverat, ne ipſe Egelnotum diu ſuperviveret, unde & Edſius Capellanus Haraldi ad ſedem Dorobernienſem, & Stigandus alter Regis Capellanus ad ſedem Wintonienſem ſucceſſit, qui & poſtmodum poſt Edſium ſedem Cantienſem uſurpavit.

1039. Iſte Haraldus poſt quartum Regni ſui annum deceſſit Londonii, Weſtmonaſterii ſepelitur. Quo mortuo miſerunt proceres terræ pro Hardeknuto, tunc cum Matre morante.

1040. Hardeknutus Angliam veniens III annis regnavit, nil tamen gloria dignum egit. Nam mox Alfricum Eboracenſem Archiepiſcopum cum Godwino Londonium miſit, corpus Haraldi Regis nuper ſepulti, in ultionem maternarum ſuarum injuriarum, exhumari fecit, & capite abſciſſo in Thamiſim projici, ſed piſcatores corpus ejus invenientes competenti tradiderunt ſepulturæ.

Item Hardeknutus VIII marcas argenti unicuique remigi ſuæ claſſis de importabili Angliæ tributo fecit ſolvi, totum regimen Regni ſui conſilio Matris & Godwini commiſit.

Hic Rex dum importabile tributum Anglis imponeret, duo hujus negotii Regii Miniſtri apud Wigorniam ſunt occiſi, qua de cauſa urbs illa depopulata eſt & ſuccenſa.

Will.] Hic etiam Rex Gunildam ſororem ſuam ſpecioſiſſimam, ex Canuto & Emma progenitam, à multis proceribus tempore Patris ſuſpiratam, nec obtentam, Imperatori Henrico copulavit, quæ poſt longum tempus adulterii accuſata, alumnum ſuum, quem ex Anglia ſecum adduxerat, contra delatorem Giganteæ molis hominem ad pugnandum oppoſuit, qui Dei virtute

tute ſimulatorem ſucciſo poplite ſtravit. Gunilda inde tripudians, viro perpetuum repudium dedit, nec ullo rogatu viri complexibus aſſentiens, velum ſacrum ſuſcepit.

Henr.] Hoc in tempore Elfredus & Edwardus, filii quondam Regis Egelredi & Emmæ, poſt longam in Normannia moram, ſumptis ſecum Normannicis militibus quamplurimis, ad matris ſuæ colloquium Wintoniam venere. Godwinus præcogitans filiam ſuam Edwardo tanquam ſimpliciori & juniori maritare, Ælfredumque primogenitum tales nuptias parvipendere, intimavit proceribus Anglorum non eſſe tutum, ſi quiſquam obtentu cognationis tantam copiam externæ & ſubdolæ gentis adduceret, & ideo qui advenerant, pœnas ſolvere oportere. Igitur apud Gildeford ſexcentos viros interfecit, Nam de Normannis adductis novem ſemper decapitatis, decimus remanſit. At cum nimium adhuc ſupereſſe videretur, decimam partem adhuc decimari fecit, de quibus primordia viſcerum fecit ad palos erectos figi, & tunc corpora circumduci, donec noviſſima inteſtinorum extraherentur. Alfredus vero apud Hely miſſus, poſt excæcationem ſuam paucis ſupervixit diebus. Hoc audito Emma celeriter filium ſuum Edwardum tranſmiſit Normanniam, Godwinus vero de his à proceribus & à Rege Hardeknuto poſtmodum inculpatus, juravit quod nuſquam talia fecit, niſi vi Regis Haraldi coactus.

Hoc quoque anno Rex Hardeknutus dum in convivio nuptiarum apud Lambheth juxta Londonium lætus & ſoſpes ſtando biberet, repente corruit, & ſic obmuteſcens VI. Idus Junii expiravit, ſepultus apud Wintoniam cum patre ſuo. 1042.

Henr.] Qui tanta liberalitatis fertur extitiſſe, ut quater in die fercula Regalia parari faceret, malens ab invitatis appoſita prandia dimitti, quam apponenda repoſci.

Will.] Mittitur ilico apud Normanniam pro Edwardo in Regem Coronando, datis obſidibus, ita quidem ut paucos Normannos ſecum adducat. Juvabant tunc partem Edwardi Leofricus Comes Ceſtriæ, Godwinus Dux Weſtſaxonum, & Liningus Wigorniæ Epiſcopus; verumtamen Marianus tradit quod Rex Hardeknutus miſerat prius pro Edwardo fratre ſuo & eum in curia ſua ſtare fecerat.

Will. & Mar.] Edwardus igitur Angliam veniens coronatur in Regem apud Weſtmonaſterium ab Edſio Archiepiſcopo Cantuarienſi, & regnavit pene XXIV annis. Hic itaque Rex Goditham filiam Godwini deſponſabat, quam tali arte tractabat, ut nec à thoro ammoveret, nec tamen virili more cognoſceret, quod familiæ illius odio, an caſtitatis zelo fecerit, compertum non habeo. Iſtud tamen celeberrime fertur, quod ſemper vixerit Rex ſine mulieris contagio. Matrem autem propriam nec plene colebat Rex, nec publice confundebat. Tamen de conſilio Godwini quæque precioſa ab illa abſtulit, vel quia nimis dura ſibi fuerat, vel quia aliquid ei conferre minus curabat. De Neuſtria quoque quoſdam, qui ſibi ibidem familiares fuerant, remunerandos advocabat. Inter quos quendam Robertum Gemmeticum Monachum primo Londonienſem Epiſcopum, deinde Cantuarienſem fecerat. Cujus conſiliis Rex ipſe ſimplex in tantum adquievit, ut nacta opportunitate ipſum Godwinum ſocerum ſuum cum filiis exlegaret, matrem propriam ob ſuſpectam cum Wintonienſi familiaritatem bonis omnibus privatam in Monaſterium de Werewell detruderet, & Alwinum Epiſcopum incarceraret. Sed Emma laxius cuſtodita ſcripſit Epiſcopis Angliæ, in quibus confidebat, ſe plus de præſulis dedecore quam de ſua verecundia torqueri, paratam ſe probari Dei judicio, ferrique candentis examine, Epiſcopum fore injuſte diffamatum. Convenientes tandem Epiſcopi Regem ad rogata inflexiſſent, niſi Robertus Cantuarienſis obſtitiſſet. Quomodo inquit, fratres Epiſcopi, feram illam, non feminam audetis defendere, quæ filium ſuum Regem diffamavit, quæ amaſium ſuum lubricum 1043.

bricum Chriſtum Domini nominavit. Sed eſto, quod femina vult purgare pontificem. Sed quis purgabit eam, quæ dicitur conſenſiſſe in necem filii ſui Aluredi, & procuraſſe venenum Edwardo. Sed eſto, quod auctoritatem habeat ſupra ſexus conditionem, ſi tamen pro ſe ipſa quatuor paſſus, & pro Epiſcopo v paſſus continuos ſuper novem ignitos vomeres nudis pedibus & plenis veſtigiis illæſa tranſierit, ab impetitione iſta evadat abſoluta. Præfigitur ilico dies examinis, quo Rex & cæteri proceres, excepto ſolo Roberto, convenerunt: ſed nocte præcedente die examinis, mulier ad ſepulcrum Sancti Swithuni Wintoniæ perorans confortata eſt, unde & die ſequenti, velatis oculis, ignitos vomeres nil læſa pertranſiit, Tunc Rex ingemiſcens, & veniam petens, diſciplinam ab utroque præſule, & etiam à matre ſua recepit, ablataque illis reſtituit. Tunc Regina Emma dedit Sancto Swithino IX. Maneria, & Epiſcopis alia IX. Maneria, propter illos IX. vomeres, quos Emma pertranſiit. Robertus vero Cantuarienſis fugit in Normanniam.

1044. Elſwordus Londonienſis præſul, & quondam Abbas de Eviſham, dum tanto Regimini præ nimia corporis valetudine minus ſufficeret, Eviſhamiæ præſidere voluit. Sed Fratribus loci id recuſantibus, ablatis rebus & libris, quos vel ipſe vel Prædeceſſores ſui Eviſhamiæ contulerant, Monaſterio Rameſeiæ ſe contulit, ibique cito poſt moriens ſepelitur, cui ſucceſſit Robertus.

1045. Rex Edwardus congregavit claſſem pervalidam apud Sandwicum portum, contra Regem Norreganorum Haraldum Harefot, Angliam impugnare diſponentem; ſed bellum per Suanum Regem Dacorum illi illatum totum impedivit. Alio tempore tradunt ipſum Regem Edwardum inter Miſſarum ſolennia contra morem riſiſſe, mirantibus qui aderant & cauſam inquirentibus ait Rex, Convenit inter Danos & Norreganos Angliam invadere, ſed cunctis ad navigandum paratis, obtulit quiſpiam ipſis navigaturis calicem Medonis ad potandum, imprecans illis probroſum nomen, ſi non biberent. At dum calix calici ſucceſſit, ebrietas verſa eſt in loquacitatem, loquacitas in litem, lis in pugnam, ſicque diſperſi ab invicem diſſilierunt. Et ſpero quod in diebus meis Alienigenæ non vexabunt terram meam.

1046. Rex Norreganorum Haraldus prædictus frater Sancti Olavi ex parte matris, fugato Rege Danorum Suano, Daciam ſibi ſubjugavit. Rex autem Suanus ſic expulſus petivit auxilium à Rege Anglorum, aſſentiit Godwinus Comes, ſed cæteri proceres diſſuaſerunt, unde Rege Haraldo obeunte Suanus Daciam recuperavit.

Mar.] Hoc anno Liningo Wigornienſi præſule defuncto, Aldredus, qui poſt Wintonienſis, deinde Abbas apud Taniſtok extiterat, in ſedem Wigornienſem ſucceſſit.

1047. Nix magna recidit in occiduis partibus Angliæ, ita ut ligna Silvarum frangeret, & duravit à Kal. Jan. uſque diem Patricii. Inde ſubſequata eſt mortalitas hominum, lues animalium, & fulgur ſegetes uſtulavit.

1049. Hoc etiam anno Hibernienſes Piratæ Sabrinam ingreſſi cum auxilio Griffini Walenſis Regis, multas circa Vagam flumen prædas agebant. Interea Suanus primogenitus Godwini, qui nuper Eginam Leof-Monaſterii Abbatiſſam corruperat, & duxiſſe propoſuerat, & ob hoc Angliam reliquerat, Angliam rediit, ſi forſan cum Rege pacificari poſſet; ſed in ſuo adventu Beornum Comitem, & Conſobrinum ſuum, qui eum pacificaſſe intenderat, occidit. Inde Flandriam profugit, donec per Aldredum Eboracenſem Wigornienſem Epiſcopum reconciliaretur.

1050. *Mar.*] Edwardus Rex abſolvit Anglos à gravi tributo, quod Pater ſuus Egelredus Danicis Soldariis ſolvi fecerat, & jam per XL annos duraverat.

1051. Hoc anno mortuo Edſio Doroberniæ Archiepiſcopo, Rex Edwardus dedit Archiepiſcopatum familiari ſuo Roberto, quem dudum fecerat Londonienſem Epiſcopum.

Poſt hoc menſe Septembri, Bononienſis Comes Euſtachius, qui ſororem Regis Edwardi Godam duxerat, Dovoriæ applicuit. Cujus milites, dum imprudenter hoſpitia quærerent, unum è civibus peremerunt. Cives autem unum de ejus militibus occiderunt.

Will.] Facto tandem grandi conflictu, cives xx viros de Comitatu Comitis occiderunt, aliis innumeris vulneratis. Ipſe Comes cum altero ſocio vix evadens, Regem apud Gloverniam adiit, quem contra Anglos graviter incitavit. Inde Godwinus Comes Cantiæ ad Curiam citatus, miſſus eſt, ut cum excercitu ſuo Comitis vindicet injuriam. Ille autem videns Alienigenas apud Regem prævalere, ac ſuos cives volens tutari, reſpondit, juſtum fore cuſtodes Caſtelli Dovorienſis conveniri, qui ſi ſe poſſent explacitare, illæſi abirent; ſin alias in rebus ſuis & Corporibus Regi & Comiti ſatisfacerent. Quia ergo Regi videbatur ſuum juſſum parvipenſum, convocantur Regni proceres apud Gloverniam, potiſſime Leofricus Comes Merciorum, & Siwardus Northimbrenſis, ut obſiſterent Godwino, qui de Comitatibus ſuis Cantiæ, Southreiæ, Weſtſaxoniæ, & Suano primogenito ejus, qui de Comitatibus ſuis Barrocenſi, Oxonienſi, & Glovernienſi, & Haraldo qui de Comitatibus ſuis Eſtſaxiæ, Eſtangliæ, Huntindoniæ, copioſum exercitum collegerant apud Beverſtaniam: inculpatus Godwinus, quod tantum exercitum adunaſſet, reſpondit ad compeſcendum Walenſes ſic feciſſe; ſed Wallenſes offenſam in illum retorſerunt. Igitur quantulacunque concordia procurata Conſilium ſuper hac re Londonii eſt aſſignatum. Ita quidem quod Godwinus cum Haraldo & xii tantum hominibus ad Curiam inermes venirent, & quod ſervitia militaria illis per Angliam debita Regi traderent. E contra illi allegarunt non poſſe ſine vadibus & obſidibus ad conventiculum factioſorum hominum pergere, nec ſine periculo & opprobrio cum tam paucis & inermibus procedere. Interea militibus Godwini ob metum Regii exercitus paulatim ſe ſubtrahentibus, proclamatum eſt publice per Regios præcones, ut ante Godwinus in forma præſcripta ſe Curiæ præſentaret, aut Angliæ cederet infra v. dies. Unde Godwinus cum tribus filiis ſuis, Suano, Tofti, Gurth per inſulam Thorneiam navigavit Flandriam ad Comitem Baldewinum, cujus filiam Judith Suanus deſponſaverat; Haraldus vero & Leofwinus per Briſtolliam uſque Hiberniam ſunt advecti; cujus Comitatum Algarus filius Leofrici recipiens rexit nobiliter, reverſo poſtmodum Haraldo, reſtituit hilariter; & poſtmodum Haraldo tranſlato ad Comitatus paternos, repetiit viriliter. Quamobrem Rex Edwardus in pleno Parliamento Godwinum cum filiis exlegavit; Reginam vero ſuam Egitham filiam Godwini cum una pediſſequa apud Monaſterium de Werewell ſine honore detruſit. Exiliati igitur Pater & filii pleno biennio in confinibus Anglorum prædas agebant; adeo ut tandem grandi claſſe congregata ſtatuerent cum Rege naviter dimicare, ſed proceribus intervenientibus pax eſt tandem poſt biennium reformata, & Regina revocata, ita quidem quod Wilnotus filius Godwini, & Hacun filius Suani dati ſunt obſides pacis, quos ſtatim miſit Rex Edwardus Duci Normannorum Willielmo cuſtodiendos.

Durante tamen exlegatione prædicta, Willielmus Comes Normannicus cum magna multitudine Angliam venit, qui liberaliter muneratus Normanniam venit.

Will.] Hoc anno concordati ſunt cum Rege Edwardo Godwinus & omnes filii ſui, excepto Suano primogenito, qui pœnitentia ductus pro Beorni morte conſobrini ſui de Flandria nudipes Ieroſolymam adierat, inde Liciam tendens ex frigore contracto obierat. Ex hinc Normanni Regis conſiliarii, qui iniqua Regi perſuaſerant, exlegantur; potiſſime Robertus Cantuarienſis, qui contra Godwinum & Anglos prius in hac parte Claſſicum ſuum clarius ſonuerat; timens ſibi & præjudicium præveniens Romam ivit, ac cum Apoſtolicis literis rediens apud Monaſterium ſuum 1053.

Gemmeticum

Gemmeticum obiit. Cui ſucceſſit Stigandus, qui quondam dimiſſo Shireburnenſi præſulatu Wintonienſem ſedem invaſerat; vir quidem ex rebus Eccleſiaſticis publicos nundinas exercens, vir utique, ſicut pene cæteri tunc temporis in Anglia Epiſcopi, illiteratus exiſtens, ſed pecuniis & blanditiis multum potens. Quamobrem pallium à Roma nunquam promeruit, quanquam venalitas ibi multum operetur.

Will.] Palam tunc in triviis cantabatur, non eſſe idoneum Epiſcopatui, qui neſciret abuti, pompis ſeculi, exercitiis nemorum, irritamentis gularum, veſtium apparatu, Satellitum ſtrepitu, equitum Comitatu, ſed de lucris animarum, parum cogitare. Cumque eis objiceretur, Epiſcopum debere penſari ex Religione & Literis, non ex ambitione & minutiis; reſpondebant illud metricum. *Nunc aliud tempus, alii pro tempore mores.* Atrocitatem videlicet rei lenientes facilitate reſponſi.

Circa hos dies obiit Sanctus Alſwoldus ultimus Shireburnienſis præſul; qui ex Monacho Wintonienſis præſul factus, inter profuſa convivia, quæ tunc in Anglia à Danorum adventu celebrabantur, pane & aqua utebatur; vir per omnia beatæ Mariæ & beato Cuthberto devotus. Cujus ſedem poſt obitum ejus nullus potuit impune dormitando premere, quin tetris imaginibus territus reſiliret. Igitur dum aliquando ſimultas quædam anxia inter ipſum & Godwinum Comitem eſſet ſuborta, nec die ad pacificandum ſtatuto ſedari poſſent, iratus Epiſcopus dixit recedendo, per Dominam meam Mariam male ſibi erit. Nec ab illa hora quievit Godwinus à viſcerum tortura, donec benedictionem ab Epiſcopo percepiſſet. Tandem vir iſte Epiſcopus ad Dunelinum profectus eſt, ubi, quod magnæ videbatur audaciæ, revulſo ſacroſago ad Sanctum Cuthbertum velut ad amicum loquebatur, ubi munus amoris depoſuit & abiit.

1054. *Mar.*] Hoc anno ſtrenuus Dux Northimbrenſis Siwardus, juſſu Regis Edwardi, equeſtri exercitu & claſſe Scotiam contrivit, Regem fugavit, Malcolinum Regis Cumbrorum filium Regem in ea conſtituens. In eo tamen bello filius Siwardi occiſus eſt, quem cum Pater cognoviſſet ex vulnere in anteriori parte corporis recepto occubuiſſe, quamvis de nece doleret, tamen de animoſitate filii gaudebat.

Eo anno Wulſius Lichfeldienſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Leofwinus Coventriæ Abbas.

Hoc etiam anno in craſtino Paſchæ apud Windeſhoram, dum Comes Godwinus in menſa Regi Edwardi aſſideret, contigit unum de pueris Regiis cum Scypho Regio intraſſe, & uno pede offenſo in alia pede ſe ſuſtentaſſe, nec liquorem fudiſſe, quod videns Godwinus, dixit, ridendo, Nunc adjuvit unus frater alterum fratrem, Rex ad hæc reſpondit, ſic me frater meus Aluredus juviſſet, ſi Godwinus permiſiſſet: perpendens ex his Comes ſe ſuperflua dixiſſe, & Regem de proditione fratris ſui ſignificaſſe, dixit Regi, Domine ut video ſæpe tibi delatum eſt, me in necem fratris tui, & in proditionem tuam inſudaſſe, ſic incolumis tranſglutiar buccellam, quam manu teneo, ſicut in hujuſmodi culpabilis non ſum, & mox ſuffocatus eſt. Haraldus autem ad juſſum Regis eum de ſub Menſa extraxit, & apud Wintoniam ſepelivit. Tradit tamen Marianus quod Godwinus apud Wintoniam Regi in menſa aſſidens, feria ſecunda in craſtino paſchæ, ſubita infirmitate correptus ſit, & feria quinta poſtmodum obiiſſe. Tunc quoque Comitatus Godwini datus eſt Haraldo, & Comitatus Haraldi Algaro.

1055. Hoc anno Rex Edwardus miſit Aldredum Wigornienſem Epiſcopum ad Imperatorem Henricum ſecundum, rogans eum ut miſſis apud Hungariam Epiſtolis, fratruelem ſuum Edwardum, filium Edmundi ferrei lateris, Angliam inde tranſmitteret: decreverat enim Rex eum conſtituiſſe hæredem ſuum in Anglia, ſed tertio poſt hoc anno Angliam veniens, obiit Londonii diu ante Regem.

Iſte Edwardus fuit Pater Margaretæ Reginæ Scotorum, & Edgari Adeling. Sed Margareta peperit Malcolmo Regem David, & Matildam Reginam Angliæ.

Hoc anno Rex Edwardus exlegavit Algarum filium Leofrici ſine culpa; qui mox junctus & aſſociatus Griffino Regi Walliæ, Herefordenſem provinciam devaſtaverunt, Herefordiam capiunt, Monaſterium incendunt, ſeptem Canonicos occidunt; ſed Haraldus Comes fugientes inſequitur, Herefordiam inſtaurans, vallo cinxit, ſed exiliatos cum Rege pacificat.

Hoc etiam anno Siwardus, nobilis Dux Northimbriæ, profluvio obiit apud Eborum, in Monaſterio Galmanho, quod ipſe conſtruxit, ſepultus; priuſquam tamen obiret, fecit ſe armari, & ſedens erectus ait, ſic decet militem defungi, non ut Bos accubans enervari. At quia filius ejus Waltef parvulus erat in cunis jacens, datus eſt Comitatus ejus Toſti fratri Haraldi, qui ibidem præfuit pene x annis.

Hoc etiam anno Hermannus Flandrenſis, Regis Edwardi quondam Capellanus, ſed tunc Wiltoniæ ſive Ramisburiæ Epiſcopus, rerum anguſtia extediatus petiit à Rege, & pene obtinuit, ut ſedem ſuam apud Monaſterium Malmisburiæ poſſet ſtatuere. Sed Regni proceribus id nolentibus, offenſus Hermannus Epiſcopatum dimiſit, mare tranſiit, apud Sanctum Bertinum habitum Monachalem ſuſcepit. Sicque tribus annis vixit, Aldredo Wigornienſi ſuum interim Epiſcopatum miniſtrante. Sed, ut ſæpe fit in talibus, repentino impetu Religionis frigeſcente, Hermannus poſt triennium Angliam rediit, pigebat enim hominem aſſuetum obſequiis, nutritum deliciis, carere delinimentis, quæ ab ineunte ætate fuerat expertus. Inſuper & aures ejus afflaverat ſecundus rumor Godwinum, qui ſibi obſtiterat, objiſſe, necnon & Schireburniæ Epiſcopum interiſſe, cujus Epiſcopatum ſuo uniendum antiquis Reginæ promiſſis diu cogitaverat. Hos itaque Epiſcopatus ſic unitos cum tribus pagis ſuis diu tenuit, uſque ad novum annum Willielmi Conqueſtoris, quando de Schireburnia migravit ad Salesburiam.

Hoc anno ludentibus adinvicem coram Rege convivante Haraldo & Toſtio, Haraldus, amarius quam ludus expetebat, fratrem ſuum per Capillos extraxit, & humi proſtratum, niſi citius erectus fuiſſet, manibus ſuffocaſſet. Quo viſo Rex ſibi aſſidentibus prænunciavit magnam ſimultatem inter fratres illos affuturam, & unum eorum alterum fore extincturum. 1056.

Will.] Habuerat nempe Godwinus Comes primam uxorem Regis Canuti ſororem, de qua genuit filium, quem equus inſolenter agitatus in Thamiſi ſummerſit, mater vero ictu fulminis perjit. Nec mirum, eo quod ipſa pulcras puellas pro ſuis opibus augendis proſtibulo exponeret, poſt cujus obitum Godwinus aliam duxit uxorem, de qua ſuſcepit VI. filios, ſcilicet, Suanum, Haraldum, Toſtium, Wilnothum, Gurth, & Leofricum.

Ra.] De quorum exitu in præcedentibus & ſubſequentibus eſt expreſſum.

Will.] Circa hæc tempora mulier quædam de Berkeleia, malis artibus aſſueta, dum quadam die convivaret, cornicula quam delicate educaverat, vocalius ſolito cornicabat, quo audito cultellus de manu matronæ cecidit, vultus expalluit, productoque gemitu cum ſuſpirio, inquit, ad ultimum ſulcum meum jam devenit aratrum. Quo dicto nuncius intrans intimavit matronæ filii ſui obitum, & totius familiæ ſuæ per ruinam interitum; femina ſtatim decubuit, & ſuperſtites, quos habuit, liberos Monachum & Monacham advocavit, quos adventantes ſic alloquitur. Ergo malæ artis & vitæ nequam ſectatrix, vane credidi veſtris orationibus tu-

tari; Modo tamen rogo ut mea allevietis tormenta, quia de anima prolata eſt ſententia. Corpus meum forſan ſervabitis, ſi fuerit inſutum in corio cervino; quod in ſacrofago lapideo ſupinate, operculum plumbo & ferro glutinatum tribus catenis ferreis conſtringite, Pſalmicines XL noctibus adhibete, totidem miſſas per dies ſolvite. Quod ſi tribus noctibus ſic jacuero, quarto die infodite corpus humo. Sed fruſtra. Nam duabus primis noctibus, Pſalmis ſonantibus, Dæmones oſtiis fractis duas extremas catenas diruperunt levi negotio; tertia nocte, tremente loco, circa Gallicinium, unus vultu terribilior, ſtatura eminentior, diruptis valvis, imperavit cadaveri ut ſurgeret, qua reſpondente, quod nequiret præ vinculis, ſolveris, inquit, ſed malo tuo, & ſtatim ruptis cunctis obicibus apprehenſam illam extraxit ab Eccleſia, equo nigro ante fores hinnienti impoſuit, ſicque abſceſſit, cum clamoribus altiſonis per quatuor milliaria auditis. Iſta, quamvis mira, incredibilia tamen non judicabit, qui 4tum. librum Dialogi Gregorii legerit, ubi nequam hominem in Eccleſia ſepultum Dæmones ejecerunt, & etiam de Karolo Martello. Idem ſupra.

1057. Dunelmenſis Epiſcopus Agelricus Epiſcopatu ſponte relicto, ad Monaſterium de Burgo, ubi educatus fuerat, ſeceſſit; ubi duodecim annis quiete vixit; cui ſucceſſit Egelwinus frater ſuus.

Hoc etiam anno laudabilis Comes Leofricus, filius Leofwini Ducis Merciorum, in Villa ſua de Bromleigh 11°. Kalend. Decemb. obiit, & apud Coventriam in Monaſterio, quod ipſe conſtruxit, ſepultus eſt. Qui aliquando conſilio Dei, & beatæ Mariæ cultricis Godgivæ uxoris ſuæ, ditavit & reparavit Monaſteria, Leonenſe juxta Herfordiam, Wenlocenſe, Wigornenſe, Eviſhamenſe, & duas Eccleſias in Legeceſtria, id eſt, Sancti Johannis, & Sanctæ Wereburgiæ, cujus, dum vixit, circumſpectio terræ Anglorum multum profuit; Ad jugem quoque inſtantiam uxoris ſuæ, urbem ſuam Coventriam ab omni Tolneto, præter quam de equis, liberam fecit, ad quod impetrandum uxor ejus Godgiva quodam mane per medium urbis nuda, ſed comis tecta equitavit; poſt Leofrici mortem filius ejus Algarus Comitatum Merciorum ſuſcepit, ſed eodem anno de proditione contra Regem convictus, exlegatus eſt, ſed à Rege Walenſium Griffino, ut nuper, ſuſceptus eſt, & reconciliatus.

1058. Aldredus Wigorniæ Epiſcopus de Regis licentia Sanctum Wulſtanum ordinavit Priorem Wigorniæ, & præſulatum Wintoniæ tradidit Hermanno reverſo, & cito poſt hoc mari tranſito, per Hungariam profectus eſt Hieroſolymam, quod nullus Epiſcoporum Anglorum uſque tunc legitur actitaſſe.

1060. *Will.*] Mortuo Kinſio Eborum Archiepiſcopo ſucceſſit Aldredus Wigorniæ Epiſcopus. Qui cum Toſtio Comite Northumbriæ pro Pallio habendo Romam ivit. Qui repertus in ſua reſponſione culpabilis, omni honore privatus eſt; ſed domum tendens, ab omnibus rebus ſuis ſpoliatus eſt; quapropter ipſo Romam regreſſo, Toſtius Comes ſuis allegationibus ita Papam inflexit, ut Archiepiſcopatum Aldredo conferret; aſſerebat nempe Toſtius parum metuendam longinquis nationibus Papæ excommunicationem, quam propinqui ſic deriderent Latrunculi. Aut ergo ſua illi fore reſtituenda, aut per Papæ fraudulentiam conſtarent amiſſa, futurumque fore, ut Rex Angliæ hoc audiens Sancti Petri tributum ſubtraheret; impium eſſe aſſerens, ſi Aldredus inglorius ſimiliter & ſpoliatus repatriaret. Igitur Aldredus Pallio inſignitus Angliam rediens Wulſtanum Priorem fecit Wigorniæ præſulem. Non enim à Stigando Cantuarienſi quiſquam Pontificale munus libenter ſuſciperet, ſed nec ipſe Dux Willielmus veniens benedictionem ab illo recepit.

1063. Haraldus Dux Weſtſaxonum juſſu Regis Edwardi, poſt Natale Domini

cum

cum modico equitatu Walliam adiit, palatium Griffini Regis apud Ruthelan, & naves ejus combuſſit, ſed Griffinus fugiendo evaſit. Poſtmodum circa Rogationes cum claſſica manu de Briſtollia profectus terram Wallanorum pene circumnavigavit, cui frater ſuus Toſtius Comes Northumbriæ cum equeſtri exercitu occurrens, ita deprædati ſunt fines Wallanorum, ut datis obſidibus, tributoque ſoluto, Wallenſes Regem ſuum Griffinum exlegarent, & abjicerent; ac tandem circa Nonas Auguſti ipſum Griffinum occiderent, & caput ejus Haraldo miſerunt: poſt hoc Rex Edwardus terram Walliæ duobus fratribus Griffini conceſſit, fidelitate ſibi jurata.

Henr.] Hoc anno Haraldus tendens Normanniam ut fratrem ſuum Wilnotum, & filium fratris ſui Hacun apud Ducem Willielmum obſidatos inviſeret, tempeſtate actus eſt in Ponticam Provinciam, quem captum Conſul Ponticus tranſmiſit Willielmo Duci Normanniæ, ubi Haraldus, ut fertur, antequam evadere potuit, juravit Willielmo, quod filiam ſuam duceret, quod mortuo Rege Edwardo Angliam ad opus ejus ſervaret, & ſic recepto ſecum nepote ſuo Angliam rediit. 1064.

Ra.] Sed frater ſuus Wilnotus in cuſtodia Willielmi etiam poſtmodum, cum regnaret, ſemper manſit.

Henr.] Hoc etiam anno Toſtius in curia Regis Edwardi apud Windeſhoram amaricatus, indignanter receſſit uſque Herefordiam: ubi Haraldus convivium regale Regi paraverat, Miniſtros fratris detruncans, membra illorum in poculis conditis poſuit, mandans Regi, quod ſi ad firmam ſuam venire vellet, cibos ſufficienter ſalſatos inveniret; quo audito Northimbrenſes Toſtium Ducem ſuum abjecerunt, Miniſtros ejus occiderunt, Erarium ejus fregerunt, & uſque in Flandriam fugere compulerunt.

Will.] Sed Rex hæc audiens miſit Haraldum, ut fratris vindicaret injuriam. Illius autem allegantibus ſe libere fore natos, libere educatos, ferociam ducum pati non poſſe, quin etiam à Majoribus ſuis didiciſſe libertatem zelare, vel mortem ſubire, denique ſub leni Duce leniter obtemperare. Haraldus judicans conſultius fore, Patriæ in hujuſmodi favere, quam privatum commodum fratris ſui attendere, revocato exercitu, Regem adiit, procuravitque Malcherum illis Comitem dari. His omnibus Toſtius infenſus cum uxore & Liberis Flandriam adiit uſque ad mortem Regis.

Rex Edwardus ſedens in menſa apud Weſtmonaſterium die Paſchæ, aliis avide comedentibus, ipſe animo ſuſpenſus inter Dapes riſit; interrogatus poſt menſam in triclinio cur riſerit, reſpondit quod VII Dormientes in monte Selio juxta Epheſum in Aſia Minore, qui jam per DCC. annos in latere dextro quieverant, hora riſus mei in latus ſiniſtrum ſe verterunt, & futurum eſt, ut ſic in ſiniſtro latere jaceant per LXXIV annos. Quo in tempore veniet illud durum mortalibus, quod Dominus in Evangelio comminatus eſt, Surget gens contra gentem, &c. quia Saraceni inſurgent in Chriſtianos & è contra: & iſtis adjecit Rex habitudines corporum in VII Dormientibus, quod nulla alia pandit litera: miſerunt ilico Miniſtri Regis nuncios apud Nicetam Conſtantinopolitanum Imperatorem, and explorandam hujus dicti veritatem, quos ille pie admittens ulterius tranſmiſit ad Epiſcopum Epheſium, ut nunciis Anglorum eximie VII dormientes oſtenderentur, quæ & ita inventa ſunt, ſicut Rex prævidit. Et cito poſt inſurrexerunt Saraceni & Turchi, Syriam, Minorem Aſiam, & Jeruſalem occupantes, & mortuus eſt cito poſt Imperator Henricus tertius, & Rex Francorum Henricus potionatus obiit, & ſtella Cometes 8°. Kalend. Maii quaſi per totum Mundum VII continuis diebus apparuit, quam ſic ſalutavit Monachus quidam Malmisburienſis, Oliverus nomine. 1065.

Veniſti jam veniſti, multis matribus lugende, diu eſt quod te vidi, ſed modo terribiliorem te intueor patriæ excidium vibrantem. Iſte Oliverus tunc erat literis imbutus, ævo maturus, ſed immanem audaciam prima juventute conatus. Nam pennas manibus & pedibus neſcio qua nexuerat arte, ut Dædalino more volaret, fabulam pro vero amplexatus, collectaque è ſummo turris aura, ſpacio ſtadii & plus volavit: ſed venti & turbinis mole violentiaque, ac forte temerarii facti conſcientia tremulus decidit, cruribus ſuis perpetuo debilitatus. Hoc etiam anno dedicato die Innocentium Weſtmonaſterii Rex Edwardus ægrotare cœpit, ſub qua noviſſima ægritudine vidit viſionem, quam ſibi aſtantibus expreſſit. venerunt ad me duo viri Religioſi, quos aliquando in Normannia novi, dicentes ſe à Deo miſſos ut hoc mihi nuntiarent; quoniam primores Angliæ, Duces, Epiſcopi, Abbates, non ſunt Miniſtri Dei, ſed Diaboli, tradidit Deus hoc Regnum poſt obitum tuum uno anno & die uno in manu inimici, & pugnabunt Dæmones per terram iſtam, cumque rogarem, quod ad denunciationem meam poſſent pœnitere & liberari, exemplo Ninivitarum, Non, inquiunt, nam neutrum erit, quia nec iſti pœnitebunt, nec Deus miſerebitur. Et dixi, quando ergo poterit ſperari remiſſio? quando, inquiunt, arbore viridi præciſa, pars deciſa trium jugerum ſpacio à ſtipite diviſa, ſine adminiculo ſuo trunco connexa, floribus pubeſcere & fructus producere cœpit. Aſtitit tunc Stigandus Archiepiſcopus, dicens vetulum ſenili more nugas delirare, poſtmodum tamen ſenſit Anglia hujus vaticinii veritatem, quando per externos totaliter eſt ſuppreſſa, & corroſa. Inde Rex Edwardus in Vigilia Epiphaniæ, poſtquam regnaverat XXIII annos & VII menſes, apud Weſtmonaſterium defunctus eſt & ſepultus.

Ra.] Cujus vitam Aluredus Rivallenſis luculenter deſcripſit, quam Laurentio Abbati Weſtmonaſterienſi direxit, & ille ulterius vitam illam ſic deſcriptam Henrico 2°. deſtinavit.

Will.] Mox Haraldus Regnum occupavit, quod per IX menſes circiter tenuit. Quidam enim Edgarum Adeling filium Edwardi, filii Edmundi ferrei lateris, Regem conſtituere moliebantur; verum quia puer erat tanto oneri minus idoneus, Haraldus Comes, cui erat mens aſtutior, crumena fœcundior, & miles copioſior, ſiniſtro omine Regnum occupavit.

Ra.] Tradit tamen Marianus, quod Rex Edwardus ante obitum ſuum deſignaverit Haraldum Regem futurum, quem proceres mox in Regem erexerunt.

Mar.] Hic Haraldus ab Aldredo Eborum conſecratus, ſtatim Leges iniquas deſtruere, æquas condere, Eccleſias defendere, Religioſos colere, tranſgreſſores punire, patriam tueri cœpit. Sed & ejus Principatu audito, Toſtius frater ejus cum LX navibus de Flandria rediens Vectam Inſulam ſtipendiis & tributis multavit, circa ripas Cantiæ prædas egit. Sed dum fratris ſui Haraldi apparatum timeret, Lindeſeiam per mare adiit, ubi villas incendit, gentem trucidavit, donec per Duces Merciorum & Northimbrorum Edwinum & Morkarum extruſus, Malcolinum Regem Scotorum adiret, cum quo per totam æſtatem morabatur. Interea Rex Norreganorum Haraldus cum CCC[tis]. navibus in oſtio Tynæ fluminis applicuit, ad quem Toſtius ſicut prius condixerat, ſua cum claſſe advenit. Quod ubi Haraldo Regi innotuit, expeditionem illuc movit, ſed priuſquam ille adveniſſet duo germani Comites prædicti Edwinus & Morkarus, quamvis valide decertaſſent, in fine tamen ſunt contriti, datis utrinque obſidibus C quinquaginta.

Quinto poſt hoc die Rex Haraldus apud Steinesforthburgg ſuperveniens, Regem Norreganorum & fratrem ſuum Toſtium, quamvis acerrime

me eſſet repugnatum, interfecit in ore gladii; Olavum tamen filium Regis Norreganorum, & Paulum Ducem Orcadum acceptis obſidibus & juramentis ad propria redire permiſit. Ibi tamen unus Norreganus perpetuâ fama dignus ſolus ſtans in ponte de Steinesforthburgg, pluſquam XL viris Anglis ſua ſecuri interfectis, uſque ad horam diei nonam totum exercitum Anglorum retardavit, donec unus Anglus naviculam ingreſſus ipſum Noricum per foramina pontis lancea perfodiſſet. Ex hoc eventu Haraldus multum elatus prædam ibidem conſequutam cum Commilitonibus dividere dedignabatur, qua de cauſa multi de proceribus & plebeis offenſi ipſum ad bellum Haſtingenſe contra Wilhelmum properantem deſeruere.

Igitur Haraldus in Regno faſtigiatus nil de pactis inter ſe & Willielmum confectis cogitabat, liberum tamen ſe putans à Sacramento, eo quod filia Willielmi, quam deſponſaverat infra nubiles annos, jam obierat, & etiam quia Dux Willielmus conterminis bellis implicatus fuerat. Willielmus tamen de rupto federe eum commonens, minas precibus intermiſcebat; Haraldus è contra dixit præſumptuoſum pactum non eſſe ſervandum, potiſſime de alieno Regno promiſſum, abſque generali ſenatus Decreto, pium ſtultum juramentum frangendum fore, maxime tempore neceſſitatis coactum. Interea Wilhelmus neceſſaria interim parat, aſſenſum procerum ſuorum captat, favorem Alexandri Papæ una cum vexillo ſibi directo impetrat. 1066.

Ra.] Cauſæ autem motivæ quare Dux Willielmus Angliam impetiit contra Haraldum hæ fuerunt. 1ª. Mors Aluredi cognati ſui filii Emmæ per Godwinum procurata. 2ª. proſcriptio Roberti Cantuarienſis Archiepiſcopi, 3ª. de promiſſione ſucceſſionis in Regno per Edwardum Regem ſi ſine liberis decederet ſibi facta; & tandem juramentum Haraldi ad id idem implendum.

Hens.] Conſultantibus itaque Normanniæ proceribus adinvicem ſuper hujus Expeditionis negotio, Willielmus filius Osberti Ducis Dapifer, Regis iter diſſuaſit, tum propter paucitatem aggredientium, tum propter ferocitatem hoſtium. Exhilarati ex hoc cæteri proceres poſuerunt verba ſua in ore illius Willielmi. Ille vero cum coram Duce veniſſet dixit, ſe cum cæteris paratum fore ad expeditionem; nec poterant cæteri ſe ſubtrahere.

Will.] Cumque in portu Sancti Valerici Dux Willielmus cum ſuis, adverſante vento, diutine tardaretur; & ob hoc Vulgus ſubmurmuraret, aſſerens inſanum fore alienum ſolum velle uſurpare, præſertim Deo contra certante, qui ventum accommodum arceret, Dux Williemus fecit Sacrum corpus Valerici foras efferri, & pro vento habendo ſub divo poni; & ſtatim proſper flatus carbaſa implevit. Igitur Dux Willielmus poſt feſtum Michaelis Angliam tendens, apud Haſtingum, in loco qui Peveneſeye dicitur, applicuit; In exeundo autem de navi uno pede labitur & ſabulo infigitur, acclamat ſibi ſtatim miles proximus, Domine Comes, jam tenes Angliam, in proximo Rex futurus. Tunc omnem militem à præda coercuit, parcendum aſſerens rebus quæ ſuæ forent, ſicque manſit XV diebus. Hoc audito nuncio Haraldus de Norrico bello rediens, multum feſtinavit, pauco ſtipatus milite, quia multos fortes in priori bello amiſerat, nec tamen auxilia convocaverat, ſi convocaſſet, illi, pro manubiis in Norrico bello minime diſtributis, infenſi ſe ſubtraxiſſent; præmiſit tamen Haraldus exploratores, qui numerum & vires hoſtium ſpecularentur, quos tamen Dux Willielmus deprehenſos circum tentoria ſua duxit, laute pavit, mittenti remiſit, qui renunciaverunt Haraldo pene cunctos in exercitu Ducis exiſtentes Presbyteros fore, eo quod totam faciem cum utroque labio raſam haberent: Angli vero tunc temporis ſuperius labium

 fru-

fruticantibus pilis intonſum habebant. E contra Haraldus dixit, illos non eſſe Presbyteros, ſed validos milites; cur ergo, inquit Gurth frater Haraldi minimus, tu improvidus vis cum tam multis & validis congredi? Nos Sacramentum illi non fecimus; melius eſt ergo ut tu, qui juramento erga eum ligaris, ad tempus te ſubtrahas, & nos Sacramento ſoluti pro patria pugnemus; quod ſi vicerimus, bene quidem, ſi victi, ſalva tibi erit cauſa tua, & nos vindicare poteris. Ad hæc miſit Dux Willielmus tria proponens, ut vel Regno cederet, vel ſub eo regnaturus Regnum teneret, vel ſpectante utroque exercitu rem inter ſe gladio ventilarent, præſertim cum Rex Edwardus nuper defunctus de conſilio Stigandi Archiepiſcopi, Godwini, & Siwardi Comitum, Angliam ſibi, ſi ſine hærede diſcederet, conceſſiſſet; in cujus rei ſignum filius Godwini & nepos ſibi fuerant tranſmiſſi: Sed Haraldus ſpreta Legatione Monachi illius reſpondit, negotium fore gladiis actitandum: hoc ſolum imprecans, ut Deus inter eos judicaret. Convenientibus ergo ad locum certaminis hinc inde exercitibus, die Sancti Kalixti, pridie Idus Octobr. Sabbato, in loco, ubi poſtmodum conſtructa eſt Abbatia de Bello, Angli, ut accepimus, totam noctem bellum præcedentem cantibus & potibus duxerunt inſomnem. Mane pedites inprimis cum bipennibus conſertam ſcutorum teſtudinem fecerunt, quod profecto valuiſſet, niſi Normanni fugam ſimulaſſent. Rex ipſe Haraldus pedes juxta vexillum ſuum cum fratribus ſuis duobus ſtabat, quod poſtmodum Domino Papa tranſmiſſum fuerat. E contra Normanni tota nocte Confeſſioni Peccatorum, mane Communioni Divinæ vacabant, pedites cum arcubus in prima fronte, milites retro diviſis alis conſiſtebant. Comes Willielmus bellum exhortans, ſub ipſo tumultu Loricam inverſam indutus caſum riſu correxit, vertetur, inquit, robur Comitatus in Regnum.

Henr.] Sed antequam acies coirent, quidam ex parte Normannorum nomine Tailefer enſem jactando ludens coram exercitibus unum vexilliferum Anglorum ſibi occurentem occidit, ſecundo id idem de quodam alio fecit, ſed tertium quoque interficiens & ipſe interfectus eſt. Et ſtatim acies invicem offenderunt, cum cantilena Rolandi ex parte Normannorum inchoata: protenſumque eſt bellum ab hora diei tertia uſque ad veſperam, neutra parte cedente, ſed ſagittarii Ducis multum prævaluerunt. Tunc Dux innuit ſuis, ut fugam ſimularent; quo commento Anglorum cuneus ſolutus eſt, quaſi ad invadendum hoſtes palantes. Sed Normanni redintegratis ordinibus reverſi diſperſos Anglos ventilarunt; tandem Haraldus ictu Sagittæ, violato cerebro, ſive oculo procubuit, jacentis femur unus militum gladio infodit, ob quod à militia per Willielmum pulſus eſt, eo quod rem ignavam feciſſet. Willielmus ea die tres equos electiſſimos ſub ſe confoſſos amiſit, perſtitit tamen ita ut nil ſanguinis de corpore ſuo exiret.

Peracta victoria Willielmus ſuos occiſos ſepelit, hoſtibus, ſi qui vellent, id idem concedit. Corpus Haraldi matri ejus id depoſcenti ſine pretio miſit, qnod ipſa apud Waltham Monaſterium Canonicorum, quod ipſe fundaverat, ſepelivit.

Ra.] Vult tamen Giraldus Cambrenſis in ſuo itinerario, quod Haraldus multis confoſſus vulneribus, oculoque Siniſtro ſagitta perdito, ad partes Ceſtriæ victus evaſit, ubi Sancta converſatione vitam, ut creditur, Anachoriticam in cella Sancti Jacobi, juxta Eccleſiam Sancti Johannis, feliciter conſummavit, quod ex ejus ultima confeſſione palam fuit.

Huic etiam opinioni atteſtatur fama publica in vrbe illa. Et etiam Aluredus Rivallenſis in vita Regis Edwardi, capitulo XXVI in fine, ubi dicit quod Haraldus aut miſere occubuit, aut pœnitentiæ reſervatus evaſit.

Alfr.] igitur Haraldi morte nunciata, Comites Merciorum, & Northimbrorum

brorum Edwinus & Morkarus, qui propter loci arctitudinem, ſeu potius propter manubias in bello Norrico minas diſtributas, Haraldo ſe ſubtraxerant, Londonium venerunt, ſororem ſuam Algitham Haraldi uxorem ad urbem Legionum, id eſt, Ceſtriam tranſmiſerunt, ac una cum Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo & Londonienſibus Edgarum Ædeling in Regem erigere, & pro eo pugnare promiſerunt. Sed Willielmi timore invaleſcente, à promiſſis reſilierunt, unde & hi omnes cum cæteris nobilibus ad Willielmum venientes, datis obſidibus cum fidelitate jurata, manus ei dederunt.

Explicit RANULPHI HIGDENI *Liber VI.* POLYCHRONICI.

In 5. Parl. Ro. pa. 152, in 27. Hen. 6. is a parliament petition referring to a paſsage of Hen. 2d's reign in the Cronicle of Polycronicon the 7th boke the 22. Chapitte.

WILLIELMUS MALMESBURIENSIS

DE ANTIQUITATE

GLASTONIENSIS

ECCLESIÆ.

Ex Cod. Manuſcripto Trin. Col. Cantabrigiæ.

Prologus W. Malmesbur. *de Antiquitate* Glaſtonienſis *Eccleſiæ*.

DOMINO in Chriſti viſceribus multum ampleꝺendo & honorando Henrico Linconienſi Epiſcopo, Willelmus veſtræ dignitatis filius, quicquid optari poteſt beatius. Si quicquam eſt quod in hac vita hominem teneat, & inter adverſa & turbines mundi æquo animo manere perſuadeat; id eſſe in primis reor meditationem ſanctarum Scripturarum. Et quidem ſcripta gentilium hactenus utilitatem ſui prætendunt, ut verborum ſplendore legentis & palpent ingenium, & liment eloquium. At vero librorum Cœlitus inſpiratorum longe fructus præponderat; quia & hîc jocunde dulcedinis paſtum animo infundant, & alias æternæ beatitudinis emolumentum adquirunt. Multa porro, & ut mea fert opinio, innumera ſunt in ſcripturis ſanctis, quibus Divina dignatio mentes mortalium ad bonæ vitæ cultum informat, tum præcepta tum exempla. Illis qualiter vivendum ſit, inſtruimur, iſtis innuitur quam ſint, Deo juvante, factu facilia quæ jubentur. Natura ſane hunc quibuſdam ingeneravit animum, ut quamvis utraque ſciant neceſſaria, magis tamen exemplorum quam adhortationum eos prolectet auditus. Et alienigenarum quidem geſtis præ ſanctitatis aſſurgunt reverentia, ſed alacriori capiuntur dulcedine, ſi alicujus ſancti, qui compatriota fuerit, vita perducatur in medium, in qua ſicut è ſpeculo conſpicuum, ut ita dicam, ſit vivum religionis ſimulacrum, Accedit enim jocundæ relationi propinquitas, ne aliquis deſperet à ſe per Dei gratiam fieri poſſe, quod audit ab alio de proximo factum fuiſſe. Unde ſicut æſtimo non contemnendæ ſtilum dedi operæ, qui Beati Dunſtani, prius Glaſtonienſis Abbatis, demum Archiepiſcopi Cantuarienſis, vitam labore meo æternæ mandavi memoriæ, duoſque libros de hoc, volentibus Glaſtoniæ fratribus filiis veſtris, Dominis & ſociis meis, dudum integra rerum veritate abſolvi. Verumtamen ne quid ſedulitatis meæ deſit officio, ejuſdem Eccleſiæ veſtræ rudimentum & proceſſum in hujus libri auſpicio repetens ab origine pandam. Nec hîc multum à propoſito alienum putari debet, cum honor Eccleſiæ in Dunſtanum, & laus Dunſtani ad Eccleſiam redundet. Nam & illa Dunſtanum materno gremio in virum confovit, & ipſe matri plurimum ſplendoris adjecit. Quapropter in ſpem nonnihil animus meus accreſcit hoc ſcriptum fortaſſe ſanctum procuraſſe, ut alumni occaſione digeratur dignitas nutriculæ. Illos ergo libellos, ſed & vitam beati Patricii, miracula venerabilis Benigni, paſſionem martyris Indracti, qui ſimili cura procuderam, jam pridem in eorum permiſi verſari manibus, ut ſi quid citra rationem dictum eſſet, corrigeretur pro tempore. Illi vero propenſiori conſilio diu ſcripta trutinantes, omni me liberaverunt culparum nævo, nihil contuitu religionis aut dantes offenſæ, aut deferentes gratiæ. Hoc igitur qualecunque opuſculum veſtræ devoveo examinandum prudentiæ, domine venerabilis, & merito amabilis pater. Facti mei ratio in promptu, ut noſcat excellentia veſtra, qui & quanti viri fundaverunt & provexerunt eccleſiam, quæ veſtræ potiſſimum ſub Deo & ſanctis ejus modo tutelæ innititur. Sciatis etiam vos priſcorum heroum imitatum, &, pene dico, ſupergreſſum facta, priuſquam audiſſetis vocabula. Nam ut cum obtrectatore, ſi quis forte fuerit, audacius conferam pedem, in quo priſci poſſeſſores vobis poſſunt præferri?

 In

In ampliandis patrimoniis? At vos & dudum eliminata reducitis, & habita induſtriâ ſollerti cumulatis. In exſtruendis ædificiis? Atqui quantum in ea re omnibus prædeceſſoribus emineatis, melius monſtrabit mirantis digitus, quam laudantis titulus. In pace incolarum tuenda? Sed vos, nominis veſtri umbone, omnes prædones dejicitis; vultus ſplendore nebulas mœſtitiæ propulſatis, ſermonis prudentia calumnias litigatorum enodatis. In Religione Monachorum? Quæ cum ſemper, ita Deo propitio veſtris temporibus floret, ut infœlix livor aliquid ſiniſtrum de ipſa erubeſcat confingere. Accedit publicus amor ipſorum pectori veſtro, qui nullo eos exterretis roncho, ſed venientes jocunde admittitis, affabiliter tractatis, abeuntibus paterne valefacitis. Nec enim profecto de nobis dicitur, quod de quibuſdam potentibus à poeta uſurpatum non immerito cantatur, *Late ſibi ſubmovet omne vulgus. Et in vacuis regnat baſiliſcus harenis.* Eſt igitur infra meritum veſtrum omnis eloquentia. Laudes veſtræ ita excellunt, ut nihil ſupra. Quæ cum ita ſint, accipite, quæſo, devotionis meæ munus, ſedulitatis pignus, & agite ne fructu laboris excidam. Adeſtote igitur, ſi omnino placet, & attendite, dum per ſucceſſionum ſeriem antiquitatem Eccleſiæ tentabo ſuſpicionibus eruere, quantum ex ſtrue Monimentorum veſtorum potui corradere.

Incipit quomodo Duodecim diſcipuli Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum primo Eccleſiam Glaſtonienſem fundaverunt.

POſt Dominicæ Reſurrectionis Gloriam, Aſcenſioniſque Triumphum, ac Spiritum Paracliti de ſupernis miſſionem, qui Diſcipulorum corda temporalis pœnæ adhuc formidine trepidantia replevit, ſcientiam omnium linguarum tribuendo: *Erant omnes credentes ſimul cum mulieribus, & Maria Mater Jeſu*, ut Lucas narrat Evangeliſta, *& verbum Dei diſſeminabatur, creſcebatque numerus Credentium cotidie, eratque omnibus cor unum & anima una.* Invidiæ ergo faſcibus accenſi ſacerdotes Judæorum cum Phariſæis & ſcribis concitaverunt perſecutionem in Eccleſia, interficiendo protomartyrem Stephanum, & fere à finibus ſuis omnes procul pellentes. Hac igitur perſecutionis procella ſæviente, diſperſi credentes petierunt diverſa regna terrarum à Domino ſibi delegata, verbum ſalutis gentibus propinando. Sanctus autem Philippus, ut teſtatur Freculfus, libro ſecundo, capitulo IIII°. regionem Francorum adiens gratia prædicandi, plures ad fidem convertit ac baptizavit: volens igitur verbum Chriſti dilatari, duodecim ex ſuis diſcipulis elegit, ad prædicandum Incarnationem Jeſu Chriſti, & ſuper ſingulos manum dexteram devotiſſime extendit, & ad evangelizandum verbum vitæ miſit in Britanniam: quibus, ut ferunt, cariſſimum amicum ſuum Joſeph ab Arimathia, qui & Dominum ſepelivit, præfecit. Venientes igitur in Britanniam anno ab incarnatione Domini LXIII°. ab aſſumptione Beatæ Mariæ XV°. fidem Chriſti fiducialiter prædicabant. Rex autem Barbarus cum ſua gente tam nova audiens & inconſueta, omnino prædicationi eorum conſentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat: quia tamen de longe venerant, vitæque eorum exigebat modeſtia, quandam inſulam ad petitionem eorum, ſylvis, rubis, atque paludibus circumdatam, ab incolis Yniſwitrin nuncupatam, in lateribus ſuæ regionis, ad habitandum conceſſit; poſtea & alii duo reges, licet pagani ſucceſſive, comperta eorum vitæ ſanctimonia, unicuique eorum unam portionem terræ conceſſerunt. Ac ad petitionem ipſorum ſecundum morem confirmaverunt. Unde & XII hidæ per eos adhuc, ut creditur, nomen ſortiuntur. Prædicti itaque Sancti in eodem deſerto converſantes, poſt puſillum temporis viſione Archangeli

Gabrielis admoniti ſunt, Eccleſiam in honorem Sanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ in loco cœlitus eis demonſtrato conſtruere, qui Divinis præceptis non ſegniter obedientes, ſecundum quod eis fuerat oſtenſum, quamdam capellam, inferius per circuitum virgis torquatis muros perficientes, conſummaverunt, anno poſt paſſionem Domini xxxi°. poſt aſſumptionem glorioſæ virginis xv. ex deformi quidem ſcemate, ſed Dei multipliciter adornatam virtute. Et cum hæc in hac regione prima fuerit, ampliori eam dignitate Dei filius inſignivit, ipſam videlicet in honorem ſuæ Matris dedicando. Duodecim igitur Sancti ſæpius memorati, in eodem loco Deo & beatæ virgini devota exhibentes obſequia, vigiliis, jejuniis, & orationibus vacantes, ejuſdem virginis auxilio ac viſione, ut credi pium eſt, in omnibus neceſſitatibus refocillabantur. Hoc autem ita ſe habere tum ex carta Beati Patricii, tum ex ſcriptis ſeniorum cognoſcimus. Quorum unus Britonum Hiſtoriographus, prout apud Sanctum Edmundum, itemque apud Sanctum Auguſtinum Anglorum Apoſtolum vidimus, ita exorſus eſt. *In confinio occidentalis Britanniæ quædam regalis inſula, antiquo vocabulo Glaſtonia nuncupata, latis locorum dimenſa finibus, piſcoſis aquis, ſtagneiſque circumdata fluminibus, & plurimis humanæ indigentiæ aptam uſibus, atque ſacris, quod maximum eſt, dedicatam muneribus. In ea ſiquidem Anglorum primi Catholicæ legis Neophytæ antiquam, Deo dictante, repererunt Eccleſiam, nulla hominum certe, ut ferunt, conſtructam, imo humanæ ſaluti à Deo paratam, quam poſtmodum ipſe cœlorum fabricator multis Miraculorum geſtis, multiſque virtutum myſteriis, ſibi ſanctæque Dei genitrici Mariæ ſe conſecraſſe demonſtravit.* Sed de his poſtea, nunc ad inceptum redeamus. Sancti igitur memorati in eodem heremo ſic degentes, effluentibus multis annorum curriculis, carnis ergaſtulo ſunt educti. Idemque locus cœpit eſſe ferarum latibulum, qui prius fuerat habitatio Sanctorum, donec placuit beatæ virgini ſuum oratorium redire ad memoriam fidelium, quod quomodo evenerit jam proſequamur.

Quomodo Sancti Phaganus & Devinianus Britannos ad fidem Converterunt & in Inſulam Avalloniæ venerunt.

TRadunt bonæ credulitatis annales, quod Lucius Rex Britannorum ad Eleutherium xiii loco poſt beatum Petrum Papam miſerit, orans ut Britanniæ tenebras luce Chriſtianæ prædicationis illuſtraret; Mactus animi Rex, magnæ prorſus laudis factum adorſus, ut fidem, quam tunc temporis pene omnes reges & populi perſequerentur exhibitam, ipſe ultro appeteret vix auditam. De qua re ut aliquid extrinſecus dicam, in ejuſdem meriti laudem concurret Ethelbertus, multis annis poſt Lucium Rex Cantiæ, qui prædicatores ad ſe de Roma miſſos non turbido abegit reſponſo, ſed benigno excepit hoſpitio. Acceſſit benignitati ſolers verborum feſtivitas, quia etſi nollet verbis eorum proprium aſſenſum apponere, tamen quia de longe venerant, ut quæ optima credebant ei communicarent, abſurdum videri poſſit, ſi eis quicquam inferret moleſtiæ. Sunt ergo hi viri ampliſſima recordatione digni, quorum alter Chriſtianitatem prudenter invitavit, alter libenter excepit. Venerunt ergo Eleutherio mittente prædicatores Britanniam duo viri Sanctiſſimi, Phaganus videlicet atque Deruvianus, prout carta Sancti Patricii geſtaque Britannorum teſtantur. Hi igitur verbum vitæ Evangelizantes, Regem cum ſuo populo ſacro fonte abluerunt anno Domini clxvi°. hinc prædicando & baptizando Britanniæ partes peragrantes in inſulam Avalloniæ, more Moyſi legiſlatoris interiora deſerti penetrantes, ſunt ingreſſi. Ubi antiquam

tiquam Deo dictante repererunt Eccleſiam, manibus diſcipulorum Chriſti, ut ferunt, conſtructam, & humanæ ſaluti à Deo paratam, quam poſtmodum ipſe cœlorum fabricator multis miraculorum geſtis, multiſque virtutum myſteriis ſibi ſanctæque Dei genitrici Mariæ ſe conſecraſſe demonſtrabit. Fluxerant autem ab adventu diſcipulorum Sancti Philippi in Britanniam uſque ad adventum Sanctorum memoratorum c. III. anni. Igitur prædicti Sancti Phaganus & Deruvianus, oratorio illo ſic reperto, ineffabili ſunt referti gaudio. Ibidem in Dei laudibus moram protrahentes diuturnam, per novem videlicet annos, locum etiam diligenter perſcrutantes, figuram noſtræ redemptionis aliaque ſigna manifeſta repererunt: quibus bene cognoverunt quod Chriſtiani prius locum inhabitaverant, poſtea cœleſti perpendentes oraculo, quod Dominus ipſum locum præ cæteris Britanniæ ſpecialiter elegerit, ad nomen glorioſæ genitricis ſuæ ibidem invocandum. Omnem etiam narrationem in antiquis ſcriptis invenerunt, qualiter ſanctis Apoſtolis per univerſum orbem diſperſis, Sanctus Philippus Apoſtolus cum multitudine diſcipulorum in Franciam veniens duodecim ex ipſis Britanniam miſit ad prædicandum. Qui prædictam Capellam angelica docti revelatione conſtruxerunt, quam poſtmodum filius altiſſimi in honorem ſuæ matris dedicavit; ipſiſque XII, tres Reges, licet pagani, XII portiones terræ dederunt ad eorum ſuſtentationem. Inſuper geſta eorum ſcripta invenerunt, ideoque locum ipſum præ cæteris dilexerunt, qui etiam in memoriam primorum XII, ex ſuis XII elegerunt, & in præfata Inſula, Rege Lucio conſentiente, habitare fecerunt. Qui poſtea in diverſis locis ſicut anachoritæ manſerunt ibidem, in eiſdem videlicet locis, in quibus primi XII primitus habitaverunt. In vetuſtam tamen Eccleſiam, ad Divina obſequia devotius complenda, crebro convenerunt quotidie, & ſicut tres Reges pagani dictam inſulam cum adjacentiis ſuis, XII primis Chriſti diſcipulis dudum conceſſerant, ita prædicti Phaganus & Deruvianus iſtis XII ſociis, & aliis in poſterum ſecuturis, ab eodem Rege Lucio liberam eamdem confirmari impetrabant: ſic autem multi aliis ſuccedentes, ſemper tamen in numero duodenario, per multa annorum curricula, uſque ad adventum ſancti Patricii Hibernienſium Apoſtoli, in memorata Inſula permanſerunt. Huic etiam Eccleſiæ ſic repertæ aliud addiderunt ſancti neophytæ opere lapideo oratorium, quod Chriſto ſanctiſque Apoſtolis Petro & Paulo dedicaverunt. Horum ergo reſtaurata fuit operâ vetuſta Sanctæ Mariæ in Glaſtonia Eccleſia, ſicut fidelis per ſuccidua ſecula non tacuit antiquitas. Sunt & illæ non exiguæ fidei litteræ apud Sanctum Edmundum repertæ, quod hanc Sanctiſſimam Eccleſiam Glaſtoniæ non fecerunt aliorum hominum manus, ſed ipſi diſcipuli Chriſti eam ædificaverunt, mittente ſcilicet Sancto Philippo Apoſtolo, ut præmiſſum eſt: nec abhorret à vero, ut præmiſſum eſt, quia ſi Philippus Apoſtolus Gallis prædicavit, ſicut Freculfus libro 2° cap. 4° dicit, poteſt credi quod etiam trans oceanum ſermonis ſemina jecit.

Quomodo monachus quidam de Sancto Dionyſio De Glaſtonia Referebat.

AD Comprobandam antiquitatem Eccleſiæ, de qua præfati ſumus, paululum digrediamur. Monachus quidam Glaſtoniæ Godefridus nomine, de cujus Epiſtola & hoc & quod ſubjungemus capitulum aſſumpſimus, tempore hoc Bleſenſis Abbatis Glaſtoniæ, cum in pago Pariſiacenſi apud ſanctum Dionyſium moraretur, ſenior quidam ex Monachis interrogavit eum quo genus unde domo? Reſpondit, Normannus, Britanniæ Monaſterii, quod Glaſtingeta dicitur, monachus. Pape inquit, an adhuc ſtat

ſtat illa perpetuæ virginis & miſericordiæ matris vetuſta eccleſia? ſtat inquit. Tum ille lepido attactu caput Godefridi Glaſtonienſis demulcens, diu ſilentio ſuſpenſum tenuit, ac ſic demum ora reſolvit; hæc glorioſiſſiſui martyris eccleſia, & illa de qua te aſſeris, eandem privilegii dignitatem habent, iſta in Gallia, illa in Britannia uno eodem tempore exortæ, à ſummo & magno pontifice conſecratæ, uno tamen gradu illa ſupereminet, Roma etenim ſecunda vocatur: cumque ab ore viri penderet, ille cui provincia ſuſcipiendorum fratrum erat commiſſa, invitos ab invicem non reviſuros ſeparavit, ſed hic hactenus.

Quomodo multitudo popularis primitus Glaſtoniam Inhabitaverit.

DEſcriptis fundatione, dedicatione, ac poſtea inventione hujus oratorii, reſtat apponere qualiter hæc inſula à multitudine fuit inhabitata. Legitur in antiquis Britonum geſtis, quod à Boreali Britanniæ parte venerunt in occidentem duodecim fratres, & tenuerunt plurimas Regiones, Venedociam, Demetiam, Buthir, Kedweli, quas proavus eorum Cuneda tenuerat: nomina eorum fratrum inferius annotantur, Ludnertb, Morgen, Catgur, Cathmor, Merguid, Morvined, Morehel, Morcant, Boten, Morgen, Mortineil, Glaſteing. Hic eſt ille Glaſteing, qui per mediterraneos anglos, ſecus villam quæ dicitur Eſcebtiorne, ſcrofam ſuam uſque ad Wellis, & à Wellis per inviam & aquoſam viam, quæ Sugewege, id eſt, *Scrofæ via*, dicitur, ſequens porcellos ſuos, juxta eccleſiam de qua nobis ſermo eſt, lactentem ſub malo invenit, unde uſque ad nos emanavit, quod mala mali illius *Ealdcyrcenes epple*, id eſt, veteris Eccleſiæ poma vocantur: ſus quoque ealdecyre ſuge idcirco nominabatur, quæ cum cæteræ ſues quatuor pedes habeant, mirum dictu, iſta habuit octo. Hic igitur Glaſteing, poſtquam inſulam illam ingreſſus, eam multimodis bonis vidit affluentem, cum omni familia ſua in ea venit habitare, curſumque vitæ ſuæ ibidem peregit. Ex ejus progenie & familia ei ſuccedente locus ille primitus dicitur populatus, hæc de antiquis Britonum libris ſunt.

De diverſis nominibus ejuſdem Inſulæ.

HÆc itaque inſula primo Yniſwytrin à Britonibus dicta, demum ab Anglis terram ſibi ſubjugantibus, interpretato priore vocabulo, dicta eſt ſua lingua Glaſtynbiry, vel de Glaſteing, de quo præmiſimus etiam, inſula Avallonia celebriter nominatur, cujus vocabuli hæc fuit origo. Supradictum eſt quod Glaſteing ſcrofam ſuam ſub arbore pomifera juxta vetuſtam eccleſiam invenit, ubi quia primum adveniens poma in partibus illis rariſſima reperit, inſulam Avalloniæ ſua lingua, id eſt, inſulam pomorum nominavit; Avalla enim Britonice poma interpretatur latine, vel cognominatur de quodam Avalloc, qui ibidem cum ſuis filiabus, propter loci ſecretum, fertur inhabitaſſe.

Quanta devotione diverſi Sancti illuc advenerint.

ECcleſia de qua ſane loquimur, quæ pro antiquitate ſui celebriter ab Anglis vetuſta dicitur, primo vergea, neſcio quid Divinæ ſanctitatis jam inde à principio redoluit ſpiravitque in omnem patriam, quamvis ex deformi grandis reverentia cultu, hinc confluentium illuc populorum totis callibus undæ, hinc opulentorum depoſita pompa conventus, hinc religioſorum & litteratorum frequens perendinatio.

De Sancto Gilda.

NAm ſicut à majoribus accepimus, Gildas neque inſulſus neque inſacetus hiſtoricus, cui Britanni debent, ſi quid notitiæ inter cæteras gentes habent, multum annorum ibi exegit loci ſanctitudine captus. Ibique anno Domini DXII. de medio factus, in vetuſta Eccleſia ante altare eſt ſepultus.

De Sancto Patricio.

QUo fere tempore, antea tamen, Anglis Britannorum infeſtantibus pacem, & Pelagianis eorum expugnantibus fidem, Sanctus Germanus Antiſiododorenſis, ut alibi legitur, contra utroſque ſuppetias tulit. Illos vero alleluiatico cantu fudit, & iſtos evangelicis & apoſtolicis tonitrubus fulminavit. Inde in patriam meditatus reditum Patricium ad familiare contubernium aſcivit, eumdemque poſt aliquot annos hybernienſibus jubente Celeſtino Papa prædicatorem miſit. Ille munus injunctum gnaviter executus extremis diebus Britanniam remeans, priorem celſitudinem ſalutationeſque foro reſpuens, ſuper altare ſuum Cornubiam appulit, quod uſque hodie apud incolas magnæ venerationi, tum propter ſanctitudinem & utilitatem, tum propter infirmorum ſalutem. Inde Glaſtoniam veniens XII. fratres anachoritice viventes ibidem reperiens congregavit, Abbatiſque ſuſcipiens officium, eoſdem agere docuit vitam Cœnobialem, ſicut ſequens ſcriptum, quod idem tempore ſuo conſcripſit, manifeſtius declarat.

Carta Sancti Patricii Epiſcopi.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ego Patricius humilis ſervunculus Dei, anno incarnationis ejuſdem CCCCXXX. *in Hiberniam à Sanctiſſimo Papa Celeſtino legatus, Dei gratia Hybernicos ad viam veritatis converti, & cum eos in fide Catholica ſolidaſſem, tandem in Britanniam ſum reverſus, ac ut credo, duce Deo, qui vita & via, incidi in inſulam Yniſwytrin, in qua inveni locum ſanctum ac vetuſtum, à Deo electum & ſanctificatum in honore intemeratæ virginis Dei genitricis Mariæ. Ibique quoſdam fratres rudimentis catholicæ fidei imbutos, & piæ converſationis, qui ſucceſſerunt diſcipulis ſanctorum Phagani & Deruviani, quorum nomina pro vitæ meritis, veraciter credo ſcripta in cœlis, & quia in memoria æterna erunt juſti, cum eoſdem fratres tenere dilexiſſem, eorum nomina ſcripto meo redigere volui. Quæ ſunt Brumbam, Hyregaam, Brenwal, Wencreth Bantcommeweng, Adelwared, Loyor, Wellias, Breden, Swelwes, Hinloernius, & alius Hin. Hi cum eſſent nobilibus orti natalibus nobilitatem ſuam fidei operibus ornare cupientes, heremiticam vitam ducere elegerunt, & quoniam inveni eos humiles & quietos, elegi potius cum illis abjectus eſſe, magis quam in regalibus curiis habitare. Sed quia omnium noſtrum erat cor unum & anima una, elegimus ſimul omnes habitare, comedere, & bibere, pariter & in eadem domo dormire, ſicque me licet invitum ſibi pertulerunt, non enim dignus eram ſolvere corrigias calceamentorum eorum. Et cum vitam monaſticam ita duceremus, juxta normam probabilium patrum, oſtenderunt mihi præfati fratres ſcripta Sanctorum Phagani & Deruviani, in quibus continebatur quod* XII *Diſcipuli Sanctorum Philippi & Jacobi ipſam vetuſtam Eccleſiam conſtruxerant in honore prælibatæ advocatricis noſtræ per doctrinamentum Beati Archangeli Gabrielis. Inſuper & quod Dominus eandem Eccleſiam Cœlitus in honore ſuæ matris dedicaverat, & quod tres Reges pagani ipſis* XII, *ad eorum ſuſtenementum,* XII *portiones terræ dederint, nec non & in ſcriptis recentioribus inveni, quod Sancti Phaganus & Deruvianus perquiſierant*

erant ab Eleutherio Papa, qui eos miſerat, decem annos indulgentiæ. Et ego frater Patricius à piæ memoriæ Celeſtino Papa duodecim annos tempore meo acquiſivi. Poſt multum vero temporis, aſſumpto mecum Wellia confratre meo, per condenſitatem Sylvæ cum magna difficultate conſcendimus acumen montis, qui eminet in eadem inſula. Quo cum perveniſſemus, aperuit oratorium unum vetuſtum & fere dirutum, habile tamen devotioni Chriſtianæ, &, prout mihi videbatur, à Deo electum. Quod cum ingreſſi eſſemus, tanta odoris ſuavitate replebamur, uti in paradiſi amœnitate poſitos nos crederemus. Egredientes igitur & reingredientes, locumque diligentius perſcrutantes invenimus volumen unum, in quo ſcripti actus erant Apoſtolorum, pariter cum actis & geſtis Sanctorum Phagani & Deruviani, ex magna parte conſumptum, in cujus tamen fine voluminis invenimus ſcripturam, quæ dicebat quod prædicti Sancti Phaganus & Deruviamus, per revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, idem oratorium ædificarunt in honore Sancti Michaelis Archangeli, quatinus ibi ab hominibus haberet honorem, qui homines in perpetuos honores, jubente Deo, eſt Introducturus. At cum delectaret nos illa ſcriptura, nitebamur eam ad finem legere. Dicebat enim eadem ſcriptura, quod venerandi Phaganus & Deruvianus moram ibi fecerunt per novem annos, & quod ipſi etiam perquiſierant triginta annorum indulgentiam omnibus Chriſticolis, locum ipſum ob honorem beati Michaelis pia voluntate viſitantibus. Invento ergo tanto Divinæ bonitatis theſauro, Ego & frater Wellias tribus menſibus jejunavimus, orationibus vacantes & vigiliis, Dæmonibuſque & belluis multiformiter apparentibus imperantes. Quadam autem nocte cum me ſopori dediſſem, apparuit mihi Dominus Jeſus in viſu, dicens, Patrici ſerve meus, ſcias me elegiſſe locum iſtum ad honorem nominis mei, & ut hic honoranter invocent adjutorium Archangeli mei Michaelis; & hoc tibi ſignum & fratribus tuis, quatinus & ipſi credant; Brachium tuum ſiniſtrum areſcet, donec quæ vidiſti annunciaveris fratribus tuis, qui in cella ſunt inferiori, & denuo huc redieris. Et factum eſt ita. Ab illo die ſtatuimus duos fratres in perpetuum ibi, niſi paſtores futuri ob juſtam cauſam aliter decreverint. Arnulfo autem & Ogmar Ybernicis fratribus, qui mecum venerant de Ybernia, pro eo quod ad exhortationem meam apud dictum humiliter oratorium manere cœperunt, præſentem paginam commiſi, aliam ſimilem in archa Sanctæ Mariæ retinens in monimentum poſteris. Et Ego Patricius, per conſilium fratrum meorum, omnibus qui ſilvam ex omni parte præfati montis in ſecuri & aſcia pia intentione dejecerint, ut facilior paretur aditus Chriſtianis, Eccleſiam Beatæ perpetuæque virginis piæ viſitaturis, & oratorium prædictum, centum dies veniæ concedo.

Hæc autem ita veraciter ſe habere, teſtimonio ſcripturæ vetuſtiſſimæ ſimilis, cum relationibus ſeniorum comprobavimus. Hic itaque Sanctus ſupra memoratus, qui & Ybernienſium Apoſtolus, & in inſula Avalloniæ Abbas primus, poſtquam prædictos fratres regularibus diſciplinis convenienter informaverat, & eundem locum terris, poſſeſſionibus, de dono Regum ac aliorum principum competenter ditaverat, poſt aliqnos annos decurſos naturæ ceſſit, & ſepulturam Angelo demonſtrante, flammaque ingenti de eodem loco, cunctis videntibus qui aderant, erumpente, in vetuſta Eccleſia à dextra altaris promeruit.

De exceſſu Sancti Patricii.

Exceſſit ergo Patricius anno ætatis ſuæ C. XI°. Incarnationis vero Domini CCCC LXXII, qui fuit annus, ex quo in Yberniam miſſus eſt, XLVII. Siquidem anno Domini CCC LXI°. in lucem venit, & anno Domini CCCC XXV, à Cœleſtino Papa in Yberniam miſſus fuit, hic fuit annus ætatis ſuæ LXIIII. E anno Domini CCCC XXXIII, Ybernicos ad fidem Chriſti Convertit. Demum Britanniam reverſus, in optima converſatione XXXIX annos in inſula Avalloniæ permanſit; requievit autem in vetuſta Elcleſia, à dextro latere altaris, per multorum annorum curricula, videlicet DCC & decem an-

 nos

nos, uſque ad combuſtionem ejuſdem Eccleſiæ. Corpus vero ſuum in pyramide ſaxea fuit collocatum juxta altare, verſus auſtrum, quam pro veneratione ejuſdem Sancti, auro & argento poſtea nobiliter veſtivit domeſticorum diligentia.

Viſio de Sancto Patricio.

CUm autem longe poſt obitum Beati Patricii frequens quæſtio eſſet, utrum ibi monachus & Abbas fuerit, omnem ſcrupulum abſolvit viſio cujuſdam fratris, qui poſt obitum beati viri, nutante memoria utrum ibi monachus & Abbas fuerit, cum de hoc frequens verteretur quæſtio, tali confirmatus eſt oraculo. Reſolutus vero in ſoporem, viſus eſt audire quendam legentem poſt multa ejus Miracula hæc verba, *hic igitur Metropolitani pallii decoratus eſt Sanctitate. Poſtmodum vero hic Monachus & Abbas factus eſt.* Adjecit etiam, ut non integre credenti, litteris aureis quod dixerat ſcriptum oſtenderet.

De Sancto Indracto & de Sancta Brigida.

HInc Ybernienſibus mos inolitus, ad exoſculandas patroni reliquias locum frequentare. Unde & Sanctum Indractum & beatam Brigidam, illius terræ non obſcuros incolas, illuc olim commeaſſe celeberrimus ſermo eſt. Brigidam quidem, quæ anno Domini CCCC LXXXVIII°. illuc venerat, poſt aliquantulam moram, quam in inſula, quæ dicitur Beokery, fecerat, domum reverſam, relictis ibidem quibuſdam inſigniis ſuis, videlicet pera, monili, nola, & textrilibus armis, quæ ibidem ad ejus memoriam reſervantur; Indractum vero cum ſociis ibidem martyrizatum, & ſepultum, ſicut alias ſtilus noſter non tacuit. Poſtea per Ynam Regem de loco martyrii in Glaſtonienſem tranſlatum Eccleſiam,

De Sancto Benigno.

ANno Domini CCCC. LX°. Sanctus Benignus venit Glaſtoniam. Hic Diſcipulus Sancti Patricii, & Succeſſor in Epiſcopatu ejus tertius in Ybernia fuit, quemadmodum eorum geſta teſtantur. Hic igitur, Angelo monente, patriam pontificiique dignitatem ex voto deſerens, voluntaria peregrinatione ſuſcepta, Glaſtoniam Deo duce pervenit, ubi & Sanctum Patricium invenit. Quantæ autem apud Deum gratiæ fuere, multis patet virtutum indiciis. Hoc etiam teſtantur ejus inſignia apud Fernigemere, data ejus precibus aqua largiſſima, & ex ejus baculo arido ingens arbor virens & frondifera. Hic itaque poſt immenſos agones in dicta inſula beato fine quievit, ac poſt multorum curricula annorum, id eſt, anno Domini nongenteſimo primo, Glaſtoniam honorifice tranſlatus eſt.

De Sancto Columkilla.

ANno Domini D. IIII. Sanctus Columkilla venit Glaſtoniam. Quidam affirmant hunc Sanctum vitæ ſuæ curſum ibidem conſummaſſe, ſed utrum ſic, aut inde repatriaverit, non diffinio.

De Sancto David Archiepiſcopo.

JAm vero quanti eum locum penderit magnus ille David Meneven- ſium Archiepiſcopus, celebrius eſt quam ut noſtro indigeat illuſtrari relatu. Is antiquitatem & ſanctitudinem Eccleſiæ Divino comprobavit oraculo. Dedicationi enim ejus intendens cum Epiſcopis ſeptem, quorum primas erat, ad locum venit; paratis autem omnibus quæ officii uſus expoſceret, nocte præceſſura, ut putabat, feſtivitatem ſomno indulſit: omnes ergo ſenſus in quietem ſolutus vidit Dominum Jeſum aſſiſtere, cauſam adventus blande ſciſcitantem, quam cum ille incunctatus aperuiſſet, revocavit eum à ſententia Dominus hoc dicto. Dedicatam à ſe dudum Eccleſiam in honore ſuæ matris, iteratione humana Sacramentum temerari non oportere, ſimulq; cum dicto volam digito terebrare viſus hæc ſubjicit, hoc haberet ſignum, repeti non debere quod ipſe anticipaſſet facere. Sed quia intentionis illius non tam fuerit audacia quam devotio, pœnam non prolongandam. Denique mane futuro, cum in miſſa per ipſum & cum ipſo & in ipſo dicturus eſſet, plenum ei ſalutis vigorem refundendum; his terroribus antiſtes ſomno excuſſus, ſicut tunc ſanie ulceroſa impalluit, ſic poſtea Philoſophiæ veritati applauſit: ſed ne nihil videretur egiſſe, aliam Eccleſiam citato fecit & dedicavit opere.

De Reliquiis Sancti David.

EXceſſit autem hic Sanctus Deo dignus anno Domini DXLVI. Quidam ſane affirmant, reliquias de hoc Sancto & incomparabili viro cum beato Patricio, in vetuſta Eccleſia fuiſſe collocatas, & Walenſes orationum frequentatione, & multiplici ſermone, id proculdubio aſtruunt & corroborant, illud in medium proferentes, Bernardum Epiſcopum Roſinæ vallis, ibidem ſemel & ſecundo reliquias Pergei Sancti quæſiſſe, & multis reclamantibus non inveniſſe. Sed qualiter de Roſina valle uſque ad Glaſtoniam dictæ reliquiæ tranſlatæ fuerunt ſubjungemus. Quædam matrona nomine Ælſwitha, tempore Edgari regis, prædictas reliquias acquiſivit per quemdam cognatum ſuum, qui tunc temporis fuit Epiſcopus apud Roſinam vallem, quando tota terra illa ita vaſtata erat, ut vix aliquis homo illic inveniretur, niſi paucæ fœminæ, & etiam in raris locis, & eas Glaſtoniæ contulit.

De Reliquiis a Guallia Glaſtoniam tranſlatis.

TEſtes ſunt Walenſes religioſi terræ illius, qui ea tempeſtate plurima corpora Sanctorum, & reliquias, Romam ituri ſecum Glaſtoniam detulerunt, & itinerando proficiſcentes dimiſerunt ibidem. Facta eſt hæc tranſlatio anno poſt mortem ejuſdem CCCC XX, incarnationis Dominicæ nongenteſimo LXVI°.

De Sanctitate & dignitate Glaſtonienſis Eccleſiæ.

EſSt ergo Glaſtonienſis Eccleſia omnium, quas quidem noverim, antiquiſſima in Anglia. Inde quia cognomen ſortita, in ea, præter Beatum Patricium, & alios, de quibus ſuperius dixi, multorum Sanctorum corporales ſervantur exuviæ, nec à beatorum cineribus vacat ullus fani ambitus, adeo pavimentum lapide conſtratum, adeo altaris latera, ipſumque altare ſupra & infra, reliquiis conſertiſſimis aggeruntur. Me-

rito ergo dicitur cœleſte in terris Sanctuarium, tot Sanctorum reconditorium. Quam felices, Deus bone, habitatores, quos ipſa loci reverentia ad morum compoſitionem invitat, nullum de his crediderim deperire cœlo, quos corporibus egreſſos tantorum patronorum excipit laus vel excuſatio. Ubi autem notare licet in pavimento, vel per triangulum, vel per quadratum, lapides altrinſecus ex induſtria poſitos, ex plumbo ſigillatos, ſub quibus quidam arcani ſacri contineri ſi credo, injuriam religioni non facio. Antiquitas & Sanctorum congeries excivit reverentiam loco, ut vix ibi quis noctu præſumat excubias agere, vix interdiu excreſcens flegma projicere, illuſoriæ fœditatis conſcius, toto cohorreat corpore; nullus inter contiguum cimiterium, vel avem venatoriam advexit, vel quadrupedes induxit, qui ſui vel rei poſſeſſæ indemnis abierit; ferro vel aqua examinandi, ſi orationem ibi depoſuerint, omnes, quos præſens memoria complectitur, uno excepto, de ſalute ſua tripudiarunt; ſi quis è vicino aliquod ædificium locandum putaſſet, quod obumbratione ſua lucem invideret Eccleſiæ, patuit ruinæ; ſatiſque conſtat hominem illius provinciæ nullum Sanctius vel crebrius juramentum habere, quam per veterem Eccleſiam, nihil magis vitantes metu celeris vindictæ quam perjurare. Labantem veritatem dictorum, quæ propoſuimus, plurimorum veraciſſimorum hominum pro ſucceſſu annorum fulciunt teſtimonia.

De Sancto Paulino Epiſcopo.

SEd ut ad propoſitum redeam, Sancti Patricii nativitas, quæ anno Dominicæ incarnationis CCCLXI°. fuit, adventum Beati Auguſtini in Britanniam ducentis triginta ſex annis præceſſit. Cujus prædicationis Commilitonem Paulinum, ex Archiepiſcopo Eboracenſi Roſenſem Epiſcopum, aſſerit patrum traditio, Eccleſiæ contextum dudum, ut diximus, virgeæ, ligneo tabulatu induiſſe, & plumbo à ſummo uſque deorſum cooperuiſſe. Egit nimirum prædicabilis viri ſolertia, ut nihil decederet Sanctitati, & plurimum accederet ornatui. Et certe ſolet eccleſiarum cultus auguſtior quamlibet brutas mentes ad orandum illicere, quamlibet cervicoſitatem ad ſupplicandum inflectere.

De tranſlatione Indracti ac ſociorum ejus.

ALiquantis autem annis elapſis, per Ynam regem Weſtſaxonum Divinæ viſionis compotem, martyris Indracti & ſociorum ejus corpora de loco martyrii tranſlata, & in eadem Eccleſia tumulata ſunt. Ipſius quidem in lapidea pyramide ad ſiniſtrum altaris, cæterorum in pavimento, prout vel caſus tulit, vel induſtria locavit.

De Reliquiis a Terra Northanimbrorum uſque Glaſtoniam tranſlatis.

ITem multo poſt tempore, infeſtantibus Danis Northanimbriam, Tica earum precum Abbas, ſub obtentu pacis à borea in occidentem commigrans, Glaſtoniam conceſſit, eamdemque Eccleſiam abbatis jure anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo LIV°. rexit. Multis vero annis aquilonaris regio piratarum patuit prædæ, cum interim aliæ partes Angliæ nihil ſuſpicarent hoſtile. Attulit ſane ſecum locupletes incolatus ſui obſides, reliquias ſcilicet Aidani Lindisfarnenſis Epiſcopi, corpora ſanctorum Ceolfridi, Benedicti, Eſtrepini, Hetberti, Selgfridi Wiorenſium abbatum, Bedæ Presbyteri, Hebbæ, Begæ, Borſili; item corpus Hildæ, ab-

batiſſæ monaſterii, quod quondam Streneſhealh, nunc Wyteby nuncupatur. Hæc igitur ſupra altare locatæ reliquiæ non parum reverentiæ loco adjecere. Idem porro Tica, cum valefeciſſet vitæ, in dextero angulo majoris Eccleſiæ, juxta introitum vetuſtæ, notabilem accepit ſepulturam. Ea eſt & mole ſtructuræ & arte celaturæ non ignobilis.

De diverſis Reliquiis Glaſtoniæ repoſitis.

ET Quoniam Glaſtonia Inſula multorum inſignitur Sanctorum cineribus, præter ſupra enumeratos, libet paucorum ex multis annotare nomina, quorum corporales exuvias pro majori parte ibidem requieſcere non dubitamus. Nam particulares reliquias Sanctorum illuc à Regibus & magnatibus collatas enumerare, in immenſum eſſet volumen extendere, & in textis Evangeliorum annotantur. Prætermiſſis igitur ſupramemoratis, videlicet XII Diſcipulis Sancti Philippi, Phagano & Deruviano, & eorum multis Diſcipulis Patricio, Indracto, Benigno, cum ſuis ſociis, Gilda ſapiente, Sancto David Meneveuſe, & aliis, quos venerabilis Tica refertur illuc portaſſe; ſciendum quod illic veraciter dicuntur requieſcere Sanctus Paulinus Northanimbrorum Archiepiſcopus, duo Innocentes à pio Rege Edgaro de Bethleem illuc tranſlati, Sanctus Dunſtanus pater magnificus, cujus tranſlationem à Cantuaria ad Glaſtoniam ſubjungemus. Item Sanctus Idanus Epiſcopus, & Sanctus Ultanus Epiſcopus, frater beati Furſei, cujus geſta miranda leguntur. Illic & Sanctus Iltuit inter Walenſes famoſiſſimus, & Sanctus Beſilius in ætate tenera martyrizatus; item reliquiæ Sancti Urbani papæ & martyris, oſſa Sancti Anaſtaſii martyris, oſſa Sancti Cæſarii martyris, oſſa Sancti Benigni martyris, oſſa Sancti Melani Epiſcopi, & martyris. Ibi etiam requieſcit Sancta Ealfleda regina, & Sancta Celryitha virgo, tota integra in carne & oſſe, ſicut teſtantur qui eam viderunt, cum cilicio & ſacro velamine non putrefactis. Illîc etiam ſunt oſſa Sanctæ Batildis reginæ, & oſſa Sanctæ Mamillæ virginis; inſuper corpora Sanctarum Urſulæ, Dariæ, Criſante, Udiliæ, Mariæ, Marthæ, Luciæ, Lucei, Waleburbæ, Geretrudæ, & Ceciliæ; & præter Sanctos enumeratos ibidem ſunt Sanctorum reliquiæ innumerabiles, de dono regum, principum, pontificum, & aliorum nobilium, quorum quædam nomina in antiquis Eccleſiæ libris annotantur: multæ etiam reliquiæ de terra Northanimbrorum, tempore guerræ eis à Danis illatæ. De Guallia inſuper tempore ſuæ perſecutionis ad Glaſtoniam, quaſi ad Sanctorum reconditorium, ſunt delatæ. Et quamvis apud nos non ſit eorum plena cognitio, cognitione tamen Divina & contemplatione plenius perfruuntur.

De Tranſlatione Sancti Dunſtani a Cantuaria ad Glaſtoniam.

JAm quia de aliis Sanctis mentionem fecimus, modum tranſlationis Sancti Dunſtani ſubjungemus. Anno ab incarnatione Domini MXII, regnante illuſtri rege Eadmundo, patria lingua Yreneſide nuncupato, advenientes Dani in orientales Angliæ plagas, totius Cantiæ fines in ſuam redigebant poteſtatem, à quibus multi propria dignitate privati, multi à patria eliminati, multi crudeliſſima ſunt morte trucidati; ſicque uſque ad civitatem Londonienſem, nec gradui, nec ætati, vel ſexui parcentes, homicidiis, rapinis, incendiis, Divina æque ut humana exterminabant. Hinc, ut de aliis taceam, venerandus Archiepiſcopus Elfegus propriæ dignitatis eſt ſede propulſus, prædia devaſtantur, poſſeſſiones diripiuntur, cætera ſine fletu quis referat? proh dolor! ingreſſi ſunt ſceleratiſſimi metropolitanam Anglorum Eccleſiam, in religioſos famulos Chriſti irruentes, &, quod dictu horrendum eſt, à domo Dei ſingulos eliminantes, omniaque incendio conſumente. Contigit iiſdem

temporibus præfatum Regem Edmundum Glaſtoniam adventare, commoratuſque illic aliquandiu, Brichredo Abbati, & fratribus ejuſdem loci, tantæ captivitatis ex ordine retulit hiſtoriam, memorans eiſdem Cantuarienſem Eccleſiam incenſam, & habitatoribus ac religione penitus viduatam. Quibus auditis Abbas, totaque congregatio ita ſunt contriſtati, ac ſi ſingulorum animas gladius pertranſiret. Inter cætera etiam eximii patris ſui Dunſtani virtutes præcelſas recitabant, qui, dum viveret, amplis poſſeſſionibus, donis, libertatibuſque magnificis, &, quod pluris eſt, regularibus inſtitutis Glaſtoniam mirifice inſignivit. De his ſilere præter religionem exiſtimantes, precibus uberrimis opem conſiliumque regis ſimiliter implorant, quatenus reliquias glorioſi viri ad loca transferrent Religioſa, ubi quondam religionis lacte nutritus ad tantas virtutes excreverat, ut non ſolum gregem Glaſtoniæ, ſed & totius Angliæ provincias ſua poſſet illuſtrare doctrina. Quibus auditis Rex eorum deſideriis pio occurrens affectu, quod petierant celeri decrevit effectui mancipari. Nec mora, memoratus Abbas voti jam compos, quatuor ex ſuis commilitonibus hujus legationi injungit officium hoc modo, ut videlicet adjunctis ſibi ſociorum auxiliis Cantuariam properantes, ad Glaſtoniam oſſa Sanctiſſimi transferrent Dunſtani. Juſſionem patris ſuſcipiunt filii devotiſſime, paratiſque tanto itineri neceſſariis, ac benedictione ſuſcepta, injuncta ſibi voluntate proſequuntur alatâ, de miſericordia Dei, ſimulque ope dicti Sancti plurimum confiſi. Iidem autem monachi Beato Dunſtano in carne degenti dudum adhæſerant, capellæ ſuæ complentes officium, qui etiam corpus ejus, anima in quietas ſedes tranſlata, ſepulturæ tradiderunt; poſtea etiam cum ſucceſſore ſuo Sancto, videlicet Ælfego Archiepiſcopo, uſque ad ejuſdem commanentes martyrium. Complacuit namque præfatis pontificibus, de cœtu monachili Glaſtonienſi Collaterales individuos habere, tum propter prærogativam caritatis, qua nutriculam amplectebantur, præcipue tum ut eorum familiari contubernio exemplariter inflammati, à priori vita, quam cum eis agere ſolebant cœnobio, nec deviarent. Fratrum autem ipſorum nomina hæc fuerunt, Sebirchtus, Ethelbuthtus, Burſius, Adelwordus cognomento Quadrans. Igitur memorati fratres Cantuariam venientes, locum, ſicut à Rege audierant, omni habitatore nudatum inveniunt. Et continuo Sepulchrum Sanctiſſimi viri adeunt à ſe optime recognitum, utpote qui eundem in mauſoleo locaverant. Quo aperto, oſſa Sancti Dunſtani ſuper aurum & topazium pretioſa reperiunt, carne tam diuturni temporis ſpatio reſoluta, repertaque, reverentia qua decebat, nec ſine lacrymis, recolligunt. Annulum etiam digito Sancti, cum ſepulturæ traderetur, impoſitum, quem & ipſe ætate teneriori feciſſe dicitur, recognoſcunt. Patratis ergo omnibus, pro quibus venerant, proſperatori itineris ſui gratias rependentes immenſas, Glaſtoniam revertuntur, cum gaudio pretioſiſſimas reliquias ſecum deportantes, quibus reverſis, cum quanta omnium lætitia, præcipue monachorum, fuerint recepti, aptius perpendit legentis caritas, quam ſcribentis evolvat facultas. Facta eſt autem hæc tranſlatio anno Domini M. XII. Secundo videlicet anno poſt interfectionem Sancti Elfegi Archiepiſcopi, XXIIII°. anno poſt dormitionem Sancti Dunſtani.

Qualiter Reliquiæ Sancti Dunſtani ſub terra Recondebantur.

HIs ita patratis, immenſis Dei beneficiis fratres refocillati, crebris inſiſtebant collocutionibus, tractantes, qualiter memoratum theſaurum tutiori cuſtodiæ mandarent; non immerito formidantes, ne hoſtili rabie ſedata, Cantuarienſique Eccleſia in priſtinum ſtatum reformata, Archiepiſcopi

chiepiſcopi authoritate potentiaque præminens, eaſdem ſibi ablatas revocaret reliquias. Et ſic quanto beatiores fuerant ipſarum acquiſitione, tanto miſeriores fierent poſteriori privatione. Communicato demum conſilio decreverunt, ut duo ex fratribus ſenioribus in commiſſis ſibi arcanis fideliores, loco ſecretiori oſſa ſanctiſſima abſconderent, nullique, quoad viverent, tanti ſecreti cognitionem participarent, ſed tamen in extremis laborantes, locum alicui fratrum maturiori & ſapientiori deſignarent, qui ſimiliter in mortis articulo alicui, ſicut & ſibi fiebat, rem pateſaceret. Ita ut currente tempore, propter varios eventus, locus idem permaneret omnibus incognitus, uno duntaxat conſcio veritatis, quouſque placeret Altiſſimo ut lux non lateret ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita luceret omnibus in domo Dei exiſtentibus. Conſilium igitur ſic initum duo fratres ad hoc electi ducunt ad effectum. Locellum namque ligneum ad hoc ſatis decenter compoſitum interius depingunt, ac in dextro latere locelli ſed cum titulo, in ſiniſtro vero & cum titulo inſcribunt, quibus litteris nomen Sancti Dunſtani innuere volebant. Inferentes igitur præfatas reliquias in locellum, ſub lapide ad hoc exciſo recondunt in majori & vetuſta Eccleſia, ſecus aquam benedictam, in dextra parte introitus, Monachorum omnibus aliis locum penitus ignorantibus. Ibidem igitur centum & ſeptuaginta duobus annis latebat abſconditus, unius tantum cognitioni ſucceſſim modo præſcripto commiſſus.

Qualiter eædem Reliquiæ Iterum Inveniebantur.

PRocedente vero tempore, cum adhuc idem Sanctus in loco lateret ſubterraneo, erat ibidem monachus quidam Johannes Canan nomine, ævo maturus, animo ſagaciſſimus, antiqua monaſterii notiſſima hahabens ſtatuta, cujus etiam notitiæ non falſa fratrum opinio hujus arcani ſcientiam teſtabatur ſucceſſiva relatione fuiſſe commiſſam, hujus cuſtodiæ deputatus erat frater quidam Johannes de Watelege, dictus tam ætate quam converſione tener, quem ob bonæ indolis florem ſenior nimio mentis amplectebatur affectu. Is à ſociis ſuis incitatus magiſtrum ſuum, licet diutius renitentem, precibus uberrimis, blanditiis quoque interſertis, ſollicitabat ut locum tanti theſauri conſcium ſibi demonſtraret. Demum crebris precum blandimentis emollitus, quadam die puero more ſolito ſciſcitante, ſenior in hæc verba linguam reſolvit. *Fili mi dilectiſſime, non ingredieris Eccleſiam aqua benedicta te aſperſurus, quin lapidem veſtibus tuis contingas, ſub quo reconduntur quæ requiris: ſed de his amplius nihil me pulſes, ſed audita mente tacitâ ſagacique pertracta.* Puero igitur hæc dicta oblivionis velo nequaquam obducente, ſenior poſt dies ſuos expletos in fata conceſſit. Poſt cujus obitum, quæ dicebantur ab eo in tenebris prædicabantur ſupra tecta, & in communem devenerunt cognitionem, omnibus tamen de ſermonis ambiguitate titubantibus, torporeque nimio frigeſcentibus, nullus experientiæ manum appoſuit, qua tantæ dubietatis nodum abſolveret. Poſt modici temporis curriculum Glaſtoniæ cœnobium invaſit incendium, quod non ſolum Eccleſiam cæteraque ædificia, ſed ejuſdem ornamenta, theſauros, & quod pluris eſt, reliquias pro magna parte conſumpſit. Cæterum dolores incendio tali cauſatos non eſt noſtrum hîc deſcribere; quia nec circa hoc noſtra verſatur intentio: Monachi tamen ſuo mœrori ſolatium quærentes, pauca quæ flamma reliquit, maxime de reliquiis recolligebant. Tandem de Sancto Dunſtano ſolliciti, ea quæ de eo Johannes Canan & poſtea Johannes de Watelege, ut prænotavimus, protulerant, ad memoriam reducta proferunt in commune. Paucis itaque diebus emenſis, duo fratres in hoc cæteris animoſiores, Ricardus videlicet de Canton, & Radulphus Foc ad locum per Johannem dudum præ-

præſignatum pari gradiuntur affectu: quem diligentius indagantes, lapidem, prout dudum audierant, reperiunt; quem revolventes, locellum ligneum, ferrea compagine undique conſolidatum, ſubtus aſpiciunt: convocatis igitur Priore totaliq; conventu thecam aperientes, Sacratiſſima beati Dunſtani oſſa reperiunt, ſimulque annulum ſuum, ſuper quoddam os digiti ſui, & ad omnem ambiguitatis nodum abſolvendum, picturam vident intrinſecus; & S. cum titulo in dextra parte locelli; D. cum titulo in ſiniſtra, nomen Sancti Dunſtani ibidem locati exprimentia. Veritate igitur relationis Johannis Canan manifeſte comprobata, monachi de inventione reliquiarum deſideratiſſimarum, poſt priorem refocillati miſeriam, eaſdem læti ſuſcipiunt, ac in ſcrinio auro & argento decenter veſtito reponunt, ea reverentia & devotione, quibus decebat, aſſociantes eiſdem humerum cum brachio Sancti Oſwaldi regis & Martyris. Gaudeat ergo Glaſtoniæ Eccleſia tanti munita patroni præſentia, per cujus interceſſiones & merita, Deus ibidem ſua non ceſſat operari magnalia, mortuis vitam, infirmis omnimodis ſanitatem, creberrime reſtituendo, frequenter etiam brutis in plurimis periculis ſubveniendo.

De venerabili Cruce quæ quondam locuta eſt.

IN Eccleſia Glaſtoniæ eſt quædam crux, merito venerabilis, auro & argento cooperta, quæ quondam locuta eſt. Imo verius ſpiritus Sanctus in ea cum quodam monacho illius loci, Aylſi nomine, hoc modo; cum idem monachus, per eandem crucem ſicut & per altaria tranſiens, nequaquam debita reverentia ſe inclinaret, ſecundum regularem diſciplinam, ſe tandem quadam vice per eam tranſitum faciens inclinavit; Crux igitur, in vocem quaſi debitis organis formatam erumpens, ſic ait, *Nuto late Aylſi, Nuto late Aylſi,* qui Divina voce percuſſus ſtatim corruens expiravit.

De alia Cruce de qua cecidit Diadema.

EST etiam ibidem alia crux antiquiſſima, quæ olim in refectorio ſtare conſuevit; de hac ferunt, quod cum die quadam Edgarus Rex & Dunſtanus Archiepiſcopus ad menſam ſederent, in refectorio cogitationibus Dininæ voluntati contrariis in cor Regis aſcendentibus; mirum dictu! imago Dominica ligno crucis affixa, toto ſe corpore excuſſit, ita ut motus impetu Diadema ejus inter Regem & Archiepiſcopum caderet. Quid hoc portenderet confeſſio Regis manifeſtavit. Inquiſitus enim Rex à Sancto Dunſtano, quid tunc cogitaret, aut quid ſe acturum fore diſponeret, fatebatur quæ eadem hora cogitavit, ut monachis ad alium locum tranſlatis, illic moniales aggregaret. Increpatus igitur reverenter ab Archiepiſcopo, dicente hoc Divinæ voluntati contrarium, Rex tale propoſitum revocavit in irritum.

De Cruce Vulnerata.

EST ibidem tertia crux cæteris minor, populo tamen celebrior, ab antiquo auro argentoque veſtita, de qua olim ex percuſſione ſagittæ ſanguis plurimus virtute Divina profluxit, quod qualiter evenerit, alias ſcriptum non tacebit.

De

De quadam Imagine Beatæ Mariæ.

EST etiam ibi Imago beatæ Mariæ; Cum ignis ingens olim circumdans pallas, & omnia altaris ornamenta conſumeret, ipſam non tetigit, nec etiam peplum capiti ejus appenſum. In facie tamen ipſius, pro vapore ignis, veſicæ quaſi in homine vivente ſurgentes, Divinam teſtabantur virtutem, & per multum temporis intuentibus apparebant.

De Altari Sancti David, quod dicitur vulgo Saphirus.

LEgitur in vita Sancti David Menevenſis Archiepiſcopi, quod cum idem Sanctus in Roſina valle monaſterio, quod ipſe conſtruxerat, multis fratribus in Abbatis officio miniſtraret, nocte quadam Angelus ei affuit dicens, *craſtina die præcingens & calceans te, Jeruſalem uſque proficiſcere. Sed & duos tibi familiares, & probitate notos, videlicet Eliud & Paternum, itineris hujus comites habebis, qui ad condictum, quod tibi modo oſtendo, craſtino convenient.* Sanctus autem nihil moratus, diſpoſitis cellulæ utilitatibus, accepta fratrum benedictione, primo mane iter aggrediens pervenit ad condictum, promiſſos fratres reperit. Igitur pariter intrarant viam non faſtu circumdati ſatellitum, ſed unitate locupletes animorum, qualis eorum Dominus, qualis & miniſter. Venientibus autem eiſdem in externas provincias, Sanctus David ita linguarum gratia ditatus eſt, ne inter barbaros interprete egerent. Appropinquantibus demum ad locum optatum, nocte præcedenti eorum adventum, Patriarchæ Ieroſolymitano Angelus apparuit, dicens; tres ab occidentis finibus viri Catholici adveniunt, quos cum gaudio & Hoſpitalitatis gratia ſuſcipiens, mihi in Epiſcopos congregabis, Patriarcha vero Divinæ viſionis compos, advenientibus Sanctis, imperata lætus exſequebatur. Quibus conſecratis, ait Patriarcha, Judæorum poteſtas invaleſcit in Chriſtianos, noſque commoventes fidem repellunt, petite itaque, & ad prædicationem ſingulis diebus procedite, ut eorum violentia confutata quieſcat, noſcens fidem Chriſtianam occidentis finibus divulgatam, ac ultimis terræ extremitatibus decantatam. Obediunt imperio prædicationi inſiſtentes, acceptaque ſua prædicatione infideles convertunt, infirmos roborant, perfectiſque omnibus repatriare diſponunt. Tunc Patriarcha venerabilem patrem Dewy quatuor muneribus ditavit, altari ſcilicet conſecrato, in quo Dominicum corpus ſacrabat, quod & innumeris pollet vitutibus, inſigni etiam nola, baculo, & tunica ex auro texta, quæ omnia glorioſis prædicatur coruſca miraculis. Sed quia, inquit Patriarcha, hæc itinerantibus nobis eſſent oneroſa, cum ad veſtra veneritis, ea vobis tranſmittam. Valedicto igitur Patriarcha, ad ſua demum perveniunt, Sancti viri promiſſum expectantes. Accipiunt tandem munera per Angelos ſibi deſtinata. Dewy in Monaſterio, quod dicitur Langemelech, Paternus & Eliud in ſuis monaſteriis. Inde ea vulgus vocat è cœlo venientia. Sanctus autem David, cum tam pretioſi theſauri poſt ſe cuſtodire geſtiret, habere digniſſimum eundem lapidem Eccleſiæ Glaſtoniæ adhuc vivens delegavit, quia ob loci venerandam antiquitatem, & Sancti Patricii præcipue, aliorumque Sanctorum reliquias ibidem reconditas, miro amplectebatur affectu, ut geſta ſua legentibus multis claret argumentis: oſtenditur autem adhuc memoratum altare in Glaſtonienſi Eccleſia, in memoriam dicti Sancti, non humana reſervatum iuduſtria, ſed Divina providentia, quæ inter innumeros rerum turbines, inter regum regnorumque mutationes, inter graviſſimas guerrarum procellas, omnibus aliis pene ſublatis, ejuſdem ſubreptione avidas hoſtium manus jugiter contraxit; caſſula autem in qua eundem lapidem ſuſcepit Beatus David, adhuc in Epiſco-

pali ſede ejuſdem condigno reſervatur honore. Cum vero ſæpe dictus lapis olim metu guerræ multo tempore latuiſſet abſconditus, omnibus loci neſciis, piæ recordationis Henricus Wintonienſis Epiſcopus, & Abbas Glaſtoniæ, eundem in quodam hoſtio Eccleſiæ beatæ Mariæ reperit, ac auro & argento, & lapidibus pretioſis, ſicut adhuc apparet, magnifice decoravit.

De Nobilibus Glaſtoniæ Sepultis.

QUantum autem Glaſtoniæ Eccleſia fuerit etiam primatibus patriæ venerabilis, & ad ſepulturam deſiderabilis, ut ibi potiſſimum, ſub protectione Dei genitricis, operirentur diem reſurrectionis, multa ſunt indicio quibus pro cautela faſtidii abſtineo, prætermitto de Arturo inclyto rege Britonum, in cimeterio Monachorum inter duas Pyramides cum ſua conjuge tumulato, de multis etiam Britonum principibus. Prætermitto etiam de Kenwino in una pyramide locato. Inſuper tumulos regum, Edmundi ſenioris in turri ad dexteram. Edmundi minoris ante magnum altare. Edgari prius in capitulo ante introitum Eccleſiæ, modo in ſcrinio, quod etiam de martyre ſuperbit Vincentio, de quibus ſiſe locus dederit, non me iſta fruſtra ſuſcepiſſe cauſabitur poſteritas. Taceo & Epiſcoporum ſepulchra Brithuvii, & Brithuvioldi, quæ porticum aquilonarem ad Sanctum Johannem Baptiſtam uberem inſigniunt, Livingi etiam & Seifridi Epiſcoporum, Alfari, Adthelſtani, Athelwini, Delnoti ducum; quorum videlicet ducum, quilibet centum libratas terræ cum multis aliis bonis contulit Glaſtoniæ.

De Duabus Pyramidibus.

ILlud quod clam pene omnibus eſt libenter prædicarem, ſi veritatem exculpere poſſem, quid illæ pyramides ſibi velint, quæ aliquantis pedibus ab Eccleſia vetuſta poſitæ cimeterium monachorum prætexunt: procerior ſane & propinquior Eccleſiæ habet quinque tabulatus, & altitudinem XXVI pedum; hæc præ nimia vetuſtate, etſi ruinam minetur, habet tamen antiquitatis nonnulla Spectacula, quæ plane poſſunt legi, licet non plene poſſint intelligi. In ſuperiori vero tabulatu eſt imago pontificali ſcemate facta. In ſecundo imago regiam prætendens pompam, & litteræ, Her, Sexi, & Bliſyer. In tertio nihilominus nomina, Wemereſt, Bantomp, Pinepegn. In quarto Hats Pulfred, & Eanfled. In quinto qui & inferior eſt, imago, & hæc ſcriptura, Logpor, Peſlicas, & Bregden, Spelpes, Hyin Gendes, Bern. Altera vero pyramis habet XVIII pedes, & quatuor tabulatus, in quibus hæc leguntur, Hedde Epiſcopus, & Bregored, & Beorward. Quid hæc ſignificent non temere diffinio, ſed ex ſuſpicione colligo, eorum interius in cavatis lapidibus contineri oſſa, quorum exterius leguntur nomina. Certe Logpor is pro certo aſſeritur eſſe, de cujus nomine Logperesbeorh dicebatur, qui nunc mons acutus dicitur. Bregden à quo Brentacnolle, qui nunc Brentamerſe dicitur. Beorwald nihilominus Abbas poſt Hemgiſelum, de quibus & de cæteris, qui occurrere poterunt, ex hinc liberiori campo exultabit oratio. Jam vero Abbatum ſeriem, & quid cuique eſt à quo rege ad uſus monaſterii delegatum ſit, ſermo explicare contendet.

De

De Regibus, Abbatibus, & aliis Fundatoribus Glaſtonienſis Eccleſiæ ſeriatim Expreſſis.

IN primis memorandum quod duodecim diſcipulis Sanctorum Philippi & Jacobi, anno Dominicæ incarnationis LXIII in Britanniam venientibus, tres Reges, licet pagani, XII portiones terræ contulerint; unde adhuc nomen XII hidarum perſeverat. Deinde Sancti Phaganus & Deruvianus in Britanniam venientes, & eam fidei gratia illuſtrantes, à Rege Lucio per eoſdem in Chriſto renato, inſulam Avalloniæ cum ſuis adjacentiis confirmari obtinuerunt, XII fratribus ibidem inſtitutis, ac aliis poſt eos inſtituendis. Succeſſit poſt multum tempus beatus Patricius, qui adhuc fratres XII quaſi heremiticam vitam agentes reperiens, eoſdem vita cœnobiali informavit; & multis poſſeſſionibus, licet nobis incognitis, ut credi fas eſt, ditavit. Succeſſit Sanctus Benignus; quis autem hic fuerit, & quomodo patria lingua dictus, non infacete exprimunt verſus, qui in epitaphio Sepulchri ejus apud Ferremere ſcripti ſunt.

Hoc patris in lapide Beonnæ ſunt oſſa locata.
Qui pater extiterat Monachorum hîc tempore priſco,
Hunc fore Patricii dudum fortaſſe miniſtrum,
Fantur Hybernigenæ, & Beonnam de nomine dicunt.

Succeſſerunt ibidem plures de natione Britonum Abbates, quorum tam nomina, quam geſta, & memoriam, oblivionis nubilo obducens delevit antiquitas, ipſam tamen Eccleſiam apud magnates Britonum in maxima fuiſſe veneratione, oſtendunt eorum exuviæ ibidem requieſcentes. Trium tantum horum Abbatum nomina rerum præteritarum recordatrix manifeſtat pictura, quæ ſunt Worgret, Lademund, Bregored, ſed de his poſtea.

De Illuſtri Arturo.

LEgitur in geſtis illuſtriſſimi regis Arturi, quod cum in quadam feſtivitate natalis Domini apud Karlium, ſtrenuiſſimum adoleſcentem, filium ſcilicet Regis Nuth dictum Ider, inſigniis militaribus decoraſſet, & eundem experiendi cauſa in montem Ranarum, nunc dictum Brentenol, ubi tres gigantes malefactis famoſiſſimos eſſe didicerat, contra eoſdem dimicaturum duxiſſet; idem Tiro Arturum & ſuos comites ignorantes præcedens, dictos gigantes fortiter aggreſſus, mira cæde trucidavit. Quibus peremptis Arturus adveniens, dictum Ider nimio labore deficientem, & ſui omnino impotem in extaſi collapſum inveniens, eundem quaſi defunctum cum ſuis lamentabatur. Rediens ergo ad ſua cum ineffabili triſtitia, corpus quod exanime exiſtimabat, ibidem reliquit, donec vehiculum ad illud reportandum illuc deſtinaſſet. Seſe etiam necis ejus cauſam reputans, quia tardius ad auxilium ejus venerat, cum demum Glaſtoniam adveniret, ibidem quatuor viginti monachos pro anima ejuſdem inſtituit, poſſeſſiones & territoria ad eorum ſuſtentationem, aurum & argentum, calices & alia ornamenta Eccleſiaſtica largiens abundanter.

De Terra Yneſwitrin data Glaſtoniæ, Tempore Anglorum ad fidem Converſorum.

ANno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo primo, Rex Domnoniæ terram, quæ appellatur Yneſwitrin, ad Eccleſiam vetuſtam conceſſit, quæ ibi ſita eſt, ob petitionem Worgret Abbatis, in quinque caſſatis. Ego Mawron Epiſcopus hanc cartam ſcripſi. Ego Worgret ejuſdem loci Abbas ſubſcripſi. Quis iſte Rex fuerit ſcedulæ vetuſtas negat ſcire. Veruntamen quod Britannus fuerit hinc preſumi poteſt, quia Glaſtonia lingua ſua Yneſwitrin appellavit; Sic enim eam Britannice vocari apud eos conſtat. Worgret autem Abbati, cujus nomen Britannicam barbariem redolet, ſucceſſit Lademund, & ei Bregoretd. Prælationis eorum tempora ſunt in obſcuro, ſed nomina illorum & dignitates in majori Eccleſia, prodente ſecus altare picturâ, ſunt in propatulo. Bregoredo ſucceſſit Berthwald.

De Kenwalchio Rege & Berthwaldo Abbate.

ANno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimo, Kenwald, qui & Kenwalchius, qui à Cerdicio ſeptimus apud Weſtſaxones, & per beatum Birinum in Chriſtum credidit, anno regni ſui XXIX°, Berchwaldo Abbati, interveniente Theodoro Archiepiſcopo, dedit Ferramere II hidas. Ego Theodoretus ſubſcripſi. Dedit & idem Rex Beokerie, Godenie, Martyneſie, & Andreyeſie. Iſte Beorwald, tranſactis decem annis in regimine Glaſtoniæ, Cantuarienſis Archiepiſcopus fuit. Quare autem Glaſtoniæ regimini, renitente Rege & illius Diœceſis Epiſcopo, renunciaverit, in ſequentibus palam erit.

De Kenwino Rege, qui Glaſtoniam libertate donavit.

BErthwaldo Succeſſit Hemgeſel, qui XXV annis Glaſtoniæ præfuit, huic, anno ab incarnatione Domini DCLXXVIII, Kenwinus Rex Glaſtingai liberam ab omni ſervitio conceſſit VI Hidas, quem pro ſua fideli converſatione, & Epiſcopi Hedde, & Monachorum petitione, abbatem ibi conſtituit: ea tamen conditione, quatinus fratres ejuſdem loci habeant jus eligendi & conſtituendi rectorem, juxta regulam Sancti Benedicti. *MUNECATONE*; *Et juxta Sylvam, inquit, quæ vocatur Cantucdun*, XXIII *Hidas, in Caric* XX *Hidas*, & *in Crucan* III *Hidas, ad ſupplementum vitæ regularis in Monaſterio Glaſtingabiri, ſub Divini timoris inſtinctu, humiliter largitus ſum, & cætera.* Hujus regis exuviæ in cimeterio monachorum, in pyramide quondam nobiliter exculpta requieſcunt.

De Baldredo Rege qui dedit Pennard & Muntagu.

ANno Dominicæ incarnationis DCLXXXI°. Baldred Rex. I. Penward Penger VI Hidas, Logpores-Beorh XVI Hidas, & capturam piſcium in Pedride Hemgillo Abbati, ad ſupplementum honorabilis Eccleſiæ beatæ Mariæ, & Beati Patricii, quæ ſita eſt in Glaſtingaburi, cum conſenſu & licentia pontificis noſtri Hedde, Kenwino etiam conſentiente, dedit. Et poſt aliquanta, *Ego Hedde Epiſcopus hanc Cartulam conſcripſi. Ego Aldelinus Abbas conſenſi, & ſubſcripſi eodem anno Hedde Epiſcopus.*

De

De Leghe.

I Anctocacy vi hidas, Kenwino etiam & Baldredo conſentientibus, dedit Glaſtoniam: quam donationem Cedvalla confirmavit, & propria manu, licet paganus, ſignum crucis expreſſit.

De glorioſo Rege Ina, qui Glaſtoniam tam in donis quam privilegiis multipliciter honoravit.

NUnc quia ſerie annorum ducente ad Inam Regem Weſtſaxonum venimus, libet terras particulatim exprimere, quas idem eximius vir vetuſtæ Eccleſiæ in Glaſtoniam pia contulit liberalitate.

De Brente data per Inam.

ANno ab incarnatione Domini DCXX, Ina dedit Hemgiſlo Abbati Brente x Hidas; quam terram Berthwald Abbas ſponte propria deſeruit, & ſine noſtra violentia, & ſine expulſione, locum proprii Cœnobii dimiſit, & contra interdictum & voluntatem pontificis noſtri deceſſit. Idem Rex eidem Abbati in hæc verba privilegium conceſſit.

Parvum privilegium Regis Ine.

IN Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ego Ine Rex decreto & conſilio præſulis noſtri Aldelmi, ſimulque cunctorum Dei ſacerdotum ſuggeſtione, & Monachorum petitione, qui in Parochia Weſt-Saxonum converſantur, hanc liberalitatem Monachis, qui in Eccleſia beatæ Dei genitricis Mariæ, & beati Patricii, omnipotenti Deo ſub abba Hemgiſlo famulantur, in priſtina urbe quæ dicitur Glaſtingai, impendo, & hanc privilegii dignitatem ſuper altare pono, ut ſine impedimento rerum ſecularium, & abſque tributo fiſcalium negotiorum, liberis mentibus ſoli Deo ſerviant, & monaſticam diſciplinam, Chriſto ſuffragium largiente, regulariter exerceant, & pro ſtatu & proſperitate regni noſtri, & indulgentia commiſſorum criminum ante conſpectum Divinæ majeſtatis preces fundere dignentur.

Et infra, *Pro ampliori firmitatis teſtamento, Principes & ſenatores, judices & patricios ſubſcribere fecimus: actum publice hoc confirmatum in lignea baſilica, anno ab incarnatione Domini* DCCIV°. *Ego Aldelmus ſubſcripſi* &c.

Hic Hemgiſlus ſc. Linis fato perfunctus, in vetuſta Eccleſia pauſam corporis ſuſcepit.

Bouelt.

Suceſſit Berualdus anno ab incarnatione Domini DCCV°. Ina Berualdo Abbati dedit xx Hidas juxta Tamer, & xx Hidas in loco qui dicitur *Bouelt.*

Sowy.

Soey XII. Hidas. Corregs VI Hidas.

Eſcford.

Eſcford dimidium hidæ cum captura piſcium.

Dulting.

Dulting xx hidas, *Ego Adelmus hanc ſcedulam ſcripſi.*

Pitton.

Dedit & Ina Rex Pilton xx Hidas eidem abbati.

Cliwere.

Dedit Wilfridus Epiſcopus inſulam de Wethmor LXX Hidas, à Rege Kenwino ſibi datas, & Villam de Cliwere I Hidam.

Bledehit.

Illi ſucceſſit Albert, anno incarnationis Domini DCCXII, cui Forthere Epiſcopus Succeſſor Sancti Aldelmi dedit Bledahit I Hidam.

Succeſſit Echfridus, cui, anno incarnationis Domini DCCXIX, dedit Ina unam Hidam cum Captura piſcium Axe. Eidem Bugu abba dedit Ora, tres Hidas. Fundavit inſuper Ina majorem Eccleſiam de Apoſtolis Petro & Paulo; & quia plures ibidem baſilicæ fuerunt, libet de ſitu diverſarum eccleſiarum Glaſtoniæ, & fundatoribus earum, veritatem interſerere.

Primam igitur & vetuſtiſſimam fecerunt XII Diſcipuli Apoſtolorum Philippi & Jacobi, ut præſcriptum eſt; hæc ſita fuit in occidentali parte aliarum. Secundam fecit Sanctus David Menevenſis Epiſcopus, in orientali parte antiquioris Eccleſiæ, in honorem beatæ Mariæ, quando vetuſtam Eccleſiam dedicare diſpoſuit, ac à Domino prohibitus eſt, eo quod ipſe eandem dedicaverat. Tertiam fecerunt XII viri, à boreali parte Britanniæ venientes, ſcilicet Morgen, Catgur, Badmor & cæteri ſuperius memorati; & hæc ſimiliter erat ſita in orientali parte vetuſtæ Eccleſiæ. Quartam & majorem conſtruxit Ina Rex, in honore Domini ſalvatoris, & Apoſtolorum Petri & Pauli, in orientali parte aliarum, pro anima fratris ſui Mules, quem Cantuariæ infra Cantuariam incenderant; in cujus ſupremo ordine hos verſus fecit deſcribi.

Siderei montes, ſpecioſa cacumina Syon.
A Libano geminæ flore comante cedri,
Cœlorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce Coronas,
Celſior ille gradu, doctior hic monitis
Per corda hunc hominum reſerantur, & aſtra per illum.
Quos docet iſte ſtilo, ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cœli hic dogmate, clavibus alter.
Eſt via cui Paulus, janua fida Petrus.
Hic petra firma manens, ille architectus habetur.
Surgit in his templum, quo placet ara Deo.
Anglia plaude libens, mittit tibi Roma ſalutem:
Fulgor Apoſtolicus Glaſtoniam irradiat.
A facie hoſtili duo propugnacula ſurgunt,
Quos fidei turres urbs caput orbis habet.
Hæc pius egregio Rex Ina refertus amore,
Bona ſuo populo non moritura dedit.
Totus in affectu Divæ pietatis inhærens,
Eccleſiæ juges amplificavit opes.
Melchiſedec noſter merito Rex atque ſacerdos,
Complevit veræ Religionis opus.
Publica jura regens, & celſa palatia ſervans,
Unica pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens illic meritorum vivet honore,
Hic quoque geſtorum laude perennis erit.

De Capella Argentea quam ibidem fecit Rex Ina cum ſuis vaſis.

FEcit etiam Idem Rex conſtuere quandam capellam ex auro & argento, cum ornamentis & vaſis ſimiliter aureis & argenteis, ac infra majorem collocavit. Ad capellam itaque conſtruendam duo millia & ſexcenta & quadraginta libras argenti donavit, & altare ex ducentis & ſexaginta

ginta quatuor libris auri erat; calix cum patena de x libris auri; incenſarium de viii libris & xx mancis auri; candelabra ex xii libris, & dimidio argenti; coopertoria librorum Evangelii de xx libris, & lx mancis auri; vaſa aquaria & alia vaſa altaris ex xvii libris auri; pelves de viii libris auri; vas ad aquam benedictam ex xx libris argenti; imago Domini & beatæ Mariæ & duodecim Apoſtolorum ex centum & lxxv libris argenti, & xxxviii libris auri; palla altaris, & ornamenta ſacerdotalia undique auro & lapidibus pretioſis ſubtiliter contexta. Hunc ergo theſaurum ob amorem Sanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ monaſterio Glaſtoniæ dictus Rex contulit devotiſſime. Inſuper ſcripto Regio terras, poſſeſſiones, & libertates ejuſdem Eccleſiæ confirmavit in hæc verba.

Magnum privilegium Regis Inæ.

Adjuva nos Deus Salutaris noſter. Quæcunque ſecundum decreta canonum, atque Eccleſiaſtica inſtituta, ſalubri conſilio diffiniuntur, quamquam ſermo tantum abſque textu ſufficeret, tamen quam plerumque noſtris temporibus tempeſtates & turbines ſecularium rerum etiam portas Eccleſiæ pulſant; idcirco operæ pretium cenſuimus ob cautelam futurorum, ea quæ diffinita ſunt paginis ſcripturarum annectere, ne in poſterum oblivioni tradita ignorentur. Quapropter ego Ina regali fretus dignitate à Domino, cum conſilio Sexburgæ Reginæ, & licentia Beorchwaldi Dorobernenſis Eccleſiæ pontificis, & omnium ſuffraganeorum ſuorum, nec non etiam hortatu Baltdredi & Athelardi ſubregulorum Eccleſiæ vetuſtæ, quæ eſt in loco qui dicitur Glaſtein, quam magnus ſacerdos & pontifex ſummus angelorum obſequio ſibi, ac perpetuæ virgini Mariæ, Beato David, multis & inauditis miraculis olim ſe ſanctificaſſe innotuit, ex his quæ paterna hæreditate poſſideo, & in Dominium peculiare teneo, locis continuis & congruentibus concedo, ad ſupplementum vitæ regularis, & ad uſum monachorum, Brente decem Hidas, Sowi duodecim Hidas, Pilton viginti Hidas, Dulting decem Hidas, Bledeni unam Hidam, cum his omnibus, quæ anteceſſores mei eidem Eccleſiæ contulerunt. Benewalchius, qui Sancto Theodoro Archiepiſcopo interveniente, Ferlingruere, Beokerie, Godenie, Martineſie.

Kenwinus Rex qui Glaſtingeiæ matrem Sanctorum vocare ſolitus fuerat, & eam ab omni ſeculari & Eccleſiaſtico obſequio immunem ſtatuit, & hanc privilegii dignitatem conceſſit, ut habeant fratres ejuſdem loci poteſtatem eligendi & conſtituendi ſibi rectorem juxta regulam Sancti Benedicti.

Hedde Epiſcopus, qui, Cedwalla annuente, & propria manu licet paganus confirmante, Lantokay, Baltdrec, qui Pennard, vi *Hidas. Adthelard qui Preld,* lx *Hidas, Ina annuente & confirmante, dederunt. Quorum ego devotioni & benignæ petitioni aſſentio, & contra malignantium hominum, & oblatrantium canum inſidias, regalium munimine litterarum invigilo, quatinus Eccleſia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & perpetuæ virginis Mariæ, ſicut in regno Britanniæ eſt prima, & fons & origo totius religionis, ita & in ipſa ſupereminentem privilegii obtineat dignitatem, nec ulli omnino hominum ancillare obſequium faciat in terris, quæ ſuper choros angelorum dominatur in cœlis. Igitur, ſummo pontifice Gregorio annuente, & ut matrem Domini ſui in ſinum & protectionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ me licet indignum cum ipſa ſuſcipiente; conſentientibus etiam omnibus Britanniæ regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, atque Abbatibus, ſtatuo ego atque confirmo quatinus omnes terræ & loca & poſſeſſiones Beatæ Mariæ Glaſteiæ ſint quieta, & ab omnibus Regiis exactionibus & operibus, quæ indici ſolent, videlicet expeditione & pontis arciſve conſtructione, & ab omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum promulgationibus, & perturbationibus, ſicut in antiquis ejuſdem Eccleſiæ Cartis ratum eſſe invenitur, & à predeceſſoribus meis Kenewalchio, Kenwino, Cedwalla, Baldredo confirmatum eſſe dignoſcitur, inconcuſſa & illibata permaneant. Et quæcunque emerſerint cauſæ in homicidiis, ſacrilegiis, veneficiis,*

ficiis, furtis, rapinis, in diſpoſitione Eccleſiarum, & deſcriptione, in ordinatione Clericorum, in Conventiculis Synodalibus, & in omnibus judiciariis examinationibus, abſque ullius hominis præjudicio, abbatis & conventus diſpoſitione diffiniantur. Sed & omnibus regni mei Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, & Principibus, ſuper honorem ſuum & amorem meum præcipio, & omnibus tam meis quam eorum miniſtris ſuper ſalutem corporis ſui præcipio, ne ullus eorum in inſulam Domini noſtri Jeſu Chriſti, & perpetuæ virginis Mariæ Glaſteiæ, nec ejuſdem Eccleſiæ poſſeſſiones cauſa placitandi, perſecutandi, rapiendi, præcipiendi, interdicendi, vel aliquid faciendi, quod ibidem Deo famulantibus poſſit eſſe in ſcandalum, audeat intrare: illud autem omnipotentis Dei, & perpetuæ virginis Mariæ, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium interceſſione Sanctorum; interdictione interdico, ne in ipſam Glaſtoniæ Eccleſiam, nec in Eccleſiis ſibi ſubditis, videlicet Sowy, Brente, Merlinge, Sapewic, Stret, Sbudecaleth, Pilton, nec in earum Capellis, ſed nec in inſulis, aliqua interveniente occaſione, Epiſcopus Cathedram ſibi Epiſcopalem ſtatuere, nec miſſas ſolemnes celebrare, nec altaria conſecrare, nec Eccleſias dedicare, nec ordines facere, nec aliquid omnino diſponere præſumat, niſi ab Abbate vel à fratribus invitatus fuerit. Quod ſi ad hæc invitatus fuerit, nihil de rebus Eccleſiæ, ſed nec de ipſis oblationibus, ipſe ſibi aliquid uſurpet. Duobus in locis, ex ipſius Eccleſiæ poſſeſſionibus, duas ei delegamus manſiones, unam in Poetr, alteram in villa, quæ Piltona dicitur, ut habeat ubi adveniens hoſpitetur, vel inde veniens ſe ſe recipiat, neque vero eum ibi niſi importunitate temporis, aut moleſtia corporis detentus fuerit, aut ab Abbate vel à fratribus rogatus fuerit, nec amplius quam cum tribus aut quatuor clericis pernoctare licet. Hoc etiam provideat idem Epiſcopus, ut ſingulis annis eum clericis ſuis, qui Fontanetum ſunt, ipſam matrem ſuam, Glaſtonienſem videlicet Eccleſiam, feria ſecunda poſt aſcenſionem Domini cum letania recognoſcat. Quod ſi ſuperbia inflatus eam diſtulerit, & quæ ſuperius dicta & confirmata ſunt prævaricaverit, manſiones ſibi ſuperius delegatas amittat; Abbas vel monachi à quocunque voluerint, qui paſcha Canonicum celebret Eccleſiaſtica in Glaſtonienſi Eccleſia, aut in Eccleſiis ſibi ſubjectis, aut in earum Capellis præcipiat: quiſquis autem hujus meæ munificentiæ & liberalitatis teſtamentum, quovis deinceps tempore, aliqua occaſione cujuſlibet dignitatis, vel profeſſionis, vel gradus pervertere, vel in irritum deducere tentaverit, ſciat ſe cum Juda proditore æterna confuſione, edacibus ineffabilium tormentorum periturum flammis. Scripta eſt autem hujus donationis & privilegii pagina, anno dominicæ incarnationis DCCXXV, *Indictione* IV, *ſub præſentia Inæ Regis, & Beortwald Dorobernenſis pontificis, venerandorumque antiſtitum Danielis atque Fordredis, & aliorum quorum nomina inferius annotantur.*

Ego Ina Rex propriæ manus ſubſcriptione hanc donationem & libertatem ſub ſigillo ſanctæ crucis ratam fieri decerno. + Ego Ædelburga regina conſenſi + Ego Baldredus Rex confirmavi. Ego Adelard frater reginæ conſenſi + Ego Borthwaldus Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Inæ Regis donationem & libertatem ſub ſigillo Sanctæ Crucis corroboravi, & magnates quamplures alii.

De Fine Regis Inæ.

DEhinc prædictus Rex Ina litteras regali ſignaculo ſignatas ſummo pontifici direxit, in quibus omnia prædicta continebantur, ſimul eum quodam cypho aureo, ac aliis donis regalibus, ſupplicans ut Glaſtonienſem Eccleſiam cum pertinentiis & libertatibus ſuis in protectionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuſciperet, & ipſam auctoritate Apoſtolica in perpetuum confirmaret. Eodem autem anno, quo idem Rex Romam perſonaliter adiit, privilegium Apoſtolico ſignaculo corroboratum in redeundo Glaſtoniam apportavit. Et poſtea iterum cum Æthelburga regina ſua, inſtinctu videlicet ejuſdem, Romam abiit. Ibi ne converſionis ſuæ pompam

pam faceret, ut ſolius Dei placeret oculis, amictu plebeio tectus clam conſenuit, demum viam univerſæ carnis ingreſſus, non ſine magnis, ut accepimus, miraculis.

De cengille Abbate.

Æ Thfrido Abbati ſucceſſit Cengille, anno dominicæ incarnationis DCCXXIX. Edelard ſucceſſor Inæ conceſſit familiæ, quæ in monaſterio Glaſtingebienſi omnipotenti Deo, ſub religioſo Abbate Cengillo famulantur, in ſtabilem poſſeſſionem LX Hidas in Polonholt, & in Torric x. Ejuſque uxor Fredogipa, Brunantun v Hidas.

Privilegium Cuthredi Regis.

ANno Dominicæ incarnationis DCCXLIV, Cuthred Rex Weſtſaxonum dedit hujuſcemodi privilegium Glaſtoniæ. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ego Cuthredus Rex Saxonum univerſa regum priorum ſuppetitia Kentwines, Baldredes, Cedwallani, Ines, Ethelardes, Athelbaldes Regis Merciorum, in villis, & in vicis, & in agris, ac in prædiis, maſſiſque majoribus, ut eſt priſtina urbs Glaſtoniæ corroborata, ſicque propriæ manus ſubſcriptione cruciſque ſigno confirmatum hoc donativum ſtabili jure gratum & ratum regum prædictorum decerno durare, quandiu vertigo poli terras atque æquora circa æthera ſiderum juſſo moderamine volvet. Si quis autem hujus meæ donationis teſtamentum viſus fuerit confringere, vel greſſum pedis nobis* Hengiſlingum *traditum, uberemque glebam extra terminos præfixos, vel definitos limites, ſeu conſtitutos fines adimere, ipſe acrius mulctatus ſit infernalis ergaſtuli in pœna demerſus, violentiæque ſuæ præſumptionem luat in ævum,* Amen. *Ego Cuthredus Rex Weſtſaxonum propriæ manus ſubſcriptione Sanctæ crucis deſignans effigiem, ut nemo qui ſe regeneratum in Chriſto noverit, præſumat mutare hanc donationem* +. *Ego Kerewaldus Epiſcopus ſubſcripſi & confirmavi* +. *Signum manus Cumbran præfati Regis & aliorum multorum nobilium. Exemplar hujus largitionis & privilegii promulgatum eſt anno incarnationis Domini* DCCXLIV, *in prædicto cœnobio, ſub præſentia Regis Cuthredi, quod propriæ manus munificentia, votiva vero devotione, altario ſacro commendavit, in lignea baſilica & honorabili, qua fratres beatæ memoriæ Hemgilli ſarcophagum ſortiuntur. Ego Daniel ſubſcripſi.*

De Ure & Baltenesbeorge.

ANno ſequente, id eſt Incarnationis dominicæ DCCXLV, idem Cuthred dedit Cumberto abbati Ure III Hidas, Lullc Baltenesbeorghe Scrobbamuth x Hidas. Sequente vero, id eſt incarnationis Domini DCCXLVI anno, Ego Æthelbald, pro redemptione animæ meæ, Tumberto IX annos præſidenti, & familiæ quæ in monaſterio Glaſtingabiry fideli Deo famulantur obſequio, largitus ſum pretio CCCC Solidorum IV. Hidas duobus in locis, Jetelig & Bradanlegh.

De Tican Abbate.

ANno DCCLIV. Sigebertus pretio L Solidorum auri conceſſit Ticam Abbati, & monachis in urbe Glaſtingenſium degentibus, XXII Hidas in Poloit. Idem etiam Tican VI Hidas, quæ in occidentali parte illius remanſerant, pretio regio, ſcilicet L Solidos auri, ab eodem rege comparavit, ut æterna eſſet hæreditas Monaſterii Glaſtoniæ. De hoc qui & VI annis Glaſtoniæ præfuit ſuperius præoccupavi dicere, quas ſcilicet reli-

quias Eccleſiæ attulerit: ubi ſepulturam cum ſociis acceperit, teſtatur hoc Epitaphium, quod legere non neglexi

Tumbo hæc mirifico fulget fabricata decore,
Deſuper exculptum condit ſub culmine Ticam.

De quo Sepulchro per ſuccidua ſecula iſtud narratur miraculum, quod cum illud quidam aggreſſus eſſet diruere, ſtatim cæcitate mulctatus cognovit culpam, neſcio ſi promeruit veniam.

De Guban Abbate ſub Cinewlfo Rege.

ANno DCCLX, Cinewlfus Rex dedit Guban Abbati, qui & Glaſtoniæ II. annis præfuit, Sudeton V Hidas. Huneresburg in orientali ripa Petride; Ethelard miniſter ejus III Hidas in Cedern. Sulca Chriſti ancilla dedit Culum XI. Hidas, Cumbæ III Hidas.

Anno DCCXII Cinewlt dedit Walduno Abbati Cunctum V Hidas; hic præfuit Glaſtoniæ XXXII annis.

Anno DCCXXIV. Offa Rex Merciorum dedit Beadewlfo abbati ad ſupplementum venerabilis Eccleſiæ in Eſpirht X Hidas; hic præfuit VI annis, Ethelmund aſſenſu Regis Offæ dedit Huneſwulle I Hidam.

De libertate data Kinelmo in Eccleſia Glaſtoniæ.

ANno DCCXXVI, Leo tertius ejus nominis papa factus eſt. Quo tempore Carolus magnus regnabat in Francia, Brihtricus erat Weſtſaxonum, Kenwulfus poſt Egfridum, qui patri Offæ vix quatuor menſibus ſucceſſerat, Rex Merciorum in Anglia. Sed de Papa iſto & regibus, ſi quis dignabitur legere, in geſtis regum Anglorum libro primo poterit invenire, nunc eorum nomina tetigiſſe ſufficiat, quoniam ad rem, quam explicare conamur, multum attinet. Leo vero Papa confirmavit Kinelmo libertatem donationis monaſterii Glaſtonienſis, in octingentis Hidis, ipſi & ſucceſſoribus ejus in perpetuum. Ita tamen ut monaſterium in ſua religione & ſtabilitate in omnia ſecula perſeveraret. Data eſt autem libertas Kinelmo, annitente & confirmante Kenwlfo rege merciorum, & fortaſſe, ſicut ex conſequentibus conjici poteſt, mutato, ut fit, regnorum ſtatu, quamvis Glaſtonia ſit in Weſtſaxonia, Merciorum reges vel eam pro amore defenſitabant, vel ei pro jure imperitabant. Privilegia ſane Papæ & Regis, quia nuſquam niſi Anglice ſcripta reperi, in eo labore transfundam in latinum, quantum intelligo ex ſenſu ſenſum.

Privilegium Leonis Papæ.

LEo Apoſtolicæ ſedis Papa, ſervus ſervorum Dei, Kinelmo Regi, & ejus miniſtris, & cognatis, & ſucceſſoribus ejus, optat & mittit pacem & ſalutem perpetuam. Bonæ voluntatis & laudabilis optationis cogitatio, tum Apoſtolicis ſcriptis eſt confirmanda & corroboranda, ut quod bene fuerit factum, & per rationabilia exempla confirmatum, nulla deinceps poſſit corruptione vel turbari vel frangi, imo potius inviolabili rectitudine, & Divina auctoritate, debeat inconcuſſum permanere. Et ideo egregie Apoſtolica ſententia præcipitur, ut incunctanter confirmari debeat, quod recte inchoatum fuiſſe conſtat: Quapropter quia notum eſt quod tua illuſtris fides petiit à nobis, ut tibi ſcripto confirmaremus monaſterium Domini noſtri Jeſu Chriſti, in Glaſtonia Weſtſaxonum regni, in quo monaſterio ſervorum Dei congregatio eſt, cujus terræ ad octingentas Hidas numerantur in

multis

multis provinciis & locis poſitæ, ſicut Egfridus Rex omnem illam terram deſcripſit, cum judicio & licentia Brihtrici Regis, & cum licentia & teſtimonio Merciorum Epiſcoporum, & principum, & ſicut poſtea Kenwlfo Regi Merciorum omnes illæ terræ ſcripto confirmatæ ſunt. Ideo Conceſſionem illam Regum, & Epiſcoporum, & principum, cum corroboratione Regis Merciorum Kenwlfi, cum Apoſtolico robore & authoritate confirmamus tibi, Kenelme, & ſucceſſoribus tuis; monaſterium ſcilicet libere in perpetuum habendi, cum omnibus villis & agris in multis regionibus diviſis, cum omnibus rebus ad hoc pertinentibus, ſylvis, & pratis, & paſcuis, & piſcium capturis, hac conditione, ut fræquentarent ibi luminaria coram Deo, & ſpirituales cantus, & pſalmi, & miſſæ cantentur, & concordia ſine ſimulatione: hinc enim ſcriptum eſt in Evangelio, Domus mea domus orationis vocabitur. Quocirca ſervi Dei qui in hac vita laborant, debent diatim cum timore divino totum ſpirituale officium implere, ut poſſint Domino noſtro Jeſu Chriſto placere. Præterea conſtituimus cum Apoſtolico præcepto, & ſub timore divini judicii, & ſub excommunicationis interminatione, ne ullus Rex, aut Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, aut princeps, aut alicujus poteſtatis homo exaltatus, ſive in majori ordine, ſive in minori, iſta noſtra Apoſtolica decreta violenter infringat, aut minuat: ſed magis decernimus, ut præfatum monaſterium firmum & ſtabile in omnia tempora perſeveret. Quare ſi quiſlibet, quod non optamus, iſta præcepta noſtra debilitaverit, ſciat ſeipſum per authoritatem Domini Petri Apoſtolorum principis excommunicationis vinculo irretitum, & à regno Dei extorrem: quicunque vero tenuerit, & ſervarit iſta noſtra Apoſtolica decreta, ſciat ſe promeruiſſe benedictionem Apoſtolicam, & æternam vitam, à miſericorde Creatore noſtro. Data per manus Euſtachii primicerii notariorum, menſe Martio, indictione tertia, octava die Martii, confirmata per manus Paſchalis ſenioris, & conſiliarii Apoſtolicæ ſedis, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto cum Deo patre per infinita ſecula, tertio anno per miſericordiam Dei papatus Domini noſtri Leonis, in Sancta & Apoſtolica ſede Sancti Petri, & etiam per licentiam Domini Karoli Francorum regis, & Longobardorum, & Patricii Romanorum, anno Regni ejus xxv.

Privilegium Cenwlf Regis.

Regnante in perpetuum Domino noſtro Jeſu Chriſto omnium regnorum Domino, ego Cenwlf Rex Merciorum, poſtquam electus ſum in Regem per Deum omnipotentem, qui eſt omnium bonorum largitor & retributor, hanc ſubſcriptam libertatem à Domino Leone Apoſtolico papa adquiſivi, Kinelmo & ſucceſſoribus ſuis; & ſicut eandem libertatem Egfridus Rex anteceſſor meus ei firmiter condonavit, ita quoque ego ei ſcripto confirmo, cum conſilio & licentia terrenorum principum, quorum inferius nomina ſcripta ſunt, & ei ſine ullo mendacio aut dolo largior firmiter habendam. Hæc confirmatio Cenwlfi, & Epiſcoporum ejus, & principum, fuit conſtituta & ſcripta in venerabili loco, qui dicitur Glaſtingebiry, anno dccvii *incarnationis Domini, ſecundo anno regni mei, quod mihi Deus conceſſit.*

Subſcriptiones.

Ego Kenedrip *Abbatiſſa, cum cariſſimis cognatis meis* Ethelburd & Celfled, *hanc libertatem hic aſcriptam* Kinelmo *concedendo ſubſcribo, hac ratione, ut ſi etiam poſt tempus contigerit, quod venerabilis loci* Glaſtonienſis *poſſeſſionem & poteſtatem alterius progeniei homo ſuſcipiat, tamen* Kinelmus *& ejus ſucceſſores ſtabiliter ſine ulla perturbatione & fiducialiter permaneant in ſua libertate & perpetua pace. Ad confirmandam vero hanc libertatis poteſtatem, ego* Cenwlf Rex *ſignum Sanctæ crucis impreſſi. Subſcripſerunt* Ethelardus Cantuariæ, & Higbertus Eboraci *Archiepiſcopi, &* ix *Epiſcopi &* xiii *Abbates, inter quos* Beadulf *Abbas ejuſdem loci, & ſex principes.*

Quis Kinelmus iſte fuerit, cui Rex Cenwlf tantam libertatem indulſit, ambigo;

ambigo; nam quamvis filius ejus Kenelmus dictus ſit, qui vix ſeptennis poſt patris obitum interemptus eſt dolo ſororis, non putandus eſt eſſe iſte, præſertim cum ſecundo anno Regni Kenwlfi hæc libertas data fuerit, & ipſe XXIV annis regnaverit: ſed nos his dimiſſis cœpta proſequamur.

De Cuman Abbate & Egberto Rege.

ANno DCCC Succeſſit Cuman Abbas, qui & Glaſtoniæ præfuit II annis.

Anno incarnationis DCCCII, Egbertus Rex Weſtſaxonum, ad Eccleſiam Glaſtoniæ, & ad uſum monachorum, dedit V manentium poſſeſſionem, ſecus flumen quod dicitur Toric, ob petitionem Mucan Abbatis. Edgiſilius dedit Budecleg XX Hidas, aſſenſu Regis Egbirti.

Anno incarnationis DCCCXXIV Guthlac Abbas dedit Canulfo unius caſſati portionem in Brumham, pretio quingentorum ſolidorum, ducentorum Abbati, trecentorum monachis.

De Elmund Abbate & Æthelwlfo Rege, qui decimam partem Terrarum ſuarum dedit Eccleſiæ

ANno DCCCLI°. Elmund Abbas, Æthelwlfo Rege annuente, Dulting in jus monaſteriale tranſtulit, cui etiam Rex præfatus, Alhſtano Epiſcopo conſentiente, XX Hidas addidit, ad ſupplementum vitæ regularis. Idem Rex decimam terrarum ſuarum Eccleſiis ſui Regni legitur pie contuliſſe. Quo tempore monaſterio Glaſtoniæ dedit Offaculum XXIV Hidas, Bocland V Hidas, Pennard IX Hidas, Occeneſeld, Scearamton VI Hidas, Sowy decem Hidas, Pyrinton, Logderesbeorgum, Occemund, & Bedul, Branuc, Duneald. Ethelſtanus Comes dedit Clutton X Hidas, aſſenſu ejuſdem Æthelwlfi Regis. Cartulam hanc præfatæ hæreditatis ſuæ, præfatus Comes cum corpore ſuo commendavit ad monaſterium Glaſtoniæ, obſecrans in nomine Jeſu Chriſti, ut fratres illius monaſterii nunquam ipſam linquant. Ænulfus comes dedit Dicheſpite, & Lotteſhan XXX Hidas, aſſenſu Regis Æthelwlfi, & Honblaperton, & Beangean hangran. Ethelredus Rex filius Æthelwlfi dedit Winter-burn XXV Hidas Wlferæ Comiti, quas ipſe poſtea Glaſtoniæ contulit.

Anno DCCCLXVII Athelbald filius Æthelwlfi Regis dedit Hereſertho Abbati, XIV annis præſidenti, Branucmunſter X Hidas, ad capturam Iſiciorum, ad Eccleſiam vetuſtam beatæ Dei Genitricis Mariæ, & ad uſum Monachorum in Glaſtingenſi monaſterio; quo tempore Rex Alfredus frater Athelbaldi filius Athelwlfi dedit Glaſtoniæ lignum Domini, quod ei Papa Martinus dedit.

De Ethelſtano Rege.

ANno DCCCCXVI Ethelſtan Rex dedit Merkeſburg Athelmo duci X Hidas, quas ipſe poſtea contulit Glaſtoniæ.

Wlhelm Archiepiſcopus dedit Devereb XX Hidas, aſſenſu ejuſdem Regis. Offricus dedit Werdeverel hoc eſt Munecaton X Hidas.

De Winterburn, Wrington.

ÆLfleda Regina Edvardi Regis dedit Wintburnæ X Hidas.

Ethelſtanus dux dedit Wrington XX Hidas, à Rege Ethelſtano ſibi

ſibi collatas. Quam poſſeſſionem idem dux, converſus & factus monachus, ad monaſterium Glaſtoniæ ſecum obtulit. Idem inſuper dedit Weſton, quæ nunc Foxcote dicitur, v ſcilicet Hidas. Dedit etiam Lim vi Hidas. Uſſa vidua dedit Stoka v Hidas. Præfuit autem Glaſtoniæ tunc temporis Elfricus Abbas xiv annis. Prædicta igitur omnia per miniſtros Regis Ethelſtani Glaſtoniæ collata, ejuſdem regis aſcribuntur munificentiæ, & pium ejus in Glaſtoniam affectum famulorum loquitur liberalitas, quorum devotio frequenter inclinatur, quo dominorum animum viderint inardeſcere. Quæ idem Rex vetuſtæ Eccleſiæ in Glaſtonia devote confirmans, ſcilicet lxxxvi Hidas, multaſque adjiciens præcellentes innumeraſque reliquias, prout in textu Sancti Dunſtani annotatum eſt, Glaſtoniæ conferebat.

De Styward.

Anno dcccclxxxxi Succeſſit Styward. Hujus mores à nomine non diſcediſſe picturæ teſtantur, ſemper eum in omni imagine ſua cum flagello vel ſcopa repræſentantes.

Anno Dominicæ Incarnationis dccccxxii, Edvardus reddidit Aldhunò Abbati Cumton

De Sancto Dunſtano Abbate.

Puto palam eſſe, quantum à veritate ille longe fuit, qui beatum Dunſtanum primum Abbatem Glaſtoniæ fuiſſe deliravit; ſed quia ex antiquitatis gurgite rerum notitiam eliquavimus, & quaſi ex ignorantiæ tenebris in lucidiora tempora evaſimus, nunc liberiore otio in his ſpatiabimur, quæ tempore beati viri, qui Glaſtoniam xxii annis regebat, monaſterio collata noſcuntur. Primam itaque, diebus ejus, liberalitatis palmam præripuit Edmundus frater Ethelſtani, qui etiam, ut ante dictum eſt, Divinæ mentis conſilio eum ibidem Abbatem conſtituerat. Is anno dominicæ incarnationis dccccxl. dedit Dunſtano Criſtemulcford xx Hidas, Hingeſtan viii Hidas, Wudetun v Hidas, Watelea iv Hidas, reddidit Wrington xx Hidas; dedit etiam Pukeleſcirkean xxx Hidas, Eſcford cum captura piſcium dimidium Hidæ. Ejus uxor Epelfled ejus juſſu Dom'ham cum Mertone & Pendrigton c hidas dedit, Stane viii Hidas. *Hæc*, inquit, *pro abſtertione piaculorum meorum, & Ælfredi avi mei, & Edwardi patris mei, confero ad Eccleſiam vetuſtam beatæ Dei genitricis in monte Gleſtingenſi.*

De Acford, Bocland, Plis, & Hamedòne.

Ælfleda vidua Edvardi Regina dedit Acford, Bocland, & Plis xxvii Hidas, Hamedeine xv Hidas, aſſenſu Regis Edmundi. Wilfridus miniſter dicti Regis, aſſenſu ejuſdem, dedit Hington xxx Hidas, & Girlingeton x Hidas, & ad Furnanwrthe v Hidas. Idem Wilfridus dedit poſt obitum conjugis ſuæ Gretelington xxx Hidas, & Netelington xx Hidas. Quod tamen ſucceſſor ejus Ælwinus, datis cartulis, aſſumpto habitu regulari complevit. Item præfatus Rex Edmundus dederat eidem Wilfrico Tintanhulle v Hidas, quas idem Wilfricus poſtea cum corpore ſuo Glaſtoniæ commendavit: Ælſy dedit Badecumbe xx Hidas, aſſenſu Regis Edmundi. Idem Rex dederat Ethelſtano comiti Melnes xx Hidas, quas idem Comes Glaſtoniæ contulit. Sigewlfus dedit Abbedesburgh v Hidas, aſſenſu Regis Edmundi: Welfeh dedit Langeford ii Hidas. Hæ omnes terræ, videlicet ccclxviii & dimidium Hidæ, ab Edmundo Rege & ſuis miniſtris collatæ, ejuſdem Regis & ſuorum in Glaſtoniæ monaſterium, & protectorem ejus

Dunſtanum glorioſiſſimum, miram teſtantur devotionem. Idem etiam Rex, quo dictum locum donis inſigniret majoribus, multas reliquias, quas per terram Norhanimbrorum, aut etiam in partibus tranſmarinis, perquiſierat, Glaſtoniæ pia contulit liberalitate, quas in veteribus libris annotatas reperies. cui etiam corpus proprium poſt deceſſum ſuum, loci allectus ſanctitudine, devovit. Ubi & requieſcit uſque in hodiernum diem, dedit & hujus privilegium.

Privilegium Edmundi Regis.

IN Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Ego Edmundus Rex Anglorum, cæterarumque in circuitu gentium perſiſtentium gubernator & rector, cum conſilio & conſenſu optimatum meorum, pro æterna retributionis ſpe, & relaxatione peccaminum meorum, concedo Eccleſiæ Sanctæ Dei genitricis Mariæ Glaſtoniæ, & venerabili viro Dunſtano, quem ibidem Abbatem conſtitui, libertatem & poteſtatem, jura & conſuetudines, & omnes forisfacturas omnium terrarum ſuarum, Burgebrice Hundred, Socna, Athas, Ordelas, Infangenetheoſas, Hamſocne,, Trithbrice, Foreſteall, & Toll & Feam, in omni regno meo. Et ſint terræ ſuæ liberæ, & ſolutæ ab omni calumnia, ſicut meæ mihi habentur. Sed præcipue ipſa villa Glaſtoniæ, in qua celeberrima vetuſta Eccleſia ſita eſt, præ cæteris ſit liberior cum terminis ſuis. Abbati ejuſdem loci tantummodo poteſtas ſit tam in notis cauſis quam in ignotis, in modicis & in magnis, & in his etiam quæque ſuper & ſubtus terram, in aridis & in rivis, in ſylvis & planis, & eandem authoritatem puniendi aut dimittendi delinquentium in ea commiſſa habeat quam mea curia, quemadmodum mei anteceſſores conceſſerunt, & ſtatuendo firmaverunt. Videlicet Edwardus pater meus, & Elfredus pater ejus, & Centuwines, Ines, Cuthredus, & alii quamplures, qui locum illum honorantes glorioſum habuerunt, & Apoſtolica auctoritate roboraverunt, quibuſcum omni alacritate conſentio. Et ne quiſquam mortalium, ſeu Epiſcopus, aut dux, vel quiſlibet miniſter eorum, audeat eam temere intrare, cauſa placitandi, vel rapiendi, vel quippiam faciendi, quod contrarium poſſit eſſe inibi Deo ſervientibus, Dei interdictione prohibeo. Quiſquis igitur benevola mente meam donationem ampliare, & privilegii dignitatem ſervare ſategerit, in hoc præſenti ſæculo vita illius proſpera ſit, & longiturnæ vitæ gaudia teneat. Si quis autem propria temeritate violenter invadere tentaverit, ſciat ſe proculdubio ante tribunal diſtricti judicis titubantem tremebundumque rationem redditurum, niſi prius digna ſatisfactione emendare maluerit. Acta eſt autem hujus privilegii pagina, anno Dominicæ incarnationis nongenteſimo quadrageſimo quarto, indictione ſecunda.

Scriptaque eſt litteris aureis in libro Evangelii, quam eidem Eccleſiæ obtulit, opere ſatis eleganti compoſito. Hactenus de Edmundo, qui, ſicut pluſquam ſemel in hoc opuſculo dixi, jacet Glaſtoniæ, ad ſiniſtram, in turri majoris Eccleſiæ.

De Edredo Rege Anglorum.

ANno nongenteſimo LIV. dedit Edredus Rex frater Edmundi pretio quinquaginta ſolidorum auri Baddeburi XXVI Hidas, & juxta opidum Twinam, id eſt Criſteſcirce, I Hidam, & capturam piſcium: dedit etiam Ternuc & Stapelwilt, & partem Dennuni, & Elenberwe. Reddidit inſuper Pukeleſcirke, & Dulting pridem alienatas, aut aliqua tirannide, ſeu incuria prælatorum. Idem etiam dedit Wilfrico miniſtro ſuo Hortonum X Hidas, quas ipſe, conſenſu Domini ſui, poſt obitum ſuum Glaſtoniæ delegavit. Sed Elwinus ſucceſſor in hæreditate, ibidem regulari ſuſcepto habitu, alterius votum duxit ad effectum. Ælfred dedit Camelarton V Hidas, aſſenſu regis Edredi.

De

De Edwio Rege.

Anno dcccclvi Edwi filius Edmundi, acto in exilium patre Dunſtano, Pſeudo-Abbati Elſio, quem Glaſtoniæ intruſerat, dedit Pagenebeorh. i Hidam, ab omni ſervitio liberam. Idem dedit Blakeford iii Hidas. Elſegus miniſter ejuſdem aſſenſu ſuo dedit Cranmere xii Hidas. Ezericus, aſſenſu ejuſdem Regis, dedit Widecumbe vi Hidas. Ælwinus miles dedit unam partem de Sturton. Brihtricus Giffelton v Hidas, aſſenſu ejuſdem regis. Cartulam hanc præfatæ hæreditatis Buhtricus cum corpore ſuo ad monaſterium Glaſtoniæ commendavit, obſecrans in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut fratres illius monaſterii nunquam illam linquant, Buthcere dedit Widangere, aſſenſu Edwi regis Domini ſui.

De Edgaro Rege.

Poſt enumerationem Anteriorum Abbatum, & largitiones Regum, tandem ad feliciſſima Edgari tempora venimus. Quæ ideo feliciſſima dixerim, quia & Angelorum nunciante tripudio, & beati patris Dunſtani in Archiepiſcopum ſublimatione, proindeque omnis boni copia floruere. Quæ paulo latius proſequamur. De ipſo Beatus Dunſtanus, in Eccleſia Beatæ Mariæ Glaſtoniæ cœleſtibus ſtudiis invigilans, in hora nativitatis ejuſdem, vocem cœlitus intonantem audivit, pax Anglorum Eccleſiæ, exorti nunc pueri & Dunſtani noſtri tempore, cujus oraculi veritatem, ut alibi digeſtum eſt, rerum exitus comprobavit. Idem, regni ſuſcepto regimine, Dunſtanum per Edwium exilio damnatum cum gloria revocavit, & magna optimatum ambitione primo in Epiſcopum Wigorniæ, ſecundo in Epiſcopum Londoniæ, tertio in primatem Cantuariæ promovit; Regni quidem curas Rex optime adminiſtrans, Eccleſiæ pacem non negligebat. Nullus vero unquam regum Anglorum poterit certare laudibus Edgari, quorum ipſe omnium, & pace quietior, & divitiis exuberantior, & pietate in Deum pronior fuit. Non autem quiete temporum abutebatur, ut quidam, qui pacis indultæ rapientes in ſuos uſus occaſione, vel ſupinantur illecebris, vel montes auri congerentes, incumbunt divitiis: Quin potius frequentibus doctoris ſui & patroni ſtimulatus monitis, quaſi æmulo devotionis officio, Dei reſpondebat gratiæ tum per ſe tum per ſuos, monaſteriorum utilitatibus proſpiciens, quorum Glaſtonienſe maximo præ cæteris dignatus amore, optimatum patriæ conſilio tali honoravit privilegio, ut nunquam ibi Abbas niſi ejuſdem loci monachus eſſet, ſi ullo modo aptus vel etiam congregationis infimus inveniri poſſet. Sin vero extrema indigenarum penuria alterius Monachum loci poſtularet, is promoveretur, in quo Glaſtonienſis congregationis unanimitas conveniret. Porro Abbas & ipſe à quolibet Epiſcopo benedictionem ſuſciperet; & monachos clericoſve ſuos benedici juberet; & ſuorum ſervientium commiſſa ſine præjudicio Epiſcopi, vel miniſtrorum Regis, incunctanter coerceret: Nec ullus omnino inſulam nativitatis ſuæ conſciam, ſive Epiſcopus, ſive dux, aut princeps, aut cujuſcunque ordinis alius intraret, cauſa placitandi, vel quippiam faciendi [& infra] ſicut & prædeceſſores ſui ſanxerunt, ſcilicet Kenwines, Ines, Achelardus, Cuthredus, Ælfredus, Edwardus, Ethelſtanus, & Edmundus. Hoc donum, ne inſtabile vel inglorium eſſet, lituo eburneo, quem linibus auri prætexebat, ſuper altare dato confirmavit. Lituum ſane, ſe præſente, per medium ſectum fida cuſtodia aſſervari juſſit, ut & teſtimonio in poſterum proficeret, & cupiditatem raptorum inciſionis damno frænaret. Dedit etiam aliud privilegium in hæc verba.

Privilegium

Privilegium Edgari Regis.

" IN Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, quamvis decreta pontificum & " verba ſacerdotum, velut fundamenta montium, inconvulſis ligamini- " bus fixa ſint, tamen plerumque tempeſtatibus & turbinibus ſecularium re- " rum, Religio Sanctæ Eccleſiæ maculis reproborum diſſipatur, ac rumpi- " tur. Idcirco profuturum ſuccedentibus poſteris eſſe decrevimus, ut ea, " quæ ſalubri conſilio & communi aſſenſu diffiniuntur, noſtris litteris robo- " rata firmentur. Quapropter dignum videtur ut Eccleſia beatiſſimæ Dei " genitricis ſemperque virginis Mariæ Glaſtoniæ, ſicut ex antiquo principa- " lem in regno meo obtinet dignitatem, ita ſpeciali quadam & ſingulari pri- " vilegii libertate per nos honoretur. Hoc itaque, Dunſtano Dorobernenſi, " atque Oſualdo Eboracenſi Archiepiſcopis adhortantibus, conſentiente eti- " am & annuente Brithelm Fontanenſi Epiſcopo, cæteriſque Epiſcopis & " Abbatibus & Primatibus, ego Edgar Divina diſpoſitione Rex Anglorum, " cæterorumque gentium in circuitu perſiſtentium gubernator & rector, in " nomine Almæ Trinitatis, pro anima patris mei, qui ibi requieſcit, & ante- " ceſſorum meorum, præſenti privilegio decerno, ſtatuo, & confirmo, ut " prædictum monaſterium, omniſque poſſeſſio ejus, ab omni tributo fiſcali- " um negotiorum, nunc & in perpetuum, libera & quieta permaneant, & ha- " beant Socam & Sacam on Stronde, & on Streame, & on Unde, & on Felde, " on Grithbrice, on Burgbrice, Hundred Setena, Adas, & Ordelas, Calle, " Hordas; Buſam, Corderam, & Beneorderam, Inſangenepeof, Outſangenetheof " Flemene, Ferdere, Hamſocne, Friderbrice, Forſteal, Toll & Team, ita " libere & quiete, ſicut ego habeo in toto regno meo, eandem quoque li- " bertatem & poteſtatem quam ego in curia mea habeo, tam in dimit- " tendo quam in puniendo, & in quibuſlibet omnino negotiis, Abbas & " monachi præfati monaſterii in ſua curia habeant. Si autem Abbas vel qui- " libet monachus loci illius latronem, qui ad ſuſpendium vel ad quodlibet " mortis periculum ducitur, in itinere obvium habuerit, poteſtatem habe- " ant eripiendi eum ab imminenti periculo in toto regno meo. Confirmo " etiam & corroboro, ut quod hactenus ab omnibus noſtris anteceſſoribus " diligenter obſervatum eſt, Fontanenſis Epiſcopus, vel ejus miniſtri, ſuper " hoc monaſterium, vel ſuper Parochiales ejuſdem Eccleſias, videlicet Stret, " Miricling, Budeclega, Sapenix, Sowy, aut ſuper earum capellas, nec etiam " ſuper eas quæ in inſulis continentur, ſcilicet Bekeria, quæ parva Ybernia " dicitur, Godeneia, Martenſeia, Ferramere, Papeneberga, & Adredeſera, " nullam poteſtatem omnino habeant niſi tantam, cum ab Abbate, cauſa de- " dicandi vel ordinandi, advocati fuerint, nec eorum Presbyteros ad Sino- " dum ſuam, vel capitulum, vel ad quodlibet placitum convocent, nec ab " officio Divino ſuſpendeant, & omnino nullum jus in eos exercere præſu- " mant. Monachos ſuos & prædictarum Eccleſiarum Clericos ſecundum an- " tiquam Eccleſiæ Glaſtonienſis conſuetudinem, & Apoſtolicam authorita- " tem, Archipræſulis Dunſtani & omnium Epiſcoporum regni mei aſſenſu, " Abbas à quocunque conprovinciali Epiſcopo voluerit ordinari faciat, dedi- " cationes vero Eccleſiarum, ſi ab Abbate rogatus fuerit, Fontanenſi Epiſco- " po permittimus. In Paſcha quoque chriſma ſanctificationis & oleum à " Fontanenſi Epiſcopo ex more accipiat, & per præfatas Eccleſias ſuas di- " ſtribuat. Hoc ſuper omnia Dei interdictione & noſtra authoritate, ſalva " tamen Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Dorobernenſis dignitate, prohibeo, ne " perſona cujuſcunque poteſtatis, ſive Rex, ſive Epiſcopus, ſive dux, aut prin- " ceps, vel quilibet miniſtrorum eorum Glaſtoniæ terminos vel ſupradicta- " ctarum parochiarum, perſcrutandi, rapiendi, placitandi gratia vel quic- " quam aliud faciendi, quod contrarium poſſit eſſe ibidem Deo ſervientibus,

" intrare

" intrare præſumant: Abbati tantummodo & conventui poteſtas ſit, tam in " notis cauſis quam in ignotis, in modicis & in magnis, & in omnibus omnino " negotiis, ſicut ſupra memoravimus. Quiſquis autem hujus privilegii mei " dignitatem qualicunque occaſione, cujuſcunque dignitatis, cujuſcunque or- " dinis, cujuſcunque profeſſionis pervertere, vel in irritum deducere, ſacrile- " ga præſumptione à modo tentaverit, ſciat ſe proculdubio ante diſtrictum " judicem titubantem tremebundumque rationem redditurum, niſi prius " digna ſatisfactione emendare ſtuduerit. Acta eſt hæc privilegii pagina & " confirmata apud Londonium, communi conſilio omnium primatum meo- " rum, anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCLXXI, indicti- " one XIV. Hujus doni conſtipulatores fuerunt, quorum nomina inferius " caraxari videntur. Ego Edgar Rex totius Britanniæ præfatam liberta- " tem cum ſigillo Sanctæ crucis confirmavi ✠. Ego Ailſgiva ejuſdem Regis " mater cum gaudio conſenſi ✠ ego Edward Clito patris mei donum cum tri- " umpho Sanctæ crucis impreſſi ✠. Ego Kinadius Rex Albaniæ acquievi " ✠. Ego Maccuſius archipirita confortavi ✠. Item ego Dunſtanus Dorober- " nenſis Archiepiſcopus, Oſwal Eboracenſis Primas, Athelwol Wintoniæ E- " piſcopus, Burithtelin Fontanenſis Epiſcopus, hujus & multi alii, quorum " nomina alibi annotantur, conſentientes & confirmantes ſignum crucis im- " preſſerunt.

Ad ſupplementum vero ſecuritatis, ne tanta liberalitas nutaret, Johanne tunc temporis octavo ejus nominis Papa perſuaſo, donum ſuum Apoſtolico ſuffulſit edicto, cujus hæc eſt ſeries.

Privilegium Johannis Papæ.

Noverit cunctorum notitia fidelium, quod ego Johannes, pii conditoris clementia Sanctæ Romanæ ſedis exiſtens indignus Papa, glorioſi Anglorum Regis Edgari, nec non & Sanctæ Dorobernenſis Eccleſiæ Archipræſulis Dunſtani, ſummiſſo rogatus ſumpulſatu, pro monaſterio Sanctæ Mariæ Glaſtingembiry, quod ipſi acti amore ſupremi Regis in melius reſtaurarunt, & monachorum ibi majorem numerum aggregantes, normamque arctiorem inſtituentes, præcepto regali firmaverunt, ut & ipſe idem facere non differam. Quorum aſſentiens benignæ petitioni, in ſinum Romanæ Eccleſiæ & beatorum Apoſtolorum protectionem eundem locum ſuſcipio, & privilegiis aſtruo & corroboro, quo ſine tenus in eo, quo nunc pollet, permaneat monachili ordine, ipſique monachi de ſuis ſibi adhibeant paſtorem, & ſe ſuoſque, quos idoneos judicaverint, quocunque in Dorobernenſi diœceſi placuerit, ad ordinandum dirigant. Decernimus etiam ut nulli omnino hominum eamdem inſulam, placitandi cauſa, vel aliquid aliud ibi perſcrutandi, aut corrigendi, intrare liceat: ſi quis autem huic rei molitus fuerit contraire, aut poſſeſſiones ejuſdem Eccleſiæ auferre, retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ex auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, Sanctæque Dei genitricis Mariæ, Sanctique Petri Apoſtoli, omniumque ſanctorum, perpetuæ ſit addictus maledictioni, niſi reſipuerit, omnibus autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; noſtra autem aſtipulatio inconvulſa permaneat. Actum tempore Egelwardi, ejuſdem monaſterii Abbatis, hoc Apoſtolicum decretum, anno incarnationis Domini nongenteſimo LXV°, idem Papa in generali concilio Romæ promulgans ratum fuit, regique ſua ibidem auctoritate communiendum direxit. Applauſit pontificali facto Regalis aſſenſus, & frequenti in Londonia curia anno Regni ſui XII, omnium optimatum conſenſu, rem æternæ ſtabilitati magna devotatione tranſgreſſorum mancipavit. Itaque quoad vixit voti ſeipſum compotem fecit, & veſtigia paterna avitaque inſecutus, decori eorum & gloriæ ſuæ non defuit, & alios ad idem animavit, ſicut progrediens ſermo propalabit.

De Rebus Collatis Glaſtoniæ per Edgarum, Dundene, Hamme, & Wethul.

ANno incarnationis Domini DCCCCLXIII. Ego Edgarus, ſola miſericordi clementia Dei roboratus Rex, ob remunerationem majoris præmii, ad Eccleſiam beatæ & intemeratæ virginis Mariæ, in loco celebri nuncupato Glaſtingabiry, ad uſum Monachorum regulariter Deo ſervientium ſub Abbate Egelwardo, dedi Sture XXX Hidas, Merkesbiry reddidi X Hidas, Midelton dedi II Hidas, Blakeford VI Hidas.

Anno DCCCCLXV Ego Edgarus Sigegaro Abbati, jure perpetuo, ad Eccleſiam vetuſtam honorabilem, pro remedio animæ meæ, & pro anima patris mei, confero Hamme XVII Hidas, Dundenæ V Hidas, Petehulle III Hidas.

De Weſtburi, & Othelee.

EJus etiam tempore dedit Altara dux Weſtburi XL hidas, & Othelee V hidas. Cartulam hanc præfatæ hæreditatis ego Alfara dux, pro remedio animæ meæ, & Edgari regis, commendavi ad Monaſterium Glaſtoniæ, obſecrans in nomine Jeſu Chriſti, ut fratres illius monaſterii nunquam illam linquant. Alwine dedit Gritelington XXV hidas. Netelcumbe XX hidas, & ſic complevit votum Wilfrici primi donatoris. Ælfare Ealderman Batamcumbe dedit XX hidas, Ealdred dedit Cliſan XI hidas: hanc ruralem poſſeſſionem, & prædictam Cliſan, Ealdred commendavit ad Eccleſiam beatæ Dei genitricis Mariæ, & Sancto Patricio ſub teſtimonio Regis Edgari, optimatumque ſuorum. Ælthelm dedit Dureberge II hidas, Ælfeah Cranemeræ X hidas Ædelfleda Hanandon XV hidas. Ælſwit Regina Wineſcumbe XV hidas, Feimeſton X. Strettun VI. Tintanhuſſe V. Æweredeſie dimidium hidæ, & ornamenta, ſtolam cum manipulo, caſulam incomparabilem. Hedred dedit Mildenhele XV hidas. Eſſebur XL hidas Brinſige dedit. Healtone V hidas. Omnes has terras Edgarus venerabili Eccleſiæ in Glaſtingebury regia confirmavit authoritate, ſcilicet CCXV hidas.

Fecit præterea crucem ſupra majus altare, contextam undique auro & argento, & majora ſigna, veſtem etiam regalem, in qua fuerat coronatus, pretioſiſſimam contulit, ut altaris cederet ornamento. Scrinium magnum argento & auro coopertum, cum imaginibus ex Ebore decenter interſertis, continens reliquias Sancti Vincentii, & caput Sancti Apolinaris dedit, in quo & ipſe nunc requieſcit: multas inſuper reliquias, quas per univerſas terras à ſe peragratas adquiſivit, cum reliquiis duorum innocentium de Bethleem tranſlatis Glaſtonienſi monaſterio, cum quali decebat reverentia, commendavit.

Hactenus de temporibus Edgari, cujus merita nulla unquam tacebunt tempora, quippe qui virtutibus famam vicerit, & vix XXXII annis, quibus vixit, facta ſæculorum incluſerit. Sepultus eſt, ut prædiximus, in capitulo ad oſtium Eccleſiæ, ſed qualiter inde tranſlatus ſit, in conſequentibus liquebit.

De Egelredo Rege.

EJus filius Egelredus dedit Figegaro Abbati, qui annis XXVIII præfuit, Auſtanclif VI hidas. Siteberge I. Pukeleſcirce reddidit XXX. In Piltone unam manſam emptam XL manſis auri, anno DCCCLXXXIV. Idem dedit Hanandune. Ann. M° incarnationis dedit Egelred Rex Berredo Abbati, qui & XVI annis præfuit, Fiſcwere. Alwine, Eſtun XX Hidas.

De

De Brithwio Abbate.

Anno mxvii. Brithwius Abbas conſtitutus fecit tabulam ante altare, auro & argento & ebore polimitam, & crucem; hic, poſt decem annos ſuſcepti regiminis, in Epiſcopum Wellenſem eſt electus.

De Cnutone.

Eodem fere tempore Cnuto Rex Danorum Angliam hoſtiliter pervagabatur, quem licet Edmundus filius Egelredi aliquantis bellis contudiſſet poſtremo tamen icto fœdere, fraterna inter eos pax convenit; videlicet ut Cnutoni Mercia, Edmundo Weſtſaxonia remaneret. At vero non multo poſt Edmundus, lethali tactus incommodo, ad extrema devenit, & Glaſtonienſi Monaſterio Neweton-Kaſtel xvii hidas cum corpore ſuo in extremis delegans, ibidem ante majus altare ſepulturam accepit. Quo cum Cnuto, viæ occaſione, in feſto Sancti Andreæ veniſſet, pia querela fraternos manes honorans ſuper ſepulchrum ejus pallium miſit, verſicoloribus pennis pavonum, ut videtur, intextum; contulit & privilegium in hæc verba.

Privilegium Cnutonis.

Regnante in perpetuum Domino, qui ſua ineffabili potentia omnia diſponit atque gubernat, viceſque temporum hominumque mirabiliter diſcernens, terminumque incertum, prout vult, æquanimiter imponens, etiam de ſecretis naturæ myſteriis miſericorditer docet, ut de fugitivis & ſine dubio tranſitoriis manſura regna Dei ſuffragio adipiſcenda ſunt, quapropter ego Cnut Rex Anglorum, cæterarumque gentium in circuitu perſiſtentium gubernator & rector, cum conſilio & decreto Æthelvoti, ſimulque cunctorum Dei ſacerdotum, & conſenſu optimatum meorum, ob amorem Cœleſtis regni, & peccaminum meorum remiſſione, & anima fratris mei regis Edmundi, concedo Eccleſiæ Sanctæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ Glaſtoniæ, jura & conſuetudines in omni regno meo, & omnes foris factiuns omnium terrarum ſuarum, & ſint terræ ejus ſibi liberæ & ſolutæ ab omni calumnia & inquietatione, ſicuti meæ mihi habentur. Verum illud præcipue, ex omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti auctoritate, & perpetuæ virginis interdictione prohibeo, & univerſis Regni mei præpoſitis & primatibus ſupra ſuam ſalutem præcipio, ut nullus omnino illam inſulam intrare audeat, cujuſcunque ordinis ſit, aut dignitatis. Sed omnia, tam in Eccleſiaſticis, quam in ſecularibus cauſis, tantummodo Abbatis judicium & conventus expectent, ſicuti prædeceſſores mei ſanxerunt, & privilegiis confirmaveruut, Kenuines, Ines, Cuthredus, Elfredus, Edvardus, Edmundus, & incomparabilis Edgarus. Si quis autem, quo vis deinceps tempore, ſub aliqua occaſione interrumpere, aut irritum facere hujus privilegii teſtimonium niſus fuerit, ſit à conſortio piorum ultimi examinis ventilabro diſpertitus. Si quis vero benevola intentione hæc facere, probare, & defenſare ſtuduerit, Beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum interceſſione, amplificet Deus portionem ejus in terra viventium. Scripta eſt hujus privilegii donatio, & promulgata in lignea baſilica, ſub præſentia Regis Cnutonis, anno ab incarnatione Domini m. xxxii.

De Egelwardo Abbate.

Anno m. xxvii Egelward ſucceſſit, xxvi annis Glaſtoniam occupans, cui Hardecnut dedit ſcrinium, in quo nunc beati Benigni corpus requieſcit.

De Egelnoto Abbate, & de tranſlatione Edgari Regis.

ANno M. LIII. Egelnoth. amborum regimen fuit pernicioſum Eccleſiæ, dum alter exterius terras proſcripſit, alter interius ornamenta diſtraxit. Ex illo res Glaſtoniæ retro relabi, & in pejus fluere. Denique creditum eſt nonnullam loco imminuiſſe vindictam, propter Egelwardi audaciam in Regem Edgarum commiſſam. Nam, cum, bono fortaſſe mentis propoſito, poſt XL annos obitus ſui, effodiſſet tumulum, invenit corpus nullius labis conſcium, ſed ſolida integritate compactum; quod cum eum ad reverentiam debuiſſet inflectere, ad audaciam levavit. Nam quia locellus, quem paraverat, difficilem pro magnitudine corporis minabatur ingreſſum: regales exuvias ferro temeravit, auſus facinus auditu, nedum actu, grave. Unde continuo ſanguis undatim emicans, aſtantium corda pavore concuſſit, vultus pallore infecit. Ita Regis oſſa in ſcrinio ſuper altare locata ſunt, cum capite Sancti Apolinaris, & reliquiis beati Vincentii Martyris, quæ ille magno empta decori Domus Dei adjecerat. Temeratorem porro ſacri corporis animus reliquit, nec multo poſt Eccleſiam egreſſum fracta cervice mors invenit. In ſepulchro autem Regis poſitus eſt Egelwardus, qui beato Dunſtano in regimine Glaſtoniæ primus ſucceſſit. Nec in his hæſit Regiæ Sanctitatis oſtenſio, ſed in ulteriora proceſſit; ſanatis ibi furioſo & cæco: furioſus Teutonicus genus multis indiciis datis quod mente non conſtaret, civium in ſe armaverat manus, ut eum vincire ferro non dubitarent, circumferebat miſerandus ſua ipſe ſupplicia, pœnarum propriarum idem judex & auctor. Neſcias miſerior an miſerabilior, vel quod animo captivus, vel quod corpore gravatus erat. Ita multa pluribus annis provincias emerſus, fruſtra conſumpſit tempora, niſi quod continuatio itineris erat acceſſus laboris. Tandem vero Divinæ miſerationis intuitu viſitatus, oraculum per noctem accepit, ut Glaſtoniam pergeret, futurum ut meritis Regis Edgari utroque levaretur incommodo. Venit ergo, & convenientem reſponſo effectum ſortitus eſt, nam dum oraret in eadem quidem domo, ſed longiuſcule à ſepulchro, omnis ferri nexus diſſiluit,& quaſi quodam turbine actus ſupra mauſoleum cecidit: cæcus præterea provinciæ notiſſimus, dum importunas pro ſalute ad tumbam excubias prætendit, lucem reperit.

De Archiepiſcopis, & Epiſcopis, de Conventu Glaſtoniæ Electis.

ET quia jam ad tempora Normanorum venimus: & Abbatum poſt illud tempus nota ſunt & facta & nomina, his pauliſper omiſſis ponam illorum vocabula, qui Epiſcopi & Archiepiſcopi fuerant alias electi de illa Eccleſia. Splendidum nimirum exemplum Glaſtoniæ & auctoritatis & gratiæ, quæ non ſolum ſibi, ſed etiam aliis Eccleſiis ſuffecerint tot illuſtres perſonæ. Nec vero polliceor, quod de omnibus poſſim Epiſcopatuum loca expedire, niſi quantum in chronicis inveni, quod ille vel ille Epiſcopus obierit monachus hujus loci. Adeo longiorum temporum fluxere curricula, quam ut illa ullius hominis poſſit inveſtigare memoria.

Nunc de Archiepiſcopis Berthwaldus, ex Abbate quondam Glaſtoniæ Archiepiſcopus Cantuariæ. Adthelmus prius Wellenſis Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Cantuariæ fuit.

Dunſtanus, cujus induſtria refloruit eccleſia, hic fecit organa & ſigna duo præcipua, pallium unum, Campanam in refectorio, ubi ſunt hi verſus.

Hanc ſibi Campanam Dunſtan perfundere juſſit, &c.

In urceolo altaris

Idriolam

Idriolam hanc fundi Dunſtan mandaverat Archi-
Præſul, cunctipotens quem ſalvet in ævum.

Hic ex monacho & Abbate Glaſtoniæ factus eſt Epiſcopus Wigornenſis, poſtea Londonienſis, poſtremo Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Egelgarus de Monacho Glaſtoniæ factus eſt primus Abbas novi Monaſterii, Wintoniæ ſcilicet de Hida. Deinde Epiſcopus Ciceſtriæ, poſtremum Archiepiſcopus Cantuariæ.

Sigericus ex Monacho Glaſtoniæ fuit Epiſcopus Wellenſis, poſtea Archiepiſcopus Cantuariæ, tertio loco poſt Dunſtanum. Hic dedit vii pallia Glaſtoniæ cum albis leonibus, de quibus vetus eccleſia in anniverſario ejus tota ornatur.

Alphegus ex Monacho & priore Glaſtoniæ, Bathoniæ Abbas, poſtea Epiſcopus Wintonienſis, poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Elnotus ex Monacho Glaſtoniæ factus eſt Archiepiſcopus Cantuariæ, de quo ſermo præceſſit. Qui, cum à Dunſtano baptizaretur, erectam manum tenuerit more Epiſcopi benedicentis populum, unde Dunſtanus eum, ſicut ipſius Divinitatis conſcius, Archiepiſcopum fore prædixit. Fuit autem tempore Cnutonis Archiepiſcopus, cujus etiam ſolatio & juſſu tranſtulit Martyrem Elphegum Canciam, de loco quietis apud Londoniam: Hic dedit Rabanum de laude crucis, & librum orationum auro pictum.

De Epiſcopis.

Anno Incarnationis Domini dcclxxxii obiit Canfridus Epiſcopus Monachus Glaſton.

Anno dcclxxxii obiit Ethelwmus Epiſcopus, Monachus Glaſtoniæ.

Anno dccc obiit Wibertus Epiſcopus, Monachus Glaſtoniæ.

Anno dcccxxxvi obiit Wigthegn Epiſcopus, Monachus Glaſtoniæ.

Anno dcccxlii obiit Alhſtan Epiſcopus, Monachus Glaſtoniæ.

Anno dccclxxvi obiit Tumbert Epiſc. Mona. Glaſton.

Anno dcccclvi obiit Daniel Epiſc. Mon. Glaſt.

Anno dcccclxxxviii obiit Elfricus Epiſcop. Abbas Glaſton.

Qui Sequuntur fuerunt Epiſcopi tempore Edgari Regis in diverſis locis. Quarto Papæ Julii obiit Sigegarus Wellenſis Epiſcopus Abbas Glaſtoniæ.

Hic jacere fertur ſub Sancto Benigno. Idus Maii obiit Britelmus Epiſcopus Willenſis, Monachus Glaſtoniæ. Idus Februarii obiit Alfuoldus Cridienſis Epiſcopus Monachus Glaſtoniæ. Nonas Aprilis obiit Sigefridus Norwegenſis Epiſcopus Monachus Glaſtoniæ. Hic miſit quatuor cappas, ii cum leonibus, & ii croceas. Kalend Auguſti obiit Athelwoldus Epiſcopus Winton. Monachus & prior Glaſtoniæ, & Abbas Abbendon. Idus Januarii obiit Wilmus Epiſcopus Monachus Glaſtoniæ. Idus Februarii obiit Ælfſtanus Epiſc. Mon. Glaſt. Octavo Idus Maii obiit Ægelricus Epiſcopus Monachus Glaſt. Quarto Kalend. Julii obiit Kenewaldus Epiſcopus Monachus Glaſt. Tertio nonas Aprilis obiit Almer Epiſcopus Monachus Glaſtoniæ. xiv Kal. Aprilis obiit Livingus Epiſcopus Monachus Glaſtoniæ.

Anno incarnationis mxxxiv obiit Brihwius Epiſcopus Wellenſis Abbas Glaſtoniæ. De hoc ſuperius aliqua libavimus. Hic jacet in aquilonari porticu ad Sanctum Johannem Baptiſtam.

De Brithwoldo Epiſcopo.

Anno mxlv obiit Brithwoldus Epiſcopus Salesbirrienſis Monachus Glaſt. Hic miſit albam de ſerico pretioſiſſimam, cappas etiam de palliis decem auro & gemmis decenter ornatas, miſit etiam ſuperhumerale, ſtolam, manipulum, caſulam, calices duos, unum de xx marcis argenti & iv auri, alium minori pondere ſed pretio majori, textus Evangeliorum duos. Thu-

ribulum miræ magnitudinis de auro & argento, altare pretii xx Marcarum, crucem ad proceſſionem, & alias xxv, quas cum Ægelnotus Abbas cum aliis ornamentis auro & argento nudaſſet, in duabus xxii Marcas auri accepit. Poteſt ergo conjici quanta vis pecuniæ fuerit in omnibus: dedit etiam collectaneum auro illuminatum, pallium auro textum, & alia ix. Duo candelabra. Totam terram de Wilteſire redemit. Scrinia tria Sanctorum Guthlaci, Georgii, & Oſwaldi. In quo ſunt hi verſus.

Exiguus præſul Brithwoldus onomate dictus,
Archonti Domino, nec non matrique Mariæ,
Confert exiguum devoto pectore munus,
Eccleſiæ veteri tranſmittens Glaſtonienſi,
Dulcia perpetuæ capiat quo gaudia vitæ.

Cappam cum albis avibus. Situs eſt cum Brihtwio in parte aquilonari vir omni vita prædicandus, qui tanta contulit Eccleſiæ quanta nec adhuc prædones potuerunt vellicare, quamvis ſint aliqui qui crimen inferre moliantur ejus gloriæ, dicentes quod res Epiſcopatus dederit Glaſtoniæ, ſed fruſtra in eum molares infigunt, qui nec curat laudes, nec timet vituperationes, præſertim cum facta Sanctorum ambigua in meliorem partem converti conveniat. Profecto vero ſi delinquere ſe noſſet, nunquam illa Sanctus vir feciſſet. Denique fama eſt non obſcura omnes illas terras ab antiquo fuiſſe Glaſtoniæ. Sed tempore Danorum, cum importabiles penſiones regnum gravarent, fiſco regio vel alias pignori addictas, ſed ab Epiſcopo redemptas & redditas. Et ſicut dicunt, cum de redemptione obolus deeſſet, vir magnificus annulum ſuum creditoribus projiciens, devotionem quam in Glaſtoniam habebat, operis teſtabatur exhibitione.

De poſſeſſionibus Glaſtoniæ datis ab Anglis ad fidem Converſis.

JAm quia poſſeſſionum largitores manus contraxerunt, libet ſummatim inſerere quid à quo Glaſtoniæ ſit collatum, aut regia confirmatum auctoritate.

Inprimis Rex Arturus tempore Britonum dedit Brentemaris, Poweldon, cum multis aliis terris in confinio ſitis pro anima Ider, ut ſupra tactum eſt, quas terras per Anglos tunc paganos ſupervenientes ablatas iterum poſt eorum converſionem ad fidem reſtituerunt cum pluribus aliis, unde Rex Domnoniæ dedit terram appellatam Yneſwitherin v hidas.

Kenewalchius, ſeu Cedwald dedit Ferremeræ ii hidas, Beokeri, Godeniæ, Marteneſiæ, Andreweſye.

Kenwinus Rex dedit Munekaton xxiii hidas, & in Caru xx hidas, & in Crucan iii hidas.

Baldredus Rex dedit Pennard vi hidas, Loggaresbeorg xvi hidas & Weſtwere cum captura piſcium in Peret.

Hedda Epiſcopus dedit Lantokai [i Lege] vi hidas, Cedwalla confirmante, licet Rege pagano.

Ina Rex dedit Brentemareis xx hidas, Sowi xii hidas, Piltonæ xx hidas Dulting xx hidas, & juxta Famer, ſcilicet Linig, xx hidas, & Rouelt xx hidas, & alibi cum piſcaria unam hidam.

Wilfridus Epiſcopus Wethrnor lxx hidas, Cliwawere i hidam, Forthere Epiſcopus Bledanhid i hidam. Buggu abbatiſſa Ora iii hidas, Rege Ina conſentiente & confirmante.

Athelardus Rex dedit Poholt lx hidas. & in Torric x hidas, Kedeſwita ejuſdem Regina Brumanton v hidas.

Cuthredus Rex dedit Ure III hidas, Domina Lulla Baltenesbeorge & Scrobanmurth vel Sabewrtha x hidas.

Æthelbaldus Rex dedit v Jekſig [Gaſſie] & Bradelegh IV hidas.

Sigebertus Rex dedit in Polhot XXII hidas.

Binewlfus Rex dedit & confirmavit Wodeton, v hidas, Cumpton v hidas, Huneresburg.

Adthelard ejus miniſter III hidas in Ceddren [Eleanbearo] & Cumbe III Hidas.

Sulca Chriſti ancilla dedit Culum XI hidas.

Offa Rex dedit Ineſwurth x hidas, Ethelmund dedit, Offa confirmante, Hineſpulle juxta v hidas.

Egbirtus Rex dedit v hidas Juxta flumen Toric. Edgiſilus, eo confirmante, Budeclege xx hidas.

Ædthelwlfus Rex xxv hidas dedit, & reddidit Dulting. Dedit etiam Offaculum XXIV hidas. Bocland v hidas. Pennard IX hidas, Occenefeld, Suaramton, VI hidas, Sowy x hidas. Periſton, Legderesbeorgune, Ocemund, & Bedul, Branuc Duneafd. Confirmavit etiam de dono Ethelſtani Clutton x hidas; de dono Ænulfi Dicheſwite, & Lotteſham xxx hidas. Hornblawerton, & Beanganhangran.

Edthelbald Rex dedit Bramnucmiiſter x hidas. Ælfredus frater ejus crucem de ligno Domini.

Athelſtanus Rex conceſſit & confirmavit de dono Æthelmi ducis Merkesburi x hidas, de dono Wulfelm Deverel xx hidas, de dono Offrici Werdeverel [I Mimecaton] x hidas. De dono Ælfledæ Reginæ Edwardi Winterburne x hidas. De dono Æthelſtani ducis Wrington xx hidas, Weſton ſive Foxate v hidas, & Lim VI. De dono Uffæ viduæ Stoka v hidas.

Edmundus Rex dedit Criſtemuleford xx hidas. Kingeſton VIII hidas, Wodeton v hidas. Wathelega x hidas, Pukeleſchurice xxx hidas. Eſcford dimidium hidæ cum captura piſcium. Domerham, Mertun, & Pendrith c hidas, Stane VIII hidas. Confirmavit, etiam de dono Ælfledæ Reginæ Edvardi, Acford, Bocland, & Plis XXVII hidas, Hammedone xv hidas; de dono Wilfridi Kington XIX hidas, Girdlingeton x hidas, & ad Turnanwrthe v hidas, & Tintamhulle v hidas, de dono Ælſy Batecumbe xx hidas, de dono Ethelſtani Comitis Melnes xx hidas, de dono Sigewlfi Abbedesburi v hidas, de dono Wlfec Langefore II hidas, reddidit etiam Wrington xx hidas.

Eddredus Rex dedit Baddeburi xxv hidas & in Criſteschurche II hidas, & Ternuc, & Stapelwilt, partem etiam de Nuni S. II hidas, & de Elenberwe I hidam, & reddidit Bulting. Ælfred dedit Camelarton v hidas, Eddredo confirmante, & Ælfgita Sanctimonialis Pengeardmunſter x hidas.

Edwius Rex dedit Padenebeorge II hidas, Blakeford VI hidas, confirmavit de dono Ælphegi Cranemere XII hidas, de dono Ezerici Widecumbe VI hidas, de dono Ælvini unam partem de Sturton S. VIII hidas, de dono Brithrici Giffelton v hidas, de dono Brithere Widingate.

Edgarus Rex dedit Sture xxx hidas, Mideltoh II hidas, Lucum II hidas, Blakeford v hidas, Hamme VII hidas, Dundene v hidas, Wetehulle III hidas, & reddidit Merkesbury. Confirmavit de dono Ælfere ducis Wſtburi XL hidas, & Otherlee v hidas. De dono Ælwine Gritilingtone xxv hidas, Netelton xx hidas, Horton x hidas; de dono Ælfere Ælderman Badecumbe xx hidas, de dono Caldred Cliſan XI hidas; de dono Ælfhelm Dirambeorg II hidas, de dono Ælfeah Cranemere x hidas; de dono Ædelfled Hanandon xv hidas; de dono Ælſwith reginæ Wineſcumbe xv hidas, Idemeſton x, Stretton VI, Ædredeſie dimidium hidæ, de dono Edred Middelhele XV. Eſſebury XL hidas; de dono Brinſige Healton v hidas.

Egelredus Rex dedit Auſtanclif VI hidas, Streberge I hidam, & Fiſcwere, & unam manſam in Wilton, & Hanandon, reddidit Pukeleſchun. Confirmavit de dono Wlfwini Eſctun xx hidas. Edmundus Irenſide dedit Ninneton Kaſtel XVIII hidas.

Item

Item de Aliis datis Glaſtoniæ.

MEmorandum de Aldamton & aliis. Cinemereffordi, Lemucerine, Pilleſdune Portbrig, Litlanton, Eatumberg, Siwiamhame, Brentfordlande, Pendeſclive, Hulbanleghe. Item de Elonſanige, Ocemund, Ceolamwrthe, Korſtone, Camel, Ruthanbeorg Peaſucmere. Item de Lidenige, Lamageate, Hengeſteſhriege Dilwiſce, Orcirleage, Pidelan, Birhwlfintone, Betocer, Huppavene, Eaſætenatone. Hæc Maneria à diverſis regibus collata ſuis familiaribus Glaſtoniæ Eccleſiam devenerunt, ſicut per cartulas veteres apparet, & licet incredibilem numerum ac quantitatem terrarum uni loco ſpectantium hîc poſuerimus, omnes tamen has & multo plures, quas pro ambiguitate numerare nolumus, Glaſtoniæ Monaſterio datas fuiſſe non dubitamus. Nec eſt admirandum, ſi quædam maneria aut realiter aut nomine tenus à diverſis legantur collata, tum quia nomina æquivoca ſunt, tum quia multa à prioribus data demum Ablata reſtituebantur, tum quia quidam partem manerii, alter partem ejuſdem contulit & totum utrique fortaſſis aſcribebatur.

Nomina Abbatum Glaſtoniæ Eccleſiæ.

An. Ordin. Abb.	*Hi de Brit.*	*An. regim.*	*An. Ordin. Abb.*	*Hi de Ang.*	*An. regim.*
CCCCLX	S. Patricius		DCCCXLIX	Hereferth	XIV.
	S. Benignus		DCCCXX	Stiwerd	XI.
	Worgret		DCCCCV	Ealdhun	XXXIV.
	Lademund		DCCCCXXVII	Ælfric	XIV.
	Bregored.		DCCCCXL	Dunſtan	XXII.
	Hi de Ang.		DCCCCLXII	Ælwardus	X.
DCLXX	Beorthualdus	X annis.	DCCCCLXXII	Sicgarus	XXVIII.
DCLXXX	Hemgiſel	XXV.	MXVI	Beorhtred	XVI.
DCCV	Beorualdus	VII.	MXXXIV	Brichtwi	X.
DCCXII	Aldbeorth	VII.	MLIII	Ædelward	XXVI.
DCCIX	Atfrith	X.	MLXXXII	Ægelnoth	XXIX.
DCCIX	Kemgiſel	XVI.	MC	*Hi de Norm.*	
DCCXLIII	Guban	II.		Turſtinus	XIX.
DCCXLIV	Ticcan	VI.	MCXVI	Therlwinus	XIX.
DCCXLVI	Cuman	II.	MCXXV	Siſridus	VI.
DCCLIV	Walthun	XXXII.	MCLXXI	Henricus	II.
DCCLXII	Tumberthe	IX.	MCLXXX	Robertus	
DCCLXV	Beadulf	VI.	MCLXXXX	Henricus	
DCCCII	Muca	XXII.	MCCXIX	Willelmus	IV.
DCCCXXIV	Gutlac	XXVII.		Robertus	
DCCCXL	Ealmund	XVI.	MCCXXXIV	Michael.	

Bundæ Duodecim hidarum.

ET quoniam XII hidæ Glaſtoniæ majori libertate præ cæteris terris ſuis ſunt privilegiatæ, expedit earum metas non ignorare. Sciendum igitur, quod inprimis incipit Brutaſcha apud Stretebrugge, in capite Auſtrali ejuſdem pontis, & tendit verſus orientem, in Auſtrali parte Mariſci, uſque ad caput Auſtrale pontis de Baltenesberge, in parte boreali, à domo Wlgari cum Barba, qui fuit operator ejuſdem pontis, tempore Sancti Dunſtani Abbatis. Et ſic ſupra Caucetum ultra Pinueſlake per medium mariſci, uſque ad domum Normanni, apud molendinum de Baltenesberg;

nesberg; & ſic inde ſurſum in via uſque in ſemitam, quæ venit de illa Eccleſia, & poſtea ſurſum in Jeholt, uſque ad Lupwite in orientali parte domus Hoſgari, ac Attaholt. Et inde in ſemitam, quæ ducit per mediam extremitatem illius Holte recta uſque ad pontem de Kineward, in foſſatum Sancti Dunſtani Abbatis. Et ſic in rivulum, qui venit de Coleburi, & ita aſcendendo contra curſum aquæ, uſque ad domum Oſwardi de la Burne. Et inde ſurſum contra la Burne, uſque ad curiam Ailmeri Seneſcalli Ala Brodelee. Et ſic ſurſum de illa Burna in viam illam, quæ jacet ante curiam ſuam, & ita in auſtrali parte illius Eccleſiæ verſus orientem, uſque Stoke in latam viam; & ſic de via eadem contra montem de Withelee, in illam ſemitam quæ jacet in auſtrali parte de Chulebury. Demum in quandam ſemitam uſque ad la Windeiete. Et ſic in diviſas de Bikenhan & de Ferlege; & ſic deſcendendo per medium parcum de Pilton, ultra viam quæ extenditur ſupra pontem de petra, in ſemitam illam quæ ducit ad Wottun; & ſic in quadam ſemita uſque ad Fulebroc, & inde in auſtrali parte illius Eccleſiæ ultra rivulum uſque Loffellegethe, & ſic deſcendendo in moram uſque ad Hochye, & inde per mediam moram ultra la Sowere, uſque in diviſas foſſati in parte boreali de Bachinwere, & ſic inde in ripam, & ita in longum antiqui caſus aquæ uſque ad pontem de Bledeme, & ſic deſcendendo per medium illius pontis uſque ad Litlenie, quæ eſt diviſa de Marteneſie; Et ſic circa eamdem inſulam uſque ad Sadelby; & inde in ripam, & ita in longum curſus aquæ, uſque ad foſſatum quod eſt inter moram de Stoke & Withtrichelham; & ſic in la Wynerdlake; & ſic per diviſas inſulæ de Andredeſie, & de Draicote, aſcendendo contra montem uſque ad la Horeſtone. Demum in Wiarepath; & ſic deſcendendo uſque ad ſuperiorem Badecumbe, & ſic per diviſas de Ceddre uſque ad la Grene Balle, & ita ad Litlelakewepe. Inde ad la Ymerwivel; inde directe per medium Alneti uſque ad la Hore Wythege, & ita uſque ad Mune Keneleghe. Itaque totum coopertum pertinet ad Ceddre, totum extra coopertum pertinet ad Glaſtoniam. Inde uſque ad quandam trenchiam, quæ vocatur Bitwynenorde; & ſic ad la Scearpeorde: itaque totum coopertum ibidem verſus orientem pertinet ad Glaſtoniam, & extra coopertum verſus occidentem pertinet ad Ceddre. Inde ad Nottepulle. Itaque totum coopertum remanet Glaſtoniæ, totum planum extra coopertum remanet Ceddre. Inde uſque in Ylake, & ita in longum de Ylake deſcendendo uſque ad Ywere, & de Ywere in Longum de Abbedeſdith aſcendendo uſque ad Langeby. Inde in curſum magnæ aquæ, & ita in longum ipſius aquæ aſcendendo contra orientem in diviſas de Wethmore & de Northilade, uſque ad Tunſingwere. Inde uſque Kimpingmere. Inde uſque ad Middelmede. Inde ultra montem uſque ad Cumeſſam. Inde uſque in la Lithlake. Deinde per mediam moram uſque ad diviſas de Mere & de Poldune. Et ſic per illas diviſas verſus orientem, in auſtrali parte illius moræ, uſque ſubtus Scerpham, & ſic inde ſubtus Hundewode, inde verſus orientem uſque ad la Brittaſche, quam poſuimus primam bundam XII hidarum.

Loca principalia infra XII *hidarum.*

Loca quæ infra hos limites habentur, & eodem gaudent privilegio, ſubjungemus. In primis ipſa inſula Glaſtoniæ cum campis, ſylvis, pratis, ac monte ad eam ſpectantibus. Deinde inſula de Heorty cum ſpecioſo ſimul & ſpatioſo aulneto, cum pratis & paſcuis uberrimis; poſt hoc magna pars de parco de Pilton. Deinde Bikenham cum Stikelingh; poſt hæc Witelegh & Coleburi cum toto Weſtpennard, campis, pratis, & paſcuis ad illa ſpectantibus. Demum la Burne & Kineard cum Campis ſuis & pratis,

pratis; poſtea quædam pars de Baltenesberghe, cum campis, pratis, paſcuis largis, & cum omni anneto & univerſis moris verſus occidentem, in parte boreali de Budeclee, uſque ad la Britaſca, quæ eſt in capite auſtralis pontis de Strete. Demum Edgarlegſi cum campis & pratis ad ſe ſpectantibus: poſtea inſula de Beokeri cum ſuis pertinentiis. De prænominata autem Brutaſchia totus mariſcus verſus occidentem, quæ eſt in parte Boreali de Hundeſwode, & de Scerpham, uſque ad diviſas de Poldon & Demere uſque in la Liklake. Demum inſula de Mere & de Weſtye cum campis, pratis, boſcis, & moris. Denique inſula de Godenie cum ſuis terris & moris largiſſimis; poſtea inſula de Martineſie cum adjacentiis. Demum inſula de Badenebeorge & Northilade cum terris, pratis, paſcuis, & moris, & boſcis amplis ad eas ſpectantibus: poſt hæc inſula de Andreweſie, cæteras ſitu & loci amœnitate antecellens, cum terris, boſcis, pratis, & moris largiſſimis. Hæc ſic cognominatur à Sancto Andrea, cujus ibidem habetur capella, ſicut & Godeniæ propter capellam Sanctæ Trinitatis, & Marteneſie à Sancto Martino, cujus ibidem eſt capella; poſt ſupradicta eſt Badecumbe, juxta montem Munidop, cum omnibus terris & paſcuis ſuper eundem montem ad ſe pertinentibus. Hæc omnia loca infra bundas duodecim hidarum contenta, & ad Glaſtoniam pertinentia, omni immunitate gaudent regiæ dignitatis à temporibus antiquis; confirmatumque eſt Eccleſiæ Glaſtoniæ tam à regibus Britonum quam Anglorum & Normannorum.

De Turſtino primo Abbate de Normannis.

EXpeditis quibuſdam, gratia quorum paululum digreſſum eſt, ad ordinem hiſtoriæ redeundum. Primus igitur Abbas de Normannis fuit Turſtinus, anno incarnationis dominicæ MLXXXII, quem Willelmus ex duce Normanniæ factus Rex Angliæ, ibidem ex monacho Chadonienſi Abbatem conſtituit. Idem Willelmus regno ſuæ ſubjugato ditioni, quamplures ex ſuis commilitonibus ex Glaſtoniæ feudavit poſſeſſionibus, poteſt igitur conjici ex his & præcedentibus, qualiter & per quos Glaſtonienſe monaſterium, quondam opulentiſſimum, ſuis ſit terris pene nudatum, videlicet per Ægelwardi & Ægelnoti dilapidationem, per Danorum ſimul & Normannorum hoſtilem incurſionem, ſeu violentam oppreſſionem. Idem tamen Willielmus Rex, ut injuriam Glaſtoniæ prius illatam redimeret, quaſdam terras, quas ablatas conquerebantur, eiſdem auctoritate Regia confirmavit in hæc verba.

Carta Regis Willielmi primi.

NOtum ſit tam præſentibus quam futuris, quod ego Willelmus Dei gratia Rex Angliæ, viſis & cognitis Cartis Eccleſiæ Glaſtoniæ, Concedo eidem Eccleſiæ in perpetuum, ad victum monachorum inibi Deo ſervientium, pro ſalute animæ meæ; quaſdam terras, quas calumniabantur pertinere ad præfatam Eccleſiam jure hæreditario, confirmo. Subnotantur autem terrarum nomina, videlicet, Midelton, Fulebroc, Berges, Burnington, Lim, Blakeford, Witon, Teſte Epiſcopo W. Dunelmenſi, & Archipræſule Lanfranco, & Thoma Archiepiſcopo, & Wakelino Epiſcopo, & Rob. comite de Mauric, & multis aliis.

De

De Abbatibus Muchelniæ & Athelingiæ.

HIs igitur ad inſtantiam Abbatis Turſtini ſic patratis, etiam illud proſequamur, qua efficacia vicinos Abbates Muchainienſem & Ethelingenſem ſui juris aſſeruit. Nam cum eos, falſa delatione Giſonis Wellenſis Epiſcopi, Lanfrancus Archiepiſcopus in generali concilio Angliæ mordaciter impeteret, Muchanienſis, qui exercitatior eſſet in ſeculi rebus, reſpondit ſe in capitulo Glaſtoniæ, juſſu ejuſdem loci Abbatis & ſui reſponſurum. Cæterum extraordinarias accuſationes non timere. Ethelingenſis autem jocular iter eludens quæſtionem, minanti Archiepiſcopo baculum ei auferendum, non curo quia meliorem habeo, nec tamen iſtum tibi trado. Tunc juſſus Abbas Turſtinus, ut ſi ſibi competere ſciret, cauſam ageret, ſurrexit loco ſententiæ dicendæ, egitque multa & conſtanti facundia, memoriter retexens privilegia Regum à Kentuino & Ina Regibus uſque ad Edvardum, quibus allegavit in eos Abbates nullam juriſdictionem aliquem niſi Glaſtonienſem Abbatem habere, adeo ut in prædictas Eccleſias nullus debeat Abbas intrare, niſi fuerit electus à conventu Glaſtoniæ. Tum cum Archiepiſcopus in regem converſus dixiſſet, *ſe beati Dunſtani nutriculam nolle minuere*, illeque retuliſſet, *nec ſe velle matrem Domini contriſtare, ſed pro cautione futurorum Epiſcopum Wellenſem debere in Glaſtoniæ Capitulo rem diffinire*, reſumpſit Abbatis ſermonem, privilegia eccleſiæ ſuæ authentica eſſe, nullam cujuſlibet dignitatis perſonam cauſa judicii Glaſtoniam debere venire, ſua ibi eſſe omnia, & in Eccleſiaſticis & in ſecularibus rebus judicia, facile fore ut invictus princeps & Sanctus Archiepiſcopus in re nova conſtituenda perpetua pulſarentur invidia. Cæterum quod anteceſſores ſui habuiſſent integrum, ſe, qui in defenſanda dignitate eccleſiæ eodem vigilaret ſpiritu, nequaquam omiſſurum. Quocirca Epiſcopus Wellenſis, ſi quid allegandum putaret, ſuo non regis vel Archiepiſcopi juſſu, Glaſtoniam veniret. Quid plura, obtinuit cauſam Abbas. Et quidem Epiſcopus in capitulum venit, ſed purgantibus ſe Abbatibus victoria excidit, & inglorius diſceſſit.

De Tranſlatione Sancti Benigni.

AD gloriam ſane temporum Turſtini pertinet beatiſſimi Benigni tranſlatio, quam virtutibus non incelebrem alias ſtilus noſter expedivit, duo pallia, duo turribula, duo candelabra fecit.

De diſcordiis inter Turſtinum & ſuum conventum. & de Cruce Vulnerata.

IPſius autem tempore infortunium quoddam accidit, quod omnino ſilentio præterire ratio diſſuadet, non ut acerbæ rei commemoratio videatur exprobratio, ſed ut miraculum inde ſecutum deducatur in medium ad ædificationem audientium. Diſcordiæ enim Zizannia inter eumdem Abbatem ſuumque conventum diſperſa fuiſſe refertur, Abbatiſque negligentiæ, imo imprudentiæ, impingitur cauſa diſſidii; qui dum conventui multa de antiquis & approbatis conſuetudinibus ſubtraheret, quædam etiam pro more ſuæ patriæ tranſmutaret, licet ſuper his privatim frequenter requiſitus publiceque fuiſſet redargutus; errata tamen corrigere diſſimulabat, præſumtamque nullatenus exuit pertinaciam. Inter cætera etiam Gregorianum Cantum aſpernatus monachos compellere cœpit, ut illo relicto cujuſdam Willielmi Fiſcanenſis Cantum diſcerent & cantarent. Hoc ægre accipientes, quippe qui jam tam in hoc, quam in alio

 eccleſi-

eccleſiaſtico officio ſecundo, Romanæ morem eccleſiæ inſenuerant, inſuper mores ejuſdem tanquam alienigenæ, nec de gremio eccleſiæ canonice inſtituti, moleſtius forſitan tolerabant. Cum igitur die quadam mente turbida capitulum ingrederetur, ac monachos ſuper his & aliis negotiis turbulentius alloqueretur, nec eos ſuæ voluntati poſſet inclinare, confeſtim ira cæcatus, milites ac ſatellites ſuos phaleratos fecit accerſiri. Quo viſo monachi, pavore vehementiſſimo correpti, in fugam, prout melius poterant verſi ſunt, eccleſiamque pro aſylo ſubierunt, ejuſdem hoſtia ſeris obſtruentes: ſed miniſtri Belial irrumpentes templum, abſurdum perficiunt ſceleris exemplum, monachos etiam uſque ad altare fugientes, auxiliumque Divinum lacrymis profuſis poſtulantes, perſequuti ſunt; in eoſdem arcu & ſagittis jaculantes. Quidam etiam ſolaria inter columnas erecta ſcandebant, quo liberius innocentium ſanguine animum ſatiarent malevolum; nec loci vel ſanctorum potuit obſiſtere reverentia. Donec unum ex monachis ſacrum amplexantem altare lancea transfixum, alium ad altaris crepidinem ſagittis confoſſum necaſſent, ac XIV de aliis graviter vulneraſſent. Quapropter monachi tantæ neceſſitatis importunitate compulſi, demum ſeſe, prout poterant, defenſitabant, adverſarios à choro propellentes: unus autem ex Abbatis familia in ſcelere cæteris pertinacior, cernens quemdam monachum crucem argento coopertam manibus tenere, ut ei defenſionis clipeum præſtaret, animo dedignanti in eumdem ſagittam direxit; ſed providente Deo, ſagitta imaginem Dominicam in cruce defixam ſubtus genua vulnerans, ſanguinis rivulum ex eadem produxit, qui de altari uſque ad gradus de gradibus uſque ad terram deſcendens, ultionis divinæ terrorem infauſtis viris incutiebat. Hoc viſo ſceleris hujus perpetrator ſui confuſionem non ſufferens, continuo amens eſt effectus, & Eccleſiæ limina egreſſus corruit, & fracta cervice animam efflavit. Cæteri autem hoc intuentes, ne ſimilia ſubirent ſupplicia, egredi monaſterium feſtinabant, ſed æquitatis Divinæ virga eos pœnæ non ſinebat eſſe expertes, quos in malignitatis perpetratione noverat exſtitiſſe conſortes. Quidam vero intra, quidam extra mentis corporiſque impotes effecti, pœnas non immeritas exſolvebant. Regi demum Willelmo primo querela ſuper hoc delata, dum maxima fuiſſe patuit Abbatis culpa, ab eodem Rege in Normanniam ad monaſterium unde venerat, redire compulſus eſt inglorius, de monachis vero quamplures per Epiſcopatus & Abbatias juſſu regis cuſtodiendi diſperguntur. Rege tamen mortuo, idem Turſtinus auxilio parentum ſuorum Abbatiam Glaſtoniæ à filio ſuo Willielmo dicto Rufo quingentis libris argenti dicitur redemiſſe, & monaſterium aliquot annis occupans, & per ejuſdem poſſeſſiones pervagatus, longe ab ipſo, ut dignus erat, miſere vitam finivit. Cætera autem Turſtini facta potius miremur, non iſtud carpamus, in quo magis caſu impegit, quam induſtria peccavit, æmulemur in eo fervorem religionis, nonnullam pietatem in Deo, multam providentiam in ſeculo. Crux autem ſuperius memorata, ab antiquis temporibus argento veſtita, pro tanto miraculo conventui venerabilis, populoque celebris habetur, vulneriſque veſtigia intuentibus adhuc oſtendit manifeſta. Acta ſunt hæc anno Domini MLXXXI°. hujus etiam rei teſtis eſt Oroſius Anglorum hiſtoriographus.

De Herlwino Abbate.

SUcceſſit Herlwinus anno incarnationis MCI°. æque ut Turſtinus Cadomenſis Monachus, clementia & liberalitate juxta inſignis, quem Henricus primus, conſentiente conventu, ibidem Abbatem conſtituit, ubi & XIX annis præfuit. Is in novitate adventus pro parcitate victus ignominiæ in Regno Angliæ eſt notatus. Et revera ſtrictius ſe agebat, quam amplitudinis fortunæ ſuæ intererat, non animi anguſtia, ſed pro gentili more patriæ de qua venerat

nerat. Verumtamen, ut dixi, pudore infamiæ reſperſus valvas curiæ, quibus advenientium arcebatur aditus, à fundo eruit, ut patente noctibus perinde ut diebus acceſſu, nullus difficultatem cauſaretur ingreſſus. Et ut oſtenderet quantum infamiam parſimoniæ oderat, cunctos officiales convocans, hanc ab omnibus gratiam precario munere depopoſcit, ut ſe in reſumenda dapſilitatis fama juvarent. Janitori, ſi quemquam excluderet, cum fortunarum diſpendio præciſionem etiam auris comminatus. Eo factum eſt ut pro dapſilitate diceretur profuſus, qui ante clamabatur aſtrictus, fit enim fere in rebus mortalium, ut avarus nominetur, qui eſt providus, & qui eſt munificus, nuncupetur prodigus. Eccleſiam à prædeceſſore inchoatam, quia magnitudini poſſeſſionum ſuarum non reſpondebat, ſolo tenus eruit, & novam inchoauit, in qua ccccLxxx libras diſpendit. Imaginem & Crucem Lxx marcis comparavit pro terris â tempore Normannorum ereptis; cum mille marcas obtuliſſet regi, repulſam paſſus, ad Terentianum dictum verſo animo, faciamus inquit, quod poſſumus, ſi non poſſumus quod volumus. Itaque datis centum marcis argenti & duabus auri, maneriorum ſuorum mutilationem reſarcivit. Sex enim Hidas in Pukeleſcirce retrahens, ad xL extendit libras, quod vix xvi ante valuerat; ſexaginta marcis redemit terram, quam Gaufridus de magna villa tenebat in Viltone; Terram de Cranemere recuperavit, annuente rege Henrico, ut eam prò tribus hidis defenſitaret. Milne & Lim de manibus Hardingi Eadnothi filii, potentis tunc admodum & Cauſidici, extorſit. Ab Ulrico fratre Dunelmenſis Epiſcopi, quia parum ſuccedebat ſapientia ſecularis, eccleſiaſtica communione privato, Blakeford recepit. In Cumpton hidam, in Soei aliam ad Eccleſiam quaſi poſtliminio redire fecit. Apud Walas terram decem librarum adquiſivit, Crucem opere mirabili & incomparabili fecit, pallia ix. cappas ix. tapetum i. Dorſalia v. albas iii. altare, quod, cum Johanni Cremenſi oſtenſum, primo enormitate pretii ejus hebetaſſet animum, mox ſi Romæ haberetur centum marcis auri eſtimatum eſſet. Monachorum officinas ampliavit, Clericos religionis votum parturientes gratis recepit, nullo ſcilicet pretio converſionem eorum, ut quidam faciunt, nundinatus. Pridie quam excederet, miſſam cantans, cordis contritione & lacrymarum fluvio ſeipſum Deo victimam fecit, mox in capitulo cunctorum exceſſuum in monachos indulgentiam petiit, & impetravit: acceſſiſſe ſe ad metam vitæ, illis mirantibus, vaticinatus, ſub ipſo crepuſculo de conſilio medicorum pilulas ſumpſit. Sed eis ante mediam noctem in tormentum tranſeuntibus, â monachis accurentibus ſacro unguine delibutus, in meta noctis diem clauſit, ſepultus eſt juxta Turſtinum ad Sanctum Andream.

Conſuetudines.

Conſuetudines obſervatæ temporibus Turſtini & Herlwini Abbatum in privatis diebus, videlicet Dominica, die Martis, die Jovis, ac Sabbato, tria generalia ad refectionem habuerunt fratres, & duas pitancias, cæteris vero tribus diebus, ſcilicet feria ii. feria iii, & vi, duo generalia & tres pitancias. In diebus autem ſolemnibus, quando fratres fuerunt in cappis, medonem habuerunt in juſtis, & ſimilas ſuper menſam, & vinum ad caritatem, & tria generalia, & quatuor vel quinque pitancias. In diebus vero, in quibus in albis fuerunt, medonem ſimiliter in juſtis, & ſimilas ſuper menſas, & iii generalia, & tres vel quatuor pitancias. In præcipuis autem feſtivitatibus, id eſt, natali Domini, Paſcha, Pentecoſte, Aſſumptione, & nativitate Sanctæ Mariæ, & dedicatione Eccleſiæ, major fuit quantitas in omnibus ſecundum dignitatem feſtivitatum. In anniverſariis vero Regum, Epiſcoporum, Abbatum, & Ducum, qui Glaſtoniæ Eccleſiam conſtruxerunt, debent fratres per ſingula altaria pro eorum animabus miſſas celebrare, & maxime in communi conventu

ventu honorifice coram poſitis ornamentis, quæ huic eccleſiæ dederunt. Interim pauperes XIII pro eis reficiantur, & poſtea in refectorio debent ſerviri, ſicut in feſtivitatibus. De veſtitu eorum iſta eſt conſuetudo, unuſquiſque Fratrum duas cucullas, & duos frocos, & duo ſtamina, & duo femoralia habere debet & quatuor caligas, & pelliciam novam per ſingulos annos. Et in cœna Domini unuſquiſque diurnales ſotulares, & in hyeme nocturnales, & duo coopertoria ad lectum, pedules vero decem, ſcilicet ad feſtivitatem beati Michaelis II; ad ſolemnitatem omnium ſanctorum quatuor, ad feſtivitatem Sancti Martini II. cæteras duas, quando eis expedierit, habeant. Et hæc eſt aſſiſa, quando pro cerviſia vinum debent habere, unuſquiſque ſcilicet habere debet duas caritates in die, de minutis quære in texto.

De Sigfrido Abbate.

SUcceſſit Sigfridus Monachus Sagienſis frater Radulfi Archiepiſcopi Cantuariæ, anno incarnationis Domini MCXX. Similiter ab Henrico primo conſtitutus, qui & Glaſtoniam annis VI Regebat. Is dedit pallium I. Caſulam albam, & privilegium in hæc verba.

Privilegium Calixti Papæ.

CAlixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimo filio Sigfrido Pelochino ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Quamobrem nos, fili in Chriſto cariſſime, poſtulationis tuæ deſideriis benignius annuentes, beatæ Dei genitricis, & glorioſæ ſemper virginis Mariæ monaſterium, cui annuente Deo præſides, in Eccleſiæ Romanæ tutelam, protectionemque ſuſcipimus; & contra hominum perverſorum moleſtias ejus privilegio confoverimus. Per præſentis enim decreti paginam auctoritatemque ſtatuimus, ut quæcunque ab Apoſtolicis Archiepiſcopis, Regibus, & Principibus, aliiſque fidelibus, noſtro monaſterio largitione legitima collata ſunt, quieta ei & integra conſerventur. Quæcunque præterea futuris temporibus juſte canoniceque adquirere, Domino largiente, poteritis, firma tibi ſucceſſoribuſque tuis & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem monaſterium penitus perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, vel minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & conſervatione collata ſunt, modis omnibus, uſibus profutura: Si qua autem Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, in futurum hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore Dei & Domini noſtri redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quatenus & hi fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ retributionis inveniant. Data Lateranis per manum Annerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Cancellarii. Idibus Maii, indictione prima, incarnationis Domini MCXXIII, *pontificatus Domini Calixti ſecundi Papæ* V°.

De Henrico Bleſenſi Abbate Glaſtoniæ.

SIgfridus Ciceſtrenſis Epiſcopus factus, habuit in Glaſtonia ſucceſſorem, anno MCXXVI Henricum fratrem Theobaldi, Bleſenſis Comitis nepotem, Henrici Regis ex ſorore Adela, qui etiam Epiſcopus Wintonienſis non

non multo poſt factus eſt, vir præter natalium ſplendorem peritia litterarum inſignis, affabilitate verborum comis, animi benignitate liberalis, cujus principia & proceſſus, quanto vobis emolumento fuerint, & per hoc quanto favore in os hominum venerit, noſtis; de quo plura nec me dicere, nec vos tæderet audire, niſi concilium eſſet parcere admirabili ejus verecundiæ, habet enim hoc proprium, ut quamquam laudanda faciat, laudari tamen erubeſcat.

Finito libro, &c.

Wilhelmi

Wilhelmi Malmesburienſis Liber V. de Pontificibus.

Prologus Libri 5ti Will. Malmesb. de Pontificibus.

TOTIUS *Angliæ*, quaqua verſum porrigitur Epiſcopatibus, circuitus, ſicut poſt longam peregrinationem domum 'revertor, ut de Beatiſſimo Patre *Aldelmo* pollicitum 'exequar meum. Ad quod pro viribus implendum non 'me ſollicitat dicendi materia uberior, ſed affectus in 'Sanctum quem ipſe meruit propenſior. Num enim 'par eſſet ut ei negarem vocis meæ præconium, qui 'mihi contulit poſt Deum quantulum habeo ingenium? Illi non impende'rem linguam, cui ſi neceſſe eſſet, impenderem vitam? Atqui nimium a'varus eſt, qui verborum ſuorum tenax eſt. Quia igitur immaniter de'viaretur à Juſtitia, ſi obumbraretur ſilentio, ſuſcepi vel pauca de ipſi'us vita dicere, quamvis pro inſcitia rerum, nequaquam valeo voluntati 'ſatisfacere. Adeo, præter illud quod de illo *Beda* in geſtis *Anglorum* 'tangit, ſemper infra meritum jacuit, ſemper deſidia civium agente, inho'norus latuit. Magnus ille quidem ſcientiæ gloria, miraculorum eminen'tia, ſed nulla quæ ſuperſit illuſtratus ſcriptura. Gaudeat aliquis ſe de '*Aldelmi* miraculis plura legiſſe, quæ vivens duntaxat fecerit, ad me pro'fecto nihil manavit: nihil, quanquam curioſiſſimo, acceſſit ſtudio, niſi 'quod Artifex manus argenteo & perantiquo impreſſit ſcrinio. Compegit 'hæc in libellum Abbas *Abendonienſis Favitius*, autoritate ſua nitens, nec 'quicquam præterea quod dicta ſua firmaret teſtimoniorum extrinſecus 'adducens. Mihi placuit diverſum dicendi genus, ut per illa geſta quæ 'à ſcriptis *Favitii* vacabant introrſus pergerem, & quæque dicta idoneis 'teſtibus, velut quibuſdam poſtibus ambirem. Quis enim aliter crede'ret geſtis tam longe à noſtra memoria remotis, ut, quod ſic dictum ſit, 'propter ſtyli penuriam ſepultis. Superſunt præterea plura meum, Mo'nachi ſcilicet *Malmesburienſis*, expectantia officium, quæ vir ille aut ne'ſcivit, aut dicere ſuperſedit. Fuit enim ſicut non uſquequaque deſpicabi'lis eloquentiæ, ita in his duntaxat propter ignorantiam linguæ, incuri'oſæ ſcientiæ, ut pote ſub *Tuſco* natus aere. Æqui igitur & boni con'ſule, Lector mi, ne perſonæ meæ obſcuritas præ Abbatis dignitate præ'judicium patiatur. Quamvis, ſi honores attenderis, & nos aliquod no'men decuſque geſſimus. Quadripartito itaque ordine hæc procedet nar'ratio. Primo, ut Sanctiſſimi viri oſtendam genus & ſcientiam: ſecundo, 'quæ Cœnobia fecerit, quibus privilegiis & patrimoniis hoc noſtrum in'ſignierit, ſubjiciam; ubi auditoris patientiam jam hinc ex prooemio con'venio, ne alienis ſcriptis gravatus effugiat. Hic enim libellus non oſten'tationem eloquentiæ, ſed congeriem ſcientiæ pollicetur: ut non tam vi'ta dicatur Sancti, quam vitæ ipſius teſtimonium, cognitionis inſtrumen'tum. Tertio, pauciſſima miracula, quæ juvenis fecit; non quod plu'ra non fecerit, ſed quod iſta tantum dubietatis ſcrupulum effugere po'tuerint, non omittam. Quarto ſeriem temporum poſt Beati viri obi'tum, quanta potuero veritate deducam, quanta libertatis naufragia Ec'clefia noſtra pertulerit; quam ſemper proſpere, cum videretur oppreſ'ſa maxime, per patrocinium Sancti caput contra fortunam extulerit.

'At me quidem his enarrandis imparem non neſcio: Sed Spiritus Sancti 'ductu, qui jam carbaſa non ſegniter impleſſe videtur, ultro hujus im-'menſitatem pelagi ſecurus velivolabo.

IGitur *Aldelmus Saxonum* oriundus proſapia, familiaque haud dubie nobiliſſima, morum generoſitate, vicit ingenuitatem lineæ. *Favitius* alluſit ad nomen, ut diceretur *Aldelmus*, quaſi *Senex Almus*; ſed ego, ſi ludis incertis occupationes legentis furari liceret, dicerem longe aliter interpretatione detorta, quod *Aldelmus*, interpretetur *Galearetus*. Sic enim deberet ſcribi nomen ſuum, h, litera interpoſita, ipſe Sanctus in prologo *ænigmatum* ſuorum perſpicue innuit. Convenit interpretationi vita viri, quod *Galea ſalutis caput protectus*, emeritamque & cedere hoſti neſciam *Chriſti* militiam edoctus, opimam de Diabolo lauream erexit. Ferunt quidam, incertum unde id aſſumpſerint, fuiſſe nepotem *Inæ* Regis *Weſt-Saxonum*, ex fratre *Kenteri*. Nobis pro vero arrogare non libuit, quod videtur magis opinioni quadrare volaticæ, quam veritati hiſtoriæ. Siquidem ex *Chronicis* conſtat, quod *Ina* nullum fratrem præter *Inigildum* habuerit, qui paucis ante ipſum annis deceſſit. Poſſem & illud objicere, quod *Aldhelmus* non minor quam ſeptuagenarius decedens, *Inam* plus 18 annis ſuperſtitem reliquerit, idemque Rex, poſt tot annos, viridi adhuc ævo *Romam* iverit. Convenit ne ut patruus juvenis ſeptuagenarium nepotem haberet, qui de fratre minoris ætatis natus fuiſſet. Veruntamen, quod diſcrepat ponatur in medio, & dicatur quod caret ambiguo. Qui enim legit *manualem librum* Regis *Elfredi*, reperiet *Kenterum* Beati *Aldhelmi* patrem, non fuiſſe Regis *Inæ* germanum, ſed arctiſſima neceſſitudine conſanguineum. Quod autem *Saxonici* generis fuerit ipſe, in Epiſtola, quam *Cellano* cuidam miſit, his edocet verbis.

'Miror quod me tantillum homunculum de famoſo & florigero *Francorum* Rure, veſtræ Fraternitatis induſtria interpellat, *Saxonicæ* prolis 'proſapia genitum, & ſub *Arctoo* axe teneris infantiæ cunabulis. Parens ergo, qui pro conſcientia nobilitatis nihil abjectum ſaperet, non degeneris Magiſtri ſcholæ tradidit filium primis imbuendum elementis, ſed *Adriano* Abbati Sancti *Auguſtini*, quem in arcam ſcientiæ ſtetiſſe, qui *Anglorum geſta* perlegit, intelligit. Cumque jam majuſculus à *Cantia* in *Weſt-Saxones* remeaſſet, Religionis habitum in *Meldunenſi* accepit Cœnobio. Id quidam, qui alio nomine vocatur *Meildulf*, natione *Scotus*, eruditione Philoſophus, profeſſione Monachus fecerat. Ibi *Græcis* & *Latinis* eruditus literis, brevi mirandus ipſis enituit magiſtris. Qui cum natali ſolo voluntarie carens illuc deveniſſet, nemoris amœnitate, quod tunc temporis immenſum eo loci ſuccreverat captus, Eremeticam exercuit. Deficientibuſque neceſſariis, ſcholares in diſcipulatum accepit, ut eorum liberalitate tenuitatem victus corrigeret. Illi, procedente tempore, Magiſtri ſequaces ex Scholaribus Monachi effecti, in conventum non exiguum coaluere. Horum exemplo & conſortio *Aldelmus* informatus ad ſtudium, liberales artes plenitudini ſcientiæ adjecit. Quas ut medullitus combiberet, iterum *Cantiæ* ſtuduit ad pedes *Adriani*, qui eſſet fons literarum, rivus artium, donec valetudine cogente repedaret domum.

Dictorum tenorem conſequantur teſtimonia, ne fides auditorum ſit tenera. Quod infantem *Adrianus* erudierit, ipſe in *Epiſtola* ad eundem 'ſic dicit, 'Reverendiſſimo Patri, meæque rudis infantiæ venerando Præ-'ceptori *Adriano Aldelmus* vernaculus familiæ *Chriſti* & veſtræ pietatis 'ſupplex Alumnus, Salutem &c. Quod à puero in *Meldunenſi* Cænobio fuerit & altus & doctus, *Lutherius* Epiſcopus inſinuat in privilegio quo eidem *Aldelmo* Abbatiam dedit. 'Ego *Lutherius* gratia Dei Epiſcopus ro-'gatus ſum ab Abbatibus ut terram illam, cui inditum eſt vocabulum '*Maldulfsburg Aldelmo* Presbytero ad degendam regulariter vitam confer-'re largirique dignarer. In quo, videlicet, loco à primævo infantiæ flore, 'atque

'atque ab ipſo tyrocinio rudimentorum liberalibus literarum ſtudiis eru-'ditus, & in gremio Sanctæ matris Eccleſiæ nutritus vitam duxit. Quod '*Melduni* Cœnobium illud conſtruxit, *Sergius* Papa in privilegio quod 'eidem *Aldelmo* dedit, [oſtendit.] Poſcente à nobis Religione tua, ut 'ductoris noſtri Apoſtolorum principis vice, Britannicorum Apoſtolorum '*Petri* & *Pauli*, quod *Melduni* religioſæ memoriæ [*Meildulf*] condidit, quod '& nunc *Meldunesburge* vocatur, ſi tum in Provincia *Septonia*, quod tuam Re-'ligionem provide diſpenſare cognovimus, Apoſtolicis privilegis robore-'mus, piæ petitioni favorem tribuimus.

Quod iterum *Cantiæ* ſtuduerit, ſed pro valetudine diſceſſerit, idem in Epiſtola ad eundem *Adrianum*, *Fateor, mi chariſſime, quem gratia puræ dilectionis amplector, poſtquam à ſociali contubernio veſtro, ante triennium circiter, diſcedens, à* Cantia *ſequeſtrabar, quod noſtra parvitas hactenus ad conſortium veſtrum ardenti deſiderio flagrabat. Quod & jamdudum cogitarem, quemadmodum in votis eſt adimplens perficere, ſi rerum ratio ac temporum viciſſitudo pateretur, & niſi me diverſa impedimentorum obſtacula retardarent, præſertimque corporeæ fragilitatis valetudine medullitus tabentia membra coquente non ſinerer, qua quondam, dum poſt prima elementa iterum apud vos eſſem, domum redire coactus ſum. Planum, ut arbitror, factum eſt his teſtimoniis, quod liberalium artium compos fuerit, qui tanti contubernalis conſortio fruitus ſit. Nec ipſe ſane ſuffragio laudum ſuarum defuit, ubi dixit, Se primum omnium ſuæ gentis hominum fuiſſe, qui ad ſcientiam Metrorum præſumpſit ingenium, impulit animum,* Iſta enim ſunt ejus verba in calce libri quem fecit de Schematibus. *Hæc, inquit, de Metrorum generibus & Schematibus, pro utilitate ingenii mei habes multum laborioſe, neſcio ſi fructuoſe collecta, quamvis mihi conſcius ſim illud me Virgilianum poſſe jactare,*

> *Primus ego in patriam mecum modo vita ſuperſit,*
> Aldelmus *rediens deducam vertice muſas.*

Literis itaque ad plenum inſtructus, nativæ quoque linguæ non negligebat carmina, adeo ut, teſte libro *Elfredi*, de quo ſuperius dixi, nulla inquam ætate par ei fuerit quiſquam *Poeſin* Anglicam poſſe facere, tantum componere, eadem appoſite vel canere vel dicere. Denique commemorat *Elfredus* carmen triviale, quod adhuc vulgo cantitatur *Aldelmum* feciſſe, adjiciens cauſam qua probet rationabiliter, tantum virum his quæ videantur frivola, inſtituiſſe populum eo tempore ſemibarbarum, parum divinis ſermonibus intentum, ſtatim cantatis Miſſis, curſitare ſolitum; ideo Sanctum virum ſuper pontem qui rura & urbem continuat, abeuntibus ſe oppoſuiſſe obicem, quaſi artem cantandi profeſſum. Eo plus quam ſemel facto, plebis favorem, & concurſum emeritum. Hoc commento ſenſim inter ludicra, verbis ſcripturam inſertis, cives ad ſanitatem reduxiſſe, qui ſi ſevere & cum excommunicatione agendum putaſſet, profecto profeciſſet nihil. Præconio itaque nobilis doctrinæ favorabilis, quantum haberetur judicio ſunt Epiſtolæ Amicorum ad eum miſſæ. Taceo de Compatriotis qui certatim ad eum ſcripta ſua emittebant, ejus judicii cenſuram ſubitura. Præterea *Scotos* tunc maxime doctos, qui idem feciſſe noſcuntur, quorum aliquos non obſcuræ literaturæ nominare poſſem, maxime *Artivilum* Regis *Scotiæ* filium. Hic, quicquid literariæ artis elaborabat, quod non adeo exile erat, *Aldelmi* committebat arbitrio, ut perfecti ingenii lima eraderetur ſcabredo *Scotica*. Ex ipſo *Francorum* ſinu ad eum cauſa doctrinæ veniebatur, ut hæc Epiſtola palam faciet.

Domino lectricibus dicato ſtudiis, mellifluiſque ornato lucubratiunculis, Aldelmo Archimandritæ, Saxonum mirifice reperienti in oris, quod nonnulli eum laboribus & ſudoribus in alieno aere vix lucrantur, Cellanus in Hibernenſi inſula natus, in extremo Francorum limitis latens angulo exul, famoſæ coloniæ Chriſti extremum & vile mancipium, in tota & tuta Trinitatem, Salutem. Et poſt pauca,

Quaſi pennigero volatu ad noſtræ paupertatis acceſſit aures veſtræ Latinitatis panegyricus rumor, quem agilium Lectorum non horreſcunt auditus, ſive ſannarit amurcali impoſtura natus propter Alburneum dictricis Romanæ decorem. Et ſi te præſentem non meruimus audire; tuos tamen bona lance conſtructos legimus faſtos diverſorum deliciis florum depictos, ſed ſi peregrini triſte reficis corculum, paucos tranſmitte ſermunculos illius pulcherrimæ labiæ tuæ, de cujus fonte puriſſimo dulces multorum poſſunt reficere mentes, ad locum ubi Dominus Turſeus in Sancto & integro pauſat corpore. Huic Epiſtolæ quam liberaliter reſponderit, atteſtatur illa, cujus particula hîc nuper appoſita dedit documentum, *Aldelmum* ex *Saxonico* genere ortum.

Cæterum non eſt narratu facile quam efficax fuerit exhortando amicos, & diſcipulos, illos ut illæſam fidem amicis exhiberent, iſtos ut teneros annos ad unguem Divinæ præceptionis ducerent, ſingularum tamen monitionum hîc ponentur indicula. Cum *Wilfridus* Epiſcopus, de quo non pauca in *tertio libro* dixi, exul ageretur, multi ſuorum Abbatis fortunæ ſequentes rotam, ad inimicorum favorem devolvi meditabantur, quorum juſtitiæ *Aldelmus* diffidens, & amico venerabili metuens, his verbis labentes nitebatur erigere. Poſt præfationem enim congruam, *Nuper,* inquit, *furibunda tempeſtatis perturbatio, ſicut experimento didiciſtis, fundamenta Eccleſiæ, ſicut quodam immenſo terræ motu concuſſit; cujus ſtrepitus per diverſa terrarum ſpatia velut tonitruali fragore longe lateque percrepuit. Et idcirco, vos viſcerales contribulos flexis genuum poplitibus ſubnixa expoſco prece, nequaquam hujus perturbationis ſtropha ſcandalizari, ne quiſquam veſtrum mentis ſegnitiei fide torpeſcat, etiamſi rerum neceſſitas exigat, cum Præſule proprio pontificatus apice privato, tellure paterna propelli, & quemlibet oporteat latorum regnorum tranſmarina aggredi rura. Quis enim, quæſo, tam durus atroxve labor exiſtens, ab illo vos antiſtite ſeparans arceat, qui vos ab ipſo tyrocinio rudimentorum, & à primæva teneræ ætatis infantia uſque adultæ pubertatis florem nutriendo, docendo, caſtigando, provexit pietate, & quaſi nutrix gerula dilectos extenſis ulnarum ſinibus refocillans; ſic Charitatis gremio ſotos clementer amplexus eſt. Perpendite, quæſo, creaturarum ordinem, eiſque divinitus inſitam naturam, quatenus ex minimarum rerum collatione inflexibilem converſationis formam Chriſto juvante capiatis, quomodo examina apum, caleſcente cœlitus caumate, ex alveariis nectare fragrantibus certatim emergant, & earum autore linquente brumalia manſionum receptacula, denſarum cavernarum cohortes rapido volatu ad æthera glomerante, exceptis duntaxat antiquarum ſedium ſervatricibus, ad propagationem ſobolis futuræ relictis, inquam, mirabilius dictu Rex earum ſpiſſis ſodalium agminibus vallatus, cum hyberna caſtra gregatim egreditur, & cara ſtipitum robora rimatur, ſi pulverulento ſabulonis aſpergine præpeditus, ſeu repentinis imbribus cataracta Olympi guttatim rorantibus retardatus fuerit, & ad gratam cratem, ſedemque priſtinam revertatur, omnis protinus exercitus conſueta veſtibula perrumpens, priſca cellarum clauſtra gratulabundus ingreditur,* Et poſt alia. *Si ergo taliter creatura carens, [ratione] quam vita natura indita abſque legibus ſcriptis gubernat, reciprocis temporum ſucceſſionibus, ductoris præcepto paret, reſpondete, rogo, utrum horrendæ abominationis infamia ſint exprobrandi, qui conceſſa ſeptiformis ſpiritus gratia præditi, devotæ ſubjectionis formam ritu phrenetico frangunt. Cur autem diverſarum rerum ratiocinationes conglobans ad inſtiganda veſtri pectoris præcordia, ſtridente calamo percurram, Audite, Ecce ſeculares divinæ ſcientiæ extorres, ſi devotum Dominum, quem in proſperitate dilexerunt, ceſſante felicitatis opulentia, & ingruente calamitatis adverſitate, deſeruerint, ſecura dulcis patriæ otia exulantis diu preſſuræ prætulerint. Nonne execrabilis cachinni ridiculo, & gannaturæ ſtrepitu ab omnibus ducuntur? Quid ergo de vobis dicetur, ſi Pontificem qui vos nutrivit & extulit, in exilio ſolum dimiſeritis? &c.* Exemplo firmiſſimæ in amicum integritatis poſito, ſequetur præclara Diſcipuli admonitio. *Dilectiſſimo mihi filio & ſimul diſcipulo* Adilwaldo, Aldelmus *extremus ſervorum Dei, ſalutem. Quemadmodum te viva voce aliquoties de aliquibus admonere curavi, ita & nunc abſentem*

abſentem paterna, ſecundum Deum, autoritate fretus, literis exhortari non piget. Hoc enim ideo agimus, quod charitas Chriſti, *ſicut ait Apoſtolus, urget nos. Itaque fili mi chariſſime, licet adoleſcens ætate exiſtis, vaniſſimis tamen oblectamentis hujus mundi nequaquam te nimium ſubjicias, ſive in quotidianis potationibus & conviviis uſu frequentiore ac prolixiore inhoneſte ſuperfluis, ſive in equitandi vagatione culpabili, ſeu in quibuſlibet, corporeæ delectationis voluptatibus exercendis. Memento ſemper quid ſcriptum eſt, Adoleſcentia & Voluptas vana ſunt, amori quoque vehementiori pecuniæ, & omni ſecularis gloriæ Deo ſemper odibili jactantiæ nequaquam ultra modum inſervias, illius ſententiæ reminiſcens. Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ diſpendio. Filius enim hominis venturus eſt in gloria ſua, & Sanctorum Angelorum* &c. *Sed multo magis, mi amantiſſime, vel lectionibus divinis, vel orationibus ſacris ſemper invigila. Si quid vero præterea ſecularium literarum noſce laboras; ea tantummodo cauſa id facias, ut quoniam in lege divina, vel omnis, vel pene omnis verborum textus artis omnino ratione* Grammaticæ *conſiſtit, tanto ejuſdem eloquii divini profundiſſimos atque ſacratiſſimos ſenſus facilius legendo intelligas, quanto illius rationis qua contegitur diverſiſſimas regulas plenius didiceris. Ante hanc autem Epiſtolam jugiter inter cæteros quos legis libros habere non omittas, ut, viz. ejus lectione, creberrima de his quæ in ea ſcripta ſunt implendis mea vice poſſis admoneri, Vale.*

At utinam hæc lectio Monachorum, qui ſe *Aldelmi* diſcipulos profitentur, conferat compendio, proficiat commodo. Ut tandem deſpectis illecebris Sanctitatis & doctrinæ ejus innitantur veſtigiis. Nam proculdubio nunquam ejus evellerentur inſtituta, niſi tranſgrederemur ejus mandata. Sed quia in eum deliquimus, merito plectimur. Ipſe interea, quaſi neſciat, tacet, diſſimulat, quaſi non videat, dum nos volutamur in periculis, dum privilegia ſua deridentur à ſeditioſis, dum calcantur à tyrannis. Sed revertamur vel ſero ad cor, ut famulos ſuos multis jam periculis jactatos oculo pietatis reſpiciat, ſinu clementiæ recolligat. Veruntamen, ut narrationem repetam, ſummum culmen laudibus ejus literaturæ impoſuit *Beda*, qui & pro vicinia temporis, rem ut erat noſcere, & pro veritatis ſtudio mentiri nollet. Qui poſt numerationem aliquorum librorum ejus ſubintulit, *Scripſit,* inquit, *& alia nonnulla, utpote vir undecunque doctiſſimus. Nam & ſermone nitidus, & Scripturarum tam Eccleſiaſticarum quam ſecularium erat eruditione mirandus.* Poteſtne quicquam hac laude ſublimius dici? Poſtremo, ipſum eundem teſtem citabo, quod licet omnibus artibus ſtudium nunquam abnuerit, quibus tamen potiſſimum apud *Cantiam* iterata manſione ſtudens animum impenderit. Sic enim in Epiſtola ad *Heddam* anteceſſorem ſuum, laborem exequitur proprium, commendat exercitium. *Fateor, Beatiſſime Præſul, me dudum decreviſſe, ſi temporum volutans viciſſitudo pateretur, vicinam optati Natalis Domini ſolennitatem, ibidem in conſortio fratrum tripudians celebrare, & poſtmodum vitæ comite veſtræ Charitatis præſentia frui. Sed quia diverſis impedimentorum obſtaculis tardati, quemadmodum lator præſentium viva voce promulgabit, illud perficere nequivimus. Idcirco difficultati veniam, precor, impendite. Neque enim parva temporum intervalla in hoc lectionis ſtudio protelanda ſunt, ei duntaxat, qui ſagacitate legendi ſuccenſus legum* Romanorum *jura medullitus rimabitur, & cuncta Juriſconſultorum ſecreta imis præcordiis ſcrutabitur. Et quod his multo perplexius eſt centena ſcilicet Metrorum genera pedeſtri regula diſcernere, & muſicæ cantilenæ modulamina recto Syllabarum tramite luſtrare. Cujus rei ſtudioſis lectoribus tanto inextricabilior obſcuritas prætenditur, quanto rarior doctorum numeroſitas reperitur; ſed de his prolixo ambitu verborum diſputare, epiſtolaris anguſtia minime ſinit, quo modo, videlicet, ipſius Metricæ artis clandeſtina inſtrumenta, literis, ſyllabis, pedibus, poeticis figuris, verſibus, tonis, temporibus conglomerantur. Poetica quoque ſeptenæ diviſionis diſciplina, hoc eſt Acephalos, procilos cum cæteris qualiter varietur; qui verſus Monoſchemi, qui Pentaſchemi, qui Decaſchemi, certa pedum menſura terminentur; & qua ratione Catalectici, vel Brachycatalectici, ſeu Hypercatalectici Verſus ſagaci argumentatione colligantur. Hæc, ut reor, & his ſimilia brevi temporis intercapedine apprehendi nequaquam*

quam poſſunt. De ratione vero calculationis quid commemorandum, cum tantæ ſupputationis imminens deſperatio colla mentis oppreſſerit, ut omnem præteritum lectionis laborem parvi penderem, cujus me pridem ſecreta cubicula noſſe credideram, & ut ſententia Beati Hieronymi, *dum ſe occaſio obtulit, utar, qui mihi prius videbatur ſciolus, rurſus cœpi eſſe diſcipulus. Sic quod tandem ſuperna gratia fretus, difficillima rerum argumenta & calculi ſupputationes, quas partes numeri appellant, lectionis inſtantia reperi. Porro de Zodiaco, & 12 Signorum quæ vertigine cœli volvuntur ratione ideo tacendum arbitror, ne ars opaca & profunda, quæ longa explanandarum rerum ratione indiget, ſi vili interpretationis ſerie propalata fuerit, infametur & vileſcat; præſertim cum Aſtrologiæ artis peritia, & perplexa Horoſcopi computatio elucubrata doctoris indagatione egeat.*

Talium artium voluptate repletus ipſe quoque ex ſacratiſſimo pectoris penu bonæ frugis libellos edidit, ne nunquam theſauros tamdiu congregatos recluderet, ne nihil unquam ex auditis reponeret. Et primum quidem ingenii periculum dedit in libro quem ad *Britones* ut ad verum *Paſcha* reverterentur fecit, cujus doctrinam neſcio quod infortunium uſibus noſtris invidit, gaudio ſubtraxit. Eſt & liber ejus de *Virginum laude* rhetorico compactus lepore, in quo virginitatis gloriam prius prædicat, & poſtea, non difficilem eſſe, per Sanctorum cœlibatum exemplificat. Ejuſdem materiæ verſibus heroicis fecit alterum, cui adjunxit tertiam æque verſificum, de pugna 8 principalium Vitiorum. Exſtat & codex ejus non ignobilis de ænigmatibus, Poetæ *Symphotii* æmulus, 100 titulis & verſibus mille diſtinctus, utriuſque operis præfationem verſibus recurrentibus ingenioſe intexuit; ut in illa de *Virginum laude*, ſingulæ iſtius verſus literæ

Metrica tyrones nunc promant Carmina caſtos.

Singulos verſus præfationis à capite ad finem inchoarent, eædemque per numerum verſuum retroactæ eundem verſum effingerent. Porro in illo de ænigmatibus aliter conjunctus eſt, ut hic verſus

Aldhelmus *cecinit millenis verſibus Odas.*

Primas & ultimas ſingulorum in procemio verſuum literas & inchoaret & terminaret, ambaſque extremitates eaſdem faceret, oſtenditque in his vir veteris literaturæ ludum ſimul & artificium, dum res incurioſas comitaretur facundum & vigens eloquium. Præterea ad quendam *Alfridum* Regem *Northumbrorum*, probe, ut *Beda* narrat, literis doctum edidit librum, hæc continentem capitula, *De ſeptenarii numeri dignitate*, collecta ex veteris & novi Teſtamenti floribus & diſciplinis Philoſophorum, *De admonitione fraternæ charitatis, de inſenſibilium rerum natura,* quæ ſecundum metaphoram ſermocinari figurantur. *De pedum regulis, De Metaplaſmo, De Synalœpha, De ſcanſione & Eclipſi verſuum, De Metro alterna Interogatio & Reſponſio.* Compoſuit & *Epiſtolas multas*, quarum plures non exſtant; partem quarundam quas habemus, anteceſſorum noſtrorum detruncavit incuria. *Sermones* ejus minus infundunt hilaritatis quam vellent ii, qui rerum incurioſi verba trutinant, judices importuni, qui neſciunt quod ſecundum mores gentium, varientur modi dictaminum. Denique *Græci* involute, *Romani* ſplendide, *Angli* pompatice dictare ſolent. Id in omnibus antiquis chartis eſt animadvertere, quantum quibuſdam verbis abſtruſis & ex *Græco* petitis delectentur. Moderatius tamen ſe agit *Aldelmus*, nec niſi perraro & neceſſario verba ponit exotica. Allegat Catholicos ſenſus ſermo facundus, & violentiſſimas aſſertiones exornat color Rhetoricus. Quem ſi perfecte legeris, & ex acumine *Græcum* putabis, & ex nitore *Romanum* jurabis, & ex pompa *Anglum* intelliges.

SECT. 2[1]. Prima propoſiti portione utcunque ſarcita, ſecundam aggrediar, quæ pollicetur oſtendere, quæ Monaſteria Sanctus *Aldelmus* fecerit, quibuſque privilegiis inſignierit, & prædiis ditaverit. Cujus erit facilis abſolutio, quia labore alieno ſumma negotii conficietur. Libet igitur noſtris verbis prælibare neceſſaria, rapere occaſionem operis accelerandi, & ſic ſolutiore cura in aliorum ſcriptis ſpatiari. Ex ſuperius igitur dictis poteſt intelligi, quod *Meildulf* Monaſterium *Meildunenſe*, quod nunc corruptior ætas *Malmesberiam* nuncupat, ædificaverit, vel potius inchoaverit. Tanta enim ibi neceſſariorum penuria erat, ut inhabitantes ægre quotidianum victum expedirent. Sed correxit nobilitas *Aldelmi* victualium inopiam, ut ſermo progrediens edocebit. Parva ibi admodum baſilica paucis, ante hoc tempus, annis viſebatur, quam *Meildulfum* ædificaſſe antiquitas (incertum ſi fabulatur) fertur feciſſe, & auguſtiorem eccleſiam in honorem Domini Salvatoris, & primorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Quod autem in hac Eccleſia caput loci, & Monachorum congregatio fuerit ex antiquo, chartarum quas ſubjiciam autoritas commendat fidem, arguit incredulitatem. Et quia tunc moris erat, ut in novarum Eccleſiarum dedicatione, ad honorem Sponſi cœleſtis, & Eccleſiæ matris, aliquod honorificum Epigramma poneretur; vir Sanctus in honorem Apoſtolorum hoc cecinit Epithalamium.

Hic celebranda rudis floreſcit gloria templi,
Lympida quæ ſacri ſignat vexilla triumphi.
Hic Petrus *&* Paulus, *tenebroſi lumina mundi,*
Præcipui patres, populi qui fræna gubernant,
Carminibus crebris alma celebrantur in aula.
Claviger O cœli portam qui pandis in æthra,
Candida qui meritis recludis ....
Exaudi clemens populorum vota precantum,
Marcida qui riguis humectant imbribus ora.
Suſcipe ſingultus commiſſa piacla gementum,
Qui prece flagranti torrent peccamina, morum.
Quondam Saule *ferox, nunc depoſita feritate,*
Agne Dei mitis mutato nomine Paule,
Vocibus orantum nunc aures pande benignas;
Et tutor tremulus cum Petro *porrige dextram.*
Sacra frequentantes .... *lumina luſtrant.*
Quatenus ſcelerum celer indulgentia detur
Larga de pietate fluens, & fonte ſuperno
Dignis qui nunquam populis torreſcit in ævum.

Fecit & aliud Cœnobium juxta fluvium qui vocatur *From*, ſicut in privilegio, quod *Sergius* Papa utriſque Monaſteriis conceſſit, legitur; ſtat ibi adhuc, & vicit diuturnitate ſua tot ſecula. Eccleſia ab eo in honorem Sancti *Johannis Baptiſtæ* conſtructa, necnon & apud *Bradeforde* tertium ab eo Monaſterium inſtructum, crebra ſevit opinio, quam confirmare videtur nomen villæ in ſerie privilegii, quod jam Epiſcopus Monaſteriis ſuis dedit appoſitum, & antiquis ſcripturæ lineamentis effigiatum. Et eſt ad hunc diem Eccleſiola quam ad nomen beatiſſimi *Laurentii* feciſſe prædicatur, ſed enim utraque Monaſteria *From* & *Bradeforde* in morem mortalium æmulantia, in nihilum defecere; reſtat tamen nomen inane, veruntamen utrum tantarum ædium deſtructio imputanda ſit *Danorum* inſanis præliis, an *Anglorum* rapacibus cuneis, non facile diſcreverim, ſolum *Meldunenſe*, idemque *Malmeſberienſe* viget adhuc habitatorum frequentia, habitaculorum decore. Quod pietatem Sancti diſpenſare, qui ſe corpuſque ſuum ibidem devovit, arbitror, ut tot evaderet ærumnas, tot calamitates duret, umbramque tenuem jampridem amiſſæ libertatis ſuſpiret. Quapropter quæ cæteris deſtructis prædia illic ab eo collata

lata latam reparare ruinam, noſtram etiam penitus effugere notitiam. Huic vero quantum terrarum adjecerit dicturis, illud privilegium occurrit primo apponendum, quod eidem *Aldelmo Weſtſaxonum* antiſtes *Lutherius* conceſſit, quem præmonentibus virtutum ſucceſſibus in altum nitentem conſpicatus, ibidem eum in Presbyterum, poſtea in Abbatem, erexit, locique illius poſſeſſionem, qui ſui juris eſſet, in Abbatis ditionem hoc ſcripto transduxit. " Solet plerumque contingere ut Autumnali torrido faceſcant caumate brumalia ſævientium ventorum flabra reciprocis alternatim curſibus ſuccedant, quibus procella pelagi cærula, enormeſque Oceani gurgites hinc atque illinc quatiuntur, quatenus navigio errante, nullus abſque diſcriminibus navigans furibundo flamine carbaſa rumpente transfretet; Ita nimirum proſtrata mundi pompulenta gloria, jamque appropinquante ejuſdem termino fluctuantes ſeculi turbines incumbere, experimento evidenti videntur, ut revera & abſque ullo ancipiti ſcrupulo, illa Domini præſagmina noſtris tandem temporibus comprobentur impleri, quibus ita cœleſtia oracula effatus eſt, videte ficulneam & o. a. &c. Porro inter has turbulentas ſeculi tempeſtates, Scripturarum flectenda ſunt gubernacula, totiuſque navigii armatura atque inſtrumenta paranda, quatenus garrulo Syrenarum carmine ſpreto, ratis recto curſu ad portum patriæ proſpere perducatur. Quapropter, ego *Lutherius*, gratia Dei Epiſcopus Pontificatus *Saxonici* gubernacula regens, rogatus ſum ab Abbatibus, qui ſub jure Parochiæ noſtræ Cœnobiali Monachorum agmini præeſſe noſcuntur Paſtorali ſollicitudine, ut terram illam cui vocabulum eſt inditum *Maldumesburge Aldhelmo* Presbytero ad degendam regulariter vitam conferre largirique dignarer. In quo, *viz.* loco à primo ævo infantiæ atque ab ipſo tyrocinio rudimentorum liberalibus literarum ſtudiis eruditus, & in gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ nutritus, vitam duxit. Et ob hoc potiſſimum hanc petitionem fraterna charitas ſuggerere videtur. Quapropter prædictorum Abbatum precibus annuens, ipſum locum de quo ſupra mentionem fecimus, tam ſibi quam ſuis ſucceſſoribus normam Sanctæ regulæ Solerti devotione ſequentibus, fraterna petitione coactus ultroneus impendo, quatenus in futuram poſteritatem remoto omnium diſceptationum ingruentium conflictu, quiete continua & pace perpetua Domino famulari ſine impedimento valeant; ſed ne forte contentionis occaſio deinceps contingat, hac rationis conditione interpoſita confirmo, ut nullus ſuccedentium domum Epiſcoporum ſeu Regum hanc noſtræ Donationis chartulam, tyrannica fretus poteſtate violenter invadat, aſſerens pertinaciter quod de jure poteſtatis Epiſcopatus ablatum, ſequeſtratumque fuiſſe videtur. Et ideo ſciendum eſt & contra æmulos promulgandum, multo magis me commodum augmentumque pontificale Eccleſiæ addidiſſe, quam per vim abſtraxiſſe. Poſtremo, ut firmior prædictæ largitionis donatio jugiter manſura ſit, prædictos Abbates propriis manibus ſubſcribere juſſimus. Quod ſi quis hæc ſcripta & difinita & decreta noſtra irrita facere nitetur, ſciat ſe ante tribunal *Chriſti* rationem redditurum. Actum publice juxta flumen *Baldon* VII Kal. Septembris, anno Incarnationis *Chriſti* DCLXXV.

Abbas ergo conſtitutus monachos ad votum inducere, famam in bonam urgere, Dei præ omnibus gloriam velle. Cumque induſtriæ Abbatis favor concurreret Pontificis, tunc res Monaſterii in immenſum augeri, currebatur ad *Aldelmum* totis ſemitis, iis vitæ ſanctimoniam, illis literarum ſcientiam deſiderantibus. Erat enim, quamvis ut diximus eruditione multiplex, tamen religione affabilis & ſimplex, qui adverſantes obtineret dicendi fulmine, diſcentes mulceret nectareo docendi flumine, ad utroſque ex ejus ore flueret ſalſi leporis oratio, ut eſſet in ſingulis mirabilis, & in omnibus ſingularis. Eo factum eſt ut Reges & Comites *Merciorum* & *Weſt-Saxonum*, religione viri quam nobilitas commendabat illecti, plura loca conferrent.

ferrent. Quorum primus, ut accepimus, *Kenfrithus* Comes *Merciorum* Regii affinis ſanguinis, vir corpore, ſeculo, mente militans Deo, x caſſatos in *Wdecun Aldhelmo* Abbati dedit his verbis. "Fortuna fallentis ſeculi procax non lacteo immarceſcibilium liliorum candore amabilis, ſed fellita "evitandæ corruptionis amaritudine odibilis, filios in valle lachrymarum "fœtentes carnis rictibus venenoſis mordaciter dilacerat, quæ quamvis ar-"ridendo ſit in felicibus attrectabilis, *Acherontici* tamen ad ima *Cocyti* infitus "alti ſubveniat boantis impudenter eſt declivis. Et ideo quia ipſa ruinoſa "carnaliter dilabitur, ſummopere feſtinandum eſt ad amœna indicibilis læ-"titiæ arva, ubi Angelica Hymnidicæ jubilationis organa, mellifluaque ro-"ſarum odoramina à bonis beatiſque naribus inæſtimabiliter dulcia capiun-"tur, ſineque calce auribus felicium hauriuntur. Cujus amore fœlicita-"tis illectus Ego *Kenfrithus* Comes *Merciorum*, quandam telluris particulam "venerabili Abbati *Aldhelmo* ſub æſtimatione x caſſatorum in loco, qui "dicitur *Wdecun*, ad ſerviendum Deo & Sancto *Petro* in perpetuum, jus "largitus ſum cum conſenſu Domini mei *Ethelredi* Regis, Anno ab In-"carnatione Domini dclxxx. Indictione Secunda.

Datum præcellentiſſimi Comitis ſtimulavit & provexit munificentiam Regis, ut ipſe ſequenti anno conferret prædia duo, confirmaretque ſcripto uno, quod eſt hujuſmodi. *In nomine Domini noſtri* Jeſu Chriſti *Salvatoris, nihil intulimus, ut Apoſtolicum confirmat oraculum, in hunc mundum, nec auferre quid poſſumus. Idcirco terrenis ac caducis æterna ac manſura mercanda ſunt. Quapropter Ego* Ethelredus *Rex* Merciorum *rogatus à patricio meo ac propinquo* Kenfritho, *pro remedio animæ, ac pro oratione fratrum in* Meldulfesburge *Deo Servientium,* xxx *caſſatos ab occidentali parte* Stratæ publicæ, *& non longe in alio loco* xv *prope* Tettam *Monaſterium Aldelmo Abbati & Succeſſoribus ejus in libertatem terrenarum ſervitutum perpetualiter libenter largitus ſum. Et hanc donationem meam, ſacræ Crucis ſignaculo propria manu confirmavi, & favorabilium virorum claro conſenſu corroboravi, ut nulla poſt obitum noſtrum regalis audacia, nec ſecularis dignitas decretum noſtrum confringere attemptet. Siquis vero hanc donationem augere & amplificare voluerit, augeat Dominus partem ejus in libro vitæ. Quod ſi quis Tyrannica poteſtate fretus demere ſategerit, ſciat coram* Chriſto, *novemque Angelorum ordinibus rationem redditurum. Scripta eſt autem hac Chirographi chartula anno ab Incarnatione Domini* dclxxxi. *Indictione* ix. Ejuſdem Regis fuit nepos ex fratre *Wlferio Berthwaldus* nomine, de quo in geſtis *Wilfridi* antiſtitis ſupra dixi: non quidem Rex poteſtate, ſed ſub-regulus in quadam regni parte. Hic amore Dei ductus, Sexto *Aldelmo* dedit hoc nobile munus. 'Ea quæ ſecundum 'timorem & amorem Domini religioſa largitionis devotione diffiniuntur, 'quamvis ſolus ſermo ſufficeret, promulgare; tamen pro incerta futurorum 'temporum conditione. Scriptis publicis & documentorum geſtis ſunt 'confirmanda. Quapropter, 'Ego *Berthwaldus*, regnante Domino Rege, 'pro remedio animæ meæ & indulgentiam commiſſorum criminum, ali-'quam terram conferre largirique *Aldelmo* Abbati decrevi, id eſt illam de 'orientali parte fluminis quod appellatur *Temys*, juxta vadum cujus voca-'bulum eſt *Summerforde*, xxxx caſſatos, ea ſcilicet diffinitione, ut omni ſer-'vituti ſecularium poteſtatum portio terræ illius perpetualiter ſit libera, ad 'ſerviendum neceſſitatibus Monachorum Deo ſervientium, in Monaſterio 'quod vocatur *Maldumesburge*. Et ut firmius ac tenacius hæc donatio mea 'roboretur, præcellentiſſimum Monarcham *Ethelredum* ad teſtimonium aſci-'vimus Regem, cujus conſenſu & confirmatione hæc munificentia acta eſt. 'Si quis contra hanc donationem venire tentaverit, aut tyrannica fretus po-'teſtate invaſerit, ſciat ſe in tremendo cunctorum examine coram *Chriſto* ra-'tionem redditurum. Actum publice in Synodo juxta vadum *Bregforde*, 'menſe Julio, xxx die menſis ejuſdem. Indictione xiii. Anno ab Incar-'natione Domini dclxxxvi. Subſcripſerunt his tribus. *Theodorus Archi-*

'*epiſcopus*

‘ *epiſcopus*, *Ethelredus* Rex *Merciorum*, *Berthwaldus Sub-regulus*, *Kenfrithus Patri-* ‘ *cius*, *Sexwlfus Lichfeld.* & *Boſel Wigorniæ* Epiſcopi. Eodem tempore *Kent-* ‘ *winus* Rex *Weſt-Saxonum*, morbo & ſenio gravis, *Cedvallam* Regii generis juvenem Succeſſorem decreverat. *Is ergo* quamvis nec adhuc Rex, nec Chriſtianus, ſpe tamen Regnum anticipabat, baptiſmum credulitate ambiebat. Quapropter & Regem ſe dici gaudebat, & multa Monaſteriis circumquaque largiens, liberaliter huic providit Cœnobio, ſicut hoc eniteſcit Scripto.

In nomine Dei noſtri Jeſu Chriſti. Omnia quæ videntur temporalia ſunt, & quæ non videntur æterna ſunt. Et iterum lubrica ſeculi fragilitas oſtenditur, ubi per eundem Apoſtolum dicitur. Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre aliquid poſſumus. Idcirco caducis & terrenis æterna cæleſtis Inſulæ corona comparanda eſt. Quamobrem, Ego Cedwalla, *regnante Domino, Rex, aliquam terram pro animæ meæ remedio, & indulgentia piaculorum meorum, conferre ac donare Abbati* Aldelmo *decreveram, id eſt, ex utraque parte Sylvæ, cujus vocabulum eſt* Cemele, *de Orientali parte termini ſtratarum uſque famoſum amnem qui dicitur* Temis, CXL *manentes, & in alio loco ubi conjunguntur duo flumina* Aven & Witeo, *& hoc maxime ad piſcationem frui. Ita ergo firmiter & immobiliter hæc largitio in futuram progeniem permaneat, ut nullus frangere hujus donationis privilegium præſumat. Si quis vero contra hanc munificentiam tyrannica poteſtate inflatus venire tentaverit, ſciat obſtaculum iræ Dei incurrere, & in ultimo examine coram* Chriſto *& Angelis ejus rationem reddere. Scripta autem eſt hæc munificentia indictione prima, Anno ab Incarnatione Domini* DCLXXXVIII. *menſe Auguſto, quartadecima Kalendar. Septembrium die feliciter.*

Partem harum terrarum eodem anno commutavit à quodam *Baldredo* pro aliis quæ videbantur & uberiores redditu, viciniores additu. Enimvero neſcio quo eventu, *Cedvallæ* munere rato viventis, commutatio poſt aliquot annos irrita fuit. Eſt ergo hæc commutationis chartula. ‘ In nomine Do- ‘ mini noſtri & Salvatoris *Jeſu Chriſti*, Ego *Baldred* aliquam terram *Aldelmo* ‘ Abbati impendere decrevi, id eſt, juxta flumen *Avena*, & circa ſylvam quæ ‘ vocatur *Stercanlei*, & *Knebbanburge*, centum manentes, & ab eo centum caſ- ‘ ſatos pro vice ſuſcepi, id eſt, ex plaga Orientalis ſylvæ, cujus vocabulum ‘ eſt *Bradon*, & hoc cum conſilio & confirmatione *Kentwini* Regis, & omni- ‘ um Principum ac Senatorum ejus roboratum eſt. Si quis contra hæc venire ‘ tentaverit; ſciat ſe ante tribunal *Chriſti* Judicis, & coram Sanctis Angelis ‘ rationem redditurum. Scripta eſt autem hæc donatio, imo vicaria com- ‘ mutatio menſe Auguſto, Indictione 1ª. Anno ab Incarnatione *Chriſti* ‘ DCLXXXVIII. Subſcripſerunt his duabus chartis *Hedda* Epiſcopus *Wintonien-* ‘ *ſis*, *Kentwinus* Rex, *Ciſi*, *Cenred* pater *Inæ* poſtea Regis. Cedwallæ Regis poſt *Kentwinum* induſtriam in ſeculo, pietatem in Deo video, quomodo poſt triumphatos hoſtes regno poſſeſſo *Romam* iverit, ibique baptizatus ſupremum arbitrium feliciter incurrerit, *Beda* commemoravit latius, nos in *regum hiſtoria* perſtrinximus. Eo igitur *Romam* eunte, Regnum per *Inam* novatum. *Ina* fuit fortitudinis unicum ſpecimen, prudentiæ ſimulachrum, religione parem neſcias, indicio ſunt bella quæ profligavit, teſtimonio Monaſteria quæ conſtruxit. Has animi regalis dotes animabat ſtimulis monitionum Pater *Adelmus*, cujus ille præcepta audiebat humiliter, ſuſcipiebat granditer, adimplebat efficaciter. Ejus monitis *Glaſtonienſe* Monaſterium, ut dixi in geſtis Regum 1°. fuit, nec parvi pretii rura *Melduno* intulit, liberalibus ſcriptis, donativis proſequentibus, quorum iſtud unum eſt.

In nomine Domini Jeſu Chriſti *Salvatoris noſtri, Ego* Ina, *domino regnante, Rex* Saxonum, *cogititans vitæ æternæ præmium, verens pœnas inferni perpetuas, pro remedio animæ meæ & relaxatione criminum meorum, aliquam terræ particulam donare decrevi venerabili* Aldelmo *Abbati, ad augmentum Monaſterii ſui quod vocatur* Maldunesburge, *id eſt* XLV *caſſatos in locis ab accolis infra nominatis*

atis, id eſt v *manentes in loco qui dicitur* Herdim, *& ubi rivulus, qui vocatur* Conſuburtia, *oritur.* xx *& in alio loco juxta eundem rivulum; & juxta laticem qui vocatur* Redburna x. *Et hoc actum eſt anno ab incarnatione* Chriſti DCCI. *Indictione* XIV^a^. *Subſcripſit* Hedda *Epiſcopus, &* Winberthus *Clericus Regis, qui & hanc, & cæteras* Cedvallæ *donationes dictaverat, quem etiam ut ſibi apud* Cedvallam *patronum adſciſceret hac olim epiſtola invitaverat. Domino Dominorum Domino dilectiſſimo* Winbertho, Aldelmus *ſervus ſervorum Dei, in Angulari duorum Teſtamentorum lapide, de ſummis montium verticibus abſciſſo, qui ſtatuam quaterno metallorum genere fabricatam, quaterna populorum regna ſignantem cruratenus, aurato capite, oppreſſit, Salutem. Gerulum literarum ad veſtræ Pietatis præſentiam deſtinavimus, qui vobis viva voce de cauſa noſtræ neceſſitatis imminenti plenius promulgabit. Id eſt, de terra quam nobis venerandus Patricius* Baldredus *poſſidendam, accepto pretio obtulit, præcipue pro captura piſcium apto & competenti loco. Et idcirco dum in noſtri Regis poteſtate data, & collata eſſe videtur, obnixi precamur, ut eandem agri partem per tuæ Charitatis patrocinium obtinere & habere firmiter valeamus, ne eadem poſſeſſione per violentiam privati, quia plerumque Juſtitiæ jura vacillant, fraudemur, &c.* Hæc ſunt prædia quæ Beatus Abbas inſtantia ſua Cœnobio indidit, ſitu amœna, amplitudine jucunda, vicinitate opportuna; adeo ut quilibet diluculo de Monaſterio exiens, omnibus facile ipſo die circuitis, adhuc luce profunda domum redeat. Et quidem poſt obitum ejus dederunt aliqui aliqua; ſed prædones abſtulerunt omnia præter iſta, licet & de his partem vellicaverint. Ita per *Aldhelmum* ad quadringentos & eo amplius caſſatos excrevit locus, qui vix ante LX habebat. Tot enim caſſatis annumeratur, quæ villa nunc *Brothenberge*, appendens loco, qui Cœnobium continet, ruſticolarum conſuetudine appellatur.

SECT. 3. Nunc quia ſecunda expleta pollicitatione non parum promovimus, & quaſi jam medium æquor tenemus, majoribus opus eſt viribus, ut non ingenii, ſed Spiritus Sancti adjuti flatibus, navem ad ſilentii litus impellamus. Hîc ſane Lectoris expectationi deero, ſi quis putat me, illa quæ inſeram Miracula ſcriptis ex antiquo teſtimoniis probaturum; ſed quamvis illa parte deſtituar, fidem tamen veri ſecura promiſſione aſtringo. Erunt enim iſta, quæ illaturus ſum ſola, quæ favor Univerſitatis exſequitur, jam inde ab antiquis ductus temporibus. Erunt quæ communis provincialium aſſenſus defendit per continuas ſucceſſiones ad poſteros tranſmiſſas. Inſeruit ea diuturnitas mentibus hominum vice literarum, ne deperirent inutiliter, per Sanctum facta mirabiliter. Non ergo videri debent de nihilo quæ per ſucciduas generationes ab omni prædicantur populo? Si quis vero mihi ſuccenſendum opinetur, quod non viſa ſed audita ſcribo, præclaros patres, illuſtres heroes qui fecerunt idem, *Lucam* in Evangelio, *Gregorium* in dialogo in jus trahat, in eandem accuſationem vocet; quod ſi protervum judicetur, cur mihi, quæſo, non liceat in exiguo, quod illis in ſummo? Nec vero hæc noſtra ita fide oculata carent, cum ea ſcrinii antiqui argento vidimus impreſſa, eo genere artificii quod Anaglyphum vocant. Hac igitur fretus venia, agreſti licet ſermone cœptum expediam, attenuabit impudentiæ culpam amor Sancti, ut cui diſplicet Eloquentia, placeat materia. Poſtquam ergo factus eſt Monachus, ſic eum vitam duxiſſe comperimus: lectionibus frequenter, orationibus inſtanter incumbebat, ut ſicut ipſe in quadam Epiſtola dixit, legens Deum loquentem audiret, orans Deum alloqueretur. Tenuitate ultronea victualium paſcens animum, nuſquam à Monaſterio, niſi neceſſario progrediens. Pecuniarum minime avidus; ſi quid dabatur in uſus congruos, continuo annumerans. Jam vero ut vim rebelli corpori confringeret, fonti qui proximus monaſterio ſe humeros tenus immergebat. Ibi nec glacialem in hyeme rigorem, nec æſtate nebulas ex locis paluſtribus halantes curans, noctes durabat inoffenſus, finis duntaxat precanti pſalterii, terminum impo-

nebat labori. Fons ille de nomine Sancti dictus in valle Cœnobii lenibus ſcatebris fluens, & viſu delectabilis eſt, & potu ſuavis. In alia parte urbis fons *Danielis* dicitur, quia in eo *Daniel* cœleſtis noctibus ducebat excubias, qui cum *Aldelmo* pontificales accepit inſulas. Inter hæc, præclaram hominis conſcientiam deſcribere pene verecundaretur oratio, niſi eſſet in facto glorioſæ victoriæ occaſio, ſi quando enim ſtimulo corporis admoneretur, non ſolum illecebræ denegabat affectum, ſed alias inſolitum reportabat triumphum. Neque tunc conſortium ſeminarum repudiabat, ut cæteri, qui ex opportunitate timent prolabi. Imo vero vel aſſidens vel cubitans aliquam detinebat, quoad carnis tepeſcente lubrico, quieto & immoto diſcederet animo. Derideri ſe videt Diabolus, cernens adhærentem ſeminam, virumque alias avocato animo inſiſtentem cantando Pſalterio, valeſaciebat ille mulieri ſalvo pudore, illæſa caſtitate, reſidebat carnis incommodum, dolebat nequam ſpiritus de ſe agitari ludibrium. Aſſiſtunt veritati dictorum meorum, quantum cœlibatus amorem foverint *libri de Virginitate* præclari, quibus illius honorem definit, pulchritudinem ornat, perſeverantiam coronat. Neque enim fas eſt credi Sanctum virum aliter feciſſe quam docuit, aliter vixiſſe quam dixit. Et ut aſſertio iſta omnem dubietatis deprecetur offenſam, audi quomodo Diſcipulum monuerit, ne laſciva poetarum carmina legat, ne meretricularum conſortio inhæreat, ne dilectarum lenocinio veſtium vigorem mentis effeminet. "Domino venerabiliter diligendo, & delctabiliter venerando "*Wilefrido Aldelmus* vernaculus ſupplex in *Chriſto* perennem ſalutem. Per-"latum eſt mihi rumigerulis referentibus de veſtræ charitatis induſtria, "quod tranſmarinum iter, gubernante Domino, capere, ſagacitate legen-"di ſuccenſa decreverit. Et idcirco, vita comite, optatum *Hiberniæ* por-"tum tenens ſacroſancta potiſſimum præſagimina refutatis Philoſopho-"rum commentitiis legito. Abſurdum enim arbitror, ſpreta rudis ac ve-"teris inſtrumenti inextricabili norma, per lubrica dumoſi ruris diverti-"cula, imo per dyſcolos Philoſophorum anfractus iter carpere, ſeu certe "opertis vitreorum fontium lympidis laticibus paluſtres, pontias, lutulen-"taſque lymphas ſiticuloſe potare, in quibus atra bufonum turma cater-"vatim ſcatet, atque garrulitas ranarum crepitans coaxat. Quidnam ro-"gitans, quæſo, orthodoxæ fidei Sacramento commodi affert, circa teme-"ratum ſpurcæ *Proſerpinæ* inceſtum, quod abhorret fari, enucleate legendo, "ſcrutandoque ſudeſcere, aut *Hermionen* petulantem *Menelai* & *Helenæ* ſo-"bolem, quæ, ut priſca produnt opuſcula, deſpondebatur pridem jure do-"tis *Oreſto*, demumque ſententia mutata, *Neoptolemo* nupſit, lectionis præ-"conio venerari, aut *Lupercorum* baccantium antiſtites ritu litantium. *Pri-*"*apo* paraſitorum heroico ſtylo hiſtoriæ carraxare, quæ (altato quondam "ſceptri in vertice *Chelydro Hebreæ* concionis obtutibus præſentato, hoc "eſt, alma mortis morte *Stipiti* patibuli affixa) ſolo tenus diruta evanuere. "Porro tuarum diſciplinarum, ceu cervinis arcuatis poplitibus, flexiſque ſuf-"fraginibus, faculenta fama compulſus, poſco, ut nequaquam proſtibula, "lupanarum nugas in quibus pompulentæ proſtitutæ deliteſcunt, lenoci-"nante luxu adeas, quæ obrizo rutulante periſcelidis, armillaque lacerto-"rum tereti, utpote phaleris phalerati curules comuntur, ſed magis edito "aulæ faſtigio ſpreto, quo patricii ac prætores potiuntur gurgitii, humili "receptaculo contenta tua fraternitas feliciter fruatur, nec non contra ge-"lida brumarum flabra è climate olim Septentrionali emergentia, negle-"cto, ut decet *Chriſti* diſcipulum, fucato potius æſtro, lacernæ gracilis a-"mictu, ac maſtrucæ tegmine incompto utatur. Sanctitas ergo morum proceſſit in miraculorum fructum, Et ut ad eorum tentamenta veniretur, primum ad pietatem & emendationem *Britonum* prodiit. Nam *Britones* qui olim totam terram, quam nunc *Angliam* vocant, poſſediſſent, tunc *Anglis* famulabantur. Hoc illi ſuis invitatoribus officii impenderant, ut occaſionibus

occaſionibus aucupatis, quos tutari venerant ſedibus antiquis detruſos, in confragoſa & ſaltuoſa loca immitterent, ubi ignobiles & ſemiferi [vitam] exigerent. Quorum illi qui *North-Walli*, id eſt. Aquilonales *Britones* dicebantur, parti *Weſt-Saxonum* Regum obvenerant. Illi quondam conſuetis ſervitiis ſeduli, dum nihil aſperum retulere. Sed tunc rebellionem meditantes *Kentuinius* Rex tam anxia cæde perdomuit, ut nihil ulterius ſperarent. Quare & ultima malorum acceſſit captivis tributaria functio, ut qui antea vel ſolam umbram palpantes libertatis nunc jugum ſubjectionis palam ingemiſcerent. Accedebat miſeris error ſacratæ credulitatis, qui quaſi extra orbem poſiti, ſuis potius quam *Romanis* obſecundarent traditionibus. Et plura quidem alia Catholica, ſed illud potiſſimum abnuebant, ne Paſchale ſacrum legitimo die celebrarent. Illud nec univerſalis Eccleſiæ concordi more adducti, nec beatiſſimi Auguſtini *Cantuarienſis* Archiepiſcopi admonitionibus emendandum rati, pertinacem controverſiam fovebant. Hinc frequentes *Weſt-Saxonum* conventus, crebri cœtus coacti quid eſſet opus facto, ut *Britones* jam denuo converſi, rectum callem Eccleſiaſticarum obſervationum ingrederentur. Sententia per plures dies multo verborum agmine volutata hunc finem habuit. *Non vi cogendos Schiſmaticos ſed rationibus ducendos.* Quocirca quicquid eorum errores diſjicere, quicquid eorum pertinaciæ obviare poſſet, mitteretur in literas, quarum illi rationibus creduli animum corrigent. Id quominus fieret nihil obſtare, ſi *Aldelmus* Abbas ſua erroneos admonitione dignaretur, ejus convenire vitæ ut velit, doctrinæ ut poſſet quemlibet veterem incredulitatis morbum avertere. Ambitur ergo precibus univerſorum vir beatiſſimus, ut hunc laborem impendat Schiſmaticorum converſioni, partiæ laudi, in cunctorum in commune ſalutem. Suſcepit ille munus, quod ex fraternis cordibus ſuggerebat charitas; nec minor fuit perficiendi efficacia quam ſuſcipiendi obedientia, ſic falſum Paſcha confutavit, ſic verum edocuit. Condiebatur ſermo proprius Evangelicis teſtimoniis, & rationis invictæ fulmen, imber aſſertionum paternarum ſequebatur. Opus ergo ſumma laude perfectum *Britonibus* direxit, Orationes ad Deum adjiciens, ut quibus verba impenderat, pro eis vota cumularet. Hæc eſt enim genuina Eccleſiaſtici diſpenſatoris induſtria, ut ad corrigendos devios nec deſit in ore correptio, nec dormitet in corde oratio. Nec potuit privari effectu ſanctiſſimi viri labor, quin potius laudabilem accipiens finem ad veram errantes convertit religionem. Debent uſque hodie *Britanni* correctionem ſuam *Aldelmo*; quamuis pro inſita nequitia & virum non agnoſcant, & volumen peſſunderunt.

Caput Monaſterii, ut dixi, in Sancti *Petri* Eccleſia erat; veruntamen, ut eſt animus nobilis induſtriæ operandi ferias ponere neſcius; alteram in ambitu ejuſdem Cœnobii Eccleſiam in honorem Genetricis Dei *Mariæ* facere intendit. Fecit ergo Eccleſiam, eidemque alteram contiguam in honorem Sancti *Michaelis*, cujus nos veſtigia vidimus. Nam lata majoris Eccleſiæ fabrica celebris & illibata, noſtro quoque perſtitit ævo. Vincens decore & magnitudine quicquid uſquam Eccleſiarum antiquitus factum viſebatur in *Anglia*. Ad hoc ergo templum exquiſitius ædificandum, poſt lapideum tabulatum ſine ulla parſimonia ſumpturum, aggerebatur copia lignorum, impenſius Sancto Inſtante, quo prono famulatu placeret Domino. Jamque ad contignationem trabium ventum erat, quæ magno coemptæ, pro longitudine itineris, evectionis difficultate pretium auxerant. Omnes ad unum modum ſucciſæ fuerant, præter unam quæ brevitate ſui artificum peritiam luſerat, ſeu illorum incuria, ſeu quod libentius crediderim, Divina voluntate, ut Sanctitas illuſtris eniteſceret viri. Sero ergo damnum ſucciſæ arboris operarii animadvertentes, primo, inter ſe muſſitare, poſt *Aldelmo* in notitiam detulere; modeſte ipſe illorum culpam ferens, nonnihil tamen pro difficultate reparandæ materiæ movebatur.

Nihil enim remedii ex ſuperfluo providerat, iterumque ligna devehere labor immenſus videbatur, quare humano deſperato auxilio, ſpem Deo contulit, ex compendio rem corrigere meditatus; animabatur ergo miraculum exhibere, utpote qui multa jam virtutum experimenta cœperat occulte ſane, ne favoris aura ſanctiſſimos conſcientiæ flores decuteret. Itaque ſolum motu labiorum orans, & brachiorum levi conamine nitens, decurtatam trabem aliarum longitudini parem fecit. Continuoque, ut miraculum diſſimularet, modeſtia convitiorum artifices invaſit, quod eum de trabis damno luſiſſent, quæ nihil minus longitudine aliarum haberet. Illi perpendiculo appoſito, ſignum & emendationem experti lætum erubuere, aſperitatemque ſermonum non aſpernanter ferentes, victos ſe virtute Sancti diſſimulantes, gaviſi ſunt, funali ergo machina cum cæteris in tectum levata contignationem explevit. De hac trabe majorum noſtrorum fuit verax relatio, quod nec in duobus incendiis quæ totum Cœnobium temporibus *Elfredi* & *Edwardi* Regum conſumpſerunt, ullam labem tulerit, donec annis & carie victa defecit. Jam ergo Monaſterium ſurrexerat, jam adjuncta Beatæ *Mariæ* baſilica clarius enitebat, poteratque videri, & dici *Aldelmus* felix tot Monachorum patronus, tot poſſeſſionum Dominus. Sed ille, longe porrecto prudentiæ intuitu olim offuturis occurrendum arbitratus *Romam* ire animo deſtinabat. Cauſa eundi fuit, ut Monaſteriis ſuis Apoſtolica privilegia acquireret, *Meldunenſi* maxime, quod ab antiſtitis *Leutherii* liberalitate profectum, in ſucceſſorum calumnias recidere poterat. Quas ille, ut dixi, prophetico præſagiens oculo, qualiter vel depelleret, vel labefactaret, cogitabat. Communicato propterea cum Rege *Weſt-Saxonum Ina*, & *Ethelredo Merciorum*, conſilio, quorum ut gaudebat amicitia, & eminebat munificentia, illiſque à ſententia non diſcedentibus, *Romanum* callem ingreſſus eſt. Veruntamen ut licentius neceſſaria componeret in prædia ſui juris apud *Dorſatenſem* pagum abiit. Ibi dum felicem auram operitur, eccleſiam fecit, in qua ſociis ad neceſſaria occupatis, ipſe itum & reditum ſuum Deo commendaret. Ejus domus materiæ adhuc ſuperſtites cœlo patulæ lecto vacant, niſi quod quiddam ſuper altare prominet, quod à fœditate volucrum ſacratum lapidem tueatur. Cæterum nunquam tanta vis imbrium foris in circuitu inſaniat, quod infra Eccleſiæ ambitum vel gutta decidat. Hoc non pro miraculo jam, ſed pro conſuetudine, habent paſtores, qui in campeſtribus vicinis animalium cuſtodiæ curam gerunt. Quandocunque enim denſato nubium vellere nimbus ruinam minatur, omnis eo agreſtium turba curſu fugam glomerat, infraque materiam Eccleſiæ patenti aere conſiſtens nihil pluviæ perſentiſcit,non credere amentis eſt,cum ora tot experientium obtundant frontem negantium. Quo adducti miraculo proceres provinciæ, non ſemel tentarunt, ut domui lectum inducerent, Sancto volentes officii ſui exhibere clientelam. Sed fruſtra fieri experti deſiere, intelligentes Sancto placere proludium quo frequens exhiberet miraculum, copia ſignorum eo quotannis ad feſtum ejus invitat populum, frequentaturque ibi, & munerum oblatio & ſanitatum exhibitio, quanta nec in loco ubi ſacratiſſima ejus adorantur oſſa, Deo, credo, per hæc innuente, ſatis ſuperque ſufficere debere *Meldunenſibus* corporis ejus gloriam, modo cæteris non invideant virtutum ejus præſentiam.

At vero, ut dicere cœperam, ſuperatis marinis diſcriminibus, devictiſque longæ viæ difficultatibus, venit Romam. Erat tunc temporis *Sergius* ſummæ ſedis Epiſcopus, qui viri illuſtris adventum ea qua decuit humanitate, ſuſcepit, peregrinationem fovit Epiſcopaliter. Excitabat reverentiam Pontificis in Abbatem, quod videretur à vitæ ejus religione non diſcrepare ſcientiam, moribus non deſidere doctrinam. Aluit bonæ famæ odorem propitia Divinitas, in tanta urbe virtutum laude clientem ſublimans. Eſt *Romæ* conſiſtorium, quod *Lateranenſe* vocant, ubi *Conſtantinus* Imperator ex palatio ſuo fecit Apoſtolicis pontificibus Patriarchium. Ibi *Aldelmus* cum Papa manens, benignum frequentabat contubernium, nullumque diem excipiebat,

quo

quo Miſſam non cantaret, quo ſolennis tædium peregrinationis falleret, Deo ſe ſuoſque commendaret. Id cum quadam die pro conſuetudine feciſſet; jam miſſa dicta, veſtem, quam *Caſulam* vocant, poſt terga rejecit, opinatus falſo aliquem qui exciperet aſtare, alias ſcil. cogitatione projecta, & extaſis divinæ adhuc plenus; miniſter parum providus ad aliam altaris partem neſcio quid ſcrutabatur. Sed enim non dormitat neque dormit qui cuſtodit *Iſrael*, qui, ceſſante hominis induſtria, ſua prompſit magnalia. Confeſtim enim radius ſolis per perſpicuitatem vitreæ feneſtræ clarus emicuit, & caſulæ ſe ſubjiciens, longiuſcule à terra ſuſpenſam per inane portavit. Quantus tunc ibi popularis clamor fuerit, quis referat? quia viderent famulo Chriſti famulari naturam contra naturam, merito, ut qui ſemper mentem librabat in æthera, veſtem ſuſpenderet in aera, & illius obſequio ſolidaretur inane, quia omnia terreſtria deſpuens ut fluxa & caduca, ſola inhiaret cœleſtia. Hæc autem veſtis, incertum an ab *Anglia* ſecum delata, an ibi ad tempus commodata, hactenus apud nos habetur. Servatur ſtudioſiſſime tantæ virtutis conſcium indumentum, nihil diligentiæ prætermittentibus æadituis, ut ſine labe paſcat oculos ſucciduarum generationum. Eſt autem fili delicatiſſimi, quod conchyliorum fucis ebrium rapuerit colorem coccineum, habentque nigræ rotulæ intra ſe effigiatas ſpecies pavonum longitudinis ſpatioſæ, qua docemur proceræ ſtaturæ Sanctum fuiſſe. Idemque oſſa brachiorum, & cætera quæ videre meruimus, proteſtantur, *Aldelmum* quondam ea excreviſſe habitudine, qua non molem, ſed dignam proceritatem corporis poſſumus diffinire. Morabatur ille *Romæ*, continuabatque Dominus in famulo virtutum gratiam, ſubinde cauſas exculpens quibus dilectum ſibi efferret. Et in tempore res accidit, quæ ſecundæ virtutis occaſionem dedit. In unius Apoſtolici Cubicularii domo puer natus recens erat, exieratque & perſtrepebat fama in vulgus, mulierculam, quæ religionem profeſſa veſtem mutaverat, caput velaverat, peperiſſe, nec patrem exſtare. Nec jam dubia ſuſpicione, ſed publico clamore Pontifex ſceleris arguebatur, quod ad illum fœmina ventitare, & ſecretius colloqui diceretur, familiari mortalium miſeria, ut omnium ſtatim impetatur odio, qui quolibet ſauciatur infortunio. Tunc ille omnium criminum reus dicitur, & qualibet cruce dignus. Sic popularis inſania laudabilem Pontificem ſuſpicionibus urgebat, infamabat clamoribus virum, quo nemo unquam vel literis occupatior & promptior, vel fide rectior & probabilior, vel vita ſanctior & perfectior fuit, faceret omnia quæ ſancta, diceret quæ Catholica, nec ullius terrenæ poteſtatis metu premeretur. Denique Imperatorem *Conſtantinopolitanum* contra fidem Catholicam garrientem palam ſententia lata condemnavit, eodemque diſcrimine proceres conſentaneos, ſi non reſipiſcerent involuit. Quantas ille propter hoc epiſtolas ſcripſerit, quantos labores pertulerit, aliæ volentem ſcire literæ docent, ego ad *Aldelmum* recurro, qui Pontificis injuriæ compaſſus ad animam, cauſam fluctuantem quantis potuit facundiæ viribus apud populum egit. *Turpe eſſe & miſerabile, ut ipſi pontificem ſuum ſuſpicione criminum inceſſant, quid momenti apud Britannos, vel aliam gentem, ſiqua ultra Oceanum jacet, habitaturus ſit Pontifex Romanus, qui à ſuis impetatur civibus. Poſtremo, verum non videri, ut talis peccati ſe impediret volutabro, qui toti ſe meminiſſet prælatum mundo*, Hæc cum in auras effunderet, nec enim popularis tumultus ſemel excitatus leviter leniri poſſet, ille pro ſanctitatis conſcientia paulo commotior; *afferte*, inquit, *infantem, ut ore ſuo Pontificalem depellat injuriam. Proinde à fatuis ſuſpicionibus diſcedant, in gratiam Antiſtitis redeant, ſe quantum ſua intereſſet, pati non defuturum.* Dictum excipere nonnulli cachinnis, quod inſolita promittere, indebita præſumere advena videretur. Veruntamen, infantem allatum, vix dum novem à matre dierum, baptiſmi lavacro prius innovavit, ſciſcitatus eſt deinde publice, utrum vulgi opinio conveniret veritati de patre. Tum ut videres *Dei* gratiam præſentem, puſiolus in vocem abſolutiſſimam conatus, nodum dubietatis abrupit, ſanctum & immaculatum *Ser-*

gium

gium eſſe, nunquam illum mulieri communicaſſe. Plaudit plebs miraculo, innocens *Antiſtes* ovat triumpho, *Aldelmi* meritum extollat Roma, repercuſſuſque & ingeminatus lætantium clamor ipſa quatit ſydera. Qui tamen rogatus ut falſum patrem infamia exueret, verum cognitioni populi addiceret, facere refugit præfatus, ſuum eſſe inſontes ſi poſſet damno eximeret, non ut ſontes morte opprimeret. Talibus virtutum indiciis eximie delectatus *Pontifex*, non difficilem ſe impetratu exhibuit, ut Monaſteriis quibus rogabatur elaboratæ autoritatis privilegium indulgeret, quod hîc ex integro apponam, ut omnem ambiguitatis evadat ſcrupulum, quantis ſint maledictionibus obnoxii, quantarum pœnarum ſint futuri ſervi, qui nunc id impune ſe opinantur temerare & tranſgredi.

" *Sergius* ſervus *Servorum Dei Aldelmo* Abbati ejuſque Succeſſoribus, & per
" vos venerabili veſtro Monaſterio. Ea quæ religioſæ converſationis intui-
" tu Monachis ſervis Dei pro libera vivendi facultate conferuntur, non pro
" illecebrarum licentia, ſed pro ſedulitate bene converſandi, & divinis ſervi-
" tiis ſeipſos proculdubio mancipandi, à præſulibus atque cultoribus Deo de-
" cretæ Chriſtianæ Religionis indulgentur, ut nexum humanæ conditionis
" exuti, dum ab omni munere ſecularium functionum efficiuntur immunes,
" ſicut profeſſionis eorum regula proteſtatur, Deo penitus vacent, & ejus
" ſolius ſint imbuendi ſervitio, pro cujus Majeſtis reverentia, non ſolum ab
" oneribus temporalium ditionum ſint liberi, ſed etiam amore Religionis,
" maximo honore ſunt digni. Unde poſcente à nobis Religione veſtra, ut
" autoris noſtri Beati *Petri* Apoſtolorum Principis vice, cui Creator & Re-
" demptor noſter Dominus Jeſus *Chriſtus* claves ligandi atque ſolvendi, in
" cœlo atque in terra dignatus eſt impertire; cujus & nos, licet impares mi-
" niſterio fungimur, & Eccleſiam ejus Dei dignatione diſponimus, Monaſte-
" rium Beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, quod *Melduni* religioſæ memo-
" riæ condidit, quod etiam nunc *Meldunesburge* vocatur, ſitum in Provincia
" Saxonia, atque illud Monaſterium, quod in honore Sancti *Johannis Baptiſtæ*
" eſt in eadem provincia poſitum, juxta fluvium qui vocatur *From*, quæ tuam
" Religionem, Deo cooperante, provide diſpenſare multorum veridica re-
" latione cognovimus, Apoſtolicis privilegiis roboremus, piæ devotionis fa-
" cientes aſſenſum, hortamur vos in Dei laudibus & orationibus ſtudioſis,
" atque pervigiles abſtinentiæ, caſtimoniæ, purificationi tenaciter inhæren-
" tes, hoſpitalitatis atque humanitatis officiis deditos ac devotos obedientiæ
" & humilitatis Chriſti exiſtere vos amatores, circa invicem pia charitate
" concordes, mandatis ſpiritualibus & Sanctorum patrum regulis ſerviendo
" Apoſtolicæ fidei rectitudinem illibate ſervare, bonis ſtudiis operam dare,
" humanitatem peregrinis & egentibus impendere, Eccleſiarum Dei præſu-
" libus & ſacerdotibus venerationem debitam exhibere, Deo vacare, ſecula-
" res curas & quæſtus effugere, temperantiam & paupertatem diligere, pſal-
" mis & hymnis ſpiritualibus, atque orationibus aſſiduis cum Deo colloqui-
" um inſerere, abſtinentiam tanquam purificationem corporis in cunctis vi-
" tæ ſtudiis adhibere, in omnibus Dei mandatis alterutros excitare, ſollici-
" tos circa ſui ſalutem eſſe, & proficientes in melius æmulari, & in Dei
" præſidio confidere, immaculatos vos non ſolum à cogitatione carnali, ſed
" etiam à ſermonibus noxiis & cogitationibus cuſtodire, ut caſtitas atque ſo-
" brietas corporis ſimul & ſpiritus veſtri ante Dei oculos luceat, quatenus
" & interior homo gratia virtutis illuſtretur, & exterior bonæ converſationis
" laudem atque opinionis obtineat. Quia igitur talibus debetur Pontificalis
" indulgentiæ beneficium, præſentibus Apoſtolicis privilegiis prædicta vene-
" rabilia Monaſteria decernimus munienda, quatenus ſub juriſdictione atque
" tuitione ejuſdem, cui & nos deſervimus, autoris noſtri Beati Petri Apoſto-
" li, & ejus quam diſpenſamus Eccleſiæ, & nunc ſint, & in perpetuum perma-
" neant, ſicut tua Religio petiit, nulliuſque alterius juriſdictioni ſint ſubje-
" cta, nec quiſquam Epiſcoporum aut Sacerdotum aut cujuſlibet Eccleſiaſtici

" ordinis

" ordinis Clericus, quoquo tempore ſibi in ea qualemcunque juriſdictionem
" defendere, aut ſuſceptionem, vel quælibet munuſcula, à religioſa congre-
"gatione extorquere vel expoſcere præſumat, neque in eorum Oratorio
" Epiſcopalem Cathedram conſtituere; aut Miſſarum ſolennia ibidem ge-
" rere, præter ſi à Religioſo Abbate & congregatione aſcitus advenerit.
" Presbyterum vero, ſi neceſſe habuerint, pro Miſſarum ſolenniis ibi ordi-
" nari aut Diaconum, à reverendiſſimo Epiſcopo, qui è vicino eſt, conſecran-
" dum expoſtulent, illo duntaxat quæ ad ſacram regulam pertinent ſub divino
"judicio perquirente & abſque muneris datione ordinante. Si autem & Reli-
" gioſum Abbatem obire contigerit, & ad electionem alterius fuerit ventum,
" illum quem religioſa congregatio ſervorum Dei communi conſilio elegerit,
" promovendum è veſtigio, ut non detrimentum Monachicæ converſationis
" diſciplina incurrat, vel res Monaſterii Abbatis privatione depereant. Præ-
" ſul quoque qui ſimiliter in vicinio fuerit, ex Apoſtolici Pontificis autori-
" tate, orationem ei Abbatus attribuat. Dum hæc ita ſint, ſi quiſque Epiſ-
" coporum, Presbyterorum, vel cujuſlibet Eccleſiaſtici ordinis Clericus, ſive
" etiam Laicus, cujuſcunque dignitatis fuerit, hæc à nobis ſub divino judi-
" cio ſtatuta tranſgredi, vel temerare tentaverit, reum ſe noverit ante con-
" ſpectum Dei, & à participatione corporis ſalutiferi & ſanguinis Domini
"alienum, condemnationem, quam *Judas Iſcariot* aſſecutus eſt, aſſequatur, &
" ab ejus Apoſtolorum principe, ut Ananias & Sapphira percellatur, niſi de
" incœpto temerariæ præſumptionis pœniteat; vita vero, ſalus & beatitu-
" do perpetua his qui hæc conſervaverint, & conſervari mandaverint. Bene
" valete dilectiſſimi Fratres.

Paginæ hujuſce prærogativa *Aldelmus* triumphans, ſimulque benedictione *Antiſtitis*, & ſacrarum reliquiarum pignoribus fretus, redeundi domum iter impiger adoritur; devehens ſecum multimoda peregrinarum mercium pretia, quæ patriæ nova & mirabili inferret copia. Inter quæ fuit Altare ex ſplendenti marmore, candido colore, ſeſquipedali craſſitudine, quadrupedali longitudine, latitudine trium palmorum, labio ex eodem lapide prominenti in circuiru pulchre denſatum. Camelus, ut dicitur, (quod enim & noſtræ regionis animal tantam ſuſtineret molem?) ejuſque ad Alpes bajulus fuit, & inoffenſo tulit. Ibi Camelus, ſeu quodlibet quadrupes, nec enim refert quæ beſtia tulerit, vel injuſti falcis injuria, vel propter prærupta viæ declivia concidit, ruina jumentum contrivit, & marmor in duas partes effregit; utriuſque rei damnum ſociis ingemiſcentibus, Sanctus arcano cordis murmure & protenſa benedictione dextræ ſarcivit; animali ſalutis vigor refuſus, quod alacri ſtatim ſe motu excutiens, in pedes conſtitit. Fractura lapidis, quæ non recta linea, ſed quodam anfractu diſſiliens crepuerat, ſtatim ſe in ſolidum compegit. Sed ut mirabilis ſigni memoria non obſoleſceret, adhuc cicatrix ſciſſuræ patet, ſanata quidem miraculo, ſed curioſo tamen perſpicua oculo. Recidit mœſtitia, reiteratur ſemita. Ita omni comitatu incolumi ad mare, quod *Galliam Angliamque* diſterminat, venit. Ibi placide carbaſum exceptum, poſt feliciter enavigatum pelagus, ſecunda Compatriotarum deſideriis fortuna reſtituit; venienti occurſum eſt, ibique magna pompa longo apparatu ſalutantium. Religioſorum alii ſuavi cantu mulcent aera, alii lignum *Domini* præferunt, alii odoris thymiamatibus vias afficiunt. *Laicorum* pars pedibus plaudunt thoreas, pars diverſis corporum geſtibus internas pandunt lætitias. Omnes in commune Deum laudant, qui lumen *Britanniæ* reduxit, quod jamdudum peregrinantes radios per illas terras porrexerat. Nec faſtus Regius *Inam* & *Ethelredum*, illum *Weſt-Saxonum*, hunc *Merciorum* Principem, ab hac excepit lætitia, quippe ubi antiquo viri amori, recens accreverat Apoſtolicarum ſalutationum reverentia. Magno igitur gaudio, & pronæ reverentiæ aſſentatione ſuſceptus, privilegia Monaſteriorum ſuorum ambobus oſtendit Regibus. Ita efflagitabat ratio, ut quæ utrorumque ſubſiſtebant muneribus, utrorumque firmarentur aſſenſibus. Accurrit continuo

 tinuo

tinuo Regia religio dictis Pontificis, nihilque minus fuit quin vicino obedientiæ pede juſſa perſequerentur.

Id quamvis memorandi Principes pro inſita benevolentiæ gratia non difficulter feciſſent; ex abundanti tamen, *Aldelmus* magnorum xeniorum oblationibus, conſenſum voluntarium elicuit. Et alteri quidem alia, ſed *Inæ* altare dedit. Is illud in vico quodam tunc Regio, *Briwecune* vocabulo, ſanctiſſimæ Genetricis Dei locavit obſequio, ubi ad hanc diem ſitum vivum, ut ita dicam, ſanctitatis *Aldelmi* præbet indicium. Eſt ibidem & alia major Eccleſia in Sancti *Petri* nomine, quam à Beato viro factam & conſecratam non negligenter aſſeverat opinio. Hujus orientalem frontem nuper in majus porrexit recentis ædificationis ambitio. Eo, ut dixi, modo, proceſſit labor laudabilis pro Sanctæ Eccleſiæ honore ſuſceptus, jamque ille in dies ſenectuti affinis proceſſerat. At vero aliquod amoris intercurrente ſpatio, *Hedda* totius Weſt-*Saxoniæ* Pontifex, apud *Wintoniam* ſedem habens, exceſſit mundo. Gratiſſimus fuit hic obitus cœleſtibus, quod pro ſanctitate præteritæ vitæ, numerum eorum ampliaret, luctuoſus mortalibus, quod vix parem poſſent invenire, qui tantæ Diœceſeos circuitum vellet regere. Quicquid enim nunc 4 Epiſcopi gubernant, unus tunc ille frænabat, rebelles autoritate premens, ſupplices ſimplicitate demulcens. *Synodali* ergo concilio Diœceſis ultra modum protenſa, in duas ſedes diviſa, quarum altera *Scireburniæ*, altera eſſet *Wintoniæ*: iniqua & impar fuit ea diviſio, ut unus duos tantum pagos, alter totum regeret, quicquid Weſt-Saxonici tractus immenſitas continet: ſingulis ſedibus ſuffecti Pontifices pro ſcientiæ merito & natalis ſoli confinio; *Wintoniæ* prælatus *Daniel*, qui eſſet ejuſdem regionis oriundus, literarum non egenus; *Sciréburnam* ſortitur *Aldelmus*, cui ſapientiæ prærogativa & ævi maturitas ad majus culmen aſpiraret, cum & genitalis terræ charitas ſuffragaretur, quod ejus Provinciæ indigena eſſet. Procedit ergo, ut creditur, agente Deo, univerſalis electio, ambiturque à beatiſſimo ſene ut Epiſcopatum dignetur. Omnis ætatis & ordinis conflatur ſententia dignum videri præſulatu excocta jam ætate ſerium, literis uberem, religione nulli diſparem. Sin vero natalium dignitatem conſiderandam putes, quam Beatus Apoſtolus in talibus non permiſit, quis eo nobilior, qui regalem proſapiam proxima contingit linea, ejus famæ, ejus vitæ, ſemper illum fuiſſe, de qua nunquam vel parum ſiniſtra jactata ſit opinio, reſtitit ille quantum potuit, quæ repulſam ſuam adjuvare, quæ unanimitatem illorum infirmare poſſent, non ſegniter objectans. Sed enim in nihilum fatigabatur, cum eo ipſo quod pro ſe paraverat convinceretur. Id erat annorum gravitas, quibus è proxima meta reſpicientibus, ſenium admoneretur levi quieſcere otio, non periculoſo indulgere negotio. Quod ſtatim ab audientibus retorquebatur in aliud, quod quanto annis maturior, tanto eſſet vitiis defæcatior, conſiliis promptior. Habuit ergo modum, reſtititque quoad concinnum orationi viſum eſt. Sed ubi unanimitatem & diuturnum aſſenſum accendit, fraternæ obedientiæ habenas vitæ ſuæ laxavit, veritus divino reſultare oraculo, quod corda omnium conflaverat, ora oppleverat. Suſcipiunt igitur collegam Epiſcopi, patrem *Clerici*, patronum *Laici*, inde acclamantibus cunctis, reclamantibus nullis, *Berthwoldo* primæ ſedis Archiepiſcopo pro more conſecrandus deducitur. Is in veteris contubernii ſodalem, jam & pariter literis ſtuduerant, pariterque viam religionis triverant, electionem factam gratioſe complexus favorem auxit. Itaque non ſolum conſecratione indulſit, ſed etiam multos dies ſecum retinuit, ejus conſilio Archiepiſcopatus ſui pondus allevians, cauſarum rationem examinans, unde factum eſt ut his diebus *Doroberniam* pergeret, quod eſt litus *Cantuariæ* ad 12 millia proximum, audiens illic naves appuliſſe. Portus ibi ut plerique maritimorum locorum inquietus, quia anguſtus, citiſſimus eo à *Morinis* tranſitus paucorum admodum millium trajectu. Quo fit, ut in illius ſpatii anguſtia inter ſeſe concurrentes & illidentes fluctus, nimia occaſione pelagus exaſperent, ibique maxime incurratur

curratur periculum, ubi ſperabatur periculorum effugium. Jam vero in ſtatione navibus receptis tutiſſima quamvis tempeſtate quies, hæc ideo protuli, quia ad rem quam inferam attinet. Spatiabatur Sanctus juxta mare, intentuſque oculos mercimoniis infigebat, ſi quid forte commodum Eccleſiæ uſui attuliſſent nautæ, qui *Gallico* ſinu in *Angliam* provecti librorum copiam apportaſſent; conſpicatuſque librum totius Teſtamenti veteris & Novi ſeriem continentem, ad emendum intentus animum à cæteris remiſit. Cumque gnarius folia volveret, pretium affringeret, barbari eum nautica laſcivia convitiis aggrediuntur. Quid ita merces alienas depretiaretur, & attenuaret rerum non ſuarum valentiam, ſua ſi vellet, eventilaret, extranea ſuo pretio relinqueret. Horum ille contra verborum contumaciam nihil retulit niſi riſum. Poſtremo, adhuc pretium libri percunctantem, loco cum ignominia deturbant, tenſiſque rudentibus longius à litore ſe removent. Sed non longe morata divina ultio injuriam Sancti acrius vindicat, procella ſurgit, turbo ſævit; denſatur nubes, ſubducitur dies, pelagi caligo, aeriſque horror noctem indunt, congeminat terrorem ventorum furor, rudentum ſtridor, antenna ſævitiam tempeſtatis non patitur, latus navis hinc illinc retundentibus fluctibus quaſſatur, defecit ars remigum, decidit peritia nautarum. Et jam peſſundabant, videbanturque in miſerorum mortem omnia conſpiraſſe elementa, cum licet brutos animos intelligentiæ ſubiit propter injuriam Sancti, cui convitiati fuerant, ſe luere pœnas. Exclamant ergo in planctum, & ſupplices tendunt ad litora palmas. Orant opem, pollicentur emendationem. Facile fuit Beato Pontifici ut remitteret culpam qui non doluerat contumeliam. Et primo quidem porrecto contra ſævientia flabra crucis ſigno, nonnihil tempeſtatis diminuit & manſuefecit. Mox cum ipſe Scapha aſcenſa virtute remigum periclitantes adiſſet, mutata in bonum omnia. Tempeſtas tota quieſcit, turbo conquiniſcit, ventorum uſus converſus navem impellit ad litus, undæ, quæ ante minabantur exitium, nunc ſenſim allabentes pollicentur obſequium. Potiti ergo nautæ optata ſtationis arena, librum ſponte offerunt, accipiat gratis dignetur munus famulorum, quos ab ipſis mortis faucibus in ſiccum evexit. Appendit ille mercedem æqua lance in medium conferens, ne aut pauperes magno damno emungeret, aut ſupplicum preces repudiaret. Id volumen adhuc *Melduni* viſitur, antiquitatis venerandum præferens ſpecimen. Novi ergo compos honoris provinciam regreſſus, cum in omnibus nomen æquaret officio, tum vel maxime libertati Monaſteriorum ſtudere, habuitque ſedem *Sciretburniam*, ubi & Eccleſiam, quam ego quoque vidi, mirifice conſtruxit. Ac primum quidem humanæ vitæ incertum metuens, cum Monaſteriis Abbates præponere vellet, huic voluntati *Monachi* conſueti patris dulcedine oppoſuerunt obicem. Cujus rei tenorem contulit in ſcriptum ne laboretur, neve ſucceſſores neceſſitatem perverterent in tyrannidem, non parituris ſub obligatione divina interminatus perniciem, illius ſcripti textus hic eſt. *Nihil in hoc ſeculo prolixa felicitate perfruitur, nihil dominatione diuturna potitur, nihil quod non ad fatalem vitæ terminum loci curſu protenditur. Et ideo nobis ſic mundanarum rerum patrimonia ſunt perfruenda, ut tamen æternæ patriæ emolumentis nunquam fraudemur. Hinc eſt quod ego* Aldelmus, *poſtquam me immeritum minuſque pene dignis moribus comprobatum, in Pontificatus officii ſedem divina gratia ſubthronizaſſet, propoſui arcano mentis meæ affectu ut Monaſteriis meis, quibus jamdudum in* Abbatus *gradu conſtitutus, ſuffragante Domino, regulariter præfui, religioſum* Abbatem, *quem ſibi ſpontanea familiarum mearum optio conſona voce elegiſſet, canonica ratione atque regulari Sanctione conſtituerem. His voluntariis propoſitionibus meis, pia Monachorum meorum reſtitit pervicacitas. Et cum hoc ſedulo ſæpiuſque in conventu fratrum meorum fiducianter narraſſem, nullus his votis meis placidiſſimum præbet aſſenſum, dicentes, quod quamdiu vitali vegetans ſpiritu nobiſcumque præſentis vitæ deputaris ſtadio, tuæ ſemper dominationis jugo humillima colla ſubdere non dedignamur. Sed hoc ſupplici prece, communique rogatu deprecamur,*

mur, quod ſub ſacra Scripturarum teſtificatione & favorabilium virorum claro conſenſu corrobores, ut nullus poſt obitum tuum, nec Regalis audacitas, nec pontificalis autoritas, vel aliquis Eccleſiæ ſeu ſecularis dignitatis vir, ſine noſtro voluntatis arbitrio in nobis ſibi vendicet principatum. Huic debitæ Monachorum meorum maximæque famulorum Dei petitioni libentiſſime conſenſi, & in Monaſterio quod juxta fluvium qui dicitur Winburna *ſitum eſt, cui venerandi Regis noſtri germana* Cuthberge *præſidet, cum optabili famoſiſſimi Regis* Inæ *conſenſu, & reverendiſſimi Fratris & Co-Epiſcopi mei* Danielis *nutu, præſentatæ profeſſionis devotionem decentiſſimam, & vernarum Domini poſtulationem ſacræ Crucis ſignaculo confirmavi, identidemque venerandus Rex & prænominatus Pontifex pari devotionis manu ſubſcripſerunt. Nec multo poſt in ſacro-Sancto concilio, quod juxta fluvium qui dicitur* Noodr, *congregatum eſſe dignoſcitur, idem omnis* Saxonicæ *gentis* Archimandritarum, *cum Regalis potentatus aſſenſu, & pontificalis prioratus nutu, conſenſit autoritas. Si quis vero contra hæc tam illuſtrium perſonarum decreta moliri machinetur, & ſacra præſentis ſchedulæ ſcita prævaricari præſumpſerit, ſciat ſe ante terribilem divinæ Majeſtatis thronum cum prævaricatoribus præceptorum Domini, lugubri damnationis judicio percellendum. Sunt autem hæc nomina Monaſteriorum* Maldmesburge, Froom, Bradanford. *Scripta eſt hujus Confirmationis chartula, Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti* 705°. *Indictione* 3ª *Subſcripſerunt* Ina *Rex,* Daniel *Epiſcopus,* Ethelfrithe *Patricius.* Quamvis igitur hac charta ſuis Monaſteriis conſuluiſſe & tyrannidem ſucceſſorum propulſaſſe videretur, non tamen illuſtri animo ſuffecit, niſi & omnibus eccleſiis, quæ in *Weſt-Saxonia* erant, conſultum faceret. *Dulcibus* igitur monitis credulum ſibi animum Regis urgens, hujuſmodi edictum obtinuit. *In nomine Domini Dei noſtri Salvatoris, Ego* Ina, *regnante Domino, Rex, cum conſilio & decreto Præſulis noſtri* Aldhelmi, *ſimulque cunctorum Dei Sacerdotum ſuggeſtione, & Monachorum petione qui in* Parochia *Saxonum, converſantur, hanc ubertatem Eccleſiis impendo, & hanc privilegii dignitatem Monaſteriis confero, ut ſine impedimento ſecularium rerum, & abſque tributo fiſcalium negotiorum liberis mentibus Deo ſoli ſervientes, & Monaſticam* Cœnobii *diſciplinam,* Chriſto *ſuffragium largiente, regulariter exerceant, ac pro ſtatu & proſperitate regni noſtri, & indulgentia commiſſorum criminum, ante conſpectum divinæ Majeſtatis preces fundere dignentur, & orationum officia frequentantes in Eccleſiis pro noſtra fragilitate interpellare nitantur. Si quis vero contra hujus decreti Syngrapham venire tentaverit, ſciat ſe coram* Chriſto *novemque Angelorum ordinibus in tremendo examine rationem redditurum. Hoc vero decretum à nobis libenter conceſſum, taliter ſervari & confirmari decernimus, ut tam nobis vita comite propitia Divinitate regni gubernacula regentibus, quam futuris ſucceſſoribus hæreditatis jure regnandi Monarchiam tenentibus, inextricabili lege firmiter roboretur. Nam pro amplioris firmitatis teſtamento principes & Senatores, judices & patricios ſubſcribere fecimus. Actum publice & confirmatum in loco qui appellatur* Eburleagh 8 *Kalend. Juniarum die, Indictione* 2ª. *Anno ab Incarnatione* Chriſti 704° *fideliter. Subſcripſit* Ina *Rex, Ego* Aldelmus *ſervus ſervorum Dei hoc decretum manu propria roboravi, ſubſcripſerunt &* Abbates, *Proceres* &c. Iſta divinus Pontifex indefeſſus agebat, vicini finis non neſcius. Sordebant enim jam terrena viro, inhiabatque cœleſtibus. Quapropter optimum factu ducebat, ſi metam vitæ talibus præcurreret, quæ eſſent ſuæ laudi & memoriæ, ſubjectis emolumento & gratiæ. Et licet annis effœta caro labores perferre negaret, tamen ſolida mens, jamque foras eminens & ipſis cœli januis imminens vincebat temporum ſitum, fragilem igitur corporis uſum non longe poſt deſertorem animi ſpiritualibus exercitiis ſubjiciebat. In prædicationibus noctes perinde ut dies continuans, Diœceſes non ſegniter circuiens ipſe integre & non minus quam in viridi ætate jejunia, cæteraque id genus bona frequentans, ducta itaque vita hominibus placido, Deo placita, poſt Epiſcopatus annos 4.

Ad

Ad ſuperos ſuperum cultor ſociuſque receſſit.
Alterat aſtra ſolo mutat & arva polo.
Halitus alta ſubit, fovet artus hoſpita tellus,
Depoſitumque ſuum poſcit uterque locus.
Impulerat Phœbus *bis quina luce* Laconas,
Involucris mundi cum reſolutus abit.

Villa eſt in pago *Sumerſetenſi*, *Dultinge* vocabulo, in qua hominem exuit quampridem Monachis dederat *Glaſtonientibus* uſufructuarium pactus. Domus obitus ejus conſcia lignea erat Eccleſia, in quam ſe ultimum ſpirans inferri juſſit, ut ibi potiſſimum efflaret, ſicut incolæ hodie per ſuccidnas generationes aſſeverant. Hanc dum quidam *Glaſtonienſis* Monachus ex lapide refectam in Dei faceret conſecrari nomine, immiſcuit ſe confertæ multitudini muliercula utroque lumine jamdudum capta. Hæc inſigni fide denſitatem vulgi perrupit, clamitans ut ad altare duceretur, incunctanter ſe credere quod Sanctus, cujus baſilica conſecraretur, viduæ cæcitatem depelleret, qui lata vita ſolennes eleemoſynas viduis conferre ſolitus eſſet. Audacia credulitatis de cœlo traxit auxilium, implevit viduos orbes lux ſerena. Nec latere potuit miraculum coram populo celebratum, præſertim cum Perſona & perſonæ calamitas provinciæ vulgatiſſima eſſet. Conſtat in eadem Eccleſia lapidem eſſe, cui Sanctus moriens inſederat, cujus ablutione plures ægroti ſanitatem iniiſſe noſcuntur. Tunc Beato *Eguino Wigornienſi* Epiſcopo viſio cœleſtis affulgens obitum ſodalis innotuit, & ut ad locum pergeret, præcepit. Ille dolens, & amoris ſtimulis tunc maturans celeriter *Dultinge* pervenit, depoſitaque pro animæ requie oratione, ut pro deſiderio & præcepto Sancti, *Meldunum* corpus promoveatur, jubet. Compeſcit ejulantium lachrymas fidei præſumptione, opus accelerat ipſe operis maturator aſſiſtens. Efferuntur ergo felices exuviæ magno præeuntium & ſubſequentium agmine, dum quiſque beatiorem ſe putaret qui propior eſſet, eratque ingens comitantium ſolamen ſaltem feretrum videri, ſi non poſſet tangi. Ipſa enim ſpecies & forma exanimis corporis decoquebat dolores, demulcebatque oculos, manens gratia & permanens figura. Celebris illa pompa funeris fuit, dum pro miraculorum frequentia figerentur ſemper lapideæ cruces ad ſeptem milliaria. Ad quas plures inveteratis morbis debiles cum fide accedentes, violentia precum celerem rapuere ſalutem, virtutum ſignis manentibus uſque hodiernum diem. Nec fidem auditorum excedere debet quod dico, cum pene tot ſint miraculorum teſtes quot provinciales, quorum certiſſimum Beatum *Eguinum* in teſtem cito, qui in quodam ſcripto poſt quædam alia, ſic ait. Poſt duos annos *Aldelmus* religioſus Epiſcopus migravit ad *Chriſtum*. Quod ego per revelationem agnoſcens, convocatis fratribus & obſecundantibus meis, exceſſum venerandi patris eis aperui, concito gradu ad locum ubi Sacrum corpus ejus jacebat, 50 ferme millibus ultra *Meldunenſe* Monaſterium ſitum deveni, & ad ſepulturam adduxi, & honorifice ſepelivi, & mandavi ut in quocunque loco ſacrum corpus in aſportione pauſaverat, ſacra Deo erigerentur ſignacula. Manent omnes cruces, nec ulla earum vetuſtatis ſenſit injuriam, vocanturque *Biſcepſtane*, id eſt, lapides Epiſcopi, quorum unam in clauſtro Monachorum in promptu eſt videre. Quæ res admonuit, ut quæ fama de *Biſcepſtune* jactitat non tacerem. Villa eſt in valle ad quam prædicationis ſollicitudinem expleturus veniſſe dicitur, dum ſermonem ſereret in plebem, forte baculum fraxineum quo nitebatur terræ fixiſſe. Illum interim per Dei virtutem miram in magnitudinem excreviſſe, ſucco animatum, cortice indutum, foliorum pubem & frondium decorem emiſiſſe; Pontificem qui verbo intenderet clamore populi admonitum reſpexiſſe, adoratoque miraculo Dei munus ibidem reliquiſſe; ex primæ arboris pulla multas pullulaſſe fraxinus, adeo ut, ſicut dixi,

dixi, villa illa vulgo ad Epiſcopi arbores nuncupetur. Hæc ſane non pro ſolido aſſerui, ſed ne quid prætериiſſe arguerer, non omiſi. Cætera ſcriptis vel cœlaturis ex antiquo factis approbo, nec quicquam, Deo teſte, adjeci de meo, niſi ſi aliquod verbum cauſa politius ornandæ lectionis avolavit. Non enim eget *Aldelmus* ut mendaciis aſſeratur, tantà ſunt de illo quæ indubiam depromant fidem, tot ſunt quæ non veniant in litem Innumera ſigna, quæ modo apud ejus fiunt memoriam, oſtendunt præſentibus præteritæ vitæ Sanctimoniam. Excipiunt interea patronum *Meldunenſes* ingenti ploratu,, reverenti affectu, Jungebatur amori veneratio, pugnabatque fides cum obſequio. Neſcires quid eligeres; aut in parentem affectum, aut in advocatum gaudium. Si lætarentur pro præmiſſo ad Deum Patrono, ſed dolore cogebantur pro amiſſo vitæ ſolatio. Inter hos fluctus aliquot extractis diebus, tandem ſepeliri permiſerunt in Sancti *Michaelis* Eccleſia, ubi ſibi vir ſanctiſſimus olim ſepulturam providerat. Exceſſit anno ab Incarnatione Domini 709°, ante *Inam* annis 18. ante *Bedam* 25. poſtquam *Abbas* à *Leutherio* factus eſt 34. poſtquam Epiſcopus à *Berthwaldo* anno 6°. Nam annos ætatis ejus nulla ſcriptura miſit in calculum, ſed eſt conjectura non fallax grandævum fuiſſe Sanctum qui paulo minus 34 annis in Eccleſiaſtico manens præſidatu, non niſi legitima ætate, illo præſertim tempore, ſumpſiſſet honorem, gravis ille annus *Britanniæ* fuit, & qui multa lumina vel extinxit, vel obduxit; eodem enim anno *Wilfridus* Epiſcopus deceſſit, de quo ſuperior ſermo palam fecit, quod nemo in *Anglia* eo promptior & juſti tenacior fuit. Quin & *Kenredus* Rex *Merciorum, Ethelredi* ſucceſſor, cum *Offa* orientalium *Anglorum* Rege *Romam* profectus, ſtadium vitæ decurrit: quorum ſocietatem adornavit, ut ſupra dixi, *Eguinus*, felix Epiſcopus, qui poſtquam Beato *Aldelmo* juſta perſolvit, & illud arduum ultroneis compedibus illaqueatus & adorſus & permenſus eſt. Sed hæc plenius ſcire volentem alias & noſtra & aliorum lectio informabit. Jacuit corpus Beati viri in Eccleſia ſupradicta 246 annis, quo toto tempore, quæ miracula exhibuerit, quæ nec parva nec pauca fuiſſe crediderim, omnia ſepelivit, omnia ſuppreſſit æmula oblivio. Enimvero, Monachi ſe in Sanctæ *Mariæ* tranſtulerunt Eccleſiam, ut vicinius & oportunius neceſſitates ſuas miniſtrarent mauſoleo; quamvis, ut per chartas probabimus, omnibus uſque ad *Edgarum* Regem annis Sancto *Petro* daretur primatus.

4. Jam enim quartam pollicitationem meam, Domino juvante, complere ingrediar, ut oſtendam quanta volubilitate fortunæ *Cœnobium Meldunenſe* excreverit, plerumque etiam, niſi Sanctus auxilium porrexiſſet, peſſum iverit. Per ſucceſſionem ergo Regum & chartarum appoſitionem agam propoſitum. *Inæ* ſucceſſit *Ethelardus* 14 annis, ei *Cuthredus* pari ſpatio; hujus donum ita ſcriptum habemus. "Ego *Cuthredus* Rex *Geviſorum*, cogente caterva charitatis *Chriſti*, & indiviſibilis affectu dilectionis. *Aldelmo Abbati*, "familiæ ſub illius regiminis amore degenti, cum conſenſu atque ſcientia "eximii Præſulis *Danielis*, optimatumque meorum & dignitatum, ob recordationem ſcilicet, orationum ſuarum ad redemptionem animæ meæ, ut "in plenitudine Electorum Domini collocatus ſim, terræ partem, inextricabilem poſſeſſionem, in loco qui dicitur *Wdecun*, ſub 10 manſionum æſtimatione taxatam, ſub conteſtatione Sanctæ Trinitatis, dapſili quidem libertate & hilariter ad *Meldunenſe* Monaſterium largitus ſum, [& poſt aliqua] Exemplar hujus largitionis promulgatum eſt anno ab Incarnatione "*Chriſti* 745. in prædicto cœnobio, ſub præſentia *Cuthredi* Regis. Liquet "igitur anno ultimo vitæ Regis *Cuthredi* hoc factum eſſe, ſuperſtite adhuc "*Daniele* Epiſcopo, qui cum Beato *Aldelmo* Epiſcopus factus fuerat, poſt exceſſum ejuſdem patris anno 36.° unde conſtat hunc *Aldelmum* Abbatem, cui "*Cuthredus* Rex *Wdecun* dederat, alium fuiſſe quam magnum *Aldelmum*. "Fertur ſane quod ſecundus *Aldelmus* prioris nepos fuerit. *Cuthredo* Regi

"ſucceſſit

" ſucceſſit *Sigebricht*: anno primo *Sigebrichti*, ſucceſſor fuit 31 annis *Kenewl-*
"*fus*, hic anno tertio regni ſui cœnobium hoc inſigni munere auxit.

" In Chriſti nomine, Ego *Kinewlf* Rex, cum conſenſu principum meorum
" aliquam terræ portionem quaſi 30 manentium familiæ Chriſti in *Maldu-*
" *nenſi* Monaſterio conſtitutæ, pro remedio animæ meæ perpetualiter poſſi-
" dendam donavi, hoc eſt ubi ſe duo latices *Meardene* & *Rockburne* jungunt,
" & in ciruitu eorum, quemadmodum ipſi incolæ bene noſſe dignoſcuntur
" terminos ac limites locorum illorum, nec non & villam cui ſubjacent
" paſcua, prata arida & irrigua ſimul, & ſilveſtria loca. Et hæc acta ſunt ab
" Incarnatione Chriſti 758. Indictione 11, à tranſitu Domini *Aldelmi* Epiſ-
" copi nono & quadrageſimo. Subſcripſit *Kineardus* electus in Epiſcopa-
" tum *Wintoniæ*, & *Herewoldus* Epiſcopus *Sciremburniæ*."

Contra eundem *Kinewlfum* Regem annum jam viceſimum & quartum in regno habentem, Offa Rex *Merciorum* propter villam *Beneſingtune* congreſſus, & ipſam & plurimam partem regionum *Weſt-Saxonicarum* victoria functus uſurpavit: denique villas *Cœnobii* & *Ettamumſter*, quam Rex *Merciorum Ethel-dredus*, & *Piretune*, quam Rex *Weſt-Saxonum Cedvalla* dederat, infeſtus prædo abſtulit. Et primam quidem *Wigornienſi* Epiſcopo dedit, ſecundam filius ejus *Egferthus* reddidit hoc ſcripto.

" In nomine Domini, Ego *Egferthe* Rex *Merciorum* anno primo regni nobis
" à Deo conceſſi, rogatus à *Brithrico* Rege occidentalium *Saxonum*, & *Ethelardo*
" Archiepiſcopo, terram 35 manentium, in loco qui vocatur *Ecpirigeam*, ab
" orientali parte Sylvæ quæ vocatur *Braden*, reddidi Abbati *Cuthberto*, & Fra-
" tribus Monaſterii *Maldubienſis*, pro indulgentia piaculorum meorum, & pro
" requie animæ patris mei *Offæ*, quam ille vivens abſtulit eis. Et ea ſcilicet
" ratione concedo terram ſupradictam ut ſecularibus regum ſervitiis libera
" ſit, ad ſerviendum neceſſitatibus Fratrum Deo ſervientium in prædicto Mo-
" naſterio, ut memoria noſtra in illo Sancto loco in Sanctis orationibus apud
" eos maneat in perpetuum. Sed & Abbas & Fratres ejuſdem Monaſterii in
" comparatione terræ illius dederunt mihi duo millia ſolidorum argenti
" puri. Et hoc feci cum conſilio Epiſcoporum ac Principum meorum, quo-
" rum nomina ſubter aſcripta ſunt. Et hoc actum eo anno ab incarnatione
" Chriſti 796. Indictione 4. à tranſitu Patris *Aldelmi* anno octogeſimo 7.
" augentem hanc meam eleemoſynam, Dominus conſervet & benedicat, mi-
" nuentis vero ac frangentis nomen, quod non optamus, eradicabitur de ter-
" ra viventium, & ſocietate Sanctorum privabitur, niſi digne emendaverit.

Subſcripſit *Ethelardus* Archiepiſcopus, qui ex Abbate prius *Meldunenſi*, & Epiſcopo poſtea *Wintonienſi* ſupremum honorem nactus *Cuthberthum* hunc conſtituit *Melduni* Abbatem. Subſcripſit *Beorthricus* Rex *Weſt-Saxonum* 16 annis poſt *Kenewlfum*, Subſcripſerunt Epiſcopi *Cineberth Winton*, *Benefrithe Sciremburne*, *Hedered Wigorn*. *Edulf* electus ad *Hereford*.

Succeſſit *Brithrico Egbirthus* annis 37, qui omnia regna *Anglorum*, *Weſt-Saxonico* uſque hodie curavit imperio. Hinc *Ethelwlfus* filius annis 18, quem quidam *Athulfum* vocant, viz. qui libertate collata Eccleſiis, omnes anteceſſores, quique poſtremo ſeipſum nova liberalitate vicerit: fecit etenim ſcrinium, quo Sancti Confeſſoris oſſa locaret in anteriori parte ex ſolido argento, jactis imaginibus. In poſteriori vero levato metallo miracula figuravit quæ jam ſermo depromſit, unde putatum eſt hunc fuiſſe librum vitæ in quo iſta legerit, ſed poſtea tempore Danorum omiſſum, faſtigium chryſtallinum Rex *Ethelwlfus* appoſuit ſcrinio, in quo nomen ejus literis aureis eſt legere. Sunt qui dicunt venerandas reliquias per eum levatas, ſed nos cum ad locum venerimus, magis tritam opinionem perſequemur. Nunc ponamus Regis dona, quæ Monaſterio contulit. " Regnante in perpetuum
" Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſummo & ineffabili rerum omnium Creato-
" re. Ego *Edelwlfus*, gratia Dei, occidentalium *Saxonum* Rex, in Sancta
" & celeberrima Paſchali ſolennitate pro remedio animæ meæ, & regni &

" populi

"populi proſperitate mihi à Deo commiſſi, conſilium ſalubre cum Epiſco-"pis & Comitibus, cunctiſque optimatibus meis perfeci, ut decimam par-"tem terrarum per regnum meum, non ſolum ſacris Eccleſiis da-"rem, verum etiam & Miniſtris meis in perpetuam libertatem habere "concederem, ita ut talis donatio fixa incommutabiliſque permaneat ab "omni regali ſervitio, & omnium ſecularium abſoluta ſervitute. Placuit au-"tem *Alhſtano Sciréburnenſis* Eccleſiæ Epiſcopo, & *Swinchuno Wincanſtrenſis* "Eccleſiæ Epiſcopo, ut omni Sabbato tota congregatio quinquaginta "Pſalmos, & unuſquiſque Presbyter duas Miſſas omni hebdomada cantet "pro Rege *Edelwlfo* & ducibus in hoc conſentientibus *&c.* Scripta eſt autem "hæc chartula anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo 54. Indicti-"one 2. die Paſchæ, in palatio noſtro quod dicitur *Wiltun.* Terra autem "iſta quam in libertate poninus, ad Eccleſiam pertinens *Meldubesburgh &c.* "eſt, *Piretune* 35, *Lacot* 15, *Suttune* 5, *Corſaburn* 5, *Cridanville* 10, *Cemele* 10, "*Danceſie* 11. Fecerat autem ſcholis & Eccleſiis chartam libertatis, quam hîc prætermiſi, quia in geſtis Regum poſui. Anno primo regni ſui, Incarnationis 844, à tranſitu Beati *Aldelmi* 335. ubi has terras ad *Meldumesburge* pertinentes nominaverat, *Ellendune* 30 hidas, *Elmhamſtede* 15, *Undetune* 10, *Cerlatune* 20, *Tottanham* 5, *Minti* 5, *Reodburnam* 10.

"Regnante in perpetuum Domino noſtro Jeſu Chriſto, Ego *Ethelulf* Rex, "partem terræ *Gewiſorum,* hoc eſt, 5 manſiones, donavi Deo & Sancto *Petro,* "& familiæ *Maldubienſi,* in loco qui dicitur *Toccanham,* eatenus ut ipſi jugi-"ter orent pro nobis Deum omnipotentem, quatenus proſpera nobis tempora "largiatur ad conſervandam fidem noſtram, & regni noſtri guberacula, per "omnia tempora gentis *Anglorum.* Et nemo audeat hoc donum mutare ab "ipſo Monaſterio ſive ira & vindicta Omnipotentis Dei. Et hoc donum "actum eſt anno ab Incarnatione Dominica 854, quod & ſervetur in pace. "Subſcripſerunt *Swithinus* Epiſcopus & *Alhſtanus.*

"Regnante & gubernante nos in perpetuum Domino Deo Salvatore noſtro "Jeſu Chriſto, qui cuncta ſecula ſalvavit, & humanum genus ſuo ſanguine "redemit, atque ab æterno interitu Diabolicæ damnationis per fidem re-"ctam & baptiſmatis ſacramentum liberavit. Ego *Ethelwlf* Rex meis non "meritis, ſed gratia largiente occidentalium *Saxonum,* nec non eodem Deo "donante, *Cantwariorum* populo, & omni auſtrali *Anglorum* genti, Dei arriden-"te gratia, regimine Prælatus, aliquantulam terram, id eſt, 5 manſiunculas, in "loco qui dicitur *Minti,* Deo Omnipotenti, ad Monaſterium *Maldubienſe,* in "perpetuam poſſeſſionem largitus ſum hoc tenore, ut in perpetuum damne-"tur qui hanc terram ab ipſa Eccleſia auferre conabitur. Et hoc actum eſt "anno Incarnationis Domini 885. Subſcripſerunt *Celnothus* Archiepiſcopus "*Cantuar. Alhſtan* Epiſcopus *Sciréburn. Ethelſtane* filius ejuſdem Regis, Rex "*Cantuariorum.*

Huic tres filii continua ſuccedentes ſerie regnaverunt annis 15. Quartus quoque *Elfredus* nomine annis triginta, ſex minus menſibus.

Hujus tempore venit *Angliam Johannes Scotus,* vir perſpicacis ingenii & multæ facundiæ, qui dudum relicta patria *Francia* ad *Carolum Calvum* tranſierat. A quo magna dignatione ſuſceptus familiarium partium habebatur, tranſigebatque cum eo tam ſeria quam joca, individuuſque Comes & menſæ & cubiculi erat, multæ facetiæ ingenuique leporis, quorum exempla hodieque conſtant, ut ſunt iſta, Aſſederat ad menſam contra Regem ad aliam tabulæ partem; procedentibus poculis, conſumptiſque ferculis, *Carolus* fronte hilariori poſt quædam alia cum vidiſſet *Johannem* quiddam feciſſe, quod *Gallicanam* comitatem offenderet, urbane increpuit, & dixit, Quid diſtat inter *Sottum* & *Scottum* ? Retulit ille ſolenne convitium in autorem, & reſpondit, *Tabula, tantum*: interrogaverat Rex de morum differenti ſtudio, reſponderat *Johannes* de loci diſtante ſpatio. Nec vero Rex commotus eſt, quod miraculo ſcientiæ ipſius captus adverſus Magiſtrum nec dicto inſurgere vellet,

ſic

ſic eum uſitate vocabat. Item cum Regi convivanti miniſter patinam obtuliſſet, quæ duos piſces prægrandes adjecto uno minuſculo contineret, dedit ille Magiſtro, ut accumbentibus duobus juxta ſe *Clericis* departiretur. Erant illi giganteæ molis, ipſe perexilis corporis. Tum qui ſemper aliquid honeſti inveniebat, ut lætitiam convivantium excitaret, retentis ſibi duobus majoribus, unum minorem duobus diſtribuit; Arguenti iniquitatem partitionis Regi, imo inquit, bene feci & æque. Nam hic eſt unus parvus, de ſe dicens, & duos grandes piſces tangens. Itemque ad eos converſus; hic ſunt duo magni *Clerici* immenſi, & unus exiguus, piſcem nihilominus tangens. *Caroli* ergo rogatu, *Hierarchiam Dionyſii Areopagitæ* in Latinum de Græco verbum è verbo tranſtulit. Quo fit ut vix intelligatur Latina litera, quæ volubilitate magis Græca quam poſitione conſtruitur noſtra. Compoſuit etiam librum, quem περὶ φύσεων μερισμȢ, id eſt, De naturæ diviſione titulant, propter perplexitatem quarundam quæſtionum ſolvendam bene utilem, ſi tamen ignoſcatur ei in quibuſdam, quibus à Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Quare & *Hæreticus* putatus eſt, ſcripſitque contra eum quidam *Florus*. Sunt enim revera in libro *Peri Phyſion* perplurima, quæ niſi diligenter diſcutiantur, à fide Catholicorum abhorrentia videantur. Hujus opinionis particeps fuiſſe cognoſcitur *Nicolaus* Papa, qui ait in Epiſtola ad *Carolum*, ‘ Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod opus Beati ‘ *Dionyſii Areopagitæ*, quod de divinis nominibus vel cœleſtibus ordinibus ‘ Græco deſcripſit eloquio, quidam vir *Johannes* genere *Scotus* nuper in Lati-‘ num tranſtulerit, quod juxta morem nobis mitti & noſtro judicio debuit ‘ approbari, præſertim cum idem *Johannes*, licet multæ ſcientiæ eſſe prædi-‘ cetur, olim non ſane ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur. Prop-‘ ter hanc ergo infamiam credo tæduit eum *Franciæ*, venitque ad Regem *El-‘ fredum*, cujus munificentia illectus & magiſterio ejus, ut ex ſcriptis Regis in-‘ tellexi, ſublimis *Melduni* reſedit, ubi poſt aliquot annos, à pueris quos do-‘ cebat graphiis perforatus. [* *Jo. Pariſienſ.* in hiſtoria ſua anno 877. *Johannes* ‘ *Scotus* inter cætera fecit librum de Euchariſtia, qui poſtea lectus eſt & con-‘ demnatus in Synodo *Vercellenſi* à Papa *Leone* celebrata. Eodem anno quo ‘ *Lanfrancus* ab errore *Berengarii* ſe purgabat, unde ſicut dicit *Lanfrancus*, ipſe ‘ in fide deſipuit; tandem ibat in *Angliam* ad Regem *Elfred*, & apud Monaſte-‘ rium *Malmesber.* à pueris graphiis perforatus] animam exuit tormento gravi ‘ & acerbo, ut dum iniquitas valida & manus infirma ſæpe fruſtraretur, & ſæpe ‘ impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit aliquamdiu in honorabili ſepultura in Beati *Laurentii* Eccleſia, quæ fuerat infandæ cædis conſcia. Sed ubi divinus favor multis noctibus ſuper eum lucem indulſit igneam, admoniti *Monachi*, eum in majorem tranſtulerunt Eccleſiam, & ad ſiniſtram altaris ponentes his martyrium ejus verſibus prædicaverunt.

Conditur hoc tumulo Sanctus Sophiſta Johannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro.
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum,
Quo meruit, regnant cuncti per ſecula Sancti.

Elfredus Rex & filius ejus *Edwardus* nihil huic contulerunt Monaſterio, niſi quod commutatio videatur magis quam donum. Scripta tamen hic apponam, quæ ſint indicio hanc Eccleſiam prius in nomine Sancti Salvatoris & Beati *Petri* conſecratam, ſitque operæ pretium audire ſcripta & percenſere veterum.

"In nomine Domini, Ego *Elfredus* gratia Dei *Anglo-Saxonum* Rex, una " cum conſenſu venerabilis familiæ *Maldubienſis* Eccleſiæ, concedo meo fideli, " nomine *Dudi*, aliquantulum terræ, id eſt, quatuor caſſatorum ad eandem

* *Quæ uncinulis concluduntur, ex margine ingeſta fuiſſe videntur.*

"Eccleſiam pertinentium, in loco qui dicitur *Cellanwird*. Poſt trium autem " dies hæredum, prædicta terra ad Eccleſiam Sancti Salvatoris & Sancti *Pe-* "*tri* in *Malduberg* abſque omni contradictione redeat. Acta eſt autem hæc " conſcriptio in loco eodem, qui veteri vocabulo dicitur *Maildubery*, noſtro "autem *Maldumesburg*. Proceſſu vero temporis ſub *Edwardo* filio *Elfredi*. *Ordlafus* Dux præpotens emptam à *Dudi* terram, cœnobio pro commutatione alterius terræ reddidit, idemque, qui eſſet quieti animi & boni, cum mortis viam iniret, juſſit utraſque ſine refragatione reſtitui. Quocirca in eodem loco ſepultura nobili, & memoria perenni numeratus eſt. Sunt ergo hæc ſcripta.

Edwardo Anglo Saxonum glorioſiſſimo Rege conſentiente, nec non & ejus optimatibus, qui ei in præſentia tunc aderant familia Deo ſervientium, in loco nuncupato antiquo vocabulo *Maildubery*, in Eccleſia Sancti Salvatoris, quæ ibidem opere cæmentario pulcherrime compoſita cernitur, venerabili Comiti *Ordlafo* aliquantulum terræ, id eſt 5 manentium ſuæ propriæ poſſeſſionis, in loco qui dicitur *Mebandum*, largiens concedit pro commutatione alterius terræ, id eſt, 4 manentium, in loco quem *Ruricolæ Cellewurde* appellant. Finitis autem diebus 4 hæredum præſata terra Fratribus Eccleſiæ ſine omni contradictione redditur.

Ego Ordlaf *aliquantulum terræ mei proprii juris, quam à* Dudi *viro venerabili cum licentia Domini mei glorioſiſſimi Regis* Edwardi *cum pecunia comparavi, familiæ Sancti Salvatoris in* Maildubery, *ubi ruricolæ Cellanwirdan appellant, pro commutatione alterius terræ quæ Mebandum appellatur, largiens, concedo* &c. *Acta eſt hæc Conſcriptio anno Incarnationis Domini nongenteſimo primo, ab exceſſu Sanctiſſimi Confeſſoris Centeſimo nonageſimo ſecundo.*

In nomine Domini, Ego Edwardus *gratia Dei* Anglo-Saxonum *Rex, dedi venerabili familiæ* Maldubienſis *Eccleſiæ aliquantulum terræ, in loco qui dicitur Honecintun, pro commutatione alterius terræ quantitatis ejuſdem, id eſt* 10 *caſſatorum, in loco ubi ruricolæ* Frenberg *appellant. Sunt autem prædictæ terræ ab omnibus ſecularibus negotiis liberæ, Hanc autem Commutationem deprecantibus Fratribus pro eorum commoditate feci, qui à terra quam prædictis Fratribus dedi, duobus diſtat tantum milliariis ab eorum Monaſterio, illa autem quam accepi diſtat à prædicto Monaſterio ferme* 20 *milliariis. Scripta vero eſt hæc chartula Anno ab Incarnatione Domini* 901°. *anno mei regni primo:* Subſcripſerunt *Ealkswid* mater, & *Elfled* conjux Regis *Edwardi*: qui quatuor & viginti annis regnavit.

Succeſſit filius *Ethelſtanus* annis 16, qui beatiſſimo *Aldelmo* cognato ſuo, ut dicebat, ut res erat, ita famulabatur, ut ei animam corpuſque devoveret, ſed & ipſe Sanctus ſenſim ex tunc in clariorem & crebriorem miraculorum proceſſit indolem; quaſi admoneret, quod degenerem ſepulturam dedignaretur. Nec deſtitit antequam poſt paucos annos efferretur, & locaretur in ſcrinio. Interea *Ethelſtanus Elwinum* & *Ethelwinum* filios patrui ſui *Ethelwerdi*, quos præcipuo amore coluerat, in bello contra *Analavum* amiſſos, *Meldunum* deferri, & dextra lævaque altaris in Eccleſia Matris Dei ſepelire curavit. Cauſa ſæpe dicta fuit, quod enſe, invocatione nominis *Aldelmi*, cœleſti eum ſe donatus, & ab hoſtibus ereptus ſit: Ex quo die Monaſterio prædia plurima, pallia multa, crucem auream, phylacteria æque aurea, cum portione ligni Domini, quod ei *Hugo* Rex *Francorum* miſerat, contulit. Longum eſt narrare, quantæ devotionis in Monaſteriis ædificandis & reficiendis fuit, quantam barbariem pauciſſimo exercitu profligaverit, quod terminum imperio in *Scotia* ſtatuerit, viderer enim indulgenti materiæ incumbere, & alias dicta pro eloquii pompa repetere, ſimulque videretur Eccleſiæ noſtræ laudis oſtentatio toties illum laudare, qui multis in vita beneficiis, poſtremo in morte, venerandi corporis reliquiis eam honoraverit. Veruntamen, hoc auſim dicere, quod licet omnes ante ſe, vel ſolus ſuperaverit, vel, ut mitius dicam, æquaverit, nihil ad comparationem faciendorum fuit quod fecit, quia ingentes actus feſtinata dies fatis abrupit. Immatura ergo morte & quæ

quæ animoſitatem illam, ſi Dominus voluiſſet, non deceret, è mundo in *Gloceſtria* ſublatus, *Meldunum* devectus eſt; ibique ſub altari Sanctæ *Mariæ* in turri ſepultus eſt. Unde falluntur qui dicunt, quod *Elfricus* Abbas turrem illam fecit, quem poſt *Ethelſtani* mortem plus annis 30 conſtat Abbatem factum fuiſſe.

Hic jacet orbis honor, patriæ dolor, orbita recti
Juſtitiæ fulmen, munditiæ ſpecular.
Æthera flatus adit carnis compage ſoluta,
Urna triumphales excipit exuvias.
Sol illuſtrarat bis ſeno Scorpion ortu,
Cum Regem cauda percutit ille ſua.

Accumulant merita ejus in *Cœnobium*, multorum Sanctorum reliquiæ quas invexit, in quibus emendis theſauros patris ſui ſpecioſe prodigus diſtraxit, cœleſti ſomno admonitus. Itaque ex tranſmarina *Britannia* & *Normannia*, quippe cum *Rollone* Comite amico obligatus fœdere, multas Sanctorum, in quibus & Sancti *Paterni Abrincatenſis* Epiſcopi, reliquias mercatus eſt. Is *Aquitanus* genere, à juvene Monachus, proceſſu ætatis Heremita fuit. Cumque ſecretioris Philoſophiæ ſtudiis virtutum non exiguum quæſtum [conflaſſet,] proceſſit in publicum, dignus qui animarum rector eſſet, qui ſeipſum regere noſſet. Itaque prius in *Conſtantinenſi* pago Abbas, deinde apud *Abrimas* Epiſcopus, miraculorum non expers fuit. Sitiens, levi alliſione baculi ad ſilicem, elicuit laticem, ſtupendum omnino, ut negante natura, ſanctitas viri marmoreas venas in aquatiles produceret bullas. Puellæ ori linguæ officio deſtitutæ oleum infudit, & organum reſtauravit. Contractio muliebrium digitorum olim volæ infixa, contactu Sancti devoluta eſt. Puerum in mortem intumeſcentem, cui viroſos molares anguis infixerat, erexit incolumem, cutis laſcivia ſedata & ad proprium modum edomita. Spiritus nequam præſentientes Sancti adventum familiares clientes reliquerunt, excuſata fugæ timiditate, quod pro Paterni violentia nequirent ſubſiſtere. Aviculæ paſtæ frumento quod benedictione condierat, digredientes per multa milliaria remigio alarum ſecutæ, nunquam ab ejus divelli charitate potuerunt, quoad vixerunt. Præterea ſunt alia quæ *fortunatus* lepido illo eloquii ſale noſtræ ingeſſit notitiæ. Hunc Rex *Athelſtanus* adjunxit Sancto *Aldelmo* ſocium, nec unquam ſe ille diſſimulavit eſſe ſanctum frequentia miraculorum. Hoc quod dicam, majores noſtri egregie meminerant, & præcipue ferebant, *Furbracteam* auri ex ſcrinio tulerat, egreſſuſque Eccleſiam, in quos libuerat uſus conſumpſerat. Non hoc Sanctus, quamvis alias patiens tulit tacitum. Nam cum reatus conſcius impune ſe putaret reintraturum Eccleſiam, hæſit ad oſtium inviſibilibus loris irretitus. Si conaretur ultra, tum vero ingens vis inviſa flammæ miſerum adurens miſerabilem ejulatum excutiebat. Si retro tentaret, retrahebatur obtortis faucibus laqueo. Nihil horum aſtantes videbant, clamorem & niſum *Latrunculi* ſtupentes; ſed edocti eo confitente ad culpam & pœnam, interceſſiones ad Sanctum adhibuerunt. Soluto itaque damno, ſolutus eſt ille ſupplicio. In hoc ſcrinio hæc ſcriptura legitur, [*Hoc opus Rex* Ethelſtanus *totius Britanniæ, multarumque gentium in circuitu poſitarum Imperator, in honorem Sancti* Paterni *fieri juſſit, quod has reliquias ex tranſmarinis partibus meruerit.*] Epiſtolam ſubjiciam, *Summæ & individuæ Trinitatis honore omniumque Sanctorum præcellentiſſima interceſſione, glorioſo ac munifico Regi* Adelſtano, Samſonis *ſummi Pontificis Ego* Radhodus *præpoſitus, iſtius ſeculi gloriam, & æternæ beatitudinem benignitatis ac ſublimitatis veſtræ piiſſimæ, & in omnibus hujus temporis Regibus terrenis famoſa laude præcellentiſſime Rex* Adelſtane, *optime noverit pietas, manente adhuc ſtabilitate noſtræ regionis, quod pater veſter* Edguardus *per literas ſe commendavit conſortio fraternitatis Sancti* Samſonis *ſummi Confeſſoris, ac* Joviniani *Archiepiſcopi*

 ſenioris

ſenioris ac conſobrini mei, ac Clericorum ejus, unde uſque hodie indefeſſas Regi Chriſto pro ejus anima & pro ſalute veſtra fundimus preces, & die noctuque videns ſuper nos magnam miſericordiam apparere veſtram, in Pſalmis & Miſſis orationibuſque noſtris, quaſi provolutus ego & 12 Canonici mei genibus veſtris fuiſſemus, promittimus Deum clementem orare pro vobis. Et modo reliquias quas omni terrena ſubſtantia vobis ſcimus eſſe chariores tranſmitto vobis, id eſt, oſſa Sancti Senatoris, & Sancti Paterni, *atque Sancti* Scubilionis *ejuſdem Sancti* Paterni *Magiſtri, qui ſimiliter uno die eademque hora cum ſupradicto Paterno migravit ad Chriſtum. Iſti certiſſime duo Sancti cum Sancto Paterno, dextra lævaque jacuerunt in ſepulchro, atque illorum ſolennitatis, ſicut & Paterni 9 Kalendas Octobres celebrantur. Igitur Rex glorioſæ Sanctæ exaltator Eccleſiæ, gentilitatis humiliator pravæ, regni tui ſpeculum, totius bonitatis exemplum, diſſipator hoſtium, pater Clericorum, adjutor egentium, amator omnium Sanctorum, invocator Angelorum, deprecemur atque humiliter imploramus, qui in exulatu atque captivitate noſtris meritis atque peccatis in* Francia *commoramur, ut non noſtri obliviſcatur veſtræ feliciſſimæ largitatis magna miſericordia, & nunc à modo, quæ mihi dignemini commendari, ſine ulla mora poteſtis impetrare.* Hæc epiſtola inventa eſt in ſcrinio apud *Meldunenſe* cœnobium, quod idem Rex à fundamento fecit, & ibi reliquias Sancti *Samſonis* poſuit. Sed jam judicia prædiorum, quæ Rex cœnobio contulit, ſubjicienda video, quæ multis quidem chartis, ſed unam Scripturam præferentibus intexuit hoc modo.

Fortuna fallentis ſeculi procax, non lacteo liliorum candore amabilis, ſed fellita evitandæ corruptionis amaritudine odibilis, fœtentis filios in valle lachrymarum carnis, rictibus debacchando venenoſis dilacerat, quæ quamvis arridendo ſit infelicibus attrectabilis, Acherontici tamen ad ima Cocyti *(ni ſalus alti ſubveniat) boantis impudenter eſt declivis. Et ideo quia ipſa ruinoſa deficiendo carnaliter dilabitur, ſummo opere feſtinandum eſt ad amœna indicibilis lætitiæ arva, ubi hymnidica angelicæ jubilationis organa, mellifluaque vernantium roſarum odoramina, à bonis beatiſque naribus inæſtimabiliter dulcia capiuntur, ſineque calce auribus felicium ſuavia audiuntur. Cujus amore felicitatis illectus Ego* Ethelſtanus *Rex Anglorum, per Omnipotentis dextram totius Britanniæ regno ſublimatus, aliquas terræ particulas venerabili familiæ* Maldubienſi, *pro animabus Patruelium meorum filiorum* Etheldredi, Clitonis, *viz.* Elfwini & Ethelwini, *Deo & Sancto* Petro *in perpetuum jus largitus ſum, ſub æſtimatione 10 caſſatorum, in loco qui dicitur* Wdecun, *ſub æſtimatione 6 caſſatorum in loco qui dicitur* Breoniet, *ſub æſtimatione 5 caſſatorum in loco qui dicitur* Summerford. *Item 5 in loco qui dicitur* Nortun. *Item 5 in loco qui dicitur* Ewulm ; *hoc præcipiens ut nemo noſtrorum Succeſſorum hoc noſtrum donum, quamdiu Chriſtianitas vigeat, vel ex minimo interrumpere tentet. Quod ſi quis tentaverit, à Deo ſe damnandum in perpetuum ſciat. Sciant autem ſapientes noſtræ regionis nos has præfatas terras non injuſte rapuiſſe, rapinamque Deo dediſſe, ſed ſic eas accepi quemadmodum judicaverunt omnes optimates regni* Anglorum, *inſuper & Apoſtolicus Papa Romanæ Eccleſiæ* Johannes, Elfredo *defuncto, qui noſtræ felicitatis & vitæ æmulus exſtitit, nequitiæ inimicorum meorum conſentiens, quando me voluerunt patre meo defuncto cæcare in* Wintonia *civitate, ſi non me Dominus ſua pietate eripuiſſet. Sed denudatis eorum machinamentis remiſſus eſt ad Romanam Eccleſiam, ut ibi ſe coram* Johanne *Apoſtolico jurejurando defenderet, & hoc fecit coram altari Sancti* Petri. *Sed facto juramento cecidit coram altari, & in manibus famulorum ſuorum portatus eſt ad ſcholam Anglorum, & in 3. nocte vitam finivit. Et nunc Apoſtolicus ad nos remiſit, & quid de eo ageretur conſuluit. Nos autem optimatum noſtrorum rogatu conceſſimus, ut portaretur ad cæteros Chriſtianos, quamvis indignus. Et ſic indicta eſt mihi poſſeſſio illius omnis in magnis & modicis* &c. *Hujus autem à Deo Dominoque Jeſu Chriſto innuente atque inſpirante voluntatis Schedula, anno Dominicæ Incarnationis 938, regni vero mihi gratis commiſſi 11. Indictione 8. epacta 14. concurr. 3 Kalend. Januarias linea vertentis menſis 10ª, in civitate celeberrima quæ* Dornaceſter *appellatur, conſcripta eſt tota optimatum generalitate ſub alis Regis dapſilitatis ovanti.* Subſcripſere ſubreguli *Eugenius, Howell Morrant, Indual.* Archiepiſcopi, *Wulfelmus Doroberniæ,*

Wulſtanus

Wulſtanus Eboraci. Epiſcopi, *Burgrice Roſenſis*, *Tedrid Lundonienſis*, *Ethelgar* orientalium *Anglorum*, *Alfriche Wintonienſis*, *Elfredus Sciréburnenſis*, *Wulfelinus Wellenſis*, *Ethelgar Cridienſis*, *Oda Wiltenſis*, *Eadhelm Seleſenſis*, *Sexhelm* Sancti *Cuthberti*, *Tidelus Herefordenſis*, *Elwine Wigornienſis*, *Kinſi Licitfeldenſis*, *Winſi Legeſeſtrienſis.*

Ethelſtano ſucceſſerunt fratres, *Edmundus* 6, *Eldredus* 6, *Edredus* 9 annis, *Edredo Edwinus* 4 annis, filius *Edmundi*, qui, ſicut alias, latius diximus meretriculæ unius ſeductus illecebris, *Dunſtanum* ſtultitiæ ſuæ ſæviſſimum correptorem patria expulit. Inde ſemel malo imbutus omnes ad dolorem *Dunſtani* in tota *Anglia* Monaſtici ordinis homines prius nudatos facultatum auxilio, poſt & deportatos exilio, calamitatibus indignis affecit. Nam & *Meldunenſe* Cœnobium ſtabulum Clericorum fecit anno 246. poſt tranſitum patris *Aldelmi*; poſtquam à *Leutherio* ibi præpoſitus eſt Monachis, anno 276. Sed tu Domine Jeſu Creator & Recreator noſter, bone artifex, multumque potens formare noſtra deformia, per illos homines irregulares & vagos, theſaurum tuum tot ſeculis abditum, in lucem propalaſti, ſanctiſſimi *Aldelmi* corpus dico, quod illi de terra elevatum in ſcrinio, quod ſupradixi, locarunt. Acceſſit Clericorum gloriæ Regalis liberalitas, ut daret Sancto prædium vicinitate & amplitudine peroportunum, quod nominarem, niſi quia notum eſt, & Reges anteriores multas ejus portiones dederint, ne hic ſolus communem gloriam vel totam vendicet, vel partem vellicet. Sed omnis temporum iniquitas mature decidit, ſuccedente *Edgaro* fratre, omnium anteceſſorum, niſi *Ethelſtanus* palmam præoccupaſſet, facile primo; denique neſcias quem præferas, niſi quod iſte tenuerit, ille inceperit, ille fortior, iſte fortunatior, ille Dei & ſuo auxilio niſus, iſte prudentium virorum conſilio credulus. *Edgarus* igitur abolitis edictis germani, quæ luxus Regius & juvenilis impetus [effuderat;] quid Eccleſiæ noſtræ dederit, quid abſtulerit, ſuo melius ſermone referabit.

"Cum univerſitatem generalis Maſſæ meta maneat certa, viſibiliaque, ut "ait Apoſtolus, ſint temporalia, inviſibilia vero ſint perpetua, reſtat unum"quemque hîc peracta illic recipere merita. Unde ego *Edgarus* totius Al"bionis Baſileus, necne maritimorum, ſeu inſulanorum Regum circum ha"bitantium, adeo ut nullus progenitorum meorum ſubjectione largiflua, Dei "gratia ſuppetente, ſublimatus, quid imperii mei potiſſimum Regi Regum "Domino darem, tanti memor honoris, ſolertius ſæpe tractavi. Piæ igi"tur fautrix devotionis pervigili meæ ſtudioſitati ſubito ſuperna inſinuavit "pietas, quæque in regno meo Sancta inſtaurare Monaſteria, quæ velut mu"ſcinis ſcindulis, carioſiſque tabulis tignotenus viſibiliter diruta, ſic, quod "majus eſt, intus à ſervitio Dei ferme vacua, fuerant neglecta. Idiotis nem"pe Clericis ejectis nullius regularis religionis diſciplinæ ſubjectis, pluri"mis in locis Sanctiores ſeriei, ſcilicet, Monachici habitus præfeci paſto"res, ad ruinoſa quæque templorum redintegranda, opulentos fiſcalium nu"merum eis exhibens ſumptus, quorum unum nomine *Elfricum*, virum in "omnibus Eccleſiaſticis expertiſſimum, officiis famoſiſſimi cuſtodem con"ſtitui Cœnobii, quod Angli bifario vocitant onomate *Maldelmesburg.* Cui "pro commoditate animulæ meæ, ob Salvatoris noſtri ejuſque theotocos "ſemper Virginis *Mariæ*, nec non Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, *Aldhelmique* "olim præſulis honorem, particulam terræ, 10 videlicet manentium, vo"cabulo *Eſtotun*, cum pratis & Sylvis, munifica liberalitate reſtitui. Hæc "terra à prædictis ſemel accommodata Clericis, diu à pleriſque, poſtremo "à contentioſo injuſte poſſeſſa eſt *Athelindo.* Sed ſuperſtitioſa ſubtilique "ejus invectione à ſapientibus meis audita, ac diſceptatione illius mendoſa, "ab eiſdem me præſente convicta, Monaſteriali à me reddita eſt uſui, anno "Dominicæ incarnationis 974. regni vero mei 14. Regiæ conſecrationis 1. "poſt tranſitum pretioſi Confeſſoris *Aldelmi* 265. Hanc vero reſtitutionis "ſchedulam prædicti Abbatis rogatu, ob futuræ poſteritatis memoriam te-

" nacem charaxari præcepi, ne quamdiu Chriſtiana fides viget in noſtrati-" bus, ab aliquo tyrannici potentatus præfatum rus ab illo Sancto loco vio-" lenter (quod abſit) alienetur. Et ſubſcriptio Archiepiſcoporum *Dunſtani Cantuarienſis*, & *Oſwaldi Eboracenſis*, & Epiſcoporum *Athelwaldi Wintonienſis*, trium *Elfſtanorum*, *Lundonienſis*, *Roſenſis*, *Wiltinenſis*, & cæterorum. Hic eſt *Elfricus*, qui omnem curam ad beatam transferens *Mariam*, poſſeſſionem & nomen Monaſterii ejus delegavit ditioni, ut tanto interim beatiſſimi *Petri* nomine, ipſa ſola loco videatur imperare. Nec faſtidivit glorioſa Domina illuſtris & prædicandi viri munus, quinimo uſque hodie præſidet Eccleſiæ ſanctiſſimi *Aldelmi*, communionem in pietate amplectens, cum peritum literarum, præſertimque elegantiſſimum interpretem, niſi fallax tradit vetuſtas, ædificandi gnarum, qui omnes Monachorum officinas, eo tempore præſtantiſſimas, nec adhuc adeo deſpicabiles, fundavit & conſummavit. Hujus intermiſſo nomine facit mentionem *Abbo Floriacenſis* in præfatione paſſionis Sancti *Edmundi* ad *Dunſtanum* beatum Archiepiſcopum his verbis. *Paſſionem Sancti* Edmundi *à nemine Scriptam, pluribus ignotam, tua ſanctitas ex antiquitatis memoria collectam hiſtorialiter, me præſente, retulit Domino Epiſcopo* Roſenſis *Eccleſiæ, & Abbate Monaſterii quod dicitur* Malmesbury, *ac aliis circumaſſiſtentibus, ſicut tuus eſt mos, fratribus.*

Elfricus ſane cum jam grandævus eſſet, in Epiſcopum *Cridienſem* altatus, vix quatuor annis ſuperfuit. Reliquit aliquantos codices non exigua ingenii monumenta, *vitam Sancti Adelwoldi*, antequam eam *Wulſtanus* operoſius concinnaret, *abbreviationem paſſionis Sancti Edmundi, libros multos ex Latino in patrium Sermonem verſos.*

Tempore ergo *Edgari* Regis, *Dunſtanus* ſanctiſſimus Archiepiſcopus noſtri Cœnobii reſtaurationi & decori egregiam curam admovit, invitatus in amorem Sancti *Aldelmi*, & generis *Weſt-Saxonum* affinitate, nam de hac provincia oriundus fuerat, & miraculis ſubinde crebreſcentibus, qui gauderet Sanctum ſuæ regionis, ſuis potiſſimum temporibus, in ſpeculam elatum. Ideo in multis loco munificus, quæ tunc in *Anglia* magni miraculi eſſent, decuſque & ingenium conferentis oſtenderent, offerre crebro. Inter quæ ſigna, ſono & mole præſtantia, & organa, ubi per æreas fiſtulas muſicis menſuris elaboratas,

Dudum conceptas follis vomit anxius auras,

Ibi hoc diſtichon laminis æreis impreſſit.

Organa do Sancto Præſul Dunſtanus Aldelmo
Perdat hic æternum, qui vult hinc tollere, regnum.

Poterunt & ii verſus ſermonis veritati ſuffragari, quos conſpicati ſumus impreſſos vaſculo, quod miniſtris altaris famulabatur aquæ obſequio.

Hydriolam hanc fundi Dunſtan *mandaverat Archi-*
Præſul, ut in templo Sancto ſerviret Aldelmo.

In quibus licentia Poetica Subſtracta è nomine Sancti priori, *l*, litera, ut verſus ſtaret, ingeminaverat. In neutro autem inſculptum erat *Aldhelmo*, ſed *Adelmo*. Interea poſt obitum ſuum, futuræ ſuæ in *Anglia* calamitatis, & *Danitæ* depopulationis ſpiritu prophetico præſagus, utpote qui eas non ænigmatico, ſed aperto eloquio, ipſi etiam Regi prænunciavit, Sanctiſſimis Confeſſoris oſſibus metuebat. Jamque animo volutans *Danorum* avaram ſævitiam, & ſævam avaritiam, mente imaginabatur Monaſterium

rium cupiditate pecuniarum prædatum iri. Tum ne aliquis ſplendore metalli raptatus ſcrinium abriperet, avideque pretioſas cruſtas ſinibus ingerens, lignum nudatum cum oſſibus aliquorſum projiceret, id vero maximo horrori & timori erat. Quocirca diu multumque perpenſo conſilio, reverendiſſimas reliquias ereptas ſcrinio, lapideo compoſuit tumulo excitato in editum ad dextram altaris, loco cunctis in Eccleſiam intuentibus conſpicuo. Appoſuit juxta oſſa primum nitenti & delicata ſindone, deinde pretioſiſſimo cotto circumlecto phialam puriſſimo vitream balſamo plenam. Congrua profecto Pontifici aromata, qui ſemper in cœlum thurificaſſet virtutum & orationum holocauſta, ſimulque partem aſſerum ex antiquiſſimo ſarcophago, quo tota in mortalem conditionem defluxerat caro. Nec abſtinuit verſibus, forenſem ſepulchri ambitum decoravit, quorum hæc erat ſumma, ut Amatorem ſuum delictorum dignaretur venia, nec accerſeret in culpam, quod eum editiori loco depoſuiſſet, ſcire Sanctum id ſe feciſſe pro cautela, non pro contumelia. Nec eventus rerum fefellit prophetam, nec cecidit de verbis ejus quicquam in terram, quod breviter intimabo, ſi ſucceſſionem Regum quam intermiſeram continuavero.

Edgaro poſt 16 annos regni ſucceſſit *Edwardus* filius tribus annis & dimidio. Illi *Egelredus* frater ſubſtitutus 37 annis miſerabile regnum obſedit, ſubruit, peſſundedit. Cujus geſta iis inſerere ex abundanti opinor, præſertim cum alios miſeriarum ejus labyrinthos evolverim. Illud non tacebo, quod *Edgaro* mortuo, qui ſe pluribus quam ullum progenitorum ſuorum dominari jactaverat, non quod latius, ſed quod ſecurius imperitaret, res in contrarium ceſſit, ſuprema felicitas regni in præcipiti ſtetit. Summis enim, ut quidam ait, rebus diu ſtare negatum. *Danorum* ergo gens aſſueta vivere rapto totis litoribus in *Anglia* efferbuit. Jamque, ut compendio dicam, omni maritima ora depopulata, medullam mediterranei ſoli depaſcebatur, eo in indigenas inſolentior, quo à ſcientia viri Dei remotior, pars cum duce præfato *Meldunum* venerat. Ibi eo ſe, terrore quo conſueverat, acturam exiſtimans, Eccleſiam furibunda irrupit, circumductis utrinque oculis nihil quod avidæ rapacitati ſatisfaceret præter ſcrinium Sancti conſpicatur. Cætera meticuloſa Monachorum proviſio curioſo furori ſummoverat. Illud ſolum fortunæ, vel ut verius dicam, tutelæ Sancti expoſuerat, tutaretur ſi vellet; ſin minus, ludibrio ſe haberi permitteret. Id illi vaſto ore inhiantes, lymphatis greſſibus involant, quorum unus, quem improba fames argenti audaciorem feciſſet, arrepto cultello, pretioſos lapides caſſibus expedire nitebatur, jamque manum admoverat, cum graſſantem luem avaritiæ Sancti virtus feſtinata compeſcuit. Luit ergo auſum temerarium mente amiſſa, retro in pavimentum eliſus, tanquam ſi penetrabile telum cordi ſuſpiraret adactum. Pœna unius reduxit ad ſanitatem cæteros ne furarent, ne ſtreperent, ut loca Sancta intaminata relinquerent, ut fugerent. Accelerant igitur fugam per plana, per invia, gaudentes vel ſola corpora eripuiſſe diſcrimini, multorum enim militum curſu non intermiſſo, aliquid humano timore majus ſe pertuliſſe prodiderunt, dum nullus à tergo urgeret, nullus à fronte obſiſteret. Hujuſmodi fama multitudine hoſtium pervagata ſegniorem ad prædam & timidiorem ad reverentiam Sanctorum effecit, unde contigit ut, omnibus in circuitu monaſteriis depopulatis vel expilatis, iſtud ſolum nunquam adeo gravem deploraret ærumnam. Iſte Rex villam 10 manentium Cœnobio Sancti *Aldelmi* contulit ſub Abbate *Athelwerdo*, qui *Elfrico* ſucceſſerat. Stimulabant eum adhuc in regno tenellum heroes illuſtriſſimi, qui erant ſuperſtites, poſt quorum deceſſum, & in vitæ luxum, & in regni detrimentum totus emarcuit. Copia enim rerum quas reliquit pater, incitavit in laſciviam, offenſa Dei meruit iracundiam Dei, iracundia gentem adduxit in exterminium. Eſt autem ſcriptura hujuſmodi.

Univerſis

Univerſis crebro ſtudium ſophiæ intente rimantibus liquido pateſcit, quod præſentis vitæ terminus variante diverſæ calamitatis ærumna inſtare, jamque ingruere, imo terrore dignoſcitur. Ego igitur Edeldred, *Chriſti gratia opitulante, totius* Albionis Baſileus, *optimatum meorum monitu inſtructus, æterna caducis mercari cupiens, quandam ruris partem,* 10 *videlicet manentium, loco celebri, qui ab hujus patriæ peritis noto* Redburne *nuncupatur onomate, Domino noſtro* Jeſu Chriſto *ejuſque genitrici ſemper Virgini* Mariæ *in veneratione* Beati *Præſulis* Aldelmi, *qui locum ipſum uſitato vocabulo nominatum* Maldeſmeburg *fecit, ad uſus Monachorum ſub* Ethelwerdi *Abbatis regimine inibi degentium, æterna largitus ſum hæreditate* &c. *Anno Dominicæ Incarnationis* 964°. *Scripta eſt hæc Chartula poſt tranſitum ejuſdem Patris* 263°. *ſubſcripſerunt illi qui in ſuperiori charta, & cum eis* Elfricus *jam Epiſcopus, ſed &* Eſcinnus Dorceſtrenſis *Epiſcopus.*

Egelredo poſt 37 annos regni defuncto ſucceſſit *Canuto* annis 20. *Cnutoni Haroldus* filius annis 4. Ei *Ardecnut* anno uno. Illi *Edwardus* 24 annis. In his 86 annis fuerunt poſt *Ethelwerdum Kineward, Brichtelnius, Brictwoldus, Edericus, Wulſinus, Bricthwoldus,* ut ex ſcriptis *Anglicis* animadvertimus. Multa incommoda Cœnobio intulit, terras vel omnino diſtrahendo, vel parvo pretio invadendo. Sed enim excuſatur, quod magno illo *Geldo,* qui tunc *Danis* dabatur, oppreſſus, unicum inveniebat malorum remedium, quod futurorum incautus, non videbat obeſſe poſſe in poſterum. *Wulſinus* religionem Monachorum propter adventum *Danorum* multum debilitatam erexit in vigorem priſcum. Non defuerunt noſtro tempore Monachi qui eum in carne conſpicati, memoriam viri ruminare & aliis proferre dulce habebant, ex quorum narrationibus pendulus multa ejus inſignia animo indidi, ſed dicere refugio, quia minus ſuſcepto concurrunt operi. Ei *Egelwardus* annus 10 ſucceſſit; mox *Elwinus* anno & ſemis, *Brichtwoldus* huic annis 7, eum inertem ad bonum, alacrem ad malum, miſerabilem mortem obiiſſe tradit vetuſtas, in villa inter medios potationum apparatus extinctum, in Eccleſia Beati *Andreæ,* quæ magnæ adhærebat Eccleſiæ, inter prædeceſſores ſepultum. Satiſque conſtat cuſtodes loci umbris phantaſticis inquietatos, donec cadaver ſuffoſſum longe à Monaſterio paludi profundæ immerſerint, unde aliquoties teter odor emergens, ſævam vicinis exhalat *Mephitim.* Sed hæc quæ jucunda ſunt relinquentes, ad miracula, quæ hoc temporum decurſu apud Beati Confeſſoris tumulum Divinitas oſtendit, attingamur.

Dani cum in *Angliam* venire affirmaſſent, propoſitum ad ſocietatum victoriæ *Norreganos* aſcivere, utrorumque immanis barbaries, ſe *Norreganorum* cupiditas rapacior, libido infeſtior. Horum Comiti dum depopulatur omnia, puella quædam *Elfildis* nomine ceſſit in partem prædæ, honeſto apud *Anglos* loco nata, ingenui corporis & vultus. Hæc illecebrarum fomenta barbaro fuere, ut legitimo connubio repudium daret, in captivæ ſuæ nuptias intendens nervos, cujus integritatem tutari & captivitatis miſerere deberet, niſi barbarus eſſet. Quare primo, conſumptis blanditiis, renitentis & multum deprecantis pudorem prædo nocturnus invaſit & rapuit. Veruntamen non diu ſuperfuit, nec ſpe conceptæ prolis, nec longa vita poſt injuriam feminæ factam lætatus. Eo ergo defuncto, rumor ſpecioſæ *Elfildis* aures Regis terræ implevit. Ille mox, pro more gentis in feminæ cupiditatem potiendæ adhinnivit. Fit ergo ex Rege amator, ex potente cliens. Adorat per internuncios majeſtatem. Captivæ ut ſe amicum dignetur, pollicetur montes auri, amorem perpetuum; poſtremo, quæcunque poſſunt vel mulierem decipere vel captivam illicere. Omnia clam uxore, quam ne incenderet, verebatur quam maxime. Reſpondit *Elfildis* contraria, ſe aliis amoribus intentam, Deo intentam, Deo deſervire propoſuiſſe, tuliſſe illum ſuos ſecum amores, qui & vivens primitias libaſſet, & moriens conſepeliſſet. Hoc audito Rex dolens ſe mulier-

culæ

culæ fuiſſe deſpectui, vi negantem aggreditur; & quadam nocte, nihil tale metuentis amplexus ſubit violentus. Ex una conjunctione concipitur fœtus & editur maſculus contra utrorumque votum. Nam & Rex periclitari famam ſuam metuens, vellet quidem exercere placitum, ſed nollet habere fructum; & *Elfildis* Deum primo pro inceſto viri conjugati metuens, Zelotypiam Reginæ ſedulo cavebat. Veruntamen, proles, ut dixi, edita utrorumque blandiebatur oculis, ut eos ſibi conciliaret virum, ne mulierem ex ſe matrem abjiceret, præſertim corpore pulchram, genere ingenuam, conditione captivam, ſe ſolo cum quo rem haberet continenter ſobriam, mulierem ut & facti conſuetudine & filii dulcedine virum in amore reciperet. Peccatum ergo quod aſpernanter inierat libenter fovebat voluptate addita. Et ut regni notitiam falleret, apud quendam Epiſcopum terræ latibulum habebat, indeque cum libebat in uſus noctis abducebatur. Sed hæc illecebrarum gaudia proximus Regis obitus abrupit, remanſitque illa in medio cum pupillo filio. Quapropter non neſciens quantum mulierum ira in pellices audeat, in longiſſimas *Norwegæ* provincias fugæ indulſit, agente fideliter & neceſſaria miniſtrante Pontifice, cui ſoli tutelam orphani ſupremis verbis Rex obiens commiſerat. Unde factum eſt, ut cum muliebrem faſtum imperitantis optimates detrectarent, ille rem omnem ut erat non taceret. Ita decreto communi parvulus ad umbram in faſtigio Regni locatus, tutoribus omnia negotia pro arbitrio diſponentibus. Exacto autem non plus anno & dimidio, puerulus ille vocabulo magnus acerba morte vitæ ſubtractus, colus parcarum evolvit. Dicitur quod inſidiis procerum, ſed ego non aſſentior, ut illi innocenti vim mortis conſciſcerent, quem Regem creaverant. Tunc ergo, ne longam texam fabulam, *Elfildis* omni viduata conſilio in patriam receptui cecinit. Et ut tam periculoſum navigium Deus ſecundaret, vovit, ſi *Angliam* incolumis adnavigaret, nunquam ſe terreſtris animalis carnes comeſuram, nunquam niſi diebus feſtis unctiores eſcas ſumpturam. Pro Dei nutu felicem ſortita eventum, induſtriæ continebat votum, ex pecunia, quam mariti & filii liberalitate meruerat, tres villas mercata, quarum reddituſuam, ſuorumque vitam toleraret. Poſt aliquot annos, lautiore convivio in hilaritatem profuſa, convivas ad lætitiam hortabatur. Illique viciſſim ut quantulumcunque carnium ſumeret rogantes, diu caſſos expendere ſermones; veruntamen Presbyterorum qui adeſſent rogatu preſſa, promittentium orationes & miſſas, dicentiumque magnarum etiam deliciarum culpam miſſarum celebratione poſſe deleri, ſummis illa digitis neſcio quid carnium attingens ori ſuo ſenſu recuſante appoſuit, ſtatimque Divinæ ſeveritatis clemens animadverſio ſecuta. Illa valetudine quam Græce Paralyſin, id eſt reſolutionem membrorum dicunt, maſticantem perculit tam valide, ut nullum membrorum officium ſuum facere poſſet. Sola lingua inter fauces palpitabat quæ delictum diceret, veniam oraret. Præclare innocens pro lapſu temporali caſtigata eſt verbere. Cæterum ſi pœnalem commiſiſſet culpam, non habuiſſet venialem vindictam. Triennio integro tali decocta incommodo in lætitia Sanctorum circuibat loca, pulſabant ſuffragia quos celebriores miraculorum fecerat fama. Ceſſit omnis ſuperior charitas, deditque locum beatiſſimi *Aldelmi* gloriæ, ut tam illuſtri perſona curata excellentius volitaret per hominum ora. Venit ergo poſt triennium ad natale Sancti, quod octavo Kal. Junias magna Provincialium frequentia colitur. Nec morata virtus herilis in ipſa ſolennitatis vigilia orantem ad ſepulchrum attigit, reviruitque ſanitas, artuum laxa compago induruit, incolumis paralytica ſurrexit. Stupentibus & laudantibus notis, ſtrepentibus, & rem percunctantibus Monachis, lætantibus cunctis, *Elfildis* Curatori ſuo non ingrata, omnia ſua loco contulit, Sanctimonialem profeſſa vivens propter Eccleſiam manſitavit, defuncta famoſam ſepulturam in clauſtro accepit. Hoc miraculum pro claritate, ut dixi,

perſonæ & temporum vicinitate ad nos per ſucceſſiones tranſmiſſum fidem facit, multa fuiſſe quæ obſcuravit annorum injuria, quæ occuluerit ſcriptorum incuria. Eodem tempore venit ad locum quidam Monachus *Græcus*, nomine *Conſtantinus*, cæterum, unde oriundus incertum, neceſſitas an voluntas domo patriaque eliminaverit. Hic primus autor vineæ fuit, quæ in colle Monaſterio ad Aquilonem vicino ſita, plures duravit annos. Staturæ fuit habilis, moribus dulcis, colloquio affabilis, cibi ſobrius, potus parci, & pene nullius, feſtorum dierum in orationibus conſumebat ferias, cæterorum in vineæ opere totas conſumebat horas. Jam vero moriens, voce præcluſa, cum pauciſſimas animæ reliquias efflaturus æſtimaretur, reſumpſit, & lento conamine ſurrexit, tentataque pera quæ ſemper adhærebat lateri, protulit ex ea pallium, quod eſt inſigne Archiepiſcoporum, quod ſibi quantum jacens poterat, more quo ſciebat, coaptavit, continuoque violentia mortis recidens ſupremum efflavit & defecit. Quo animadverſum eſt *Archiepiſcopum* fuiſſe, ſed adhuc cognitio vacillat qua cauſa patriæ olim valefecerit. Nobis ambigua in bonum torquere licet, quod amor religionis pontificem peregrinari compulerit. Tunc igitur inter ſepulchra Abbatum in Eccleſia Sancti *Andreæ* quæ tunc erat, reverenter humatus eſt. Succeſſu vero annorum, cum neceſſitas novorum ædificiorum ipſum & cæteros antiquis deturbaſſet ſedibus, oſſa reperta candoris inſoliti & odoris gratiſſimi dederunt indicium, plebeiæ Sanctitatis non fuiſſe *Conſtantinum*. Ruricola quidam in vicinia *Melduni*, notus Monachis & urbi, peſſimo afflatus Dæmone torquebatur. In cominus aſtantes, quos contingere nequiret, dentibus frendere, propiores calce ſeu pugno impellere. In eminus poſitos ſpumas jacere, quicquid ad manum veniſſet vice tormenti rotare, furor arma ſuggerebat, ut nemo impune accederet qui non læſus abiret. Inſana præterea loquens, in ipſa ſydera jaculabatur convitia. Ex uno ore diverſæ & confuſæ voces audiebantur, ut modo ex latratu canem, modo ex mugitu bovem, nunc ex ſtridore bubonem opinareris. Cibos nec humanos, nec coctione conditos voragini ventris immergens. Sic dementia molares exacuerat, ut quodlibet oſſeum, ligneum, ferreum, facili, ut putabatur, negotio demoleret. Tum illam edacitatem & crudam indigeriem uno diſſolvens rictu, quicquid conſumpſerat, levi fumo ejiciebat. Hujuſcemodi hominis calamitate vicini commoti, conſilium ceperunt ducendi eum per loca Sanctorum, Id quo minus fieret obſiſtebat inſania, opuſque erat ut vinciretur. Res ergo erat in ancipiti, quia nec præ ferocia vinciri poterat, nullus quamlibet experti roboris vincula innectere tentaret, quin ſolo ejus niſu exterebraretur: quocirca neceſſitas invenit remedium, ut porrectis funibus, quo eum eundi tuliſſet impetus pedes impedirent, irretitus aſtutia ſuccubuit ingenio qui præſtaret robore. Nec ſic tamen quamvis illaqueato corpore coerceri nequam in mente ſpiritus potuit, quoad illi, neceſſariis paratis, ad Sanctos patientem promovere cœperunt. Obtulit ſe *Meldunum* euntibus in ipſa ſacroſanctæ Aſcenſionis Domini & Salvatoris noſtri vigilia. Ibi audito & credito quod Sanctus *Aldelmus* olim in talibus morbis curandis promptus eſſet ſubſiſtere, aditis Monachis, viam & viæ cauſam expoſuere, pollicentur illi Sancti ſuffragium, largiuntur conſilium: diem imminere, qua Dominica caro triumphali gaudio invecta ſit cœlo, datam ſpem membris omnibus ut ſequantur caput, quorum, ſcilicet, opera à fide non degeneraverint. *Aldhelmum* præcipuum Dei membrum capitis ſui præſentiam, operum merito profecto aſſecutum. Quocirca illi nihil impetratu difficile, probatum id experimentis pluribus, effundunt ergo ſupplices ad miſericordem Sanctum preces, quia proculdubio præſto ſit ille omnibus integra fide deprecantibus. Hoc animati oraculo advenæ quantum valebant homines id generis & ſcientiæ hortatibus non defuere. Nec fuiſſe agreſtum infructuoſas preces, ſanitas ægroti è veſtigio conſecuta oſtendit: namque

ante

ante altare depoſitus, mox inconditam vultus & oculorum ferociam amiſit, turbulenta illa colla in levem ſoporem depoſuit. Sic à ſervitute Diaboli emancipatus, & animi libertati redditus, cum ex lenitate verborum ſanum ſapere comprobaretur, aſſiſtentium corda in Dei & Sancti laudem extulit, ora reſolvit. Ejuſdem conditionis hominem nervi poplitum contracti in hanc miſeriam redegerant, ut omnis ambulationis uſus ſolis niteretur genibus, his ſqualentes pulvere ſemitas verrebat, ſi quando uſquam commeabat, his lutoſum ſolum evadebat; & quia crura natibus adhærebant, exhibebat quadrupedem potius quam hominem, videbaturque informe prodigium, &, ut ita dicam, carnis offa, quam immaturo fœtu projeciſſet natura; vix unquam ſe ſubrigeret cœlo, ita ſemper inferiora deſpiciens, damnatus erat ſolo. Luctabatur ergo cum anima, nec aliud ei erat vivere, quam diuturnitas miſeriæ, volvebat tamen ſedulo à quo Sanctorum opem imploraret, alias illum, alias iſtum potentem, quoſdam in effugandis dæmonibus valere, quoſdam in morbis curandis accurrere, *Chriſtum* authorem omnium in omnibus præcellere. Id enim tum præcipue rumor ferebat ut res erat, apud quendam locum, qui ſolitario vocabulo *Chriſti Stecerce*, id eſt, *Chriſti* Eccleſia, vocatur, magnas virtutes fieri. Nihil adeo moleſtum hominibus quod non ibi depelleret *Chriſtus*. Illuc igitur contractus conducto vehiculo tunc meditabatur. Itineranti pervium *Meldunum* exhibuit hoſpitium, & forte tum accidit, ut quartus à feſto dies eſſet, cum recens adhuc de virtutibus Sancti fama ferveret. Nam illa feſtivitate ſolita plures eo coacervarat miſeros neceſſitas, & ſanatos emiſerat beatiſſimi patris pietas. His debilis acceptis, in Eccleſiam interim ſeceſſit, mane futuro, ſi votum non ſucceſſiſſet, viam repetiturus. Erat tunc Sabbatum, & diluculum expectabatur Dominicum, miraque omnino Sancti virtus: mox ut Eccleſiæ lectum ſubivit, debilitate membrorum aliquatenus diſcuſſa, ſenſit neſcio quid medelæ per omnes artus concurriſſe. Hoc ille confidentior, & ad reliquum alacrior, nocturna ibi protelavit inſomnia. Jamque dies aderat, miſero, pluſquam ſperare poſſet, allatura ſubſidium. Monachis, pro more, per clauſtrum procedentibus, ille vacuum chorum eminus intuitus ſuffragio ſcabellorum ſuffragines movens eo irrepſit. Ita coram altari tota corporis ſtrage volutus, quaſi ecſtaſin paſſus oculis dormitantibus conquievit. Sed tumultu & cantu redeuntium Monachorum ſomno excuſſus in alacrem ſaltum convaluit, intuebaturque ſe intuentes, mirabaturque & ipſe de tam inopinata ſalute, narrabat ingenua fronte quare venit, ſed ignorabat quomodo tam celeriter erectus fuerit. Credita res eſt, Deoque laudes tributæ, hoſpite præſertim exaggerante miraculum, qui eum pridie ſuſcepiſſet contractum, & nunc videret erectum. Illud fuit tempus quo beatiſſimi *Audoeni Rothomagenſis* Archiepiſcopi reliquiæ in Cœnobium noſtrum evectæ ſunt. Cauſa evectionis hæc fuit. *Emma* Regina, defuncto *Egelredo* Rege, *Normanniam* ad fratrem tranſierat, nihil ſibi apud *Danos*, qui *Angliam* occupaverunt, tutum opinata. Diutine ergo in *Rothomago* manſitans, cum alios monachos Sancti *Audoeni*, tum ſecretarium loci, muneribus illexerat in amicitiam, ad hoc intendens præcipue, ut Beati Præſulis ſibi venditaret corpus, ſic enim Chriſtianitas viluit, ſic cupiditas increvit, ut Sanctorum corpora mercem faciamus, felices exuvias venum proponentes. Exhorruit primo Monachus immane facinus; poſtmodum vero adductus neceſſitate nepotis ſui, qui in *Francia* captus redemptionem deſiderabat, mercimonium quod petebatur expoſuit. Opima præda potita mulier, cum ſereniore tempore accedente rediiſſet *Angliam*, corpus reliquum *Cantuariæ* contulit, caput in ſecreto ſuo habuit. At vero poſt multos annos, cum filius ejus *Edwardus* regnum ſuſcepiſſet, memoria præteritarum rerum cor Regium in matrem excitavit. Nam quia parum in prolem liberalis fuerat, cum ipſe tenues actitaret annos, juſſit omnem maternam ſupellectilem expilari, factumque eſt

 ut

ut quidam aurifaber, qui ei à ſecretis fuiſſet, ſcrinium Sancti cum capite ſurripuit, cæteris interim ad theſauros inhiantibus. Is cum fratre Monacho, quem apud *Meldunum* habebat, depoſuit, nulli aptius quam Monacho ſacra deleganda ratus. Nec multo poſt, fato ſatisfaciens, perennem ſui memoriam loco reliquit, quem tantis gazis inſignivit. Hæc non ambiguis autoribus ſparſa acceperim, ſed eis qui viderint ætate, fide, ſcientia plurimum præſtantibus. Jam vero quod de miraculis *Audoeni* ſcribere noſtri non interſit officii, judicabit qui grandes libros de geſtis ejus majorum cura editos, meritoque ſuo notiſſimos legerit. Rependit ſanatus ſanatori gratiam tota in poſterum vita in ejus juratus militiam.

Brithwoldo Abbate, ut prædiximus, defuncto, *Hermannus* Epiſcopus vacantem Abbatiam ſede ſua implere cogitavit, ſed prævenerunt conatum ſuum Monachi, fautoribus *Godwino* & *Haraldo* Comitibus. Quorum, qui Princeps *Brithritus* ex præpoſito factus Abbas ſeptem annis glorioſiſſime Cœnobio præfuit. Sed ex comite *Normanniæ Willielmus* factus Rex *Angliæ*, *Turaldum* quendam *Fiſcannienſem* Monachum, qui eum magnis demeruerat obſequiis, viventi *Brithrico* intruſit. Veruntamen, poſtmodum rem perperam factam intelligens, dolenſque ſe ambitione feſtinantis circumventum, dono Abbatiæ de *Burhtuna* exulantis damnum conſolatus eſt. Idem *Turaldus*, dum tyrannidem in ſubjectos ageret, ad *Burh* à Rege tranſlatus eſt, Abbatiam opulentam, ſed quæ tunc à latrunculis, duce quodam *Herewardo*, infeſtaretur, quia inter paludes ſita erat. *Per ſplendorem*, inquit, *Dei, quia magis ſe agit militem quam Abbatem, inveniam ei comparem qui aſſultus ejus accipiat, ibi virtutem ſuam & militiam experiatur, ibi prælia proludat.*

Huic ſubſtitutus eſt *Warinius* de *Lira*, Monachus, vir efficax, in hoc maxime quod Monachus regulæ inſueverit, cæterum alias Eccleſiæ non multum utilis, quia majoris ſpe honoris præceps raptaretur. Quapropter, idoneus Monachorum marſupia evacuare, undecunque nummos rapere, ſed non ita cupide parta abſcondere, quinimo & circa & ultra mare res Eccleſiæ dilapidare, ut majorem locaret apud potentes gratiam, & apud eos, qui eum olim pauperem vidiſſent, compararet jactantiam. Id cum primum ad Abbatiam venit, anteceſſorum facta parvi pendens, typho quodam & nauſea Sanctorum corporum ferebatur; oſſa denique Sanctæ memoriæ *Meildulfi*, & cæterorum qui olim Abbates ibi, poſteaque in pluribus locis Antiſtites, ob reverentiam patroni ſui *Aldhelmi* ſe in loco tumulatum iri juſſiſſent, quos antiquitas veneranda in duobus lapideis crateris ex utraque parte altaris, diſpoſitis inter cujuſque oſſa ligneis intervallis, reverenter ſtatuerat. Hæc, inquam, omnia pariter conglobata velut acervum ruderum, vel ut reliquias vilium mancipiorum Eccleſiæ foribus alienavit. Et ne quid impudentiæ deeſſet, etiam Sanctum *Johannem Scotum*, quem pene pari quo Sanctum *Aldelmum* veneratione Monachi colebant, extulit: hos igitur omnes in extremo angulo Baſilicæ Sancti *Michaelis*, quam ipſe dilatari & exaltari juſſerat, inconſiderate occuli lapidibuſque præcludi præcepit. Contumeliam facti gravavit jocularis dictum convitii. *Qui modo, inquit, melius poteſt, auxilietur aliis.* O tempora! O mores! Quis digno improperio tantam proſequatur audaciam? Quanta hominis impudentia? Quod beatiſſimus *Dunſtanus*, & cæteri ſapientiſſimi & glorioſiſſimi viri vel fecerunt ipſi, vel permiſere fieri, nos nugaces & ad ludibria nati deſtruemus. Sed coercebo ſtylum, frænabo ſpiritum, quia ipſe magno in Sanctum *Aldelmum* obſequio offenſam cæterorum vel lenivit vel delevit, Cujus tamen Sanctitatis ambiguus & incertus primo fuit, quia non ejus votis ſed ad miraculorum exhibitionem famularetur; veruntamen occurrit labanti pietas Sancti, ut dubietatis nubilum deponeret, certitudinis lucem infunderet hoc facto. Quidam *Wehcæ* inſulæ indigena arte piſcandi victum tranſigebat, apud ſuos qui ejuſdem artis erant non ignobilis, honeſtam ſupellectilem domi conflaverat. Hic igitur, dum una

una dierum jam ſueto inſudaret muneri, flatu ex adverſo ſpirante, denſiſſima coorta nebula os, oculoſque remigantis opplevit. Ita proſpectu adempto, primo quidem riſit, ſubito diei caliginem cito receſſuram opinatus; ſed magis magiſque craſſeſcentibus tenebris, veram cæcitatem intelligens, miſeriam ſuam ſociis per oram litoris idem negotium agentibus clamorē pronunciavit. Illius ergo calamitas cæteris indixit piſcandi ferias, dimiſſaque præda quam ceperant omnes, uno niſu ad eum litori reſtituendum laborant. Expoſitus ripæ ad manus tractus domi ſiſtitur. Res acta materiam ſermoni dedit agreſtium. Conferunt inter ſe, & ventilant, quis fuerit ille flatus, fortuitus vel diabolicus, qui inſonti piſcatori diem eripuerit, noctem adduxerit. Ille lumine obducto ad ſingula illachrymans fortunarum ſuarum medelam indefeſſus ſciſcitabatur. Reſponſum eſt, humanum deſperari auxilium, ad Dei & Sanctorum patrocinium fugiendum. Id adeo peroportune in *Eccleſia Chriſti*, de qua ſupra dixi, poſſe fieri, quæ ab ea inſula in continentem minimo trajectu abeſt. Probato concilio, cæcus cum ſociis conſcendit lembum, quem pari moderamine niſus remorum & proſperitas ventorum continuo alteri ripæ intulit. Ibi ergo perpetuo triennio cæcus ſanitatem deſiderans trivit operam. Differebat Dominus *Jeſus* ſalutem ut irritaret ardorem, eſſetque remedium jam tandem acceptum eo gratius, quo fuiſſet dilatum diutius, & deſideratum moleſtius. Conſumpto triennio procul ambagibus monuit per ſomnium cœleſtis viſio, ut ſi cordi eſſet ſanitatem recipere, *Meldunum* non pigritaretur pergere. Ille lætæ ſpei plenus, prorumpente in lucem die, fortunatis ſucceſſibus inſtitit, comiteque prævio qui titubantes greſſus regeret, ad locum venit; ibi per ſeptem moratus dies divinum operiebatur promiſſum, interimque præcario victu Monachalis eleemoſynæ ſuſtentabat inopiam. Advenerat dies Dominicus, idemque octavus cum ille in Eccleſia Crucifixo proſtratus non ſe vana ſomniaſſe ſenſit. Sereno luminum excepto, erumpenteque & diſtillante ex oculis ſanguine, ſicut mulgentibus mulierculis ſolet ex uberibus pecudum copioſi lactis linea profluere. Laxat homo clamorem in gaudium, poſtulatoque vaſe, ne ſacrum pavimentum cruoris ſentiret injuriam, quod defluebat excepit. Factum illud coram ſenili populo, palam Monachis omnibus, magno apud *Normannos* ad honorificentiam Sancti fuit incremento; Inſulanus, contempto quo periculum oppoſitum tentabat baculo, viam expeditus regrediens, conſuetos lares repetiit. Hoc viſo, cum nihil Abbati excuſabilis cunctationis eſſet, reliquum ad colendam pretioſiſſimi Confeſſoris honorificentiam ſuæ mentis excitavit induſtriam. Quia enim temporum turbine ſedato nihil hoſtile metuebatur, viſum eſt rationi convenire ut Sanctus clauſtrum egrederetur lapidum, in quo incluſus fuerat pro timore *Danorum*. Indignumque erat ut oſſa lapis in ſolum premeret quæ miraculorum gloria in cœlum efferret. Intendebat igitur ut mauſoleo eruta locarentur in ſcrinio. Et ut res religioſa ordinatius procederet, triduanum Provincialibus indictum jejunium. Tum ipſa die Pentecoſtes, adjuncto ſibi *Serlone* Abbate *Glloceſtrienſi*, accedens ad tumulum impedimenta ſuſtulit, lapidem ſummovit, conſpectoque interius quod & oſſium conſtaret integritas, & res vera narrationi Monachorum faveret, iterum uſque in octavum recluſit diem, quo ejus expectabatur natale, Paſchalis enim lineæ varietas feſtum circumagens modo ante Pentecoſten, modo poſt celebrari compellit. Aderat ſpectaculo adjutor operis & collevator oneris Monachus, *Hubertus* nomine, antiquo intraneorum laborans incommodo. Tunc quoque ſolito gravius inhorruerat, cum curioſius inſpectantem reliquiarum flagrantia in ora reverberans retro compulit. Ex odore ſalus per oſſa cucurrit & penetratas medullas infecit. Nihil ulterius Monachus uſque ad diem ſenſit obitus quod quateret vitalia, quod turbaret viſcera: quod cum illius crebra relatione crebruerit, tum præcipue cæterorum, qui eum ſæpe antea gravedine morbi

pene anima periclitatum vidiſſent. Sequenti ergo Dominica aſcito viro venerabili *Oſmundo* [*Seresbirienſi*] Epiſcopo, cœptæ rei manus ſuprema impoſita, oſſa in ſcrinio decenter immiſſa, lætitia plebi effuſa. Ex quo die tot ibi facta miracula quot ſcribendis nulla facultas eloquii ſuppeteret, quæ vel ſub oculis ſunt fuſa, vel privatis neceſſitatibus ſenſa, quorum hîc ſub ope *Chriſti* aliqua ponemus, quantum operi ſuſcepto congruere videbimus: facta eſt autem hæc ſecunda tranſlatio poſtquam à Beato *Dunſtano* reconditus fuerat anno nonageſimo ſecundo, poſt tranſitum ejus treceteſimo ſexageſimo nono, ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo octavo, poſt adventum *Normannorum* 13°.

Colonia eſt civitas maxima, totius Metropolis *Germaniæ*, conferta mercimoniis, referta Sanctorum patrociniis. Hujus urbis civis infortunio magis quam induſtria fratricidii reus, multis annis occuluit factum, quod eſſet clam hominibus. Sed enim, ut *Auguſtinus* ait, *Mens mali conſcia ipſa ſibi tormentum eſt, anticipatque vivens mortuorum ſupplicia.* Depaſcebatur ergo miſerum animum labes reatus, & præſentes imaginabatur inferos. Quapropter tandem aliquando exulceratæ conſcientiæ vulnera detexit medico *Annoni* ejuſdem urbis Archiepiſcopo, viro in primis ſevero, qui, cùm in reum quantum atrocitas facti exigebat, invectus eſt, lenes admonitiones adjecit. Præclare & Evangelico exemplo, ut primum vinum vulnerato infunderet, quo purulentos receſſus ablueret, deinde oleum adjiceret, ut ſpe remiſſionis peccatorum leniret. Septenam ergo pœnitentiam indixit, ut Sanctorum Eccleſias circuiret, ferro brachia veſtiret, quæ parricidiali auſu cognatum hauſerat ſanguinem, ut quæ fuerat autori ad culpam, eſſet punitrix ad pœnam, inediæ & taciturnitati aſſueſceret, ſpe boni graves labores falleret, duraret ergo, futurum olim ad gloriam quod interim præſumebat ad veniam. Facit imperata pœnitens, cruces præterea nonnullas adjiciens, quadamque hoſtilitate vim corpori ſuo ipſe conſciſcens *Romam* adiit, *Hieroſolymam* penetravit. Magnum & inſigne tunc temporis facinus aggreſſus, quia nondum ſemitas illas Chriſtianorum noſtrorum virtus pervias fecerat. Ibi dum vix admiſſus ante ſepulchrum oraret, lorica in fragmenta Dei virtute diſſiluit, regrediens totam circuivit *Europam* multis periculis terra marique jactatus. Laborum meta fuit cœnobium noſtrum expetitum. Eo loci dum pronus ante beatum Confeſſoris Mauſoleum jaceret, veniam emeruit. Pulſabat violentia orationis cœlum, intravit ſydera, traxit a ſuperis auxilium, vincula brachiorum evoluta ſunt, ferrum altius excuſſum & longius 15 pedibus projectum, pœnitens anima languente æſtuavit. Sed ubi latice aſperſus frigido [vires] reſumpſit, Deo laudes, Deo gratias, omnibus qui aderant concinentibus, perſolvit. Nec vero de miraculo dubitare poterant, cum eum antea multis diebus ſtipe Monachorum paſtum, & diriſſime vinculatum noſſent. Interea patientia lectorum turbari non debebit, ſi uniforme miraculum in diverſa perſona exhibitum diverſi ſtyli tenore apponam. Recenter factam ſanitatem in claudo, qui eſſet ætatis provectæ, deſcripſi, nunc idem ſubjiciam de puero. *Folkwinus* puſioni nomen, quem imperfectum alvus materna effuderat. A ſuperiori parte ad ſingulum homo, cætera vel quadrupes, vel, neſcio quid enuntiem, erat, Suræ crurum flexibilitatem naturalem negantes ita pertinaciter adhærebant natibus, ut divelli nequirent. Denique quidam, quos aut livor aut incredulitas agitabat, manus immittebant ut dividua facerent, quo miſerum puerulum ingenti afficiebant incommodo, qui horrendos ſtridores ejiciens, ſæva pulſatoribus imprecabatur, videbant enim innocentem curis vacuum, cachinnis & ludorum frequentiæ inhiare, hærebantque incerto an Pædagogi documento contractionem fingere noſſet, ut eo commento majuſculam ſtipem miſerantibus detraheret. Veruntamen, cum, ut dixi, fuiſſet irrita tentatio, credulitati & miſerationi aliorum acceſſerunt. Addiderat ille ad duo luſtra vel tres

vel

vel quatuor annos, quanto ætate provectior, tanto obſtinatius rigeſcentibus nervis ambulandi impotentior; maximeque urbicis, nam apud *Meldunum* paſcebatur à Monachis, miſerationem movebat. Quod ſi quolibet reptare intenderet, luto viarum crura impeditus loco hæreret, palpitabatque in cœno, & replebat auras queſtibus, quoad aliquis miſeratione infractus miſerum ulnis efferret. Hanc inviſi rigoris compagem *Aldelmus* poſt duos annos revelationis ſecundæ diſſolvit. Jacebat in natali ejus, quod die primo Pentecoſtes fuerat, ſed procraſtinatum ſervitium die ſecundo fiebat; jacebat, inquam, puer retro chorum, levemque carpebat per membra ſoporem. Monachi nocturnis expeditis, laudes matutinas ingreſſi fuerant. Cantabatur verſus ad ſacrum ejus tumulum frequenter m l. m°. ſ. q m. f. g. reſtituuntur, videt interim ille perſonam ſibi clementer aſſidentem, quæ nec ſtaturam juſtam excederet, & minimos ſuper excelleret, mento & crine cano, vultu qui nihil minaretur aſperum, ſed polliceretur commodum, veſtitu & baculo qui Pontificem ſimularet. Hæc igitur, ut dixi, aſſidens, cruſcula videbatur leviter palpata ſenſim indirectum ducere & naturæ reſtituere, & pulchrum in modum cernebatur ab aſtantibus dormitans crura extendere, audiebantur nervi crepitare ſicut tumultuantur digitorum juncturæ, quando aliquis manus ſuas violentius conatur protendere. Miraculo ergo, vocibus Monachorum conſono, ſomno excitatus, in pedes *Folkwinus* conſtitit, facile conatu, mirabile niſu: continuoque lætitia puerili, conſtantia virili curſu incœpto ante altare procumbit. Tum populus miraculo plaudens certatim accurrere, oblationes ſanato conferre, Sancto accumulare. Hoc ſignum tantum habuit miraculi, ut Abbati qui abſens *in curia Regis* eſſet, literis citatis illud ingererent monachi. Quas, cum ille *Lanfranco* Archiepiſcopo monſtrandas putaſſet, vir illuſtris ſcientiæ merita conſeſſoris ex prodigio metiens, legem in totam promulgavit Angliam, qua eum incunctanter haberi & coli pro Sancto præciperet. Statimque annuales ad feſtum ejus inſtitutæ ſunt nundinæ, ut quos non invitabat Conſeſſoris ſanctitas, vel mercium advocaret aviditas.

Illud fuit tempus quo vir reverendiſſimæ vitæ *Oſmundus* ejuſdem Diœceſis Epiſcopus, reliquias Sancti flagitabat, decere putans & prædicans, ut probatiſſimi Anteceſſoris communicaret exuviis, fructuoſum id ſibi, gratum Sancto, qui parvo integritatis ſuæ diſpendio novos honores, magnos favores mercaretur. Sed nec Abbas *Warinus* difficilis fuit impetratu, qui ſe ad conſentiendum ratione duci videret: datum itaque Præſuli os brachii ſiniſtri, quod ille maximo ſemper habuit & amori & honori, denique opera ſumptuoſa & arte ſtudioſa thecam paravit argenteam, qua illud induceret. Aderat dies omnium Sanctorum operi deſtinatus, cum inter agendum memoriam Præſulis ſubivit Archidiaconi ſui *Edwardi* valetudo, qua ille medullitus decoctus decumbebat, mandatum igitur viro ut ſe quolibet ingenio ad Eccleſiam promoveri faceret. Paret æger, locumque adit, famulis in Dominum ut in corpus exanime ſuccollantibus. Neque enim ipſe per ſe vel pedem, vel quodlibet membrum præter linguam naturaliter poſſet movere obſequio. Pallorem vultus & debilitatem corporis totius perſpiciens Epiſcopus, nonnihil à ſpe ſanitatis ejus defecit. Sed mox ad cor regreſſus præteritarum virtutum fomite fidei rapuit flammam. Quin & in pectus ægroti adhortationibus ſuis credulitatis ſcintillas excuſſit, ne dubitaret ſe Sancti virtute poſſe ſanari. Effectus ergo rei addidit robur fidei, & utrique ſtudiis ſuis convenientem exitum ſortiti ſunt. Alter ſacrati oſſis intinctu conditum porrigendo laticem, alter cum potu pariter glutiendo ſalutem. Quæ, ut ambiguitate carens teſtatior eſſet, ad eandem Miſſam ſuper hallelujah cantitantes vocale organum, qua excellebat arte, inſonuit, non impar ſocrui *Petri*, quæ Domino Salvatori exhibuit ſedulitatem obſequii, niſi quod illa precibus aliorum ſanitatem meruit, iſte

iſte fide ſua exigebat. Ejuſdem antiſtitis alter erat Archidiaconus *Hubaldus*, vir qui liberalium artium non exiguum experimentum cepiſſet, ſed pro titubantia oris parum eas audientibus expediret. Hic familiarem clientelam Sancto devoverat, quod quondam *Melduni*, in feſtivitate poſitus, ejus opera de gravi morbo ſanatus fuerat. Namque cum infeſto colli & ſcapularum dolore premeretur, qui ſomnum negaret, cibum ſubtraheret, ſolo tactu feretri, quod cernuus ſubierat, ſanitatem, ut ſic loquar, furatus eſt. Hunc enim morem frequentant æditui, ut poſt proceſſionem, ita ex tranſverſo valuarum coaptent ſcrinium, ut niſi humiliato corpore, nullus patentem invadat ingreſſum. Ibi quiſquis fide plenus acceſſerit, quodcunque optat, rapit, nec fere unquam aliquis exors voti recedit. Certat audax fides offerentium, ut pro uno nummo vel obolo, fœneretur apud Sanctum multorum ſummam votorum. Idem ergo Archidiaconus *Hubaldus Salesbiriæ* manens, eadem qua ſuperius ægritudinis moleſtia ingemiſcebat, exceſſeratque antiquas metas dolor, ut non ſolum collum & ſcapulas, ſed & brachium uſque ad extremitatem unguium tam pertinaciter urgeret, ut nec manum ad os ducere, nec cuilibet uſui aptare prævaleret. Erat tunc dies Aſcenſionis, quo per totam Chriſtianitatem paratur proceſſio accurate ſolennis. Proferuntur reliquiæ ex conditoriis, ſtatuitur brachium beatiſſimi *Aldelmi* ferendum cum cæteris, viſio brachii oſcitantem Archidiaconi roboravit fidem, dormitantem revocavit memoriam, ut ejuſdem cujus quondam merito ſe liberandum ab eodem confideret incommodo. Epiſcopum ergo ſupplicibus ambivit precibus, ut eſſet per proceſſionem lator brachii, quamvis id parum ſui intereſſet officii. Credere ſe quod piæ ſarcinæ vectatio ad promerendam ſalutem magno accederet emolumento. Ille tantæ fidei gratulans, ſimulque magnopere ſanitatem deſiderans, qui & ejus neceſſarius, & non perfunctorie, ut dixi, eſſet literatus, ſua manu de altari ſublatum, illi commiſit bajulandum. Incredibile fortaſſis videatur quod dicturus ſum, niſi nobis in talibus *Aldelmi* operibus aſſuetis. Statim quippe ut Archidiaconus infirmæ manus digitos ad contingendas reliquias aptaſſet, dolor brachii diffugit, gravedo ſcapularum evanuit, maleſana ſuperbia colli reſedit. Jamque dicturientem, jamque in vocem geſtientem prævenit interrogatio Epiſcopi, quid ita vultu renideret? Reſpondit *Hubaldus*. Favorabilia quantum illa permittebat lætitia, diu in laudes effuſus, diu in præconium Sancti moratus. Hæc ſunt *Aldelmi* opera quotidiana, hæc ſunt virtutum ejus proludia. Quæ ſi parva, quis dixerit? ſic quoque laudabilis patris noſtri pietas apparebit, quem videmus non faſtidientem in minimis, cum ſciamus eum potentem in maximis. Quanquam haud ſcio, an inferioris virtutis ſit quotidie exhibere facilia, quam ſemel oſtendere prægrandia. Defuncto Abbati *Guarino* ſucceſſit ſtatim ad 15 dies *Godefridus*, qui fuerat *Gemetecenſis* Monachus, ejus tempore & induſtria multum adolevit honos Eccleſiæ; aucta Religio, ornamenta facta perplurima, quatenus tantulæ facultatis homo tam occupato tempore poterat, libri conſcripti nonnulli, vel potius bibliothecæ primitiæ libatæ.

Quod ſtudium ſi prædico, videor id quodam meo proprio jure facere, qui nullis majoribus, in hoc præſertim loco ceſſerim, imo, niſi quod dico jactantia ſit, cunctos facile ſupergreſſus ſim. Sit qui modo parta conſervet, ego ad legendum multa congeſſi, probitatem prædicandi viri in hoc duntaxat æmulatus. Ipſius ergo laudabili cœpto pro virili portione non defui, utinam ſit qui labores noſtros foveat! Monachi, qui vulgares tantum literas balbutiebant, perfecte informati, ſervitium Dei inſtitutum liberaliter, actitatum inſtanter; adeo ut monaſteriorum nullum per Angliam *Malmesberienſi* excelleret, multaque cederent. Aderat ipſe in primis, diſcedebat cum ultimis, civilitate demulcens bonos, auſteritate territans reos. Ad iram pronus, ſed quam dulci reſponſione compeſcere vel frangere ſtatim poſſet,

ipſe

ipſe qui excitaſſet, frugalitate ſobrius, & ut dicebatur nimius, ut qui ſæpe quantum ad ſe uno contentus ferculo, non temere niſi ſemel inter prandium & cœnam biberet. Lautitiarum appetentiſſimus, ut qui nihil niſi exquiſitiſſime accuratum menſæ ſuæ inferri pateretur, integerrimi poſt Abbatiam cœlibatus, antea nonnulla infamia reſperſus, uno & ipſo immani commiſſo infamis. Nam cum *Willielmus* Rex junior importabile tributum indixiſſet Angliæ, quò *Normanniam* à fratre *Roberto* intendebat emere, *Godefridus* ut ſuam partem ex facili componeret, theſauros Eccleſiæ, quos antiquorum cura coacervarat, fœde diſtraxit, peſſimorum uſus conſilio, quos nominare poſſem, ſi peccantium ſocietas crimen alleviare poſſet magiſtri. Enimvero *facinus quod inquinat, æquat*: denique die uno 12 textus Evangeliorum, 8 Cruces, 8 Scrinia argento & auro nudata & excruſtata ſunt. Sed pulchre contigit quod penuria cupiditatem fruſtrata, non ſufficit voluntati. Quippe quod non plus quam 72 Marcæ repertæ. At vero nocte ſequenti viſus eſt videre hominem terrifico vultu & geſtu in ſe impetum facere, & aquam præfervidam cum urceo in facie jacere. Quo terrore ſomno excuſſus, brevi conſecuta poena, veritatem ſomnii præſenſit. Siquidem primo faciem, mox totum corpus morbo nefando, morbo Regio correptus extabuit, non illo qui mitior, ſed illo qui cæteris deformior, puſtulis per totum corpus protuberantibus, ex humorum peſſima Melancholia procedit, familiari & omnibus conſueta Sancti conſuetudine ut diu quidem injurias portet, ſed cum ſemel decreverit non portare injuriatorem ſuum, toti mundo ſpectaculum exponat. Id in multis factum viſimus, in multis faciendum anhelante ſpe præſumimus. In defuncti corpore inventus eſt circulus æreus qui totum ventrem ambierat, jamque cute ſuperducta, vitalia ipſa penetraverat, qui cum pro miraculo efferretur populo, proceſſit Monachus qui fuerat à ſecretis, dicens ferreum circulum eodem modo impactum, non multo ante virtute divina effractum, quapropter, æreum appoſitum, ut ſi venter protenderet ultra modum ſolitum, non eſſet voluptas, ſed ſupplicium; ſe ſacramento aſtrictum ne proderet quamdiu ille vitalibus auris frueretur, ſed quia nihil tam bene fit quod verbis depravari non poſſit, quidam illud malignis verſibus carpſit ita.

Mortificare decet vitiis carnalia membra,
Non decet ut ferro mortificentur ea.
Hunc naturali decuiſſet morte reſolvi,
Quam qui prævenit, eſt homicida ſui.

Cui totidem verſus reſponderi poteſt.

Immo decet quocunque modo cohibere cadauer,
Hoc exempla decent, hoc tenet alma fides.
Nec voluit ferro propriam conſciſcere mortem,
Terrea ſed vitiis ponere fræna ſuis.

Hujus Abbatis diebus non ita cavit à miraculis Confeſſor pretioſus, imo eo magis, ut videbatur, coruſcabat, quo illius favorabili arridebat gaudio vir induſtrius. Quorum duo, quæ ponam, meam anticipaverunt memoriam, cætera & vidi, & vidiſſe juvat. In vicino mulier commanebat, quam non ita natales ſordidaverant ut penitus plebeia eſſet, nec ita extulerant, ut altum ſaperet, ſed mediocris ſanguinis fortuna mediocrem quoque ſupellectilem miniſtrabat. Ea poſt emenſos pubertatis annos parilem ſortita jugalem ſedula viri conciliabat amorem morum æqualitate, facie non aſpernabili, fœcunditate alvi; delectabat eos mediocritas, nec quicquam erat quod plus cuperent, quibus adeſſet & concordia mentium & ſanitas

 corporum,

corporum, tum porro affluentia victualium. Sed, ut fere ſemper fit in rebus mortalium, interpolavit illa gaudia ægritudo feminæ, quæ contractis in toto corpore nervis primo per domum teſtudineo gradu repens, mox lecto prona decubuit. Hoc morbo decocta quinquennio quicquid neceſſariorum domum corraſiſſe videbatur, vel in ſtipem, vel in medicos conſumpſit. Cumque frequentem exhauſtionem nulla ſuppleret adjectio ad inopiam etiam diurni panis domus quondam accurata defecit. Quocirco fames advena veteribus deturbatis colonis novos induxit, dedit ergo repudium feminæ maritus infidus & transfuga conjugalis affectus, qui vilem haberet fidem, parum penderet annorum conſuetudinem. Ita illo migrante & fœdo mercimonio domos ſuas cauſa ſibi oppignorante, aliena ſuſtentabatur miſericordia mulier ægra. At vero Dominus clementi eam tandem reſpectans oculo, tali per viſum confortavit oraculo. Si vis ſanitatem recipere, vade ad *Meldunenſe* Monaſterium, ibi per Sancti *Aldelmi* merita quod petieris, impetrabis. Illa vocem auditam cujus autorem non vidiſſet ad omen bonum interpretata, excuſſit ſoporem, agilique motu membrorum multum priori gravedini deceſſiſſe gaviſa eſt, tentatoque per ambitum domus greſſu, ſed parum promovente, carpento imponitur ad Abbatiam trahenda. Illuc ergo paucis diebus ante feſtum venit in ſpe bona erecto animo, moxque quamlibet confertam perrumpens multitudinem, & ante altare cubitans perfectam ſanitatem à Sancto repoſcebat, cujus & ſponſionem ex ſomnio & arras ex membrorum motu acceperat. Nec illi precum violentia & inconditus clamor fuit fraudi, ſed apud homines laudi, apud Deum & Sanctum celeri & integræ ſaluti. Qua potita, tot habuit non ſimulati [miraculi] teſtes quot fuerunt vel è vicino cives, vel longinquo agreſtes. Ea poſtmodum feliciter & diu vivens legalis judicio placiti deſertorem connubii in amplexus ſuos tranſduxit, libens quoque ille legem accepit, quod uxor nulla unquam penuria, nulla cujuſlibet petulantis inſtantia pudicitiam prodidiſſe audiebatur. Ejuſdem imo gravioris contractionis miſeriam patiebatur citra nubiles annos puella *Pukelicerce*, quæ dicitur villæ indigena; ſiquidem ſpinam curvata dorſi genas pene in genibus habebat. Tum præterea genua flexa quaſi in conum in ſcabellis ut plures id genus debiles repere, nec quoque niſi alterius manibus ſubvectaretur, progredi poterat. Sextus erat ægritudinis, duodecimus ætatis annus; accreverat cum ætate debilitas, dimidiaverantque dies puellæ ſalus & incommoditas. Tum frater qui ei eſſet uterinus germanæ infelicitatis miſeratus, cui cumulus inopiæ neceſſariorum addebat pondus, vehiculo impoſitam ad *Meldunum* adduxit. Id ſemel, id ſecundo, ſicut ſe annuus orbis torquebat ad feſtum, fruſtra fecit, nam illa & primo & ſecundo expers ſanitatis, exors petiti muneris, remeavit; non quod pietas Sancti ſegnis fuerit, qui omnibus ſe cum fide appellantibus prompta facilitate accurrit. Sed credo, ſeu quod deferentium credulitas titubaverit, fides friguerit, illa enim ætas quid credere, quid diſcredere noſcet, ſeu ut miraculum de puſiola teſtatius vulgo eſſet, quam toties advectam, toties revectam urbs ignorare nequiret. Tertio igitur anno attracta tertio quoque precum inſtantiam inaniter expendit. Quapropter, cum tædium & infidelitas fratrem effugaſset, remanſit illa ad Dominicam Aſſcenſionem, quæ tertio die feſtum noſtrum exceptura erat. Advenerat ergo dies Domini Jeſu triumpho ſolennis, in qua vel ſæpe vel ſemper aliquid egregii operari non renuit patronus inſignis, nam tunc ſcrinium effertur in populum & occluduntur fores, ut dixi, ne quis ingrediatur Eccleſiam, niſi ſub eo humiliaverit dorſi ſpinam. Ita pro more bajulantium obſequio exierat Eccleſiam corpus, ſed remanſit cum infirma munificus & ſanitatis largitor ſpiritus, jacebat illa ante Crucifixum ſolo æquata, hauriebat auribus lætos euntium ſtrepitus, eo quod magis pectus ſuccutiebat fletibus alienum gaudium, geminabat illi dolorem ſuum; confeſtim ergo divino

divino medicamine tacta ſurrexit, & devoluto genuum rigore, erecto tergi ſinuamine obviam gratias actura Sancto redeunti proſiluit. Quis referat quot fuerint plauſus lætantium, quot voces atteſtantium? Ego vidi, cognovi iſta, illa contracta modo ſanatur. Sed minus eſt audita depromere, niſi ſtudeat & ſtylus ea apponere quæ nobis donavit Deus videre. Quod cum fecero, nihil minus lector, ſi æquus arbiter eſt, nec ſtudiis partium agitur, credere debebit, quam ſibi credi velit, ſi aliquid inſigne diebus ſuis factum vel ſcripto vel verbo narraverit. Nec vero, ut puto, quiſquam dicet me vel oculis meis non debuiſſe credere, vel viſa pro Dei laude non debuiſſe ſcribere. Illud enim fatui & increduli, iſtud ſuperbi & ingrati eſſet. Videor ſane compatriotis Sanctis non modicam præſtitiſſe gratiam, ſed & Dominum & Patronum meum non inhonorum reliquiſſe, qui me hactenus & vita, ut poſſem, & ſcientia, ut noſcam eum laudare, dignatus eſt, vir plane multarum virtutum laudandus inſignibus, quem antiqua philoſophia votis ſuis æquare non potuit. Denique minus fuit quod illa faciendum docuit, quam quod iſte geſſit; majorque ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides, cujus viventis quæ fuerit in Deum Devotio teſtantur poſt obitum facta miracula, quorum ut crederem veritati exegerunt ipſa quæ vidi. Merentur enim de præſentibus fidem facta præterita, & confirmant antiquorum relationem ſigna recentia. Producatur ergo in medium *Ernulfus* de *Heſdinge*, vir inter optimates Angliæ opinatiſſimus, mirus ad agriculturæ ſolertiam, mirus ad munifice ſublevandam pauperum inopiam, decimarum ita curioſus, ut ſi horreum non decimatum jam intaxatum eſſet, omnia ejici & cunctanter decimari juberet, expertus non ſemel eo ſibi per divinam gratiam ruſticos proventus augeri, quo ſtuduiſſet nullam fraudem decimationi fieri. Hujus manus peſſimo gravabantur morbo, adeo ut præter ulcera nigra ſanie ſtillantia, tremulo ſinuamine rotarentur nervi. Nec ergo eas poterat ad aliquod officium ducere, nec, quod dictu quoque pudendum ſit, earum uſu ciborum reliquias abſtergere. Sua ergo penuria cibabatur, ſua verecundia diluebatur manu aliena. Inſumpſit quocirca conſilium ut *Meldunum* pergeret, expecturus ibi tunc cujuſdam *Gregorii* probatiſſimi Medici operam, qui cum omnes artis machinas pro præcepto Abbatis *Godefridi* ſimul & favore hominis mercando incaſſum adhibuiſſet, tandem ſatis relinquendum dixit morbum incurabilem, boni viri functus officio, ne infirmum inhiantem ſaluti fruſtra donis emungeret, pecuniis exinaniret. At vero Abbas aliquid de miraculis Sancti tentandum ratus, balſamum quod in ſepulchro inventum fuerat afferri, & ei manus inungi imperavit. Quam ſpecioſa res ſtatim ut pretioſi liquoris gutta manum attigit, nervorum tremor riguit, fluida tabes exaruit, & ne longum faciam, pauciſſimis poſt diebus totus convaluit. Satiſque conſtat illuſtri viro per hoc miraculum devotionem accreviſſe, adeo ut deſpecto affectu neceſſitudinum, deſputo cumulo divitiarum, *Hieroſolymam* deſperato reditu profectus ſit: inter religioſorum multitudinem ad feſtum viventium, nebulonum quoque ſe immergit copia, qui facili compendio victum mercantur, dum excogitatis ſalibus audientium cachinnos eliciunt, quorum unus, me puero, illuc venerat præter cæteros ludo mordente facetus, obſcœnos quoque geſtus imitari peritus, ſi quando verbis minus agentibus deſtitueretur. Hic beati ſcrinio foras portato, impudens, quod importunum etiam relatu eſt, contra ſtetit. Primoque nudato inguine, inceſtavit aera, tum [deinde] crepitu ventris emiſſo turbavit auras. Id quanquam fatuis riſum imperaſſet, monachis tamen in immanem dolorem venit, qui dolerent impune nebulonem garrire. Enimvero illic vindictam imprecantibus, vicina non defuit auris Confeſſoris; vix enim veſtes demiſerat, & ecce coram populo, violento compreſſus dæmone pœnas impudentiæ pendebat. Ita rotabatur in gyrum, ita ſpumabat in modum ſuis, quem latratus canum circumagit,

cumagit, ita crepitantibus frendebat molaribus, ut palam fieret quod in illius ditionem tranſiſſet, cujus inſtinctu tantum ſcelus incœptaſſet. Quare à ſociis pie violentis correptus, ad manus vellet nollet domum tractus eſt. Ibi ad poſtem ligatus dum aliquid quietius meditari putaretur, ex improviſo erupit ſuper convivas prandentes, menſam depulit, aliquos pugnis contundit, aliquos telis excerebravit, omnes effugavit, vaſis quæ appoſita erant pro armis uſus. At vero ſocii, qui miſerum non relinquendum putarent, in cuneum conſtrictum ad ſepulchrum pertrahunt. Ibi tribus vigilatis noctibus, totidemque jejunatis diebus, Monachis ſupplicantibus & gemitibus ſuis alienam ſalutem mercantibus, ſanatus eſt, non ſolum dæmone, ſed quod præſtantius dicas, loquacitate, perpetuo poſthæc modeſtus & lenis, veruntamen oculis fellitis & minacibus, quorumque ſanguinea intorſione nos pueros ſemper territaret, recordantes quod ante ſanitatem ſedens ad ſepulchrum vultu nitenti in eos faciebat impetum, ſi aliud nequiret, immundum ejectans ſputum. Mulier apud *Kiligeham* nata nebat die Sabbati veſpere, jam in occiduum declivi, admonita à confidentibus ut reverentiam Dominicæ diei habens ferias faceret: non ſolum non paruit, ſed etiam illas arrogantiæ notavit, quod ſe neceſſariis inſervientem arguerent & ſtultæ ſegnitiei quod non idem facerent. Dictum ſecuta eſt pœna, continuoque in ſolum proſtrata altera corporis parte præmortua, minimum defuit quin exanimaretur: ſed ubi frequenti aquæ jactu ſpiritum reſumpſit, agnovit culpam, deflevit ærumnam, oravit veniam. Veruntamen non ſic facile indulgentiam rapimus ut reatum committimus, quia voluptas quidem avolat & tranſit, ſed peccatum pertinacem radicem infigit. Quocirca, femina baculis utroque latere ſuſtentans greſſus, in imo cadavere jam pene ſepulto multorum Sanctorum patrocinia annis perpluribus circuivit. Sed cum ut ſibi videbatur, ubique laborem inanem triviſſet, tandem auditis miraculis Beati *Aldhelmi Meldunum* contendit, prævenit adventus ejus dies decem, quibus totis in Eccleſia commanens, nec uſquam niſi ſemel in die progrediens, molem peccatorum attenuebat inedia. Jam Paſchalis lætitiæ favor mentes mortalium hilaraverat, jamque ſecundo die peregrinos agebamus, cantabatur ille verſus quo *Fulbertus Carnotenſis* Epiſcopus pulcherrima disjuncta *Judæos* convenerat, ut aut ſepulchrum reddant Chriſtum, aut ſurgentem adorent. Cum illa ante Crucifixum baculis innixa ſtans gravi præter ſolitum ad terram ruina pavimentum alliſit. Accurrere plerique volentes proſtratam erigere, quod vererentur ne caſus importunus paralyticæ membra fregiſſet. Cæteri quibus ſanius conſilium erat prohibuere, dicentes, exitum rei Deo, qui probe diſpenſandum noſſet, commendandam. Surſum ergo cordibus erectis intenti ora tenebant omnes, cum illa ſcintillantibus oculis, mirantibus digitis, omni corpore ſurrexit incolumis. Quæ miraculi certitudo civium, qui eam pro diuturnitate convictus integre noſſent, in laudem Dei & Confeſſoris ora laxavit. *Calna* eſt vicus *Melduno* ad 10 miliaria proximus, territoriis *Abbatiæ* & vici collimitantibus, hujus indigena vir vocalis officii expers, eodem anno, ſi bene teneo, ad feſtum venit, regioni ob inſigne calamitatis notiſſimus, multiſque probatus experimentis, quod eſſet vere mutus; ſiquidem præſes provinciæ hominem tormentis pluſquam ſemel adegerat, ut vi extorta confeſſio, quod ſimulatum eſſet, in veritatem efferret. Sæve quidem ille, ſed ſeveritatem exigebat quorundam miſerorum ſimulatio, qui ad Dei & hominum ludibrium quemlibet effingunt morbum, ut hoc figmento emendicatis nummulis laſciviam impleant ventris. Edebat ergo ille inter ſupplicia rugitus miſerabiles, & ſpiritu conturbato, qualem Dominus diligit, finem ærumnarum optabat. Quamvis igitur lingua inefficax, intellectu tamen perſpicax, frequentiæ populari ad feſtum feſtinanti ſe immiſcuit. Et primo quidem, ante majus altare ſoli videre datum Pontificem juxta baſin altaris ſpatiantem, conniventis vultus

tus lætitia Monachos cantantes perſtringere. Quod ille cernens, cæteris quorum viſus perſpicuitatem moles peccatorum obruerat, digitorum nutu & immani oris rictu oſtendere nitebatur. Sed cum verborum effectus loqui volentem fraudaret, nec illi divini eſſent ut intelligerent, ſicut indignabundus in cryptam quæ tunc erat novi operis, ſe proripuit. Ibi cum idem videret, magnoque conatu in ſermonem geſtiret, Monachus qui aderat aliquid divinum præſagiens, digitos brachii Beati *Aldelmi* ori clamantis immerſit. Tunc vero ille pro Sanctorum digitorum reverentia longe reductis dentibus, productis ab imo ſuſpiriis, ingenti niſu fruſtulentam offam carnis cum ſanguine pariter ejecit, & vocem, Domine Sancte *Aldelme* adjuva me. Illa vox expedito ex tunc & deinceps ſermone felix dedit auſpicium, aliquantoſque poſtea duravit annos inoffenſe locutus, niſi quod per anguſtum meatum faucium rauciori ſono modulabatur organum. Ejuſdem vici non indigena ſed incola, femina lucis inops, poſtero anno in ſolennitate patris *Aldhelmi*, lumen per duos & viginti annos amiſſum recepit, cauſam cæcitatis, quia neſcio, nolo contexere, cavens loquacitate me legentium fidem fallere. Hoc conſtat, quia cum ante Crucifixum ſtaret flavo crine in tergo ſoluto ſpectabilis, ſed tenebris oculorum deformis, crebris punctionibus orbes luce vidui cœpere moveri. Quibus mulier irritata, primo leni fricatione cruorem emiſit, ſed, cum majori pruritui atrociore unguium injuria ſatisfaceret, copioſiori profluente; unde poſtulata cruorem excepit concha. Ita expeditis obſtaculis concavitatem feneſtrarum ſerenum illuſtravit luminis. Tunc affines, veraciſſimi qui adeſſent homines, & plauſere miraculo, & uſque nunc eam ſtipendiario ſuſtentant commodo. Illa ſanctioris habitus profeſſa velamen nulla fraudatur viſus diſpendio, niſi quantum provectior ætas accedit ſenio; vivit ad hunc qui iſta ſcriptitamus annum, qui eſt ab incarnatione Domini Milleſimus, centeſimus, viceſcimus quintus, à tranſlatu ſanctiſſimi Confeſſoris quadringenteſimus 16. in regno *Henrici* Regis 25. falſariorum qui monetam corruperant per totam *Angliam* detruncatione notabilis, propter eandem perinde falſitatem annonæ charitate, & edaci fame, tum præterea indiſcreta vulgi clade infamis, eminentiſſimorum virorum mortibus funeſtus, præſertim *Calixti* Papæ & 5 *Henrici* Imperatoris *Alemaniæ*, quibus nulli unquam præſtantiores fuerant in officiis, utriſque tonitribus & fulminibus per omnes menſes infeſtus, imbrium continuatione nullo pene intermiſſo die, æſtivis etiam menſibus pluvius & luteus.

FINIS.

HISTORIA
RAMESIENSIS
SIVE
LIBER
DE FUNDATIONE ET BENEFACTORIBUS
COENOBII RAMESIENSIS.

Ex Cod. MS. qui ſervatur in Regio Scaccario Weſtmonaſterii,
à parte Rememoratoris, Anno CIƆDLXXXIX.

Chronicon, ſive Liber de Benefactoribus Eccleſiæ Rameſienſis.

Omittitur Præfatio.

Caput I.

De ſitu Inſulæ quæ Rameſia *dicitur.*

CUM igitur in Orientali angulo Territorii *Huntingtonenſis*, quem *Uſæ* fluvii alveus terminus coanguſtat mariſcorum, memorata Inſula ſita eſt; paluſtrium Inſularum juxta quantitatem ſui pulcherrima eſt. Quæ quia apud pleroſque ſui commendatione jam nititur, ſtili noſtri officio non indiget commendari. Attamen ne adjacentem materiam omnino intactam prætergrediamur, locum illum à parte occidentali (nam alias paluſtria loca humanis greſſibus haud pervia longius prætenduntur) à tellure ſolidiori duobus fere baliſtæ jactibus interjacentes luteæ ſalebræ dirimunt. Qui locus olim ſegni tantummodo amne naves ſerena advectas aura, placido jocundi marginis excipiens gremio, nunc, gravi labore & ſumptu lignorum arenæ pariter & lapidum congerie, lutoſâ obſtructa abyſſo, via publica vel calle ſolido in eadem parte pedibus aditur. Hæc autem inſula duobus ferme millibus in longum extenſa, egena latitudine paulo ſtrictior habetur. Quæ tam alneto quidem quam Arundineto, cum virore calami & junci pulchre in girum coronata, multo antequam inhabitaretur arborum genere, potiſſimum autem viridanti tota veſtiebatur orno. Quæ cujus proceritatis fuerit & quantitatis ex trabium & tignorum quorundam ad tectum Eccleſiæ inde aſſumptorum inſpectione poterit quilibet edoceri. Nunc vero longiore temporis tractu nemoribus ex parte demolitis, terra ubere glebâ arabilis cernitur, & opima fructibus, & frugibus jocunda, ortis conſita, paſcuis opulenta, nonnullis adhuc arboribus nemoroſa, & pratorum gratia verno tempore ſpectantibus & arridente, velut depicta floribus, tota Inſula vario coloratur colore. Ambitur præterea iſdem locus paludibus anguilloſis, maris late patentibus, & ſtagnis multimodi generis piſcium & avium natalium nutritivis. E quibus maris una eſt *Rameſmere*, de nomine Inſulæ dicta, quæ cæteras adjacentes aquas pulchritudine & fertilitate ſuperexcellens, ab ea parte qua major Inſulæ ſilva denſior habetur, arenoſam ipſius oram, in loco qui dicitur *Merebam*, pulchre allambens, delectabile videntibus ſpectaculum præbet. In cujus vaſtis gurgitibus laxatis tam ſagenis quam alterius generis retibus, immiſſis quoque ineſcatis hamis cum cæteris artis piſcatoriæ Inſtrumentis, admirandæ magnitudinis lucei, qui ab Incolis *Habredes* [al. *Hakedes*] nuncupantur, perſæpe extrahuntur; & tam diebus quam noctibus indeſinenter ibi laborat aquatilium induſtria venatorum, ſemper ibi multiplex aquatici generis capitur fœtus, ſemper quod capiatur abundat. Hæc de ſitu Inſulæ & adjacentibus aquis ad notitiam ignorantium exarata ſufficiant, nunc de nominis ratione aliqua breviter ſubjungamus.

CAP. II.

De Etymologia Nominis & triplici ratione.

IGitur *Rameſia* congrue ſatis dici poteſt à duobus nominibus Anglicis *Ram*, quod eſt aries, & *eie*, quod Inſulam ſonat, ut inde compoſito nomine *Rameſeia* quaſi Inſula arietis nominetur. Siquidem antiqui hujus loci patres junioribus ſuis, quorum relatione & nos ſibi relata didicimus, referre ſolebant, in eadem Inſula olim, priuſquam ab ullo inhabitaretur homine vel domeſtico animali, arietem inter ſilveſtres feras carpentem gramina repertum, qui, ut putatur, limoſis locis & humantibus aliqua parte Inſulæ vel gelu hiemali obduratis, vel æſtivi ſolis longo forte calore arentibus, relicto alicubi grege ſuo illuc errabundus deveniens, eiſdem iterum locis in humorem & molliciem ſolitam reſolutis tortis ac recurvis de naturæ artificio cornibus armatus heremita remanere compulſus, ſempiternum loco nomen temporalis inhabitator reliquit. Ut autem hoc dictum ſimilium caſuum quodam confirmemus exemplo, *Auguſtodunum* in finibus *Burgundiæ* nominatiſſimam urbem, à duobus hœdis, qui in initio fundandæ Civitatis omnium pecudum domeſticarum ſoli ibi inventi ſunt, alio nomine *Eduam* uſque hodie conſtat eſſe nominatam. Poſſumus & aliter nomen ipſum de auctoritate veterum à ramis interpretari, quaſi Inſulam ramorum, ob copiam videlicet arborum, quæ, ut ſupra taxatum eſt, antiquitas ibi habebatur, ſicut reſtantes adhuc reliquiæ teſtantur. Ex divina autem, ut credimus, providentia tale loco inditum eſt nomen, quæ ab exordio naſcentis mundi à ſanctis viris & religioſis hanc providit & præſcivit inhabitandam, qui proculdubio de *Oleaſtro ſterili* mundanæ converſationis ſecuri divinæ vocationis abſciſſi, veræ olivæ Chriſto, tanquam boni rami, ſocii intimæ pinguedinis effecti, ſolius gratiæ inſitione adhærentes diverſos virtutum & bonorum actuum fructus velut virentia folia protulerunt. Jam vero ut interpretationem ipſius nominis aptius ad myſticum intellectum reducamus, congrue dici poteſt à *Rameſſe*, urbe quodam opulentiſſima, in extremis, ut vult Yſidorus, *Niliacæ* Regionis ſita finibus, quam filiis *Iſrael* divino monitu ab eiſdem locis poſt diuturnam duræ ſervitutis calamitatem demigrantibus, primam legimus præbuiſſe manſionem. *Rameſſes* quoque *Commotio* vel *Tonitruum* interpretatur; recte igitur huic loco hoc congruit nomen, quia demorantes in eo viri Sancti pſalmodiæ vel lectionis divinæ ſonitu quaſi terrore tonitrui à malis compeſcuntur, & cum *Ezechiele* propheta vocem commotionis magnæ *poſt ſe frequenter audiunt*, dum per exhortationis verbum ad pœnitentiam concuſſi in lacrimas & gemitum plerunque erumpunt. De hujuſmodi commotione per prophetam alium dicitur, *pedes ejus ſteterunt & mota eſt terra.* Quia, ut ait *Gregorius*, cum veritatis veſtigia in mente audientium figuntur, ipſa mens in ſui conſideratione turbata commovetur. Congrue ergo *Rameſia* commotio vel tonitruum dicitur, quandoquidem peccatores quilibet in ea ad ſervitium Dei de ſubdolo, blandiente, & male pacato mundi amore converſi, ex contritione commoti & conteriti, ſua acta condemnantes in mœrore pœnitentiæ ſalubriter perturbantur. Hæc triplici jam ratione de ipſius Etymologia nominis breviter perſtrinximus, ſiquid rectius ſuper hæc aut utilius dici poteſt tuo Lector arbitrio relinquentes, dummodo omnimodis tuæ conſtat prudentiæ honeſtum eſſe de incertis honeſta æſtimare, & in re ambigua, de qua nulla invenitur auctoritas majorum, in meliorem ſemper partem deflecti debere æſtimationem.

CAP.

Cap. III.

De Genealogia Aylwini *Ældermanni.*

JAm vero quia propoſitæ narrationis id depoſcit utilitas, ad inclyti quondam ducis *Æthelwini* Advocati noſtri genus declarandum articulos cum calamo convertamus. Breve ſiquidem & ſtudii ipſius nobis adauget materiam, & inchoati operis provectum præparat & proventum. Fuit in diebus *Æthelſtani* totius olim Angliæ Baſilei quidam orientalium Anglorum dux, Regiæ dignitatis conſors & nominis, ab atavis Regibus præclara ingenuæ ſucceſſionis linea transfuſus, cui innatæ devotio liberalitatis apud conterminales multam gratiam comparavit, apud hoſtes patriæ nonnullam virtus bellica invidiam generavit. Qui, quia & nobilitate naturæ, & opum affluentia terrenarum, & prudentia ſeculari, celebri æſtimatione reddebatur inſignis, præcipue vero quia ipſi Regi adeo officioſa erat ejus impenſa ſedulitas, ut ad arbitrium ipſius cuncta Regni negotia tractarentur, idcirco ab univerſis *Æthelſtan Halfbyng*, quod eſt ſemirex, dicebatur. Is, cum in fortioris adoleſcentiæ robur deveniſſet ob amorem ſobolis procreandæ, uxorem ſibi quandam *Alfwen* nomine, tam generoſitate natalium quam non illepidæ ſpei gratia thoro ſuo congruentem, maritali dotavit connubio. Hæc poſtea inclytum Regem *Ædgarum*, tenerum adhuc in cunis puerum, ſedulitate materna nutrivit & educavit. Qui poſtmodum debito ſibi hæreditaria ſorte totius Angliæ regimine ſuſcepto, nutricis ſuæ acceptis beneficiis non ingratus, Villam de *Weſton* eidem regali munificentia largitus eſt, quam filius ejus Aldermannus poſtea, matre neceſſitudine naturæ è medio ſublata, *Rameſienſi* Eccleſiæ in perpetuam Eleemoſynam pro ejus anima condonavit. Hac igitur præfato viro nupta & fecundata quatuor filiorum diſtincto naſcendi ordine, *ad flumen uſque ad mare* ſe extendens pulcra germinavit propago. Nam cum in gratiam omnium adoleſcerent & favorem, uſque ad remotiores patriæ fines multæ cauſæ celebrem Juvenibus notitiam contulere, eorumque mores ingenuos ultro tam prudentiæ quam benignitatis nobilitavit acceſſus. Qui naturæ fœdere copulati ſolo ſectandæ juſtitiæ zelo pulcre ſibi ſine invidia contendebant. Primus *Æthelwoldus*, ſecundus *Alfwoldus*, tertius *Athelſinus*, quartus *Æthelwynus* dicebatur. Quorum ultimus etſi eum natura ſtatuiſſet noviſſimum, diſciplinatæ tamen moralitatis pretio ſupra cæteros virtutis multimodum mercabatur prioratum. Horum pater prænominatus dux *Ethelſtanus*, cum jam multum ſui temporis in operibus piis & virtutum exercitiis conſummaſſet, ſagaci providentia mundum ante deludens, quam deluderetur à mundo, Monachus factus Glaſtoniæ prioris nævos ætatis maturiori expiavit converſatione. Tandemque prædictos novellos fœcundæ vitis quatuor palmites, in ſortis ſuæ hæreditariæ & morum ſucceſſione relinquens, ibidem vitæ & finem ſortitus eſt & ſepulchrum: perſeveravit autem vir iſte Chriſtianiſſimus ab *Æthelſtano* Rege piiſſimo uſque ad nepotem ipſius ex fratre *Edmundo* illuſtrem Regem *Edgarum*, quatuor ſcilicet Regum tempora complens; fidejubent ſermonis noſtri veritatem, quædam in archivis Eccleſiæ noſtræ repertæ vetuſtiſſimæ ſcedulæ, eorundum Regum nomina & quibuſdam perſonis factas ab eiſdem terrarum donationes continentes, quæ donationes etiam ab ipſis perſonis poſtmodum Eccleſiæ in perpetuam Eleemoſynam, cum earundem ſcedularum munimento ſunt collatæ, in quarum ſingulis vir ille inter alios nobiles earundem donationum teſtis invenitur aſcriptus.

CAP. IV.

De proſapia inclyti Regis Ædgari, *in cujus diebus Eccleſia noſtra fundata eſt.*

QUia vero prædicti illuſtris Regis *Ædgari* tempore Eccleſia noſtra primæ contentionis ſuæ initium ſumpſit, & magna libertate ipſius illuſtrata beneficio, valituro quoque in ævum ejuſdem munita eſt privilegio, operæ pretium arbitrati ſumus de ſupradictorum Regum genere ſucceſſivo pauca inſerere lectoribus, quatenus ſcilicet noſſe cupientibus, per quos meatus memoratus Rex *Edgarus* aviti ſanguinis præclaram traxerit venam, evidenter innoteſcat, & omnis ante lectoris faciem, ſi qua emerſerit difficultas, complanetur. Igitur ſicut teſtatur Faſtorum ſeries vel Chronicorum, pacificus jam dictus Rex *Æthelſtanus* inclyti illius *Alfredi* Regis *Anglicarum* legum conditoris, ex filio *Edwardo*, qui ei ſucceſſit in Regnum, Nepos fuit; ejuſdem autem *Edwardi* quinque filiorum, quos de diverſis tulerat uxoribus, primogenitus extitit, alto quidem patris profuſus ſanguine, ſed ut fertur non æque nobilis, exceptus gremio concubinæ. Tamen quia notam hanc, quam malorum invidia proponebat, elegantis gratia ſpei & virtuoſæ mentis induſtria palliavit, potiſſimum autem quia frater ejus *Eſwaldus* patris *Edwardi* de legitima conjuge filius, patrem decedentem cita morte ſecutus eſt, principatum adeptus, & ab *Athelmo* Archiepiſcopo *Doroberenſi* conſecratus, multa gloria & nobilitate tempora ſua venuſtavit & regnum, cujus laudem verſificus quidam metrico commendans carmine inter cætera ait.

> *Magnus* Athelſtanus *patriæ decus, orbita recti,*
> *Illuſtris probitas de vero neſcia flecti.*

Tantæ quidem ſtrenuitatis & providentiæ erat, ut opinionem ſuam uſque ad Europam dilatatam, & nomen intra nativi ſoli terminos non ſineret contineri, unde factum eſt ut exteri Reges & principes ſorores ejus, quas pater indotatas reliquerat, per internuncios nobiles xeniis & muneribus onuſtos in conjugium ſibi dari poſtularent, & acciperent, quatenus compago copulæ genialis perpetuæ inter eos amicitiæ & pacis vel fœdus contineret.

CAP. V.

Quod Sanctus Odo ad Dorobernenſis *Eccleſiæ Archiepiſcopatum promovetur.*

INterea *Wlfelmo*, prædicti domini *Dorobernenſis Athelmi* ſucceſſore, naturæ munere functo, vir celeberrimæ opinionis & Sanctitatis plurimæ *Odo*, unanimi tam Regis quam totius Cleri voto & aſſenſu, ad gerendam ejuſdem Eccleſiæ ſollicitudinem decernitur promovendus. Ille vero qui nondum Monachici habitus accepiſſet amictum, ſine cujus ſchemate nullum ante ſua tempora eandem ſedem impune didicerat conſcendiſſe, ne vel ſanctorum patrum ſententiæ refragari, vel contra antiquam ipſius Eccleſiæ dignitatem temere venire videretur, non minorem offenſam torporem inobedientiæ, quam zelum ambitionis contrahere ſciens, utrique deſperationis periculo hoc modo obviavit. Tranſito ocius mari *Floriacenſe* Cœnobium, quod in *Galliis* juxta *Ligeris* alveum ſitum eſt, adiit, ubi eo quem longo ante tempore moribus & vita prætulerat, habitu religionis accepto celeriter repatrians, ſumpta Archipræſulatus Inſignia omni vitæ ſuæ tempore ſacris operibus & virtutum meritis uberius inſignivit, cujus ſanctitatem comperiens Rex *Æthelſtanus* ejus ſæpius delectabatur alloquiis, & conſiliis adquievit.

CAP.

CAP. VI.

Mira quæ per eundem Sanctum Odonem *operatus eſt.*

QUodam ergo dierum contra *Analaſum* quendam Barbarorum ducem ſtrenuiſſimum, qui hoſtili invaſione partem jam *Angliæ* turbaverat, exercitum ducens, virum Sanctum in comitatu habuit, ipſius meritis eventum belli proſperum ſibi fieri poſſe confiſus. Igitur hoſtibus caſtra Regis ſub cæca nocte callide invadentibus, facta ſtrictius partium congreſſione, dum ſe mutuis ictibus dilaniant, dum ſtridores lituorum fierent & fremitus armorum, forte Regius enſis è vagina lapſus adverſariis quidem incrementum audaciæ, ipſi vero Regi & ſuis plurimum formidinis importavit. Quo cognito vir beatus oravit & vaginæ Regis vacuæ alius divinitus miſſus eſt enſis, quo ad nutum viri Dei educto populatores palantes cæſi ſunt, & de eis inopinata celeritate triumphatum. In argumentum divinæ bonitatis & Regiæ victoriæ idem enſis in theſauris Regum, ut fertur, uſque hodie reſervatur, Sancti *Oſwoldi Eboracenſis* Archipræſulis gratia, de quo inferius plurima relatu digna referemus, hujus Sancti viri, quia ejus patruus fuit, mentionem huic operi cenſuimus ingerendam, occaſionem de prædidcto Regis triumpho aucupati. Nunc ad idem unde digreſſi ſumus revertamus.

CAP. VII.

Obitus inclyti Regis Æthelſtani.

REliquos ergo Regis *Æthelſtani* triumphos & virtutem bellicam, qua cunctis hoſtibus, patriæ formidini fuit, quia aliorum literis legentibus luce clarius innoteſcit, noſtris apicibus non indiget illuſtrari. Tandem igitur, dum adhuc tanti pretii tela ordiretur, fatalis incommodi immaturo ſucciſa eſt acceſſu. Poſt XVI. circiter annos ſuſcepti principatus Eccleſiam *Malmesbyrienſem* cum opibus & prædiis pluribus exuviarum regalium nobilitavit. Quo tempore micuit è matris alvo in *Weſt-Saxoniæ* finibus jubar illud ſidereum beatus *Dunſtanus*, tenebras quas ex debilitate religionis ſuccedentia poſtmodum contraxerunt per Angliam tempora fugaturum. Succeſſit *Æthelſtano* germanus ejus ex patre *Edmundus*, fraternæ pietatis ſedulus æmulator, morum hæres & regni, cui ſanctus *Dunſtanus* familiaris & à ſecretis, vivacitate conſilii & ſedulitate impenſa regiæ ſerenitatis gloriam multo decore ampliavit; cumque legitima Regis conjux Sancta *Ælfgina*, poſt primogenitum *Edwynum* filium ejus, *Edgarum* peperiſſet, idem Dei ſervus *Dunſtanus* vocem cœlitus emiſſam dicitur excepiſſe talia præconantem. *Pax Angliæ regno, recens orto regnante puero, noſtro ſuperſtite Dunſtano.* Demum, cum multa felicitate Regis florerent ſucceſſus, hos tandem miſerabiles exitus defloravit. Nam VI. anno & dimidio regni in feſtivitate Sancti *Auguſtini*, ob amorem tanti prædicatoris & memoriam, facto intra palatium apud *Cantuariam* regali convivio, orta ſubito ut aſſolet inter convivas, immo jam æſtuantes, diſcordia, Rex ipſe fati ſtimulis agitatus ad ſedandum tumultum è menſa proſilivit, cum quidam verſutus nebulo, quem ob commiſſi ſcelus latrocinii olim juſſerat exulare, ruentis in ſe Regis pectori, exempto quo latenter accinctus erat pugione, lætale vulnus inflixit. Satellites regii irruentes auctorem ſceleris multis vulneribus dilaniatum proprio funere funus regium proſequi coegerunt. Divinus *Dunſtanus* in remotioribus conſtitutus, dæmone coram ſe cachinnante,

Dunſtanus naſcitur.

Edmundus ſuccedit Æthelſtano.

 ſpiritum

ſpiritum ſibi ſolito influentem hauriens, Regis obitum intellexit, eoque properans exanime corpus *Glaſtoniæ*, cui ab eo Abbatis jure prælatus erat, condecenti tradidit ſepulturæ. Poſt quem frater ipſius *Edredus* filius *Edwardi* tertius, patris & fratrum geſta laudabilia imitatus, ſuſceptum regnum pacifice tenens, rebellium præſumptionem ſtrenue compeſcuit, ſuæque poteſtati ſubjugavit. Beati *Dunſtani* alloquiis frequentibus & ipſe delectatus, & admonitionibus obtemperans, apud eum confeſſionum ſuarum ſecreta depoſuit. Qui, anno nono regni & dimidio, corpore valetudinis incommodo tactus, ipſum aſcivit, properantis ad ægrotum beati viri vox deſuper in aures clare inſonuit, *Nunc Rex* Edredus *in domino quievit*. Brutum animal, quo Sanctus vehebatur, tonitruum vocis Angelicæ perhorreſcens mox ſub ſeſſore corruit & expiravit. Regio cadaveri *Wyntoniam* delato vir Dei præclaras, ut decuit, inferias perſolvit. Cujus nepos *Edwynus Edmundi* Regis Sanctæ *Ælfgivæ* primogenitus, regni jura adeptus, à progenitorum ſuorum moribus prorſus degenerans elegantem corporis formam, & totum generis ſui nobile ſtemma, petulantis adoleſcentiæ luxu deformavit. Namque [ut] animum ad ſuperfluum libidinis uſum incautior inclinavit, neceſſe erat totius in eo robur virtutis infirmari. Cujuſdam cognatæ ſuæ eximiæ ſpeciei juvenculæ illicitum invaſit matrimonium: pro cujus copula à Sancto *Dunſtano* redargutus, & Sancti *Odonis* Archipræſulis auctoritate per ipſum ad repudium mulieris eſt coactus. Sed quia *non exuit Æthiops pellem ſuam*, ſed, ut ait Poeta,

Edredus Edmundo.

Edwynus Edredo.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervavit odorem
———*Teſta diu*, ———

conceptus ſemel in corde laſcivi Juvenis furor venereus irritari potuit, non domari. Furore igitur cæco agitatus omnem amittit juſtitiæ cultum, beatum virum proſcriptum, cum aliis monaſticæ profeſſionis viris venerabilibus, rebus omnibus ſpoliatis, eliminat, remanentes reliquos multis calumniis afficere laborat: unde contigit ut *Anglorum* Eccleſia oppreſſis filiis multo diutius incommodo laboraret. Nam omnia paſſim per diverſas provincias Monachorum cœnobia, expulſis habitatoribus, Clericis ſecularibus cum concubinis ſuis habitanda expoſuit. Qui in hæreditatem Domini temere venientes, Templum Sanctum ejus polluerunt, facultates Eccleſiarum in ſtipendiis enervantes, partem poſſeſſionum ſuis vel fratrum nepotibus in præbendas ordinarunt, partem in proprios uſus convertentes poſſiderunt, ſicque factum eſt ut multitudo Clericorum monaſticæ Sanctitudinis derogaret raritati, dum in locis, ubi prius calami & junci pulchre oriebantur, inter Dracones, ſibi converſo, imo perverſo ordine, cubilia vendicabant. Quid multa? Nunquam Monachos dies triſtior, nunquam Clericos hilarior, & niſi *Dominus abbreviaſſet diem illum, non fieret ſalva* omnis Eccleſia Anglorum. Sed Domini diſpoſitione, dum adhuc illicita animo ſpiraret, occaſionem occupati populi *Mercenſium* & *Northanhumbrorum*, mortale in eum odium concipientes, relicto illo, fratrem ipſius venuſtæ formæ Adoleſcentem *Edgarum* in Regem ſibi erexerunt, ſicque re quondam ſolida in duo diverſa, *Thamiſe* fluvius utrique partium diremptionis terminus fuit. Rex *Edgarus* beatum *Dunſtanum* ab exilio revocat, revocatum *Wygorniæ* Eccleſiæ, defuncto ſuo Antiſtite *Cornwaldo*, cum conſenſu Cleri præficit. Ad honoris quoque cumulum anno ſequenti *Londonienſis* Eccleſiæ pio patre viduatæ cuſtodiam eidem committit; quem enim multiplici virtutum varietate noverat redimitum, hunc duorum Epiſcopatuum honore duplici cenſuit eſſe digniſſimum. Deinde parvo temporis tractu procedente, ipſe Rex *Edwinus* conditionis humanæ neceſſitudine fortunæ rotam volvens, fratri *Edgaro* occaſionem præſtitit, qua diverſas regni partes in antiquam ſoliditatem revocavit; vir utique pietate in Deum, probitate in patriam, morum ſinceritate per omnia inſignis.

Edgarum ſibi in Regem Mercenſes erigunt qui Dunſtanum de exilio revocatum ad Epiſcopatum Wygorniæ promovit.

CAP.

Cap. VIII.

De Origine & vita Sancti Oſwoldi.

HIs demum peroratis de pio patre & paſtore noſtro *Oſwoldo*, promiſſæ ſuperius relationis fidem abſolvamus. Bonæ igitur indolis juvenis *Oſwoldus* parentibus *Danicis* tam nobilitate generis quam opum cumulo ſplendidiſſimis, ſed in *Anglia*, ut dicitur, prius incognitam Sancta Trinitatis fidem profeſſis procreatus, cuidam viro *Frithegodo* nomine, qui omnium ſui temporis, ut putabatur, in *Angliæ* tam ſeculari quam divina ſcientia peritiſſimus habebatur, traditus eſt inſtruendus. Cujus cum ille acri animo & alacri ſtudio adprime diſciplinam attigiſſet ſupradicto Sancto *Odoni*, cui eum fraterni ſanguinis vena conjuxit, commendatus eſt educandus. Ad cujus inſtitutionem in anteriora libere ſemper ſtudia Sanctitatis extendens, vernantis juventæ florem tenerum diſtinctis maturæ moralitatis coloribus adornabat. Cernens ergo beatus *Odo* manifeſto futuræ veritatis auſpicio nepotem ſuum humani favoris fugaces auras, & ſecularis pompæ inanes ventos omni ſtudio declinare, *exultationes Dei in gutture ejus ſonuerunt*, aures itaque divinæ pietatis continuis ſollicitabat precibus, ut novellæ plantationis ſuæ primordia in eo conſecrare dignaretur, quatenus conceptæ ſpei dignus fieret expectatione proventus.

Cap. IX.

Sanctus Oſwinus *Canonicus* Wyntonienſis *Decanatus magiſterium ſumpſit.*

MIttitur itaque Floridæ ætatis Adoleſcens cum autoritate pontificali *Wyntoniam*, ſi quid diſciplinæ regularis inter Canonicos Civitatis addiſcere poſſet probaturus. Quorum ille inſtitutionem, creſcente Sanctitatis merito, tranſcendens, & mores Decanatus, eis eſt prælatus officio, & diſſolutioris converſationis eorum normam arctius innormans, ſenum caniciem vitiorum infectione puer ipſe defæcaret: verum dum illi ad ſolita ſemper ſuſpicarent, & nil ab eis præter honeſtatem excludi, nulla præter virtutem via poteſt præteriri; ne membrorum corruptio in caput commigraret, & in perniciem paſtoris ovium peſtilentia deveniret, relictis illis patrum ſuum adiit, communicato ei cordis ſui propoſito perficiendi conſilium accepturus.

Cap. X.

Idem Floriacum *miſſus & ibidem Religionis habitum accepit.*

UTrorumque ergo concurrente voto pariter & affectione, recens ille flos paradiſi floribus interſerendus, *Floriacum*, cum condecenti tam literarum quam munerum commendatione, deſtinatur, Floridi loci floribus virtutum ſuarum flores admixturus. Suſcipitur cum omni alacritate, & gaudio, & quem diu deſideraverat monaſticæ inſtitutionis habitu ſuſcepto, poſt paucorum intervalla temporum, per diſpoſitos ſacrorum ordinum gradus, ſacerdotalis honoris culmen conſcendit; quanta humilitate, honeſtate, & religione gradum ſuum decoraverit, quot crucibus corporeæ afflictionis carnis ſuæ incentiva edomaverit, quam crebras in Dei obſequela excubias protelaverit, quot denique virtutum ſignis ſanctitatis ſuæ opinionem circumquaque volens dilataverit, legenti vitam ejus clarius conſtabit.

Cap.

CAP. XI.

Beatus Oſwaldus *de Gallia revocatur.*

EMenſo denique aliquot annorum ſpacio, cum jam Dominus Sanctus *Odo* longævæ cœpiſſet ſenectutis incommodo fatigari, & debilitas continua cum viciſſitudinaria ægritudine ſpem ei vitæ diuturnioris adimeret, dilecti Nepotis ſui præſentia pariter & alloquio confractam laboribus ſenectam recreari, & ſuſpectum deſiderans ſuum exitum communiri, nuncium cum exenniis & literis tranſmittit. Quibus ſuſceptis Dominus Abbas cum fratribus, tanti viri mandato contraire indignum judicantes, venerabilem alumnum ſuum abire permittunt, iter ipſius dolore & lacrymis proſequentes. Quibus & ipſe mœſtitiæ & fletum viciſſitudinem rependens, cum *Angliæ* littora navigatione votiva attigiſſet, audiens beatum virum, à quo totius ſolatium laboris erat accepturus, improba jam fatorum neceſſitate adventum ſuum præveniſſe, ſperato gaudio dolorem inſperatum flebili commercio comutavit. Quibus & quantis mœroribus anxiebatur ſpiritus ejus, ex ipſo propriæ affectionis motu poterit quilibet æſtimare. Demum ergo ſalubri ſecum excogitato conſilio venerabilem virum *Osketallum, Dorcaſtrecenſis* Eccleſiæ tunc temporis Epiſcopi, jure præſidentem expetiit, eum propinqui gratia ſanguinis propenſiorem ſui curam ſperans habiturum. Qui cognatum ſuum cum multa alacritate excipiens, dolorem, qui ei ſuper tam miſerabili ſperati proventus diſpendio accidiſſe, blandæ conſolationis impendio delinivit, fortunæ melioris gratiam ſpondens affuturam: verum brevi tempore lapſo, *Eboracenſis* Eccleſiæ pater *Wlfſtanus* in fata conceſſit, ad cujus ſedem memoratus *Osketallus*, favente Rege, & populo acclamante, ſeſſor acceſſit.

CAP. XII.

Sanctus Oſwoldus *cum* Osketello Eboracenſis *Eccleſiæ Archipræſule Romam petit.*

QUi poſtea Romani pontificis præſentiam pro pallii adiens ſuſceptione, beati *Oſwoldi* Sanctitatem contra Maris injurias, intemperiem aeris, prædonum inſidias, & totius itineris ſuſcepta pericula, ſibi ratus valituram, eum viæ ſocium habuit, conſortemque laboris. Cumque peracto ad votum negotio læti revertentes *Galliarum* fines attigiſſent, ad *Floriacenſe* cœnobium, patres & coalumnos ſuos ſalutaturus, Sanctus *Oſwoldus*, licentia patris, & benedictione percepta, divertit: ubi, dum aliquamdiu moraretur, unus è ſociis *Germanus* nomine, *Wyntoniæ* oriundus, loci pulcritudine & rigore ordinis delectatus, ad ejus mentionem veteris hominis depoſitis exuviis, ovilis illius gregi ſociatus, viro Dei repatriante, ibidem propter tenera adhuc novæ militiæ rudimenta eſt relictus, proſpero igitur itinere beatus *Oſwoldus* in *Angliam* regreſſus, ad memorati propinqui ſui *Osketelli* nota præſidia convolavit, penes eum latentem ſuper ſe divini conſilii altitudinem operiens adimplendam.

CAP. XIII.

Quomodo Sancto Dunſtano ad ſedem Cantuar. *promoto Sanctus* Oſwoldus *ad Epiſcopatum* Wygorn. *& Sanctus* Æthelwoldus *ad Eccleſiam* Wynt. *regendam ſunt aſſumpti.*

IGitur Sancto *Odone*, ut ſupra meminimus, de peregrinatione carnis aſſumpto ad patriam, Sanctus *Dunſtanus* de Abbate *Glaſtoniæ Wygorniæ*, &

& *Londoniæ* Epiſcopus, Deo ordinante, & voto totius Cleri & populi cum favore Regio conſonante, Metropolitano *Cantuarienſi* Archipræſul ſubrogatur. Qui, *Romæ* ab *Johanne* Papa accepto pallio, *Angliam* reverſus, Sancti *Oſwoldi*, quæ per univerſam jam regionem late percrebuit opinione comperta, magnifico Regi *Edgaro* ejus Sanctitatis inſignia ſuggeſſit, & ipſo favente, ad pontificatum *Wygornienſem* ipſum ſibi ſucceſſorem conſecravit. Eadem quoque tempeſtate vir notæ Sanctitatis Abbas *Abbendoniæ Æthelwoldus*, Sancti *Dunſtani* alumnus, *Brithelmo Wyntoniæ* Epiſcopo humanis rebus exempto, ejuſdem ſedis dignitatem, volente Domino, eſt adeptus. Hæ ergo tres lucernæ clariſſimæ, *Dunſtanus* videlicet, *Oſwoldus*, atque *Æthelwoldus*, per tria candelabra, *Doroberniæ*, *Wygorniæ*, atque *Wyntoniæ*, Domino diſponente, collocata, tria orbis *Anglici* climata à vera luce mutuati luminis fulgoribus adeo irradiarunt, ut ipſis quoque firmamenti ſideribus contendere, & merito, propter inſolitam quibuſque illius temporis tantæ ſanctitudinis eminentiam, præſentibus miraculo fieri viderentur.

CAP. XIV.

Quomodo Rex Edgarus, *per Sanctum* Oſwoldum *& alios illius temporis Celeberrimæ Sanctitatis viros, Eccleſiam Anglorum ad priſtinam libertatem reduxit.*

MAgnificus igitur Rex *Edgarus*, Regiæ ſtrenuitatis ſpecimen ſingulare, prudentiæ decus venerabile, & magis pro inſitivæ virtutis induſtria, quam pro ſucceſſivæ dignitate proſapiæ, ſuo tempore admirandus, germano ſuo *Ædwio*, avitæ gloriæ abortivo, fatali ſorte ſublato, jus totius Anglici principatus, ut ſupra retulimus, eſt adeptus. Qui nulli unquam locum dans ignaviæ, plus prudentis animi ſagacitate, quam fremitu armorum, vel ſtridore lituorum, rempublicam pacifice gubernabat. Exteros namque regalis munificentiæ artificio, domeſticos vero, qui vigorem regni non enervarent, innatæ benignitatis lenocinio, ad amoris ſui & pacis inclinavit affectum, & hac calliditate fere uſque ad remota orientis terrorem virtutis ſuæ, & amorem pariter liberalitatis dilatavit. Sub hoc itaque rege præmemorati quatuor, *Ailwinus* videlicet Advocatus noſter, & tres fratres ejus militabant, omnes glorioſi, omnes inſigni regio condigni, omnes, tam exercitatione bellorum, quam vivacitate ſenſus & conſiliorum, acris & expertæ probitatis viri; non eos ab agendis timor inertiæ cohibebat, nec ad temeritatem aliquam præceps audacia ſtimulabat. His igitur quatuor commanipularibus Rex *Ædgarus* glorioſus & felix, forenſia quæque diſponebat, horum virtute hoſtium gladios terrebat, horum induſtri providentia & provida induſtria amica jocundi pacis tranquillitate potiebatur. Tres autem ſupradicti reverendæ Sanctitatis Pontifices, ad animandam monaſtici cultus infantiam, per memoratum Regem *Edwynum* jam dudum in tota fere regione palpitantem, animi regalis devotionem monitionum ſuarum ſtimulis ſollicitabant. Cumque piis ſtudiis Pontificum & perſuaſionibus, favor regius conſentiret, utrorumque triumphis cœpit Eccleſia *Angliæ* liberari, virtutibus adornari, magnificentia ſublimari, & quanto plus terroris pravitati intulerunt, tanto religioni plus exhibuerunt charitatis.

Cœperunt Clerici paſſim de Monaſteriis expelli, Monachi prius diſperſi denuo congregari, & caput æneum ſtatuæ aureæ malignorum opificio indecenter affixum conteri, & deponi, antiquæ religionis cultus renovari, *Hebræi* ditari, *Ægyptii* ſpoliari. Tunc ordo Monaſticus caput paulo ante depreſſum erexit, & quaſi languore aliquo malorum gloria contabuit, Monachis orta eſt ſecuritas ex timore, & ad veri ſolis radios præcedentis adverſitatis nebula diſſoluta, toti jam Eccleſiæ *Anglorum* deſideratæ tran-

quillitatis ſerenitas arridebat. Dulce fuit nobis virorum iſtorum, *Dunſtani* videlicet *Cantuariæ*, & *Æthelwoldi Wyntoniæ* Pontificum memoriæ diutius immorari, eorumque exemplis morum noſtrorum duritiem emollire. Sed quia apud ſuos eorum vita mirabilis, & virtutes, quibus in provehendo ſanctæ religionis cultu, multos piorum ſudores operum inſumpſerunt, luce clarius digeſtæ habentur, alias ire pergentes his ſuperſedendum duximus, ne [perplexitate ipſa materiæ, vel] prolixitate lectionis lectori nauſeam gravare videamur.

Cap. XV.

Quomodo Sanctus Oſwoldus *apud* Weſtbyri *viros Religioſos congregavit, & eos regulariter ibi Deo inſervire perdocuit.*

IN tempore illo Eccleſia *Wygornienſis*, juxta veterum inſtitutionem, pro Monachis Canonicos ſeculares habebat, inter quos beatus *Oſwoldus* Epiſcopus quaſi ſtella matutina refulgens in medio nebulæ, totam Dioeceſim ſua pia ſollicitudine ſalutaris Doctrinæ radiis illuſtrabat, cujus ſanctitudinis eminentiam, quaſi ſummi jubar luminis ſuper ſe cœlitus emiſſum, ambulantes in tenebris conſpicientes, tanquam apes ad alvearis ſui foramina, ita ad eum certatim undique confluebant; & jam ſeculum nauſeantes ipſius inſtitutionibus erudiri, & exemplis cupiebant ad cœleſtia informari. Erat enim vir Dei alacer alloquio, acer ingenio, providus in conſilio, in divinis rebus ſolicitus, potens in opere & ſermone, promptus ad omnia, quibus deberet ſancti viri induſtria collaudari. Erat tam in Eccleſiaſticis quam in ſecularibus negotiis efficax & acceptus omnibus ſui temporis paſtoribus, neceſſarius ad omnem ab ovili Dei & gregibus lupinæ voracitatis ingluviem reprimendam. Pluribus ex his, qui ad eum confluxerunt, ſanctæ religionis tradidit amictum, cœleſtibus eos prædicationibus informans, & Monaſticis imbuens diſciplinis. Inter quos affuit quidam ſacerdos venerandi vultus & habitus, qui tam propter vitæ honeſtatem, quam propter ætatis vel ſapientiæ maturitatem, *Ædnothus* ſenior ab omnibus dicebatur.

Cap. XVI.

Germanus à Floriaco revocatur.

COnſiderans itaque vir beatus, quod ad corroboranda novellæ plantationis ſuæ auſpicia, prona favoris publici concurrerent vota, miſſis nunciis venerabilem Monachum *Germanum*, quem olim, ſicut ſuperior ſermo non tacuit, ipſe à *Galliis Angliam* rediens apud *Floriacum* reliquerat, accerſivit. Congregatiſque meſſionis ſuæ manipulis in cellula, apud Dioeceſis ſuæ vicum, *Weſtbyri* nomine, ipſum ibidem Priorem ad docendum ſubditos Monaſticæ inſtitutionis normam, memoratum vero *Ædnothum*, ad gerendam exteriorum ſolicitudinem præpoſitum inſtituit. Igitur exceptis pueris, defæcatis moribus puris, qui inter eos ad regularis diſciplinæ obſervantiam informabantur, duodenum numerum compleverunt. Quibus ſanctus Epiſcopus ſufficientem victus & veſtitus corporalis providens alimoniam, ſpiritualem nihilominus verbi divini & ſacræ exhortationis ſtipem, ex frequenti eis ſuæ viſitationis impertiebat acceſſu.

CAP. XVII.

Quomodo Sanctus Oſwoldus *&* *Dux* Aylwinus *mutuas inter ſe amicitias contraxerunt.*

INterea tota *Anglia* placido tranquillæ pacis otio feriante, contigit ut in quadam ſolemnitate paſchali, univerſi totius patriæ *Majores*, tam Clerici, quam laici utriuſque ordinis & profeſſionis, gratia feſtivitatis celebrandæ ad Regis Curiam ab ipſo vocati, convenirent, regiis ab eo muneribus honorandi; Divinis myſteriis cum omni alacritate & gaudio celebratis, ad reficienda corpora Palatio omnes acceſſerunt. Continuatis aliquot diebus, perſonat regia plauſibus aula, fremit diſcurſibus platea, nullus omnino regalis munificentiæ ſentit repulſam, omnes diverſi generis & pretii donariis, in vaſis, veſtibus, vel equis optimis, magnifice munerati. Jamque cœperat ſolvi conventus, cum ecce, juxta quod ſcriptura commemorat, *extrema gaudii luctus occupat.* Quidam miles, cui multum ſplendoris & gratiæ, tam innata prudentia, quam probatiſſimus in rebus bellicis corporis vigor, cum generoſitate natalium, apud Regem contulerat, corporeæ valetudinis gravedine tactus, & mox diem claudens extremum, gaudium mœrore, cytharam ploratione, organum voce planctus commutavit. Sicque quam nulla ſit, quam caduca, quam variabilis vitæ præſentis gloria, ejus caſus omnibus peroravit. Rex militis diſpendio admodum contriſtatus, corpus exanime *Glaſtoniæ* ad tumulandum deportari, & quoſdam Epiſcoporum, Comitum, & Baronum, eo uſque feretrum proſequi cum honore imperavit. Interfuere igitur comitatui funereo Præſul ſanctiſſimus *Oſwoldus*, & Dux inclytus *Æthelwinus*, nomine tantum ſibi eo uſque cogniti, occaſione funeris pignoratrices vitæ amicitias venaturi.

CAP. XVIII.

Commendatio Comitis Aylwyni.

ERat autem Dux memoratus domi religione, foris virium exercitatione & diſciplinæ militaris uſu percelebris, nobilitatem, quam natales contulerant, morum venuſtate perornans, jocundi vultus & hilaris, aſpectu reverendus, urbana facundia comis, ſermone verax & blandus, communis officio, rarior affectu, vultu & moribus haud diſſimilis, nullo etiam cultu mundiſſimus, fide conſtans & gravis, devotione ſincerus, in conſilio ſuaſor recti, cauſam rei & actoris ſententia dirimens æquitatis, amorem Dei in aliis venerans, & aliis perſuadens, quo pii pectoris ejus penetralia plena tumebant. In quo diſpendium veritatis non admittebat puritas voluntatis, prudenti animo modum in omnibus ſervans, ne præceps affectio præjudicium aliquando ingereret rationi. Tanta in viro ſeculari & illiterato apparebat congeries gratiarum, ut utrum laudanda magis ſit merito ambigeres, an miranda. Is igitur Epiſcopum ſanctum ad defuncti inferias jugi pſalmorum pſallencio cernens intentum, dimiſſo vultu mature incedentem, nonnullis faciem lacrymis irrorantibus, ſtatim juxta id cujuſdam ſapientis, *gaudent ſingula cum ſui ſimilibus convenire*, complacuit ſibi in illo anima ejus, ſtatim imis pii cordis medullis ipſius concepit affectum. Hoc enim habet animus humanus moris & virium, ut alieni nidoris, quo ſe conditum ſentit, inhalationes hauriens, perfacile ſui ſimilis capiat ſine judice notitiam, moxque gaudens ad talem, alienum affectum imbibit, infundit ſuum. Funeris itaque officiis rite conſummatis, alter *Cornelius* ad

Petrum alterum, non Angelo ſed devotione mentis invitante, non tunc primo fidei rudimentis imbuendus, ſed monita ſalutis accepturus acceſſit; Comiteque ſalutato dixit, *Olim, Pater ſancte, optaveram, ut aliqua impendendi tibi obſequii occaſio arrideret, unde novæ inter nos amicitiæ argumenta orirentur. Optaveram jocundo ſacri ſermonis tui alloquio recreari, qui efficaciam habere dinoſcitur plurimam corda audientium rerum peritia erudire, & eruditionis ſuæ ſuavitate aures demulcere. Ego homo ſum ſub alterius poteſtate, ſuper alios poteſtatem exercens, quem ingenuitas generis, quem opum copia terrenarum, quem peccatrix ſapientia mundi, & gratia labiorum, quem demum indifferenter tam pauperum quam divitum favor publicus attollit. Et quia omnis poteſtas à Deo eſt, timeo ne poteſtate iſta in animæ meæ videar abuti perniciem, ſciens proculdubio, quanto mihi plus eſt commiſſum, tanto amplius à me exigendum.* Audiens ſanctus Antiſtes fidem viri, quam Dominus in illo Centuriore Evangelico tanta laude commendavit, admiratus eſt; & familiarem ſibi ſpiritum hauriens ſereno vultu ita reſpondit. *Placet mihi admodum amicitiæ tuæ contractus, virorum nobiliſſime, placet animi devotio contrahentis, placet meræ liberalitatis affectio, qua omne meum præveniens meritum, antequam mihi acceſſiſſet petendi fiducia, charitatis intimæ exhibes affectum. Gratior inſuper Deo, cujus in te ſationis ſemina fecundos jam fructus promittentia conſpicio germinare: unde & tua intereſt totis ſemper viribus conſtantiæ ſtudere, ut illam propheticæ vocis inſultationem caveas, dicentis, Immatura profectio germinavit laudabile principium, ſpem ingerit futurorum non ſecuritatem. Perpendat igitur prudentia tua, chariſſime, quod quanto altius aliis in poteſtate ſeculari præeminemus, tanto perſpicacius vitam noſtram & opera Univerſi contemplantur. Et licet aliis alii præferamur, omnes tamen æquale habemus vivendi principium, eandem ſortimur legem moriendi. Omnes æque in dolore naſcimur, & in dolore viventes, in dolore itidem vitam terminamus, eundem omnibus occaſum & ortum prudens natura conſtituit, quos ſola vitii aut virtutis apud Deum diſtantia diſcernit. Quid enim prodeſt generoſitas natalis, cui vitia dominantur. Ille vere ingenuus eſt, qui virtute animi & morum claritate refulget; Degener autem eſt, quantumlibet genere clarus, in cujus mente ratio ancillari, concupiſcentia laxa voluptatis fræna regere comprobatur; & in omni ſcriptura divina pauperes commendari, divitibus invenies derogari. His dico divitibus, quorum avidæ cupiditati nulla opum congeries ſatis eſt, nulla ſufficit eminentia poteſtatis. Utile quoque eſt & licitum habere divitias, ſed ut animo ipſe tuo prius memineris dominandum, præeſſe, inquam, licitum, ſed tutius eſt ſubeſſe. Omnia enim ardua & alta caſui expoſita ſunt graviori. Cumque innatum arboribus robur validum ab imis radicibus enervet vis ventorum, & celſas turres ab ipſis fundamentis ſubvertat machina bellatorum, arundo flexibilis non frangitur, myrtus humilis non movetur. Auguſtum perpende Cæſarem, qui totum orbem virtute martia ſubjugarat, cujus fere ipſos mundi terminos poteſtas exceſſerat, in pulverem jam ſolutus, anguſto nunc tabidus tumulo continetur: Macedonem ſimiliter Alexandrum, qui univerſas nihilominus terras bellis detrivit, qui per loca ſerpentoſa, & humanis greſſibus indetrita, uſque ad ſecretiores ſuperioris Indiæ partes avidus gloriæ penetravit, duodennio tamen illicita tyrannide faſtigatum, alieni ſoli parviſſima vena inferiis excepit peregrinis. Ut autem quod dico confirmetur notiore exemplo, in illum qui in tota domo Regis clarus habebatur & inſignis, ad cujus nutum etiam animus Regius inclinari videbatur, qui paulo ante ſericis veſtitus & oſtro in Curia nobiſcum Regiis obſoniis veſcebatur, en, inquam, illum nunc intulimus in ſepulchrum; omnia ejus tranſierunt, præter bonorum ſi quos collegit manipulos meritorum.* Ad hæc verba Dux in fletum erumpens ait. *Quid igitur de me fiet, Pater ſancte, qui, ſicut peroravit ſermo ſuperior, ſub poteſtate ſum, quem etſi bonis forte juvat aliquando ſtudiis implicari, improbus contrariæ neceſſitudinis non permittit acceſſus. Siquidem frequenter me ſeu angariarum regalium, ſeu exercitationum bellicarum, ſeu diſtribuendorum militibus ſtipendiorum, ſeu cauſarum judicialium, ſeu exercendæ in reos animadverſionis, ſeu aliorum quorumlibet negotiorum forenſium, in quibus difficile, vel nunquam, poteſt offenſa declinari,*

Sanctum Oſw. Comes alloquitur.

Sancti viri Reſponſio.

Cui Comes.

clinari, importuna vexatio defatigat. Cui ſanctus Epiſcopus, *omnes,* inquit, *iſtæ quibus implicaris occupationes terreſtes, Chariſſime, incrementum tibi præſtant juſtitiæ, ſi ſervaveris in omnibus æquitatem, ſuperexaltaveris miſericordiam in judicio, ſi oculum tuum ſimplicem,* id eſt, *intentionem rectam contigerit inveniri. Cæterum autem, quia falſa rectitudinis ſpecie etiam bonæ intentionis nonnunquam acies adumbratur, eleemoſynarum largitionibus, & pauperum miſericordiis, exceſſus hujuſmodi memineris redimendos: ut autem evidentioris conſilii habeas incitamentum, animadvertat prudentia tua, quoniam qui ſeculo renunciaſſe, & voluntariam pro Chriſto paupertatem amplexari videntur, illi ſoli liberi, ſoli quieti ſunt, & ab eo, cui nos expoſiti ſumus, terrenæ ſollicitudinis periculo ſingulariter alieni: horum meritis commota nonnunquam ſuperni Judicis compeſcitur ira, ſententia mutatur, ſalubris conceditur aer, provenit copia frugum, fames & peſtes refugæ cedunt, regnorum reſpublica gubernatur, pateſcunt carceres, ſolvuntur vincti, naufragi relevantur, curantur ægroti, debiles convaleſcunt, & ut totum comprehendam, divina licentius imo veſanius abutens patientia, tota univerſaliter per eos perdurat fabrica mundi. Si igitur, Chariſſime, in aliquo juris tui territorio (vel prædio) locum monaſticæ religionis profeſſoribus haberes idoneum, ibi ad honorem Dei Monaſterium conſtruendum, & ad obſequium divinum viros ſanctos laudarem congregandos, quorum precibus & defectus ſuppleri, & peccata tua poſſunt expiari. Ego nempe & cooperationi vires impenderem, & impendio adjicerem facultates.* Comes ad hæc, *habeo,* ait, *venerande pater; hæreditarii Juris mei fundum quendam, qui* Rameſia *à Compatriotis nuncupatur, paluſtri uligine circumſeptum, talium quales memoras virorum habitationi, ut æſtimo, ſatis congruentem. Nam & ab hominum frequentia alienus, & ſolitariæ conſcius eſt tranquillitatis. Eſt autem locus diverſo arborum genere ſaltuoſus, in quodam ſinu ſuo fecundæ ceſpitis gratam habens planitiem, denſo graminum vellere paſtu pecorum detondendo veſtitum. Olim quidem nulla in eo habitatio, nullum ædificium habebatur, præter ſola ſtabula armentorum meorum, quæ ibidem craſſioris glebæ beneficio alenda conſtitui. Ante paucos vero annos cum graviſſimæ valetudinis ardore decoquerer, & nihil aliud niſi fati beneficium, quo languor ingraveſcens terminaretur, operirer, ex inſperato per vicariam interpoſitæ perſonæ viſionem à beato Benedicto Monachorum patre promiſſionem ſperandæ ſanitatis accepi, adjuncto in mandatis, ut in honorem Dei, & ejuſdem patris memoriam, Monaſterium ibidem ſtatim, recepto vigore corporis, aggrederer fabricare. Cumque viſionis fidem promiſſæ ſanitatis probaſſet acceſſus, intra dies paucos cellulam ibi de ſchemate ligneo interim feci compaginari, donec, opportunitate & viribus receptis, ampliarem Eccleſiam, cum officinis valeam ædificare; in qua etiam jam nunc tres viri, cunctis, ut videtur, ſpretis ſpurcæ carnis oblectationibus, ſibi cohabitant, Monaſticæ ſanctionis normam, ſi adeſſet qui oſtenderet, ardenter noſſe cupientes.* Narravit igitur Dux illuſtris ſancto viro totam ſeriatim viſionem; ſicut in privilegio *Edgari* Regis exarata continetur. Quæ cum audiſſet, gaudens, & Deo gratias agens, ait beatus Oſwoldus, *ſi igitur, vir illuſtriſſime, cœleſti tibi, ut aſſeris, hoc oraculo imperata ſunt & oſtenſa, expedit ut quod juſſum eſt devoto animo exequaris, ſciens proculdubio divinæ propoſitum voluntatis, ut pote jam vicinum operi, non poſſe immutari. Porro ſi conſilio vel — auxilio indiges alieno, in alterutro vires meas labori tuo & piæ ſollicitudini, quicquid potuerunt ſolaminis, noveris præbituras. Hoc ipſum quippe mihi ſtudii fuit ſemper & voluntatis, loca ſcilicet Religioni congrua quærere, viros ſanctos ad Dei ſervitium congregare, congregatos confovere, eorumque neceſſitatibus, in omnibus pro poſſe providere, unde & in quodam dioeceſis meæ vico, habeo hujus vitæ viros ad* XII *congregatos, incolatum iſtum faſtidientes, & cæleſtis deſiderii calore æſtuantes. Horum autem profectibus mundi malitiam me defuncto inviſuram, & ſucceſſoris mei gratiam timeo defuturam. Siquidem in alicujus perſonæ ſecularis electionem, amore & deſiderio ſecularitatis, vota fortaſſis & favor eligentium convenient, qui Epiſcopalis hujus honoris culmen adeptus, novellam plantationem meam extirpare potius quam propagare ſtudebit. Difficile namque cuilibet & inſolitum ejus regulæ habere diligentiam, cujus non novit diſciplinam.*

Inſula Ram. ſancto viro indicatur.

ciplinam. Quapropter ad inſpiciendum ipſum de quo loqueris fundum, tecum convenire mihi quoque non erit oneri, tuæ tantum placeat nobilitati. Et ſi inter nos miti devotione mutua roboretur unitas voluntatum, & paritas ſtudiorum, alterius laboribus aderit profecto provectus pariter & profectus.

CAP. XIX.

Ex voto communi ad inſpiciendum locum ſanctus Oſwoldus *& Dux pariter tendunt.*

AD hæc Dux inclytus alacri voce & fronte ſerena reſpondit. *In omnibus quæ peroraſti, ſanctiſſime Antiſtes, votis meis quam maxime concordas, & affectum meum tua ſibi affectio conformavit. Id ipſum enim, quod à ſanctitate tua petendum decreveram, votum meum ultro provide præveniens, deſidiamque reputans præveniri, humiliter expetiſti. Convenit itaque ut ſibi alterutro alterutrius conſcientia concurrat, & ad honorem Dei utriuſque propoſiti argumenta lucidius innoteſcant. Ad locum igitur arbitrio tuo exponendum pariter ſi placet accedamus, & ex his & illis, quas ambo memoravimus ovibus, unum unius curæ paſtoris committendum ovile conſtituamus, ex alterutris alternæ ſedulitatis impendiis tam Paſtori quam gregi pabula providentes.* His dictis, ſociis Epiſcopis & Baronibus valedicentes, verſus *Rameſiam* iter pariter ambo accelerarunt. Quo cum perveniſſent, Dux venerabili viro, *ecce,* inquit, *pater mi, locus in quo Sanctus Benedictus per vicariam, ſicut ſuperius retuli, fidelis viri manum, domum ſibi monuit fabricari. Ingredere inſulam, inſpice loci ſitum, totius negotii curam tibi ſuſcipe in expedito collocatam. Tuum erit quod voles imperare, in me nulla obediendi mora reperietur.*

Videns ergo vir ſanctus locum mariſcorum paludibus undique cinctum, & multis commoditatibus opportunum, & ab acceſſu populari ſemotum, futurorum præſcium attrahens ſpiritum, *hic eſt,* inquit, *alter Elyſius, viris ſummo Paradiſo deſtinatis ab æterno proviſus. In hoc loco fidei tuæ & devotionis ſpeculum, O amice, viventem æternæ memoriæ tuæ imaginem ſpeculantibus exhibens, per ſucceſſiva futuræ generationis ſecula reſultabit; hæc requies tua in ſeculum, ſeculi hoc fato functus habitabis, quoniam elegiſti eam. Hujus loci ædificandi occaſio aucupata perpetuæ inter nos amicitiæ fœdus continebit, per temporalem ejuſdem ædificationem æternæ incoluminis domus nobis, ſi fidei defectus non obſtiterit, præparabimus manſionem; ſicut ergo, dum candet ferrum, crebris ictibus malleorum in quem voluerit malleator extenuatur uſum, ſic utique, dum adhuc in nobis conceptæ calet igniculus devotionis, opus eſt propoſiti operis exordium maturetur, ne forte intercedente dilatione, alicujus occaſionis ex diaboli invidia tepor prægrediens actionem intentionis, principium fini prohibeat adæquari. Ego itaque, ſi tuæ placet Celſitudini, ad propria cum feſtinatione revertar, quendam virum fidelem, & in talium exercitio negotiorum probatum, tranſmiſſurus, cujus ordinatione & conſilio refectorium parvum cum dormitorio venturis fratribus interim præparetur, donec Nos denuo convenientes, ſuper conſtruendæ baſilicæ forma & quantitate conſilium ſimul accipiamus. Tuæ autem interdum ſollicitudinis & operæ erit, & ad laborem vires, & ad impendia colligere facultates.* Cui placito Duce alacriter connivente, unanimitatem ſuam humilitate mutua paciſcentes, & alterutrum devote ſalutantes, ab invicem diſceſſerunt.

CAP.

CAP. XX.

Vir Domini Wygorniam veniens fratrem Ædnothum Rameſiam tranſmiſit.

VEniens ergo *Wygorniam* vir beatus, venerabilem virum *Ædnothum*, cujus meminit ſermo ſuperior, ſuper injuncto negotio commonitum, & benedictione Patris communitum, fidem dictis ſocians *Rameſiam* tranſmiſit. Quo perveniens vir probatæ experientiæ multimoda loci commoditate delectatus, conductis ſtatim artificibus, Capellam, quam invenit, in ampliorem ſtatum, erexit, officinas quoque neceſſarias juxta modum & formam à Sancto viro ſibi præmonſtratam pulchro ſchemate conſtruxit. Omnibus igitur intra breve tempus ad votum actitatis, familiaris quoque ſilva, quam intra ambitum Inſulæ denſa ſtipitum teſtudine conſertam diximus, vicino beneficio, quicquid ligneæ materiæ artificum induſtria expetiit, conferebat, tranſmiſſo ocius nuncio id patri venerabili intimare maturavit. Ad cujus nuncii fidem præſul ſanctiſſimus maximo exultans gaudio, proſperatori ſtudiorum ſuo Deo immenſas gratias egit, & tempus autumni quo fruges reconderentur utile ratus operiri, quatenus ſcilicet horrea hinc recedens vacua non relinqueret, & huc veniens plena reperiret, futuræ interim profectioni neceſſarios componebat apparatus. At demum veniente tempore votivo, libros & ornamenta divino cultui congruentia manticis impoſuit, ac præmemoratos duodecim fratres de *Weſtbyri*, tanquam novellas XII plantationes de territorio *Wigorniæ* ubere humo *Rameſiæ* inſerendas ſecum emigrans, venerabili viro *Germano* pariter aſſumpto profectus eſt. In die itaque decollationis beati *Johannis* eximii illius heremiticæ profeſſionis viri, perſequente ſe inclyto duce *Athelwyno*, qui ei ibidem juxta condictum vocatus gratanter occurrerat, heremum noſtram ingreſſus, in caulas noviter fabricatas, ſuæque viſitationis gratia ſanctificatas, puſillum gregem introduxit, ubi cum lætitia ſolemni divinis myſteriis celebratis, ordine quo ſupra, *Germano* interiorum, *Ædnotho* exteriorum adminiſtratio commiſſa eſt gerenda. Quibus rite ordinatis, ſanctus Epiſcopus pariter & Dux illuſtris votis ſuis divinam clementiam publicum videntes præſtitiſſe favorem, publice eandem laudis exhibitione perſecuti, filiis ſuis & fratribus ad ſolamen victus & veſtitus, quouſque in prædiorum & poſſeſſionum redditibus utilius eis providerent, certum de communi utrorumque marſupio ſingulis menſibus numerandæ pecuniæ pondus ſtatuerunt. Inito deinde conſilio, tota hyeme ſequenti quicquid provida cœmentariorum ars, tam in ferreis quam in ligneis inſtrumentis, exquirebat, & omnia, quæ futuro videbantur ædificio neceſſaria, præparabat. Emenſa denique hyeme, cum jam conſitum floribus ver caput exereret, *fit congeſtorum diſtractio theſaurorum.* Exquiſiti conducuntur Artifices, conſtruendæ Baſilicæ longituto & latitudo commenſuratur, fundamenta alta propter uliginem undique vicinam jaciuntur, & crebris arietum ictibus inſolidam ſupponendo oneri fortitudinem fortius contunduntur. Operariis igitur tam devotionis fervore quam mercedis amore laborem continuantibus, dum alii lapides comportant, alii cementum conficiunt, atque alii hoc & illos rotali machina in altum ſubminiſtrant, Domino incrementum præſtante opus indies altius conſurgit. Duæ quoque turres ipſis tectorum culminibus eminebant, quarum minor verſus occidentem in fronte Baſilicæ pulchrum intrantibus Inſulam à longe ſpectaculum præbebat, Major vero in quadrifidæ ſtructuræ medio columnas quatuor, porrectis de alia, ad aliam arcubus ſibi invicem connexas, ne laxe defluerent, deprimebat. Juxta eam qua vetus illa antiquitas utebatur, ædificandi formam, ſpectabile ſatis ædificium. Igitur Eccleſia ad ſummam manum evecta eo loci Deo devotorum

Fratres de Weſtbyri ſanctus Oſw. tranſmigr. in Rameſ.

Quomodo Eccleſiam ædificare cœperunt.

Anno Dominicæ incarn. 969.

rum virorum numerus paulatim augebatur. In quorum moribus amor divinus cum mundi odio ipſa etiam ſydera æmulatione ſancta perſtringere videbatur, nec fuit ſanctus Dei famulus *Oſwoldus* horum tantum contentus ſedulitate laborum, ſed etiam Eccleſiam *S. Mariæ Wygorniæ* ab ipſis fundamentis ad ſummum tecti faſtigium devotione ſancta aſperos fallens labores perduxit, ubi ex favore regio, & ſummi Pontificis *Dunſtani* autoritate, propoſita Canonicis ſecularibus Civitatis illius deliberatione, ut *aut præbendis ſuis renunciarent, vel habitum religionis, alterius arbitrio militaturi, ſuſciperent.* Quidam eorum uſitatæ converſationis vetuſtatem pluris habentes quam propoſitæ vitæ novitatem, cedendum elegerunt, & certas ſedes deinceps non habentes vagi per patriam ferebantur. Cæteri vero, quibus & ſenſus inerat & ætas maturior, ſancti viri conſilio ſe dedentes omnipotentis Dei tyrocinio ſunt addicti: quorum unus *Winſinus* nomine, qui cæteris & dignitate generis & opum copia inſignior habebatur, ſeculo renuncians, & habitu Monaſtico amictus *Rameſiam* miſſus eſt, Regularis ordinis diſciplina inſtruendus & inſtituendus, ac deinceps inde revocatus ad *Wigorniæ* Prioratum eſt promotus. Et ibi ergo novello Deo famulantium grege congregato utrique ſanctus *Oſwoldus* ovili viciſſitudinariæ viſitationis impendens ſolatia, ſanctæ exhortationis pabula miniſtrans, illi quidem Pontificis, huic vero Abbatis jure præſidebat. In cujus argumentum veritatis ſchedæ quædam in Eccleſia noſtra hodieque reperiuntur, profeſſiones virorum temporis illius in præſentia ejus celebratas continentes.

Quomodo ſanctus Oſ. Eccleſiam Wygorn. conſtruxit. ubi pro Canonicis Monachos collocavit.

Cap. XXI.

Idem & Vir Domini, expulſis Clericis de Eccleſia Winchelcumbæ, Monachos ibidem congregavit, eiſque præfatum Germanum de Priorum Rameſiæ Abbatem præfecit.

PER idem quoque tempus apud celebre Monaſterium *Winchelcumbæ*, Clericos loci illius ſimiliter ſanctæ calliditatis arte circumventos cedere coegit, eorumque loco Monaſticæ religionis profeſſoribus congregatis, venerabilem virum *Germanum* Priorem *Rameſiæ Ædnotho* ſeniore ei in Prioratum ſubrogato, in Abbatem ordinavit. Demum, quoniam omnis fere literaturæ ſtudium & Scholarum uſus per *Angliam* in deſſuetudinem venerat & ſoporem, tranſmiſſo ſanctus *Oſwoldus* ocius nuncio quendam virum nominatiſſimum *Abbonem*, qui liberalium artium notitiam imis hauſerat medullis, de Cœnobio *Floriacenſi* evocatum, apud *Rameſiam* ſcholas regere & novellas recentis ortuli ſui inciſiones doctrinæ ſuæ rore rigare conſtituit. Is ex mandato ſummi Præſulis *Dunſtani*, apud quem, tam prudentia literarum quam morum virtute, plurimum gratiæ contraxit & amoris, paſſionem Sancti *Edmundi* Regis & Martyris laudabili ſtilo perſecutus totius orbis *Anglici* notitiæ commendavit. Deinceps vero aliquot annis elapſis, ad ſuam denuo Eccleſiam *Floriacenſem* cum honore evocatus, Abbatis eidem officio eſt prælatus, ac poſt plurima adimpleta opera pietatis in *Guaſconia*, indomitæ gentis illius circumventus factione, pro juſtitia tandem interemptus, momentanea morte vitam interminabilem commutavit. Poſt hæc igitur cum *Osketelus Eborum* Eccleſiæ pater vitæ metas exceſſiſſet, Rege *Edgaro* ad Archipræſulis *Dunſtani* admonitionem favente, & Cleri voce votis populi conſonante, ad ſummum Archipræſulatus ejuſdem apicem inthronizatur *Oſwoldus*. Qui eodem anno *Romani* Pontificis *Johannis* pro pallio adiens præſentiam, voti compos læto peregrinationis proventu ad ſedem ſuam remeavit. Sed cum ei tantæ gloriæ ad votum favor arrideret, nequaquam tamen veteres erga Eccleſiam *Rameſiam* affectiones novæ immutavit majeſtas dignitatis, nec labiles adepti faſtigii divitiæ ingenuæ

Sanctus Abbo de Floriaco in Angl. ad Scholas regendas evocatur.

genuæ detinuerunt primitias liberalitatis. Quinimo, communicato cum inclyto Duce *Æthelwyno* conſilio, ambo de communium impendio facultatum, aucupato tempore opportuno, Eccleſiam ſolemniter dedicari ſtatuerunt. Competentibus itaque tam celebri negotio apparatibus procuratis, illius Dioeceſeos Epiſcopus *Alfnothus* in adminiculum votivi laboris advocatur, conveniunt populi, ſcopantur pavimenta, verruntur parietes, tota rerum ſupellex exportatur, altaria ſpoliantur, & tota, quaſi recens baptizandus puer, Eccleſia omni ornatu denudata, DCCCCLXXIV^to^. Dominicæ incarnationis anno, ſexto Idus Novembris, ad Virginis Virginum patrocinium & ſancti *Benedicti* nomen, & omnium Virginum memoriam, à Beato *Oſwoldo* ſolemniter Chriſto annuente dedicatur. Nec dubium fidelium ſuorum ea die votis divinam gratiam affuiſſe, cum clementiſſimi elementi aeris ſerenitate votiva in favorem eorum conſpirare, & ſol eorum devotioni ſolutis radiorum crinibus applaudere videretur. Igitur vir Domini *Oſwoldus*, & glorioſus Dux *Æthelwynus*, dignationem divinam publica gratiarum actione proſecuti, quod pios exhibitæ ſedulitatis ſuæ labores ad felicem votivi proventus finem perduxiſſet, novam nuptam utriuſque irrigui, hic inferioris, ille ſuperioris donario dotaverunt. Siquidem Dux venerabilis non de his quidem, quæ ſibi in finibus hæreditariæ ſortis cecidiſſe videbantur, ne ſucceſſoribus ſuis conquerendi adverſus Eccleſiam præberet occaſionem, ſed de his quæ veno expoſita, ſeu publica cambitione, ſeu domeſtica marſupii familiaris emunctione, libero juri ſuo acceſſerant, in prædiis, redditibus, piſcariis, pratis, & molendinis, multa & præclara Eccleſiæ contulit beneficia. Sanctus quoque *Oſwoldus* ejus fidei congratulans & devotioni, primo locum ipſum orationum ſuarum & meritorum patrocinio, deinceps perpetue valituro, ad ſuperioris irrigui felicitatem communivit. Demum vero quaſdam terras, quas a Rege *Edgaro* vel prece adquiſierat, vel manifeſtæ commutationis, ſive legitimæ emptionis quæſtu obtinuerat, munificentia liberali adjecit. Has donationes univerſas cum aliis aliarum venerabilium perſonarum donariis poſtea collatis, ſuo loco ſingulas in cartis collatorum expreſſe & appoſite, qui legerit, inveniet exaratas. Cum igitur omnia devotione celebri fuiſſent conſummata, pii patris ſedula exhortatione in fide confortati, & benedictione confirmati, poſt refectionem corporalem, quæ omnibus univerſaliter illa die abunde ſatis & ſplendide miniſtrabatur, ſinguli in propria cum gaudio rediere. His utrinque peroratis, quaſi denſitate dumeti & ſpinarum non abſque difficultate penetrata, locum tandem reſpirandi adepti, primi hujus textrini operis hîc telam ſuccidimus, à donationibus beneficiorum noſtrorum cum competenti geſtorum relatione in liciatorio calami ſecundæ portionis fila compoſituri.

Explicit pars Prima.

Incipit pars Secunda.

NUnc igitur per planiorum quidem ſed tamen difficiliorum amfractus & ſemitas viarum, ad declaranda diverſorum temporum diverſa à diverſis perſonis Eccleſiæ *Rameſienſi* collata donaria, ingreſſuri, ab eo qui *via eſt & veritas* petimus dirigi greſſus noſtros, ut veſtigia relationis propoſitæ metas veritatis non excedant.

Sæpe quidem contingit ut poſſeſſiones & prædia, quæ viris Eccleſiaſticis & religioſis à ſecularibus in Eleemoſynam conferuntur, per ſimplicitatem aut incuriam tam Prælatorum quam ſubditorum, violentia calumniantium prævalente ab Eccleſiis alienentur; hujuſmodi autem mali enormitatem, ne quid religioſorum patientiæ videretur deeſſe virtutis, præſentium maxime dierum malitia ſuſcitavit, cum paternæ devotionis calumniatores filii accedunt, & avitæ impudenter derogantes pietati, viros foro judiciali inſuetos calliditate circumveniunt ſeculari, vocantes in jus, qui, quid ſit hujuſmodi jus, penitus ignorant. Impugnant qui debuerant oppugnare. Calumnias inſtruunt, quorum erat potius calumniatoribus obviare: plerumque igitur vincit poteſtas, & deprimitur paupertas, paucitas occumbit & prævalet multitudo, Juſtitia præteritur, innocentia condemnatur. Sicque religionem fatigatam his diebus ſecularium affligit ambitio, ut ſingulare miſeriæ ſit remedium uſus ſufferendi; ubi tamen, Dei renitente clementia, non prævalent filii penitus abripere, quæ patres contulerunt, ibi nihilominus alterius utuntur genere infeſtationis, dum triplicata ſeu quadruplicata annui commeatus frequentatione, quaſi debitam ſibi ex patrum beneficiis hoſpitalitatis per ipſas Eccleſias exigentes penſionem, per partes abſumunt, quod ſimul & ſemel totum nequeunt obtinere. Verumtamen quantumlibet proficiat vel deficiat verſutia filiorum, patrum devotio meritum vel memoriam non amittit. Eapropter præſenti hujus operis diſtinctioni univerſa, quæ memoratæ Eccleſiæ à prima ejus fundatione collata ſunt, beneficia, tam ſervata quam amiſſa, vel publica cambitione commutata, cum benefactorum nominibus duximus inſerenda, quatenus licet ipſa nobis aliqua perierint occaſione, memoria tamen juſtorum cum laudibus perſeveret.

CAP. XXII.

Inclyti Regis Ædgari *donaria, quibus Eccleſiam Rameſiam inſignivit.*

CUM igitur prima hujus baſilicæ fundamenta illuſtris Rex *Ædgarus*, prece & inſtantia Archipræſulis *Oſwoldi* provocatus, in neceſſarios incepti ædificii ſumptus, quinque Hidas apud *Burwell* liberalitate regali largitus, ſcripto ſuo eidem Eccleſiæ perpetuo poſſidendas confirmavit. Itemque idem Rex, ad petitionem ejuſdem ſancti Pontificis, in devotionis ſuæ memoriale æternum, dedit Eccleſiæ *Rameſienſi* & fratribus ibidem Deo ſervientibus, & per ſucceſſiva tempora ſervituris, Eccleſiam de *Guthmunceſtria* cum tribus Hydis terræ; & regalis munificentiæ donum ſcripto, quod hodieque apud nos habetur, confirmavit. Qualiter autem hæc Eccleſia cum memorata ruris portione à nobis alienata ſit, in ſequentibus noſſe cupienti curabimus indicare. Perpendens præterea jam dictus Rex *Chriſtianiſſimus* ſæpe memoratam *Rameſienſem* Eccleſiam in divina religione ſuccreſcere, & gregem ibidem Deo famulantium tam merito quam numero adaugeri, ad devotionis ſuæ cumulum, pro pace & firmitate regni ſui, dedit eis etiam unam Hidam terræ, quæ fuerat cujuſdam viri *Turkemeri* (*al. Turremanni.*) nomine, in *Stivecle*, & duas Campanas xx[ti]. librarum pretio comparatas.

CAP.

cariam *Rameſienſi* Eccleſiæ contulit cum manſis & toſtis piſcatorum. Terram quoque de *Brinintonia*, quæ poſt patris ſui obitum, & decem hidas, quæ poſt deceſſum matris in hæreditariam ſibi ſortem ceciderunt, dedit *Rameſiæ*, pro ſua & utriuſque parentis ſalute. Hæc eſt illa terra de *Weſtonia*, quam ſicut ſupra in prima hujus opuſculi diſtinctione retulimus, Rex *Ædgarus* dederat eidem *Alfwenæ* matri Comitis, pro ea quam ſibi in cunabulis impenderat ſedulitate nutrituræ. Dedit etiam idem vir Deo devotus *Alwinus* x hidas apud *Gidding* & *Wedeton*, quas ſub Regis & Optimatum teſtimonio, appenſo cuidam viro *Othengaro* non modici æris pretio, juſto poſſederat titulo emptionis. Nec in his quoque fervori devotionis ſuæ terminum ponens, dedit ſeptem hidas apud *Stivecle*, & quandam partem x hidarum, quas habuit apud *Tofte*, pro anima jam dictæ *Athelfledæ* uxoris ſuæ, pro alia vero illarum hidarum parte, ut integre omnes cederent Eccleſiæ *Rameſienſi* in poſſeſſionem, à fratribus ejuſdem loci accepit in eſcambium terram quandam de [*Lincolnia*,] quam vir quidam *Wlfhunus* nomine in liberam eis contulerat eleemoſinam, quando ſeculo renuncians Collegio eorum ſociatus eſt. Porro terram de *Acleia* prædictis donationibus ſuis vir fidelis adjecit, quam quidam Presbyter *Kinemundus* nomine, vivendi finem faciens multis teſtibus ei in Teſtamento reliquit. Dedit etiam VI hidas in *Wammaford*, quas poſtea fratres *Rameſienſes* per poſterorum calumniam ſibi ablatas, numerata pecunia redemerunt, pratum præterea apud *Hoctton.* & molendinum, quod à quodam cognato ſuo, *ſerico* dato ei non modico probatæ monetæ pretio, comparaverat, eidem Eccleſiæ in jus perſeverabile conceſſit. Terram quoque de *Hemmingford*, quæ oppido *Huntingdon* ex oppoſita parte fluvii *Uſæ* habetur vicinior eidem Eccleſiæ, in fidei ſuæ & devotionis monumentum contulit ſempiternum; hanc autem terram, quia acceſſu propriore ſibi erat acceptior, in publicam & legitimam acceperat permutationem à Sancto *Athelwyno Wyntoniæ* Epiſcopo pro terra de *Hathfeld*, multis à præfato Epiſcopo precibus ſollicitatus, XXX ſcilicet hidas pro XL, fertilitatis forte vel vicinitatis gratia pluris reputans pauciores.

[*al. Lintonæ.*]

Nota pro molendinis de Hoctton.

CAP. V.

Quod duos Martyres Æthelredum *atque* Athelbrithum *Rameſiam transferri fecit.*

SUB eadem tempeſtate duo gemelli fratres *Athelredus* atque *Athelbritus*, ex ingenuo antiquorum Regum ſtemmate oriundi, & poſt obitum patris, cum ad debitam ſibi aviti beneficio ſanguinis Regni ſuccreſcerent [vel adoleſcerent] dignitatem, edaci cujuſdam nebulonis livore innocenter jugulati, apud villam venerabilis Aldermanni *Wacheringe* nomine, antiquitus habebantur in Eccleſia conſepulti. Quos cum pietas divina martyrii gloria ſublimatos nonnullis ſignorum indiciis declaraſſet, viſum eſt eidem Aldermanno minus eis ibidem honoris & reverentiæ, quam deceret, exhiberi; eorumque pignora fecit cum devotione condecenti *Rameſiam* transferri, Eccleſiam ipſam, & omnium donationum ſuarum conſummationem, duarum pretioſarum gemmarum illuſtratione perornans.

CAP. XXVI.

Quarundam perſonarum commendatio, quæ plurima Rameſienſi *Eccleſiæ terrarum donaria, in plena corporum ſoſpitate, facto Teſtamento, cum Cyrographis ſuis, provida diſpenſatione contulerunt.*

DIgnitas conditionis humanæ à primæva ſuæ originis radice cupiditatis mundanæ obelo ſauciata, per traducem ſucceſſivæ generationis li-

neam eo uſque ſuæ corruptionis morbum transfudit, ut noſtri nunc noviſſimi temporis viri & mulieres, quibus divitiarum ad votum affluit copia terrenarum, etiam in extremis agentes vix earum pondus deponant & amorem; unde nonnunquam contingit ut plerique, dum ſibi ſpatium vitæ diuturnioris promittunt, ægrotantes, ſpei ſuæ augurio decepti flebiliter decedant inteſtati. Sed non eſt ſalubris conſilii pro ſpe caduca & incerta, certa & æterna ſubire diſpendia. Proinde antiquorum plurimi, quos meliora ſecula procrearunt, & quibus uberior inerat virtutum vigor & gratia, nulla adhuc valetudine tacti, ſed dum propenſius eis mundanæ proſperitatis cum plena corporum ſoſpitate favor arrideret, de rebus ſuis, quid cuique religioſorum locorum poſt ſe pro animarum ſuarum ſalute cedere debuiſſet, incertæ vitæ certa fallentes diſpendia, provide diſponebant. Teſtamentum quoque ſuum contra futuræ generationis malitiam commendabant, quatenus authentica ſcripta exquiſitam poſteris publicæ atteſtationis exhiberent veritatem, nihilonimus tamen eorum aliqui ea, quæ alienis deputabant, propriis, quoad viverent, uſibus reſervabant. Scientes juxta Apoſtolicæ ſententiæ fidem, *Teſtamentum in morte ſolummodo teſtatoris confirmari, vivente vero teſtatore, non valere.* De qualium numero quarundam hîc perſonarum mentionem cum beneficiis, quæ nobis hoc modo contulerunt, & benefactorum Cyrographis dignum duximus annotare. *Vide caput* 130.

CAP. XXVII.

Cyrographum Wlfgivæ *Comitiſſæ, quæ dedit Bramceſtriam.*

IN *Nomine Domini Ego* Wlfgiva *omnibus notum facio hoc, quod omnipotenti Deo concedere volo, poſt dies meos, pro anima mea, villam ſcilicet de* Bramceſtr. *do Deo & Sancto* Benedicto *de* Rameſia, *hoc volo ut firmiter ſtet & à nullo hominum immutetur. Hoc ſcriptum fuit in tribus partibus diviſum, quarum una remanſit in manibus* Æthelſtani *Epiſcopi, alteram mecum retinui, tertiam obtuli* Rameſiæ, *Deus optimus cuſtodiat omnes quicunque hoc cuſtodire voluerint, & qui hoc immutare attentaverit, Deus illum ad juſtitiam & emendationem revocet,* Amen.

CAP. XXVIII.

In hac Scriptura continetur, quomodo Æthelgiva *Comitiſſa, pro animæ ſuæ ſalute, dedit Eccleſiæ* Rameſiæ Stowe, *& alia quædam donaria in auro & argento, ſicut Anglice Scriptum invenimus.*

EGO Athelgiva *Comitiſſa do & concedo Eccleſiæ* Rameſiæ *ad honorem Dei & Sancti* Benedicti, *& ad animæ meæ ſubſidium ſempiternum, terram meam de* Stowe *& de* Brunne, *ita libere & quiete poſſidendam, ſicut ipſa eam unquam liberius & quietius poſſedi, & novum molendinum, & unam marcam auri, cujus medietas in uſus Monaſterii neceſſarios cedat, de altera vero medietate refectio fratribus procuretur, & duos ciphos argenteos de* XII *marcis ad pondus huſtingiæ* Londonienſis, *ad ſerviendum fratribus in refectorio, quatenus, dum in eis potus edentibus fratribus miniſtratur, memoria mei eorum cordibus arctius inculcetur. Eſtote fratres chariſſimi memores mei erga eum cujus gratia indigeo. Deus autem ſit vobis propitius, & ego vobis fida ſoror ero, quamdiu duraverit tempus meum.*

CAP.

CAP. XXIII.

Donationes quædam Sancti Oſwoldi.

DEinde vir Domini *Oſwoldus* calliditatis & malitiæ, quam hac noſtra ætate contra ſimplicitatem veterum & fidem turgeſcere videmus, præſcius & index, miſſis nunciis ad Johannem Papam, qui tum temporis Romani Pontificatus arcem tenebat, privilegium ſuum in libertatem & munimentum Eccleſiæ noviter conſtructæ & dedicatæ adquiſivit, ne ſucceſſoribus ſuis calumniandi occaſio arrideret, nihil de Epiſcopii jure, ſed quæ familiaris loculi emunctione in jus ſuum tranſierant, veno expoſita, ſeu quæ legitima cambitione fuerant adquiſita, hæc ſola Eccleſiis quarum vel fundator extiterat vel patronus, liberius & quietius poſſidenda conferre ſtuduit & confirmare. Emerat igitur à Rege *Ædgaro* villam, quæ § *Nidingworth* dicitur, competentis pretii mutatione, multis ſcilicet & pretioſis reliquiis, quæ in duabus crucibus de ſexies xx[ti]. marcarum auri pondo fabricatis continebatur. Pro qua itidem villam de *Wyſtowe*, quia Eccleſia *Rameſiæ* vicinior acceſſu magis competens erat & receſſu, à memorato Rege in eſcambium accepit, acceptam Deo & Sancto *Benedicto* in perpetuam ſolemniter tradidit hæreditatem: provida autem Anteceſſorum noſtrorum ſagacitas ſuſpecta prudenter præcavens pericula, prædictam villam de *Nidingworth* pro commutatione memoratæ Eccleſiæ, & trium hydarum de *Gumeceſtria*, Eccleſiæ *Rameſienſi* in funicularem hæreditatis perpetuæ ſortem redemit, ſicque, quemadmodum ſuperius promiſimus referendum, eadem Eccleſia & terra in alienæ jus poteſtatis uſque hodie conceſſit. Dedit præterea vir ſanctiſſimus *Oſwoldus* quinque Hidas apud *Burwell*, alias ab illis quas piiſſimum Regem *Ædgarum* ſuperius retulimus nobis contuliſſe. Hæc eſt illa terra, quam, ſicut in vetuſtiſſimis ſcedulis Anglice ſcriptum reperimus, vir quidam *Edwynus* nomine, filius *Othulfi*, venerabili antea conceſſerat Archiepiſcopo *Odoni*, pro mercede ſollicitudinis & laboris, quo Regem *Ædredum* ad conſenſum inflexerat, ut ei liceret filiam cujuſdam viri *Vlfi*, quam concupiverat, maritali ſibi fœdere copulare; hanc autem donationem cum Presbyter quidam *Æthelſtanus*, prædicti Archipræſulis *Odonis* Germanus, inficiari conatus, ejuſdem terræ medietatem ſuo juri legitime competere allegaſſet, pacificus Chriſti vernula *Aylwynus* Aldermannus, facultatum ſuarum diſpendio ſemper *Rameſienſi* Eccleſiæ obvians detrimento, datis ei in mutuam commutationem pro eodem agello octoginta marcis auri, ſub teſtimonio Regis *Ædgari* & *Dunſtani* Archipræſulis, & *Alferi* & *Oſlaki* Comitum, omnem calumniæ viam obſtruxit, & jam dicto viro poſteriſque ejus perpetuum ut putabatur ſuper hoc ſilentium indixit. Poſtea vero, quia rebus humanis nil ſolidum, nil diu quietum, piiſſimo Rege *Edgaro* vitæ præſenti exempto, quidam *Wynſigus* à præfato *Othulpho* longam conſanguinitatis lineam trahens, ex ſola ſucceſſionis hæreditariæ fiducia, ſine ulla auctoritate judiciali memoratas quinque hidas ſibi vindicavit, manſumque ſuum in eis conſtituit; unde vir illuſtris *Ailwynus*, nobilis animi, indignationem nobilis iræ ſtimulis urgens, tantæ temeritatis præſumptionem ferro vindice ulciſci ſpiravit, & profecto tumentis pectoris opus expleſſet, niſi cujuſdam fratrum *Rameſiæ Ædnothi* nomine, prudens & provida diſcretione obſtitiſſet. Qui cum homicidium in damnum Eccleſiæ *Rameſienſis* factioſa contrariæ partis criminatione redundare poſſe manifeſta affirmaret ratione, pacatum prudentis viri animum à propoſito revocavit. Deinde communicato idem frater *Ædnothus* ſalubriori conſilio majores & prudentiores de Comitatu *Cantebrigiæ* convocavit, quorum opera & induſtria ad hoc memoratum *Wynſigum* induxit, ut quandam terram de

§ *Al. Wid.*

Præſumptio Wynſigi.

Delſingtune, in mutuam jam dictæ terræ de *Burwell*, *Cambitio* gratanter acciperet. Sicque eadem terra in jus *Rameſienſis* Eccleſiæ rediit ab omni, tam ipſius *Wynſigi* quam totius poſteritatis ſuæ, calumnia ſoluta penitus & quieta. Cujus laboris proventu quidam vir *Alſgarus* nomine, Aldermani familiaris & à ſecretis, congratulans prædictæ terræ ab omni reclamatione jam liberæ, domos ſuas & curiam, tres quoque hidas cum XL. acris, & unam præterea virgatam, & Eccleſiam de *Burwell*, cujus fuit advocatus, pro ſua prædeceſſorumque ſuorum animabus mera liberalitate adjecit,

Cujuſd. viri Alſgari donaria.

Donatio Athelgivæ.

Quædam quoque matrona, *Æthelgiva* nomine, aliorum provocata devotione & exemplo, dedit Deo & Sancto *Benedicto Rameſienſi* in eadem villa LX. Acras & unam virgatam terræ, quæ fuerat *Guthredi*, & VIII hydas apud *Exninge*. Fratres quoque *Rameſienſes* favorem divinum cum gratia ſibi temporis arridere cernentes, plurimas ibidem terras tam in campo arabili, quam in villæ manſis, multi æris pretio comparaverunt. Sæpe dictus etiam *Wynſigus*, læſam præcedentis temeritate facti Dei & Eccleſiæ *Rameſienſis* gratiam, plenius ſibi geſtiens reformare, ſub teſtimonio Aldermanni & uxoris ſuæ & filiorum dedit dimidium hidam in *Stivecle*. Cujus occaſione doni fratres *Rameſienſes* poſtea, dato cuidam filio ejuſdem *Wynſigi* competenti pretio, aliam hidam integram in eadem villa juſto emptionis titulo poſſederunt.

Prædicti Wynſigi Donatio.

CAP. XXIV.

Hîc annotantur Donaria quibus inclytus Dux Æthelwynus *Eccleſiam* Rameſienſem *dotavit.*

HÆC vero ſunt, quæ piæ recordationis Dux *Ailwynus*, tanquam pater filiæ maritatæ dedit Eccleſiæ *Rameſienſi*, in jus patrimoniale perpetuo poſſidenda. Primo ſcilicet *Inſulam* ipſam, ubi *Xenodochium* conſtructum eſt, cum adjacentibus maris & ſtagnis. Deinde terram de *Upwode*, quam à Rege *Edgaro* regalis munificentiæ largitate cum vicinorum gurgitum piſcariis ad eam pertinentibus fuerat aſſecutus. Ibi tamen aulam ſuam & curiam tanti viri nobilitati in vita ſua habuerit congruentem. Quia enim locus & nemoribus conſitus & mariſcorum paludibus erat vicinus, frequenter ibi in venatu & aucupatione [vel aucupio] ſpatians morabatur. Dederat ei præterea idem Rex *Rafleam* illam, quæ propinquior prædictæ villæ de *Upwode* adhæret, quam ipſe itidem Deo & Sancto *Benedicto* cum Dominio & debito hominum ſervitio in perpetuam hæreditatem conceſſit. Dedit etiam totum quod juri ſuo in *Saltretha* competebat. Nam pater *Æthelfledæ* uxoris ſuæ cum adhuc viveret & quandam ejus ruris portionem legitimo patrimonii jure poſſideret, dedit eam cuidam viro, *Æthelſtano* nomine, Aldermanno, in mutuam alterius cujuſdam terræ, quæ ei erat acceptior, permutationem: poſtea vero eadem *Æthelfleda* patre ſuo prædicto & eodem *Æthelſtano* alea fatali deluſis, ſuper terra memorata calumniam inſtruens ordine judiciario eam in hæreditariæ ſortis ſuæ jus revocavit, revocatam deinceps Deo & Sancto *Benedicto Rameſienſi* cum funere corporis ſui conferens, in redemptionem peccatorum ſuorum, & pretium ſepulturæ. Idem præterea verus Iſraelita *Aylwinus* terram de *Helingeye*, quæ undique aquis accincta eſt & profunda uligine mariſcorum, dedit *Rameſiæ*, cum *Snores Berewico* ſuo, quod foris Inſulam habetur, & molendino adjacente. Medietatem quoque piſcariæ ejuſdem loci dedit Eccleſiæ, alteram vero partem filiis ſuis dedit. Etiam quinque hidas apud *Walſokne*, & dimidium piſcariæ ſuæ, quæ eum in *Wella* contingebat; poſtea vero, terminum vitæ poſiturus, alteram medietatem reliquæ adjiciens portioni, totam ſimul piſ-

Donum Æthelfledæ Uxoris Aldermanni.

Cap. XXIX.

In hoc ſcripto, quod de Anglico latinum fecimus, declaratur quomodo Æthelſtanus *Manveſſone in vita ſua de poſſeſſionibus ſuis & terris diſpoſuit, & hoc* Ailwyno *Aldermanno, & cæteris amicis ſuis notum fecit & quid poſt ejus obitum exinde factum ſit.*

INprimis *Æthelſtanus Manveſſone* conceſſit ſancto *Benedicto Rameſiæ* terram de *Chateriz*, pro animæ ſuæ ſalute, cum dominio & hominibus, cum gurgitibus & piſcariis, ſicut ipſe & pater ſuus eam unquam melius & plenius habuerunt, & terram de *Walde* Sanctæ *Ætheldrithæ* de *Ely*, & per omnes terras ſuas, de xxx hominibus numeratis, xiii manumiſit, quemadmodum eum ſors docuit, ut in quadrivio poſiti pergerent quocunque voluiſſent. Uxori vero ſuæ dedit in dotem *Clopham* & *Gravele*, *Wereſle* & *Elleſworthe*, quatuor ſcilicet has terras in vita ſua poſſidendas, poſt mortem vero ejus ut remanerent Sancto *Benedicto*, pro ſua utriuſque ſalute. Medietatem quoque terræ de *Cnapwelle* dedit eidem uxori ſuæ, & alteram medietatem *Leſſio* cognato ſuo. Conceſſit etiam memoratæ Uxori ſuæ facere quod voluiſſet de terra de *Owra* & de *Haliwelle*, Filio autem ſuo conceſſit terram de *Coteham*, ſi amicorum conſilio adquieſcere voluiſſet, ſin autem, in diſpoſitione *Aylwyni* Aldermanni eadem terra remaneret. Dedit præterea primogenitæ filiæ ſuæ terram de *Grantedene*, quam *Æthelſneta* mater ejus ſpiritualis, quæ eam de ſacro fonte levaverat, ei conceſſerat, & ſorori ejuſdem duas hidas apud *Hettenleiam*, & *Alfwennæ* juniori filiæ ſuæ quandam terram de *Slepe*, & terram de *Haggethorn*; poſt mortem puellæ decrevit eandem terram Eccleſiæ *Rameſienſi* venire in poſſionem, ſi vero hæredem haberet in vita ſua, eandem terram hæres teneret, poſtea *Rameſienſi* Eccleſiæ pro ſua & Anteceſſorum ſuorum animabus remanſuram. Dedit etiam *Leſſio* reliquam terram de *Hettenleia*, & filio fratris ejus terram de *Pottune*, poſt mortem *Alfæ*, ſi erga eam dirationare poſſet, quod ipſa eam cuiquam dare non deberet. Itemque præfatæ uxori ſuæ dedit medietatem totius piſcariæ de *Welle*, & conſuetudinalium præſentationum alteram medietatem filio ſuo & duabus filiabus. Poſt obitum igitur ejuſdem *Athelſtani*, uxor ipſius, parentum inducta ſuggeſtione, huic teſtationi omnino contradixit, Conventionem quandam excogitatam prætendens, quam, ut dicebat, inter ſe habuerant ipſa & vir ejus, dum adhuc viveret. Rogavit itaque mulier fratres *Rameſienſes*, ut ei liceret libere poſſidere terram de *Elleſworth*, ut quicquid de ea diſponeret ratum eſſet, & ſtabile, tam in vita quam poſt mortem ipſius, & ipſa eo pacto totum reliquum ſtare permitteret, ſicut ſuperius ſcriptum eſt. Tunc fratres, communicato ad invicem conſilio, animam defuncti fide quam viventi promiſerant nolentes defraudari, quia in eis ſpem habuerat, quod liberos ſuos poſt mortem ſuam adjuvarent, conceſſerunt mulieri terram, quam petierat; ea tamen interpoſita conditione, quod terra de *Slepe*, poſt dies prædictæ *Alfwennæ* filiæ ejus, tota ſimul *Rameſienſi* Eccleſiæ remaneret, ſive haberet liberos ſive non; Mulier igitur placito adquieſcens, hoc totum affidavit in manu Sancti *Oſwoldi* Archiepiſcopi cognati ſui, fidejuſſoria inſuper præſtita cautione. Hoc totum factum fuit apud *Slepe*, in die qua præfati *Æthelſtani* anniverſaria commemoratio agebatur, ſub teſtimonio *Æthelſii*, filii *Æthelſtani* Aldermanni, & *Leofrici* filii *Æthelwyni* Aldermanni, *Edrici*, *Lefrici*, *Lefwyni* filii *Ætholfi*, *Alfnothi* de [*Ailricheſeya*,] *Oſwardi* Presbyteri, & aliorum multorum, qui Conventioni huic interfuerunt. Indicet altiſſimus eum, qui hoc immutare præſumpſerit, quod ipſi cum vadio & fidejuſſoribus inter ſe confirmaverunt. [*al. Aifricheia.*]

Cap.

CAP. XXX.

Iſtud eſt Chirographum Alfelmi *&* Affæ *Uxoris ejus de terra de* Pottune, *& de* Hettenleia, *quarum priorem, ſicut in ſuperiori ſcriptum continetur,* Æthelſtanus Manuſſone *dederat* Leſſio *cuidam agnato ejuſdem* Alfelmi, *poſteriorem vero cuidam filio fratris ſui, ſi erga eandem* Affam *diratiónare poſſet, ſed quia non potuit, idcirco eadem* Affa *eam dedit* Rameſiæ, *ſicut inferius Scriptum continetur.*

IN *nomine Domini Ego* Alfelmus *&* Affa *uxor mea notificamus præſentis ſcripturæ judicio,* Ailwyno *Aldermanno & multis amicorum noſtrorum cum eo, nos pro animarum noſtrarum ſalute dediſſe & conceſſiſſe Deo & Sancto* Benedicto *de* Rameſiæ *terram de* Hattenleia, *& terram de* Pottune, *cum omnibus ad eaſdem terras pertinentibus, in liberæ eleemoſynæ munus æternum, & ut hoc apud generationem naſcituram ratum habeatur & firmum, præſentis paginæ munimine, ſub eorum omnium teſtimonio apud* Wathameſtede, *devotionis noſtræ donationem roboravimus.*

CAP. XXXI.

Quomodo villa de Hocton confertur nobis.

PIÆ memoriæ *Alfwoldus Ailwyni* Aldermanni germanus, qui celebribus quatuor cauſis, prudentia ſcilicet ſeculari, probitate militari, generis nobilitate, & morum venuſtate, apud omnes ſui temporis clarus habebatur & inſignis, fraternæ fidei devotionem æmulans, dedit Deo & Sancto *Benedicto Rameſiæ, Hocton* & *Witton, Ripton* quoque cum *Weninton, Britherne* & *Elinton,* nobili ingenuæ mentis largitate æternalis, in eodem loco memoriæ fructum & decus ſibi egregium comparans ſepulturæ. Ipſo tamen rogante & fratribus *Rameſiæ,* ejus placito conniventibus *Alfild,* legitima ejus Conjux omnes memoratas terras præter *Hocton* & *Witton,* in vita ſua nomine Eccleſiæ tanquam uſu fructuaria poſſedit, poſt fata ipſius & poſſeſſionem ejuſdem Eccleſiæ juſto præfatæ donationis titulo reddituras.

CAP. XXXII.

Iſtud eſt Cyrographum præfatæ Alfildæ Comitiſſæ, *uxoris ſupra memorati* Alfwoldi *Comitis, in quo continetur quomodo in fata conceſſura reſignavit Eccleſiæ* Rameſiæ Ripton, *&* Weninton, *&* Elinton, *&* Bitherne.

IN *nomine Domini Dei ſummi, Ego* Alfild, *notum facio omnibus amicis meis, quomodo diſpoſui de rebus & poſſeſſionibus meis, quas vir meus* Alfwoldus *Comes frater* Ailwyni *Aldermanni, mihi & liberis meis conceſſit. Imprimis igitur concedo Deo, & Sanctæ* Mariæ, *& Sancto* Benedicto Rameſiæ, *terram de* Ripton, *& terram de* Weninton, *& terram de* Elinton, *ſicut prædictus vir meus* Alfwoldus *eas adhuc vivens viva voce eidem Eccleſiæ conceſſit. Concedo etiam* Ædnotho *filio filiæ meo, ut ſi fratres* Rameſiæ, *eum in Monachum ſuſcipere voluerint, terra de* Bitherna *ſimul cum eo cedat* Rameſiæ *in poſſeſſionem, quod ſi noluerint, nihilominus concedo eandem* terram præfatæ Eccleſiæ pro animæ meæ ſalute, Concedo præterea *Almaro* Capellano meo terram de *Cloptuna* in *diebus ſuis libere tenendam, poſt dies vero ejus remaneat ſimul cum cæteris terris Eccleſiæ* Rameſiæ. *Rogo autem Deum omnipotentem, ut quicunque vel parentum meorum vel*

vel hominum cæterorum contra hoc venire præſumpſerit, vel quicquam horum immutare, iram Judicis æterni cum reprobis Angelis incurrat, niſi vivens delictum ſuum emendaverit. Amen. Iſte quem ſupra memoravimus *Ædnothus*, prædictæ *Alfildæ* ex filia nepos, ſicut à pleriſque conjicitur, fuit ille quondam *Slepenſis* prædii præpoſitus, qui, cum divinæ placuiſſet pietati Sancti *Ivonis* ſociorumque ejus oſſa revelari, relatæ ſibi viſionis temere fidem irridens, ipſum *Sanctum Sutorem* vocavit, à quo etiam, in temeritatis ultionem, perſeverantis uſque in finem valetudinis ocreas accepit, quatenus videlicet traditus hujuſmodi Sathanæ in interitum carnis, in Die Domini ſpiritus ſalvari mereretur.

CAP. XXXIII.

Quod non omnes Donationes, quæ ſub eodem tempore Eccleſiæ Rameſiæ *ſunt collatæ, hîc annumeratæ ſint.*

HÆC igitur, quæ prætaxavimus, in diebus illuſtriſſimi Regis *Ædgari*, Eccleſiæ noſtræ collata ſunt terrarum donaria, quæ in vetuſtiſſimis ſcedulis, Cartarum ſeu *Cyrographorum* formam prætendentibus, univerſa fere *Anglice* ſcripta invenimus, inventa in latinum Idioma transferri curavimus, tranſlata huic libello ſeriatim cum rubricarum annotationibus ad notitiam lectorum inſerentes. Notandum vero quod nullis eædem ſcedulæ ſigillorum impreſſionibus ſunt munitæ, quia videlicet inverſivas hujuſmodi figurarum facies, quæ creſcenti cum dierum malitia aſtutæ hominum calliditati noſtris nunc temporibus opponuntur, ſimplex illa antiquitas non habebat. Nonnullæ quippe aliæ donationes, ab aliis eodem tempore memoratæ, Eccleſiæ donatæ ſunt, quarum chartæ vel cyrographa, quia vel vetuſtate conſumpta ſunt, vel per incuriam perierunt, noſtro eas ſtilo declarare ſuperſedimus; maxime quia in ſubſcripto præfati Regis *Edgari* privilegio commemoratas inter alia & confirmatas, ad veterum fidem & devotionem commendandam, & præſentis tempeſtatis malitiam refellendam, valere ſatis arbitramur. Vir quidem dives *Godricus* nomine, vitæ æternæ adipiſcendæ deſiderio tactus, dedit Eccleſiæ *Rameſienſi*, in pretium ſalutis æternæ, totam terram ſui juris in *Grettona*, ſub teſtimonio *Brithnothi* & *Germani* Albani, *Ædnothi* præpoſiti, & omnium fratrum *Rameſienſium*, & *Wlfnothi*, de *Stowe*, *Alfnothi* filii *Godnigi*, *Leſſii* filii *Godæ*, & aliorum proborum hominum plurimorum. Sub eodem quoque tempore erat vir quidam in territorio *Eboracenſi*, *Ærnketel* nomine, cum uxore ſua *Wlfrun*, generis & patriæ notitiam nominis indicio declarans. Qui ambo venuſtate morum natales ingenuos perorantes, & in incerto divitiarum nullam ſibi penitus fiduciam ſtatuentes, ex aſſenſu communi decreverunt ut terra ſua de *Hikelinge*, & de *Kinildetune*, poſt obitum ſuum, in redemtionem peccatorum ſuorum, Eccleſiæ *Rameſiæ* cederet in poſſeſſionem. Quod ut ratum apud poſteros haberetur, ſubſcripto Cyrographo ſuo hoc confirmaverunt, & Eccleſiam exinde ſarſierunt.

CAP. XXXIV.

Chirographum Ærnketel *&* Wlfrun *uxoris ejus.*

EGO Ærnketel *&* Wlfrun *uxor mea*, Æthelredo *Regi Domino noſtro, & omnibus ſuis de* Eboraco *& de* Notingeham, *notum facimus nos conceſſiſſe, & præſenti Cyrographo confirmaſſe Deo, & Sanctæ* Mariæ, *& Sancto* Benedicto *de* Rameſia, *poſt dies noſtros, terram noſtram de* Hikelinge, *& terram de* Kinildetune,

tune, *cum firma & ſervitio, ſicut habetur in dominio noſtro, volumus autem ut poſt dies noſtros corpora noſtra ibidem, ſi Deo placuerit, ſepulta requieſcant, & ubicunque alter noſtrum vitam finierit, fratres* Rameſiæ *venientes, cum cuſtamento tam ſuo quam amicorum noſtrorum, corpus defuncti* Rameſiam *deferant tumulandum. Et ego* Ærnketel *volo, quod in pretium ſepulturæ meæ & animæ ſalutem proveniant Eccleſiæ* Rameſiæ xv. *libræ de argento, & auro, & catallis, quæ die defunctionis meæ apud me contigerit inveniri, pro ſalute vero animæ præfatæ uxoris meæ & corporis ſepultura, remanebit eidem Eccleſiæ terra de* Lochantona *cum catallis omnibus, quæ in ea invenientur. Ego autem* Wlfrun *ſingulis annis vitæ meæ, ad feſtum Sancti Benedicti, quod eſt in æſtate, decem mittas de braſio, & v. de Grut, & x. mittas farinæ triticeæ,* & VIII. *pernas,* & XVI. *caſeos,* & *duas vaccas pingues de terra mea* Hikelnige, *pro reſpectu decerno eidem Eccleſiæ procurari; in capite vero quadrageſimæ* VIII *iſicios. Quicunque ergo hanc donationem infringere præſumpſerit, vel permutare, animadverſionis æternæ in die Judicii coram Deo reus exiſtat, niſi condigna pœnitentia temeritatem ſuam correxerit. Nec liceat cuiquam Epiſcopo vel Monacho has terras pro auro vel argento permutare, ſed ſint ſemper in poſſeſſione Eccleſiæ, cui eas per hoc Cyrographum ſtuduimus confirmare.* His patre & matre natus eſt bonæ indolis puer *Æthelſtanus*, quartus poſtea *Rameſienſi* Eccleſiæ Abbas.

CAP. XXXV.

Quomodo viri Deo devoti Sanctus Oſwoldus, *& Dux* Æthelwinus, *Regem* Edgarum *de confirmandis per ſuum priuilegium univerſis præſcriptis adeuntes convenerunt.*

POſt hæc ergo Sanctiſſimus Archipræſul *Oſwoldus*, & urbaniſſimus dux *Ailwynus*, ante ſuſpecta vitæ hujus inſtabilis diſpendia, inſumptos piorum ſudores operum blanda conſummatæ perfectionis manu extergere geſtientes, communicato conſilio, ſæpe dictum Regem *Ædgarum* adeunt, familiarique eum auſu taliter allocuti ſunt. *Invictiſſime principum & Regum ſpecimen terrenorum, regiæ benevolentiæ tuæ favorem, quem nobis huc uſque ad votum arriſiſſe gaudemus, multarum proſequimur actionibus gratiarum. Porro nunquam alicujus malignantis delatio ſerenitatem tuam nobis obduxit, nec mendacium aliquod lumen nobis gratiæ tuæ obfuſcavit, nec mirum, nam perſonas, quos juſtitia & honeſtas videntur commendare, nullius objectione criminationis vileſcere, nullo apud excellentiam tuam patrocinio certum eſt indigere. His etenim duabus virtutibus facile favorem præſtas, non rogatus, quarum altera te in decus admirationis, altera omnibus univerſorum undique regibus regnorum in formam propoſuit imitationis; prudentia tua & probitate tota jam Anglia tranquilla pace lætatur, nulla bellorum ſuſpicione ſollicitatur, ærugine arma exterorum conſumuntur, ſilent litui, gladii hebeteſcunt, domeſticæ quoque fraudis intentores rareſcunt, alienæ poſſeſſionis expilatores conquieſcunt, matronalis ſeu virginalis hoſtes pudicitiæ deliteſcunt, omnis denique iniquitas conculcata tabeſcit, victrix juſtitia ad omnem libere conatum convaleſcit. Monaſteria nempe, quæ quondam Clericorum ſecularium invaſerat ambitio, dehoneſtaverat converſationem, fœdaverat luxus, tuis jam liberata triumphis, tam ordinis regularis per Civitates & caſtella, quam obſervationis monaſticæ proventu votivo gaudent & provectu. Sed quoniam in rebus humanis nil ſolidum, nil quietum, ubi aer communis nunc pluvialis eſt, nunc ſerenus, poſt tranquillitatem ſuſpecta præcavenda eſt tempeſtas, poſt coruſcationem ictus grandinis declinandus, adhuc ſiquidem ſimultatis velo adumbrata ſpirat iniquitas, & in obitu tuo, vires ſibi redivivas obdurata malignitas reſervavit. Eapropter Majeſtati tuæ fiducialiter ſupplicamus, quatenus Eccleſiam, quæ in Inſula* Rameſienſi, *noſtrorum ſtudiis laborum, & impendiis facultatum, cum Regiæ tuæ*

munificentiæ

munificentiæ adminiculo conſtructa, & Deo & Sanctæ Mariæ ſub beati Benedicti patrocinio dedicata eſt, in tuæ recipias cuſtodia protectionis, &, ad nominis tui memoriale ſempiternum, omnes donationes beneficio fidelium eidem collatæ, privilegii tui auctoritate & tuæ imaginis impreſſione, titulum perpetuitatis & robur perpetuæ ſecuritatis aſſequantur. Solent enim privilegia regum teſtamentorum vice à morte teſtatorum perſeverantiæ ſtatum obtinere, & contrahere firmitatem. Hæc autem dixerunt viri providi & prudentes, quia, ſicut ſupra taxavimus, impreſſiones nondum antea paſſim in uſum venerant ſigillorum. Reſpondens ergo voce hilari Rex ait; *Congratulor, O fideles mei, devotionis veſtræ ſucceſſibus & proventui laborum; vos inter ſummos amicos Majeſtati meæ, alter in divinis rebus, alter in humanis, à ſecretis aſtitiſtis, quarum fidem plurima bonorum operum argumenta commendarunt; per vos Regni mei ſtatus ſolidatur, diſponuntur jura, tractantur negotia, & ad votum proſperantur univerſa: ſed ſicut ſermo veſter peroravit, poſt bona mutabilia malorum timendus eſt acceſſus. Nulli etenim mortalium ſemper ſucceſſit feliciter, nemo unquam de proſperitate votiva vel lætabitur continue vel lætatus eſt. Quapropter, chariſſimi mei, dignum eſt veſtræ annuere petitioni, & providentia ſalutari ſuſpectæ præpedire calamitatis eventum.* Converſuſque Rex ad ducem *Ailwynum, noſſe, ait, & audire deſidero quod fama de te, amice chariſſime, celebrat, utrum verum ſit necne? Ferunt ſiquidem nonnulli beatum Benedictum, qui ordinis Monaſtici dicitur inſtitutor, per vicariam interpoſitæ perſonæ tibi injunxiſſe viſionem, ut hoc ei templum in loco quem memoras conſtruere deberes, cujuſdamque miraculi exhibitione viſionis affirmaſſe veritatem.* Cum igitur Regi gratanter auſcultanti Comes cœleſtis oraculi ſeriem & rerum geſtarum ordinem retuliſſet, accito Rex notario, juſſit omnia literis in privilegio ſuo ad futuræ generationis notitiam commendari; Eccleſiam quoque *Rameſienſem* omneſque donationes eidem collatas, eidem privilegio & valituro in ævum, multarum venerabilium perſonarum, quorum nomina ibi caraxantur, anathemate communiri. [*Extat* Edgari *privilegium T.* I. *Mon. Angl.* p. 235.]

CAP. XXXVI.

Illuſtriſſimus Rex Ædgarus *moritur.*

HIs ita geſtis poſt jucundæ proſperitatis inſignia, quibus tunc temporis *Anglicana* ſub tanto principe claruit Eccleſia, ne eam ſucceſſus votûm in inſolentiam dejicerent, vel vacatio longa exigeret in contemptum, cribrari eam tanquam triticum expetente Sathana, divinæ complacuit diſpenſationi, quatenus & intellectum vexatio auditui importaret, & humilitatem tribulatio cuſtodiret. In *ſententia ergo vigilum ſecuris ad radicem arboris* præpropere miſſa eſt ſuccidendæ, dum illuſtris Rex *Ædgarus* poſtquam orbis *Anglici* principatum XVI. tantum annis, plus quater virtutum moderamine quam exercitio tyrannidis martiæ, laudabiliter & pacifice tenuerat, valetudinis corporeæ tactus eſt aculeo, quo urgente naturæ debitum ſolvens, vivendi ſimul & regnandi finem fecit. Regales exuvias *Glaſtingenſis* Eccleſiæ pater & fratres, cum Sancto multorum venerabilium virorum conventu, præclaris ut decuit inferiis exceperunt, quatenus templum, quod ipſe magnificentia regali conſtructum poſſeſſionibus ampliaverat, nobilitaverat honoribus, pignore corporis ſui excellentius nobilitaret. Lucerna ergo tanti luminis extincta, plurimæ priſtinæ malignitatis ſtatim tenebræ emerſerunt.

CAP. XXXVII.

De tribulatione multimoda, quam poſt Regis obitum Eccleſia perpeſſa eſt Anglorum.

TUnc etenim malignantium factio horam & poteſtatem tenebrarum aucupata, veteris audaciæ cornu rabidum erexit, quanto diutius explendi ſui famem deſiderii protelatam doluit, tanto veſanuis arrepta in oves dominicas demum opportunitate lupina rabie debacchata. Tunc Clerici, quorundam magnatorum, filiorum *Belial*, armati favoribus, Monaſteria expulſis Monachis denuo invadentes, redivivam temerariæ præſumptionis ſuæ violentiam per loca exercuerunt. Tunc Monachi potentioribus humiliter cedentes, recidivam calamitatis priſtinæ miſeriam incurrerunt. O quam callida aleatrix mors, quam arguti & incerti jactus teſſerarum! O quam varius rerum eventus! Teſſera mortis quam inſida!

CAP. XXXVIII.

Dux Ailwynus *& frater ejus* Alfwoldus *partes ſuas ab invaſione illicita malignorum defenſarunt.*

TOta ergo Anglia in obitu Regis perturbata, cum verteretur in luctum chorus Monachorum, organa in vocem flentium, viri Deo devoti Dux *Ailwynus* & ejus frater *Alfwoldus* Zelo fidei armati, Sanctorum patrum inſtituta convelli doluerunt. Manuque valida congregati principibus, malitiæ audacter reſiſtentes, partes *Orientalium Anglorum* viriliter defenſarunt. Sicque, Deo volente, *Rameſiæ* Eccleſia integritatem tam morum quam rerum ſuarum conſervavit indemnem: ubi vero, nullo reſiſtente, potentes potuerunt, defecerunt impotentes. Quantum igitur laboris & doloris Monachi illis diebus pertulerint, nec ipſa prolixitas audire, nec perplexitas permittit expedire.

CAP. XXXIX.

Quomodo de Eccleſia Winchecumbe, *expulſis Monachis, Abbas loci Germanus Floriacum repetit, & exinde denuo Rameſiam à Sancto* Olwoldo *revocatur.*

INter alia quoque Monaſteria, quæ tot malorum adverſitas tunc temporis profligavit, Eccleſia de *Winchelcumbe* tanti turbinis ictum non evaſit; ubi cum Monachi plus poteſtate quam æquitate expellerentur, vir venerabilis *Germanus*, quem de *Rameſia* aſſumptum loco eidem Abbatis jure perlatum ſermo ſuperior affirmavit, tranſito mari, *Floriacum*, ubi quondam Monaſticæ inſtitutionis rudimenta ſuſceperat, expetiit. Fratres vero, qui cum eo de *Rameſia Winchelcumbam* ad confirmandas ibidem novarum plantationum teneritudines advenerant, alium refugii locum non habentes, nota prioris incolatus præſidia petierunt; ſociatique duo greges quadragenarii numerum unum compleverunt. Exacto deinceps triennio, miſſo *Floriacum* ocius nuncio, beatus *Oſwaldus* prædictum *Germanum* inde *Rameſiam* advocavit, ubi uſque ad deceſſum Aldermanni inter fratres in Sancta converſatione ſemper proficiens demoratus eſt.

CAP. XL.

Quomodo Sanctus Dunſtanus *&* *Sanctus* Oſwaldus, *cum Coepiſcopis ſuis*, Ædwardum *filium* Ædgari *Regem conſecraverunt.*

INterea duo Metropolitani *Dorobornienſis* & *Eboracenſis*, cum *Wyntonienſi* & cæteris Coepiſcopis, coacto cœtu virorum timentium Dominum, ſuper ſedanda regni turbatione conſilium communicates, duorum filiorum *Ædgari* Regis majorem natu *Ædwardum*, ſenſu vegetiorem & viribus, conſecratum de more, & diademate regni inſignitum, promoverunt in regem. Qui paternorum ſtudiorum æmulator, bonis in blandimentum pacis, malis in terrorem timoris adoleſcens, illorum gratiam, horum in ſe odium excitavit; unde factum eſt, ut, cum quinquenino regnum ſtrenue gubernaſſet, perfidæ gentis proditione, vitali innocenter aura privatus, regnum cœleſte pro terreſtri commutaret.

CAP. XLI.

Donatio Regis Edwardi.

EX hujus mera donatione duas hydas in *Broctona* fide hæreditaria uſque hodie poſſidemus.

CAP. XLII.

Quomodo frater Ædnothus *unam hidam terræ in* Broctona, *aliam in* Botintunia, *Eccleſiæ Rameſiæ adquiſivit.*

IN tempore quoque, ipſius frater *Ædnothus*, quem præpoſiti vice rerum exteriorum apud *Rameſiam* gerere diximus adminiſtrationem, unam hidam terræ in villa præfata ab *Æthelwoldo* Epiſcopo *Wyntonienſi*, legitima cambitione, pro Eccleſia de *Wilburgeham*, & pro XL. acris, quas ibidem *Wlfhunus* Monachus, cujus ſupra meminimus, nobis dederat, in jus Rameſiæ adquiſivit. Eadem nihilominus tempeſtate, cum cujuſdam negotii difficultas inter prædictum *Wyntonienſem* Epiſcopum, *Elienſis* Eccleſiæ patronum, & Rameſienſis Eccleſiæ Advocatum *Ailwynum*, diutius protelaretur, memoratus frater *Ædnothus* fratrum *Elienſium* precibus inductus, eidem Sancto Epiſcopo plurimum honoris impendit, & Aldermanno ad conſenſum emollito, jam dicti negotii deſideratum eum ſortiri fecit effectum. In cujus viciſſitudinem beneficii fratres *Elienſes*, & eorum primus Abbas *Brithnothus*, dederunt jam dicto fratri *Ædnotho* unam hidam in *Bottintonia*, ſub teſtimonio *Æthelſii* Avunculi ipſius Aldermanni, & *Ælfgithæ*, & liberorum ejus. Providus itaque vir *Ædnothus* & prudens, quatuor ceſpites cum gramine viridi de ipſa terra aſſumptas, in crypta Rameſiæ ſuper altare beati Gregorii, providentiam ejus multorum oculis cum favore proſequentibus, in hujus meræ donationis argumentum collocavit.

Cap. XLIII,

Æthelredus frater Edwardi regni jura ſuſcepit.

IGitur Rege *Edwardo*, (ut fides tenet fidelium, & ipſa divinitas miraculorum declarat indicio,) coetui Martyrum per Martyrium ſociato, junior frater ejus *Æthelredus*, vir vegetus corpore, & animo prudens, ad Regiæ dignitatis faſtigium in funiculo hæreditariæ ſucceſſionis ſublevatus eſt. Qui *Emmam* Normannenſium ſpecimen feminarum, ſenioris Richardi *Normannorum* ducis filiam, in conjugem accipiens, duos ex ea filios *Alfredum* & *Edwardum* poſtea Regem procreavit.

Cap. XLIV.

Ejuſdem Regis Donatio.

REX igitur *Æthelredus* patris ſui *Ædgari* fidem imitatus & devotionem, inter alia liberalitatis Regiæ diverſis Eccleſiis, pro incolumitatis ſuæ ſtatu & regni, collata beneficia, dedit Deo & Sancto *Benedicto* Rameſiæ IX. hidas in ſæpe dicta villa de *Broctona*, Literiſque ſuis eandem donationem ad futuræ poſteritatis notitiam commendavit. In diebus illis fratres *Rameſiæ* diſpendio pecuniarum poſſeſſiones ſuas ſemper dilatare ſolliciti, & ſucceſſorum ſuorum provide ubique venantes utilitatem, terram quandam apud *Sueileſwelle* veno propoſitam, à quodam viro *Leomanno*, ſub oculis & teſtimonio copioſæ multitudinis, qui affuerunt, xx. librarum pretio comparaverunt.

Cap. XLV.

Quomodo quidam Presbyter Oſwardus x. *ſibi hidas apud Slepe uſurpavit, & quomodo ſuper eiſdem à fratribus Rameſienſibus implacitatus cum eis tandem concordatus eſt.*

SUB eodem quoque tempore fuit quidam Presbyter *Oſwardus*, propinquus *Alfwennæ* uxoris *Æthelſtani*, *Manneſſone*, de cujus donatione villam de *Slepe* nobis acceſſiſſe ſupra meminimus; qui, auſu propinquitatis, x hidas in præfata villa uſurpatas poſſedit, ſuper quibus fratres *Rameſienſes* contra eum calumniam machinantes, & multis eum placitorum gravaminibus infeſtantes, tandem, mediantibus amicis, taliter cum eo tranſegerunt. Habuerunt tunc temporis fratres prædicti, ex juſto antiquitatis vetuſtæ beneficio, XVIII hidas apud *Bernewelle*, quas, rerum ſtatu poſtea variante, tempore variato, & aliorum diverſis ex cauſis ad alios jure devoluto, dubiæ fidei titulo poſſederunt. Nam in vita Regis *Edwardi* proteſtata ſuper eis lite, & cauſa ſæpius ventilata, cum demum apud *Northampton* totius Curiæ concors ſententia eas Regis dominio adjudicaſſet, de benignitate tamen Regis, uſque ad hæc tempora, fratres ſic penduli permanſerant in poſſeſſione. *Leſwinus* igitur filius Comitis *Ailwyni*, eiſdem diebus, calumniavit adverſus quendam filium ipſius Oſwardi, x hidas in *Wiclea*, & VIII. in *Aclea*, quas juri ſuo competere arbitrabatur. Cumque filius Presbyteri expenſarum in placitando diutius diſpendia pateretur; & ſpes certa obtinendi nulla ei ad votum arrideret, Presbyter damnoſis filii laboribus compatiens, ſimul & memoratas x hidas de *Slepe* contra calumniam Monachorum retinere ſe poſſe deſperans, rogavit *Leſwynum*, ut

ut ſupradictas XVIII hidas de *Bernewelle*, pro X hidas de *Slepe*, in poſſeſſionem ſibi à *fratribus* Rameſiæ commutaret, & filio ſuo memoratam terram, ſuper qua vexabatur, liberam dimitteret & quietam. Cui placito *Leſwyno* conivente, fratres *Rameſienſes* ſuſpecti damni prævenientes acceſſum, nequando eaſdem hidas de præcedenti judicio Rex ſibi ſaiſiri præciperet, eo libentius eas memorato *Leſwyno*, precibus Presbyteri, in permutationem liberam X hidarum de *Slepe* conceſſerunt, quo eum Regi amiciorem, & Regem in ejus gratiam proniorem cognoverunt. Frater quoque *Ædnothus* ſuſpectis ubique periculis provide obvians, dedit inſuper præfato *Leſwyno* duas hidas, quas habuerat apud *Thiruinge*, cum Dominio & conſueto hominum ſervitio, in hujus cambitionis monimentum, quatenus fratribus *Rameſiæ* nulla deinceps ſuper hoc reclamatio oriretur. Cumque hoc factum Regis auribus relatione aliquorum innotuiſſet, Rex, rei inquiſita diligentius & agnita veritate, prudentiam Monachorum, quod ſic alieni juris mercimonio proprium coemiſſent, collaudans, ſæpe dictas X hidas de *Slepe* ab omni tam præſentium quam futurorum calumnia liberas, pro ſua ſuorumque ſalute, Deo & Sancto *Benedicto* conceſſit & confirmavit. Memorato vero *Leſwyno*, qui carus ei erat & familiaris, terram, quam receperat de *Bernewelle*, tenere permiſit, pro qua ejuſdem quantitatis terram de *Wiclea* & de *Aclea*, quam de jure ipſius *Leſwyni* fuiſſe perdiximus, filio Presbyteri ablatam in Dominium ſuum permutavit, ſicque volente Domino, & Regis gratia ultro favente, Monachi, quod ſuum erat, obtinuerunt, Presbiter vero & filius ejus juſte, quod injuſte poſſederant, amiſerunt.

CAP. XLVI.

De terra quam frater Ædnothus emit apud Stapleford.

ERat eodem tempore vir quidam *Alfſtanus*, habens duas hidas apud *Stapelford*, quas, neceſſitate aliqua compulſus, venalitati expoſuit: has frater *Ædnothus* utilitatibus Eccleſiæ ſemper invigilans, numeratis ei centum ſolidis argenti optimi, reliquis quæſtibus ſuis in poſſeſſionem Eccleſiæ adjunxit.

CAP. XLVII.

Quomodo fratres Rameſiæ *eandem terram pro quadam de* Suafham Alfwoldo *fratri Aldermanni in eſcambium dederunt, & quomodo inde deinceps vexati ſunt.*

NObilis autem vir *Alfwoldus* frater Aldermanni, cujus ſæpius ſupra mentionem fecimus, habuit terram quandam in *Suafham*, quam non modico probati æris pretio, ab *Æthelwoldo* cognato *Wlfſtani* de *Detham*, in jus ſuum, ſub multorum teſtimonio permutaverat: hanc quia Eccleſiæ *Rameſiæ* commodior eſſe videbatur, rogatus a fratribus, in mutuam eis pro prædictis duabus hidis de *Stapelford* tradidit cambitionem: ſed quia ſemper vel clam vel palam exercendæ ſuæ locum malitiæ iniquitas aucupatur, poſt lapſum dierum, memorato *Alfwoldo* fatorum ſorte ſublato, quidam *Alfnothus* filius *Godingi* eandem terram contra Eccleſiam improbe calumniatus, fratrem *Ædnothum*, utpote loci ejuſdem præpoſitum & proviſorem, cum aliquot fratribus ſuper ea reſponſurum, apud *Wendlebiri* coram Judicibus apparere coegit, cui foro *Ailwinus* Aldermannus, & *Edricus* Regis præpoſitus, Judices præſidebant, lite igitur inchoata, & rationibus hinc inde auditis, ex conſilio Magnatorum, qui affuerunt, XXXVI. Barones de amicis utriuſque partis pari numero electos, ipſi Judices conſtituerunt,

ſtituerunt, qui cauſam judiciali ſententia inter eos dirimerent; quibus ad decernendum exeuntibus, & rem diutius examinantibus, interim idem *Alfnothus* coram Judicibus fratrem *Ædnothum* interrogavit, & *Alfwynum* Monachum, qui cum eo venerat, quanam ratione, & cujus donatoris nomine, eandem terram poſſediſſent, cui frater *Ædnothus* conſtanti voce reſpondens, illuſtris viri, qui eam quiete, & abſque omni calumnia tenuerat, & libere donare poterat, juſto meræ donationis titulo ſe eam poſſediſſe affirmavit. Quem cum calumniator interrogavit, ſi aſſertionis ſuæ veritatem corporalis præſtatione ſacramenti cum præfato Monacho ſocio ſuo probare auderet, ut omnis deinceps omnino controverſia terminaretur; Frater *Adnothus* de puritate conſcientiæ ſecurus conſenſit, omnibus itaque ſententiam approbantibus, ſolus Aldermannus, vir probatæ prudentiæ & diſcretionis, viros profeſſionis Monaſticæ coram poteſtate ſeculari juramentum præſtare debere abjudicans, prorupit in medium, ſe *Rameſienſis* Eccleſiæ *Advocatum*, ſe poſſeſſionum ejus tutorem, ſe fraternæ devotionis & fidei teſtem, ad ſe hujuſmodi juratoriæ cautionis exhibitionem pertinere allegans; videntes igitur omnes conſtantiam viri, & fidelitatem cognoſcentes, propter reverentiam tam ſublimis perſonæ, & propter clareſcentia veritatis judicia, præſtandæ jurationis neceſſitatem exemerunt, præfati *Alfnothi* pro falſa calumnia, & religioſorum virorum vexatione injuſta, univerſa tenura & omnibus catallis Regis miſericordiæ adjudicatis. Sed *Edrico* Regis præpoſito, & cæteris qui aderant magnatis operam dantibus, idem *Alfnothus* ſucceſſivum ſuorum diſpendium prævidens, ſi tanti viri indignationem erga ſe conſeneſcere permiſiſſet, eadem terra publice abjurata, & fide coram omnibus interpoſita, quod nunquam ulterius aliquid calumniæ ſuper ea præſumeret machinari, taliter ejus gratiam ſibi ſe conſiliaſſe gaviſus eſt. Veruntamen infidi procedentis variatio temporis, nos de proventu votivo nequaquam diutius permiſit exultare. Poſtea ſiquidem ſuſtentationis noſtræ baculo in exceſſu beati *Oſwoldi* confracto, & protectionis noſtræ cornu in obitu *Aldermanni* contrito, idem *Alfnothus* opportunitatem nactus, nefario redivivæ temeritatis auſu contra juramentum & fidem ſuam veniens, eandem terram violenter nobis ablatam, in ſuam convertit poſſeſſionem. Semper deinceps veteris iracundiæ adverſus utilitatem Eccleſiæ juxta poſſe ſtimulos urgens.

CAP. XLVIII.

Quomodo Lauſhella, *& terra de* Haliſtede, *& de* Ryſeby, *in poſſeſſionem* Rameſienſium *devenerunt.*

Alfwinus quidam filius *Brixii*, cui terrenæ poſſeſſiones, & pecuniarum affluentia plurima arridebat, ſpiritu ut creditur tactus divino, ipſas pecunias cum ſeculo nauſeans: apud *Rameſiam* comam depoſuit, & in converſionis ſuæ pignus dedit Deo & Sancto *Benedicto* villam de *Lauſhella*, cum omnibus pertinentiis ſuis, & terram de *Haliſtede*, & terram de *Ryſeby*, nominis ſui memoriam meræ devotionis titulo poſteris commendans æternam. Ad precem vero & voluntatem Sancti *Oſwoldi* Archipræſulis, conceſſit memoratus *Alfwynus* Monachus, & totus fratrum conventus, viro cuidam *Wlfrico* nomine terram de *Ryſeby*, pro certa annui cenſus penſitatione, nomine Eccleſiæ in vita ſua tenendam. Ita autem inter eos mediante Sancto viro convenit, ut ſi aliquam idem *Wlfricus* fraudem faciens à pacto forte reſiliret, ſtatim fratres abſque omni placitorum litigio, & arbitrio judicum, jus ſuum nullo obſiſtente reſaiſirent. Quamdiu autem fidem fratribus de ſtatuto cenſu annuatim ſolvendo integram ſervaret, eandem terram quiete poſſideret. Eo quoque decedente, ſopita omni hæredum

dum ſuorum calumnia, in diſpoſitionem fratrum libera & quieta rediret, hoc totum idem *Wlfricus* ſub oculis multorum, qui aderant, in manu viri Dei, qui pro eo interceſſor acceſſerat, affidavit, & fideliter, quoadvixit, obſervavit.

CAP. XLIX.

De Stura quam quidem vir Berricus *contulit* Rameſiæ.

VIr quidam moribus & genere nobilis, in territorio *Wygorniæ* oriundus, nomine *Berricus*, vitæ hujus brevitatem, & noviſſimi examinis diſtrictum judicium animo revolvens, pro ſalute animæ tam ſuæ quam *Athelrici* filii ſui, dedit Deo & Sancto *Benedicto Rameſiæ* optimam partem poſſeſſionum, quas à divina largitate fuerat aſſecutus, terram ſcilicet de *Stura*, cum dominio & firma, totam, integram, liberam, & quietam, ſicut fuit die qua ſimul ſpiravit & exſpiravit, hæc autem donatio facta eſt ſub teſtimonio Sancti *Oſwoldi,* & totius Curiæ tam *Rameſiæ* quam *Wigorniæ*, *Ailwini* Aldermanni, & *Ailwardi* Comitis filii, & *Ailrici Child.*

CAP. L.

Hoc eſt Cyrographum, quod de Anglico convertimus in Latinum, quo Sanctus Oſwoldus *ſucceſſivæ poſteritati declarare curavit, quomodo ad petitionem ſuam, fratres* Rameſienſes *conceſſerunt ei prædictam terram de* Stura *in vita unius hominis, cui eam aſſignare voluiſſet in vita ſua tenendam.*

" EGo *Oſwoldus* Dei gratia *Eboracenſis* Archiepiſcopus, præſenti ſcripto " notum facio, tam tibi, chariſſime amice dux *Ailwyne*, quam toti " Curiæ *Wygorniæ*, & omnibus amicis meis, quod dilecti filii & fratres mei " de *Rameſia* conceſſerunt mihi terram de *Stura,* ſub gratuita conditione, " qua pacifice inter nos poterit convenire, hoc eſt, ſpatio vitæ unius ho- " minis, cui eam tenendam dimittere voluiſſem, cum inſtauramento, & " rebus ad eam pertinentibus: Quapropter, chariſſime Dux, ſub tuo & " omnium veſtrum teſtimonio, concedo eandem terram *Oſulfo* cognato " meo in vita ſua tenendam, ita plane, ut poſt ejus obitum, cum inſtau- " ramento quod in ea invenerit, & omni melioratione quâ eam in vita " ſua meliorare poterit, ad honorem Dei & Sanctæ *Mariæ*, & omnium " Sanctorum, pro meæ & ſuæ & ejus, qui eam primo eidem Eccleſiæ *Ra-* " *meſiæ* in teſtamento reliquit, animarum ſalute, in diſpoſitionem fratrum " & poſſeſſionem, libera redeat & quieta. Quicunque igitur hoc immi- " nuere attentaverit, aut immutare, a conſortio Civium ſegregetur ſuper- " norum, & cum Angelis *Sathanæ* ſit commoratio ejus in Inferno, niſi in " vita ſua condigna ſatisfactione præſumptionem temeritatis ſuæ ſtudue- " rit emendare. *Amen.*

CAP. LI.

Donatio Godwini.

ERat ſub eadem tempeſtate quidam vir, *Godwinus* nomine, fide & opibus dives, qui ut labilium mercimonio rerum, nomini ſuo memoriam, & animæ ſuæ æternam mercaretur ſalutem, dedit Deo, & Sanctæ *Mariæ*,

& Sancto *Benedicto Rameſiæ*, totam terram de *Hecham*, quæ ſui juris erat, præter trium tantum hominum tenuram, *Æthelwardi* ſcilicet Dapiferi ſui, *Lefrici* aurifabri, & *Wlfgari*: his etenim, annuentibus fratribus, tenementa ſua libere poſſidere conceſſit, tali propoſita conventione, ut quiſlibet eorum moriturus, terram ſuam ab omni poſterorum calumnia liberam, Eccleſiæ *Rameſienſi* conſignaret, ad victuale ſubſidium ibidem Deo famulantium Monachorum. Terram præterea de *Horningeſherthe*, quam pater uxoris ſuæ in extremis agens ei in teſtamento reliquerat, poſt obitum ejuſdem Conjugis ſuæ, ipſa coram multis teſtibus favente, pro ſua utriuſque ſalute, in poſſeſſionem ſæpe nominatæ Eccleſiæ cedere conceſſit.

CAP. LII.

Quomodo Alfwara *dedit* Rameſiæ Haliwelle; *& terram quandam apud* Eleſworth, *cum Eccleſia ejuſdem* Villæ, *&* Chinnoram, *& terram de* Beorlea *cum aliis Donariis multis.*

QUædam nihilominus matrona *Alfwara*, genere nobilis, ſed fidei devotione nobilior, noviſſima ſua crebro memorans, & vitæ humanæ conditionem, in pretium ſalutis ſuæ, dedit Deo & Sancto *Benedicto Rameſiæ* terram de *Haliwelle*, & Eccleſiam de *Elleſworth*, cujus erat Advocata, cum quadam ejuſdem Manerii portione. Dedit etiam eidem Eccleſiæ prædium, quod dicebatur *Chinnora*, & cum *Ædnotho* quodam cognato ſuo, qui vitam ibidem mutavit, totam terram de *Beorlea*, præter unam hidam, quam cuidam ſervienti ſuo *Alfſio* in vita ſua conceſſit poſſidendam, poſt fata ipſius in diſpoſitionem fratrum cum terra reliqua conceſſuram. Dedit inſuper eadem mulier caſulam unam, & albam, & cætera omnia ſacerdotalia ornamenta, & v marcas auri probatiſſimi, ad hæc omnia deauranda, & unam Crucem optimam, & pulvinar unum de palleo, duas quoque pelves argenteas, duas cortinas, & unum baucale, & ſellam ſuam cum omni equeſtri apparatu, fidei ſuæ fervorem poſteris ſuis proponens imitandum. *Gode* præterea quidam Presbyter de *Haliwelle*, totam terram quam tenuit, ſimul cum Eccleſia ſua, poſt dies ſuos *Rameſiæ* Cœnobio aſſignavit.

CAP. LIII.

Quomodo & qua de cauſa ipſa Rameſiæ *Eccleſia ſolotenus ſubverſa eſt, & denuo in melius reædificata.*

INterea cum fratres *Rameſienſes*, in novitatis ſuæ teneritudine, tam votivis florerent ſucceſſibus, & in utilitatem eorum communem prona favoris publici vota convenirent, ne religionis aut profectuum ſuorum detrimentum continuæ proſperitatis paterentur acceſſu, placuit Divinitati ſupernæ, otium eorum interrumpi, & quietem; quatenus in incerto felicitatis temporaneæ fiduciam certam addiſcerent non habendam. Una igitur dierum, cum mane ſurrexiſſent, ecce aſpicientibus apparuit in pariete turris eminentioris fiſſura, dehiſcens à ſummo uſque deorſum, quæ toti reliquæ adhærenti ei totius Eccleſiæ moli ruinæ magnæ caſum minitari videbatur. Cujus perditionis detrimentum, vel ex debilitate operis accelerati, vel ex infirmioris fraude fundamenti, per improvidentiam cementariorum certum eſt accidiſſe. Divino ergo timore fratres perterriti, quid faciendum ſit deliberant: grave capitibus ſuis cernentes periculum imminere. Id ergo conſilii omnibus complacuit, ut Dompnus *Germanus*, cujus ſuperius mentio habita eſt, & probatæ prudentiæ frater *Ædnothus*, ad inclytum Du-

tos abjerat, viſum eſt univerſis novum opus nova dedicatione debere conſecrari. Comes ad dedicandam Eccleſiam denuo Sanctum *Oſwoldum* invitat. De aſſenſu igitur fratrum communi, venerabilis Aldermannus Sancto Archipræſuli *Oſwoldo* legationem mittit in hæc verba. "Honorificentiam "ſalutationis ſanctitudini tuæ, pater, exhibere dum timor prohibet & in- "dicit aſſentio, hæc tandem fortior prævalens illum evacuat, & loquendi "ſuggerit auſum. Excellentiæ ergo tuæ præſentium conſtet indicio, Ba- "ſilicæ *Rameſienſis* ædificium, quod ante non multum temporis temeratum "& ruinæ audiſti expoſitum, & juvantibus tuorum ſuppetiis meritorum, "in ſtatum longe meliorem votivo jam conſummationis fine reſtauratum. "Eapropter piæ paternitati tuæ cenſui ſupplicandum, quatenus dum aleas "tabulæ teſſera nutat, dum vicinum jam mortis terminum vivi adhuc & "vividi operimur, tremula ex aſſenſu ſemel incommodi membra ad dedi- "candam denuo Eccleſiam vexare non pigriteris, ut omnibus ad votum "conſummatis, optato alternæ ſedulitatis fine tædioſæ jam ipſius vitæ "terminum gaudentes invitemus. Hic multis igitur oneratus precibus fa- "ciens cum hilaritate quod rogatur, quia incitamenta vota ſpontanea non "requirunt. Suſceptis & auditis his, vir Domini *Oſwoldus* amiciſſimo ſibi viro talia reſcribit, nil moratus.

CAP. LV.

Reſcriptum Sancti viri ad Comitem.

"LÆtatus ſum in his quæ mihi ex nomine tuo dicta ſunt, Dux illu- "ſtriſſime, & exultationes Dei in gutture meo ſonuerunt. Jam "quoniam replevit in bonis Dominus deſiderium meum, renovata eſt ut "aquilæ juventus mea. Veniam igitur, nec difficultatem itineris, nec aë- "ris intemperiem, nec ipſius injurias longævitatis ullatenus expaveſcens. "Angelus Domini bonus omnia ante faciem meam aſpera complanabit, & "quas ætas denegat, ipſa mihi devotio Sancta vires miniſtrabit. Præparen- "tur interim univerſa tantæ celebritatis officio neceſſaria, donec ipſe & "vires nutriam, & corrogandas colligam facultates. Acceptum miles Chriſti hujuſmodi viri Sancti mandatum, lætus ipſe & hilaris, mox fratribus communicans, omnes pariter indicibili gaudio recreavit. Nam ante pendula variabilis hujus vitæ diſcrimina, patrem ſuum perdilectum videndi ſimul & alloquendi longa diutius & dilatione creſcentia traxerant deſideria, ut igitur paucis plurima expediantur, omnibus enixiſſime præparatis, vir Domini *Oſwoldus* longioris viæ fatigationem dietarum brevitate conſolatus, juxta condictum advenit. Adventus ejus fama præcurrens ocior omnes hilares reddit & lætos, omnes ſolemnibus ornamentis redimitos venienti obviam impellit. Titubantes ex acceſſu ſenectutis greſſus baculo ſuſtentans dux ipſe cum cæteris gaudenter accurrit. Porrectis fratres in altum votis & vocibus, his aera pulſant, illis cœlos onerant, his aures humanas demulcent, illis divinas ſollicitant: præterita igitur oratione, pater & filii in mutuos amplexus conveniunt, oſculorum viciſſitudinem grata dulcedine libant, labores præteritos & infortunia multimodæ felicitatis interpoſitæ recordationibus conſolantur. Omnibus itaque divini verbi pabulo ſatiatis, converſus Sanctus *Oſwoldus* ad ducem *Ailwynum*, ait. "Licet "debilitatis pariter & ægritudinis plurimæ incommodo graver, amice ve- "nerabilis, ad vocationem tamen tuam, propter cauſam quam honeſtas com- "mendat, proficiſci & venire non refugi. Noviſſima quippe mea inſtare "non ignoro. Tu quoque tua eiſdem ſtimulis noveris perurgeri. Haud "ergo priorum operum noſtrorum bonam fore cenſui conſummationem, ſi "filios noſtros in hoc ſacrum ovile congregatos ab omni poſt nos mali-

Adventus viri Dei ad Rameſeyam.

"vitæ diuturnioris abrumpit, vobis igitur, quibus ineſt vis virtutis præ-"ſtantior, & penetrativæ lux prudentiæ acutior, vobis, inquam, incumbit in-"ſtantium ſubire pondus laborum, operarios conducere, & antequam vi-"cina mors maturum jam mihi titubantis demetat florem ætatis, celeri-"tatem negotii commoditatis propriæ ſtimulis maturate. Ego vero de "opibus, quas hactenus ad crumenas corrogavi, ſufficientiam vobis om-"nem ad expenſas munificus miniſtrabo. Accepta igitur licentia fratres, conductis operariis, turrim ipſam à tecto aggrediuntur; & contumacia quadam vires laborantium raparante, lapidem in ea ſuper lapidem ad ſolum uſque non relinquunt. Tantæ proditionis cauſam perquirentes, egeſta altius humo, fundamenti fraudem deprehendunt. Deinde lapidum congerie arietum tunſionibus cum cæmento tenatiori durius conſerta, abyſſum ipſam denuo conſtruunt, & ſuperædificantes cotidiani laboris votivo gaudent proventu.

Cap. LIV.

De Ædnotho juniore, qui, ſeneſcente altero Ædnotho, curæ exterioris pro eo accepit adminiſtrationem.

Erat tunc temporis quidam Chriſti tirunculus, ad differentiam ſenioris *Ædnothus* junior ab omnibus nominatus, qui, tradente Sancto *Oſwoldo*, in Cœnobio *Rameſiæ* ſuſceperat Monachatum, & eodem ordinante, ſubdiaconatus jam & diaconatus conſcenderat gradum. Is ab ipſo rudimentorum tirocinio, gremio matris *Rameſiæ* exceptus, lactatus uberibus, monaſticæ ſcientia diſciplinæ decenter imbutus, majorum ultra ætatem æmulans virtutes, fauſto pede callem triverat ſanctitatis. Ingenuitatem natalium, venuſtatem formæ, peritiam literarum, morum elegantia perornabat; ferveſcentis ſiquidem devotionis à puero ſtimulis incitatus, plus jam puero adultus in ampliora ſemper conabatur. De hoc Juvene plurima in ſequentibus ex materiæ copia relaturi, ipſius hîc memoriam nequaquam cenſuimus omittendam, quia acceſſu profectuum, quos ei proceſſus temporis miniſtravit, evidens claruit indicium, altitudinem divinæ diſpoſitionis à Juvene ſuper eum latuiſſe: *Ædnotho* igitur ſeniore multis ab adoleſcentiæ annis laboribus fatigato, de communi conſilio *Ædnothus* junior, eximiæ virtutis adoleſcens, & prudentiæ caſtigatæ, in ſollicitudinis ſolatium ei ſociatur; qui præpoſituræ ſuper operarios adminiſtratione ſuſcepta, coævos juvenes cotidie poſt primæ horæ pſallicium ad laborem invitabat, & ſic floridæ pubertatis vires diurnæ vexationis exercitio extenuantes, neceſſaria nocturnæ quietis viciſſitudine eaſdem reparabant. Ore Pſalmodiam ruminantes, cæmentariis muros pulcro ſchemate conſtruentibus, lapides cum cæmento pendulis brachiis miniſtrabant. Exercitatione itaque alternæ ſollicitudinis impulſu continuata, ſtructura ipſa poſt caſum firmitate melior, & aſpectu glorioſior ſurrexit, paulatimque ſuccreſcens intra tempus non diuturnum ad conſummationem claræ concluſionis evecta eſt. Comes ſuper celeritate proſperati operis admodum gaviſus, & lætitiæ aculeo nobilis animi perurgens devotionem, tabulam ligneam in fronte eminentioris altaris fabrefieri præcepit, quam ad honorem Dei & Sancti *Benedicti*, & ad decus Eccleſiæ, amplis & ſolidis argenti laminis, cum varii tam coloris quam generis geminis, inſigniter perornavit. Triginta præterea libras ad fabricandos cupreos organorum calamos erogavit, qui in alveo ſuo ſuper unam coclearum denſo ordine foraminibus inſidentes, & diebus feſtis follium ſpiramento fortiore pulſati, prædulcem melodiam & clangorem longius reſonantem ediderunt. Omnibus itaque votivo ordine compoſitis, quia dedicatio prior cum veteri ædificio in ventos

CAP. LVII.

Privilegium Regis Ædgari *in auribus omnium recitatur.*

OMnibus itaque ea quæ Comes peroraverat approbantibus, jam dictum privilegium, univerſis gratanter audientibus, diſtincte & appoſite recitatur, donationes omnimodæ demonſtrantur, Donatorum devotio ab omnibus collaudatur, nullo univerſaliter de tam numeroſo nobilium virorum collegio horum quicquam calumniante. Diutius igitur conticeſcentibus univerſis, & ad confirmandas potius, quam ad extirpandas virorum bonorum eleemoſynas, aſſentationis publicæ votis convenientibus, maximo Aldermannus fluctuans gaudio omnibus ait. *Univerſitatem veſtram fidelem coram Deo & ſanctis ejus teſtem invocamus, quod publice hodie præbuerimus copiam audientiæ, ſiqua laica vel ordinata perſona, aut eorum quiſpiam, qui patria lingua* Twelfhende, *vel* Twihende, *nominatur, aliquam adverſus Eccleſiam hanc voluiſſent calumniam machinari. Et cum omnes tacuerint, veſtro, O viri boni ſapientes, decernendum committitur arbitrio, utrum poſt hanc taciturnitatem ulterius præſentium quiſquam debeat calumniator admitti*: igitur potentes viri & auctoritatis plurimæ, qui affuerunt, poſt datam cuique loquendi copiam omnem, univerſis ipſo ſuo ſilentio deinceps abjudicarunt actionem. Tunc reverendæ ſanctitatis Abbates *Brithnothus Elyenſis*, *Andulfus Burgenſis*, & *Godemannus Tornenſis*, commoditatis ſuæ aucupandæ hac occaſione locum nacti, erigentes ſe ſciſcitati ſunt quæſtione ſimili, utrum quiſquam eorum adverſus Eccleſiam, quibus præſidebant, vel etiam adverſus Cœnobium *Croilandiæ*, vel Monaſterium de *Enolfeſbiri*, quod nunc Sancti *Neoti* dicitur, quorum tunc temporis Comes *Ailwynus* habebatur patronus & Cuſtos, quicquam reclamationis habere ſe æſtimaret, factoque ſilentio, & nullo penitus obloquente, communi omnium ſententia decretum eſt, univerſa prænominatis Eccleſiis pertinentia omnibus inpoſterum ſeculis rata & inconvulſa permanere. Deinde, ne quicquam, quod omnimodæ ſecuritati abundantiorem cautelam poſſet contrahere, intentatum relinqueretur, miles Chriſti Aldermannus, ſancti *Oſwoldi*, & aliorum qui affuerunt virorum venerabilium pia admonitione, decrevit præſentes univerſos nobiles & potentes corporalis ſacramenti juratoriam præſtare cautionem, quod verbo ſpoponderant omni ſe vitæ ſuæ ſpatio fide & opere ſervaturos. Sacrorum ergo Evangeliorum textu coram poſito, primus ipſe Dux, ut cæteros callido provocaret exemplo, dextram extendens, juratus devovit ſe tam *Rameſienſem* quam omnes vicinas, quas memoravimus Eccleſias, cum univerſis pertinentiis earum, ſemper dum viveret, omni niſu tanquam proprii domicilii utilitatibus inſerviendo protecturum, & nec per ſe nec per cujuſlibet perſonæ interpoſitionem quicquam malignitatis vel doli eiſdem ſcienter illaturum. Poſt quem filii ipſius & alii juxta ordinem dignitatum viciſſim accedentes, eodem juramento & indiſſimili verborum ſchemate ultronei ſe omnes pariter obligarunt, & ſic data univerſis bonæ fidei ſecuritate, omnem abunde cuiquam deinceps pravæ ſuſpicionis neceſſitatem exemerunt. Sacroſanctis itaque Evangeliis in pignus præſtitæ jurationis ſuper majus altare coram Deo collocatis, Abbates & Monachi, pro viciſſitudine impenſæ ſibi liberalitatis, in commune beneficium, & fraternitatem Eccleſiarum ſuarum, eos receperunt. Ut igitur fratres *Rameſienſes* exterioris jam ad votum irrigui felicitate donati, domeſticæ etiam tranquillitatis & ſociæ pacis interius irriguo potirentur, à ſancto Archipræſule *Oſwoldo* & illius ſimul Dioeceſeos Epiſcopo *Æſcwio* decretum eſt, ut ſi forte eorum quiſquam contra regulam & ſtatuta majorum recalcitrans, turbulentus in congregatione & inquietus inveniretur,

Omnia ſingulorum dona, nullo penitus reclamante, Rameſiæ Eccleſiæ remaneant confirmata.

tertia

tertia juxta regulæ ſanctionem correptione nil emendatus, à communione loci & conſortio cæterorum exſors ipſe fieret & alienus: nullum poſtmodum niſi emendatioris vitæ commercio reverſionis aditum mercaturus.

Cap. LVIII.

Eccleſia ſecundo ædificata à Sancto Oſwoldo *&* Æſcwio Dorcaſtrecenſi *Epiſcopo denuo dedicatur.*

OMnibus itaque in pacem Eccleſiæ & fidelitatem pia, ut prædictum eſt, illuſtris viri Aldermanni calliditate fœderatis, vir Domini *Oſwoldus* in ſæpe dicto *Æſcwio* Epiſcopo tanti laboris propter ſenium partiens pondus, cum copioſæ multitudinis alacritate votiva, Eccleſiam ipſam, eodem quo prius fuerat conſecratam titulo, ſolemniter dedicavit. Divino ergo officio de more celebrato, poſt laborem votivum, quem in tardiorem diei horam protraxerant, omnes ſimul ad reficienda corpora convenerunt. Quam ſplendide, quam affluenter, quam opipare, eos dux venerabilis in variis tam ferculorum quam potionum generibus procuraverit, narrare ſuperſedemus, ne abſtinentium nauſeam provocare, vel edacium videamur appetitum inaniter irritare.

Cap. LIX.

Singulis in ſua revertentibus, Sanctus Oſwoldus *noviſſimum hunc cum filiis ſuis & cum Aldermannis ſermonem habuit receſſurus.*

MAne ſequentis diei, pii patris petita benedictione & accepta, in ſua ſingulis cum gaudio remeantibus, Sanctus Archipræſul remanſit, cum filiis chariſſimis familiarius colloquium habiturus. Quos ante ſe convocatos vir beatus, aſſidente ſibi Aldermanno, noviſſima hac oratione allocutus eſt. "Alumni mei & filii in Domino chariſſimi. Ecce pater "veſter Dominus Aldermannus & ego, a contractæ olim inter nos mu-"mutuæ dilectionis exordio, alter alterius ſollicitudinem enixiſſime ju-"vantes, locum hunc multi laboris impendio ædificare curavimus. A ter-"ritorio quoque *Wigorniæ* ablatos in hac vos humo uliginoſa tutius & "utilius collocavimus, & patronali vobis vice præſidentes, quæcunque ſeu "corporaliter ſeu ſpiritualiter neceſſaria videbantur & commoda, exa-"ctiſſima ſedulitate, & quæſtu operoſo, ſtuduimus providere. Et nunc "Deo gratias & merito & numero ſuccreſcentes, temporalium vobis copi-"am bonorum & viſu cernitis, & utilitate ſentitis ſufficienter arridere. "Poſſeſſiones & prædia, prata & nemora, piſcarias & molendina benefi-"cio fidelium collata, tam eorundum cyrographis quam magnifici Regis "*Ædgari* privilegio, ad veſtrum veſtorumque ſucceſſorum ſubſidium loco "huic confirmata poſſidetis, veſtra igitur intereſt ſingulorum, ut corpo-"raliter ditati ſpiritualem à nobis inopiam bonorum operum exercitiis "propulſetis. Quomodo autem & quibus armis hoſtes ſpirituales, qui "ſpiritualibus viris nunquam deſunt, repellere debeatis: Satis, ut arbitror, "in turri *David* collocati didiciſtis, in qua mille clypei pendunt, & om-"nis fortium armatura, non modo ad intuendum propoſita, ſed expoſita "ad tollendum. Studete itaque, fratres chariſſimi, ſtudete Ordinis obſer-"vationem, reddite gratulanter vota, quæ diſtinxerunt labia veſtra, vacate "orationibus, paci mutuæ & dilectioni operam date, & incentiva laſcivæ "carnis vigiliis & parcimoniæ fræno edomate, animos veſtros Sanctos à "terrenorum cupidine cohibete, bona quæ habetis tranſitoria in uſu non

"in affectu poſſidete, illam, quam extrinſecus habitu prætenditis, intrinſecus religionis veritatem moribus exhibete. Talibus etenim mercimoniis divinis vobis gratiam ſtabilem & firmam conciliabitis, quæ, omni ſemper malignantium fraude deluſa, collatorum vobis bonorum indemnitatem conſervans, plura his & ampliora nobis deficientibus munifica cumulabit. Poſt deceſſum autem meum, unum quempiam de collegio veſtro, quem divina vobis provida pietas dignabitur declarare, concordi omnes voto aſſenſuque uniformi, juxta tenorem privilegii, quod ad petitionem meam vir venerabilis *Johannes* Romanæ ſedis pontifex ſummus huic indulſit Eccleſiæ, in Abbatem vobis eligatis. In electione vero illius, ambitionis vitium, diſcordiam & invidiam ſummopere caveatis, ne quis veſtrum communem utilitatem privatis affectibus poſtponat, ſed illum omnes omni contentione remota aſſumant, quem ſenioris partis dictata à Spiritu Sancto ſententia indicaverit ordinandum. Nos ſiquidem, ut cernitis, ſegni jam ſenio laboramus, vitalis ſpiritus ſeniles jam deſerit arctus, prolongatum diutius incolatum ſuum conquerens anima, familiarem jam incipit carcerem nauſeare. Quorum omnium edoctus præſagio neutrum noſtrum ulterius vobiſcum diu permanſurum prædico. Ego quippe ad ſedem meam revertor, corporeis vos oculis reſolutionis meæ ibidem diem operiens non viſurus. Ad ducem autem converſus; "Tu quoque, amiciſſime virorum, fata tua eiſdem noveris ſtimulis agitari, eadem te ſententia ad ſolutionem debiti naturalis memineris perurgeri. Ad quem venerabilis heros, Hactenus Sanctiſſime pater, *inquit*, dulce mihi fuit tecum vivere, proſperam in hoc mari proceloſo habere me ratus te remige navigationem. Nunc vero ad portum te feſtinantem, naviculam meam, longo navigandi uſu jam quaſſam, inter tumentes ſine gubernaculo verſari diutius undas non arbitror expedire. Si igitur mihi non datur anteire remorantem, detur utinam ſine dilatione ſaltem ſubſequi præcedentem. *Cui Sanctus*, En, ait, à te nunc corpore digredior, animo tibi ſemper indiſſolubiliter fœderatus. Cum me ab ergaſtulo carnis exiſſe didiceris, tunc in brevi carniculæ tuæ compagines diſſolvi, omnemque dubiæ navigationis ultra tibi tolli ſcias neceſſitatem; attamen in ſubeundo portum, ubi applicantes, graviori oborta tempeſtate, ſcopulis nonnunquam & cautibus invehuntur, & navi & oneri propter tabulatorum diſtractores memineris providendum. Hæc & ſimilia cum vir ſanctus prophetico plenus ſpiritu peroraſſet, multa utrinque fuſa ſunt fletuum ſuſpiria, multum mœſtitiæ inſumptum cordibus ſingulorum, una omnes voce ſe rogant non deſeri, deſolatos ſe dilecti patris vel paſtoris præſentia non fruſtrari. Suſpecta prætendunt pericula, locum à ſe ſanctificatum exceſſu ſuo honorari, & triumphalibus ſancti Corporis exuviis præſenti aliter communiri flagitantes; ſed conſilium divinum, quod *Wygorniæ* Eccleſiam tanti luminis fulgore diſpoſuerat illuſtrari, nulla humana potuit ratione mutari. Benedicens ergo pius pater, & gratam ſingulis oſculorum gratiam libans, triſtis & moerens receſſit, triſti grege recedentem paſtorem uſque ad fores Eccleſiæ cum lacrymis proſequente, ubi converſus flens largiter, eiſque denuo benedicens, hoc eis noviſſimum verbum dixiſſe memoratur. *Conſociet nos Chriſtus in Paradyſo.* Quo dicto moeſtus abiens, moeſtos revertentes dimiſit. Dux quoque propter rei curam familiaris longius à vicinia recedens, circa proximæ initium quadrageſimæ eos ſe ſpopondit, Deo volente, reviſurum.

CAP. LX.

De viſionibus quæ poſt viri Dei diſceſſum quibuſdam ex fratribus oſtenſæ ſunt.

IGitur *Ædnotho* iniore, ad conſilium Domini *Germani* & *Ædnothi* ſenioris, ſicut ſanctus ordinaverat, exteriorem curam gerente, reliqui fratres quo certius utriuſque patroni diſpendium, juxta quod audierant, ſibi imminere crediderunt, eo ferventius diſciplinis Monaſticis, & militiæ divinæ exercitiis, vacare ſtuduerunt. Verum, cum tranſiſſet rigor brumalis, & verni temporis inciperet tepor arridere, illis frequenter de his, quæ à ſancto audierant, inter ſe ſermocinantibus, ſicut animæ dolenti, in curis multis laboranti, nonnulla per nocturnas viſiones oſtendi ſolent futuræ veritatis auſpicia, una noctium cuidam fratri ſoporato viſum eſt quaſi utramque Eccleſiæ turrim una poſt alteram cum fragore magno corruiſſe. Item quoque alii duo longius à Monaſteriio nocturnæ indulgentes quieti, ſonitum horrificum, quaſi ſimul Eccleſia uno fulminis ictu cecidiſſet, audierunt. Quo terrore excitati æſtimabant univerſum fratrum Collegium eadem ruina involutum, recurrenteſque cum feſtinatione, omneſque incolumes deumque laudantes repererunt. Itemque cum fratres quadam die in horto ſpatiando deambularent, tumultu magno quaſi ex ictibus arietum & lapidum colliſione intra Eccleſiam facto, partem murorum ruiſſe putaverunt, ſed introcurrentes omnia ſana cum admiratione conſpexerunt.

CAP. LXI.

Exceſſus viri dei Oſwoldi *fratribus Rameſiæ nuntiatur.*

TAlium ergo prodigiorum cauſis fratribus ſollicitatis, & ſuſpectæ ſignificationis eventum præſtolantibus, ecce poſt dies paucos, tranſmiſſo à *Wygorniæ* lacrimabilis nuncii bajulo, ſanctus Archipræſul & Deo amiciſſimus *Oſwoldus* illa quadrageſimæ Dominica, quâ *oculi mei ſemper ad Dominum* decantatur, quæ tunc 11 Kal. Mart. habebatur, ex hoc mundo ibidem feliciter migraſſe nunciatur. Quomodo autem exceſſerit, & quam laudabilem vivendi finem ibi ſortitus ſit, & ſepulcrum, legenti libellum vitæ ipſius ſatis conſtabit. Cujus tonitruo rumoris univerſi ad ima cordium penetralia percuſſi, id ipſum ſtatim venerabili Aldermanno, qui ſuperioris promiſſionis ſuæ fidem abſolvens, eodem tempore in partes illas redierat, nuntiare ſtuduerunt. Quo præter ætatis memoriam cum lacrimis non ſegnitur advolante, pulſant ſigna, officium de more celebrant, pſalmodiam cum fletu ruminant, plangunt & ejulant omnes, cum tamen gaudendum potius aliqui non ignorarunt, ſi intemperantia doloris perſuaſionem prævalere ſineret rationis.

CAP. LXII.

Venerabilis Aldermanni *fata ſua inſtare intelligens ultima hac allocutione filios adhortatur.*

EXhinc coadunata ante ſe princeps illuſtris tota fratrum cohorte, ita eos, præſentibus duobus filiis ſuis viris nobilibus, *Ædwyno* atque *Æthelwardo*, allocutus eſt. *En filii mei chariſſimi, en virga correctionis, & baculus*

culus ſuſtentationis veſtræ, in unius caſu, ſicut cernitis, perſonæ, utraque contrita ſunt. En lucerna, ad cujus intuitum dirigebantur greſſus noſtri, non dico extincta eſt, ſed caliginem induit abſconſionis. En, inquam, ex lacrimabili unius turrium veſtrarum ruina, juxta fidem oſtenſæ aliquando alicui veſtrum viſionis, alteram certiſſime ſcire poteſtis cito ruituram. Sed & juxta viri ſancti vaticinium, poſtquam hinc ille ablatus eſt, depoſitionem tabernaculi mei agilitate fatali agitari non dubito. Quin etiam ipſa ſenecta effœti & curvi corporis vires attenuans, votum mihi diutius hîc morandi penitus abrumpit. Jam enim olim venuſtæ formæ gratiam rugæ mihi ſeniles deformarunt, amara tuſſis punctionibus crebris anhelum pectus defatigat, pallidus mihi color & exanguis, difficilius ſolito odores jam diſcerno, minus ſapiunt quæ guſtu ſumo, titubantes greſſus vix fuſte confirmo, tremulis manibus firmius vix aliquid teneo, ſicque jam & valetudine confectus & annis, totus mihi ſenectutis furto ſubtractus ſum, ut totum me, tranſeuntibus furtiva ſucceſſione diebus, videar amiſiſſe. Quæ ergo habenda eſt in conditionis humanæ labilitate fiducia. Jocundum ſit mori, cum vita tedioſa eſſe comprobatur. Quapropter, dilectiſſimi mihi in Domino filii, delicta mea & ignorantias meas in præſentia veſtra divinæ confiteor pietati. Nec præter diſpoſitionem cæleſtem vitam mihi diuturniorem ſervari, ſed potius exitum meum muniri, & peccata mea orationibus veſtris deſidero & meritis expiari. Cumque corporeæ pugnæ arma depoſuero, vos ſedulitate filiali paterno funeri honeſtas in loco iſto inferias procurantes, & memoriam mei deinceps continuam habentes, poſteris quoque veſtris ipſo devotionis veſtræ monumento in perpetuum continuandam commendabitis. Quo dicto obortis lacrimis vir inclytus in pavimento coram altari ſenile corpus extendens, ſe peccaſſe, injuſte ſe egiſſe, laſcivis ſpurcæ carnis oblectamentis frænum cohibitionis præter modum ſe laxaſſe, in poteſtatis terrenæ faſtigio peccati perfunctionem deliciis adquiſiſſe, in cauſis forenſibus injuſte paſſim ſe judicia exercuiſſe, cum magnis ejulatibus confitetur, Gemitibus igitur imis & ſuſpiriis vocem viri præpedientibus, aſtantes fratres madefacti lacrimis ſeptem ſuper eum pſalmos poenitentiales decantare cœperunt. Quibus finitis dompnus *Germanus* ſolitæ orationis ſuper eum abſolutionem dedit, reſpondentibus cunctis, *Amen.* Filiorum ſuorum miniſterio miles Domini levatus, locum in quo jacuerat fletibus madidum reliquit. Approprianſque & innixus columnæ, *ne indignemini,* inquit, *fratres mei, cum literati & diſciplinis eruditi ſitis divinis, à viro peccatore & laico ſanctitatem veſtram commoneri. Solent enim in arandi conſuetudine juvenci præeuntes hilarius laborare, notis ſubſequentium vocibus confortari. Eapropter licet poſterior, licet meritis inferior, charitate vos debita & voce moneo conſueta, ut alternæ dilectioni & concordiæ ſummopere intendentes, & meliorum exempla æmulantes, bonis principiis finem ſemper adæquare ſtudeatis. Ecce in loco religioni ſatis apto, & à commeatu populari ſemoto conſiſtitis, in quo juxta legis monaſticæ ſanctionem, arctioris diſciplinæ decreta ſervare poteſtis, extra ejus terminos ſufficientes neceſſariis corporum uſibus, ex meis & aliorum fidelium beneficiis redditus annuos poſſidentes, omnem igitur diſſolutionis impudentiam à vobis ſemper reſecantes, ab omni opere quod profeſſionis veſtræ fidem dedeceat, & timor Dei & hominum nos reverentia cohibeat, ne infra muros domeſticos ulla aliunde ſcandala oriantur, unde à ſanctuario Dei quicquam præter ſuavitatis odorem publicis naribus offeratur, ſi quæ tamen cujuſlibet exceſſus corrigendi emerſerit occaſio, ſtatim diſtrictione regulari occurrendum cenſeatis, ne diſſimulatio remiſſa peccandi nutriat auſum, & unius impunitas perſonæ obſtinationem inferat induratis frontibus aliorum. Sit ergo vobis intrinſecus cum regularis rigore diſciplinæ mutua dilectio fervens, extrinſecus autem hilaris omnibus exhibitio charitatis, quatenus non ſolum favor humanus, ſed etiam dignatio cæleſtis, utilitatibus veſtris bonæ opinionis veſtræ ſuavi ſemper inclinetur odore.* Hæc dicens vir Chriſtianiſſimus, converſus ad filios ſuos, *vos,* ait, *Succeſſio generis mei, os meum & caro mea, vos inquam rogo, hortor, & admoneo, ut locum hunc cum habitatoribus ejus affectu fraterno diligentes, in omni ſemper neceſſitate pro viribus*

 eis

eis patrocinari non deſiſtatis. Quinimo ſub interminatione paternæ maledictionis inhibeo, ne de beneficiis quæ me eis juſte noſtis contuliſſe, fraudem ullam aliquando machinari præſumatis, ſed juvet eos apud vos ſemper meæ benignitatis affectus, patrique decedenti in gratia ſibi & benevolentia ſentiant filios ſucceſſiſſe. Quibus ſe ad fidem Eccleſiæ coram patre voto obligantibus, miles Chriſti oſculans omnes, & benedictione accepta ſingulorum, ad domum ſuam, quæ extra inſulam non longe in margine mariſcorum ſita erat, navigio vectus eſt. Ubi in vigiliis orationibus & eleemoſynis devotas Chriſto celebrans excubias, menſe tandem Aprili graviſſima febrium valetudine vicini diſcriminis præſaga & indice tactus, beatum *Alfegum* tunc *Wyntonienſis* Eccleſiæ venerabilem pontificem, qui illis in diebus quaſi à Deo, ut viri juſti deſerviret exequiis, miſſus, infra terminos viciniæ præſens habebatur, acceſiri fecit. Ad cujus interrogationem, præſentibus ſenioribus *Rameſiæ*, cum multis aliis qui aderant venerabilibus perſonis, articulos Catholicæ fidei, quos ſemper, vita & moribus tenuerat, publica atteſtatione eſt confeſſus, ac demum ejuſdem miniſterio ſacrati olei unctione delibutus, eodem quoque tradente, indeficiens dubiæ peregrinationis viaticum percepit. Deinde vero, uſque ad diem ſibi peremptorie præfixum, jugi Pſalmorum, quos ipſe didicerat, Pſallicio, exitum ſuum cum fratribus præmuniens: cum denique *omnis Spiritus laudet Dominum*, voce debili & lingua palpitanti tertio repetiſſet, manu leva ſibi ipſe oculorum cilia componens, dextra vivificæ ſe crucis ſignaculo armavit, ſicque ex diuturni fatigatione curſus, feſſus jam & anhelus Spiritus, VIII. Kal. *Maii*, relicta corporis gleba, ad requiem, ut creditur, bravium percepturus, feliciter evolavit. Cujus corpus cum *Rameſiam* ad tumulandam deferrent exanime, copioſa totius fere viciniæ turba, viri venerabilis exequias comitatura convenit. Divites laborum ſuorum ſolatium, pauperes vero inopis ſe vitæ ſuæ ſubſidium, in ejus exceſſu gemitu lacrimoſo querebantur amiſiſſe. Ita ergo in domo, quam ſumma dictante ſapientia ſapienter ſibi ædificaverat, venerandæ ſapientis Architectoris exuviæ, prædicti Sancti præſulis *Ælphegi* miniſterio in memoria juſtorum æterna venerabiliter depoſitæ, diem extremum operiuntur reſumendæ.

Explicit pars Secunda.

Incipit

Incipit pars Tertia.

Cap. LXIII.

CUnctis fidei lumen agnoſcentibus ſolius Dei invariabilem liquet eſſe ſubſtantiam, quia in eodem ſemper ſtatu nulli omnino datum eſt permanere. Rare autem, & *merula rarius alba*, alicujus mortalium primordiis videbis ex æquo noviſſima reſpondere. Cum igitur in humanæ mutabilitatis caſibus nil firmum, nil eſſe durabile conſtet, neceſſe eſt adverſa proſperis, proſpera adverſis aliquando cedere, & ob diverſorum ſeu probationem ſeu reprobationem, hæc illis, illa iſtis, variantibus vicibus provenitſe. Hæc autem idcirco dixerimus, quia quatenus ſæpe memorati, ſemperque memorandi viri, Sanctus videlicet *Oſwoldus* & Dux *Ailwynus*, in hujus vitæ ſtadio laborem ſui curſus protelaverunt, Eccleſia *Rameſienſis*, Domino ſibi in alterutro illorum ad alterutrius irrigui felicitatem feliciter præſidente, felicibus ad votum ſine Abbatis regimine ſucceſſibus ſuccedentibus, viginti quatuor circiter annis poſt fundationem ſuam primam, eſt gaviſa; poſt exceſſum vero amborum, variantibus diebus, varias pro voto paſſim & contra votum ſub Abbatum temporibus vices variavit.

Cap. LXIV.

Ædnothus junior primus Rameſienſis *Eccleſiæ Abbas beato Alphego ordinatur.*

NAM prædictus celeberrimæ Sanctitudinis præſul *Ælphegus*, ſtatim funereis viri venerabilis exequiis celebrattis, fratres omnes ſuper pii patris diſpendio admodum contriſtatos ante ſe convocavit, blandeque conſolatos juſſit, ut unum de univerſitate Collegii ſui, quem ſibi præfici dignum æſtimarent, eligerent, & indicarent ordinandum. Qui, Spiritus Sancti gratia piis votis & vocibus invitata, in *Ædnothum* juniorem virtutum coloribus ex inſtitutione *Oſwoldi* varie venuſtatum, uniformi omnes ſententia convenerunt. Unde vir Domini hymno laudis Domino cum eiſdem fratribus decantato, præfatum electum eorum, cum aliquibus ex prudentioribus domus, in præſentiam *Æthelredi* Regis abiens produxit, illoque annuente eum in Abbatem primum *Rameſienſis* Eccleſiæ, Salva matricis *Doncaſtrenſis* Eccleſiæ obedientia, ordinavit, domumque remiſit.

Cap. LXV.

Germanus Eccleſiæ Celeſige *Abbas præficitur.*

SUB eodem quoque tempore præfatus Rex *Æthelredus*, venerabilem virum *Germanum*, cujus ſupra pluries mentio habita eſt, Eccleſiæ *Celeſige* orbatæ paſtore præfecti, ubi & plurimis poſtea annis, uſque ad communis debiti exactionem, in bonorum exercitiis operum ſtudia ſemper continuavit honeſta. Abbas autem *Ædnothus* commiſſæ ſollicitudinis ſuſcipiens gradum, uſitatæ diutius non abjecit humilitatis amplexum, prælatus aliis nec elatus, fuit in illis tanquam unus ex illis, ut magis videretur prodeſſe quam præeſſe, præfuit officio, profuit autem admonitione & exemplo. Charitatem veterem erga omnes & affectum, novæ in eo conſcientia dignitatis non mutavit. Utilitates rerum exteriorum communes omni ſemper niſu augmentare laborans, interioris tamen rigorem diſciplinæ non laxavit. Cujus proventu quidam frater ejus *Godricus* nomine congra-

congratulans vir fidelis, & dives propriæ ſalubriter providens ſaluti, nulla tamen adhuc valetudine corporis tactus, quod in peccatorum ſuorum redemptionem poſt fata ſua Eccleſiæ *Rameſiæ* remanere deberet, litteris *Anglicis*, quas nos in latinum, ſicut inferius habentur, tranſtulimus, commendavit.

Cap. LXVI.

Carta Godrici *fratris* Ædnothi *Abbatis, qui dedit* Turingtonam.

EGO *Godricus concedo Deo, & Sancto Benedicto* Rameſiæ, *poſt dies meos, terram meam de* Turingtonia, *ita duntaxat ut Abbas ejuſdem Eccleſiæ Ædnothus frater meus adquietet eam de ſervitio, quod Heregeat Anglice, latine Relevatio hæreditatis dicitur, quæ ab hæredibus liberis poſt mortem patrum Dominis ſolet impendi. Concedo etiam juniori filio meo* Ædnotho *terram de Acleya. Præter hæc quoque plurima alia dona, quæ aliis conceſſit, in eodem ſcripto reperimus, quæ quia nos minime contingebant, in figuris Anglicis neglecta remanſerunt.* Hanc autem terram de Acleya idcirco tetigimus, quia & ipſa, tradente eodem *Ædnotho* filio ejuſdem *Godrici*, poſt revolutionem dierum Eccleſiæ *Rameſiæ* in liberam, ſicut in ſequentibus dicetur, eleemoſynam conceſſit.

Cap. LXVII.

De quatuor pueris qui campanam fregerunt.

FUerunt tunc temporis apud *Rameſiam* quatuor Ephebi Adoleſcentes, qui olim à beato *Oſwoldo*, cum eſſent infra ſeptem annos, in gremio ejuſdem Eccleſiæ ab ipſo rudimentorum tirocinio ſub norma religionis educati, jam ætatem attigerant pubertatis. Hi tanquam olivarum novellæ ad virtutum profectus ſuccreſcentes, & ipſo bonorum proventuum auſpicio utilem intimæ pinguedinis fructum promittentes, honeſtate ſtudiorum & venuſtate morum ingenue conſecrarant, primitias juventutis, *Æthericus* ætate & ordine primus, ſecundus *Ædnothus*, tertius *Oſwoldus*, Sancti *Oſwoldi* ex fratre nepos, quartus *Æthelſtanus* dicebatur. Erant igitur omnes bonæ ſpei juvenes, omnes elegantiam formæ & natalium nobilitatem caſtigatis animorum motibus perornantes. Hi ergo quatuor, ne ex rigore ordinis fatigati ſine interpolatione recreationis deficerent, juxta illud, *quod caret alterna requie durabile non eſt*, aliquoties in hebdomada, horis competentibus, ex licentia magiſtrorum, ſolebant extra clauſtrum locatione honeſta & diſcurſu puerili obſervantiæ regularis labores & tædia relevare. Quadam itaque dierum cum pediſſequo ſuo ad ſpatiandum de more exeuntes, ad reſtes campanarum majorum, quæ in occidentali turri Eccleſiæ pendebant, e trabibus accurrerunt. Quarum unam tam diu imbecillium virtutum tenera lacertorum trahentes agitabant, quouſque obortam in ea ſubito ex motu inæquali fracturæ rimulam maleſidus in ſecretis ſonus ſtridulus indicaret. Quo comperto vehementi in pueros ira tam magiſtri eorum quam fratres reliqui pro rei familiaris diſpendio exarſerunt, graviſſimam eis verberum minantes ultionem, unde perterriti admodum, & in lacrymas erumpentes, tandem ſententiæ illius quam in capitulo ſæpe recitari audierant memores, qua à beato *Benedicto* præcipitur, ut qui perdiderit quicquam aut fregerit, alios in delicti ſui accuſatione feſtinet prævenire, ſtatim venientes ad pedes Abbatis cum ejulatu flebili & damnum, quod per eos, indicarent. Miſeros igitur vir diſcretus clementer miſe-

miſerans, & miſericordiam flagitantes miſericorditer conſolatus, accitis fratribus, ait, innocentes non voto ſed contra votum, non ſponte ſed nolentes, non de induſtria ſed caſu fortuito culpam commiſiſſe non votivam; parcendum potius dolentibus, de quorum pœna nullum eſſet remedium proventum; non ſupernæ diſpenſationi difficile, per pueros nobilitati natalium commendatione morum ex æquo reſpondentes, damnum perpetratum, cum ad maturitatis annos devenerint, in centuplum reſarcire. Sicque vir pius exaſperatam in miſeros fratrum iracundiam mulcendo delinivit, & promiſſorum reis verberum timorem penitus exemit. Deinde dimiſſis fratribus pueros ſecretius hortatus eſt, & inſtruxit. Qui, pii patris parentes admonitioni, nudis Eccleſiam pedibus intrantes, anxietatis intimæ domino coram Sanctis, quorum ibi patrocinio habebantur, ſanguinem libaverunt, qui vota ſua divinæ pietatis auribus importaret. Nec defuit dignatio cœleſtis puris precibus puerorum, quæ quid petierunt, aut quibus ſe votis obligaverint evidenti indicio declaravit, dum eos magnis in mundo & claris honoribus, procedente tempore, ſublimavit, in quibus poſiti votorum haud immemores præclara & ingentia eidem Eccleſiæ, ſicut in ſequentibus lectori conſtabit, beneficia ſinguli contulerunt.

CAP. LXVIII.

Quomodo Sanctus Ivo *ſit inventus.*

HIS ita geſtis Sanctum *Ivonem*, quo Eccleſiam *Rameſiæ antiquus ille dierum ex alto oriens*, ante naſcentis primæ primordium diei, præſcius decreverat viſitare, feliciter ſub eadem contigit tempeſtate declarari. Sancti ſiquidem Archipræſulis *Ivonis* beata pignora, quæ in agro *Slepenſis* prædii prope *Uſæ* fluminis alveum annoſa tumulaverat antiquitas temporum plurimorum, dum terræ viſcera coacto ex nutu Dei profundius vomere rimatur arator, hærentibus ad tanti vas theſauri bobus, reperta ſunt. Quæ cujus eſſent cum ab omnibus ignoraretur, cuidam ejuſdem villæ viro ſimplici Sanctus nocturna apparens viſione, & ſuas eſſe reliquias aſſeruit, quas *Rameſiam* deferri oporteret, & tres ſocii ſui ubi inveniendi eſſent indicavit. Cujus viſionis dompnus Abbas *Ædnothus* ſignis etiam miraculorum comperiens fidem, accercito ocius, quem ſæpe tetigit ſermo ſuperior, Abbate *Germano* eodem conſorte, pretioſa ſupernæ pietatis munera cervicibus ſuis impoſita in *Rameſienſem* Baſilicam, ubi uſque hodie claris coruſcant miraculis, cum multa populorum caterva tranſportavit. Decennio igitur poſt defunctionem Advocati noſtri Comitis *Ailwyni*, eodem die quo eundem patronum noſtrum, VIII ſcilicet Kal. *Maii*, ſuſcepit terra tumulatum, ex divinæ munere largitatis, novum nobis itidem edidit terra patronum, nulla prorſus fatorum ſorte deinceps auferendum. Qui eidem requietionis ſuæ loco, imo omnibus cultoribus ſuis, hodieque apud Deum patrocinari non deſiſtit.

CAP. LXIX.

Ædnothus Abbas Rameſiæ Dorcaſtrecenſis *Eccleſiæ Epiſcopus conſecratur.*

SUB eodem tempore Sanctus *Ælphegus* de Epiſcopo *Wyntoniæ* Archiepiſcopalem *Dorobe rniæ* Cathedram quartus à Beato *Dunſtano* ſuſcepit. Tunc quoque *Dorcaſtræ* Eccleſiam paſtore ſuo *Alfelmo*, venerabilis viri *Æſcwii* ſucceſſore, contigit viduari. Pro quo *Rameſiæ* Eccleſiæ Abbas

bas *Ædnothus*, vir prudentiæ plurimæ, & probitatis opinione percelebris, conclamante in ejus electionem tam Clero quam populo, ſedi eidem Epiſcopus ſubrogatur. Is præfatum Sanctum *Alphegum*, *Dacorum* rabie in *Cantiæ* partibus ſæviente, Martyrio vitæ præſenti exemptum, *Londonii* cum ejuſdem urbis Epiſcopo *Alfuno*, venerabili ut decuit tradidit ſepulturæ. Contigit ergo, ut qui ſe in Abbatem *Rameſiæ* ordinaverat, ipſius triumphalibus poſtmodum exequiis feliciter ipſe deſerviret.

Cap. LXX.

Poſt Ædnothum Wlſsius *Abbas* Rameſiæ *Efficitur.*

FRatribus itaque *Rameſienſibus* poſt promotionem *Ædnothi* privilegii ſui auctoritate utentibus, *Wlſſius* quidam, è ſuis, de libera omnium electione, eis Abbatis jure præficitur. Erat autem vir religioſus & prudens, ſatiſque commendabilis, niſi parcitatis virtutem in tenacitatis vitium, quod in Eccleſiæ ſuæ detrimentum poſtea redundavit, convertiſſet.

Cap. LXXI.

De Brithnoto *Comite.*

ERat ſiquidem tunc temporis Comes quidam, *Brithnothus* nomine, qui *Rameſienſem* Eccleſiam plurimum diligens, in privilegio *Ædgari* Regis duo eidem Maneria, *Iſham* videlicet & *Wythentoniam*, in liberam Eleemoſynam contuliſſe memoratur. Vir inter proceres Regni ſublimis & honorabilis, cui tam claritas generis quam opum affluentia, potiſſimum autem labor bellicus, quo contra hoſtes patriæ ſæpe deſudavit, celebrem contulerat opinionem. Qui, cum aliquando contra *Dacos*, qui partem regni turbaverant, more ſolito pugnaturus, prope *Rameſiam* navigio tranſiens, multam duceret manum militarem, mittens rogavit Abbatem prædictum *Wlſſium*, ut ſibi & ſociis ſuis refectionem unam procuraret. Ille autem rogantis fiduciam temere deludens, non adeſſe ſufficientiam panum tot hominum numero, non ſufficere penum remandavit, cum VI aut VIII tantum Comitibus pranſurus, ſi vellet, veniret. Collectæ autem multitudinis famem alias relevandam cogitaret. Qua reſponſione accepta vir nobilis, quamlibet percitus ira, tacitus tamen receſſit, honeſtius judicans commune cum exercitu jejunium continuare, quam eſuriente milite principem ſaturari. Abbas ergo *Elienſis* & fratres ex imprudentiæ hujus levitate captandæ tanti viri benevolentiæ occaſionem aucupati, mittentes in occurſum venientis, largis eſurientium inediam eduliis refecerunt, hoſpitalitatis humanitatem gratis offerentes; ſicque gratiam viri, quam à nobis ex præcedentis temeritate delicti deſciviſſe cognoverant, levi ſibi liberalitatis pretio conſciſcentes, plurimas & amplas terrarum donationes, quarum aliquas *Rameſienſi* Eccleſiæ fato functurus dare decreverat, in jus ab eo hæreditatis ſempiternum receperunt. Idem tamen poſtea, ex ictu belli morti diſpoſitus teſtamentum faciens, unam hidam nobis dedit apud *Dodintonam*, ne omnino affectionis antiquæ immemor videretur.

Cap.

Cap. LXXII.

De morte Regis Æthelredi, & Ædnothi *Epiſcopi* Dorcaſtr. & Wlſſii *Abbatis* Rameſiæ & Aylwardi *filii Comitis* Ailwyni.

IN tempore illo Rex *Æthelredus*, Regis *Ædgari* filius, poſt multas martiæ virtutis exercitationes, quibus, ob defenſionem patriæ contra *Dacos*, annis XXXVII ſub ſorte ſæpe infirma deſudavit, apud *Londonium* vita deceſſit; cujus loco *Anglici Ædmundum* ejus, non *Emmæ*, filium, qui, ob illuſtrem vigorem corporis & robur laudabile, *Ædmundus Ireneſide*, id eſt, *latus ferreum* appellatur, in Regem erexerunt. Contra quem *Cnut* Rex *Dacorum* navalem exercitum ducens, pluribus eum bellis laceſſivit, multiſque partem *Angliæ* calamitatibus profligavit. Attamen triumphale decus belli ſæpius ceſſit *Ædmundo*. Sed quoniam ex infida rotatione fortunæ non ſemper idem manet ſucceſſus præliorum, quadam vice, cum uterque Regum, multo milite manu augmenta, pari congreſſione & finali rem ſtrictius gladiis agerent, cæde deſpecta, Dux quidam *Ædricus* patriæ proditor & gentis, videns *Ædmundum* furore fulmineo hoſtium aciem penetrantem, callidus doli artifex primus cum cohorte ſua fugæ conſuluit, mortuum *Ædmundum* vociferans & affirmans. Quem cæteris ex ſtupore & pavore ſequentibus, *Dacis* audacia crevit, *Ædmundus* loco certaminis ceſſit, quia robur principis lapſum milites enervavit. In illo igitur congreſſu *Ailwardus Ailwyni* Aldermanni filius periit, totius quoque fere *Britannicæ* Nobilitatis emarcuit viror, claruitque evidenter, quantum in bellicis negotiis valeat Comitum fides, diſcretio Ducis, militandi uſus: potiſſimum autem artis Martiæ diſciplina. In eodem etiam certamine, dum gladius hoſtilis nulli prorſus ordini, nulli parceret profeſſioni, occubuerunt, quorum hæc, commemorationis gratia, perſtrinximus, *Ædnothus* Epiſcopus *Dorcaſtriæ*, & *Wlfſius* Abbas *Rameſiæ*, qui cum multis aliis religioſis perſonis, juxta morem Anglorum veterem, ibidem convenerant, non armis, ſed orationum ſuppetiis, pugnantem exercitum juvaturi. Igitur prædicti *Ailwardi* & *Wlfſii* Abbatis corpora officio ſuorum collecta ſunt, & apud *Rameſiam* humata.

Cap. LXXIII.

Quomodo corpus Ædnothi *Epiſcopi* Elienſes *nobis abſtulerunt.*

SImiliter etiam Epiſcopum *Ædnothum* decreverunt ſui in loco eodem debere ſepeliri, ut ubi pueritiæ olim tranſigens tempus in virum evaſerat, & promotionis primæ conſcenderat gradum, ibidem repoſitus diem operiretur extremum. Qui per *Elienſem* Inſulam, cum cadavere extincto, navigio tranſeuntes, illo vel laſſitudine, vel vergente in tenebras diei luce, coacti diverterunt, ubi dum in Eccleſia pauſarunt, ſummo, ut credebant diluculo, cum pignore allato receſſuri, fratres loci glebam viri latenter elatam furtivis familiaris urnæ inferiis exceperunt. Mane facto, de depoſiti diſpendio æditus cauſantur, actores rei factum non inficiantur. Illis cauſam quærentibus, allegant hi, ſuum fuiſſe Epiſcopum, non oportere longius Cadaver aſportari, quandoquidem ibidem, tanquam in Diœceſis ſuæ Eccleſia non ignobili, honeſtam habere potuit ſepulturam. Tunc etenim temporis, antequam Abbatia *Elyenſis* in Epiſcopatum eſſet tranſmutata, parochiæ *Dorcaſtriæ* eadem cohærebat; hac itaque reddita ratione hoſpitum ira pacata quieſcit, *litem* omnem *mollis reſponſio dirimit*, fortiori

cedit pars infirmior & recedit. Fuerunt fratres quidam illius Eccleſiæ, qui ipſa nocte lumen cœlitum divinitus ſuper defuncti feretrum aſſerunt micuiſſe, cujus aſſertionis fide domeſticam familiam ad tollendum corpus animabant. Raro ſiquidem alicujus affectio alienæ unquam utilitati fuit quam ſuæ propenſior, & idcirco venerabilis viri reliquias nobis, dum ſibi conſulunt, invidebant; ſed quia ſuper horum certitudine vacillamus, nutantem opinionem, quam fama dubia ſerit, confirmare non audemus.

Cap. LXXIV.

Rege Ædmundo *diem obeunte,* Cnutus *Dacus in Regem Anglorum conſecratur.*

POſt hoc, Regis *Ædmundi* flore juvenili proditionis falſæ ſucciſo, *Cnuto* Rex *Dacorum* ſimul & *Norwegentium,* totius etiam *Britannici* Imperii adeptus eſt principatum. Filii *Æthelredi* & *Emmæ* Reginæ, *Alfredus* & *Edwardus*, in *Normannia* apud avunculum ſuum *Richardum,* uſque ad mortem *Cnutonis*, tutas exilii latebras coluerunt. *Emmam* vero Reginam Dux *Richardus Cnutoni* nuptum dedit, qui filium *Hardecnutum,* & *Gunnildam* filiam, quæ poſtea Imperatori *Alemannorum Henrico* in matrimonium venit, ex ea progenuit.

Cap. LXXV.

Ethericus Eccleſiæ Rameſiæ Alumnus, Ædnotho *in Epiſcopatum Dorcaſtriæ,* Wythmannus *vero in* Rameſienſis *Eccleſiæ regnum,* Wlſſio *ſuccedit.*

UNde ſic igitur aliis accedentibus alii cedunt decedentes, & fallaci fortunæ luſu hæc ita tranſiguntur. Interim bonæ indolis puer *Æthericus* quatuor Alumnorum *Rameſienſium,* quos commemoravit præcedens lectio, primus à pueritiæ colo longum profectuum bonorum contorquens filum, morum laudabilium confecerat glomus ingens, unde ſpectabilem virtutum telam ordiens pontificalem ſibi infulam præparavit. Tantam ſiquidem apud omnes opinio juveni contulit vulgata notitiam, ut *Ædnotho,* ordine quo ſupra retulimus, rebus humanis exempto, rege tam Cleri quam populi votis conſentiente, ipſe, de Clauſtro *Rameſiæ, Dorcaſtriæ* Cathedræ aſſumeretur in ſeſſorem. Sub eodem nihilominus tempore, poſt *Wlſſium,* quem belli occaſione interemptum meminimus, ad regimen Abbatiæ *Rameſienſis Wythmannus* ſucceſſor acceſſit. Qui, cum eſſet bonæ vitæ, & prudentiæ laudabilis, genuina tum animi feritate, utpote *Teutonicus* natione, damnum aliquod ſuæ attulit laudi.

Cap. LXXVI.

Quomodo Abbas Wythmannus *fratres* Rameſienſes *apud* Æthericum *accuſavit.*

CUM enim ſubditos bonis ſtudiis ex uſu deditos, ad meliora magis cogere quam admonere conaretur; eiſdem plus timendum ſe præbuit quam amandum. Unde contigit aliquando, ut ipſo in eos immoderatæ iracundiæ aculeos perurgente, communi injuria laceſſiti recalcitrarent, pluribus eum verborum contumeliis exacerbantes. Qui nimium commotus, prædictum *Æthericum* illius Dioeceſeos Epiſcopum aditurus, iter conceptæ iræ ſtimulis maturavit. Cujus copiam adeptus, de contumacia, de inobedientia, de regularis denique negligentia diſciplinæ, innocentem

gregem

gregem apud eum cœpit paſtor anxius accuſare, non poſſe eos intra domeſtica Clauſtri ſepta contineri, mobilitatem mentium vagis inquietorum corporibus declarari, ad correctionem eorum oportere manum fortitudinis adhiberi. Stupens igitur vir diſcretus ſuper his & admirans, aliqua mora ab ea, quam deſiderabat, ſententia, conſenſum animi ſuſpendit, ut dilatione decreſceret pendulæ umbra veritatis. Cogitabat quam Sancta, quam honeſta pueritiæ ſuæ cunabula reliquiſſet. Non eſſe credibile, ut confratres & coalumni ſui, ab eo, quem longa ſecum exercitatione in uſum verterant, amore diſciplinæ, tam facile deſciviſſent. Conſolatum ergo, & ad patientiam commonitum Abbatem, ad domum remiſit, ex occupato ab aliis, quibus tunc tenebatur negotiis, animo, in propria ſe perſona quantocius venturum, omnia in virga diſtrictæ animadverſionis ad ejus arbitrium correcturum promittens. Abbate tamen recedente, nullum certum determinavit diem, quo vel accuſatores vel accuſati venientem operiri debuiſſent. Callebat etenim vir prudens innopinata incautos ſurreptione deprehendendos, ne præmuniti & ab invicem commoniti vera falſis palliata poſſent ſimulatione adumbrare.

CAP. LXXVIII.

Quomodo accuſationis falſitatem, & innocentiam accuſatorum Epiſcopus deprehendit.

OPportunitatem igitur aucupatus, iter Epiſcopus verſus *Rameſiam* cum familia tenui, ne calliditas ejus deprehenderetur, aggreſſus, prope Inſulam, breviore in craſtino dieta adeundam, hoſpitatus eſt. Summo autem diluculo veniens, & viatorem aliquem ſe ſimulans, Monaſterium tanquam oraturus ingreſſus, ubicunque patebat aditus venienti, & nulla fuit repulſa obviantis, cœpit omnia ſollicite perſcrutari. Igitur antequam eum quiſquam agnoviſſet, alios ad privata altaria miſſas devote celebrare, alios circa majus altare ad memoriam ſanctorum orare, alios inter columnas Clauſtri denſo ordine conſedentes, vel lectioni cum ſummo ſilentio operam dare, vel ſcribendi officio, vel certe cujuſlibet alterius honeſti operis exercitio, otioſitatis reperit ſegniciem devitare. Cum ergo ſic operto capite loca ſingula, quæ familiari à puero uſu didicerat, ſine errore ſcrutaretur, aliquis fratrum ei denique obviam veniens, & ſollicitudinem ſcrutantis admirans, dum ſuſpenſior in eum intendit, ex notiſſimo geſtuum & inceſſus indicio, Epiſcopum recognovit. Currenſque ad Abbatem, en, inquit, adeſt Epiſcopus, en à mane ſummo uſque nunc inter nos quaſi alienus, nobis prorſus quis eſſet ignorantibus, in Eccleſia & clauſtro, nullo præ ſpectabilis perſonæ reverentia prohibente, deambulavit. Quibus auditis Abbas ſtupidus, ad ſalutandum hoſpitem feſtinavit. Quem indignanter aſpiciens *Æthericus*, nullamque reſalutationis honorificentiam exhibens ſalutanti, de ſuggeſtione falſi, & indebitæ criminationis injuria, quam filiis pater turbulentus irrogaverat, graviter increpavit. "Ecce, inquiens, "innocentiam fratrum noſtrorum argumentoſa calliditate deprehendimus, "quos in eodem, quo eos olim hinc recedens dimiſeram, religionis ri-"gore, perſeverantes invenimus. Conſtat ergo non fervorem juſtitiæ, "ſed zelum amaritudinis ad eorum te accuſationem animaſſe, unde tam "pro eo quod nobis, qui auctoritate tibi Epiſcopali præeminemus, ſub "ſchemate veritatis mendacium ſuggerere non metuiſti, quam pro inno-"centia injuſte criminata, eandem, qua innocentes innodari deſideraveras "ultionis ſententiam, in teipſum non immerito retorqueremus, niſi primæ "novitas offenſionis animum à propoſito revocari compuliſſet. Nunc ergo, "frater, feritatem morum tuorum memineris temperandam, ut juxta beati

"Benedicti inſtitutionem, non ſis turbulentus vel anxius, non nimius, vel "obſtinatus, non Zelotypus, vel nimis ſuſpicioſus, ſed utroſque lacertos, "juſtitiæ videlicet & miſericordiæ, exere prudenter & exerce; ne eos, "qui nec digito ſuo quod alienis imponunt humeris movere dignantur, "aliquatenus imitari videaris. Non tamen dicimus ut diſſimulando vitia "radicari permittas, ſed naſcentia ſtatim falce diſcretionis amputare fe-"ſtines, diligenter teipſum conſiderans, ne paſſioni, quam in aliis mitigare "ſtudueris, ipſe aliquando exponaris. *Convocatis autem fratribus*, Nolu-"mus tamen, *ait*, ut horum occaſione verborum ſubditi tui debitam tibi "ſubjectionis reverentiam impendere detrectantes, exercendæ erga te con-"tumaciæ ullatenus nutriant auſum. *Quinimo in virtute* obedientiæ eis "præcipimus, quatenus omnem tibi tanquam Abbati ſuo obedientiæ hono-"rem cum amore exhibentes, ſemetipſos etiam mutuæ caritatis officiis "cum ſedulitate contendant prævenire. Si vero, quod abſit, aliquem re-"bellem repereris, & poſt tertiam correptionem à protervia ſua deſiſtere "nolentem, debitam temeritatis ſuæ excipiat pœnam, ſciturus pro certo, "quamcumque in eum juſtam tuleris ſententiam, auctoritatis noſtræ con-"niventia roborandam. Sic itaque utrorumque, Abbatis videlicet & fratrum, irritatæ olim injuriis iræ, conſilii & conſolationis ejus beneficiis delinitæ ſopierunt, & in pacis priſtinæ gratiam invicem ſe converſis affectibus receperunt.

CAP. LXXIX.

Wythmannus *Abbatiam reliquit, & ejus loco* Æthelſtanus *ſubſtituitur.*

POſtea autem cum receſſiſſet Epiſcopus, efferos motus Abbas, & geniales ſecum affectionum ſuarum metiens paſſiones, difficile ſibi perpendit & periculoſum ſervire moribus plurimorum, qui ſuo ipſius animo ad votum non potuit dominari. Quapropter Abbatiæ adminiſtratione relicta, fratribus valedicens, nec eum retinere volentibus adquieſcens; *Jeroſolimam* ad viſitandum Dominicæ paſſionis & ſepulturæ locum peregre eſt profectus. Cujus loco *Æthelſtanum*, cujus ſuperius meminimus, in Abbatem ſibi fratres *Rameſienſes* erexerunt. Exacto deinde plus minus integro anno, peracta *Wythmannus* peregrinatione, *Rameſiam* regreditur, rumor quoque præcurrens nunciat venientem. Abbas ergo *Æthelſtanus* cum fratribus, hora, qua *Wythmannus* Eccleſiæ approquinquare foribus nunciatur, in refectorio reficiens, jubet lectorem ſtatim lectionem terminare, omneſque ſacris veſtibus redimitos Abbati ſuo cum reverentia obviam feſtinare, *Wythmannus* vero priſtinæ enormitatis ſe accuſans, & recipiendæ proceſſionis vel Abbatiæ recuperandæ oblatum honorem humiliter recuſans, univerſis petitioni ejus gratanter faventibus, locum ſolitarium, qui *Northeya* dicitur, ad habitandum accepit. Eſt autem locus ille ab Eccleſia *Rameſiæ* unius vix baliſtæ jactu ſecretus, in medio alneto, lutoſa palude circumſeptus, tam longitudine quam latitudine admodum egenus, ſine navis vehiculo inacceſſibilis, vitam ſecularem nauſeantibus ſatis conveniens & acceptus. Ibi ergo *Wythmannus* cum uno tantum fratre comite, & duobus ſervientibus, cotidiano de penu *Rameſiæ* victus alimento ſibi indulto, reliquum vitæ ſuæ in virtutum exercitiis, uſque ad tempus ſcilicet *Edwardi* Regis tranſigens, prioris nævos atrocitatis valida poſterioris manu manſuetudinis emendatior penitus delevit, & poſſeſſiones Eccleſiæ *Rameſiæ* quæſtu ſuo, ſicut inferius declarabimus, augmentando ampliavit.

CAP. LXXX.

Cnutonis Regis commendatio.

INterea *Cnuto* Rex Chriſtianiſſimus nulli prædeceſſorum ſuorum Regum comparatione virtutum vel bellica exercitatione inferior, cœpit ſanctam Eccleſiam enixiſſime venerari, & religioſorum cauſis virorum patrocinari, eleemoſynis profluere, juſtas leges, vel novas condere, vel antiquitus conditas obſervare. Cumque non ſolum *Angliæ*, ſed & *Daciæ* ſimul & *Norguegiæ* principaretur, erat tamen humilitate cernuus, uſus venerii parcus, alloquio dulcis, ad bona ſuadibilis, ad miſericordiam proclivis, amatorum pacis amator fidiſſimus, in eos autem, qui vel latrocinio vel deprædatione jura regni violaſſent, ultor ſeveriſſimus.

CAP. LXXXI.

Quod Cnuto Æthericum *Epiſcopum familiarem habens, & ejus admonitione* Rameſiam *Eccleſiam diligens, & aliam Eccleſiam in Inſula ipſa conſtruxit.*

QUI, dum bonorum fidelibus delectaretur conſiliis, *Æthericum* Epiſcopum ſciens juſtum, prudentem, & vivacis conſilii virum, frequenter eum ad privata colloquia accerſivit. Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Cujus hortatu *Rameſiæ* Eccleſiam, circumquaque ſuavem ſpirantem jam bonæ opinionis odorem, plurimum diligens; in ipſa Inſula quandam aliam Eccleſiam juxta primam ejuſdem formæ, ſed quantitatis paulo diſſimilis, datis de fiſco regio ſumptibus, in honorem ſanctæ *Trinitatis* conſtrui fecit. In qua, cum coetum Monialium aggregare decreviſſet, ut ſicut in altero Monaſterio collegium virorum, ſic in hoc quoque chorus feminarum ſedulum Deo obſequium exhiberet; ex providentia tamen Dei, quid utilitatis aut damni ex vicinitate ſexuum amborum provenire poſſet, non latebat, propoſitum non implevit. Porro crypta, quæ ſubtus majus ipſius Eccleſiæ altare fabricata fuerat, ejuſdem ædificii teſtis & index, in cœmiterio noſtro hodieque indemnis perdurat.

CAP. LXXXII.

Quomodo Æthericus *Epiſcopus, Rege* Cnutone *favente, ſanctum felicem de* Seham Rameſiam *transferri fecit.*

IN diebus illis ſanctus *Felix*, orientalium olim *Anglorum* Epiſcopus, apud Regium Manerium *Seham* habebatur ſepultus. Ibidem etenim ipſe ſanctus, ſpectabilis formæ quondam vitalem adhuc hauriens auram, Eccleſia conſtructa & dedicata, coetum non minimum Monachorum aggregarat. Qui poſtea, pio patre defuncto, & apud *Donmoth* præſulatus ſui ſedem tumulato, opportunitatem aucupati & nacti, dulces oſſium ejus exuvias exinde ablatas, apud ſe in memorata *Eccleſia* de *Seham* venerabiliter collocarant. Poſtmodum vero eadem Eccleſia [vel eodem Monaſterio] *Dacis* in partibus illis ſævientibus, funditus deſtructa, Monachiſque peremptis, uſque ad memorata *Cnutonis* Regis tempora, prædicto ſanctiſſimo viro minus reverentiæ; minus impendebatur honoris. Quo comperto, *Æthericus* Regem precibus ſollicitans, & ſollicitatum ad conſenſum inflectens, Abbati *Æthelſtano* & fratribus *Rameſiæ* intimavit, ut modici

dici laboris pretio inexhauriendas ſibi divitias comparantes, propriæ utilitatis ſtimulis effectum negotii maturarent. Abbas ergo *Æthelſtanus*, aſſumpto ſecum *Alfwino* tunc præpoſito, cum veneranda fratrum caterva, locum tanti vas theſauri continentem, navigio adiit, & auctoritate Regis ſimul & Pontificis vires reſiſtentium compeſcentes, ſanctoſque cineres cum oſſibus navi imponentes, verſus *Rameſiam* iter retrogradum cum gaudii pſallicio direxerunt. Quo audito *Elienſes*, & pignus tanti nobis theſauri invidentes, naves cum manu valida aſcenderunt, ut paucioribus, glebam quam abſtulerant, cum multitudine auferre niterentur; ut autem plus voluntate divina quam [humanâ] diſpenſationem hanc fieri clareſceret, cum naves alterutræ, votiva aeris ſerenitate arridente, ſibi obviam properarent, ſubito ad impedimentum plurimum & ſubſidium paucorum orta eſt nebula denſiſſima, quæ partes utraſque diremit, ſicque adverſariis alio errando divertentibus, noſtrorum recto curſu tutos domeſtici littoris gremio famulatrix unda reſtituit. Dubiam tamen hujus miraculi fidem, quam fluctuans veterum nobis tradidit relatio, nulla, lector, cogeris ſuſpicere neceſſitate, dummodo omnimodas indubitata tibi conſtet veritate Sancti *Felicis* reliquias, *Cnuto* Rege precibus *Ætherici* Epiſcopi favente, de præfata villa *Seham* in *Rameſienſem* Eccleſiam tranſlatas, & honorifice reconditas: ubi uſque hodie plurima cultoribus ſuis vir ſanctus confert beneficia. Si vero cujus nationis, qualis vitæ, quantive meriti fuerit noſſe deſideras, *Bedam* conſule, qui *Anglorum* hiſtoriam laudabili ſtilo perſecutus, inter alios, quos ibi commendat plurimæ ſanctitudinis viros, ipſius laudem tacendam non putavit.

CAP. LXXXIII.

De Donariis Ætherici *Epiſcopi.*

JAM vero nunc ad declaranda ingentia & præclara *Ætherici* Epiſcopi donaria, quibus redimere ſtuduit damnum, quod per eum *Rameſienſi* Eccleſiæ in perditione Campanæ olim, cum ibi puer nutriretur, acceſſit, calamus convertatur. Felix caſus & damnum fortunatum, quod eidem Eccleſiæ in tanti poſtea commodi ceſſit monimentum. Siquidem memoratus *Æthelricus*, Epiſcopii Dorcaſtriæ dignitatem poſt *Ednothum* ſummæ religionis prudentiæ & ſagacitatis nactus, inſtrumentis cum ei gratia Regis totiuſque populi favor arrideret. Nutricis tamen ſuæ & cunarum memoriam non omiſit. Multa namque & uſque hodie ſpectabilia, loco olim pueritiæ ſuæ conſcio contulit beneficia, non quidem de Pontificii ſui jure exempta, ſed divitiis affluentibus, quibus cor non appoſuit, comparata, ſeu calliditate laudabili adquiſita.

CAP. LXXXIV.

Quomodo occidentalem partem de Elleſworth *nobis adquiſivit.*

CUM enim, ut dictum eſt ſuperius, Rex *Cnuto*, genere *Dacus*, *Anglici* Principatus eſſet Monarchiam adeptus, quidam *Angli* nobiles, Anteceſſorum ſuorum Regum proditores, ex ejus ſententia proſcripti, & exterminati, *Dacis* Commilitonibus Regis abjudicatas ſibi ſuæque poſteritati vel ſucceſſioni hæreditates reliquerunt; unde contigit, ut quidam *Turkillus*, de ſtirpe non infima *Dacorum* oriundus, occidentalem partem Manerii, quod dicitur *Elleſworth*, cujus partem orientalem ex donatione *Æthelſtani Manneſſone* nobis acceſſiſſe ſupra meminimus, inter alia caſu funi-

cularia ſortis poſſideret: qui habens uxorem, unicum ex ea filium procreavit, poſt cujus ablactationem intra dies paucos mulier naturæ debitum ſolvens, matrimonialis connubii fœdera pariter ſolvit. Remanſit igitur homo uxore viduatus, doloremque, quem de ſolutione vinculi conjugalis contraxerat, in ſpe & amore ſuperſtitis ſolatus eſt puſionis. Sed quoniam ejus animum ſollicitabat frequenter ſollicitudo thori conjugalis, cum alia muliere matrimonium contrahens, perniciosæ ſe copulæ nexibus innodavit. Videns enim mulier virum animum dimidiaſſe in filium, & præ hoc ſe ab illo parcius diligi cognoſcens, novercali odio in privignum concepto, in necem ejus fœmineæ malignitatis furorem accendit. Et quia raro vel Dei vel hominum timore mentes muliebres à concepta ſemel pertinacia poſſunt revocari, illa meditatum facinus invidia urgente ſtuduit maturare, quatenus & diviſum conjugis animum deteſtandi criminis pretio ſibi totum conſciſceret, & patri in hæreditatem ſuccederet ex ſe ſoboles naſcitura. Quærit ergo maleficam, quæ arte & præſtigiis animos noſſet immutare. Inventæ, fidem pollicitis promiſſis & præmiis pignorata, denudat myſterium, quonam modo conjugis animus à pueri affectu avocari, & in ſe poſſit converti, ſciſcitatur? Illa artem non inficiante, cupidum lucri aniculæ animum facile ad conſenſum emollit, æqualem ei omnium communionem pollicita facultatum. Confectum ergo nefariæ medicamen ſcientiæ in cibo vel potu viro porrigitur ignoranti. Quod ſumptum tantam efficaciam habuit, ut mentem ejus omnino alienaret, & omne in eo rationis robur enervaret. Totam itaque vim amoris in conjugem tranſtulit, non ſolum ad ſolita oſcula filium non invitans, ſed etiam contumaciter repellens paternis ſe amplexibus ingerentem. Gaviſa admodum mulier de laboris ſui proventu, cum aliquando maritus ejus in remotioribus alterius provinciæ partibus quibuſdam negotiis detentus diutius moraretur, innocentem in interiora domus vocatum & innocenter vocanti arridentem ſola crudeliter jugulavit. Cumque ſola non poſſet jugulati corpus clam ad locum, quo illud occultandum decreverat, bajulare; tunc demum accita malitiæ prioris ſocia, ſub ſecuritate conductitiæ, qua olim convenerant, fidei, infantem exanimem illi recentis adhuc ſanguinis rubore perfuſum oſtendit, cauſam ſimul tam crudelis facti indicans ſciſcitanti. Illa igitur primo quidem factum deteſtante; ſed tandem roganti adquieſcente, tollentes ambæ cadaver tenerum in prato de *Lolleſworth* ſub cæca nocte tumulaverunt, nudamque humum ceſpite viridi, ne agnoſceretur tumulus, cooperientes, locum caute complanatum reliquerunt. Revertenti denique domum viro mulier maligna comploſis callide manibus occurrit, mutuatoque ab oculis fœmineæ fletu levitatis, *heu me*, inquit, *chariſſime Conjux, poſt diſceſſum tuum tranſactis uſque huc aliquot diebus puer non comparuit: miſſi quoque in villam & viciniam de familia aliqui quæſitum minime repererunt, unde nunc uſque gemitum & ſuſpiria continuans graviſſimum mihi miſera capitis dolorem conſcivi. Et niſi alterius ſuſcipiendæ de te ſobolis ſpem mihi conſultius promiſiſſem, vitæ prorſus pertæſa, mortis compendio dolorem forſitan terminaſſem.* Quibus vir auditis indoluit quidem, ſed amore veſano debriatus, unicæ prolis diſpendium ferendum levius, quam amatæ conjugis mœſtitiam indicavit. Illis ergo alterutrum confortantibus, pater unici filii, cujus corpuſculum mulier ſacrilegis manibus tumulaverat, memoriam in urna oblivionis intra dies paucos tumulavit. Famulis autem & vicinis de tam repentina pueri ſurreptione mirantibus, & ad invicem muſſitantibus, ſuſpicio oritur, longeque & late ſuper his opinio pervagatur. Sed quia difficile eſt crimen occulte commiſſum, aliquando vel tarde vel maturius caſus alicujus indicio palam non prodire, contigit quadam dierum, mulierum iſtarum pauperiorem à ditiore aliquid petere, quod ipſa dare refutaret, unde anus ſtatim & læſæ fidei & temeratæ heram arguit pactionis. Illa vero, cui jam omnia pro voto arriſerant, anum miſeram contemnens,

fidem

fidem diffitetur; nulli credibile fore arbitrata, tantæ dignitatis perſonam hujuſmodi cum vetula paupere habuiſſe contractum. Itaque inter eas, uti ſolet inter mulieres garrulas, acri altercatione ſuborta, vocat æدituos domina, jubens ut cum dedecore anum miſeram ulterius non admittendam amoverent. Illa vero, quam pœnitentia facti forte, certe autem fraus promiſſorum compulerat in dolorem, *amodo* inquit, *ad fidem me tibi noveris non teneri, cujus ipſa prior fœdera violaſti.* Sicque recedens ſæpe dictum *Æthericum* Epiſcopum adiit, cui reatum ſuum de alienata, ſicut ſuperius retulimus, ſuæ artis opificio viri mente, humiliter & clam confeſſa, etiam quæ ſe ad hoc promiſſis invitaverat de homicidio, cui non conſenſerat, palam accuſavit. Ego, inquiens nec in voto nec in conſcientia habui, ut innocens necaretur, necatum tamen poſtea ſciens & temere celans ſpe mercedis, quam non accepi, cum interfectrice tumulavi, hinc me miſeram graviter fateor deliquiſſe, ſumque ad omnia, O Epiſcope, quæ pro adipiſcenda commiſſorum venia decreveris, promptiſſima & parata. Cui Epiſcopus, propter populum, quorum jam antea fama fluctuans conſcientiam læſerat, publicam pœnitentiam injunxit, *Dacum* vero cum uxore ſua ad ſynodum ſuam citavit, ſuper certitudine famæ rationem allegaturum. Quo citato apparere contemnente, à ſeveritate tamen meritæ ultionis cenſuit Epiſcopus ad tempus temperandum, ne *Anglus Dacum* ad Regis injuriam injuſte vexare diceretur. Poſtea vero Regis copiam nactus, omnia quæ claudicans per univerſam dioeceſim ſuam ſparſerat opinio, & grave ſcandalum populi ei intimavit, hoc quoque allegans fidem dare opinationi, quod ad innocentiæ ſuæ purgationem citatus tertio *Dacus* venire detrectaſſet, ſuper quo Rex indignatus, miſſis literis *Turkillo* mandavit, ut nullas omnino cauſas dilationis admittens, ſtatim poſt acceptionem mandati iter ad ſe veniendi aggredi feſtinaret. Cujus ille mandati cauſam ſimul & novitatem admirans, venit, & coram Rege ab Epiſcopo ad rationem poſitus, tam ſuam quam ſuæ uxoris innocentiam conſtantiſſime commendavit. Unde decretum eſt debere virum ad propria reverti, & ad ſummonitionem Epiſcopi, die determinato & loco, ipſum cum XI ſimul juratoribus, uxorem vero ſuam cum totidem ſui ſexus perſonis venire, & ſuam famam aliorumque conſcientiam juramento, ſi poſſunt, ſanare ſolenni. Epiſcopus ergo peremptorie eis examinationis locum & diem præfigens, tanquam manifeſtandæ præſcius divinæ virtutis, mandavit Abbati *Rameſiæ Æthelſtano*, ut cum aliquot ex fratribus præcipuas ſibi, quas haberent, ſanctorum reliquias, eadem die exhiberent. Tandem, veniente die, in prato de *Lolleſworth*, eodem quo à prædicta anu puerulum tumulatum didicerat loco, cauſam callide ſtatuit ventilari. Quo loci copioſa tam Laïcorum quam Clericorum turba concurrente, juſſit Epiſcopus omnia, quæ Abbas & fratres *Rameſiæ* ſecum advexerant, ſuper tumulum collocari. Coram quibus *Thurkillus* poplite plexo dexteram extendit jurans, neci filii ſui nunquam conſenſiſſe, ſed nec à quo occiſus fuiſſet vel quali morte periiſſet in conſcientia ſe habere. Quod cum juraſſet, daturus locum ſucceſſuris, uxori ſuæ de cujus conſcientia nihil ſciens temere confidebat, volens jurandi neceſſitatem præpedire, ultro peierans, manu dextra barbam, quam admodum grandem & prolixam habebat, involavit. *Sic me inquiens, O Epiſcope, de barba iſta Deus gaudere permittat, ſicut & conjux mea, a crimine quo impetitur, immunis eſt & aliena.* Quo dicto dextram reducere volens, nutu divino totum illud virile vellus ſacrilegæ manui firmius adhærens, à nativo genarum loco radicius abſtraxit, turpiterque eviratus manum fortius excutiens in aera jubam tenuem ventilavit. Ad hoc miraculum clamor populi attollitur, à Monachis & Clero Deus in operibus ſuis collaudatur, pars *Dacorum* confunditur, confuſus & ipſe *Turkillus*, totum crimen in Conjugem ſigni hujus emendatiori judicio cenſuit intorquendum, qua adhuc crimen repellente, demum jubet Epiſcopus tumulum aperiri,

aperiri, & egeſta pueruli oſſa omnium oculis exponi. Quo facto mulier convicta, & ventilatæ diutius veritatem cauſæ ulterius inficiari non valens, pedibus Epiſcopi provoluta culpam lacrimis prodidit, & ſacerdotem ad miſericordiam gemitibus invitavit. Ambo igitur coram omnibus confeſſi, vir de reatu perjurii, mulier de culpa homicidii, ſolemnis pœnam pœnitentiæ exceperunt, ac *Turkillus* ultro adhuc Epiſcopo ſatisfaciens, quod in hac cauſa diutius ei contumaciter reſtitiſſet, plenitudinemque gratiæ ejus ſibi conciliare geſtiens, memoratam occidentalem partem de *Elleſworth* coram omnibus ei donavit, cuicunque religioſorum locorum voluiſſet condonandum, quam ille gratanter ſuſcipiens, Abbati & fratribus *Rameſiæ*, qui aderant, ab omni ejuſdem *Turkilli* & hæredum illius calumnia liberam ſtatim aſſignavit. Sicque *Æthericus Rameſienſi* Eccleſiæ nutrici ſuæ prædictum Manerium, quod eo uſque quaſi ſemimutilatum poſſederat, juvante ſe virtute cœleſti, alumnus haud degener ſolidavit.

CAP. LXXXV.

Quomodo Athelinton *adquiſivit, &* Rameſiæ *in Eleemoſynam dedit.*

EST in territorio *Huntingdon* quædam villa, cui longæva olim antiquitas *Athelinton* nomen dedit, ſitu loci pulcherrima, aquarum decurſu accommoda, pratorum planitie jocunda, alendis pecudibus pabuloſa, fœcundi ruris beneficio opulenta. Hanc, antequam *Daci* regnum Angliæ invaſiſſent, quidam Anglus hæreditaria ſorte poſſidebat. Cui cum natura liberos invidiſſet, ſine hærede mortis legem ſubiens, conjugi ſuæ ſuperſtiti eam reliquit dotis nomine poſſidendam. *Cnutonis* ergo Regis tempore quidam *Dacus*, cum memorata muliere, ex permiſſione Regis, connubium trahens, prædictæ villæ dominium jure conjugis eſt adeptus. Itaque cum quadam vice Rex *Cnuto* more aſſueto Regni fines peragraret, contigit eum in eaſdem partes devenire, & longioris viæ neceſſitudine ad villam Regiam de *Naſſingtona* hoſpitandi gratia declinare. Cujus anguſtia villæ, cum principibus & magnatis Regem comitantibus hoſpitalitatis beneficium denegaret, in vicinis oppidis & viculis domeſticos familiarium lares ſinguli petierunt. *Æthericus* igitur Epiſcopus, quem, ob meritum fidei & prudentiæ ſingularis, nulla cauſa, niſi quam neceſſitas enormis vel inevitabilis damni occaſio decreviſſet admittendam, lateri ejus diutius abeſſe permittebat, apud eundem *Dacum* in jam dicta villa cum quatuor conſecretariis Regis decenter hoſpitatus eſt. Et quoniam famulitium ſubjectorum, non ſolum dominis, ſed etiam familiaribus debetur Dominorum, *Dacus* ille tanto accuratius, tantoque ſplendidius, omnia hoſpitibus in cibis variis & potibus neceſſaria miniſtravit, quanto id Regi Domino ſuo placiturum non dubitavit. Tandem ſatiatis omnibus, menſiſque remotis, diem in veſperum potando pertraxerunt. Is igitur, qui pincernæ munere fungebatur, curſum calicis ſæpiſſime ad *Dacum*, Epiſcopo connivente, retorſit. Qui jocundus admodum factus, Epiſcopo inſtauramentum & valentiam villæ ſciſcitanti referre cœpit quantum peculii, quot armentorum ſeu ovium greges in dominio haberentur, quoto nomine gleba curiæ fungeretur, quantumque pecuniæ ſingulis annis de ſtatuta totius villæ penſione numeraret. Cui Epiſcopus, libentiſſime, inquit, tale Manerium, ſi venale invenirem, congruo pretio compararem. At *Dacus*, quem vehebat ebrietas, animabat jocunditas, temeritas ad rei familiaris diſpendium perurgebat. Ego, ait, ſi cras ſummo diei diluculo quinquaginta mihi marcas auri obtuleris, abſque retractatione omnibus rebus meis ablatis villam totam tibi liberam aſſignabo; hoc tamen dixit, non quod jus ſuum veno diſtrahere voluiſſet, ſed quod Epiſcopum tanquam ab Epiſcopio ſuo, loco videlicet

delicet loculorum ſuorum conſcio, longe remotum, & cum parvo manticarum numero apud ſe hoſpitatum, nulla induſtria, quæſtu nullo, ante unius noctis terminum tantam prædicti maſſam metalli arbitrabatur poſſe corrogare. Epiſcopus ergo haud ſegnis ſuæ venator utilitatis, confeſtim verbum de ejus ore rapiens, & viros, qui ſecum venerant, in teſtimonium cauſæ advocans; fiat inquit juxta verbum tuum. Ecce fidei meæ & pactionis teſtes; quod ſi non cras ante diluculum totam quam rogaſti auri congeriem coram te depoſuero, temeritatis me argues, & defectui meo jure inſultabis. Si tamen uxorem tuam in eandem tecum ſententiam feceris convenire. Conjugis, inquit, meæ conſenſus non deerit, tantum expleas quod permittis. Itaque ad deridendum Epiſcopum ſeſe temere *Dacus* animavit, & ad idem audendum animum conjugis ſtimulavit. Quid multa, vir pariter & mulier ſenſum hoſpitis ex ſuo metientes, & temulentum eum arbitrantes, negotium maturare ſtuduerunt. Itaque pactio, quæ primitus joco agi putabatur, in ſerium tandem converſa, fidejuſſoria ab alterutro cautione roboratur & confirmatur, ut ſi Epiſcopus fidem ſolveret promiſſorum nullus *Daco* ad reſiliendum locus præberetur. *Dacus* ergo ſtratum adiens nocturna quiete rei familiaris diſpendium ultro conſcivit. *Æthericus* vero ſomni pigritia in ſollicitudine converſa commoditatis propriæ emolumentum impiger adquiſivit: cum enim cubitum iſſe putaretur, tunc accito clam Notario factas otius literas urgentis cauſæ indices, univerſis amicis, ad quos eundi & redeundi ſufficiens nox illa ſpatium præbere videbatur, deſtinavit, preces precibus inſuens, ut noſtri tantæ neceſſitatis articulo verum ſe quiſquam amicum, operis impendio comprobaret. Ipſe quoque mannum, curiam aditurus, aſcendens, ipſumque calcaribus urgens, Regem adhuc teſſerarum vel Scacorum ludo longioris tædia noctis relevantem invenit: ad quem familiariter admiſſus, cauſam nocturni & tam ſubiti adventus indicat admiranti, totumque ab eo aurum, quod ibi in loculis regiis contigit inveniri, mutuatus, lege mutui ſe aſtringens, onuſtus reverſus eſt. Necdum anhelum ex acceleratione itineris ſpiritum quiete aliqua recreaverat, cum ecce ante noctis terminum reverſi nuncii, ſingulis ſinguli ſuccedentes ingrediuntur, tanti auri copiam coram Domino ſuo effundentes, ut neceſſitatem menſura ponderis ſuperarent. Unde indicibili Epiſcopus gaudio fluctuans, ſtatim in ipſo diei ortu *Dacum* poſtulatam auri congeriem ſuſcepturum excitari præcepit. Qui tumultuantium inſolentia expergefactus, & heſterna crapula vel ebrietate nocturna quiete abſumpta ſanior effectus, pactum diſſimulat: alienum eſſe quod loquebantur affirmans. Cui Epiſcopus, cum utriuſque partis fidejuſſoribus ſibi præſentatis promiſſam fulvi maſſam metalli pondere publico penſitavit, rem juſto emptionis titulo adquiſitam, juxta intervenientium fidem, ſibi poſtulans aſſignari. Reclamat *Dacus* aſſerens culpam, quam unius contraxiſſet temeritas perſonæ, in damnum hæredum nullatenus redundare debere. Ad quod Epiſcopus; etſi te, ait, ebrietas præcipitavit in culpam, uxor tamen tua, ad quam hæreditatis ſpecialiter ſpectat origo, parcius bibens, minus diſpendii familiaribus viſa eſt doliis intuliſſe. Hæc, inquam, ſæpius utrum placito adquieſceret interrogata, nil prorſus reclamans, ſacram auri famem, quam habuit, ipſo contradicendi ſilentio indicavit; his dictis acclamant teſtes, acclamantium voces facile uti in proprio domicilio reprimunt reclamantes, hinc lite ſuborta, ad audientiam Regis à parte alterutra appellatum. In cujus foro cauſa diligentius ventilata, fidejuſſores facti allegant veritatem, quod pacta ab emptore pecunia perſoluta, nullus omnino venditori ad rem venditam repetendam pateret regreſſus. Daco igitur ad horum improbationem deficiente, emptio emptori, pretium venditori de ſententia Regis adjudicatum acceſſit. Mulieri tamen adhuc litiganti, & duo ejuſdem villæ molendina, quæ catulos ſuos vocabat, pertinentias Manerii non contingere

voce

ſicut veterum accepimus relatu, piæ recordationis advocatus noſter *Ailwinus Aldermannus*, de *Ædgari* victorioſiſſimi Anglorum baſilei munificentia regali, olim in jus hæreditarium aſſecutus erat. Quo demum fatorum ſtimulos ſentiente, *Ailwardus* filius ejus decedenti in univerſitatem paternæ hæreditatis ſucceſſit. Hoc quoque ante nexum vinculi conjugalis, ante liberorum procreationem, martio diſcrimine vitæ exempto, & deinde in brevi poſt defunctionem Regis *Ædmundi* Regno Anglorum ad *Dacorum* dominium devoluto, eadem villa cuidam alienigenarum, *Cnutone* Rege concedente, ceſſit in poſſeſſionem. Procedente vero tempore *Æthericus* Epiſcopus, vivacitate ſenſus & acceptione conſiliorum, familiaritatem Regis, ut dictum eſt, & gratiam adeptus, poſſeſſori de *Anglorum* fide diffidenti, & ſolum natale inviſere cupienti, dato coram teſtibus non parvo numeratæ pecuniæ pretio memoratum prædium prodigus venalium venator, in ſuum tranſtulit Dominium. Qua emptione conniventiæ regiæ titulo confirmata, idem Epiſcopus matris ſuæ *Rameſiæ* prolem plurimam & numero & merito ſuccreſcenti, eundem familiaris crumenæ quæſtum præfatæ Eccleſiæ in jus hæreditatis perſeverabile condonavit.

CAP. LXXXVIII.

De Bernewell, Hemington, Gretton, Stowe, *& tribus hidis in* Brocton, *quas idem Epiſcopus dedit.*

DE ejuſdem nihilominus recolendæ ſemper viri memoriæ largitate munifica, *Bernewell*, *Hemington*, *Gretton*, *Stowe*, & tres hidas in *Brocton* uſque hodie poſſidemus. Quas ille terras quomodo aut ubi adquiſierit, nos licet ignoremus, in his tamen commendabile ejus beneficium utilitate non deficienti experimur.

CAP. LXXXIX.

De aliis ejuſdem Donationibus, quæ per regni mutationem in alienum Dominium tranſierunt.

SUnt & aliæ ejuſdem donationes, quas etſi per injuſtitiam aut violentiam fortiorum amiſerimus, ad commendandam tamen exuberantem in nos viri benevolentiam, catalogo cæterarum duximus inſerendas. Dedit namque *Rameſienſi* Eccleſiæ idem Epiſcopus terram de *Bodekeſham*, ſcilicet tres hidas cum cæteris eleemoſynis ſuis, quam terram *Æthelſtanus* Abbas cuidam Monacho *Ailrico* nomine præfati Epiſcopi cognato tradidit, firmarii vice cuſtodiendam. Qui *Ailricus*, pluribus poſtea annis, ſcilicet uſque ad adventum *Normannorum* in *Angliam*, dedit exinde *Rameſienſi* Eccleſiæ cenſum & firmam conſtitutam. Poſtmodum vero mutato rerum ſtatu ex novorum permutatione Dominorum, veniens *Walterus Giffardus* ſenior per violentiam eandem ſibi terram ſaiſivit, & per defectum juſtitiæ, imo per injuſtitiam licenter pullulantem, tota vita ſua inconcuſſe poſſidens, hæredibus ſuis uſque hodie poſt ſe poſſidendam reliquit. Dedit præterea prædium quoddam *Offerthun* nomine, in *Holandia*, ad fabam, ſalem, & mel fratribus exinde procuranda, poſtea vero tempore *Normannorum*, quidam *Alanus*, cognomento *Rufus*, violenter eandam terram in jus ſuum transferens, ſe ſuamque poſteritatem alieni juris dominio hæreditavit.

Cap. XC.

De Weſtmilne *quomodo eam amiſimus.*

HAbuimus nihilominus terram de *Weſtmilne* de ejus donatione, quam *Oſgodus Sneyn*, permittentibus Abbate *Æthelſtano* & fratribus, in vita ſua nomine Eccleſiæ tenuit, tali videlicet coram teſtibus propoſita conditione, ut poſt fata ipſius, libera & quieta ad *Rameſiæ* Eccleſiam rediret; addita etiam terra patrimonii ſui de *Upfordia*, quam *Rameſiæ* Eccleſiæ cum corpore ſuo dedit in pretium ſepulturæ & ſalutis. Eodem igitur *Oſgodo* vitæ exempto, Eccleſia *Rameſiæ* multo poſtea tempore utriuſque terrarum illarum gaviſa eſt poſſeſſione, quouſque in diebus *Alfwini* Abbatis, vir quidam de *Waltona*, *Sexius* nomine, Comitis *Leofrici* cognatus, multis precibus à prædicto Abbate & fratribus terram de *Weſtmilne* obtinuit, quoad viveret de eis tenendam, poſt ejus obitum ſimul cum terra ſua de *Waltona* in Dominium Eccleſiæ iterum reverſuram. Cum ergo Rex *Willelmus* omnem ſibi Angliam virtute bellica ſubjugaſſet, eundem *Sexium*, ſicut & alios pleroſque Anglos exhæredavit, & jus noſtrum ſimul cum ſuo ei auferens, alium quem voluit inde hæreditavit. Igitur quia nulli unquam ſine intermiſſione ſucceſſit feliciter, ad humilitatis incitamentum, felicitatem noſtram de profundiſſimo admirabilis conſiliarii conſilio hoc uno contigit interrumpi, dum ex occaſione mutationis dexteræ, excelſi jura noſtra ad alienos tranſierunt. Itaque præter multimoda, quæ ob difficultatem narrandi ſingula, Eccleſiaſtici reticemus cultus ornamenta, iſtæ, quas prælibavimus, ſunt præclaræ & memoria dignæ terrarum donationes, quibus *Æthericus Dorcaſtriæ* Epiſcopus, *Rameſiam*, locum ſcilicet rudimentorum ſuorum olim conſcium, vir viſcerum miſericordiæ prodigus inſignivit. Videris, lector, an damnum Campanæ, quam eum olim fregiſſe ſermo retulit ſuperior, ſufficienter redemit, an reſtet quicquam, unde infenſa dudum materna viſcera adverſus filium in querimoniam debeant permoveri.

Cap. XCI.

De Dono Ailrici, *qui apud* Rameſiam *comam depoſuit.*

SUB eodem tempore fuit vir quidam *Ailricus* nomine, cui tam divitiarum congeries, quam non obſcura veterum *Anglorum* progenies, celebrem contulerat opinionem. Is primo juventutis annos mundialis pompæ nugas faſtidiens, & Monaſticæ quietis deſiderio fervens, ſub teſtimonio *Liniugi* Archiepiſcopi *Dorobernienſis*; & Dioeceſani Epiſcopi *Ætherici*, & *Brithwoldi* Epiſcopi, & *Alfſii* Epiſcopi, & *Turkilli* Comitis, & *Eylaſi Aldermanni*, aliorumque multorum, res ſuas mobiles, & terras, quas quæſtu proprio juri ſuo adjecerat hæreditario, perſonis religioſis, & locis diverſis in pignus ſuæ ſalutis partitus, quinque hidas terræ apud *Berewik* Eccleſiæ *Rameſienſi* contulit, ubi & veteris militiæ ſingulum ſolvens, novi tyrocinii arma ſoli Deo militaturus accepit.

voce garrula affirmanti, garrulitatem omnem, omnem calumniæ viam, duarum marcarum auri adiectione emptor prodigus obſtruxit. Vir itaque & mulier judicio juſtitiæ ſponte vel inviti parentes, ſupellectilem omnem è domeſticis efferunt laribus, thorum maritalem cultu ſolita denudant, animalium greges cum familia abducunt, & nudos parietes cum rebus tantum immobilibus, novis Dominis, acceſſionis lege, relinquentes, accepto auri pretio alias ſedes recedunt mercaturi. Epiſcopus ergo omni prorſus huic inde, lite ſopita, auſu familiari tam diu *Cnutonem* precibus oneravit, quouſque emptionis ſuæ quæſtus regiæ ſibi auctoritatis titulo firmaretur. Deinde quatuor Baronibus, quorum vivaci ſedulitate & ſedula vivacitate in hoc negotio efficaciſſime ſe ſenſerat adjutum, parum æſtimavit gratias agere verbis, niſi grataretur & rebus. Quorum ſingulis duas reſidui auri marcas largifluus tribuens diſpenſator, & gratitudinem eorum & amicitiam perpetuo ſibi fœderavit. Sicque *Æthericus* LX circiter auri marcas, hujus occaſione mercimonii, expendit. Petita poſt hæc à Rege licentia, ab aliis animum avocans negotiis, verſus *Rameſiam* iter deflexit. Audierat ſiquidem Abbatem remiſſius cum ſubditis agentem, monaſticæ eis frenum laxaſſe diſciplinæ, fratres vero remiſſionis auſu à fervore obſervantiæ regularis tepeſcentes ſuavem bonæ opinionis ſuæ odorem corrupiſſe; veniens igitur & veritatem rei famæ reperiens conquadrare, capitulum comminans & fremebundus intravit, totaque ante ſe convocata cohorte, fratres de exceſſu, Abbatem vero de conſenſu durius arguere cœpit, Anathematis eis interminans innodationem, niſi emendatione congrua pœnam præpedire feſtinarent. Illi itaque, quos, cum verbis comminantis, reatus conſcientiæ terrebat accuſantis, nuſquam reniti valentes, *verbum molle quo ira frangeretur* fauſto omine elegerunt. Omnes igitur à juvene uſque ad ſenem pedibus ejus provoluti, ſævientem in ſe viri iram lacrimoſis precibus in manſuetudinem converterunt, ſuper quorum converſione & humilitate Epiſcopus admodum gaviſus, prædictam villam ad perpetuum eis alimentorum ſubſidium, vir caritate fervidus, aſſignavit. Qui, vacuatis anterioris mœſtitiæ lacrimis, in lætitiæ jam lacrimas erumpentes, pedibus ejus & genibus pro tam ingenti beneficio cum actione gratiarum ſinguli oſcula libaverunt. Hoc igitur ordine *Æthericus* Epiſcopus fratres & coalumnos ſuos, quos verborum ſeveritate ad correptionem contriſtarat, inſignis eleemoſynæ largitione ad emendationem ſolatos reliquit.

CAP. LXXXVI.

Item qualiter Terrefeld *adquiſitam* Rameſiæ *dedit.*

NEC ſic quidem vir fide plenus, laxatum in nos devotionis ſuæ cohibens frænum, aliud nihilominus Manerium pretio, non pulchritudine vel ſitu priori comparandum, *Terrefield* nomine, hoc nobis ordine opum ſuarum diſpendio adquiſivit. De ſorte Regiæ diſtributionis quidam alius *Dacus*, præfatum prædium tunc temporis poſſidebat, vir factioſus & dives, qui *Anglorum* animos ex ſuo ponderans, illis *Dacos* fore ſemper exoſos, quod patriam ſuam invaſiſſent, & ſibi inſidias, occulte tamen propter metum Regis, ab eis parari arbitratus, de tota ſcilicet villata per noctes ſingulas ſingulis hominum quaternionibus, quos addiceret ſors ſucceſſiva labori, forinſecus citra domeſticos aulæ ſuæ parietes, alternas decrevit excubias celebrari, ne ſibi quod verebatur accideret, & timor, quem timebat, aliquando eveniret. Cum ergo avara viri cupiditas laborioſis cotidianæ ſervitutis operibus ruſticos opprimeret, & tædioſis nihilominus nocturnæ ſollicitudinis vigiliis eos inanis ejus timiditas diutius fatigaret, contigit quadam noctium, ut, viris quatuor in ordine vicis ſuæ à foris ex-

cubantibus, Dominus interius in ſtrati mollitie recubans, placidum a ſ oculis ſomnum curis deditus avocaret. Ruſtici ergo extrinſecus, emptitio veſpertinæ cœnulæ potu præter ſolitum exhilarati, & Dominum ſolito nobilium vinorum hauſtu ſopori deditum æſtimantes, hoc adinvicem intempeſtæ noctis ſilentio tacite contulerunt. *Quid facimus, quouſque tædia iſta diuturna & injurias patiemur. Quouſque alienigenæ iſtius vitam donandam gratis Britonibus latronibus continuis noctium excubiis ad noſtrum dedecus & damnum conſervamus. Ille, ex tenui paupertatis noſtræ quæſtu, pudendis famelicæ cupidinis inferiis opum ſibi cumulos exaggerat, & ad irritamentum noſtrum commune, odioſæ nobis vitæ ſuæ committit cuſtodiam. Animemur, & oportunitatem aucupati ferro viſceribus ejus ſecretius adacto, tam noſtros quam convicaneorum noſtrorum labores terminemus.* Dacus ergo hæc omnia attonita hauriens aure, non expectata diei luce, amicos viciniæ beneficio exhibitos adiit, eiſque ruſticorum veſaniam metu palpitans propalavit. Qui omnes in unam convenientes ſententiam, *aſſerunt ruſticos ex paupertatis conſcientia in incœpto pertinaces; dubitandum, ne factionem, quam pauci prodiderant, ex paritate laboris & pœnæ, propoſito pari concepiſſent univerſi. Nec eſſe tutum vel omnes univerſaliter è natalibus expellere tuguriis, vel, in reos tantum animadvertendo, animoſitatem irritare cæterorum. Erit, inquiunt, quilibet fortaſſe, qui temeritatis ruſticanæ ſtimulis agitatus, (dummodo conſervorum ſodalitium exoſo ſibi tuo eruat Dominio) ſalutis propriæ detrimentum nece tua parvipendet compenſare. Conſultius ergo agens facultates in pretia collige, diſtrahe rus, cujus cauſa ſalutem tuam noſti diſtrahendam, & ſuffarcinatis accepto ære marſupiis, in domeſticos ſoli originalis fines demigrans, tutiora tibi ſortis emptitiæ jura fideli pretio memineris comparanda.* Acceptato *Dacus* conſilio Regem ſuper his allocuturus *Londonium* ire perrexit. Erat ergo apud proximam villam, quæ dicitur *Æſcwelle*, vir quidam Epiſcopi *Ætherici* familiaris & amicus, cui Epiſcopus dederat in mandatis, ut ubicunque terras aliquas venales invenire potuiſſet, venaretur & judicaret. Is itaque cum rei relatæ, fama indice, veritatem compeiſſet, ſub feſtinatione miſſo ad Epiſcopum nuntio, apertam intimavit. Qui feſtinus iter arripiens *Londoniam* venit, & à Regiis collateralibus officioſe exceptus, *Dacum* jam ſuper prælato negotio Regem alloquentem offendit; Audienſque de memorati venditione prædii agi conſilium, ſtatim emptorem ſe exhibens, *Dacum* ſuper pretii quantitate convenit. Ambo igitur in foro Regis difficultatem negotii diverſis diutius affectibus ventilantes, tandem lege ſe contractus invicem vincientes, contrarias prius in idem paciſcendo conſciverunt voluntates. Pactam ex conventione pecuniam, quia nobis non conſtat de quantitate, ignorantia nos compulit reticere. Quid plura? *Dacus* damni ſui commercio implevit marſupium, Epiſcopus vero, Rege ſub multorum teſtimonio annuente, quæſtus publici ſuſcepit dominium. Deinde accepta domum revertendi licentia, verſus *Rameſiam* viam tetendit. Quo perveniens, honeſtate cunabulorum delectatus, religioſitati contubernalium congaudens, & bonæ eorum opinionis odore perfuſus, memoratam villam de *Terefeld* perpetuo eis jure tradidit poſſidendam.

Cap. LXXXVII.

Quomodo inde Schutlingtone *adquiſivit, & adquiſitam* Rameſiæ *dedit.*

In pago *Bedeford* eſt villa quædam *Schitlingdonia* antiquitus dicta, olim ſicut hodieque extantes indicio ſunt reliquiæ, vallata nemoribus, aere ſalubris, ubere glebæ & frugum feracis, curiam ſpatioſam, & penates dominicales ad oram nemoris in loco edito habens ſitos, ubi ab oſtio aulæ tota fere villa, & late patens ager arabilis, oculis ſubjacet intuentis. Hanc, ſicut

CAP. XCII.

De obitu Ætherici *Epiſcopi & promotione* Ædnothi.

POſt hæc igitur florem illum nectareum, cujus & dulcifluis perfundebamur odoribus, & fructibus paſcebamur, *Æthericum* intellige Epiſcopum, anno præſulatus ſui XVIII conditionis humanæ neceſſitas immaturo depaſta eſt acceſſu. Qui apud quendam Dioeceſis ſuæ vicum, febrium ſentiens punctiones, & vicina jam fata prænoſcens, corpus ſuum, cum librorum & ornamentorum Epiſcopalium xeniis plurimorum, *Rameſiam* deferri delegavit tumulandum. Quo facto locum, ubi fauſto omine teneræ dedicarat primordia pubertatis, unde per gradus virtutum Epiſcopalis conſcenderat apicem dignitatis, quem etiam, ſicut relatum eſt, laudabilibus illuſtrarat munificæ beneficiis largitatis, Deo diſponente, dulcibus pii patris exuviis contigit honorari, defuncto *Ætherico*, vota & voces tam Cleri quam populi in *Ædnothum* coalumnum ipſius conveniunt, & Rege *Cnutone* aſſentiente, poſt eum in Epiſcopum conſecratur. Sicque *Rameſienſis* Eccleſia, opinione bonæ nutrituræ cognita & publicata, tertium jam ſibi patrem viciſſim de prole communi procreavit.

CAP. XCIII.

Quomodo Alfwardus Rameſienſi *Monachus prius* Eveſhamæ *Abbas, ac deinde* Londonienſis *Epiſcopus ſit effectus.*

EAdem tempeſtate Abbatem *Eveſham* de medio mortalium ſublato, quidam *Alfwardus* de Clauſtro *Rameſiæ* aſſumptus, loco eidem Abbatis jure præficitur, ac deinceps parvi ſpatio temporis diverſis meritorum gradibus præparatis, exinde ad Epiſcopii *Londonienſis* culmen aſcendens, Abbatiæ tamen regimen non amiſit.

CAP. XCIV.

Cnuto *Rex moritur &* Haroldus *in Regem conſecratur.*

HIS ita ſe habentibus, *Cnuto* Rex, cum principatus *Anglici* jura magna civilitate XX annis tenuiſſet, naturæ debitum ſolvens, geminam ex duabus uxoribus ſobolem, utramque ſpem regnandi confoventem, reliquit. *Haroldus* autem, quem ex *Alfwen* filia *Alfelini* Ducis ſuſceperat filium, primus regni gubernacula obtinens, *Emmam* novercam ſuam, ſororem junioris *Ricardi Normannorum* ducis, quæ poſt fata mariti prioris regis *Æthelredi* cum *Cnutone* diutius fœdus foverat conjugale, cum filio *Hardecnut* in *Flandriam* propellens exiliavit. Ipſe vero quatuor annis, & menſibus totidem in regno exactis, diem clauſit extremum.

CAP. XCV.

Defuncto Haroldo, Hardecnut *de exilio revocatus in Regem erigitur.*

TUnc *Angli* & *Daci* in unum conſpirantes aſſenſum, legatarios honorabiles in *Flandriam* propter *Hardecnut* tranſmiſerunt, adductumque in Regem erexerunt, unus autem ex nunciis illis fuit prædictus *Alfwardus*,

wardus, de *Rameſienſi* Monacho *Eveſhamæ* Abbas ſimul & Epiſcopus *Londoniæ*, ad cujus commendationem, miraculum, quod per ipſius fidem de periclitantibus tempeſtate marina ſe & ſociis divinitus contigiſſe opinio ſerit, abſque tædio lectorum libet inſerere lectioni.

CAP. XCVI.

De miraculo, quod ad Orationem Alfwardi *per merita beati* Egwyni *in mari factum eſt.*

CUM primo Angliæ littus deſerentes verſus *Flandriam* curſum dirigerent, erat aer ſerenus, ventus votivus, & quieti terga æquoris aura placida criſpante omnia tranquilla. In altum vero venientibus illis, ex inſperato tempeſtate ſuborta, quæ prius flatu proſpero à puppe feriebantur, ſtatim adverſa vi ventorum à prora rates repercuſſæ, tumeſcentibus maris voluminibus, in girum cœperunt agitari. Omnes in ſupremo diſcrimine poſiti, nil niſi mortis remedium quo timoris pœna terminetur operiri. Inter hæc igitur ſolus *Alfwardus* pontifex & Abbas os aperiens, & ſpiritum attrahens conſolationis, utriſque volis in aera porrectis, hac uſus eſt oratione. *Sancte Pater* Egwine, *qui tantorum apud Dominatorem marium præfulges gratia meritorum, miſerere in præſentis articulo diſcriminis, non jam Epiſcopo ſed humillimo miniſtro & domus tuæ proviſori, ſiquid hactenus per meam vel vicariam ſollicitudinis incuriam circa reverentiam tui cultus negligentius actum eſt, accuratius amodo omnimodæ emendationi operam dabo. Quin etiam ſponſione, tuæ me devotus obligo ſanctitati, quod ſi ſedato turbine, pacato pelago, me ſocioſque meos, ab inſtantis metu periculi exemptos, natalis ſoli gremio reſtitueris incolumes, thecam argenteam, in qua venerabiles corporis tui excipiantur reliquiæ, operoſe faciam fabricari, & celebritatis tuæ cultum circumquaque dilatatum enixiſſime à fidelibus venerari.* Omnium igitur votis orationem viri juvantibus, ſtatim divinitus tempeſtas ceſſavit, paulatim mare detumuit, fragor omnis quievit, & *Flandrenſis* arenæ littoribus votivo à tergo impulſæ flatu naves inſederunt, unde cum *Hardecnut* ſicut dictum eſt in *Angliam*, proſpero navigio perduxiſſent, *Alfwardus* beneficii divini, quod per Advocati ſui ſanctiſſimi *Egwini* merita expertus fuerat, non immemor, ſponſionis fidem pii operis ſedula executione perſolvit, hoc idcirco retulimus, ut, qualium quantorumve *Rameſia* extiterit nutrix virorum, notitiæ legentium innoteſcat.

CAP. XCVII.

De Donationibus quas Rex Hardecnut *contulit* Rameſiæ.

IGitur *Hardecnut* in Regem ſublimatus, cœpit largitate profluere, & patris ſui exemplo, imo potius matris *Emmæ*, quæ & *Alfgiva Anglico* nomine dicebatur, inſtinctu, Eccleſias largis honoribus ampliare. Inter alia igitur aliis Eccleſiis collata beneficia, dedit Eccleſiæ *Rameſienſi Hemmingford* orientalem cum pertinentiis ſuis in liberam eleemoſynam & quietam, & cartæ ſuæ, quam de *Anglico* convertimus in Latinum, munimine confirmavit.

CAP. XCVIII.

Carta ejuſdem.

HArdecnut *Rex & Alfgiva mater ejus Regina*, Ædnotho *Epiſcopo, &* Turri *Comiti, &* Kinrico, *& omnibus Miniſtris de Comitatu* Huntingtoniæ *ſalutem. Notificamus vobis, quod nos in nomine ſanctæ Trinitatis dedimus & conceſſimus Eccleſiæ* Rameſienſi, *pro anima* Cnutonis *Regis Domini noſtri, & noſtra amborum, terram orientalem de* Hemmingford, *& omnia quæ ad illam pertinent, cum ſaca & ſoca, ita plene & honorifice, ſicut nobis in manu ſtetit. Quicunque ergo hanc donationem noſtram ab eadem Eccleſia alienare tentaverit, alienetur ille in die Judicii à gaudio cœleſti, & pœnas inferni cum dæmonibus ſortiatur.*

CAP. XCIX.

Item Carta ejuſdem, qua confirmavit nobis Manſionem *noſtram apud* Tedford.

HArdecnut *Rex* Agelwino, *& omnibus* Burgenſibus *de* Tedford, *ſalutem. Notum vobis ſit, quod Ego volo & præcipio, ut Abbas* Æthelſtanus *de* Rameſia, *habeat manſum ſuum in* Tedford, *ita plene & ita libere, ſicut habuit in diebus* Cnutonis *Regis patris mei.*

CAP. C.

Quomodo in tempore Normannorum *eandem terram de* Hemmingford, *&* v *Hidas, quas Rex* Hardecnut *nobis dedit, amiſimus.*

IDem quoque Rex *Hardecnut*, hortatu matris ſuæ *Emmæ*, quæ erat fidei Chriſtianæ & Religionis Monaſticæ amatrix munificentiſſima, dedit Eccleſiæ *Rameſienſi* apud *Gillinge* [v hidas,] pro anima patris ſui Regis *Cnutonis*, in jus hæreditatis æternæ. Poſtea vero in tempore *Alfwini* Abbatis, qui poſt *Æthelſtanum Rameſienſem* Eccleſiam gubernavit, venit vir quidam *Wlfwinus* nomine, filius *Alfwini*, & eaſdem quinque hidas de *Gilling*, & prænominatam terram orientalem de *Hemmingford*, totam ſcilicet donationem *Hardecnut* Regis, à præfato Abbate & fratribus *Rameſienſibus* ſuſcepit in vita ſua tenendam: hæc autem conceſſio eidem *Wlfwino* facta fuit in capitulo fratrum, apud *Rameſiam*, in vigilia Pentecoſtes, ſub hac conditione, quod Abbas & fratres poſt obitum ipſius jus ſuum libere & ſine omni hæredum reclamatione ſibi reſaiſirent, & de terra ejuſdem *Wlfwini Abintuniam*, & *Uggele*, & *Weldingefeld*, & *Bumſtede*, pro ejus anima in eleemoſynam liberam poſſiderent. Factum eſt ergo, Regno *Anglorum* ad *Normannorum* dominium tranſlato, ut memoratus *Wlfwinus* in fata concederet, & Rex *Willelmus Albrico* de *Ver* totam ipſius hæreditatem condonaret. Qui eam ſibi ſaiſiens, etiam totam terram, quam ſæpe dictus *Wlfwinus* Eccleſiæ noſtræ nomine tenuerat, cum cæteris ſimul poſſeſſionibus ejus invaſit, & violenter tota vita ſua poſſidens hæredibus ſuis poſt ſe poſſidendam reliquit.

Cap. CI.

De Lefrici Diaconi *donatione.*

ERat in tempore illo Diaconus quidam in *Lindeſeia*, *Leſſius* nomine, de *Langetun*, qui, ante ſuſceptum Diaconatus officium, filium genuerat vocabulo *Morkerum.* Quem pater unice diligens, ſcholæ Monaſticæ apud *Rameſiam* diſciplinis divinis tradidit informandum. Ipſe etiam *Leſſius* hæreditarii juris poſſeſſionibus dives, de univerſitate patrimonii ſui terram quandam apud *Langetun*, & terram de *Wipſinton*, & terram de *Mertona*, & item terram de *Wathingworth* cum eodem alumno ſuo, in puram eleemoſynam *Rameſienſi* Eccleſiæ conceſſit. Fratres etiam *Rameſienſes* conceſſerunt eidem *Leſſio* Monachatum, & matri pueri velum in *Rameſia*, quandocunque vitam mutare voluiſſent, hoc totum factum fuit & prælocutum in præſentia *Ædnothi* Epiſcopi, apud *Rameſiam.* Poſtea vero eodem *Leſſio* mortuo, memoratus Monachus *Morkerus* filius ipſius, eaſdem terras dirationavit Deo & ſancto *Benedicto* contra calumniatores, in pleno Comitatu de *Lincoln*, coram *Ædwardo* de *Saresbiri*, & aliis multis fidelibus Regis & Miniſtris. Idem quoque *Morkerus* de permiſſione Abbatis jam dictas terras vice firmarii tenens, ſtatutum ex eis cenſum ſingulis annis perſolvit, quouſque in permutatione regni *Odo* Epiſcopus, Regis *Willelmi* Germanus, per violentiam eum exinde diſſaiſivit, & diutius in dominio non juſto retinens, demum quem voluit quæſtu damnoſo hæreditavit.

Cap. CII.

Hardecnut *Rex moritur, &* Ædwardus Æthelredi *junior filius, ad Regni jura promovetur.*

REX *Hardecnut* demptis de emenſione biennii poſt ſumptum principatum diebus decem, in medio pubertatis teneræ virore mortem guſtavit immaturam, vir prædicandæ indolis, & eximiæ in miſeros pietatis. Nam & *Gunnildam* ex patre *Cnutone* & *Emma* matre ſororem, ſicut ſupra dictum eſt, *Henrico Alemannorum* Imperatori cum multis ſumptuum impendiis nobiliter maritavit. *Ædwardum* vero, *Æthelredi* ex eadem *Emma* filium, diuturni exilii pertæſum, & in ſpe fraternæ clementiæ ad originale ſolum revertentem, benigniſſime exceptum, ſecum retinuit. Primogenitus namque *Æthelredi* filius *Alfredus*, idem antea per quorundam factionem miſerabili morte præreptus erat. Igitur poſt *Hardecnutum*, prædictus frater ipſius ex matre *Ædwardus* à proceribus Angliæ in Regem electus, prima die ſolemnis Paſchæ, ab *Edſio Dorobernicæ* Archiepiſcopo apud *Wyntoniam* ſacratus eſt & coronatus. Erat autem vir ſimplex & rectus, in Dei rebus ſtrenuus, vir, qui propter manſuetudinem innatam, vix etiam injuriis impetitus noſſet iraſci, unde quia ſine ſeveritate cauſali nullum congrue regi poteſt imperium, pluribus propter indulgentiam ejus & ſimplicitatem parum idoneum eum ad tractanda regni negotia arbitrantibus, Deus tamen opera ejus dirigens, & imperium timeri & majeſtatem ejus ab omnibus fecit adorari. *Ædgitham* filiam *Godwyni* Ducis accepit in conjugem, cum qua diutius thori maritalis fovens communionem, nunquam tamen ipſius attactu pudicitiæ ſuæ aliquam intulit læſionem.

CAP. CIII.

De obitu Æthelſtani *Abbatis, &* Ælfwini *promotione.*

POſt hæc igitur *Æthelſtanus Rameſiæ* Abbas huic mundo valefecit, vir alienæ affectionis induſtrius aucupator, qui in commune Eccleſiæ ſuæ ſubſidium multas alienæ ſationis meſſuit fruges, multoque plures forſitan meſſuiſſet, ſi fata ſiviſſent, hoc autem modo ad vitæ metas, ſorte flebili impellente, properavit; habebat idem Abbas præbendarium *Hiberniæ* oriundum, quem olim confectum macie, & conſumptis ex longa diuturnæ famis inedia carnibus, de ſqualore mendicitatis exceperat, & per annos plurimos de ciborum ſuorum reliquiis potu refecerat largiori. Cui aliquando aliqua de cauſa infenſus, juſſit eum foris ſtipem percipere conſtitutam, & à privatæ aulæ introitu & familiaris menſæ conſortio arceri; unde ille vehementer permotus, juxta illud ſapientis, *qui nutrit ſervum ſuum delicate, poſtea ſentiet eum contumacem,* genuinæ contumaciæ ſtimulos, quibus in miſeratorem ſuum vindicaretur, damnoſi ſibi malleolis odii in acies penetrativas exacuare non ceſſavit. In die ergo ſancti *Michaelis,* fratribus veſpertinam ſynaxim celebrantibus, &, juxta conſuetudinem antiquitus uſitatam, ad ſtationem ante crucem in navem Eccleſiæ procedentibus, deteſtandus ille lanio, juxta oſtium Abbatem noviſſime proceſſurum operiens, tandem venienti, & nihil præter ea quæ ſanctitatis ſunt & innocentiæ cogitanti, *mortiferum valide per viſcera ferrum* exegit. Saucius eliſo ventri & diſſectis vitalibus manus properantius apponens vulnus illatum compreſſit, ne largior ſanguinis fluxus animam citius egereret laborantem. Auctor ſceleris multis pugnorum tunſionibus dilaniatus, manus loris, pedes compedibus præbuit conſtringendos, converſi fratres & cantum ploratione commutantes, patrem jam cadentem, jam pallentem ad mortem, jam oculos invertentem, bajulis manibus in cellam deferunt infirmorum. Ubi uſque mane ſequentis diei in exitu laborans, tandem quæ Chriſtianorum ſunt aſſecutus, dans pacem omnibus & benedictionem, necnon & percuſſori ſuo ignoſci, & eum à vinculis affectuoſe flagitans enodari, ſpiratione ſuprema laborem terminavit & vitam. Attamen re publicis auribus oblata, nil preces viri juſti valuere, nil profecerunt anxia vota pietatis, quin juxta forenſium ſanctionem legum graviter in infandum animadverteretur helluonem. *Æthelſtano* tumulato *Alfwinus* præpoſitus, cujus ſupra meminimus; de electione fratrum communi, Abbatiam *Rameſiæ,* favente Rege *Ædwardo,* ſuſcepit, quam triginta & octo ferme annis ſtrenue gubernavit.

CAP. CIV.

Quomodo Alfwardus *Epiſcopus* Londonienſis *lepræ valetudinem incurrens, relicto Epiſcopatu,* Rameſiam *ſe cum multis pretioſarum rerum donariis contulit, ibidemque vivendi finem fecit.*

SUB eadem tempeſtate prædictus *Alfwardus Londonienſis* Epiſcopus, & *Eveſhame* procurator, XI Pontificatus ſui anno, gravi corporis valetudine tactus eſt, qua curationis deſperationem adducente, juxta fidem *Chronicorum,* utriuſque Eccleſiæ renuncians adminiſtrationem, duobus occaſionem præbuit, qua eum, quem ſolus poſſederat, prælationis geminæ diviſum ſortiti ſunt honorem. Cujus valetudinis cauſam quamlibet chronica taceant, hanc tamen fuiſſe quorundam relatio ferit; cum beatæ *Oſ-*

githæ virginis Martyris corpus, quod apud Dioeceſis ſuæ vicum *Chich* nomine tumulatum habebatur, auſu temerario inſpicere, & aliquas inde reliquias auferre præſumeret, divino, ut creditur, judicio tantæ temeritatis pœnam ſolvit, in brevi ſiquidem poſt hoc factum turgentes papulæ, totam viri faciem confuſo ordine repleverunt, quibus per moram dierum diſſiccatis, ſcabra cutis candorem lepræ viſa eſt induiſſe. Sed quoniam multiformes ſunt accidentium cauſæ, quibus vana hominum corrumpitur ſalus, nutantem ſuper his opinionem nequaquam confirmamus. Ut enim quidam philoſophus ait, quicquid nos in vitia morborum à naturali ſanitate commutat, facit aut nimii ſanguinis pondus exæſtuans, aut ſuperfluus calor aut ultra naturalem modum humor exundans, aut ſpiritus per tacitos meatus non ſolita laxitate diſcurrens. Igitur *Alfwardus* ſeu caſu accidentali ſeu prædictæ ultione præſumptionis, tabe lepræ perfuſus, & meliore jam ſui parte præſepultus, fratres *Eveſham*, quibus, ut dictum eſt, ante Epiſcopatum & poſt, patris eo uſque officio functus fuerat, per officium vicariæ legationis humiliter flagitabat, quatenus ſibi apud eos in domeſticorum latebris larium ſuſceptæ ægritudinis tædia continuare liceret. Quibus eum irreverenter repellentibus, & ad commanendum omnino ſuſcipere renuentibus, converſus ad ſuos, ad matris, inquit, meæ gremium revertar, & ubi juventutis rudimenta tranſegi, tædioſæ ibidem ſenectutis otia confovebo. Fides namque materna, nec ſanum novit faſtidire, nec ægrum aliquando filium abhorrere: omnibus igitur, quæ ibi antea depoſuerat, Eccleſiaſtici uſus ornamentis, & libris pontificalibus abraſis, *Rameſiæ* onuſtus contulit æger, ubi officioſiſſime à fratribus loci exceptus, eodem anno naturæ functus munere graviſſimæ ægritudinis laboribus ferias dedit, in loco familiari votivæ honorem nactus ſepulturæ. Inter alia quippe munera pretioſa attulit etiam maxillam Sancti *Egwini* confeſſoris atque Pontificis, nihilominus atque cucullam ſanctiſſimi Martyris *Alphegi*, quæ olim percuſſo in ſe Martyre dulces ac præclaras ſacri ſuſceperat maculas cruoris, quas uſque hodie & oculis conſpicabiles & oſculis attrectabiles oſtendit. Cum tantorum ergo oblatione theſaurorum callidus æger veniens, totam fratrum cohortem obviam ſibi invitavit, & pretioſiorum xenii munerum omnium in ſui miſerationem animos inflexit, ſicque fratres *Eveſhamiæ*, dum infirmo patri manſionem ſimul & alimenta impudenter denegarunt, nobis plurimum utilitatis propriæ profuerunt diſpendio.

Cap. CV.

De obitu Ædnothi *Epiſcopi* Dorcaſtrenſis, *qui dedit Ouram,* Bertonam, & Cnapwelle.

HIS ita ſe habentibus, *Ædnothus* de Eccleſia *Rameſienſi*, ſicut ſupra relatum eſt, ad Præſulatus *Dorcaſtriæ* culmen aſſumptus, gradum ſuum priorum exercitiis operum decoravit. Qui ſuper damno, quod cum coalumnis ſuis in campanæ fractione olim inter rudimenta pueritiæ matri ſuæ *Rameſiæ* intulit, conſcientiæ bonæ metu ſollicitatus, tria eidem prædia loculorum familiarium emunctione comparata, *Ouram* videlicet *Bertonam*, & *Cnapwelle*, in præteritæ expiationem offenſionis largitus eſt, locum quoque ipſum multa ſemper diligens affectione, ibidem poſt obitum ſuum corpus exanime intra materna viſcera decrevit tumulari. Quintodecimo ergo Epiſcopatus ſui anno, vitæ labentis fine bono terminans curſum, *Rameſiam* ſuorum officio deportatus eſt, ibi & ſepulturæ & memorialis æterni decus egregium aſſecutus.

CAP. CVI.

Quomodo ad inſtinctum Withmanni *quondam Abbatis, &* Oſwoldi *Monachi,* Edwardus *Rex dedit nobis* Ringſtede, Winebodeſham, *& forum de* Dunham.

INter hæc *Oſwoldus* Monachus venerabilis, ſancti *Oſwoldi* Archipræſulis Nepos, quem quartum eorum qui Campanam fregerunt ſermo præhabitus judicavit, erat vir eruditione & religione apud omnes percelebris; nam à memorato patruo ſuo ſanctiſſimo *Oſwoldo* in teneræ olim lanugine pubertatis apud *Rameſiam* cœleſtibus imbutus diſciplinis, *Floriacum* ab eodem, ubi & ipſe quondam monaſtici incolatus didicerat militiam, fuerat deſtinatus ubi aliquandiu literaturæ ſtudens, & exemplis ſe informans; meliorum, ad tantam ſatietatem propoſita à Doctoribus artium liberalium fluenta combiberat, ut ad patriæ fines denique reverſus famam præcedentem multimodæ executione virtutis ſupergredi videretur. Oblatum quoque, ut fertur, à quodam Regum Pontificii honorem humiliter declinans, in maternis finibus *Rameſiæ* placida literarum ſtudia confovebat. Habetur hodieque in Archivis noſtris liber ejus verſificus, multiformis peritiæ ipſius & perſpicacis ingenii teſtis. Eodem etiam tempore *Withmannus* quondam Abbas, in ſolitudine *Northeiæ* heremeticæ vitæ callem terens, remotas patriæ partes ſuavi ſanctitudinis ſuæ reſperſit odore; utrorumque igitur *Withmanni* videlicet & *Oſwoldi* opinione comperta, Rex *Edwardus* familiaritatis ſuæ prærogativa donatos ad privata eos colloquia, quoties in eas regni partes deveniſſet, accerſivit; vir ſiquidem, non tam martiæ exercitationi, quam ingenuæ mentis deditus religioni, manſuetudinem & modeſtiam, quam longo à cunabulis uſu in ſe confoverat, naturæ in alienæ ſimilitudine moralitatis lege ductus veneratus eſt. Viri igitur iſti Regem virtutum ſtudiis & eleemoſynarum largitionibus conſpicientes delectari, alterna affectum ejus ſuggeſtione in domeſtici laris *Rameſiæ* amorem inclinarunt. Qui, ut affectionem ſuam fructuoſam oſtenderet, *Withmanni* quidem inſtinctu, *Kingſtede* cum libertate adjacente, & omni maris ejectu, qui *Wrech* dicitur. *Oſwoldi* vero precibus *Winebodeſham* cum *Hundredo* & Dimidio, & cum LXIV illius *Hundredi Socamannis*, & forum de *Dunham* cum libertatibus ſuis, magnanima animi regalis liberalitate in florentem perpetuo eidem Eccleſiæ eleemoſynam largitus eſt.

CAP. CVII.

Quomodo Abbas Alfwinus *eadem Regis Donaria Regiis literis Eccleſiæ* Rameſienſi *petiit & obtinuit confirmari.*

A*Lfwinus* quoque Abbas domeſticæ utilitatis venator induſtrius erat, qui nulli omnino locum dans ignaviæ, ſuſcepti regiminis rem communem ſemper augmentare curabat. Siquidem aut obſequiorum impendio, aut exhortationis callidæ lenocinio, omnium animos in ſuum & Eccleſiæ ſuæ invitavit affectum. Qui Regis gratiam ſibi favorabilem eſſe perpendens auſu familiari piis aures ejus precibus tam diu ſollicitavit, quouſque ſupradictas donationes ſuas, literis Anglicis regiæ ſuæ Imaginis impreſſione roboratis, ad futuræ poſteritatis malitiam refellendam communiret. Quia vero poſt Dominationem *Normannorum* in Anglia hujuſmodi apices minus uſitati, minus cogniti habentur, cartas & cyrographa, quæ in tempore ejuſdem Regis nobis facta ſunt, de *Anglico* in *Latinum* ad poſterorum notitiam curavimus tranſmutare.

Cap. CVIII.

Carta Regis Edwardi.

"EDwardus Rex Anglorum *Stigando* Archiepiſcopo, *Ailmaro* Epiſcopo, "*Girth* Comiti, *Toli* vicecomiti, & omnibus Miniſtris ſuis de *North-folke* & *Suthfolke*, & univerſis aliis fidelibus ſuis per totam Angliam "conſtitutis, tam Clericis quam *Laicis*, ſalutem. Notifico vobis me con-"ceſſiſſe Deo, & ſanctæ Mariæ, & ſancto Benedicto, & *Alſwino* Abbati de "*Rameſia*, ſacam & ſocam *Tol* & *Team*, & *Infaugenethef*, *Firwite*, & *Ferd-wite*, *Foreſtall*, & *Hamſokne*, *Grithbriche*, & *Schipbriche*, & *Seapwarp*, in "omnibus rebus apud *Bramceſtre* & apud *Kingſtede*, ita bene & libere ſicut "ipſe ea melius & liberius habeo in littore marino alicubi in Anglia, "omneſque rectitudines & jura, quæ ibi ego ipſe unquam habui, volo "etiam ut ſoca, quæ eſt infra *Bichanidich*, in omnibus ad ſanctum Bene-"dictum *Rameſienſem* pertineat, ita plene & perfecte ſicut eam ipſe habui, "& omnes rectitudines, quas Rex ibi poteſt habere. Volo præterea ut "ſancta Maria, & ſanctus Benedictus, & Abbas, & fratres *Rameſiæ* habe-"ant ſocam in omnibus ſuper omnes homines, qui ſunt *Motwrthi*, *Ferd-wrthi* & *Faldwrthi*, in illo Hundredo & dimidio, cujuſcunque homines "ſint. Concedo eis etiam Mercatum de *Dunham* per aquam & terram, "cum inductione & eductione, & cum omnibus rectitudinibus, quæ ad "illud pertinent, ita bene & libere ſicut illud ipſe unquam melius habui, "& nolo pati ut aliquis hoc in aliquo imminuat. In omni quoque Co-"mitatu, ubi ſanctus Benedictus habet terram, concedo eis ſacam & ſocam "ſuam, *Tol* & *Team* & *Infaugenethef* infra *Burgum* vel Civitatem & extra, "ubique in terra & aqua, in boſco & plano cujuſcunque fuerit ſoca, habeat "ſanctus Benedictus libertatem ſuam in omnibus, ita bene & plene ſicut "ego ipſe alicubi habeo in tota Anglia. Habeant & omnes foriſfacturas, "quæ pertinent ad regiam coronam meam, in natali Dominico, in paſcha, "& in ſancta ebdomada rogationum, in omnibus rebus ſicut ipſe habeo, "& per totam Angliam infra Civitatem & extra, in omni foro & annuis "nundinis, & in omnibus omnio locis per aquam & terram, ab omni te-"lonii exactione liberi ſint. Prohibeo itaque Dei prohibitione & mea, "ne aliquis hanc conceſſionem meam mutet aut minuat. Siquis vero "aliquid horum quæ in hoc ſcripto continentur temerare præſumpſerit, "ſegregatus ſit ille à Chriſto & ab omni ſanctorum ejus conſortio. Hæc "carta facta fuit apud *Windeſhoram* in IV die ebdomadæ Paſchalis ſub "teſtimonio *Æthithæ* Reginæ, *Godwini* & *Haroldi* Comitum." Cum igitur Abbas & fratres *Rameſienſes*, in liberam omnium horum poſſeſſionem, de munifica Regis donatione, miſſi fuiſſent, poſt paucos dies extiterunt malignantium quidam, qui eos ſuper præfata ſoca, quæ eſt infra *Bichamdich*, vexarunt, tantam munificentiæ Regiæ portionem eis demere geſtientes; ſed Abbas *Alſwinus* ad nota clementiæ Regalis confugiens præſidia, & temerarium adverſariorum auſum pio indicans patrono, hanc ab eo cartam ad refellendam omnem tam præſentium quam poſterorum calumniam impetravit.

Cap. CIX.

Item Carta Regis Edwardi *de ſaca quæ eſt infra* Bichamdich.

"EDwardus Rex *Stigando* Epiſcopo, *Ailmaro* Epiſcopo, *Alfgaro* Comiti, "& omnibus Miniſtris ſuis de *Northfolk* ſalutem. Notum ſit vobis, "quod ego volo ut ſaca infra *Bichamdich* in omnibus rebus ad ſanctum "Benedictum *Rameſienſem* pertineat ita integre & plene, ſicut primo ei-"dem Eccleſiæ data fuit, & prohibeo ne aliquis eam in aliquo minuat, "qui amicitiam meam diligit. Rogo igitur vos ut *Alfwinum* Abbatem "& fratres *Rameſienſis*, ubicunque opus habuerint, omnes unaminiter ad "juſtitiam adjuvetis, & pro amore meo nullum permittatis eis auferre "quicquam eorum, quæ ad eos dinoſcuntur pertinere.

Terram quoque de *Hemmingford*, quam Rex *Hardecnut* & *Alfgiva*, quæ & *Emma* mater ejus *Rameſienſi* Eccleſiæ in eleemoſynam ſuperius memorantur contuliſſe, idem Rex *Edwardus*, ad preces Abbatis *Alfwini*, hac carta ſua confirmavit.

Cap. CX.

Carta ejuſdem de Hemmingford.

"EDwardus Rex *Ædnotho* Epiſcopo, *Turi* Comiti, *Kinrico* [vicecom.] & "omnibus Miniſtris ſuis de Comitatu *Huntington*. ſalutem. Notum "vobis ſit, quod ego volo ut ſanctus Benedictus de *Rameſia* habeat terram "de *Hemmingford*, cum omnibus pertinentiis ſuis, ita plene & perfecte, "ſicut Rex *Hardecnut* frater meus, & *Alfgiva* mater mea, eam eidem Ec-"cleſiæ conceſſerunt; & nullum omnino nec Anglicum nec Danum hanc "donationem mutare permitto.

Cap. CXI.

Item Carta ipſius de terra & ſoca, quam dedit apud Broncton.

"EDwardus Rex *Ulfſio* Epiſcopo, *Siwardo* Comiti, *Alfrico* Vicecomiti, & "omnibus Miniſtris ſuis de *Huntingdonienſi* ſcira, ſalutem. Notum "vobis ſit, me dediſſe Deo & ſancto Benedicto, & *Alfwino* Abbati de "*Rameſia*, terram de *Brocton*, quam egomet ibi habui, cum ſaca & ſoca, "in omnibus & nulli hominum hanc donationem immutare permitto. "Quod ſiquis poſt dies meos hoc minuere, vel mutare auſus fuerit, ſive "Clericus ſit ſive *Laicus*, ſegregetur ille à Chriſto, & à ſancti Benedicti & "omnium ſanctorum conſortio, & niſi hic emendaverit quod temere de-"liquit, pœnas infernales cum Dæmonibus ſortiatur.

Cap. CXII.

Relatio quomodo Abbas Alfwinus *fodiendorum lapidum in territorio de* Burch *perpetuam ſibi & Eccleſiæ ſuæ adquiſivit libertatem.*

EOdem tempore terram quandam de *Marham*, quæ inter *Stanford* & *Burgum* in medio nemorum pulcre ſita eſt, de longævæ antiquitatis beneficio

beneficio *Rameſienſis* Eccleſia bonæ fidei titulo poſſidebat, quam, propter utilitatem vicinitatis, *Lefricus* Abbas & fratres *Burgi* conterminalibus undique poſſeſſionibus ſuis adjicere cupiebant: habet autem *Burgenſe* territorium, de originali naturæ opificio vel inſitione, lapicidinarum loca multa, in quorum rimandis viſceribus operoſe latomorum vires frequenter exeruntur, ſemperque ſupereſt in quo alterna requie reparatæ exerantur. Abbas igitur *Alfwinus* Eccleſiæ ſuæ induſtrius proviſor, habita cum memoratis Abbate & fratribus collocutione, & cauſa diligenter, mediantibus amicis, pertractata, tandem ſupradictam eis terram de *Marham*, quam affectabant, pro novem virgatis, quas apud *Ludingtonam* habebant, in plenam & publicam commutationem condonavit. Quatuor inſuper millia auguillarum, ſingulis per ſuccedentia tempora annis, de Eccleſia *Rameſienſi*, in diebus quadrageſimæ, eiſdem placito annuentibus, vel conniventibus, charitatis reſpectu ſtatuit perſolvenda, plenam & perpetuam ſibi poſteriſque ſuis fodiendis, tam dolatiles, quam communis ſtructuræ lapides, mercatus libertatem. Sub eadem quoque tempeſtate facta eſt contentio inter *Siwardum Thorneienſem*, & *Alfwinum Rameſienſem* Abbates, quis eorum in mariſco circa *Kingeſdelf* plus dominii aut juris habere videretur, cumque, altero contra alterum potiorem ſibi partem vendicante, anceps diu inter altercantes litigium verſaretur, tandem vicini Abbates & amici, unum cum eis conventum facientes, & cauſæ juſtitiam diligentiſſime inveſtigantes, diverſa diſcordium vota in unitatem pacis aſciverunt, & per fideles viciniæ homines examinatos pariter & juratos, amborum partibus notos & nominatos, diremptionis terminos poſuerunt. Abbas ergo *Alfwinus* providæ mentis oculos in anteriora prudenter extendens, uſitatæ familiaritatis auſu ſolito Regi *Edwardo*, quæ geſta fuerant, per ordinem indicavit, ejuſque libris Anglicis regiæ imaginis impreſſione ſignatis, univerſa ad futuræ generationis notitiam & ad robur perpetuæ ſtabilitatis exegit communiri.

CAP. CXIII.

Hæc eſt Carta ejuſdem Regis de præfatæ conditione pactionis, quam de Anglico in Idioma *latinum mutavimus.*

"EDwardus Rex *Wlfwio* Epiſcopo, Toſti Comiti, *Normanno* vicecomiti, "& omnibus fidelibus ſuis & Miniſtris, Clericis & laicis, de Comiti "*Hampton*, ſalutem. Notum vobis facio, quod *Alfwinus* Abbas de *Rameſia*, & *Leofricus* Abbas de *Burgo*, notificaverunt mihi pactionem & commutationem, quam habita collocutione inter ſe fecerunt. Volo itaque "ut vos intelligatis, quod *Alfwinus* Abbas de *Rameſia*, hoc modo accepit "de *Leofrico* Abbate *Burgi* novem virgatas terræ, apud *Lodington* de ſoca "ſancti *Petri* nominatim, ſcilicet hidam *Huntingi*, duas virgatas *Godrici* "Dani, virgatam *Brandi*, virgatam *Leofgari*, & virgatam *Alfwini* nigri, in "plenam commutationem, contra omnes homines nunc & perpetuo liberas & quietas. Et pro his dedit præfato Abbati de *Burch* totam terram, quam ſanctus Benedictus habuit apud *Marham*, liberam ab omni "calumnia, & quietam in plenam commutationem. Ipſe inſuper Abbas "& fratres *Rameſienſes*, ſingulis annis dabunt de charitate Abbati, & fratribus *Burgi* quatuor millia Anguillarum in quadrageſima, ſub tali videlicet conditione, quod Abbas & fratres de *Rameſia*, habebunt in territorio ſancti *Petri* de *Burth* quantum ſibi opus fuerit de lapidibus quadratilibus apud *Bernech*, & de petris muralibus apud *Burch* in plena cambitione, erunt quoque omni tempore liberi à telonii & omnium exactionum vexatione per aquam & per terram. Notificaverunt quoque

"mihi

"mihi quod hæc compoſitio facta fuit inter eos, ſub teſtimonio *Leſſii* "Abbatis de *Ely*, & *Wlfgeci* Abbatis *Croilandiæ*, & eorum qui cum ipſis "præſentes affuerunt. Itaque volo vos ſcire quod *Alfwinus* Abbas ita "mecum locutus eſt, & tantum mihi de ſuo dedit, quod ego hanc con-"ventionem conceſſi, & volo ut firmiter ſtet ſemper, ſicut inter ſe pro-"locuti ſunt, ad laudem & honorem Dei, & Sanctæ *Mariæ*, ſanctique "*Benedicti*, tam moderno tempore quam futuro. Mando igitur & præcipio, "ut nullus omnino, nec Clericus nec laicus, hanc commutationem & pa-"ctionem infringere audeat. Prohibeo quoque ſuper plenam forisfactu-"ram meam ne ullus homo tam audax ſit, ut aliquod gravamen aut inju-"riam inferat hominibus ſancti *Benedicti*, neque rebus eorum, ſed pacem "Dei & meam habeant ipſi, & omnia quæ ipſorum ſunt aut erunt, ubique "in aqua & terra. Mando præterea & præcipio per hoc ſcriptum meum, "ut termini & metæ in *Kingeſdelfe* ita permaneant ſicut Abbas *Alfwinus* "*Rameſiæ* eas dirationavit contra *Siwardum* Abbatem *Thornton*, ſub teſtimo-"nio *Leſſii* Abbatis de *Ely*, & *Lefrici* Abbatis de *Burth*, & *Wlfgeci* Abbatis "*Croilandiæ*, & eorum qui cum ipſis placito interfuerunt, ex parte ſcilicet "orientali ipſius navigii vel ladæ, uſque ad locum qui dicitur *Gan-*"*geſtede*, & exinde in parte occidentali ab *Hundeſlake* uſque ad *Wenleſmere*, "& medietas de *Kanbereholt*. Quicunque ergo hanc conventionem eorum "in aliqua re temerare vel imminuere præſumpſerit, ſeparatus ſit ille à "gaudio cœleſti, niſi antequam hîc moriens recedat, delictum ſuum con-"grue emendaverit, *Amen*. Hæc carta facta fuit apud *Weſtm.* in feſto ſancti *Petri*, teſte *Stigando* Archiepiſcopo, *Edwino* Abbate, *Haroldo* Comite, *Eſgaro Stalere*, & *Hugelino* Cubiculario.

Cap. CXIV.

Relatio quomodo Alfwinus *Abbas, dato Regi* Edwardo *non parvo auri pretio, quatuor Maneria quæ* Ailwinus *niger in fata concedens donavit* Rameſiæ, *ſuper quibus plurimum poſt ejus obitum vexabatur, concedi ſibi obtinuit.*

ANte eadem quoque tempora, dum adhuc erga loca ſancta & religionis profeſſores, fidelium ferveret devotio, erat vir quidam, fidei integritate, opum congerie, poſſeſſionum amplitudine, & antiquorum *Anglorum* alta progenie clarus, qui *Ailwinus* niger dicebatur, de ſpecifico naturæ munere hoc ſortitus agnomen. Is infirmitatis incommodo ad extrema deductus teſtamentum fecit, quo ſanctum *Benedictum Rameſiæ* quatuor Maneriis, *Clopham* videlicet, *Kembeſton*, *Kerdington*, & *Cranugfeld*, pro animæ ſuæ ſalute hæreditavit. Eo vero defuncto, *Alfricus* quidam, cognatus ejus, filius *Withgari*, improbe reſiſtens, & ſe legitimum defuncti hæredem eſſe affirmans, eandem ipſius donationem inficiari conatus, hanc abſque favore Regio, & conniventia ſui aſſenſus, nullatenus ſtare poſſe allegavit. Videns igitur Abbas *Alfwinus* eminentiam viri, & generis ejus, cui innitebatur, multitudinem nobilem, & multam nobilitatem, propter dubietatem eventus, litem, quæ multarum indigebat impendio facultatum, periculoſum eſt arbitratus cum eo publice conteſtari. Utens itaque conſilio potiori, & diſſimulata intentione, efferos contrariæ partis conatus, callido fallens eludio, Regis copiam nactus, defuncti devotionem, & contradicentium improbitatem, cum ſupplicatione modeſta, opportune ei intimavit. Appoſuit quoque, de divitis crumenæ diſpendio, viginti marcas auri, quibus gratiam Regis mercaretur; *Ædthithæ* quippe Reginæ ſedulitatem quinque marcarum auri pretio exegit interponi, ut pias ejus preces regiis auribus fideliter importaret. Qua Regis animum ſuper præ-

ſato negotio exhortatione familiari ſollicitante, Rex annuit, & memorato *Alfrico* calumniæ ſuæ ad Regis arbitrium renuntiante, Abbas *Alfwinus* eorundem prædiorum ſub magnorum & multorum, qui affuerunt, virorum teſtimonio, tradente Rege, ſuſcepit dominatum. Acta ſunt hæc, poſtquam ſæpedictus Abbas *Alfwinus* repatriavit, revertens de magno concilio, quod *Remis* à *Leone Papa* anno verbi incarnati Mille XLIX celebratum eſt, quo miſſi fuerunt honorabiliter à Rege *Ædwino Duduc* Epiſcopus, & ipſe *Alfwinus Rameſiæ*, & *Wlfricus* de ſancto *Auguſtino* Abbates, decreta Chriſtianitatis, quæ ibi à ſanctis patribus ſtatuebantur, relaturi. Ut igitur hoc totum apud generationem naſcituram robur ſolidum, & perpetuam obtineret firmitatem, decrevit Rex omnia ordine, quo geſta ſunt, vel relata literis *Anglicis* ad monimentum futurorum declarari, ejuſdemque ſcripti medietatem in gazophilacio, ubi quæcunque habebat præcipua & pretioſa erant repoſita, ab *Hugelino* cubiculario ſuo diligenter conſervari.

CAP. CXV.

Abbas Alfwinus *in Concilio Remenſi hoc privilegium à* Leone Papa *adquiſivit.*

NEC ſilentio prætereundum, quod memoratus Abbas *Alfwinus*, in memorato Concilio *Remenſi* tantam in oculis Domini *Papæ Leonis* gratiam invenit, ut, ad preces ipſius & inſtantiam, *Rameſienſem* Eccleſiam liberali protectionis Apoſtolicæ dono privilegiatam, & jura ejus & poſſeſſiones, tam habitas tunc, quam in poſterum juſta adquiſitione habendas, auctoritate ſuarum literarum contra malignantium infeſtationem communiret.

CAP. CXVI.

Quomodo, & ſub quali conditione, Abbas & fratres Rameſienſes *Rado Comiti villam de* Crancfeld *in vita ſua tenendam conceſſerunt.*

POſtquam igitur laboris ſui Abbas *Alfwinus* votivo gaudens proventu, in prædictorum de Regis beneficio miſſus eſt poſſeſſionem prædiorum, Comes quidam *Radulphus* nomine, *Normannus* natione, quem Rex *Edwardus*, de tædioſi latibulis exilii olim revertens, ſecum in *Angliam* adduxerat, ſicut in quodam cyrographo vetuſtiſſimo Anglice ſcriptum reperimus, ab Abbate & fratribus *Rameſienſibus* villam de *Crancfeld* in vita ſua tenendam poſtulavit. Videntes itaque Abbas & fratres nobilitatem viri, & eum in domo Regis, & in tota Curia, inter cæteros honoratos plurimum poſſe perpendentes, ex licentia Regis præfatum ei Manerium nomine Eccleſiæ, ſicut petierat, tenendum ſub ea conditione conceſſerunt, ut eo defuncto Eccleſia *Rameſienſis*, & jus ſuum libere cum inſtauramento, & omni melioratione, nullo prohibente reacciperet, & de terra ejuſdem comitis *Cherletonam* & *Brunſtanethorp* pro anima ipſius in perpetuam eleemoſynam poſſideret. In hæc vota coram Rege partes alterutræ convenerunt, & ſub multorum teſtimonio hoc inter ſe fœdus facto triplici chirographo firmaverunt, una pars ſcripti, jubente Rege, in ejus Capella cum reliquiis, quas habebat, ſanctorum remanſit, alteram Comes, tertiam vero fratres apud ſe in pignus ſecuritatis retinuerunt: hæc ergo univerſa eorundem indicio cyrographorum, quæ *Anglice* exarata, & pene vetuſtate invenimus conſumpta, utrumque cognoſcentes, huic opuſculo

non

non incongrue, ad lectoris notitiam, cenſuimus inſerenda. Quomodo autem omnes has terras præter *Crancfeld* ſolam amiſerimus, nec ſcripti nec alicujus relatoris habuimus documentum; ut tamen creditur, in adventu *Normannorum* alienigenis aliena licenter invadentibus, in alienæ ſortem hæreditatis omnes ſorte nobis flebili conceſſerunt.

Cap. CXVII.

De Acleia *quam* Ædnothus *dedit* Rameſiæ, *& aliis terris nobis fidelium donatione collatis, ſed in permutatione Regni ad aliorum Dominium uſque hodie devolutis.*

ERat tunc temporis vir quidam, nomine *Ædnothus*, genere & opibus inſignis, qui & Abbatis *Rameſiæ* familiaritate, & ipſius loci religione admodum delectatus, filium ſuum *Æthericum*, tenerum tam ætate quam ſenſu puerum, ibidem Monachari conſtituit. Terram quoque de *Acleia* ipſe pariter & uxor ejus admonitione prædicti Abbatis & conſilio inducti, Deo & ſancto *Benedicto* in perpetuam eleemoſynam contradiderunt, uſumfructum juxta ejuſdem patris ſententiam, quoad viverent, ſibi reſervantes. Hoc igitur chirographum de *Anglico Latinum* fecimus, quod factum eſt inter Abbatem *Alfwinum*, & eundem *Ædnothum*, ad futurorum notitiam, de præfatæ donationis conditione.

Cap. CXVIII.

Chirographum ejuſdem Ædnothi.

" NOtum ſit univerſis hoc legentibus, quod Ego *Ædnothus* & uxor " mea, dedimus & conceſſimus Deo, & ſancto *Benedicto Rameſiæ*, " terram noſtram de *Acleia* in perpetuam eleemoſynam, pro noſtris & pa- " trumque matrumque noſtrarum, & filiorumque noſtrorum animabus. *Ta- " lem autem* conſentionem *fecimus cum Alfwino* Abbate, & Conventu *Ra- " meſiæ* de eadem donatione. Nos quidem in vita noſtra eandem terram " nomine Eccleſiæ tenebimus, ſed neuter noſtrum poterit ulla ratione " eam alibi dare, vel diſtrahere, vel ingenium quærere, per quod à præ- " fatæ Eccleſiæ Dominio alienetur: ſed poſt mortem utriuſque, meam " ſcilicet & uxoris, tota ſimul quieta, & ab omni calumnia libera, in ma- " num Abbatis & fratrum tranſibit. Cum autem in dominio eam habue- " rint, duas libras ſingulis annis *Æthelrico* Monacho filio noſtro inde ad " veſtitum procurabunt, quatenus idem *Æthelricus* hujus reſpectu beneficii, " humilis & devotus Deo ſit, Abbati quoque & fratribus ſuis tractabilis. " Qui ſi forte habitum ſuum & Monaſterium relinquens, reverti noluе- " rit, nihil omnino inde ulterius percipiat. Conceſſimus autem *Lefwino* " homini noſtro virgatam terræ, in quo manſum ſuum habet in vita ſua " quietam. Poſt deceſſum vero ipſius in poſſeſſionem Eccleſiæ ſimul cum " principali parte redibit. Dimidiam vero partem hominum, qui in me- " morata terra ſub ſervitute degunt, libertate donavimus. Rogamus ergo " & obſecramus per Dei terribile nomen, ut nullis omnino hanc terram " donet, vel vendat, vel aliquo modo ab eadem Eccleſia alienet. Quod " ſiquis fecerit, ſit ille maledictus, & alienatus ab omni beatitudine præ- " ſentis vitæ & futuræ, ſitque ejus commoratio cum Dæmonibus in infer- " no, ubi ignis eorum non extinguitur, & vermis eorum non morietur.

Sub eadem tempeſtate vir quidam *Alfſius* de *Longwathe*, & uxor ejus *Leva* dederunt & conceſſerunt terram quandam apud *Borewelle*, ut poſt

mortem ſuam utriuſque in pretium ſuæ ſalutis Deo & ſancto *Benedicto Rameſiæ* cederet in poſſeſſionem. Quibus defunctis *Alfwinus* Abbas, eandem terram præfatæ donationis titulo quiete & libere poſſeſſam, de conſilio & aſſenſu fratrum, cuidam viro *Godwino* de genere memorati *Alfſii* conceſſit in vita ſua firmarii vice tenendam. Qui *Godwinus* eidem Abbati exinde reſpectum, quod *Gerſume* dicunt, tanti viri honori conveniens dedit, & ſingulis annis de conſuetudine hoſpitium ei, & cuncta hoſpiti neceſſaria, firmata utrinque pactione procuravit. Deinde vero regni jure ad alienigenarum Dominium devoluto, Comes *Radulphus* de *Wather* eandem terram præfato *Godwino* violenter ablatam, reclamante Abbate, ſed nihil, propter injuſtitiam licite tunc temporis invaleſcentem, proficiente, tenuit, poſteriſque ſuis tenendam reliquit. Item unus ex Baronibus Regis *Edwardus Toſtius* nomine, frater *Tri*, cum infirmatus mortis ſentiret punctiones, corpus ſuum *Rameſiæ* humari petiit, & quatuor hidas terræ in *Saltretha* dedit Deo & ſancto *Benedicto*, in pignus ſalutis ſuæ, & pretium ſepulturæ. Quo facto, *Euſtachius* Vicecomes eaſdem hidas per violentiam ſibi ſaiſivit, denique violenter tenens *Waltero* de *Belmeys* Militi ſuo eas poſt ſe dimiſit. *Willelmus* de *Warenna* ſenior abſtulit Deo & ſancto *Benedicto*, & fratribus *Rameſiæ*, LXVII homines * ſocamannos apud *Winebodeſham*, in ſoca illa, & eos injuſte ſaiſiens per violentiam tenuit contra Deum & contra Abbatem *Rameſiæ*. Qui ſocamanni ſemper poſtea *novi homines* vocati ſunt. Item Matrona quædem *Thirgnut* nomine, morbo corporis tacta, & in extremis agens, terram de *Saltretha* pro ſuæ anime ſalute, Deo & ſancto *Benedicto*, permittente viro ſuo *Thurkillo* de *Haringwich*, in Teſtamento reliquit, cum firma & conſueto hominum ſervitio, cum omni inveſtitura, ſicut fuit in die ſanctæ Paſchæ, quando cœpit mulier ægrotari. Qua fati munere functa vir ejus exanime conjugis corpus *Rameſiam* ad tumulandum deferri fecit, & terram prænominatam pro ipſius anima ſuper majus altare coram Abbate *Alfwino* & toto fratrum conventu obtulit, ſub teſtimonio *Ulſi* de *Glattona*, *Lefrici* filii *Dodi*, & *Leofredi* de *Fodringeya*, & aliorumque multorum tam Clericorum quam Laicorum. Hæc terra ſimiliter ut cæteræ, quas ſupra in hoc capitulo commemoravimus, regni ſtatu in *Normannorum* adventu turbato, in alienam nobis ablata tranſiit poſſeſſionem. Poſthæc itaque præclaræ opinionis & celebris experientiæ vir Abbas *Alfwinus*, pro quibuſdam regni negotiis *Rameſiam* ab *Edwardo* Rege deſtinatus, privilegium, quod inferius habetur, ab *Alexandro Papa* ſecundo in perpetuum Eccleſiæ ſuæ patrocinium contra ſuſpectam futurorum nequitiam adquiſivit.

CAP. CXIX.

Quomodo Rex Edwardus *Eccleſiam* Rameſienſem, *quam* Alfwinus *propter ægritudinem dereliquit,* Ailſſio *Abbati Sancti* Auguſtini *cuſtodiendam commendavit.*

UNiverſis itaque cartis & chirographis, quæ in *Archivis* noſtris Anglica barbarie exarata invenimus, non ſine difficultate & tædio in latinos apices tranſmutatis, nunc demum ad ea quæ poſt hæc geſta ſunt, vel contigerunt, curſum calami dirigamus. Cum ergo rem Eccleſiæ ſuæ communem multi ſudoris inſumptione, & fideli continuatæ ſedulitatis quæſtu, Abbas *Alfwinus* juxta fidem præteritæ relationis ampliaſſet, tandem quam vana ſit ſalus hominis, proſperitas quam infida, ipſo quod ad finem uſque vivendi ſanitatis corporeæ protraxit diſpendio comprobavit. Quia enim quamlibet placida, quantumlibet diuturna, ſemper tamen in fine valetudinis flatu validiore ſoſpitatis humanæ fugax diſpergitur aura,

* *Dugdalus in Monaſt. Angl. v. 1. p. 237, edidit, cum 64. Socamannis ad Hundredum pertinentibus. Spelmanus legit in ſuo codice, prout hic ſcribitur.*

ex

ex præteritorum continuatione laborum, potiſſimum autem ex *Romani* itineris difficultate ægritudinem contraxit, qua omnium fere membrorum officio deſtitutus eſt. Creſcente indies languore, & ſpem ei omnem rediture ſanitatis penitus adimente, forinſecæ adminiſtrationis renuntians officio, omne perfunctoriæ poteſtatis onus, ut ſecum quietior habitaret, abjecit. Fratres autem victuale ei ſubſidium de communibus impendiis, cum omni ſufficientia, & debita tanto Patri charitate & reverentia, uſque ad obitus ſui diem, ut decuit, procurarunt. Quibus auditis Rex *Edwardus* amiciſſimi viri adverſis condolens caſibus, & Eccleſiæ ipſius provida diſpenſatione conſulens utilitati, cuidam *Ailſſio*, viro prudenti & induſtrio, qui tunc temporis Monaſterio ſancti *Auguſtini* Abbatis jure præſidebat, Domus *Rameſienſis* curam commiſit; qui omni vigilantia & ſollicitudine ejuſdem domus commoditatibus ſtudens, & obvians detrimentis, cartam inſignem, ad reprimendam futuræ generationis malitiam, perpetuo valituram à præfato Rege petitam reportavit.

CAP. CXX.

De exceſſu Regis Edwardi, *&* *quomodo* Haraldus *poſt eum Regnum invadens, decimo menſe à* Normannis *interemptus, Duci* Willelmo *illud reliquit.*

DEhinc Rex *Edwardus*, in die Natalis Dominici, facto *Londoniæ* generali totius fere nobilitatis Angliæ conventu, cum gloria & honore regio coronatus eſt. Ibidemque morbo tactus, quem metas ſibi vivendi præſumſit poſiturum, Eccleſiam *Weſtmonaſterienſem*, quam ipſe largis ſumptibus ædificatam poſſeſſionibus ampliaverat & donis, in Natali ſanctorum innocentium cum gaudio celebri & apparatu ſolemni fecit dedicari, nequid tanto deeſſet ædificio, quod conſtructor pius magnanima liberalitate non adimpleſſet. Sic igitur Rex *Edwardus* ævi ſanctitudinis & gloriæ plenus, in vigilia *Theophaniæ* ſpiritum cœlo mittens cœlibem, pudicitiæ florem, quem inter regni delicias, & inter amplexus conjugales, præter periculum, quod præter ſolitum eſt, conſervarat virentem perpetuo, floribus immiſcuit Paradyſi. Exuviæ regales intra ipſam baſilicam, ubi uſque hodie tam divinæ virtutis quam humanæ devotionis frequentia honorantur, cum inſigni regio tumulatæ ſunt. Cumque in ipſo die *Teophaniæ*, recens adhuc exequiarum regalium luctus ageretur, *Haraldus* filius *Godwini* Ducis, frater *Ædithæ* Reginæ, ſacramentum, quo antea *Willelmo Normanno* Duci Regnum *Angliæ* firmaverat parvipendens, altitudine generis fretus, diademate regni ſeſe temere inſignivit. Quo audito Dux *Willelmus* propriæ conſcius juſtitiæ, & de cœleſti adjutorio non diffidens, cum *Normanniæ* Principibus ſtatim contra eum in arma conſpiravit. Dumque expeditio pararetur, *Toſtinus* interim major natu frater *Haroldi* de Flandria, ubi diu exulaverat, multam manum navalem conducens cum *Haroldo* Rege *Noricorum*, totam provinciam trans *Humbre* fluvium piratica excurſione vaſtabat. Cui cum *Haraldus*, propter imparitatem forſitan copiæ militaris, obviare diſſimularet. Sanctus *Edwardus* prædictum Abbatem *Ailſium*, cujus commendationis cauſa hæc interſerimus, per viſum admonuit, ut Regem *Haraldum* ad invadendas hoſtes ab eo miſſus animaret, triumphum ei victoriæ certiſſime compromittens. Quod cum *Ailſius Haraldo* nunciaſſet, ille viſionis fide roboratus, viribus undique collectis, inimicam aciem acerrime aggreſſus, præfato Rege & *Toſtino* ferro cæſis, cæteros omnes palantes vel in mortem compulit vel in fugam. Sed quoniam de belli eventu votivo ſuperbiens, plus viribus propriis quam virtuti divinæ victoriam temere deputavit, tam arrogantiæ hujuſce quam perfidiæ præcedentis ſtupendo Dei judicio pœnas luit. Nam ipſo die conſummatæ victoriæ cum

 apud

apud *Eboracum* lætus pranderet, ſtatim nunciatum eſt ei *Willelmum* Ducem *Normannorum*, juratum ſibi ab eo regnum, & aviti propinquitate ſanguinis debitum, petentem, auſtrales *Angliæ* partes cum alienigenæ gentis manu validiſſima invaſiſſe. Ille igitur, quem vis fati jam impulit in ruinam, cum exercitu ei ſuperbe occurrens, & pugna commiſſa hoſtibus diutius probe reſiſtens, tandem ſagittarum imbre circa ſe ruente, oculo ut fertur, primo vulneratus, ſtatim cum *Girth* & *Lefwino* fratribus ſuis conſulibus gladio ictus occubuit. In caſu cujus ita totius nobilitatis Anglicæ viror omnis emarcuit, quod uſque ad diem hunc nunquam poſtea in priſtinæ libertatis gloriam revireſcere potuerunt. Hic itaque tertiam hujus opuſculi telam decrevimus ſuccidendam, quatenus quartam ordiri feſtinantibus attenuatæ præteriti continuatæ laboris vires interpolationis beneficio reparentur.

CAP. CXXI.

Extra locum.

IGitur *Wlfgiva* Comitiſſa, præfati *Aldermanni* legitima uxor, viri ſui fidem æmulans & devotionem, dedit Deo & ſancto *Benedicto* Regiam villam de *Bramceſtria*, quæ ſupra mare ſita eſt, in *Nortfolchia* ad veſtimenta fratribus procuranda, & meræ liberalitatis ſuæ donum hoc chirographo ſuo, quod de *Anglico* latinum fecimus, ad poſterorum notitiam confirmavit. [Vide Caput 27.]

Inſcriptio Sepulchralis Ailwini, *prout in alio libro* Rameſienſi *Legit* Lelandus & Cambdenus.

HIC REQUIESCIT AILWINUS INCLITI REGIS EADGARI COGNATUS; TOTIUS ANGLIÆ ALDERMANNUS, ET HUJUS SACRI COENOBII MIRACULOSUS FUNDATOR.

FINIS Tertiæ Partis.

Historia Eccleſiæ *ELIENSIS*

LIBER. I.

Incipit Prologus *Libelli quorundam inſignium operum Beati* Aedelwoldi *Epiſcopi.*

CUM præteritarum notitia rerum ignorantiæ tenebris queat involui, & viciſſitudine rerum interveniente ab humana memoria facile poterit labi, operæ pretium eſt, ut illud, quod ſic geſtum eſt, quod dignum memoria ſit, ſedulo ſtyli officio commendetur; quatenus ſic memoriæ repræſentetur, quod niſi ſcriptum fuerit, oblivioni tradetur. Cumque Gentilium figmenta, ſive deliramenta, cum omni ſtudio videamus compoſita, coloribus rethoricis ornata & quaſi quodammodo depicta, cathegoricis ſyllogiſmis & argumentationibus circumfulta & corroborata, in gymnaſiis & ſcholis publice celebrata, & cum laude recitata, dignum duximus ut ſanctorum dicta & facta deſcribantur, & deſcripta ad laudem & honorem Chriſti referantur, ut per illos & in illis ipſe glorificetur, & mirabiliter prædicetur, per quem ipſi glorioſi fiunt & mirabilia operantur. Sic enim ipſe Dominus ait, *Luceat Lux veſtra coram hominibus, ut videantur Opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt.* De quorum ſiquidem conſortio beatus *Aedelwoldus,* Electus Dei Pontifex, ſuis temporibus floruit, cujus vita virtutibus glorioſa, & miraculis clara effulſit; de quo ſi cui minus claret, & plenius ſcire deſiderat, legat librum qui de ortu & de vita, necnon de obitu ejus, contextus eſt, & inveniet liquido quanti meriti, quantæque ſanctitatis fuerit. Quædam vero inſignia ejus, quæ geſſerat in vita ſua, in illo libro non ſunt contexta, nec erant ſtylo exarata Latino, quæ dum vir prudens & egregius *Herveus*, venerabilis *Elyenſis* Eccleſiæ Epiſcopus, relatu digna comperibat, rogatu quorundam fratrum mihi injunxit, ut ea de Anglico idiomate in Latinum ſermonem transferrem, cujus præcepto nullatenus contraire auſus parui, & injunctum opus ſuſcepi, ac pro facultate mea ad unguem perducere curavi. Ubi, ſiquid poſitum eſt quod Deo acceptum ſit, non tumori arrogantiæ deputetur, ſed obedientiæ bono commendetur.

CAPUT. I.

Quomodo Beatus Aedelwoldus *Elyenſe* Cœnobium *Renovavit.*

TEmpore quo Rex *Ædgarus* gubernacula Regni Anglorum *Sceptrigerando* regebat, Beatus *Ædelwoldus,* egregius Pontifex, vir eximiæ virtutis magnæque ſanctitatis, ut Lucerna ardens & lucens in populo Dei, fulge-

fulgebat. Qui cum omnium Ornamentis virtutum bonorumque exemplis operum præditus eſſet, ac Eccleſiam Dei regendam ſuſcepiſſet, non ſolum Rector ſtrenuus, verum etiam Coenobiorum plurimorum fundator nobilis extitit: alia ſiquidem à fundamento cœpit, & ad unguem uſque perduxit; alia vero, quæ deſtructa ſive deſtituta erant, diligenter reſtaurando renovavit, familiamque ſummi Patrisfamilias ſub norma ſanctæ converſationis in omnibus locavit, facultates terrarumque poſſeſſiones, ac ea, quibus opus habebant, eis affluentiſſime adminiſtravit. Inter quæ *Elyenſe* Coenobium renovavit; qui locus multum erat famoſus Reliquiis, & Miraculis celeberrimus. Sed Pagani ſæva invaſione olim irruentes, eundem locum igni cremandum dederant, & ſanctimonialium caterva quampluriuum ibi crudeliter necata, omnibuſque bonis undeunde ſublatis, locum cum Reliquiis quaſi quoddam exterminium relinquentes, abierunt; ſicque poſtea per deſtitutionem Regiæ ſorti ſive Fiſco idem locus additus erat.

CAP. II.

Quomodo Rex Ædgarus *quibuſdam petentibus eundem locum dare denegavit.*

EO autem tempore quo beatus *Ædelwoldus*, ut diximus, floruit, duo de Magnatibus Regis, videlicet *Sygedwoldus* Epiſcopus, natione *Græcus*, & *Thurſtanus* genere *Dacus*, petierunt à Rege, ut eis idem locus daretur; cumque pari ambitione ad hoc inhiantes anhelarent, & uterque ſe hoc adipiſci æſtimarent, lis & altercatio permaxima orta eſt inter eos, quis illorum voti compos efficeretur. Illis igitur altercantibus, unus qui Regi erat à ſecretis, nomine *Vulſtanus* de *Dalham*, vir prudens, conſilio pollens, opibuſque potens, cœlitus inſpiratus, acceſſit ad Regem, & ait, *Domine Rex, cum tuæ ſaluti tuoque Imperio omnes providere debemus, nemo noſtrum eſt qui conſulere velit, ut horum petitioni annuere debeas, ſi enim ſcires Domine, quam celebre Domicilium, & quam caræ reliquiæ habentur in loco de quo contendunt, nullatenus eundem locum talibus committere velles hominibus.* Deinde expoſuit Regi per ordinem de dignitate loci, & celebritate earundem Reliquiarum, nam antea latebat Regem. Quod ut Rex audivit, fervore divino accenſus eſt, & ſupradictis viris dare quod petierant, non ſolum denegabat, verum etiam eundem locum ſe magnificaturum dicebat.

CAP. III.

Quomodo Ædelwoldus *in* Elyenſi *Monaſterio Monachos inthronizavit.*

ET factum eſt, poſtquam illi, qui dixerunt *Hæreditate poſſideamus ſanctuarium* Dei, confuſi & fraudati ſunt à deſiderio ſuo, glorioſus Rex *Ædgarus* accito beato *Ædelwoldo* conſilium iniit cum eo, & oſtenſa illi voluntate ſua, cœpit rogare beatum virum, ut Monachos, qui Deo ſervirent, in prædicto loco adunare curaret, dicens ſe nolle ut tantæ Reliquiæ ſine cultore, & abſque digna veneratione, diutius haberentur. Pollicitus eſt etiam ſe idem Coenobium Terris ac Donis locupletaturum, & æternæ libertatis privilegio confirmaturum. Intellexit protinus vir Dei quod Spiritus Sanctus operabatur in Rege, gratias egit Deo, *in cujus manu corda ſunt Regum*, opuſque bonum maturare non diſtulit, quod ut ageret Rex ei injunxerat, memor ſcripturæ dicentis, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Et in alio loco, *Semper nocuit differre parata.* Quid moror? Beatus igitur *Ædelwoldus*, ut erat operibus ſanctis ſemper inſiſtens, prædictum Coenobium ex præcepto Regis, ut diximus, diligenter renovavit,

vavit, Monaſterialibus ædificiis ſitum loci inſigniter decoravit, Monachos ibi inthronizavit, & Religioſum virum, nomine *Brithnothum* eis Abbatem ordinavit, Regiæque auctoritatis privilegio confirmatum Deo ac Sanctæ *Ædeldrydæ* totum commendavit.

In mundo vere tunc aurea ſecla fuere;
Tunc ver æternum decus enituitque ſupernum.
Tunc & ſpinetum fuerat ceu ſuave Roſetum.
Lactea currebant tunc flumina, mella fluebant.
Tunc & ſponte dabat Tellus, quam quiſque rogabat.
Pura fides, Pax, verus amor tunc emicuere.
Fraus, tumor, & livor, perjuria tunc latuere.
Tunc & libertas ſedes habuit ſibi certas.
Tunc & in Eccleſia fulſerunt Martha, Maria.
Tunc erat ordo bonus cum floruit iſte Patronus.

CAP. IV.

Quomodo beatus Ædelwoldus *totam Inſulam de* Ely *emit à Rege* Ædgaro.

HAud multo poſt præfatus Pontifex, beatus *Ædelwoldus*, cum reverentia ſæpe nominandus, repletus Spiritu Sancto, prævidens & præcavens in futurum doloſa mala, quæ per viciſſitudines rerum & mutationes Regnorum pullulare & oriri ſolent in terra; iterum acceſſit ad Regem *Ædgarum*, & facta cum eo conventione, de integro emit ab eo totam adiacentem Regionem prædictæ Inſulæ, ſcilicet XX Hydas terræ, quas Rex infra Inſulam habuit, ſed & *dignitatem* & *ſocam* VII hundretorum & dimidii, & V Hydas apud *Meldeburne*, & III Hydas cum dimidia apud *Earningeforde*, & XII Hydas apud *Northwalde*, datis mutuo Regi LX Hydis, quas ipſe de dono Domini ſui [*Æthelſtani* Regis] apud *Eartingan* habuerat, datoque inſuper centum librarum pretio cum aurea Cruce, mirifico opere polita, Reliquiiſque referta. Has igitur terras à Rege emptas cum omnibus Regiis conſuetudinibus, & cum privilegio æternæ libertatis corroboratas, beatus *Ædelwoldus* Deo Sanctæque *Ædeldrydæ* obtulit.

Inſtitor O dives, felix per ſecula vives.
Cœlica ſumpſiſti, dum tu terrena dediſti.
Ecce tenes cœlum quo noſtrum dirige velum
Concives tecum qua conregnemus in ævum.

CAP. V.

Quomodo Rex Ædgarus *dedit Sanctæ* Ædeldrydæ Hatfeld.

POſtquam beatus *Ædelwoldus* præfatum Coenobium, ut dictum eſt, renovarat, glorioſus Rex *Ædgarus*, ſicut pollicitus erat, locum venerari ac dilatare cœpit, cupienſque adimplere votum ſuum, XL Hydas terræ in Pago, qui dicitur *Hatfeld*, quas vir potens quidam, *Ordmarus* nomine, & uxor ejus *Ealde*, cum morerentur, ei dimiſerunt, Deo, Sanctæque *Ædeldrydæ* cum cyrographo obtulit, ut quia ſaltuoſa Regio erat, ibi materiam ad opus Eccleſiæ, ſatiſque lignorum ſuos uſus ad explendos fratres inde habere poſſent. Hanc igitur terram, quamdiu Rex vixerat, abſque

calumnia Fratres habuerunt; defuncto autem Rege, perturbatoque ſtatu Regni, ac rupto foedere terræ, ſurrexere viri potentes, videlicet, *Ægelwinus*, qui cognominatus eſt *Alderman*, quod intelligitur *Princeps* ſive *Comes*, & Fratres ſui, terramque illam calumniati ſunt, dicentes quod Pater eorum *Adelſtanus Alderman* pro patrimonio ſuo, quod erat in provincia quæ dicitur *Devene*, illam terram cambierat. Sed Rex *Ædgarus* per violentiam utraque terra eum privaverat; enarrata ergo ac oſtenſa ſua calumnia calumniatores prævaluerunt, poſtpoſitaque Sanctæ Eccleſiæ reverentia, eandem terram invadentes ſibi vendicarunt. Videntes autem Fratres ſe nullatenus illam terram abſque magno detrimento potuiſſe dehabere, ut pote alias non habentes ſilvam, unde ſuos uſus explere poſſent, requiſierunt prædictum *Ægelwinum*, & facta cum eo conventione, ſæpe dictam terram, ſcilicet, *Hathfeld*, mercati ſunt ab eo, dantes pro ea duas terras, quas *Vulſtanus* de *Dalham*, cum moreretur, Sanctæ *Ædeldrydæ* dedit, videlicet, xxx Hydas in *Hemmingeford*, & vi in *Winningetun*, addentes etiam apud *Gyllinges* v Hydas, quas *Vulwinus Cocus* & uxor ejus *Alfſueth* multis modis, & teſte populo, per tranſgreſſionem amiſerunt. Acta ſunt hæc in loco qui dicitur *Sloththere*, coram *Alfero Alderman*, & *Adelwino* ac *Alurico Cyld*, quod intelligitur *Puer*, & coram tota gente quæ cum eis erat. Ut autem hæc Conventio firma & inſolubilis eſſet, *Agelmarus Cyld* & *Alwoldus*, duo Optimates Angliæ, fidejuſſores ac teſtes hujus rei erant.

Pacem Sanctorum ſic rumpere ſæpe Virorum,
Sic ſolet antiquus turbare bonos inimicus,
Sic armat mundum contra Sanctos furibundum,
Ut pars juſtorum ſuccumbat mole malorum
Ni Domini pietas dignetur ponere metas.
Ne, dum tentantur, nimium tentando graventur.

CAP. VI.

Quomodo beatus Adelwoldus *emit* Lindune & Hylle & Wicheham & Wilbertune.

QUoniam ſicut veritas teſtatur, *ſiquis volens turrim ædificare, ſedens prius computat ſumptus*, qui neceſſarii ſunt, *ſi habet ad perficiendum, ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant ei illudere, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Venerabilis Præſul *Ædelwoldus* veritatis Diſcipulus, fiduciam habens non in auro nec in argento, ſed in Domino *Jeſu Chriſto*, opus, quod cœpit, conſummare diligenter ſtuduit, & ut præfatum Monaſterium dilataret, terras innumeras adquirere curavit, mercatus eſt ſiquidem à *Lenrico* de *Bramdune* filio *Athelſerthi* xii Hydas, ſcilicet Manerium, quod *Lindune* dicitur, cum appendicibus, videlicet, *Hylle*, & *Wicheham*, & *Wilbertun*, datis centum aureis, & optimo ſonipede, reddiditque ei terram de *Beſingtune*, quam uxor ejuſdem *Lenrici*, *Adelfled* nuncupata, antea ſibi vendiderat. Hæc itaque emptio & conventio, in territorio quod dicitur *Grantebrygge*, facta eſt, coram melioribus ejuſdem provinciæ. Poſtea vero evoluto tempore, & defuncto Rege *Ædgaro*, viſus eſt idem *Leonricus* ſubdola calliditate omnem conventionem, quam cum Epiſcopo fecerat, annullare, ſi poſſet, ſed legales viri *Ædricus Rufus*, & *Leonricus* de *Berle*, & *Siverthus Vecors*, qui huic rei intererant, & teſtes fuerant, eum convictum reddiderunt.

CAP.

CAP. VII.

Quomodo beatus Ædelwoldus *emit* VIII *Hydas in* Stretham.

CIrca idem tempus præfatus *Leonricus* & *Adelfled* ab Epiſcopo precibus impetrabant, ut Eccleſiam ſuam de *Bramdune* dedicaret. Ubi itaque ventum erat ab hoc quod dedicata fuiſſet, pro amore & honore quem eis exhibuerat, obtulerunt ei argenteam ſcutellam XL ſolidorum, cum aliis rebus quam plurimis & optimis. Quibus oblatis, ait eis Epiſcopus, *Chariſſimi, Nolo argentum veſtrum, nec iſta munera, ſed hæc omnia ſint veſtra, tantummodo, Chariſſime* Leonrice, *annue ut terram ſororum tuarum mihi emere liceat, ſcilicet,* VIII *Hydas in* Stretham, *quas* Leonricus *frater earum moriens eis dimiſit.* Audita itaque voluntate Pontificis *Leofricus* libens annuit, & ſorores ejus *Adelfled* & *Adeleve* nuncupatæ ſimiliter conceſſerunt. Venerabilis ſiquidem Præſul comparavit illam terram, unique ſororum, ſcilicet *Adelfled,* pro ſuis IV Hydis, & pro pecunia quæ in eadem terra habebatur, dedit XXX Libras, & alteri earum, ſcilicet *Adeleve,* pro ſuis IV Hydis, & pro ſua parte pecuniæ, tantumdem argenti contulit. Hæc autem pecunia data ac perſoluta erat ſororibus in oppido, quod dicitur *Grantebrygge,* eodem tempore quo emit idem Epiſcopus *Lyndune,* cum C tripondiis auri, à præfato *Leonrico,* ut in priori Capitulo relatum eſt. Ubi cum eſſet puerulus filius *Vulſii* & *Adelfledæ* allatus, latores pueri & matertera ejus *Atheleve* receperunt XXX libras, & cum puero pecuniam tulerunt matri ejus, ſcilicet *Athelfledæ.*

O quantus vir erat, quem gratia tanta replerat,
Eſſet ut in mundo vivens Chriſto ſine mundo,
Felix ille Pater, quem neſcit Spiritus ater!
Pectore ſub cujus mundi jus nil habet hujus,
O decus Eccleſiæ, vas nobile Philoſophiæ!
Cujus ad Exemplum Chriſti fies homo templum,
Vir pie, Sancte, bone Pater, Adelwolde Patrone,
Inter opes ſecli ſitiebas gaudia Cœli,
Mundus vileſcit tibi dum dos cœlica creſcit,
Qua nos dotari felix dignare precari.

CAP. VIII.

De Eodem.

EVoluto poſt hæc unius anni ſpatio, beatus *Athelwoldus* comparavit in eodem *Stretham* ab *Alfwoldo* de *Merthanlege* unam Hydam, & duos Gurgites, pro viginti aureis, coram omnibus, apud civitatem quæ dicitur *Grantebrigge,* & duo fratres æquivoci, ſcilicet, duo *Alfelmi,* quorum uni cognomentum erat *Polga,* vades hujus rei erat. Poſt mortem vero *Ædgari* Regis, idem *Alfwoldus* omne pactum fregit, dicens ſe coactum ad hoc fuiſſe, & vim ac rapinam ſibi illatam eſſe; dixitque ſe velle illam terram habere, & pecuniam acceptam reddere. Tunc *Brihtnothus* Abbas profectus venit contra eum apud *Hertford,* & coram cunctis in *generali placito* propoſuit ei, quomodo uxor & filii ſui de terra Sanctæ *Ædeldrydæ* de *Hatfeld* innati fuerant, & quomodo, ut liberos & abſque calumnia eos habere poſſet, vendiderat Epiſcopo eandem terram, acceptis ab Epiſcopo viginti aureis.

aureis. Audita igitur hac ratione cœpit ceſſare *Alfwoldus* à procacitate ſua, tandemque omni fine facto, Abbas *Brihtnothus* ſupradicto auro XL ſolidos addidit, & dedit ei. Pro qua pecunia duo filii ſui *Alfwinus* & *Ægelwarus* ad *Grantebrygge* venerunt, & *Alfwardus*, & *Wine* de *Wicforde*, ex parte Abbatis pecuniam eis illuc detulerunt. Hujus autem rei teſtes erant *Oſwi*, & *Oſchetel* de *Bece*, & *Oſulf* de *Grettune*, & plures alii proceres illius Provinciæ.

CAP. IX.

De Eodem.

IN eodem *Stratham* quædam vidua, *Wlfled* vocabulo dicta, *Siverthi* Relicta, XXIV acras prælato *Elyenſi* vendidit, eodem die quo *Nonna* facta eſt Deo ſacrata. Quam terram adquiſiverat pater ejus *Wlſtanus*, tempore *Athelſtani* Regis, & illa poſt mortem patris ſui eandem terram abſque calumnia ſemper habuit, & hoc noverat totum *Hundretum*.

Omine felici condignum cenſeo dici,
Qui ſervit Chriſto, mundo dum vivit in iſto,
Sicut Adelwoldus fecit, Præſul venerandus,
Ex utero Matris ſe moribus exuit atris,
Propoſito ſalvo dum Matris vixit ab alvo,
Inſtituit vitam divina Lege peritam.
Compoſuit mores eſſent totidem quaſi Flores,
Excoctus digne dum purificatur in igne,
Purior extractus reſplenduit illius actus,
Dumque ſuum curſum direxit ad Æthera ſurſum,
Per vitæ portus æternos venit ad ortus.

CAP. X.

De Dunham.

HÆC eſt deſcriptio quomodo beatus *Ædelwoldus* Epiſcopus VI Hydas in *Dunham* adquiſivit, quæ villa eſt fertiliſſima, & Monaſterio proxima. Primum pepigit pro duabus Hydis *Leſſio*, & uxori ejus *Sifled*, XV libras apud *Grantebrycge*. Tunc *Leofwinus* præpoſitus, & *Wine* de *Wicceforde*, & omnes optimi homines de *Ely* partem pecuniæ, ſcilicet, X libras extulerunt, cujus rei teſtes erant, *Sexferth*, & *Oſchetel*, & *Oſwi* de *Bece*, & VIII, & plures alii fideles viri. De V autem libris quæ reſtabant dies inter eos datus erat. Inter hæc fecerunt iterum aliam conventionem inter ſe, videlicet, quod prædictus *Leſſius* & uxor ejus emere deberent ab Epiſcopo cum eiſdem XV libris V Hydas apud *Cleie*, eo tamen pacto, quod Epiſcopus eis ultra dare deberet unum cyphum argenteum de XL ſolidis, quem *Bixius* pater *Leſſii* moriens dimiſit Epiſcopo. Hac itaque conventione facta, omnem pecuniam vivam, & mortuam, quæ in duabus terris, ſcilicet, in *Dunham* & in *Cleie* erat, cambierunt ſive mutaverunt. Interea antequam reddidiſſent Epiſcopo illas X libras pro *Cleie*, exuit hominem Rex *Ædgarus*. Quo mortuo, prædictus *Leſſius* Dei inimicus, deceptorque hominum, & uxor ejus, omne pactum habitum cum Epiſcopo irritum fecerunt, & aliquando obtulerunt ei X libras, quas ab eo acceperant, aliquando vero ſe ei aliquid debere omnino denegabant, ſic quoque

que exiſtimabant ſe per dolum recuperaturos terram, quam vendiderant; ſed nos in omnibus cum teſtibus noſtris ſemper eos convicimus. Cum igitur ea tempeſtate, qua Rex, ut diximus, obierat, nos diu differrent & fatigarent, addidit idem deceptor malum malo, & dolum dolo, Deoque ac Sancto *Petro* abſtulit cum rapina *Burch* & *Undelas*, & *Kateringes*; qua de cauſa contigit, quod nemo illas terras infra duos annos aravit, nec ſeminavit, nec ullo modo coluit; ſicque tota cultura perditum ibat. Videns ergo Dominus Deus quantis injuriis, quantiſque tribulationibus ille ſeductor ſervos ſuos afficiebat, labores eorum miſeratus eſt; cujus miſericordia ſancta Eccleſia recuperavit quæ injuſte amiſit. Nam edicitur *generale placitum* apud *Lundoniam*, quo dum *Duces*, *Principes*, *Satrapæ*, *Rhetores*, & *cauſidici* ex omni parte confluxerant, beatus *Ædelwoldus* præfatum *Leofſium* in jus protraxit, & coram cunctis ſuam cauſam & injuriam ac rapinam, quam ipſe *Leofſius* intulerat ſanctæ Eccleſiæ, ex ordine patefecit. Qua re bene & rite ac aperte ab omnibus diſcuſſa, omnes Deo & beato *Ædelwoldo* per judicium reddiderunt, *Burch*, & *Undelas*, & *Kateringes*. Judicaverunt etiam ut *Leofſius* Epiſcopo totum damnum ſuum ſuppleret, & mundam ſuam redderet; de rapina vero Regi forisfacturam emendaret, dato pretio genealogiæ ſuæ. Poſt hæc infra octavum diem convenerunt iterum ad *Northamtune*, & congregata ibi tota provincia, ſive vicecomitatu, coram cunctis iterum cauſam ſupradictam patefecerunt; qua patefacta ac declarata, ut præjudicatum erat apud *Lundoniam*, judicaverunt & iſti apud *Northamtune*. Quo facto omnis Populus cum juramento in Chriſti Cruce reddiderunt Epiſcopo abſque calumnia quæ ſua erant, ſcilicet, *Burch*, & *Undelas*, & *Kateringes*.

CAP. XI.

De Eodem.

INterea prædictus *Leſſius*, qui ſervos Dei tantum afficiebat, ultione divina fervente, turpiter ac miſerabiliter interiit. Quo mortuo beatus *Ædelwoldus* & *Agelwinus* cognomento *Alderman*, ac Primates *Northamtunenſis* provinciæ, nec non *Orientalium Anglorum Proceres*, Placitum habuerunt apud *Walmesſford* in octo *Hundretis*. Ubi inter alia judicatum eſt, ut *Sifled* Relicta *Leſſii*, & Hæredes ſui, Deo & Epiſcopo prædictam rapinam emendare deberent, ſicuti ipſe, ſi vixiſſet, facere debuiſſet; appretiaveruntque ſummam damni, quod Epiſcopo intulerat, pluſquam c libras. Tunc prædicta Matrona omnium optimatium qui aderant ſuffulta patrociniis, Epiſcopum humiliter requiſivit, ut pro amore Dei ejus miſereretur, & ut forisfacturam, quæ ad eam pertinuerat, præter puerorum ſuorum forisfacturam, emendare poſſet cum c ſolidis, quos daturus erat ei Epiſcopus pro ſuis duabus Hydis in *Dunham*, unde ille diem acceperat ab eis, ut ſupra diximus; annuit itaque glorioſus Pontifex hæc quod petierant, & inſuper miſericordius quam ſperabant ſibi fecit. Nam totam rapinam, quæ ſuper eam judicata erat, ei dimiſit, & inſuper dixit ei, ut infra octavum diem ad *Ely* veniſſet, & ab Abbate *Brithnotho* c ſolidos recepiſſet: quæ ſic fecit, dataque eſt ei illa pecunia coram duorum *Hundretorum* teſtimonio. Præterea dedit ei Epiſcopus pro blado ſuo, quod erat in terra de *Dunham* VII libras. Sic igitur huic rei fine impoſito, beatus *Ædelwoldus* duas Hydas de *Dunham*, & terra ſuam de *Cleie*, cum tota pecunia, quæ in ea erat, recepit.

Eſſe locum memorant, quem mella loquentia rorant.
Dunham dixerunt qui nomen ei poſuerunt,
Deliciis plenus locus, uber, lætus, amœnus.
Uber ager gratis ſat confert fertilitatis.
Piſcoſi flavii juxta noſcuntur haberi,
Stat viridis lucus crebris venatibus aptus,
Floribus eſt pictus congeſto Ceſpite cinctus,
Aggere terrarum claudit genus omne Ferarum,
Hic canit omnis Avis, dum ventilat Aura ſuavis,
Pica loquax, merulæ, turdi, turtur, philomelæ,
Inſtar habent Cytharæ, dum certant garrulitate,
Regia ſplendeſcit qua ſilva decora pateſcit,
In cujus clauſtris loca perflat ventus ab auſtris,
Copia quæ reſidet, felix opulentia ridet.
Hîc loca formoſa, viridaria ſunt ſpecioſa,
Hiſque locis nempe vileſcunt Theſſala Tempæ,
Ortus ibi creſcit, qui fructus quoſque capeſcit,
Ortus Athalantiadum deſcribitur aureus eſſe.
Et ſatis Heſperidum reor aurea poma fuiſſe,
Aurea poma quidem naſci dicuntur ibidem,
Aut eſt tranſlatus huc qui fuit aureus ortus,
Aut ita res agitur qui hîc illius inſtar habetur.

Cap. XII.

NEC multo poſt *Siverthus* de *Dunham* defractus viribus, vergenſque in ſenium, infirmitate pedum, quæ podagra dicitur, graviter contrahebatur. Qui eo tempore quo beatus *Ædelwoldus Ædelredum* futurum Regem, tunc vero Comitem, & matrem ſuam, & *Alfricum Cyld*, & plures majores natu Angliæ ad *Ely* ſecum adduxerat, venit cum conjuge ſua nomine *Wlfled* ad Epiſcopum, & ei coram præmemoratis notificavit, ſe poſt diem ſuum duas Hydas, quas in *Dunham* habuit, Deo ſanctæque *Ætheldrydæ* pro anima ſua daturum, ibique ſe dixit ſortitum eſſe locum ſepulturæ ſuæ, rogavitque omnes qui aderant, ut ſuper hac re ſibi teſtificarentur.

Alio quoque tempore, poſt mortem ſcilicet *Godingi* de *Gretune*, venit ſecundo idem vir ad *Ely*, ubi noverat illum eſſe ſepultum, rogavitque fratres ut eum ad ſepulturam illius ducerent; nam erat ei familiariſſimus. Quo cum veniſſent, vocavit ad ſe Abbatem, & *Ædricum*, & *Leonricum* de *Berle*, & *Leningum* de *Trumpentune*, innotuitque eis, *quod ſui chariſſimi & fideliſſimi amici ibi eſſent ſepulti, & quod ipſe nimia infirmitate depreſſus morti appropinquaſſet, ideoque, inquit, o chariſſimi mei, volo ut conventio mea coram vobis renovetur, videlicet, quomodo hîc elegi mihi locum ſepulturæ meæ, & poſt diem meum Deo Sanctæque* Ætheldrydæ *dedi duas Hydas, quas in* Dunham *habeo, & filiæ meæ duas Hydas in* Wilbertune, *& precor, O amici mei, ut hoc oblivioni non tradatis, imo ubi neceſſe fuerit, illud recognoſcatis.* Item eodem die remeando domum, renovavit eandem conventionem coram melioribus ejuſdem provinciæ, ultra *Upwere*, in loco qui dicitur *Hyrannumiſtowe.* Deinde cum idem vir, videlicet, *Siverthus* de *Dunham*, prævalente infirmitate mortis, horam ſibi ingruere ſenſiſſet, & apud *Lindune* abſque ſpe recuperandæ ſanitatis jacuiſſet, miſit pro Abbate *Brihtnotho*, & pro Fratribus Eccleſiæ; aderantque ibi *Aluricus* de *Wicheham*, *Aldſtanus*, & filius ſuus *Wine*, *Leonricus*, *Brihtelmus*, *Ælfelmus* de *Redewinclen*, & *Ædricus*

cus unus de Proceribus *Æielwini Alderman*, & *Oſwoldus Presbyter*, & *Sexferdus* cum filio ſuo. Tunc *Brihtnothus* Abbas teſtamentum hujus *Siferdi* coram uxore, & coram filia ſua, coramque omnibus ſupra memoratis, fecit ſcribi in tribus chirographis, coramque cunctis fecit recitari, lectumque fecit incidi, unamque partem cyrographi retinuit *Siverdus*, alteram autem dedit Abbati, tertiam vero miſit ſtatim per præfatum *Brihtelmum Æielwino Alderman*, qui tunc temporis degebat in *Ely*, & petiit ab eo ut ſuum Teſtamentum ita ſtare conceſſiſſet, quomodo Abbas illud ſcripſerat & ordinaverat apud *Lindune*, coram prædictorum teſtimonio virorum. Cum itaque *Æielwinus Alderman* hoc audiſſet, & cyrographum vidiſſet, remiſit ilico ad eum *Wlnothum* de *Stowe* cum *Brihtelmo*, ſciſcitatuſque eſt ab eo, quid aut quomodo vellet de Teſtamento ſuo. Qui mox per eoſdem renunciavit ei, ſic ſuum Teſtamentum abſque omni contradictione vel mutatione ſe velle ſtare, ſicuti præfatus Abbas illud in cyrographo poſuerat. Quod ut *Wielwinus Alderman* audivit, totum conceſſit, ut ſtaret ſicuti ipſe *Siverthus* teſtatus erat.

CAP. XIII.

POſt hæc *Æthelwoldus* Epiſcopus & *Brihtnothus* à duobus fratribus *Alurico* & *Leofwino*, filiis cujuſdam Comitis nomine *Hrerici*, crebra petitione quæſierunt, ut duas Hydas, quas habebant in *Dunham*, ſibi vendidiſſent pro auro ſive pro argento, vel pro alia terra, quæ tantundem valeret, mutaſſent. Sed quamdiu illi duo fratres eandem terram ſimul habuerunt, nullatenus huic rei finem imponere potuerunt. Tandem vero ſenior frater, ſcilicet *Aluricus*, mutavit terras cum juniore fratre ſuo, proque duabus Hydis de *Dunham*, dedit ei terram, quam mater eorum dimiſit eis in *Cypenham*. Poſt modicum tempus contigit, quod idem *Aluricus* gravi *tributo* opprimebatur. Qui cum pecuniam à ſe exactam non haberet, venit ad *Ædelwoldum* Epiſcopum, & ad *Brihtnothum* Abbatem, obtulitque eis duas Hydas ſuas de *Dunham* ad commutandum, pro tribus Hydis, quas ipſi habebant in *Cypenham*, eo pacto ut tantum pecuniæ quantum eis placeret ſibi ob incrementum ab eis daretur. Qui ſic fecerunt, videlicet, terras commutaverunt, & ei quatuor libras inſuper dederunt, facta eſt autem inter eos hæc conventio, ſive commutatio, ac perſoluta eſt *Alurico* hæc pecunia, juxta *Grantebrucge* in Auſtrali parte, coram toto populo illius provinciæ. *Aluricus* igitur eandem terram *Brihtnotho* Abbati liberavit in manu, primum coram XXIV Judicibus in prædicto loco, deinde etiam fecit ſimiliter coram teſtibus legalibus, *Ædrico*, & *Alfelmo* cognomento *Polcan*, & *Leofſio Alfwii* filio, & *Oſulfo*, & *Leovingo*, & *Alfnotho*, & *Vvi*, & *Oſwio*, & *Grim*, & *Wlnotho*, & *Alurico*, & *Wenſio*, & *Leofſio* & *Alfnotho Godingi* filio. Omnibus igitur his aſſiſtentibus, & teſtimonium dantibus, *Æluricus* filius *Hrerici* Comitis *Brihtnotho* Abbati tradidit duas Hydas in *Dunham* in omnibus rebus, in terris, in ſilvis, in paludibus, ſicuti pater ſuus unquam illam terram melius ſive liberius habuit, præter unam paludem juxta *Granctebrucge*, & V acras terræ, quas ipſe *Æluricus* retinuit. Poſtquam autem hoc totum factum eſt, glorioſus Epiſcopus *Æthelwoldus* dedit ei X ſolidos, & *Brihtnothus* Abbas contulit ei XX ſolidatas ovium, & unum Palefridum pro X ſolidis. Datis itaque his ſolidis & ſolidatis *Æluricus* recepit pro duabus Hydis de *Dunham* VI Libras, & III Hydas in *Cypenham*. Mutaverunt autem Abbas & *Æluricus* boves & frumentum, quod erat in horreis in duabus terris, videlicet, *Aluricus* liberavit Abbati apud *Dunham* XV Carretas, & Abbas ei c converſo liberavit totidem apud *Cypenham*,

penham, *Aluricus* quoque liberavit Abbati xxx acras ſeminatas, & Abbas ei totidem tradit ſeminatas apud *Cypenham*, & XL * VIII dedit ei dono. Huic autem rei teſtes intererant *Leofſius* filius *Gode*, & *Vvius*, & *Water* de *Suaſham*, & *Bondo*, & *Brunſtanus* homo ejuſdem *Ælfrici*.

CAP. XIV.

RES ipſa hortari videtur ut de tribus Hydis de *Cypenham*, quæ *Alurico* filio *Rerici* Comitis datæ fuerant pro duabus Hydis de *Dunham* dicamus, quomodo conquiſitæ erant. Inprimis quidam nomine *Wine* comparavit in *Cypenham* LXXX acras, & v prædia domibus conſtructa, à *Leofſio* de *Fracenham*, datis c ſolidis; ab *Alurico* de *Wicham* emit quoque xx acras, & unum *Alodum* domibus ædificatum, datis xx ſolidis. A *Wolfelmo* fratre *Wlfwini* mercatus eſt decem acras cum x ſolidis. Hoc quoque totum factum eſt coram totius *Hundreti* teſtimonio, deinde *Alfwoldus* qui dicebatur *Groſſus*, & uxor ejus, totam terram ſuam, quam in eadem villa, ſcilicet, in *Cypenham* habebant, Abbati *Brihtnotho* venum obtulerunt. Venerunt itaque apud *Horningeſeie* ad eum, ubi cum eſſent, cœpit Abbas inquirere ab eis quot Hydas in *Cypenham* habuiſſent, & quanti taxaſſent eas? Illi itaque dicebant & affirmabant ſe III Hydas ibi habere. Tandem igitur convenit illis, quod Abbas pro ſingulis Hydis c ſolidos eis daret, ſtatueruntque terminum, videlicet, VIII diem, apud *Cypenham*, quatenus uxor *Alfwoldi* illuc veniret xv libras acceptura, & Abbati III Hydas integras & abſque calumnia traditura; nam illa majus rectum in illa terra habebat per alterius viri conjugium. Venit igitur Abbas ad ſtatutum diem, ſed & mulier prædicta aderat, ibi & cum ea *Othulf* de *Egninge*, & *Simundus*, & Nepos ejus *Tucca*, & *Ægelwardus*, & *Osbernus* de *Saham*, & *Alfſtanus* de *Fugelburne*, & *Athelſtanus* Presbyter, & frater ejus *Bondo* & *Wlfelmus*, & omnes fere meliores qui in eadem villa erant. Quibus congregatis Abbas coram omnibus xv libras protulit, & proferendo profudit, ſurrexerunt ilico duo viri, videlicet, *Brunſtanus* de *Saham*, & *Glor*, & ex parte *Vlfi* LXXV. acras de eadem terra mulieri ne venundaret, & Abbati ne compararet interdixerunt, duobus etiam villanis VII acras prohibuerunt. Tunc quidam de aſtantibus ait, terra de qua agitur, licet abſque calumnia eſſet, & uni parti tota ſimul concederetur, minime III Hydæ eſſent ibi integræ, ne dummodo dum calumniantur, & calumniando in partes eunt. Quo audito vocavit Abbas ad ſe omnes meliores & ſapientiores, qui ibi aderant, acceptoque ab eis conſilio, dimidium pecuniæ dedit Mulieri, dimidiumque reſervavit, donec illa, ſicuti pacta erat, III Hydas integras & abſque calumnia ſibi perficeret, quod ſi hoc facere non poſſet, ſecundum pretium terræ, pretium pecuniæ metiretur ei; factique ſunt præmemorati viri ſuper hac re fidejuſſores ac teſtes utrinque, mane itaque facto electi ſunt hinc & inde quamplures, videlicet, de hominibus Abbatis & de hominibus mulieris. Qui primum circumeuntes menſi ſunt terram, quæ abſque calumnia erat, & non invenerunt de terra quæ mulieris jure fuiſſet niſi unam Hydam per ſexies xx acras, & ſuper Hydam XXIV acras, de terra vero calumniata repererunt LXXXII acras; nec mora, præcepit *Vlfſius* hominibus, ut ſuas LXXV acras ſine dilatione colerent, interea idem *Vlf* debebat Abbati XXXVII acras ad ſupplementum ſuper duas Hydas apud *Middeltune*, quas ipſe *Vlf* mutaverat Abbati pro duabus Hydis & XXXVII acris apud *Fordham*. Debebat etiam Abbati xx ſolidos, quos ei præſtiterat, & miſerat per *Alfricum* *Aldwini* filium. Quæſivit itaque Abbas ab eo ut prædictam terram de *Cypenham*, ſcilicet, LXXV acras, quas calumniatus erat, ſibi dimitteret pro XXXVII acris, quas ſibi debebat, & pro xx ſolidis quos ei præſtiterat, eo tamen pacto ut *Vlf* illam terram de

diratiónando liberam ac quietam & abſque calumnia ſibi faceret, quod ſi hoc facere nequiret, & mulier terram dirationaretur, Abbas ab ea terram emeret, ſicuti conventionem fecerant, & ſicut teſtes eorum conventionem recognoſcere vellent: ut autem *Alfwoldus* & uxor ejus compererunt, ſe terram amiſſuros per calumniam, quam *Ulf* impoſuerat, ut ſupra diximus, omne conſilium poſtpoſuerunt, & omne pactum irritum fecerunt, veneruntque ad Dominum ſuum nomine *Alfwoldum* fratrem *Ægelwini Alderman*, ac dixerunt ei, quod Abbas eos fraude circumveniſſet, & quod eo impellente *Ulf* illam terram calumniatus eſſet, dixerunt etiam quod Abbas xv libras per conventionem pro eadem terra pepigiſſet, eſſet ibi plus vel minus. Pro hac igitur cauſa diſcutienda *Ægelwinus Alderman* & *Ælfwoldus* frater ejus, & Abbas *Elyenſis* Monaſterii, & cum eis omnes majores natu *Orientalis Angliæ* & de *Grantebrucge*, venerunt ad *Fracenham*, & inde profecti ſunt ad villam quæ dicitur *Henegetun*; ubi III *Hundreta* congregata erant, ibique produxit Abbas, qui inter eum & mulierem teſtes ei fidejuſſores erant, quorum nomina ſupra memoravimus: producti ergo teſtes cum III *Hundretis* perhibuerunt teſtimonium Abbati, videlicet, quod *Ulf* quodam tempore congregatis III *Hundretis*, aſſiſtente quoque uxore *Ælfwoldi*, coram cunctis defenſionem fecerat de eadem terra, dimidio anno priuſquam Abbas illam terram ab ea venum quæſiſſet. Perhibuerunt etiam ſe eſſe teſtes ac fidejuſſores inter Abbatem & mulierem, quod Abbas daret ei xv libras, ſi illa III Hydas integras in *Cypenham* ſibi liberaret, ſi autem hoc facere non poſſet, ſecundum pretium terræ, pretium pecuniæ daretur ei ab Abbate. Videns itaque *Ægelwinus Alderman*, quod Abbas per teſtimonium jure dirationatus eſſet, rogavit eum ut pro amore ſuo ſupradictam pecuniam, ſcilicet, VII libras & dimidiam aliquantulum augeret, cujus rogatu dedit ei Abbas xxx ſolidos, & miſit ei per *Wine* de *Ely Oſmundi* filium, quam pecuniam ipſe *Wine* detulit de *Grantebrucge*, ibique ex parte Abbatis dedit mulieri, cujus illa terra erat, coram viro ſuo palamque omnibus. O nefas ſecli, o ambitio mundi, quæ nunquam ceſſat Eccleſiaſticis rebus inhiare, inhiando dilacerare, & dilacerando minuere! Videte quam iniquum commercium, Abbas dedit mulieri huic IX libras, & non habet pro his niſi unam Hydam & XXIV acras arabiles de terra, quæ abſque calumnia ſit, & VI prædia cum dimidio nuda & vaſtata. Conſtitit igitur illa Hyda C ſolidis, & XXIV acræ viginti ſolidis, & VI prædia & dimidium conſtiterunt LX ſolidis, quæ nemo qui ſapit appretiaret pluſquam XX ſolidos.

CAP. XV.

De Wicheford.

DEinde comparavit Abbas CC acras apud *Wiceford* à *Sumerlede* pro IX libris, coram totius *Hundreti* teſtimonio, tempore *Ædgari* Regis. Defuncto autem eo, ſtatuque Regni fluctuante, idem *Sumerlede* rediit ad dolos, & pactum quod cum Abbate habuerat, irritum fecit, dixitque ſe coactum feciſſe quod fecerat, atque acceptam pecuniam ſæpe reddere voluit. Interea venit *Ægelwinus*, *Alderman* ad *Ely*, & infra cimiterium ad aquilonalem portam Monaſterii tenuit placitum cum toto *Hundreto*, ibique cauſam ſive litem, quæ erat inter Abbatem & *Sumerlede*, finivit ſic, quod Abbas dedit ibi *Sumerlede* xxx ſolidos, ſicque perſolvit ei XII libras pro CC acris.

Cap. XVI.

De Eodem.

IN eadem villa mutavit Abbas cum *Oſmundo* cognomento *Hocere* xvi acras, dans illi pro his totidem apud *Grantebrucge*; ea tamen conventione, quod poſt obitum *Oſmundi* Abbas habiturus eſſet terras utraſque

Cap. XVII.

De Eodem.

IN eadem quoque villa mutavit Abbas vii acras, quas ab *Alfnotho* emerat in *Wilbertune*.

Cap. XVIII.

De Wald.

NON longe inde *Athelſtanus* filius *Manne*, dum moreretur, dedit Sanctæ *Ætheldridæ* c acras in *Walde*.

Cap. XIX.

De Wicham.

APud *Wicham* ſunt l Acræ, quas *Ædwardus* & *Brihtferthus* habere ſolebant mutuum; his acris ſimul collectis Sancta *Ætheldryda* habet iii Hydas integras in *Wicceforde* & *Walde*, & *Wicceham*.

Cap. XX.

De Helle, & Hederham.

APud *Helle*, & apud *Hederham Leofwinus* præpoſitus comparavit à *Wlfago* de colle unum prædium, & lxx acras pro lx & x ſolidis coram totius *Hundreti* teſtimonio.

Cap. XXI.

De Eodem.

IN eadem villa emerunt fratres Eccleſiæ totam ſere terram *Alfſii*, & plurimam acram à villanis pauperioribus ejuſdem villæ.

Cap. XXII.

De Eodem.

IN eadem villa, ſcilicet, in *Hederham* emit Abbas ab *Adulfo* & uxore ſua *Burgfled* unum prædium Ædificatum, & lxxvi acras, ſicuti *Manne* Presbyter eas menſus eſt, deditque Abbas pro illa terra vii libras, apud *Teotford*: hujus itaque rei teſtes erant *Oſlacus* filius *Appen*, & *Folcardus*, & *Kenelmus* Presbyter, cognatus *Adulfi* Epiſcopi, & alii quamplurimi *Barones*, & omnes *Urbani* de *Teotford*, & meliores de *Ely*, ſcilicet *Ælſtan* & *Eama*, & *Godere*, & *Wine* de *Wicceford* & *Æluricus*. Has ſiquidem lxxvii acras,

acras, & xx alias, quæ antea emptæ fuerant in *Hederham*, Abbas & fratres Eccleſiæ dimiſerunt *Grim* filio *Wine*, ut in ſtipendium haberet, quamdiu ipſe eis bene ſerviret.

CAP. XXIII.

De Wilbertune.

IN *Wilbertune* emit Abbas ab *Alfwino* & uxore ſua *Sifled* duas Hydas duodecies xx acrarum arabilium, præter prata, pro xc aureis, & inſuper v prædia ædificata; & hoc aurum totum perſolutum erat ei apud Monaſterium de *Ely*, coram *Oſwi* fratre *Ulf* & coram *Wine*, & altero *Wine*, & coram omnibus melioribus & ſenioribus de *Ely*.

CAP. XXIV.

De Eodem.

EPiſcopus *Ædelwoldus* emit ibi ab *Oppele* LXX acras.

CAP. XXV.

De Eodem.

ABbas mutavit ibi cum *Alfrico* de *Suthertune* LXXX acras, dans ei terram de *Wicceham.*

CAP. XXVI.

De Eodem.

EMerunt quoque fratres ibi ab *Æddingo* LXX acras, & ab aliis, quorum nomina ſcripto non commendantur, quam plurimas acras ibi emerunt, ita quod v integræ Hydæ ibi habentur, & totum *Hundretum* uniuſcujuſque emptionis fuit in teſtimonium.

CAP. XXVII.

De Staneie.

DIU antequam *Ædelwoldus* Epiſcopus apud *Ely* Monachos coadunaſſet, venit *Wlſtanus* de *Dalham*, & cum eo *Barones* quamplurimi illuc, ibique collectis duobus *Hundretis* verſus aquilonem, ad oſtium monaſterii, placitum habuit; tunc venit ad eum quædam vidua nomine *Æſumen* de *Staneie*, & cum ea venerunt quamplures de cognatis, & vicinis ſuis. Quæ coram omnibus dedit *Wlſtano Staneie*, & piſcationem quam habebat ibi, ſurrexit itaque *Ogga* de *Mildenhale*, & facto ſilentio ait, *Chariſſimi, volo ut ſciatis, quod Ego do Sanctæ Ætheldrydæ poſt diem meum unam Hydam terræ, Grantebrucge.* Quo audito ſurrexit *Wlſtanus*, coramque omnibus dedit ſanctæ *Ætheldrydæ* terram & piſcationem de *Staneie*, quam præfata vidua ſibi dederat. Deinde vocavit *Oggan, dixitque ad eum, quandoquidem, Chariſſime, Glorioſam virginem* Ætheldrydam *venerari cœpiſti, ne differas facere quod facturus es; bonum quidem eſt quod voluiſti facere, ſed felicius eſt ut vita comite perficias.* Cujus conſilium *Ogga* haud parvipendens, fecit ut dixit, deditque Sanctæ *Ætheldrydæ* coram cunctis abſque omni calumnia prædictam Hydam. Fuit autem Eccleſia *Elyenſis* de illa terra veſtita, ſive ſaiſita per multos annos, abſque calumnia, videlicet, quamdiu vixerat *Ogga*.

Eo autem defunɗo, cognatus ejus *Uvi* nomine calumniatus eſt eandem terram. Venerunt itaque hinc & inde ad *Grantebrucge*, aderatque ibi *Wlſtanus* de *Dalham*. Tunc audita calumnia, quam *Uvi* fecerat, diſcuſſerunt cauſam hinc & inde, judicaveruntque *Uvi* daturum pro forisfactura quatuor marcas, quia calumniabatur illam terram, de qua, vivente *Ogga*, numquam calumniam fecerat.

CAP. XXVIII.

POſt mortem quoque *Ædgari* Regis idem *Uvi* nolens unquam à procacitate ſua deſiſtere, verum etiam dolis dolos, & calumniis calumnias addens, fecit ut ille, qui jam letale vulnus in corpore habebat, ſed adhibitis medicis de vulnere fecit cicatricem, poſt cujus vero ſanationem per propriam vecordiam cicatricem eandem redegit in vulnus, ut unde aliorum ope ſanus fieri poſſet, ſui ipſius inſolentia inde mortem anticiparet; venit igitur idem *Uvi* ad Abbatem poſt mortem *Ædgari* Regis, ut diximus, & procaciter eandem terram cœpit calumniari, & calumniando dolis & mendaciis ſuis inſidias prætendit. Quod ut Abbas vidit, uſus eſt conſilio duorum *Hundretorum*, & *Oſwii*, & *Osketeli* de *Becce*, quorum teſtimonio dirationatus eſt, quod *Ogga* eandem terram ab *Uvi* jure emerat, & abſque calumnia, dum vixit, habuerat.

CAP. XXIX.

EOdem tempore *Oſlacus* forte fuit accuſatus apud Regem *Ædgarum*, juſſitque Rex ut deſaiſitus de tota terra ſua fuiſſet, & ut privaretur omnibus quæ habebat. Requiſivit igitur *Ædelwoldum* Epiſcopum humiliter, ut eſſet ſuus defenſor, & ut pro eo intercedere dignaretur ad Regem, qui ſic fecit, dimiſitque Rex *Oſlaco* totum pro amore & precatu *Ædelwoldi* Epiſcopi, eo pacto ut ipſe *Oſlacus* daret Regi C aureos. Qui cum non haberet tantum aurum mutuatus eſt ab Epiſcopo XL aureos, & quia ſæpe ſuccurrebat ei, promiſit ſe ſibi daturum XL acras terræ apud *Grantebrucge*, & unum prædium, & tertiam partem ſilvæ, apud *Dullingeham* miſitque *Hawardum* cognatum ſuum ad *Ely*, qui palam omnibus ex parte *Oſlaci* terram Epiſcopo daret, & donum quod ei dederat manifeſtaret. Poſt mortem vero *Ædgari* Regis idem *Oſlacus* irritum fecit omne donum, quod Epiſcopo dederat. Tunc Abbas *Elyenſis* miſit *Wine* ad eum, & ad *Ordelmum*, & ad filios ejus, rogavitque eos venire contra eum ad *Pontem* de *Grantebrucge*, qui ſic fecerunt. Quæſivit itaque Abbas ab eo de dono quod dederat Epiſcopo, quid aut quomodo voluit? Reſpondens autem *Oſlacus*, non novi, inquit, me dediſſe ei quod dicis, ſed ſcio bene quod debeo illi XL aureos, & volo ac annuo ut noſtri amici, qui hìc ſunt, videant & appretient XL acras, quas de me habetis, & unum prædium & tertiam partem ſilvæ apud *Dullingeham*, & ſecundum quod appretiaverint, hæc pro tanto accipite, reddamque quod reſtabit. Nec mora, fuerunt ſiquidem hæc appretiata pro XXVI aureis, & *Oſlacus* redditurus erat XIV aureos reliquos. Fuit itaque laudatum ac conceſſum ſic ex utraque parte, & *Ordelmus* erat utrinque teſtis ac fidejuſſor hujus emptionis.

CAP. XXX.

De Grantebrige.

EMerunt quoque fratres Eccleſiæ à *Brithlaue* unum prædium optime ædificatum apud *Grantebrucge*, & XXX acras arabiles, & pratum unum,

dantes

dantes ei pro his apud *Wicham* unum prædium bonum, domibus conſtructum, & partem de LXX acris: quod prædium & quas acras emerant prius ab *Urchelmo*.

CAP. XXXI.

De Eodem.

EMerunt etiam ibi, videlicet, apud *Grantebrucge* VII acras à filio *Ægelmari* Epiſcopi, & VII acras à *Sifled*, & unaquæque acra conſtitit XVI nummis. Et ab *Hungeve* quadam vidua emerunt ibi V acras; quæ etiam dedit Sanctæ *Ætheldrydæ* X acras, & unius gurgitis piſcationem, ut ſtipendium, quamdiu viveret, de Monaſterio habere poſſet.

CAP. XXXII.

De Dudingtune, *&* Wimiligtune.

ABbas quoque fecit quandam mutationem cum *Wine* filio *Oſmundi*, deditque ei LX acras in *Dudingtune* & in *Winblingtune*, & unum gurgitem reddentem mille anguillas, quem emit à *Gunulpho* pro C ſolidis, & *Wine* liberavit Abbati in *Grantebrucge* LIII acras, & unum gurgitem valentem mille anguillas, quem *Eanflead* moriens partim dimiſit *Wine*, & partim emit ipſe à cognatis ſuis. Hæc eadem *Eanfled*, dum moreretur, [dedit] Sanctæ *Ætheldrydæ* V acras; *Wine* etiam dedit Sanctæ *Ætheldrydæ* VIII acras apud *Hylle*; ibique emerunt fratres Eccleſiæ V acras à filio *Ælſtani*.

CAP. XXXIII.

De Duningtune *&* Weremere.

TVrkitelus Abbas *Rameſiæ* vendidit *Ædelwoldo* Epiſcopo unam Hydam apud *Dudingtune*, & medietatem de *Weremere*, & omnes paludes quæ ad *Weremere* pertinent, eo pacto, ut per amicitiam liceret ſibi frui & poſſidere terram de Bebroi, quam *Oſchetelus* Epiſcopus moriens dimiſit *Ædelwoldo* Epiſcopo. Illam itaque Hydam de *Dudingtune* Abbas, totuſque conventus *Elyenſis* præſtiterunt *Wine*, ut inde ſuum veſtitum haberet.

CAP. XXXIV.

Abbas Elyenſis *emit à Monachis* Rameſiæ X *acras in* Wimblingetune *& duas piſcationes pro* XX *ſolidis.*

SUpra memoravimus qualiter quædam vidua nomine *Æſcuven* dederat *Wlſtano* de *Dalham Staneie*, & paludem pertinentem, & quomodo *Wlſtanus* eandem terram & paludem poſtea dedit Sanctæ *Ætheldridæ*, nunc vero dicendum eſt, de eadem palude quid actum ſit. Cultores ſiquidem qui in *Elienſi* Monaſterio tunc temporis erant, prædictam paludem de *Staneie* quibuſdam cognatis præfatæ viduæ pro duobus millibus Anguillarum locaverunt. Qui, XV fere annis antequam Epiſcopus *Ædelwoldus Ely* poſſediſſet, cum eadem conventione illam paludem tenuerunt; poſtea quoque ſub eo ſimiliter fecerunt, quoad uſque Rex *Ædgarus* mortuus erat. Poſt mortem vero ejus, *Begmundus* de *Holande*, & cognati præfati viduæ, qui prædictam paludem ſive piſcationem tenuerant ad locationem, terram

de *Staneie* Sanctæ *Ætheldrydæ* injuſte diripuerunt, ſine judicio & ſine lege civium & *Hundretanorum.* Deinde venit *Ægelwinus Alderman* ad *Ely*, fueruntque *Begmundus* & alii pro hac cauſa vocati, & ſummoniti ad placitum civium & *Hundretanorum*, ſemel & ſecundo; ſed & multoties; nunquam vero venire volebant. Abbas tamen non ideo deſiſtebat, ſed infra urbem & extra ad placita renovabat, & ſæpe reiterabat hanc eandem cauſam, & quærimoniam populo inde faciebat. Tandem veniens *Ægelwinus Alderman* ad *Grantebrucge* habuit ibi grande placitum civium & *Hundretanorum* coram XXIV judicibus, ſubtus *Therningefeld* prope *Maideneburge*, narravit igitur palam Abbas omnibus, quomodo *Begmundus* & cognati præfatæ viduæ, injuſte diripuerant Sanctæ *Ætheldrydæ Staneie*, & quam ſæpe fuerant ſummoniti, pro illa cauſa ad placitum, nec unquam venire voluerant. Tunc judicantes ſtatuerunt ut Abbas ſuam terram, ſcilicet, *Staneie*, cum palude & piſcatione, habere deberet; ſtatuerunt etiam ut *Begmundus* & cognati præfatæ viduæ ſuum piſcem de VI annis Abbati ſolverent, & perſolverent, & Regi forisfacturam darent; ſtatuerunt quoque ut ſi ſponte ſua hoc reddere nollent, captione ſuæ pecuniæ conſtricti juſtificarentur; præcepit itaque *Ægelwinus Alderman*, ut *Oſchetelus*, & *Oſwii* de *Becce*, & *Godere* de *Ely* eandem terram circuiſſent, & Abbatem ſuper eam duxiſſent, & hoc totum perfeciſſent; qui ſic fecerunt, totumque ſic peractum eſt. Collectis igitur omnibus terris, quas beatus *Ædelwoldus* Epiſcopus infra aquas & paludes & Mariſcum de *Ely* adquiſivit, Deoque ac Sanctæ *Ædeldrydæ* dedit, habentur ibi ſine dubio Hydæ unde-LX.

Qui diſpenſator, qui fidus erat Operator,
Qui Cultor Chriſti, pater Ædelwolde, fuiſti
Non decus Argenti, ſpeciem non excolis auri.
Non fodis in terris, ſed noſti condere cœlis,
Divitias & opes, ubi nil tentant male fures
Quo Regnas tutus, Theſauros ipſe ſecutus,
Quos præmittebas, quos tam bene diſtribuebas,
Interes æternis opibus, gaziſque ſupernis,
Pace fruens, Chriſti, quem prudens excoluiſti,
Quo nobis certus patronus adeſto miſertus.

CAP. XXXV.

De Bunteſham.

QUodam tempore cum glorioſus Pontifex *Ædelwoldus* & *Wlnothus* conveniſſent ad *Tantune*, ibi primum prælocuti ſunt, quod Epiſcopus emere deberet ab eo *Blunteſham.* Facta igitur conventione, & determinato emptionis pretio, ſcilicet XXX libris, miſit *Wlnothus* filium ſuum majorem natu ad *Ely* pro illa pecunia, ibique recepit à *Brihtnotho* Abbate C ſolidos; XXV vero libræ, quæ reſtabant, datæ ſunt ei poſtea coram Rege *Ædgaro*, & coram ſapientibus ſuis. Quod cum factum fuerat, *Wlnothus* coram eiſdem liberavit Epiſcopo *Blunteſham* cum chirographo. Quo facto *Brihtnothus* Abbas dedit inſuper *Wlnotho* VII libras pro omnibus quæ habebantur in *Blunteſham*, videlicet, pro hominibus, & pro pecunia, & pro frumento. Poſtea vero mortuo Rege *Ædgaro*, filii cujuſdam viri nomine *Boge* de *Hemminggeford* calumniati ſunt eandem terram, ſcilicet, *Blunteſham*, dicentes, quod avunculus eorum, *Tope* vocabulo dictus, illam terram jure hæreditario poſſidere deberet; hac ratione, videlicet, quod avia ejuſdem *Tope* exiſtens in flore virginitatis ſuæ de *Blunteſham* tranſierat, & requiſierat *Ædwardum* Regem in territorio, quod dicitur *Grantebrucge*, tempore

tempore quo *Toli* comes provinciam de *Huntedune* contra Regem vi obtinuerat, ac ea de cauſa debuit illa ſuam terram jure habere. Quod totum ſapientes illius provinciæ & ſenes, qui bene recordabantur tempeſtatis, qua *Toli* comes occiſus fuerat apud *Tamenſem* fluvium, dixere frivolum. Dixerunt etiam, quod Rex *Ædwardus* antea *Huntedunenſem* provinciam adquiſierat, ſuæque ditioni ſubjugaverat, quam comitatum *Grantebrucge* habuiſſet; perhibuerunt quoque quod in toto vicecomitatu de *Huntedune* non erat terra tam libera, quæ per forisfacturam non poſſet iri perditum, præter duas Hydas juxta *Spaldwic*. Statuerint itaque ut *Wlnothus Ædelwoldo* Epiſcopo terram quietam de *Bluntesham* faceret, aut pecuniam acceptam ſibi redderet; poſt hæc convocatus totus comitatus *Huntedunia* à *Beorhtnotho Alderman*, & ab *Alfwoldo*, & ab *Ædrico*. Nec mora, fit maxima concio, ſummonetur *Wlnothus*, adduxit ſecum illuc perplures viros fideles, ſcilicet, omnes meliores de VI *Hundretis*, & *Leſſius* modo de *Ely* detulit illuc cyrographum de *Blunteſham*. Quibus congregatis calumniam explicuerunt, & cauſam ventilaverunt, ac diſcuſſerunt, cognitaque rei veritate, per judicium abſtulerunt *Blunteſham* à filiis *Bogan* pro duabus cauſis, quarum prima hæc eſt, quia mentiti fuerant, quicquid dixerant de *Topa* & de avia ſua; altera vero hæc eſt, quia proprior erat ille ut terram haberet qui cyrographum habebat, quam qui non habebat. Tunc *Wlnothus* adduxit fideles viros pluſquam mille, ut per juramentum illorum ſibi vendicaret eandem terram, ſed filii *Bogan* noluerunt ſuſcipere juſiurandum, ſtatuerunt itaque omnes, ut *Wlnothus Blunteſham* haberet, & in fide promiſerunt ſe ei ſuper hac re auxiliaturos, & teſtificaturos idem, quod ibi fecerant, ſi unquam alio tempore ille, vel aliquis Hæredum ſuorum, opus haberet. Ut autem hoc totum factum eſt, *Ædelwoldus* Epiſcopus dedit *Wlnotho* XL ſolidos, & unum dextrarium III marcas valentem, quia multum ſuper hac cauſa laboraverit, & quia mare tranſiturus erat in ſervitio Domini ſui.

Cap. XXXVI.

De Toftes.

Eodem anno quo *Ædelwoldus* Epiſcopus emerat ab *Wlnotho Blunteſham*, propoſuit idem *Wlnothus* Epiſcopo ſuas x Hydas apud *Toftes* venundandas, unde dato & accepto die, venit infra VIII diem *Brihtnothus* Abbas ad *Grantebrucge*, & coram tota civitate dedit *Wlnotho* XL libras pro ſuis x Hydis apud *Toftes*, ipſe autem *Wlnothus* ſegregavit inde omnem ſuam pecuniam vivam & mortuam. Quo facto quæſivit Abbas ab eo vades de emptione hujus terræ, cui omnes reſpondentes dixerunt, quod *Grantebrucge* & *Norwice*, & *Theoforth*, & *Gyppeſwice*, tantæ libertatis ac dignitatis eſſent, ut ſiquis ibi terram compararet vadibus non indigeret.

Cap. XXXVII.

De Eodem.

Godingus modo cum moreretur dimiſit Sanctæ *Ædeldrydæ* in eadem villa, ſcilicet in *Toftes*, unam Hydam terræ, quam filius ejus *Alfnothus* poſtea mutare voluit, ſed Abbas dedit ei XX ſolidos apud *Grantebrucge* coram cœtu civium, & ipſe *Alfnothus* tradidit Abbati unam plenam Hydam in terra, in campo, in ſilva, præter ſuum prædium, quod exceperat.

Cap.

Cap. XXXVIII.

EAdricus longus de *Æſtſexe*, cum moreretur, dimiſit Regi *Ædgaro Hanecheſtune*, & omnem pecuniam quæ ibi habebatur, vitaque adhuc comite miſit Regi cyrographum teſtamenti ſui. Defuncto autem eo multi eandem terram à Rege petierunt, è quibus unus erat venerabilis Pontifex *Ædelwoldus*. Qui ut in omnibus negotiis prudens erat & induſtrius, prævenit alios, atque ad opus Dei, Sanctæque *Ædeldrydæ*, emit à Rege IV Hydas & dimidiam apud *Havekeſtune*, & III Hydas apud *Newetun*, datis Regi ducentis aureis. Deinde vero infra unum menſem priuſquam Epiſcopus & Abbas cyrographa de *Havekeſtune* & de *Newetune* habuiſſent, & antequam relevationes datæ fuiſſent de illis terris, exuit hominem *Ædgarus* Rex. Tunc diſpoſuit *Alwoldus* frater *Ædrici* & nonnulli ex cognatis ſuis diſcerpere, ac ſeorſum facere ab *Havekeſtun* III Hydas de *Newetun*, quæ terra proculdubio pertinet ad *Havekeſtun*, acra ſub acra poſita. Qua de cauſa lis & altercatio permaxima orta eſt, & multos annos habita, inter eos. Verumtamen *Ægelwinus Alderman* dixit, & ad multorum teſtimonium direxit, quod utræque terræ, ſcilicet, *Havekeſtune* & *Newtun*, datæ erant Regi pro uno manerio; ac per hoc Epiſcopus tenuit utraſque terras, quaſi in una copula. Tulerunt tamen graviter Epiſcopus & Abbas quod *Ælwoldus* & alii cognati *Ædrici* cyrographa de *Havekeſtun* & de *Newetun* habebant, per hoc enim metuebant ſibi quandoque calumnias ac dolos oriri. Rogavit igitur Abbas *Ægelwinum Alderman*, ut ſupradictarum cyrographa terrarum, ſibi ab *Alwoldo* fratre *Ædrici* adquireret, & terras, ſcilicet, *Havekeſtun* & de *Newetun*, quietas & abſque calumnia ſibi faceret; & ut hoc libentius feciſſet, promiſit ſe daturum illi III Hydas apud *Wambeford*. Quo audito *Ægelwinus Alderman* recepit *Wambeford*, pollicens ſemper & promittens ſe facturum, quod Abbas petierat, ſed pollicitatio caruit effectu; res etenim eadem multis annis in lite verſabatur. Interea venit ad *Ely Brihtnothus Alderman*, tunc Abbas, & omnis cœtus fratrum acceſſerunt, & petierunt ab eo ut pro amore Dei, Sanctæque *Ædeldrydæ*, prædicta cyrographa ad opus Eccleſiæ ſuæ ab *Alwoldo* fratre *Ædrici* emeret. Et dixerunt ſe daturos eidem *Alwoldo* pro illis cyrographis cyrographum unum de *Rameſia*, & de *Sprowintune* quod eſt in *Eaſtſexe*, quo cyrographo multum indiguit, & inſuper promiſerunt ei XXX aureos. Tunc *Brihtnothus Alderman* fecit ſicut rogatus fuerat, accepit ſiquidem cyrographum de *Rameſia*, & de *Sprowintune*, quod fratres de *Ely* habebant, deditque illud *Alwoldo*, & de ſuo proprio auro dedit ei inſuper XXX aureos, & è converſo recepit ab eo cyrographa de *Havekeſtune* & de *Newetune*, miſitque illa Sanctæ *Ædeldrydæ* ad *Ely*.

Cap. XXXIX.

De Wambford.

ALio tempore cum eſſent *Anulfesbyri* ad dedicationem Eccleſiæ *Leonrici*, rogavit Abbas *Ægelwinum Alderman*, ut terram de *Wambeford* aut ſibi redderet, aut aliquo modo ſolveret, quia pactum, quod ſibi pro illa habuerat, nullatenus ad effectum perduxerat. Cognovit itaque *Ægelwinus*, quia Abbas verum dixerat, promiſit ſe daturum ei pro illa terra XXX aureos, in teſtimonio *Alfſtani* & *Ædnothi* & *Alfwini*. His itaque pactis longo poſt tempore cœpit *Ægelnothus* frater *Leofrici* calumniam facere ſuper *Wambeford*, & ſuper *Abbintune*, dixitque ea eſſe de patrimonio ſuo,

ſuo, reſpondens vero *Ægelwinus Alderman* dixit ſe emiſſe illas terras, nec ſibi aliquid eſſe oſtenſum aut oppoſitum, videlicet, nec calumniam, nec contradictionem, ſive defenſionem à Domino aut à parentibus.

CAP. XL.

De Fordham.

BRihtnothus Abbas & *Wine* emerunt à *Grim* filio *Oſulfi* duas Hydas, & XXXVII acras, apud *Fordham*, datis XI libris pro his coram teſtimonio villæ & *Hundreti.* Quæ terra cum eſſet cuidam viro nomine *Ulf* prope manus, & ille idem duas Hydas habuiſſet apud *Middeltune*, quarum multum indigebat Abbas propter introitum & exitum, mutaverunt terras. Abbas itaque liberavit ei duas Hydas de duodecies XX & XXXVII acris apud *Fordham*, & ille è converſo liberavit Abbati duas Hydas de duodecies XX acris apud *Middeltune.*

CAP. XLI.

De Eodem.

IN eadem villa habuit etiam *Thurketelus* Abbas IV Hydas & dimidiam. Qui eo tempore, quo expulſus erat de *Bedeford*, petiit ab Epiſcopo *Lundonienſi* nomine *Ælfſtano*, & à clero, ut cum eis poſſet habere communionem, & partem in Monaſterio, ubi prius in Presbyteratu emerat ſibi locum. Sed Epiſcopus cum toto clero recuſavit eum. Tandem tamen uſus conſilio & patrocinio amicorum hæretavit Sanctum *Paulum* de quatuor Hydis & dimidia, quas habuit apud *Middeltune*, ut in illorum contubernio eſſe poſſet. Quod cum factum fuerat, ipſe quamdiu vixerat, tenuit eandem terram de fratribus, hoc eſt de clero, dans eis quot annis inde XX ſolidis: poſt mortem vero ipſius utebantur ipſi clerici illa terra, ſed cum injurioſa difficultate. Qui cum multas injurias paterentur ibi, concupivit tandem *Brihtnothus* Abbas eandem terram ab eis vel ad cenſum vel ad mutationem, ſi forte habuiſſet tantundem terræ, quæ prope eſſet eis infra comitatum. Interea contigit quod avia *Ædgari* Regis nomine *Ædgyna*, cum moreretur, dimiſit cuidam nobili matronæ, quæ dicebatur *Ælftred*, V Hydas in *Eaſtſexe* apud *Holand*, quas ipſa emerat à *Sprowe* pro XX libris. Tunc prædicta matrona, ſcilicet, *Ælftred*, dedit illam terram Sanctæ *Ædeldrydæ*; *Ædelwoldus* vero Epiſcopus, & *Brihtnothus* Abbas, totuſque cœtus Monachorum de *Ely*, tradiderunt eandem terram Sancto *Paulo*, & clero *Lundonienſi*, pro quatuor Hydis & dimidia de *Middeltune*. Dederunt etiam pecuniam pro pecunia: ſuperabundabant tamen apud *Holande* C oves, & LV porci, & duo homines, & V boves ſubjugales.

CAP. XLII.

De Horningeſeie.

PRiuſquam *Paganorum* rabies, qui in *Orientali Anglia* debacchati erant, circa provinciam *Grantebrycge* efferbuiſſet, terramque vaſtationi & deſolationi tradidiſſet, apud *Horninggeſeie* Monaſterium Regiæ dignitatis extitit, eratque ibi non parva congregatio clericorum. Eodem vero tempore, quo exercitus illo in loco debacchatus eſt, *Cenwoldus* Presbyter ſa-

cerdotii officio fungebatur ibi. Tunc illi qui ex paganiſmo ad Baptiſmi gratiam confluxerant, dederunt prædicto Monaſterio v Hydas in *Hornig-geſeie*, & duas in *Eie*. Mortuo autem *Cenwoldo* ſucceſſit in locum ſuum *Herolfus* Presbyter, qui quoniam ſequutus erat *Æthelſtanum* Regem, ſub tutela & protectione illius locum obtinuit. Illis tamen in diebus *Wlfricus* præpoſitus, qui cognatus erat *Cenwoldi*, duas Hydas ſupradictas de *Eie* vi & injuſte abſtulit Monaſterio. Deinde in diebus *Ædgari* Regis *Æthelſtanus* Presbyter, cognatus *Herulfi*, loco in vice ejus in eodem Monaſterio functus, ſacerdotium otinuit. Qua tempeſtate contigit, ut quidam furarentur magna & innumera bona cujuſdam *Thord* nomine, *Oſlaci* comitis filii; qui frangentes cophinos ejus, extraxerunt ſicam unam optime inſignitam auro, & argento, ſed & plurima indumenta pretioſarum extraxerunt veſtium, quæ ſecum aſportantes detulerunt omnia ad *Athelſtanum* Presbyterum, eique commiſerunt. Qui ea accipiens incluſit in chophinis *Herulfi*. Quibus ita peractis furtum caſu patuit. Nec mora, adeſt *Thord* cum *Centurionibus* & *Triumviris* ac præconibus, & reſeratis cophinis *Herulfi*, reperit furtum ſub cuſtodia *Æthelſtani*. Qui extemplo capitur, vinclis artatur, & ante conſpectum Pontificis *Oskiteli* ſiſtitur. Interea venit *Herulfus*, & caſu *Æthelſtani* cognito, accepit omnes Gazas Eccleſiæ, quas boni viri Deo devoti priſcis in temporibus pro animabus ſuis Monaſterio impenderant, & veniens ad *Wlſtanum* dedit partem earum illi, eo pacto ut eum miſeraretur, & ut Monaſterio ſuo diebus vitæ ſuæ potiretur. Quædam quoque ornamenta dedit Epiſcopo, ne *Æthelſtanus* Presbyter vita privaretur, nec degradaretur. Poſt modicum tempus *Herulfus* Presbyter tollitur e medio, & *Æthelſtanus* ſucceſſit pro eo: his itaque peractis beatus *Athelwoldus* acceſſit quantotius ad Regem *Ædgarum*, & emit ab eo *Horniggeſeie* pro L aureis. Tunc juſſit *Wlſtanus* ut beatus *Æthelwoldus* metiri feciſſet terram, quam Presbyter *Æthelſtanus* habuit, videlicet III Hydas de duodecies xx acris. Quo audito *Æthelſtanus* cœpit uſurpare ſibi *Eie*, & atteſtari quod illud eſſet jure ſuum proprium. Ut vidit tamen quod contra Epiſcopum ſuis juribus non ſufficeret, petiit *Wlſtanum*, fecitque ſibi *homagium*, ac promiſit illi *Eie* ad vendendum pro tanto pretio, quantum ſibi placeret, quatenus contra Epiſcopum *Æthelwoldum* manu-teneret eum, quia Epiſcopus appellabat eum de Gazis Eccleſiæ, quas ille & *Herulfus* cum ſacrilegio extulerant. Taliter nactus eſt *Wlſtanus* *Eie* per mandata Presbyteri, & per aliquantulum pecuniæ, ſicque habuit quamdiu vixerat contra Deum, & contra beatum *Æthelwoldum*. Poſt mortem vero illius, cœpit Epiſcopus facere calumniam ſuper *Eie*, & ſuper *Æthelſtanum*, qui Gazas Eccleſiæ abſtulerat. Videns igitur Presbyter, quod nil proficeret, ſi cum Epiſcopo contenderet, quæſivit ſibi patronos, ſcilicet, *Oſulfum*, & *Godingum*, & *Ælferdum*, & alios quam plures viriones, qui eum apud Epiſcopum deprecarentur. Tunc Epiſcopus rogatu illorum dimiſit ei duntaxat calumniam de Gazis, eo pacto, quod redderet Deo & Sanctæ *Ædeldrydæ* *Eie*. Ivit igitur Presbyter cum eo ad *Hely*, ac juravit ſuper altare Sanctum, & ſuper corpus Sanctæ *Ætheldrydæ*, quod nec ille nec aliquis ſucceſſorum ſuorum unquam tempore vitæ ſuæ, nec poſtea, *Eie* repeteret, nec calumniam inde faceret.

Ante hac, quatuor annis, *Wlfricus* præpoſitus exuit hominem, & dimiſit nepoti ſuo *Leofſtano* Presbytero duas Hydas, quas, ut ante docuimus, Deo & Monaſterio de *Horinggeſeie* vi & injuſte arripuerat. Interea quidam inſtitores de *Hybernia*, cum variis mercibus & ſagis, apud civitatulam, quæ *Grantebrycge* nuncupatur, appulerunt, & expoſitis mercibus, contigit quod præfatus Presbyter *Leofſtanus* furtim ſubduxiſſet ſaga eorum. Quod cum patefieret, petiit patrocinium civium, qui ei deprecati ſunt vitam & ſolum, [vel patriam.] Quod cum factum fuerat, præfatus Presbyter duas Hydas, quas *Wlfricus* præpoſitus ei dimiſerat, dedit *Wlfſtano* cum

cyrographo,

cyrographo, *Wlſtanus* vero dedit eas cum cyrographo *Æthelſtano Chuſin* (id eſt) cognato ſuo, quas, poſt obitum *Wlſtani*, *Æthelwoldus* Epiſcopus emit ab eo pro VIII libris.

CAP. XLIII.

De Horningeſeie.

DEinde poſt mortem *Ædgari* Regis prædictus *Leofſtanus* & filius *Wlfrici* proſiluerunt, & vi obtinuerunt duas præſcriptas Hydas *Horinggeſeie*. Et *Æthelſtanus* Presbyter aſſultum fecit, & obtinuit *Eie*, mentitus Deo & Sanctæ *Ætheldrydæ* juſiurandum, quod juraverat. Partituſque eſt Presbyter terram de *Eie* cum duobus fratribus ſuis, hoc modo; dimidiavit primum, & poſt dimidiam partem acceptam, accepit & tertiam. Eo enim majorem partem cœpit, quo ei magis quam aliis terra conſtitit. Nam dedit *Æthelſtano* filio *Manne* duas marcas argenti, & *Omundo* cum fratribus ſuis tantundem. Dedit etiam multa aliis proceribus, ut eum contra jus & fas manu tenuiſſent. Cum igitur Presbyter *Æthelſtanus* multis injuriis Epiſcopum & Abbatem affectos reddidiſſet, poſt multa annorum curricula, conſilium inierunt cum amicis, tandemque fecerunt, ut ille Presbyter & fratres ſui *Bondo*, & *Ælfſtanus*, ſimul eſſent in unum, diemque conſtituerunt apud *Horniggeſeie*. Venerunt itaque ad diem Abbas & *Alfnothus* filius *One*, *Uvi* & frater ejus *Oſwi*, *Wlnothus* de *Stowe*, *Grim* filius *Oſulfi*, *Saxferd* & filius ejus *Oskitelus*, *Oſwi* de *Bece*, *Ælfſtanus Clac* de *Fugelburne*, *Omundus* & filius ejus *Simundus*, *Uvi*, *Wacher* de *Swafham* & *Ælfnothus Godingy* filius, coram his ergo teſtibus dedit Abbas *Æthelſtano* pro ſua parte de *Eie*, unum prædium & unam Hydam, de duodecies xx acris, apud *Sneillewelle*, quam emerat à *Wedwino Aldſtani* filio pro VI libris. Deditque etiam ei aliud prædium & LXXV acras, quas emerat ab *Hugone*, & ab *Alfrico*. Deditque etiam Abbas fratribus *Æthelſtani*, *Bondoni*, & *Ælfſtano*, in eodem loco, quatuor libras & XVIII denarios; ſicque pacificati ſunt Abbas, & *Æthelſtanus*, & *Bondo*, & *Alſtanus*, de omnibus, ſcilicet, de terra, & de mariſco, & de pecunia, cum omni amicitia, & coram Teſtimonio populi.

CAP. XLIV.

DEinde ibant quidam fratres *Leofſius*, *Ælfſtanus* & *Wlgarus* & *Oſlacus*, gener eorum, ad *Brihtnothum Alderman*, dederunt ei unam Hydam, quam acquiſierant, eo pacto ut ipſe ma... ferret eis, ad conquirendam quandam terram in *Orientali Anglia*; quod cum feciſſet, *Wlgarus* & *Oſlacus* fecerunt ei de ſua parte de Hyda, ſicuti pepigerant: alii vero omne pactum cum eo irritum fecerunt, ab his autem qui pactum fregerant, comparavit Abbas & *Ædricus* ſuam partem de Hyda, pro quatuor libris, coram teſtimonio populi.

Poſt hæc comparavit prædictus *Leofſius* Presbyter *Aleſſtano* Presbytero unam Hydam, & unum campum pro C ſolidis. Qui, tametſi antea pactum, quod cum *Brihtnotho Alderman* habuerat, irritum feciſſet, iterum tamen propoſuit ei unam Hydam datum, aliam vero venundatum; verum ut antea, ita & nunc, omnia mentiri comprobatur. Videns igitur *Brihtnothus Alderman*, quod Presbyter, mendaciis & perfidia quia plenus erat, eum ſeduxerat, juſſit illum ſummoneri, & veniens ad *Dittune*, cœpit ibi differere & enarrare cauſas & calumnias, conventiones, & pacta infracta, quæ habuit ſuper eum, per teſtimonium multorum legalium virorum. Cui

omnia illata deneganti, & contradicenti, ſtatuerunt ut cum jurejurando ſe purgaret; quod cum facere nequibat, nec qui ſecum jurare debuerant, habere poterat, decretum eſt, ut eo expulſo, *Brihtnothus Alderman* utriſque Hydis uteretur, videlicet, quam pollicitus erat ei dare, & quam propoſuit venundare, hoc idem iterum alia vice ſtatutum erat apud *Grantebricge.* Quod cum factum fuerat, *Brihtnothus Alderman* eaſdem terras contulit Sanctæ *Ætheldrydæ.*

CAP. XLV.

De Suaſham & Berlea.

EAdgarus Rex emit ab *Ægelwino*, *Æthelwardi* filio, & *Suthſexe*, *Suaſham*, & *Berlea* pro LXXX aureis. Deinde comparavit utraſque terras *Æthelwoldus* Epiſcopus à Rege, datis illi totidem aureis; poſt obitum vero *Ædgari* Regis, quidam maligni per parentelæ violentiam impetum fecerunt ſuper *Berelea*, & vi obtinuerunt illud. Tamen illa terra facta erat per furtum tranſgreſſioni obnoxia, tempore *Ædgari* Regis, *Wlſtano* præpoſituram agente. Contigit igitur quodam tempore, quod magna concio erat ſtatuta apud *Witlesford*, & convenerunt illuc *Ægelwinus Alderman*, & fratres ſui *Alfwoldus*, & *Ægelſius*, & Epiſcopus *Eſwi*, & *Wlfled* relicta *Wlſtani*, & omnes meliores concionatores de comitatu *Grantebrycge.* Aſſidentibus itaque cunctis, ſurrexit *Wenſius Wlfrini* cognatus, & fecit calumniam ſuper terram de *Suaſham*, dixitque ſe & cognatos ſuos injuſte carere illa terra, quandoquidem pro ea nil habuiſſent, videlicet, nec terram, nec terræ pretium. Audita igitur hac calumnia, interrogavit *Ægelwinus Alderman*, ſi aliquis eſſet ibi in populo qui ſciret quomodo *Wlſtanus* illam terram adeptus eſſet? Reſpondens adhæc *Alfricus* de *Wicham*, dixit quod *Wlſtanus* emerat eandem terram, ſcilicet, duas Hydas in *Suaſham* à prædicto *Wenſio* pro VIII libris. Et ut credibile quod dixerat haberetur, VIII *hundreta* quæ ſunt in auſtrali parte *Grantebrycge* traxit in teſtimonium. Dixit etiam quod *Wlſtanus* dederat *Wenſio* illas VIII libras, per duas vices, extremam tamen partem pecuniæ, & extremum denarium miſit ei per *Leofwinum Ædulfi* filium. Qui dedit illi pecuniam in una cyrotheca involutam coram VIII *Hundretis*, in quibus prædicta terra ſorte jacuerat. His ergo auditis, ſtatuerunt, ut Epiſcopus & Abbas duas Hydas in *Suaſham*, ſine omni calumnia haberent, & pro libitu potirentur. Si autem *Wenſius* aut cognati ſui pecuniam, aut aliud pretium, pro illa terra amplius exigere voluiſſent, ab hæredibus *Wlſtani*, & non ab alio illud exegiſſent. Terra enim illa fuit mo[illegible] in quarta manu, & quamvis eſſet in tertia vel in ſecunda manu, ſimilit[illegible] facere debuiſſent. Poſt hæc *Æthelwoldus* Epiſcopus & *Brihtnothus* Abbas, has duas Hydas, & LXX acras, quas Epiſcopus emerat, præſtiterunt *Ædrico*, eo pacto ut ille cum moreretur, redderet Sanctæ *Ætheldrydæ* hanc eandem terram, cum omni pecunia & omni facultate, omnibuſque bonis, quæ ipſe in vita ſua acquiſierat. Et hujus rei teſtes erant *Ægelwinus Alderman*, & totus cœtus, qui tunc apud *Grantebricge* convenerat.

CAP. XLVI.

ÆLfgarus de *Muletune*, cum moreretur, dimiſit *Wlſtano* de *Dalham* V Hydas apud *Brandune*, & *Liveremere*, *Wlſtanus* vero dedit eandem terram cognato ſuo *Wihtgaro*, multis annis ante finem vitæ ſuæ; poſt obitum vero ejus, quodam tempore, cum conveniſſent concionatores Angliæ

gliæ ad *Lundoniam*, idem *Wihtgarus Æthelwoldo* Epiſcopo eandem terram obtulit venum; quod cum audiſſent Epiſcopus & Abbas, dederunt ei pro terra xv libras, coram teſtimonio *Leofrici*, *Æthelferthi* filio & *Uvi* de *Winelingeham*. Centum vero ſolidos miſerunt ei poſtea per *Leofwinum* præpoſitum, & *Wine* de *Wiceford*, qui dederunt ei eandem pecuniam, apud *Brandune*, coram teſtimonio totius *Hundreti*, in quo illa terra jacet. Emerunt etiam ab eo omnem pecuniam, quæ erat in illa terra ſecundum quod appretiata fuerat. Ea vero tempeſtate, quod Rex *Ædgarus* de hac vita deceſſit, quidam *Ingulfus* nomine vi & injuſte Deo Sanctæque *Æthel-drydæ Brandune* abſtulit. Sed ut manifeſtaretur virtus Dei, & meritum beatæ *Ætheldrydæ* virginis, ex illo die, quo ſic res Eccleſiæ invaſit, nihil edulii aut liquoris guſtavit, rumpebatur enim ſine omni dilatione cor ejus, ſicque factum eſt, quod qui vivus quæ Dei erant injuſte arripuerat, oppetens mortem retinere non potuit. Sed ſe & illa ſimul amiſit; uxor quoque & filii ejus eo mortuo invaſerunt eandem terram ſimiliter, ſed quemadmodum honorem Deo non dederunt, nec animæ ſuæ pepercerunt, ſic ultio divina exarſit ſuper eos, & infra unum annum omnes miſerabiliter interierunt. Tunc *Siverdus Ingulfi* frater dedit Epiſcopo ſuam terram, contra voluntatem *Ægelwini Alderman*, aliorumque quamplurium.

CAP. XLVII.

De Brandune & Liuremere.

Æ*Lfgarus* emit omnem octavam acram in *Brandune*, & III Hydas apud *Liuremere*, à quodam comite, qui dicebatur *Scule*, pro duobus dextrariis, & duobus dorſaliis de pallio & L aureis.

CAP. XLVIII.

Æ*Thelwoldus* Epiſcopus addidit ſupradictis xx libris x aureos, & dedit *Wihtgaro*, pro amicitia quæ inter eos erat.

CAP. XLIX.

De Sudburne.

Æ*Dgarus* Rex & *Alftreth* dederunt Sancto *Æthelwoldo* manerium, quod dicitur *Sudburne*, & cyrographum quod pertinebat; quod comes, qui dicebatur *Scule*, dudum poſſederat; eo pacto ut ille regulam Sancti *Benedicti* in Anglicum idioma de *Latino* transferret; qui ſic fecit. Deinde vero beatus *Æthelwoldus* dedit eandem terram Sanctæ *Ætheldrydæ*, cum cyrographo ejuſdem terræ.

CAP. L.

De Wdebregge.

BEatus *Æthelwoldus* comparavit III Hydas apud *Wdebrygge*, & appendicia quæ pertinebant, ab *Wlfleda* relicta *Wlſtani*, pro xv libris, coram teſtimonio totius *Hundreti*.

Cap. LI.

De Stoche.

QUædam matrona, quæ dicebatur *Alſtreth*, cœpit deprecari Regem *Ædgarum*, ut beato *Æthelwoldo* venderet x Hydas, apud *Stoche*, quod prope eſt de *Gyppeſwic*, & duo molendina, quæ ſunt ſita in auſtrali parte, cujus preces valuerunt apud eum, nam Epiſcopus dedit Regi pro illa terra, & pro molendinis, c aureos, & poſtea obtulit eandem terram, & eadem molendina Sanctæ *Ætheldrydæ*.

Cap. LII.

De Sudburn, *&* Wdebtegge, *&* Stoche, *&* vi *Hundretis*.

FEcerunt quodam tempore conventionem inter ſe Epiſcopus & Abbas, & *Ægelwinus Alderman*, ut ipſe *Ægelwinus* tenere deberet de illis *Sudburn*, & *Wdebrygge*, & *Stoche*, & vi *Hundreta*, quæ pertinent ad *Sudburn*, qui ſic fecit, reddiditque eis pro his miniſteriis x libras, quot annis, in termino *Rogationum*.

Cap. LIII.

De Nordwolde.

THurverthus abſtulit cum rapina Deo & Sanctæ *Ædeldrydæ* xii Hydas apud *Nordthwolde*, nam hæc terra erat pars terrarum, quas beatus *Æthelwoldus* comparavit à Rege *Ædgaro*, dans ei pro his *Eartingan*.

Cap. LIV.

De Pulham.

DIripuit etiam idem Deo, & Sanctæ *Ætheldrydæ*, *Pulnham*, quam *Æthelwoldus* Epiſcopus emerat à Rege *Edgaro* pro xl libris. Quas terras, videlicet *Nordwaldæ*, & *Pulnham*, per tranſgreſſionem amiſit *Waldchiſt*, & omnia quæ habebat, tempore *Ædmundi* Regis; & fuerunt in manu Regis *Ædmundi*, & *Æthelredi*, quouſque ipſe *Eathelredus* dedit eaſdem terras *Eadgivæ* matri ſuæ; poſt cujus mortem acquiſivit eaſdem terras *Wlſtanus* à Rege *Ædgaro*, ſed & *Eadgiva* & *Wlſtanus* acquiſierunt, & emerunt plures terras, & plura bona, quam unquam *Waldchiſt* habuiſſet, & his duodus maneriis addiderunt. Hæc igitur duo maneria prædictus *Thurverthus* vi cœpit & obtinuit.

Cap. LV.

De Wetinge.

APud *Wetinge* comparavit *Æthelwoldus* Epiſcopus iii Hydas, ab *Eagelwardo*, pro vi libris. Deinde vero quidam nomine *Steapa* per ſua munera tantum fecit, quod Epiſcopus caruit utriſque, viz. terra & pecunia.

CAP. LVI.

De Horningeſeie.

EMit quoqe Epiſcopus ab *Ethelſtano Ægelwardi* fratre, duas Hydas apud *Horniggeſeie*, pro VIII libris, nunc vero caremus & illa terra & pecunia.

CAP. LVII.

De Grantedene.

ÆThelwoldus Epiſcopus emit *Grantedene* pro ducentis aureis, ab *Henrico* de *Waneting*, coram teſtimonio *Eadgari* Regis, & *Alferi Alderman*, & *Ægelwini*, & *Brihtnothi*, & *Alfrici Cyld*, & *Ringulfi*, & *Thurverthi*, & aliorum ſapientum, qui tunc ibi aderant; ſicque facta eſt illa conventio coram illis, quod ſiquis unquam in alio tempore facere vellet calumniam ſuper illa terra, *Henricus* & Hæredes ſui Epiſcopo ducentos aureos redderent, ipſique diſcordiam cum calumniatoribus haberent. Quamvis hæc conventio ſic facta fuiſſet, tamen caret Eccleſia de *Ely* nunc & illa terra, & pecunia.

CAP. LVIII.

De Meſſewrde.

ÆDgarus Rex & *Alfred* dederunt Sanctæ *Ætheldrydæ* terram de *Meaſſewrde*, quam *Alfgiva*, cum moreretur, dimiſit ei.

CAP. LIX.

De Killinge.

ÆThelwoldus Epiſcopus emit ab *Ædrico Daco* ſuam terram de *Chillinge*, pro XX libris, & pecuniam quæ erat in ea emit pro XI libris, recepit igitur *Ædricus* apud *Ely* C ſolidos ab Epiſcopo coram *Hundreto*, & XL libras, quæ reſtabant, detulit illi *Ægelſius*, qui tunc erat præpoſitus Epiſcopi, & dedit eas ei coram tribus *Hundretis*, in quibus *Chillinge* jacet; aderantque ibi *Wlſtanus* de *Dalham*, & *Ringulfus*, & fere omnes meliores de illis finibus. Dataque eſt ei pecunia coram teſtimonio trium *Hundretorum*.

CAP. LX.

De Horningeſeie.

POſt obitum vero *Ædgari* Regis, dum eſſet Rex *Ædwardus*, & fere omnes ſapientes ſui apud *Kyngeſtune*, rogavit *Ægelwinus Alderman Æthelwoldum* Epiſcopum, ut dimiſiſſet eum habere *Chyllinge*, eo pacto ut è converſo ille mutaret ſibi tantundem terræ, quæ ei eſſet proprior & copioſior: de pecunia vero, quæ erat in terra, pro libitu feciſſent. Quod cum conceſſiſſent Epiſcopus & Abbas, *Ægelwinus Alderman* tradidit eandem terram *Ringulfo*. Deinde petierunt Epiſcopus & Abbas ab eodem *Ægelwino*,

wino, ut adquietaret eis, & abſque calumnia habere faceret duas Hydas apud *Horningeſeie*, à filiis *Wlfrici*, quas, ut ſupra diximus, Epiſcopus emerat ab *Æthelſtano*. Quo audito, *Ægelwinus* cœpit ſemper bene promittere ſe hoc facturum, ſed verba ſua pondus non habuerunt, nec promiſſa ad effectum pervenerunt.

Æthelwoldus Epiſcopus emit à quodam ſuo optimate *Leffio* duas Hydas, apud *Ceagneſworde* pro IV libris. Quæ terra eſt in vicecomitatu de *Bedeforde*, pertinens ad *Hohtune*. *Brihtnothus* igitur Abbas dedit *Leffio* primam partem pecuniæ, ſcilicet, LX ſolidos apud *Heatfeld*, coram teſtimonio *Alfwardi* de *Stodham*. Deinde vero, cum moreretur idem *Leoffius*, XX ſolidos qui reſtabant, fecit Abbas dari & partiri clericis pro anima ſua. Sed & relevatio *Leoffii* reſtabat, nec data erat Epiſcopo. Sic emit Epiſcopus illam terram, & tamen per rapinam & violentiam ei ablata eſt.

Hyda quoque & dimidia ei ablata eſt apud *Earningeford*, quæ per pugnam & per furtum facta erat tranſgreſſioni Obnoxia.

Quæ ſequuntur, addita ſunt ex alio antiquo Codice MS Hiſtoriæ Elyenſis, *penes me; qui quidem codex Hiſtoriam Eccleſiæ* Elyenſis *ad tempora* Nigelli *Epiſcopi deducit. Totum opus conſtat tribus libris, quorum primum edidit, ſed imperfecte,* Lucas Dachery *in Actis Benedictinorum.*

Ex

EX SECUNDO LIBRO

Hiſtoriæ Elyenſis.

CAPUT. I.

Quo tempore Eccleſia fuit dedicata vel a quibus.

INTERIM Abbas [*Brithnodus*] circa Eccleſiæ fabricas inſtabat munificentia Regis fultus, atque auxiliis ſancti præſulis, quam, non ut piger operator ſed cum ſumma intentione, à *Danis* quondam ſubverſam ad perfectum erigere laborabat, ex parte enim lapſa velut nova, non ſine grandi labore, licet plurimo tempore decurſo, tamen propere quam ſperabat conſummatione adimplevit, ac deinde tectis reparatis, quæ igne fuerant conſumpta, templum rurſus ædificatum non minus eximium aut eminens quam prius apparuit. Tandem deprecatione fratrum tam Abbas quam Epiſcopus *Ædelwoldus*, dedicationis diem obtinuerunt à beatiſſimo archipræſule *Dorobernenſi Dunſtano*, tempore aſſignato die ſequenti Purificationis Sanctæ *Mariæ*; cum quo multi Pontifices & Eccleſiarum paſtores ad tam feſtivam ſolemnitatem celebrandum convenerunt, inprimis officinas Monaſterii benedictionibus repleverunt, & ſua autoritate locum & quæ alicujus fidelium largitione ibidem collata fuerant ſcripto conſignantes, adhibitis excellentiſſimi Regis *Edgari* privilegiis, cum quibus univerſa confirmaverunt. Poſt hanc dedicationem incœperunt in benedictionibus dulcedinis, in capite Eccleſiæ titulum beati *Petri* Apoſtolorum principis ponentes, & in Auſtrali parte memoriam Sancti Dei genetricis ſemper virginis *Mariæ*, & diem exultabilem ſolemniter celebrantes juxta ritum dedicationis templi, in hymnis & confeſſionibus Domino benedicebant: ſicque poſt ſanctarum miſſarum veneranda officia edentes & bibentes in Domino continuis VII diebus feſtum agebant, ac deinde in lætitia magna unuſquiſque remeavit ad propria. Emundatus eſt locus ille, divina operante clementia, ex omni fœditatis ſquallore & negligentiæ, immaculatum Domino illîc ſacrificium quotidie offertur in odorem ſuavitatis, unum & Angeli congaudent atque lætantur Archangeli & collaudant in cœlis Filium Dei. Corpus autem beatiſſimæ virginis reginæ *Ædeldredæ* in Eccleſia ſecus altare majus, in loco quo tranſtulerat illam ſancta Sexburga, invenit venerandus pater *Ædelvoldus*, quam certiſſime intentatam & inconſpectam non ſub terram deliteſcentem, ſed deſuper eminentem reliquit, & quidem hoc illi ad majorem gloriam accreſcit, quod nemo ipſius tumbam pandere, nemo inſpicere præſumpſit; qui vero illam aliquando intueri tentabant, ſicut *in miraculis ejuſdem legitur*, abſque mora oculis de capite evulſis miſerabiliter interierunt.

CAP. II.

Quibus metis Inſula cingitur & quanta auctoritate munitur.

ECcleſia namque, ut domum Dei decet ſanctitudo, in longitudinem dierum ſub religioſorum contubernio collocata, & jam res Eccleſiæ augmen-

augmentari cœperant, nec ſolus ad omnia *Brithnodus* Abbas intendere ſufſecerat, unde fratrum concordia atque favore virum honeſtum ex eis *Leonem* nomine ſibi commilitonem extrinſecus poſuit, in rebus quidem agendis providum atque ſollicitum, cui rei familiaris commiſit præpoſituram. Hic velut *Martha* ſollicitus erga plurima, promptus ad omne opus bonum citius ut jubentis ſuſceperat imperium, ipſo etiam ſuo Abbati non parvum adjumentum in operibus tribuit, etenim fines regionis *Elye* ſua induſtria metiri inchoavit, & tanquam munitionibus obſedit, præcavens in futurum doloſa machinamenta, ne aut incircumciſus aut immundus quærens pluſquam ſua ſunt, prave & perverſe Dei ſervos quieti vacantes iniqua exactione laceſſando pertranſiret terminos eorum, quod ſæpius contigiſſe meminerat; unde vocatis hinc & inde vicinis utrorumque accolarum diſcuſſa portione atque diviſa, poſſeſſionum Eccleſiæ ad perpetuam evidentiam ſecationem fecit ipſo in invio & in aquoſo paludum medio, quam vulgo uſque ad hanc diem Anglice *Abboteſdelf*, latine autem *Abbatis foſſa* ſonat, ut eſſet tanquam firmamentum in luto aquarum, ne quis circumpoſitos titulos utriuſque partis temere proriperet aut conſcenderet; ſed & inſulam per girum cum auctoritate Regis *Ædgari* taxato ſignavit limite, & à ſeculo in ſeculum illius ſtatutum nequaquam valet infringi. Nitebatur frater ille in augmento commodorum, & quicquid emolumenti exegiſſet totum in commune tradidit, habens illud terroris *Ananiæ* & *Saphiræ* ſemper præ oculis, erant enim illis omnia communia, ſicut fuiſſe narratur de ipſo naſcentis Eccleſiæ primordio; crucem vero fecit argenteam quæ crux *Leonis* præpoſiti nominatur, in qua, forma corporis Chriſti ingenuo artifici cavata ſanctorum reliquias *Vedaſti* & *Amandi* continebat, quam *Nigellus* Epiſcopus tulit, & plura quæ loco congruo juxta ſeriem temporis referemus; aliud quippe opus geſſit præcipuum & utile, quod ad præconium ejus credimus enarrandum, hortos quoque & pomaria circa Eccleſiam late plantavit naſcentium, & ipſe peritus conſiderans locum inſignem atque venerandum obſidione arborum decentius apparere, quæ multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt, quæque ab eo plantata & inſita ſicut ligna ſilvarum in altum erecta cerneres, & omni citius fructuum ubertate repleri. Hæc ad hiſtoriam non incongrue adducentes ad propoſita manum vertimus. Regio autem *Elge* per milliaria VII in longum extenditur, à *Cotingelade* viz. ad *Littleport* vel ad *Abboteſdelf*, nunc *Biſcopeſdelf* dicitur, & IV in latum à *Chirchewere* ad mare de *Stretham*, ſed terminus duorum centuriatuum, qui ad *Ely* ab antiquo pertinet, amplius comprehendi noſcuntur, hoc eſt de medietate pontis de *Tid* uſque ad *Upwere*, & de *Biſcopeſdelf*, uſque ad fluvium juxta *Burch* quod vocatur *Nen*, ut in capite libri primi contexitur. Et hæ ſunt *dignitates* & *conſuetudines* Eccleſiæ de *Ely*, conceſſæ & confirmatæ à Rege *Ædgaro* & omnibus ſubſequentibus Regibus *Angliæ* uſque hodie Sanctæ *Ædeldredæ* infra inſulam & infra duos centuriatus inſulæ, ſcil. omnia placita & jura quæ pertinent ad Coronam Regis; & omnes homines duorum centuriatuum inſulæ de quindecim in quindecim diebus debent convenire ad *Ely* vel ad *Wicheforda*, quæ caput centuriatuum inſulæ dicitur, vel ad *Modich* quæ quarta pars eſt centuriatuum, ad diſcernenda jura Sanctæ *Ædeldredæ*, & nemo infra inſulam habeat terram vel jus aliquod niſi ſancta *Ædeldreda*, & nullus *Baronum* Regis infra duos centuriatus inſulæ habeat *Curiam* ſuam, ſed calumniator & calumniatus ad prædicta loca venient & ibi judicabuntur. Similiter in quinque centuriatibus, & dimidio de *Wichelave*, & uno & dimidio de *Dyrham*, & in trijugo de *Wineſtune*, & ſi quis in terra Sanctæ *Ædeldredæ*, cujuſcunque homagii ſit, ſive externus ſive indigena, calumniatus fuerit & judicatus ad aquam & ignem, nec alias ſed in *Ely* quod dominus indulſerit recipiet, neque ſuper hoc ſecularis aut Eccleſiaſtica perſona rectitudinem exiget, ſoli autem Eccleſiæ per manus ſa-

criſtæ

criſtæ, qui Archidiaconi vices in inſulam gerit, perſolvetur, unde quidam literarum peritiſſimus ſenio atque canitie venerandus atteſtari perhibetur, textus quidem hic eſt. *Venerabili domino & amico chariſſimo Alexandro Priori* Elyenſi Henricus Archidiaconus Huntiduniæ *ſalutem. Noverit dilectio veſtra nunquam Nicholaum* Archidiaconum Cantebrigiæ *aut prædeceſſores ejus poteſtatem exercuiſſe, vel quicquam accepiſſe ab aliquo reo, qui ſubiſſet aquam vel ignem infra inſulam* Elyenſem, *ſicut mea fert memoria, & ab illis quos diligenter ſuper eadem re conveni, & ejuſdem rei ſcientes didici. Vale.* Sed neque Epiſcopus neque judex hactenus ſuper inſulam ſe intromittit, vel rem Sanctæ inquietare præſumit, ex autoritate Apoſtolicorum & Regum interdici videtur, ſed à quocunque potiſſimum elegerint ordinari vel ſua ſanctificari Epiſcopo faciant. Hæc de ſcriptis & brevibus Eccleſiæ, nec autem à me ut commenta concepi, ſed tanquam flens dico, monens & obſecrans, ne quis poſſeſſiones Sanctæ extra Eccleſiam diſtrahere, ſive dignitates ejus ſibi vendicare præſumat, judicium enim portabit quicunque eſt ille, teſtis eſt mihi Deus quanta animadverſione mulctantur quotidie, non ſolum ipſi qui talia præſumpſerunt, verum in quartam & quintam eorum generationem ira furoris Domini imminere cognoſcitur, & hæreditate proripere geſtientes ſanctuarium Dei, ipſi nunc degeneres innumeris poſſeſſionum agris minime contenti alienis ſua relinquere, & graviter egere vindice Chriſto compelluntur.

Cap. III.

Qualiter Martiricatus eſt primus Abbas noſter.

QUodam igitur tempore ſanctum *Brithonodum* Abbatem ad Regis curiam *Ædeldredi* contigit pro Eccleſiæ negotiis proficiſci; cis *Geldedune*, per ſilvam quæ nova foreſta vocatur, ibat, ubi ut fertur ad uſus naturæ remotiora loca repetiit, cavens, ut erat homo ſimplex & magnæ verecundiæ, undique circumſpexit, Reginam forte ſub quadam arbore offendit *Elſtredam* ſuis veneficiis vacantem, quo viſo, non abſque luctu & pavore ingenti in talibus ſe perceptam ingemuit, peritiſſima vero in arte mechanica, ut fertur, habebatur, ſed vir domini ex hujuſcemodi rebus minime turbatus quantocius inde receſſit, & ad Regis curiam deveniens magnifice ſuſceptus Eccleſiæ ſuæ negotia citius adimplevit, itaque munificentia Regis perfunctus & exhilaratus ad ſua redire viam repetiit, & ne Reginam licet abhorrens declinaret, ad ejus deſcendit aulam, quam fortuitu ab omnibus vacuam penitus invenit, tamen celeriter Reginæ illius innotuit adventus, illa vero petivit ut cum feſtinatione ad eam ſolus veniret, & quod cum eo de ſalute animæ ſuæ nonnulla ſecrete tractare habuerit mandavit, cui ingreſſo plures enormitates laſciviæ nimis favorabiliter & inverecunde locuta eſt, precibus & promiſſis illum veluti Sanctum *Joſeph* mulier impudica ſi poſſet incontinentiæ ſibi nodis alliceret, æſtimans fraude maligna Sanctum Dei in ſcelere ſecum commiſceri, quoniam per illum metuerat detegi à malitia, quam illam exercere invenit; ille viribus & verbis obſtat, negat, & abhorret, unde in furorem commota evocatis ex ſuo nequam famulatu ancillis, & quia conceperat dolorem, peperit iniquitatem, beatum virum neci tradere juſſit, nolens eſſe ſuperſtitem quem fore dubitavit ſuorum aliquando ſcelerum proditorem, excogitat quoquo modo illum extinguat, corpore à vulnere reſervato immune, & nec apparente læſione, admonet eas mucronum capulos in ignem fervere, & ſub aſellis ſancti Abbatis imprimi uſque dum ſpiritum excutiant, quo facto clamant intrinſecus velut tali infortunio pavefactæ, unde miniſtri Abbatis qui cum illo venerant adcurrunt, Monachi eum ſubita

morte præventum ab eis audiunt & ingemiſcunt; at illi ex eventu nimium dolentes, & voces lugubres emittentes, corpus domini ſui vehiculo imponentes in *Ely* ad ſuam detulerunt Eccleſiam, nullum criminis in eo comperientes indicium ſepulturæ tradiderunt, martirizatus eſt itaque primus Sanctæ *Elyenſis* Eccleſiæ Abbas unius mulierculæ ſuffocatus machinationibus, optans magis incidere in manus hominis quam legem domini derelinquere, cujus anima cum ſanctis omnibus ſemper regnatura æterna in cœlis promeruit gaudia. De Regina vero ſiniſtrum nemo aliquid vel ſaltem mutire, ſive malum in ipſam præſumpſit inferre ſermonem. Poterat hoc verbum cunctos latere diutius, niſi quod eadem de ſceleribus, de ſuis veneficiis, & nefandis operibus Dei miſeratione compuncta, & maxime de interitu glorioſi Regis *Edwardi* privigni ſui, quem palam cunctis ſuis circumventum inſidiis, ut proprius ejus filius *Elredus* levaretur in Regem, injuſte peremiſſe confeſſa eſt, pro quo cœnobium ſanctimonialium de *Werewelle* ex ſuis opibus fecit, ubi omnibus diebus vitæ ſuæ in luctu & pœnitentia permanſit, & quali morte *Brithnodum Elyenſem* Abbatem interfecit, ut præſignatum eſt, gemens & anxia oſtendit, in quo loco tam in rebus quam in poſſeſſionibus multa deinde beneficia contulit.

CAP. IV.

Poſt obitum primi Abbatis quis ei ſubſtituitur.

ANtiquorum exemplis provocati quorundam ſanctorum maxime Abbatum, quorum cura cœtus noſter in ſancta religione profecit, ſed & Regum atque virorum, quorum munificentia locus noſter effloruit, & beneficiis excrevit, memorias elabi non ſinamus, ſed ex hiſtoriis ſub conveniente brevitate quædam decerpentes, ut nec prolixitas quenquam faſtidiret, nec plena veritas minus innoteſceret attendimus. Qualiter vero primus *Elyenſis* Eccleſiæ Abbas vita diſceſſit præcedens lectio deſignavit, quem Sanctus *Dunſtanus Dorvernenſis* Archiepiſcopus, & Sanctus *Ædelwoldus Wintoniæ* Epiſcopus jubente Rege *Ædgaro* benedixerunt. Quo defuncto alium nomine *Ælſium* prædictus *Ædelwoldus* jubente Rege *Ædelredo* in loco ejus conſtituit, & ipſe benedixit; hujus autem Regis tempore ipſa Eccleſia de *Ely* plurimum crevit, & licet idem Rex bellorum frequentias haberet, patris ſui *Ædgari* largitatem erga eandem retractans Eccleſiam, voluit & ipſe memoriam ſuam Regali in ea munificentia propagare. Paterna igitur probitate accenſus ad dilatandum eam poſſeſſionibus ſe accinxit, ſequentique privilegio ſuam in ea donationem confirmavit.

CAP. V.

Privilegium Regis Ædelredi *ſuper villam de* Lithleberi.

"UNiverſa ſecularium opum patrimonia incertis nepotum hæredibus "relinquuntur, & omnis mundi gloria appropinquante iſtius vitæ "termino ad nihilum redacta fateſcit, ſicut per quendam ſapientem dici-"tur, mundus hic quotidie tranſiens deficit, & omnis pulchritudo ejus "ſicut flos fœni marceſcit, idcirco terrenis caducarum rerum poſſeſſioni-"bus indeficientia ſupernæ patriæ gaudia Domino patrocinante lucranda "ſunt. Quamobrem ego *Ædelredus* totius *Britanniæ* cæterarumque gen-"tium in circuitu perſiſtentium baſilicus, quandam ruris poſſeſſionem, xx "viz. manſas, in loco qui celebri *Lithanbere* nuncupatur vocabulo, Domino "& ejus genetrici *Mariæ*, & Beato *Petro Apoſtolorum* principi, nec non Sanctæ

"*Ædeldredæ* virgini præcipuæ, ac reliquis virginibus ſibi cognatis, ad mo-
"naſterium ſcil. quod in *Ely* ſitum eſt, ad uſus monachorum ibi degen-
"tium, perpetua largitus ſum hæreditate, ut illo perpetualiter cum om-
"nibus utenſilibus, pratis viz. ſilvis pertineat. Sit autem prædictum
"rus omni terrenæ ſervitutis genere liberum, tribus exceptis laboribus,
"rata viz. expeditione, pontis, arciſve reſtauratione. Si quis hanc igitur
"noſtram donationem in aliud quam conſtituimus transferre voluerit, pri-
"vatus conſortio Sanctæ Dei Eccleſiæ, æternis barathri incendiis lugu-
"bris, cum Juda proditore ejuſque complicibus puniatur, ſi non ſatisfa-
"ctione emendaverit congrua quod contra noſtrum deliquit decretum.
Anno vero Dominicæ Incarnationis milleſimo IV ſcripta eſt hæc charta.

CAP. VI.

De venerabili Duce Brithnodo, *qui dedit Sanctæ* Ædeldredæ Spaldewich & Trumpintune, Ratendune, & Hesberi, Seham, Fuulburne, Thevereſham, Impentune, Pampewrde, Cracheſtune, & Fineberge, Tripelave, Herdwich, & Sumerſham *cum apendiciis ejus.*

DE *Brithnodo* viro ſingulari & glorioſo ſuccedit memoranda relatio, cujus vitam juſtam & geſta non parvis præconiis *Anglicæ* commendant *Hiſtoriæ*, de quibus pauca qualicunque ſtylo cum venia lectoris excepimus. Res enim magna eſt, & majorum relatione digniſſima, quam nos exigui & elingues arido ſermone non ſine pudore narramus. Itaque vir iſte nobiliſſimus *Northanimbrorum* Dux fortiſſimus fuit, qui ob mirabilem ſapientiam, & corporis fortitudinem, qua ſe ſuoſque viriliter protegebat, Anglica Lingua *Alderman*, id eſt, *Senior*, vel *Dux*, ab omnibus cognominabatur. Erat ſermone facundus, viribus robuſtus, corpore maximus, militiâ & bellis contra Hoſtes Regni aſſiduus, & ultra modum ſine reſpectu & timore mortis animoſus. Præterea Sanctam Eccleſiam & Dei miniſtros ubique honorabat, & in eorum uſus totum patrimonium ſuum conferebat, murum quoque pro religioſis conventibus ſemper ſe contra eos opponebat, qui loca ſancta inquietare conabantur. Nam avaritiæ & veſaniæ quorundam primatum, monachos ejicere, & prius ab *Ædgaro* & Sancto *Ædelwoldo* ejectos in Eccleſias revocari ſtudentium, vir iſte religioſus in ſynodo conſtitutus cum magna conſtantia reſtitit, dicens, *nequaquam ferre ſe poſſe ut monachi ejicerentur de Regno, qui omnem Religionem tenuerunt in Regno.* Vitam autem ſuam ad defendendam patriæ libertatem, quamdiu vivebat, impendebat; totus in hoc deſiderio poſitus, ut magis moreretur, quam inultam patriæ injuriam pateretur. Fiebat ſiquidem eo tempore frequens inruptio *Danorum* in *Angliam*, quam diverſis in locis navigio venientes graviter devaſtabant. *Brithnodo* autem duci omnes provinciarum Principes quaſi invincibili Patrono pro magna ipſius probitate ei fide ſeſe fideliter alligabant, ut ejus præſidio contra inimicam gentem ſecurius ſe defenderent. Igitur cum *Dani* quodam tempore apud *Meldunam* applicuiſſent, ipſo audito rumore cum armata manu eis occurrens, pene ſuper pontem aquæ omnes interemit. De quibus pauci vix evadentes propriam patriam ad hæc narranda navigarent. Poſt hanc autem victoriam *Brithnodo* duce cum alacritate in *Northanimbrorum* reverſo, *Dani* nimium hoc audito triſtati, claſſem denuo reparant, *Angliam* properant, & ad ulciſcendam ſuorum necem quarto iterum anno, *Juſtino* & *Guthmundo* filio *Stectani* ducibus, ad *Meldunam* applicant. Quem portum nacti, ut audiverunt *Brithnodum* iſta in ſuos perpetraſſe, ſtatim mandant ſe ad ulciſcendos eos adventaſſe, ipſumque inter *ignavos* habendum, ſi non audeat

cum eis conferre manum, quibus nunciis *Brithnodus* in audaciam concitatus, priſtinos ſocios ad hoc negotium vocavit, & cum paucis bellatoribus ſpe victoriæ, & nimia ductus animoſitate, iter ad bellum ſuſcepit, & præcavens & properans, ne hoſtilis exercitus ſaltem unum paſſum pedis ſe abſente occuparet. Dum igitur iter agendo ad Abbatiam *Rameſeiæ* appropinquaret, & ab Abbate *Wlſio* ſibi ſuiſque hoſpitium & procurationem quæreret, reſponſum eſt ei, quod locus ille tantæ multitudini non ſufficeret, ſed tamen ne omnino abiret repulſus, ſibi & VII de ſuis, quod petebat miniſtraret, ad quod fertur eleganter reſpondiſſe, *ſciat Dominus Abbas, quod ſolus ſine iſtis nolo prandere, quia ſolus ſine illis nequeo pugnare.* Et ſic diſcedens iter ad *Elyenſem* Eccleſiam direxit, præmandans Abbati *Ælſio* ſe inſulam cum imbecillis copiis tranſiturum ad pugnam, & ſi ei placeret, apud eum cum ſuo exercitu cœnaturum. Cui Abbas pari voluntate conventus ſui reſpondit, *ſe in opere charitatis nulla numeroſitate terreri, ſed magis de ipſorum adventu gratulari.* Receptus ergo cum omnibus ſuis regali hoſpitalitate procuratur, & pro ſedulo Monachorum obſequio ad magnum loci amorem ſuccenditur. Nec videbatur ſibi aliquid bonum unquam feciſſe, ſi hoc Monachorum beneficium irremuneratum reliquiſſet. Cogitans itaque apud ſe illos cauſâ ſui non parum fuiſſe gravatos, in craſtinum cauſâ ſuſcipiendæ fraternitatis venit in capitulum, & gratias agens Abbati atque conventui de tam liberali eorum charitate, ad compenſandam eorum largitatem dedit eis ſtatim hæc capitalia maneria, *Spaldewich*, & *Trumpintune*, *Ratendune*, & *Hesberie*, *Seham*, & *Acholl*, exponens negotium ad quod ibat, aliaque maneria ſub hac conditione conceſſit, ſcilicet, *Fuulburne*, *Thevereſham*, *Impetune*, *Pampeworde*, *Crocheſtune*, & *Fineberge*, *Tritpelave Herdwic*, & *Sumereſham* cum appendiciis ejus, & ſuper hæc triginta marcas auri, & viginti libras argenti, ut ſi forte in bello occumberet, corpus illius huc allatum humarent. Hanc quoque donationem cum duabus crucibus aureis, & duabus laciniis pallii ſui pretioſo opere auri & gemmarum contextis, biniſque cyrothecis artificioſe compoſitis, Eccleſiæ *Elyenſi* inveſtivit. Deinde commendans ſe orationibus fratrum cum ſuis properavit ad bellum. Quo perveniens nec ſuorum paucitate movetur, nec hoſtium multitudine terretur. Sed ſtatim eos adgreditur, & per XIV dies ardenter cum eis congreditur. Quorum ultimo die paucis ſuorum ſuperſtitibus, moriturum ſe intelligens, non ſegnior contra hoſtes dimicabat; ſed magna ſtrage illorum facta pene in fugam eos converterat, donec adverſarii paucitate ſociorum ejus animati, facto cuneo conglobati unanimiter in eum irruerunt, & caput pugnantis vix cum magno labore ſecuerunt, quod inde fugientes ſecum in patriam portaverunt. Abbas vero audito belli eventu, cum quibuſdam Monachis ad locum pugnæ profectus, corpus ipſius inventum ad hanc Eccleſiam reportavit, & cum honore ſepelivit, in loco autem capitis maſſam ceræ rotundam appoſuit, quo ſigno diu poſtea in temporibus recognitus, honorifice inter alios eſt locatus. Fuit autem vir iſte pius & ſtrenuus diebus *Edgari*, *Edwardi* Regis & martyris, & *Ædelredi* Regum Anglorum, & mortuus eſt anno Regni ipſius *Ædelredi* XIV. Ab incarnatione vero Domini anno nongenteſimo nonageſimo primo.

CAP. VII.

De Domina Ædelfleda *uxore prædicti ducis, quæ dedit nobis villam de* Ratendune, *& de* Saham, *& de* Dittune, *&* Cheſle.

UXor quippe ejus nomine *Ædelfleda* Domina, eo tempore quo vir idem ſuus interfectus eſt, & humatus, manerium de *Ratendune*, quod erat

erat de dote ſua, & terram de *Saham*, quæ eſt ad ſtagnum juxta *Ely*, & *Dittune*, & unam Hydam in *Cheſle*, & torquem auream, & cortinam geſtis viri ſui intextam atque depoſitam, depictam in memoriam probitatis ejus, huic Eccleſiæ donavit.

Cap. VIII.

De Hadham *& de* Cheleſhelle.

HUjus autem ſoror nomine *Ædelfleda* uxor *Ædelſtani Ducis*, rebus dote atque hæreditate ſuorum opulentiſſima, unde inter affines ipſa nobilior apparuit, ſed dum incertis mundi opibus videbatur inhærere, circa Sanctæ Religionis cultum pie ſollicita, exemplo beatæ *Annæ* in viduitate poſt obitum viri ſui jugiter permanebat, inſuper ſanctas noſtras intima dilectione & veneratione crebro requiſivit, & ad eas cum devotione excubias frequentabat, unde ſana & incolumis cum plurima munerum largitione Abbatem *Ælſium* & fratres Eccleſiæ convenit, ob inſignem familiaritatis gratiam ad magnum loci amorem trahebatur. Dedit illis *Dittune* & *Hedham* & *Cheleſhelle*, & ea in Teſtamento ſuo Anglice confirmari fecit, ſed ſorori ſuæ prædictæ *Ælfledæ*, dum viveret, villam de *Dittune* conceſſit habendam.

Cap. IX.

De Sanctæ memoriæ Ædelſtano *Epiſcopo qui dedit nobis* Dregeſtune.

QUam venerabilis olim extiterit locus iſte, teſtatur etiam *Ædelſtanus Helmamenſis* Epiſcopus, vir Eccleſiaſtica devotione præcipuus & præcipua largitate erga Eccleſiam iſtam munificus, qui crebris *Sanctarum* hîc quieſcentium virtutibus & fratrum religione ad diligendum hunc locum attractus, *Brithnodum* & *Ælſium*, primum videlicet & ſecundum loci hujus Abbates, totumque conventum, de ſocietate fraternitatis, & ſepultura ſui corporis, diu ante obitum ſuum adhuc ſanus & incolumis cum multa munerum largitione convenit, cui & Monachorum profeſſiones, & faciendos ordines, & cætera Epiſcopalia ob inſignem familiaritatis gratiam, Abbas uterque apud ſe conceſſit. Erat enim talis Eccleſiæ iſtius libertas, ut quemcunque Epiſcoporum mallent, ad hæc facienda convocarent, unde magis alios Epiſcopos quam *Lincolnienſem* ad facienda pontificalia jura vocabant, ne *Lincolnienſis* Eccleſia, in cujus Dioeceſi ſita eſt iſta *Elyenſis*, calumnioſis exactionibus ſub Epiſcopali poteſtate poſſet eam aliquando gravare. Quare ob indicium alicujus dignitatis ſervatæ ſunt hucuſque in ſcriniis noſtris priſcorum fratrum ſcriptæ profeſſiones, quæ factæ ſunt in præſentia Domini *Ædelſtani Helmanhenſis* Epiſcopi, nulla vero in præſentia alicujus Epiſcopi *Lincolnienſis*, ipſe ergo tali honore magis animatus & delectatus, propria pecunia, ut carta ipſius teſtatur, totum manerium de *Dringeſtuna* libera emptione comparatum in æternam poſſeſſionem *Elyenſi* conventui hæreditario jure donavit, & ut firmior eſſet donationis hujus munificentia, aliis etiam magnificis muneribus eam amplificavit, & amplificatam ſub multis teſtibus roboravit, quæ ſigillatim verbis ipſius annotare non erit inutile. Præterea, inquit, *concedo vobis pro ſalute animæ meæ omnia capellæ meæ inſignia*, ſcilicet, crucem Epiſcopalem & majorem turrem xx librarum inter aurum & argentum, quam *Nigellus* Epiſcopus poſtea cœpit atque comminuit, & plura quæ loco ſuo retexentur, & calicem cum patena x librarum argenti, ſed factione *Godcelini* clerici cognomento

mento de *Ely* poſt multum temporis aufertur, & meliorem ſacerdotalem veſtem meam, & I turribulum V librarum & I cappam cantoris, & unum bonum pallium, & XL marcas auri, & ſingulis annis quinque libras ad indumenta Monachorum, & quicquid boni de cætero potuero, vobis miniſtrabo, ut gratior Deo & huic ſanctæ Eccleſiæ ſit ſocietas mea, & ſtudioſior ſit apud vos mei memoria. Deinde multo poſt tempore defunctus, conditum ſepulcri locum huc allatus accepit, & deinceps inde remotus, & in ſeriem aliorum tranſlatus, feliciter requieſcit, fuit autem contemporaneus beati *Ædelwoldi* ſub piiſſimo Rege *Ædgaro*, qui locum iſtum Monachili ordini aſſignarunt, Monachis & divitiis ampliarunt.

CAP. X.

De Wivelingeham.

SEquitur vir bonus *Uva* nomine, qui de opibus ſibi creditis ſic diſponere appetebat, quatenus poſt metam hujus vitæ, non detrimenti ſed emolumenti cauſa ſibi forent. Dedit autem Deo, & ſuæ Almæ Virgini *Ædeldredæ*, villam de *Winelingeham*, & terram de *Cotenham*, jure perpetuo poſſidendam, cum omnibus quæcunque ad eam pertinebant; ſed & aliis Eccleſiis in poſſeſſionibus & muneribus abundanter donavit, & cum teſtamento uſitato ſermone corroborari fecit, ne in æternum diſtrahi videretur, quod Chriſto Domino pro æterna gloria commutaverat. Hoc enim pactum in plurimorum præſentia teſtium ſub cyrographo ſcriptum eſt, & pro munimine in Eccleſia hucuſque habetur. Horum primus *Leofſinus Alderman*, & Abbas *Ælſinus*, & fratres Eccleſiæ de *Ely*, & alii plures, qui in ipſo cyrographo nominantur.

CAP. XI.

De Stevecheſworde, *&* Merch, *&* Chertelinge, *&* Dullingeham, *& una virgata, in* Suafham.

HUjus quoque frater fuit *Oſwius* nomine, cujus mores Deo & ſeculo probatos, omni honeſtate ordinatos, omni ordini gratos, largæ eleemoſinæ, & donationes in Eccleſias & pauperes proferebant: nec erat animus ejus aliunde occupatus, niſi ut Deo placeret, & omnes beneficiis ſuperaret; cui erat uxor *Leofleda* dicta, quæ in cunctis conjugis ſui profectibus applaudens, ipſa beatitudinis præmia expectans, eleemoſinæ largitatem frequentabat. Dederat illis Deus utriuſque ſexus propaginem, quam de copiis bonorum atque poſſeſſionum divites fecerant, atque ſublimes. Ex quibus *Ælfwinum* nomine Deo & Sanctæ *Ædeldredæ* in monachum obtulerunt, atque ad veſtimentum ejus villam de *Stevecheſworde* ſtatuerunt, & poſt vitam ejus Eccleſiæ perpetim abſque impedimento adjaceret. Præterea Eccleſiam de *Ely* plurimum provexerunt, & his poſſeſſionibus ampliare volebant, videlicet, de *Merch*, de *Chertelinge*, & *Dullingeham*, & una virgata in *Swafham*. Horum teſtes fuerunt *Ælwricus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, & *Eſcuwius Merciorum* Epiſcopus, cujus ſedes, quæ nunc eſt *Lincolniæ*, in *Leirceſtria* fuerat, & Epiſcopus *Orientalium Anglorum Ædelſtanus*; de quibus ſupra meminimus, atque duo fratres ejus, prædictus *Uva*, alius *Ædericus*, & plures qui in ſcripto illius habentur.

CAP. XII.

De Caeddeberi.

QUomodo enim de duobus fratribus dictum eſt, ſic & de tertio nequaquam præterire debemus; hic autem Deo acceptus *Ædericus* nomine, bona ſua, velut apes prudentiſſima, collegit, & collecta Eccleſiis diſperſit & pauperibus. Exemplo autem ſuorum Germanorum concitatus eſt, atque beatiſſimam Dominam ſuam *Ædeldredam* tota mentis devotione venerari cupiebat, & multa rerum munificentia decorari, filiumque ſuum amantiſſimum *Ædelmum* illic in Sancta Religione tradidit, & cum eo terram calciatoriam, videlicet, *Ceaddeberi*, jure perpetuo adjicere voluit, ut & ipſe & uxor ejus cum genere ſuo benedictionem à Domino mererentur. Hoc quoque *Anglice* in ſuo teſtamento ſcriptum eſt, & penes nos in munimentum libertatis hucuſque ſervatum, quod etiam inter alia in latinum transferre ſtuduimus.

CAP. XIII.

De Ædnodo *Pontifice*.

SEquitur *Ædnodus*, vir in Chriſto famoſus, & Monaſticæ Religionis cultor egregius, qui à beato *Oſwaldo Eboracenſi* Archiepiſcopo, & glorioſo duce *Ægelwino*, in *Rameſienſem* Eccleſiam, quam ipſi conſtruxerant, de *Wigornenſi* Monachatu ad officium Abbatis eſt aſſumptus. Ubi cum in omni honeſtate ſub Chriſto floreret, & gregem Domini fideli cura ſalubriter gubernaret, facta eſt cuidam fabro divina revelatio de corpore beati *Yvonis*, & ſociis ejus ſimul cum ipſo apud villam de *Slepa* quieſcentibus; apparens enim fabro in Epiſcopi ſpecie beatus *Yvo*, & ſe & ſocios ſuos in eadem villa ab antiquiſſimo tempore jacuiſſe indicavit, & ut *Ædnodo* id indicaret imperavit. At ille ſtatim evigilans viro Dei viſionem revelavit, & de oblata ſuo tempori gratia nimis eum lætificavit. Qui tantam ſanctorum gloriam non paſſus eſt diutius in cœno latitare, ſed convocatis clero & populo, ad effodiendum cœleſtem theſaurum cum Eccleſiaſticis apparatibus properavit, & beatum *Yvonem* propriis manibus cæteris cæteros ferentibus, ipſe uſque in *Rameſeiam* portavit, & poſtea in ipſa *Slepa* Eccleſiam in nomine ejuſdem ſancti ædificavit. Nec multum poſtea defuncto *Lincolnienſi* antiſtite, in Epiſcopum promovetur, pro qua poteſtate nihil minuit de antiqua Religione, ſed quanto altior tanto melior effectus, circa condendas Eccleſias & augendas congregationes aſſiduus inſiſtebat. Quarum unam apud *Chateriz* ob amorem Sanctæ Dei genitricis *Mariæ*, & *Ælfwennæ* ſororis ſuæ, cognomento *Dominæ*, ad ponendas ibi cum ipſa ſanctimoniales conſtruxit, & rebus neceſſariis ampliavit. Ipſe quoque corpus beati *Ælfegi* Martyris & Archiepiſcopi, apud *Grenewicum* à *Danis* lapidatum, pietate ſuccenſus, & fide armatus collegit, atque *Londoniis* ſepelivit. Tandem vero Martyris gloria pro glorioſa converſatione decorandus, in bello, quod fuit inter *Ædmundum* Regem, & *Canutum*, apud *Aſſandun*, dum miſſam cantaret, à *Danis Canuti* ſociis prius dextera propter annulum amputata, deinde toto corpore ſciſſo, interfectus eſt cum Abbate *Wlſio*, qui ſecundum chronicam ad adorandum Dominum pro milite bellum agente convenerant. Hujus corpus cum ad hanc *Elyenſem* Eccleſiam à ſuis fuiſſet allatum, ut confeſtim hinc ad *Rameſeiam* ubi Abbas fuerat deferretur, *Ælfgarus* vir ſanctus qui tunc temporis relicto

Helmanenſi Epiſcopatu hic ex toto ſe dederat, corpus illud ad augendam loci hujus dignitatem inebriatis cuſtodibus, in ſecreto loco ſepelivit, tum quia illum ſanctas noſtras valde dilexiſſe cognoverat, tum quia Martyrem eum eſſe credebat. Qui & ipſe de veteri ſepultura inter alios tranſlatus, magno nobis honori habetur. Paſſus eſt anno ab incarnatione Domini milleſimo ſextodecimo, & fuit in diebus *Ædelredi* & *Ædmundi* Regum temporibus.

Cap. XIV.

De Ælfgaro *confeſſore Domini.*

De prædicto *Algaro* talis inſtat narratio, quod prius ſacerdos & confeſſionarius beati *Dunſtani Cantuarienſis* Archiepiſcopi fuit, cui ad laudem ſuæ ſanctitatis hoc ſufficit, quod à tanto viro in tantum officium eſt aſſumptus. In quo miniſterio conſtitutus, quale meritum habuerit apud Dominum ex ſubſequenti viſione datur intelligi. Sicut enim in *vita* Sancti *Dunſtani* legitur, anno, quo idem ſanctus migravit ad Dominum, luceſcente aurora Dominicæ Aſcenſionis, quæ dies tertia præceſſit ipſius tranſitum, præfatus ſacerdos, dum ſacris officiis in Eccleſia *Salvatoris* pervigil inſiſteret, mentemque cœleſti contemplatione ſuſpenderet, raptus in ſuprema mirabili viſione, conſpicit beatum *Dunſtanum* in pontificali throno ſedentem, & clero jura Eccleſiaſtica dictantem. Nec mora, videt irruentem per omnes Eccleſiæ Januas Angelorum multitudinem, ſtolis candidis & coronis aureis rutilantem, *Cherubin*, & *Seraphin* ſeſe proclamantem, & quaſi divina nuntia deferentem. Cumque per ordinem aſtarent pontifici, verba ſalutationis proferentes, *Salve*, inquiunt *Dunſtane noſter, & ſi paratus es ad nos venire, noſtro conſortio gratioſus adjungere.* Quibus ille, *ſcitis*, inquit, *o beati ſpiritus, hodie Chriſtum cœlos aſcendiſſe, noſque tantæ diei hodiernum obſequium debere, atque populum Dei officio noſtro indigere, ut hac vice non poſſim vobiſcum abire.* Tunc illi, *paratus igitur eſto proximo die ſabbati* nobiſcum [*Romam*] tranſire, & ante ſanctum ſanctorum, tu ſanctus, æternaliter cantare. Quibus illo id libenter annuente, confeſtim qui apparuerant, diſparuerunt. At ſacerdos tantarum rerum contemplator, rei exitum tacitus expectabat; donec idem ſanctus ipſo Aſcenſionis die, miſſarum agens ſolemnia, poſt Evangelium de tanta ſolemnitate populum alloqueretur, ſuamque præſentiam mox illis rapiendam prænuntiaret. Tunc ergo demum cognito viſionis veritate, palam omnibus, cum magno gemitu, quæ viderat indicavit. Qui poſtea pro illuſtri vita factus *Helmhemanſis* Epiſcopus, prædeceſſoris ſui *Ædelſtani* exemplo adeo ſpecialem devotionem *Elyenſi* conventui, quamdiu vixit, impendit, ut Epiſcopatum relinqueret, & in hac congregatione reliquo vitæ ſuæ tempore permaneret. Quem honore dignum æſtimantes, de antiquo ſepulcro inter cæteros reverenter tranſtulimus. Vixit autem vir ſanctus temporibus *Ædelredi*, *Ædmundi* & *Canuti*, Regum Anglorum, & defunctus eſt anno milleſimo viceſimo primo ab incarnatione Domini, ſub ipſo Rege Canuto.

Cap. XV.

Quis dedit villam de Wratinge.

Longo igitur retroacto tempore fuit quidam miles divitiis abundans, nomine *Ælfelmus*, qui Eccleſiam Sanctæ *Ædeldredæ* cultu veræ Religionis florere, ſignis quoque & virtutibus ad merita illius admodum coruſcare

ruſcare proſpiciens, in beneficiis ejus & honore attentus & benevolus extitit, cujus lumina frequenter viſitans, diverſis generibus xeniorum obſequens, varia negotia & cauſas illius fideliter patrocinans, tanquam debitum inde ſalarium recepturus. Audierat fortaſſe illud *Proverbium, Deum placat qui ſanctos ſuos honorat.* Ingruente autem reſolutionis ſuæ tempore, ſuorumque ſaluti ſpiritualiter providens, orationibus beatæ virginis quadam obligatione ſe familiarius commendavit, dans illi in *Eleemoſynam* villam de *Waratinge* in perpetuum poſſidendam, exceptis duabus Hidis. Executor illius Dominicæ exhortationis, *facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula.*

CAP. XVI.

Quod iſtæ poſſeſſiones traditæ ſunt Eccleſiæ cum Leoffino *futuro Abbate, ſcil.* Glemeford, Herdherſt, Berchinges, Feltewelle, Scelford.

TUnc quippe temporis in Monachatum educandus bonæ indolis puer ſuſceptus eſt *Leoffinus*, Abbas futurus, cum quo etiam parentes ejus juxta ſeculi nobilitatem, divitiarum copiis affluentes, honorifice poſtulationem fecerunt; ſicque filium ſuum in Monaſterio offerentes, amantiſſimum licet adhuc ætate parvulum, Dei ſervitio mancipaverunt, & certe non abſque meritis, etenim ex bonis ſibi præſtitis dare voluerunt cum illo donationem pro mercede ſua, videlicet *Glemeſſord*, *Hertherſt*, *Berchinches*, *Feeltewelle*, *Seelford* poſſeſſiones nominatas.

CAP. XVII.

Cum Ælfwino *Epiſcopo hæ poſſeſſiones in Eccleſia datæ ſunt*, Walepol, Wiſebeche, *quæ eſt quarta pars centuriatus inſulæ, &* Deberham, Brithewelle, Oddebrigge.

EOdem tempore *Ælfgaro Helmhamenſi* Epiſcopo, cujus ſupra meminimus, ad cœleſtia regna tranſlato, *Ælwinus Elyenſis* Eccleſiæ à puero Monachus, vitæ ſanctitate & gratia morum honeſtatus, ſucceſſit in miniſterium ejuſdem Epiſcopatus. Cum ipſo enim in Eccleſia oblato data eſt *Walepol*, *Wiſebeche*, quæ eſt quarta pars centuriatus inſulæ, cum ſuis appendiciis, & *Deberham*, *Brithwelle*, *Oddebrigge*, à generoſis parentibus coram venerabilibus teſtibus: & licet teneræ ætatis adhuc fuiſſet, habitum Monachatus ſuſcipere promta voluntate parabatur, ut quod junior ad profectum animæ inſtitui conciperet, jam ſenior factus diu inolitum abuti minime videretur. Unde fideliter completur in eo, quod ſcriptum legitur in *Jeremia*. *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*; cumque totam vitæ ſuæ ſeriem cum ſumma prudentia & gravitatis modeſtia uſque in virilem ætatem perduxiſſet; pro Religionis ſuæ fama, jubente Rege præfato *Æthelredo*, ad Epiſcopale culmen ſublimatus, matris ſuæ *Elyenſis* Eccleſiæ oblivisci non potuit; ſed bonis pro ſe puero primum eidem loco collatis, jam Epiſcopus factus plurima ſuperaddere curavit, ut poſtea docetur.

Cap. XVIII.

Quod Ælſinus *Abbas intulit in* Ely *Reliquias Sanctæ* Wendredæ *virginis, & quod obtinuit pretio à Rege* Ædeldredo Cadenho & Strethle, & *duo* Lintunum.

PRædictus vero Abbas *Ælfſinus* mentis liberalitate inſignis, nec deerat ei vel nobilitas generis, vel honeſtas ſecularis; unde apud memoratum Regem non minus carus & honoratus extiterat, ſed maxime circa Dei cultum aſſiduus intenderat. Quantum ei ad utilitatem & ſublimationem ſuæ ſpiraret Eccleſiæ, omni diſcretæ patet intelligentiæ: nam ipſum locum ſublimius augere cupiens, etiam reliquias ſacræ virginis *Wendredæ* à vico de *Merch* intulit in *Ely*, & in ſcrinio ex auro & lapidibus decenter aptato impoſuit, & quidem ſuper hæc omnia Regem convenit, & taxato pretio has emit ab eo poſſeſſiones, ut ex præſenti innuitur carta.

Cap. XIX.

Inde hoc munimentam Regis.

SUmmo & ineffabili rerum diſpenſatore in æternum regnante, omnibus gradibus, qui in triquadro mundi cardine per theoricam vitam ad cœleſtis ac indeficientis beatitudinis jocunditatem pervenire ſatagunt, ultroneo devotionis affectu cum tota mentis alacritate illuc incunctanter adnitendum eſt; quod quidam ſapiens ſagaci mente conſiderans, ſic fida pollicitatione ait; meliorem autem illum judico & propinquiorem Deo, qui voluntate bonus eſt, quam illum, quem neceſſitas cogit. Qua de re infima quaſi peripſemata quiſquiliarum abjiciens, ſuperna adinſtar pretioſorum monilium eligens, animum ſempiternis gaudiis figens, ad adipiſcendam melliflua dulcedinis miſericordiam, perfruendamque infinitæ lætitiæ jocunditatem. Ego Ædelredus, *per Omnipatrantis dexteram totius* Britanniæ *Regni ſolio ſublimatus, quandam ruris particulam, viz.* XIX *caſſatos, in tribus locis, quæ celebri*, Cabdanho, *&* Strethle, *nec non & duo* Lintunum, *nuncupantur vocabulo,* Domino noſtro *Jeſu Chriſto* & Sancto *Petro* Apoſtolorum principi, caſtæque virgini *Ædeldredæ*, ac ſacris ſororibus ejus, una cum illa requieſcentibus, æterna largitus ſum hæreditate, ad uſus Monachorum in *Elyenſi* Monaſterio degentium. Sunt autem duæ ex iiſdem XIX manſis in illo rure, quod vocatur *Cadenho*, in *Strethle* X, *& in* Lintune VII, *pro quorum poſſeſſione prædiorum Abbas nomine* Ælſinus, *dedit Regi præfato appenſuram novem librarum puriſſimi auri, juxta magnum pondus* Normannorum. *Prædicta equidem rura cum omnibus utenſilibus, pratis videlicet, paſcuis, Molendinis, & ſilvis, ab omni terrenæ ſervitutis jugo ſint libera, tribus exceptis, Rata videlicet expeditione, pontis, arciſve reſtauratione. Si quis igitur hanc noſtram donationem in aliud quam conſtituimus tranſferre voluerit, privatus conſortio Sanctæ Dei Eccleſiæ æternis baratri incendiis lugubris jugiter cum* Juda Chriſti *proditore ejuſque complicibus puniatur; ſi non ſatiſfactione emendaverit congrua quod contra noſtrum deliquit decretum. Scriptum eſt hæc cartula, anno ab incarnatione Domini noſtri* Jeſu Chriſti *milleſimo octavo. Indictione* VI.

Cap.

CAP. XX.

Quod Eccleſia de Ely *locum ad miniſtrandum in curia Regis ex conſuetudine obtinet.*

ADjecit itaque glorioſus Rex *Ædgarus*, gloria & honore *Elyenſem* decorare Eccleſiam, ſicut pollicitus fuerat, quando eum illic cum matre & nobilibus Regni Sanctus *Ædelwoldus* adduxerat, tempore fratris ſui *Ædwardi* Regis, ubi coram multitudine plebis ad ſepulcrum beatæ virginis, cui affectu & multa dilectione deditus erat, ſe ſervum deinceps illius fore ſpopondit. Qui poſtea ſuſcepto Regno, alterius Regis ſe intelligens eſſe mancipium, ſui Regis præcepta regaliter obſervabat, & ſponſam ejus Eccleſiam tanquam matrem ſuam donis & obſequiis ſublimavit, & privilegiorum fune ſubligavit. Sicque ſuum conſummans propoſitum, æternam ſibi propagavit memoriam, ut & finis eſſet ſine fine, & ad eum, qui fine caret finem perveniret. Hinc enim pius oculus ſuum ad ſequentia transferat aſpectum, & digno intuitu rerum magis quam verborum perſcrutans ſeriem jocundo Regi per hanc diſpoſitiſſimam illius benevolentiam congaudeat. Statuit vero atque conceſſit, quatenus Eccleſia de *Ely*, ex tunc & ſemper, in Regis curia *Cancellarii* ageret dignitatem, quod etiam aliis, Sancti videlicet *Auguſtini* & *Glaſtoniæ* Eccleſiis conſtituit, ut Abbates iſtorum cœnobiorum viciſſim adſignati, ſuccedendo temporibus, annum triplarie dividerent, cum ſanctuariis & cæteris ornamentis altaris miniſtrando. Abbas quoque *Elyenſis* cœnobii ſemper in die purificationis Sanctæ *Mariæ* ad adminiſtratorium opus procedebat in ipſo *Februarii* menſis initio; & ſic ipſe Abbas, vel quem de fratribus deſtinaret, quantum temporis ei ſuppetebat, per quatuor menſes, tertiam videlicet anni partem, cum ſumma diligentia illic officium reverenter ſupplevit: deinde alii, quos diximus, reſiduum anni per adſignata ſibi tempora explicabant. Hoc autem conſuetudinis ab ipſo revocationis ſuæ tempore apud Eccleſiam, ad magnam loci provectionem & libertatem, fuiſſe memoratur, nec ab aliunde impeti aut ſubjici patiebatur, donec Anglia ſub *Normannorum* jugo miſere depreſſa, ex omni priſtino ſpoliatur honore, unde *Elyenſis* Eccleſia quondam famoſiſſima, inter filias *Jeruſalem* ſpecioſa, quæ fuerat libera, calamitatis nunc oppreſſa amaritudine, & princeps provinciarum facta eſt ſub tributo.

CAP. XXI.

Quomodo reliquiæ Almæ *virginis* Wendredæ *ex hoc loco ſublatæ ſunt, & quod Regina* Ymma, *ſicut ſub Rege* Ædelredæ *hanc Eccleſiam honoribus provexit, ita ſub Rege* Canuto, *ſecundo ſponſo ejus, decore veſtium adornavit.*

DEinde cum Rex *Ædelredus*, licet inter frequentias Bellorum, ut à ſe iram Domini amoveret, quam per mortem fratris ſui mitiſſimi Regis *Edwardi* incurrerat, & Dei miſericordiam obtineret, Eccleſiis undique *Anglorum* bona geſſiſſet, defunctus eſt *Londoniæ*, poſt magnos labores, & multas vitæ tribulationes, quas ſuper eum venturas regalis in conſecrationis ſuæ die, poſt impoſitam coronam, prophetico Spiritu Sanctus *Dunſtanus* prædixerat. *Quoniam, inquit, aſpiraſti ad Regnum per mortem fratris tui, quem occidit mater tua, propterea audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus, non deficiet gladius de domo tua ſæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ,*

interficiens de ſemine tuo, quouſque Regnum tuum tranſferatur in Regnum alienum, cujus ritum & linguam gens, cui præſides, non novit. Nec expiabitur niſi longa vindicta peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum virorum, qui interfuere conſilio ejus nequam. Corpus autem illius in Eccleſia Sancti *Pauli* honorifice eſt ſepultum. Poſt quem cives *Londonienſes* & pars *Nobilium*, qui tunc temporis conſidebant *Londoniæ*, filium ejus *Edmundum* cognomento *Ferreum Latus* in Regem levavere, qui ſolii regalis culmine ſublimatus, Dei fretus adjutorio, audacter contra exercitum *Danorum* occurrit in montem, qui *Aſſendum* nuncupatur, ſtrenui militis & boni Imperatoris officium exequebatur. Hoſtes ſimul omnes protereret, ſi perfidi Ducis *Ædrici* non eſſent inſidiæ, totuſque fere globus *Nobilitatis Anglorum* illic cæſus eſt, qui nullo in bello majus unquam vulnus quam ibi acceperunt, ubi *Ædnodus Lincolnienſis Epiſcopus*, *Rameſienſis* quondam præpoſitus, & *Vulſius* Abbas, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente convenerant, interfecti ſunt, & fratres de *Ely*, ut mos eſt Eccleſiæ, qui cum reliquiis aſcenderant illuc, proſtrati ſunt, & reliquiæ virginis Almæ *Wendredæ*, quas ſecum attulerant, ablatæ, nec uſque nunc Eccleſiæ ſunt reſtitutæ; fertur enim quod tunc ab ipſo *Canuto* ſublatæ ſunt, & in *Dorobernia* repoſitæ. Nec diu poſt hæc Rex *Ædmundus* rediens *Lundoniam*, perimitur dolo prædicti *Ædrici*, veru ferreo in ſecreta naturæ transfixus, dum in ſeceſſu ſederet, & ſepultus eſt cum avo ſuo *Ædgaro Glaſtoniæ*, filiis ejus & fratribus nullam Regni portionem * exiſtimantibus, ſed *Canutus* ab omni Anglorum populo in Regnum levatur. Infra duos annos tres Reges Angliæ præfuerunt, ut adimpleretur quod Sanctus *Dunſtanus* ad Regem *Ædelredum* locutus eſt in ſermone Domini, cujus Reginam *Algivam*, alio nomine *Emmam*, idem Rex *Canutus* in conjugium accepit, quæ ſicut in illius tempore *Elyenſem* Eccleſiam honoribus decoravit, & donis, ita & ſub iſto illam augmentare intendit. Inſignem quoque purpuram aurifriſo undique cinctam fecit, & per partes auro & gemmis pretioſis mirifico opere, velut tabulatis, adornavit, illicque obtulit, ut nulla alia in Anglorum Regione talis operis & pretii inveniatur; opus quippe illius materiam præcellere videtur, atque cæteris Sanctis noſtris pannum ſericum unicuique, licet minoris pretii, auro & gemmis intextum obtulit, quæ penes nos hactenus reponuntur. Fecit etiam indumenta altaris, magnam pallam viridi coloris inſignem cum laminis aureis, ut in faciem altaris per diem ſolennem celſius appareret. Deſuper Biſſus ſanguineo fulgore, in longitudinem altaris, & ad cornua ejus attingens, uſque ad terram cum aurifriſo, latitudinem habens pedis, ſpectaculum decoris magni pretii adminiſtrat.

CAP. XXII.

De tranſitu Ælſini *Abbatis, cui* Leofwinus *ſucceſſit, & ei* Leofricus, *ambo ſuccedente tempore conſecrati ab* Wlſwino Elmanhenſi *Epiſcopo.*

PRæterea *Ælſinus* ſupra memoratus *Elyenſis* Eccleſiæ Abbas, gratia ſanctitatis decoratus, obiit in obſervantia mandatorum Dei, poſt multam gloriam & poſſeſſiones Eccleſiæ adquiſitas. Complevit autem dies ſuos in ſenectute bona, & juxta prædeceſſorem ſuum, ejuſdem Eccleſiæ Abbatem primum, in mauſoleo eſt conditus. Deceſſit autem tempore Regis *Ædelredi*, à quo ipſe Abbas conſtitutus fuerat, ac plenus dierum locum paſtore vacuum reliquit. Cui *Oſchitellus*, alio nomine *Leofwinus* appellatus, ſucceſſit in locum, ſed morte præveniente modico præfuit tempore. Hujus vero mentionem in ſcriptis noſtris nuſquam reperimus, niſi tantum in *Chronico Anglico* legitur, quod ille dejectus à ſuis, cum *Ægelnodo*

Dorober-

Dorobernenſi Archiepiſcopo petente pallium, Romam perrexit, ubi in conſpectu *Benedicti* Papæ de ſibi objectis ſe purgavit criminibus, & ſic in gratiam ſuorum recipi meruit, poſtquem ipſius loci præpoſitus *Leofricus* in reginam eſt aſſumptus, ambo diverſis ſuccedentes temporibus. Unde factum eſt ut hos duos ibi Abbates benediceret *Ælfwinus Elmanhenſis* Epiſcopus, tam Rege *Canuto* præcipiente, quam toto conventu id petente.

Cap. XXIII.

De Eſtre, Fanbrege, & Hirlinges.

IN diebus *Leofrici* Abbatis, regnante *Canuto*, quædam fémina *Godiva* nomine cujuſdam comitis derelicta fuit, quæ poſt ipſius obitum bona ſua Eccleſiis diviſit, ut ad meritorum ſuorum participes forent apud Deum. Ad ſponſam Domini *Jeſu Ædeldredam* orationum excubias actitans, loci amœnitate & fratrum devotione in maximum erga eos accenditur amorem, unde de ſuo jure aliqua rura, ſed præcipua, beatæ virgini & Deo illic miniſtrantibus donavit, & in Teſtamento *Anglice* confirmavit, quorum hic nomina memorantur, *Æſtre*, *Fanbrege*, *Terlinges*.

Cap. XXIV.

Privilegium Canuti *Regis, de mutatione villarum* Cheſle, & Ditune.

"IN nomine *Chriſti* Salvatoris mundi in perpetuum regnantis, cujus ſunt "diſpoſitione univerſi ordines & poteſtates totius dignitatis & prin-"cipatus ordinati, qui jure cunctis principatur & dominatur, ut pote crea-"tor omnium. Ego *Canutus* Rex totius gentis Angligenæ ejuſque amore "provocatus, & venerabilis orientalis Epiſcopi *Alfwini*, & Abbatis *Leo-"frici* Monaſterii *Elyenſis*, & fratrum eorundem petitionibus incitatus, ac "pro remedio animæ meæ feci commutationem apud Abbatem ejuſdem "Monaſterii, *Leofricum* ſcilicet, dando eis reciproca viciſſitudine villam, "quæ proprio notamine appellatur *Dittun*, cum omnibus ad ſe jure atti-"nentibus in Longitudine & in Latitudine, ut mihi in poteſtate ſtetit, "accipiens quoque pro ea villam ſilvoſam, vocabulo *Cheſle*, cum omnibus "quæ ad eam attingunt, in pratis, in paſcuis, in ſilvis, & in quibuſlibet "negotiis. Facta eſt hæc commutatio anno Incarnationis Dominicæ mil-"leſimo vigeſimo ſecundo, indictione quinta, epactæ quindecim concur-"rentes ſeptem, die feſtivitatis Sanctæ *Ædeldredæ* Reginæ & virginis, quæ "Sanctis ſuis meritis cum ſororibus ſuis, videlicet, *Withburga*, *Sexburga*, "& filiæ *Sexburgæ Armemilda*, illud Monaſterium patrocinatur & regit. "Siquis hanc noſtram placitam viciſſitudinem malo molimine machina-"tur mutare, abſque voluntate ſervorum Dei Monaſterio illo inhabitan-"tium, ſit pars ejus cum Diabolo, participium ſumens de omnibus pœnis "ejus æternaliter, nec contingat ei perpetualiter viciſſitudo, cujus viciſſi-"tudine poſſit ſibi gaudium aliquod in hoc ſeculo vel in futuro ſperare.

Cap. XXV.

De Berechinge.

NUnc reſtat adjicere qualiter fidelis Domini *Godiva Ælfricum* Epiſcopum & *Leofricum* Abbatem de *Ely* per ſcripta ſalutavit, & quod de ſalute

ſalute ſua eis oſtendere voluit, ſic quoque ait, *O Domini mei, ego infelix mulier, quamvis circa ſalutem animæ meæ minus provide intendi, & tempus exitus mei inſtat, cum adhuc licet operari, beatitudini veſtræ inſinuo quid ad Dominam meam ſacratiſſimam virginem* Ædeldredam *in* Ely *conſtituo fieri de bonis meis atque concedo, hoc eſt terram de* Berchinges, *quæ mei juris eſt, parentum hæreditate, illic perpetualiter impertior, ut apud eos mei jugiter memoria ſit.*

CAP. XXVI.

A quo benedicitur Abbas Leoffinus Elyenſis, *& quæ bona illic geſſit, & quod ex nutu Regis* Canuti *annua firma Eccleſiæ conſtituitur.*

UT autem Rex *Canutus* imperium ſuſcepiſſet, prædeceſſorum ſuorum Regum accenſus devotione erga beatiſſimam *Ædeldredam*, & loci Sancti miniſtros, *Leofſinum* quoque ejuſdem Eccleſiæ paſtorem, qui *Leofrico* ſucceſſerat, & diu abſque benedictione fuerat, apud *Walewich* ad ſe accerſitum ab *Egelnodo* Dorobernenſi Archiepiſcopo ſacrari præcepit. Hic non ſuam ſed Domini gloriam expoſcens, ſummo ſtudio locum provehere ſtuduit, & ut neminem in congregatione Monachum ſuſciperent, niſi electos in ſcientia & præclaros genere, quorum largitione Eccleſia ſublimius ditaretur, & fratres ſolito deinceps victum & veſtitum abundantius haberent. Qui vero in * mobilibus ſe ſuſcipi in eorum conſortium rogarent, ad numerum Monachorum fruſtatim, quicquid offerrent, divideretur, & juxta panes cunctorum in refectorio, ſive aurum ſive argentum, quique partes ex oblato perciperent, & ſic pari conſilio, ad quodcumque opus erat, in commune locaretur. Taliter locus extrinſecus in poſſeſſionum affluentia accrevit, & decore veſtium intrinſecus adornatur; prohibuit maxime nullum permitti de indigenis miniſtrare in loco, ſed potius de externis, dicens ab eis cavendum eſſe, optans illos, quemadmodum in Evangelio Dominus ſuos præmuniri voluit Diſcipulos, à fermento *Phariſæorum.* Addidit quoque ornamenta inſignia in decorem Domus Dei, inter quæ albam præclaram cum amicto, cum ſuperhumerale, cum ſtola, & manipulo ex auro & lapidibus contextis, atque infula rubea mirando opere ſubtus & deſuper floribus retro extenſa, & velut quodam tabulatu gemmis & auro ante munitur, cujus opus exponere non ſufficimus. Vaſa enim aurea fecit & argentea in miniſterium Domini, quæ in ſeditione poſtea *Normannorum* expoſita ſunt. Supra gregem Domini Pater iſte inſtanter vigilias adhibuit obſecrando, increpando in manſuetudine, miſcens temporibus tempora, illud ſemper & potius affectans *beati Benedicti* plus amari quam timeri. Statuit etiam nutu & favore ipſius Regis *firmas* conſignando, quæ per annum Eccleſiæ in cibum ſufficerent, & potius electæ de vicis & arvis, quæ abundantiore dulcedine & uberiore ceſpite ſegetes creare noſcuntur, quarum hic nomina inſeruntur. Inprimis *Scelford* duarum ſolvit *firmam* Ebdomadarum, *Stapelford* unius, *Litlebery* duarum, *Tripelave* duarum, *Havecheſtune* unius, & *Neutune* unius, *Meldeburne* duarum, *Grantedene* duarum, *Thoftes* unius, & *Cotenham* unius, & *Wivelingeam* unius, *Dittune* duarum, *Horningeſeie* duarum, *Stevecheworde* duarum, *Beleſham* duarum, *Kadenhom* quatuor dierum, *Sanfham* dierum trium, *Spaldwic* duarum Ebdomadarum, *Sumereſham* duarum, *Blunteſham* unius, & *Colne* unius, *Hertherſt* unius, *Drencheſtune* unius, *Radeſdene* duarum, *Hetham* duarum, *Berechinche* duarum, *Heddinge* unius, *Wederingeſete* unius, *Brecheham* duarum, *Pulleham* duarum, *Thorpe* & *Dyrham* duarum, *Nordwolde* duarum, *Feltewelle* duarum, *Merham* vero ad vehendum *firmam* Eccleſiæ de *Nortfolchie*, & ad ſuſcipiendum ingredientes & egredientes de Monaſterio. Et hæc ſiquid minus ſtatuto ſuis conferrent temporibus, inſula ad hoc deputata reliquum ſuppleret.

CAP. XXVII.

Qua difficultate ad ſuam feſtivitatem Rex Canutus *in* Ely *pervenit, & de longe audiens Monachos cantilenam compoſuit.*

QUodam vero tempore, cum idem Rex *Canutus* ad *Ely* navigio tenderet, comitante illum Regina ſua *Emma*, & optimatibus regni, volens illic juxta morem purificationem Sanctæ *Mariæ* ſolemniter agere, quando Abbates *Ely* ſuo ordine incipientes miniſtrationem in Regis curia habere ſolent, & dum terræ approximarent, Rex in medio virorum erigens ſe, nautis innuit ad *portum Puſillum* ocius tendere, & tardius navem in eundo pertrahere jubet, ipſe oculos in altum contra Eccleſiam, quæ haud prope eminet in ipſo Rupis vertice ſita, vocem undique dulcedinis reſonare ſenſit, & erectis auribus quo magis accederet amplius melodiam haurire cœpit; percepit namque hoc eſſe Monachos in cœnobio pſallentes, & clare divinas horas modulantes, cæteros qui aderant in navibus per circuitum ad ſe venire, & ſecum jubilando canere exhortabatur, ipſemet ore proprio jocunditatem cordis exprimens, cantilenam his verbis Anglice compoſuit, dicens, cujus exordium ſic continetur. Merie sungen ðe Munechers binnen Ely. ða Cnut ching reuðer by. Roweð cniters noer the land. and here we þes Munechers sæng. Quod latine ſonat, *Dulce cantaverunt Monachi in Ely, dum Canutus Rex navigaret prope ibi, nunc milites navigate propius ad terram, & ſimul audiamus Monachorum harmoniam, & cætera* quæ ſequuntur, quæ uſque hodie in choris publice cantantur; & in proverbiis memorantur. Hoc Rex agitans, non quievit cum venerabili collegio pie ac dulciter concinere, donec pervenit ad terram, & quando cum proceſſione, ut mos eſt principem aut celſiorem perſonam, à fratribus digne ſuſceptus in Eccleſia duceretur; mox bona prædeceſſoribus ſuis Anglorum Regibus Eccleſiæ collata, ſuo privilegio & auctoritate ad perpetuam munivit firmitatem, & deſuper altare majus, ubi corpus ſacre virginis ac ſponſæ Chriſti *Ædeldredæ* pauſat in ſepulcro, in faciem Eccleſiæ coram univerſis jura loci perpetuo libera eſſe ſancivit. Ad hanc igitur ſolemnitatem ipſum Regem aliquotiens præ nimio gelu & glacie inibi contigit non poſſe pervenire, uſque paludibus & aquis gelatis, ſed ſic à bonitatis ſuæ ſtudio Rex non mutatur, licet nimium gemens & anxius fuiſſet, in Domino Deo confiſus, ſuper mare de *Saham*, cum non ceſſaret vehemens pruina, uſque in *Ely* trahere ſe in vehiculo deſuper glaciem cogitavit, ſed, ſiquis eum præcederet, ſecurius & minus pavide aſperum iter perficere, nec differre aſſeruit, caſu enim aſtitit ibi vir magnus & incompoſitus ex inſula quidam *Brihtmerus Budde*, pro denſitate ſic cognominatus, in multitudine & ante Regem ſe progredi ſpopondit. Nec mora, Rex feſtinus in vehiculo ſecutus eſt, admirantibus cunctis, illum tantam audatiam præſumpſiſſe. Quo perveniens cum gaudio ſolemnitatem ex more illic celebravit. Nam ſicut in *Sapientia* legitur, *fortis eſt ut mors dilectio, & dilectio cuſtodia legum eſt*, in ſola dilectione ac devotione Chriſti virginis *Ædeldredæ* Rex glorioſus nitebatur, & completur in eo illud Dominicum, *omnia poſſibilia credenti.* Ad gloriam beatæ virginis narrare conſueverat Rex ſibi à Domino conceſſum fuiſſe, quod tam magnus Ruſticus & incompoſitus per viam nullum offendiculum ſenſerat, ut & ipſe agilis, & mediocris ſtaturæ, directe & intrepide ſubſequi * licuiſſet, Rex namque liberalis animi atque munificus, laborem viri rependere volens, ipſum cum poſſeſſione ſua æternæ libertati donavit, unde filii filiorum ejus uſque ad diem hanc quieti conſiſtunt.

Cap. XXVIII.

Quod Ælwinus *Epiſcopus Monachos apud* Betricheſworde *primum locavit, & poſt relicto Epiſcopatu ad nos rediens hîc ſuam ſepulturam elegit.*

SAnctus iſte confeſſor Domini *Ælwinus* vitæ merito & morum honeſtate ad Epiſcopale culmen, ut prælibavimus, attingens, ſua poſtulatione prædictum manerium de *Dittune Silveſtre* pro *Chevele* mutuari, & huic loco perpetuo jure confirmari à Rege *Canuto* impetravit. Hic etiam ipſius Regis præcepto in *Betricheſworde* primum Monachorum adduxit catervam, quoſdam de ſua Eccleſia de *Ely*, quoſdam vero de *Holm* illic collocavit, eiſque affuenter ſubſidia detulit, auxilium impendente *Thurchillo* comite, rebuſque & ornamentis eidem loco de ſua quoque parte collatis quamplurimis. Præfecitque eis patrem & Abbatem nomine *Uvium* virum humilem, modeſtum, manſuetum, & pium. Presbyteros vero, qui inibi inordinate vivebant, aut in eodem loco ad Religionis culmen erexit, aut datis eis aliis rebus in alia loca mutavit. Et poſt multa beneficia ſacris locis collata, demum relicto proprio Epiſcopatu, ad contemplativam quietem in *Elyenſe* cœnobium reverſus eſt, ubi uſque ad ultimum vitæ permanſit, hunc etiam de antiquo tumulo tempore *Nigelli* Epiſcopi inter reliquos honorofice tranſtulimus.

Cap. XXIX.

Quomodo, quando, & à quo corpus Vulſtani *confeſſoris Domini tranſlatum eſt.*

GLorioſo itaque Rege atque piiſſimo Anglorum *Stephano*, poſt multa tempora regnante in ſeptentrionalem partem Eccleſiæ noſtræ, venerabilium reliquiæ virorum, quorum beneficiis locus noſter adcrevit, & quorum * cœtus noſter in Sancta Religione profecit, cura *Alexandri* prioris de veteribus ſepulchris tranſlatæ ſunt, quæ antiquitus in profundo poſitæ, & magna difficultate tandem cum certis ſignis inventæ, ſingulorum loculos cum ſcriptionibus nomina acceperunt. Horum primus eſt in ordine vir optimus *Wlſtanus*, licet aliquorum, exigente narrationis ſerie, ſupra meminimus. Vir optimus bonis pollebat moribus, primo Monachus, deinde Abbas, poſtremo beato *Oſwaldo* Eboracenſi Archiepiſcopo tertius in ſedem pontificalem ſucceſſit. Omnes vero ipſius mores & actus religioni ſerviebant, nec deerat ei vel nobilitas generis, vel honeſtas ſecularis. Nam & ſororis ejus filius *Brithtegus Wigornenſis* Epiſcopus fuit, & plures alios Generoſos viros propinquos habuit, & tam ex genere quam ex ſanctitate cunctis honorabilis habebatur. De quo id mirabile ferebatur, quod ſecto matris utero in hanc lucem productus fuerat, & vaccæ uberibus proximorum induſtria educatus. Floruit autem temporibus *Ædeldredi*, *Edmundi*, & *Canuti* Regum *Anglorum*, quibus ſingulis æque amabatur, ut frater, æque honorabatur, ut pater, & ad maxima Regni negotia, ut pote doctiſſimus conſiliarius, frequenter vocabatur, in quo ipſa Dei ſapientia, quaſi in quodam ſpirituali templo loquebatur. Cui ob inſigne meritum, Rex *Canutus* hunc honorem ſuo in tempore detulit, ut eum ad dedicandam Eccleſiam ab ipſo *Canuto* & *Thurchillo* comite in monte *Aſſandun* ædificatam invitaret, quam & ipſis præſentibus ipſe cum multis aliis Epiſcopis glorioſe & honorifice ædificavit. Qualis denique vir iſte apud Deum ſemper extiterit, circa vitæ finem evidenter apparuit, quodam

dam enim tempore contigit eum hanc Eccleſiam orationis cauſa viſitare, cui fratres loci proceſſionaliter cum magna ut decuit reverentia occurrerunt, cumque jam in Eccleſiam fuiſſet deductus, & in capite proceſſionis Epiſcopali more baculo paſtorali ſtaret innixus, ſubito baculus pene ad medium ſui terram intravit, de quo ſigno ſpiritualiter commonitus, futuram ibi ſui corporis requiem pluribus audientibus Davidico vaticinio ſic prænunciavit, *hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo*; unde & locum iſtum quoad vixit vehementer dilexit, ornamentis ditavit, & plurima munimenta noſtra primus inter primos ſubſcriptione ſua roboravit. Poſt modum vero imminente vocationis ſuæ die, cum jam diſſolvi inciperet, corpus ſuum de Eboraco huc afferri præcepit, & locum, ubi baculus fuerat infixus, in veteri Eccleſia obtinuit. Ad cujus tumulum ſæpe contingebant miracula, quæ in veteri fiebant Eccleſia, ita ut hactenus vivi reperiantur, qui à turpibus morbis ibi curabantur. Deinde conſtructa nova, quæ nunc eſt, Eccleſia, placuit fratribus de priſtino eum loco removere, & corpus ejus infra ſepulcrum viſitare, quod quidem diſſolutum invenerunt. Sed caſulam & pallium auratis ſpinulis affixum cum ſtola & manipulo invenerunt, ut mirum fuerit tanto ſpatio temporis ſub putredine corporis potuiſſe illa ſaltem in aliqua ſui parte duraſſe. Motus ergo de primo ſepulturæ ſuæ loco pro neceſſitate novi operis, quod tunc conſtruebatur, extra Eccleſiam juxta cancellum in cimiterio fratrum interim fuit collatus, donec ipſo opere perfecto in meliorem locum, ut dignus erat, transferatur. Quod nos tandem poſt multos annos ſub venerabili patre *Nigello* Epiſcopo, Deo annuente, complevimus, primum eum in ſerie aliorum collocantes, quos ſubſequens narratio declarabit. Mortuus eſt autem plenus dierum, & appoſitus eſt ad patres ſuos, anno M. XXIII ab Incarnatione Domini, V Kalend. Junii, feria ſecunda, benedictus Deus per omnia.

CAP. XXX.

De Beleſham *&* Wetheringeſete *&* Stevetheſworde.

EST villa frugifera paſcuis & agris ſpatioſa, *Beleſham* dicta, de jure *Leoflede* mulieris, uxoris *Oſwi*, filia *Brithnodi*, cognomento *Alderman*, quorum ſupra meminimus. Hæc juxta *Marham*, circa frequens miniſterium adtenta, nudos veſtiebat, miſeros paſcebat, Eccleſiam tota anima honorabat, & ſervis Dei, ubicunque poterat, beneficia impendebat. Et, appropinquante vitæ ſuæ termino, ſcriptum *Canuto* Regi hæc continens direxit. "Tibi Domino dilectiſſimo, atque venerabili Dominæ meæ Re-"ginæ, omnibus modis gratias refero, quod circa me ancillam veſtram "benigne agere voluiſtis, & mihi de ſubſtantiis meis, ex quo vir meus "ablatus eſt à me, pro libitu diſponere indulſiſtis. Nunc igitur oſtendo "in hoc libello, quod villam de *Beleſham* Deo & Sancto *Petro* & Sanctæ "virgini *Ædeldredæ*, cum omnibus ad eam pertinentibus, poſt diem meum "concedo, pro anima viri mei & liberis meis, ſeu vivis vel defunctis. "Deinde duabus filiabus meis annuo *Stevecheworde*, dum vivant, tenere, "*Ælfwenne* & *Ælfwide*, & ultra dies ſuos in locum Sanctum *Ely* libere "dimittant. Aliæ vero filiæ, ſcilicet *Leoſware*, vicum illud de *Weddrerin*-"*geſete* ſub hac conditione permitto, ut caſte ſe conſervet, vel virum le-"gitime accipiat, ne ipſa & progenies noſtra lupanaris contagii notetur "infamia. Hæc & alia ego ancilla tua, tam Eccleſiis quam Domeſticis, "Domine Rex, tuo favore poſt diem meum eſſe diſpono, & rata in æ-"vum conſiſtent, nemo ea præter te, quod abſit, ſubtrahat vel minuat, & "quicunque aliquid ex eis evellere tentaverit, maledictionem habeat Do-

"mini noſtri *Jeſu Chriſti*, & cum *Juda* proditore auditionem malam au-
"diat; ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Ange-
"lis ejus. Hæc ſcripto tripliciter conſignantur, unum eſt apud *Ely*, aliud
"in theſaurum Regis, tertium *Leofleda* habet. Quæ cum mortua fuit,
"corpus illius ad nos delatum in cimiterio fratrum ſepelitur. Qua ſe-
"pulta, mox filia ejus præfata *Ældeſwida* cum poſſeſſione de *Stevecheworde*
"Eccleſiæ ſe tradens, viri conſortium aſpernatur, illic jugiter profeſſa eſt
"permanere, cui tradita eſt *Coveneia*, locus Monaſterio vicinus, ubi au-
"rifrixoriæ & texturis ſecretius cum puellulis vacabat, quæ de proprio
"ſumptu albam caſulam ſuis manibus ipſa talis ingenii peritiſſima fecit,
"& ſoror ejus *Leoſware* nobiliſſimo viro *Luſtwino* ſublimiter dotata terram
"de *Wedreringeſete* Eccleſiæ poſtmodum adjecit, & plura quæ de dono
"viri ſui ſequenter inſeremus.

CAP. XXXI.

De Dittune Silveſtre, *&* Burch, *&* Cnopwelle, *& cæteris quæ ſcripto illo nominantur.*

CUM de pluribus diximus, de hoc amico noſtro *Luſtwino* prætereundum non eſt, quem maxime inter cæteros memorare debemus, cui præfata *Leoſwara* matrimonio jungebatur, Hi ambo Deo devoti Sanctarum noſtrarum virtutibus in fratrum religione ad diligendum hunc locum adtracti, de fraternitate cum illis, de ſepultura corporis ſui cum plurima poſſeſſionum largitione conſtituunt. Ambo ſpe futurorum bonorum certi, ambo circa Sanctæ Religionis cultum devotione intenti, ſed potius erga nos ſuam bonitatem extendere diſpoſuerant, & de ſua hæreditate Eccleſiæ noſtræ, ut carta eorum demonſtrat, in jus perpetuum tradiderunt, quæ hic debite inſeruntur. Nam dederunt pro animarum ſuarum expiatione Deo & Sanctæ *Ædeldridæ Dittune*, non illam *Silveſtrem*, & *Cnopwelle* præter dimidiam hidam, & tunicam ex rubea purpura per girum & ab humeris aurifriſo undique circumdatam, atque has addidit poſſeſſiones, videl. *Burc parvum*, & *Weſtune*, *Chidingtune*, & *Pentelawe*, *Wimbiſc*, *Girdele*, *Hamminggefelde*, & *Æſtchendune*, cum ſuis pertinentiis. Hæc quoque conceſſa ſunt, & in libro teſtamenti ſui deſcripta, coram multitudine plebis & gentis ſuæ.

CAP. XXXII.

Quam nefarie proditus ſit Aluredus Clito *frater glorioſi Regis* Edwardi.

CIrca idem tempus innocentes *Clitones Ælwredus* & *Ædwardus*, *Ædelredi* quondam Regis *Anglorum* filii, de *Normannia*, ubi cum *Ricardo* avunculo ſuo manſerant tempore longo, multis *Normannis* militibus ſecum aſſumptis, in Angliam, paucis tranſvecti navibus, ad ſuæ matris colloquium, quæ morabatur *Wintoniæ*, venere. Quod indigne graviterque ferebant potentes nonnulli, qui, licet injuſtum eſſet, *Haraldo* fratri ſuo multò devotiores extitere, quam illis maxime, ut fertur, comes *Godwinus*. Hic quidem *Alfredum* cum verſus *Londoniam* ad Regis *Haraldi* colloquium, ut mandarat, properaret, retinuit; & arctam in cuſtodiam poſuit. Sociorum vero illius quoſdam diſturbavit, quoſdam catenavit, & poſtea cæcavit, nonnullos cute capitis abſtracta cruciavit, & manibus ac pedibus amputatis multavit, multos etiam vendi juſſit, & mortibus variis ac miſerabilibus apud *Gildefordam* ſexentos viros occidit. Sed illorum nunc animas

in

in *Paradiſo* creditur gaudere cum Sanctis, quorum corpora tam crudeliter ſine culpa perempta ſunt in arvis. Quo audito Regina *Ælfgina* filium ſuum *Edwardum*, qui ſecum remanſit, maxima cum feſtinatione *Normanniam* remiſit. Deinde *Godwini* & quorundam aliorum juſſione ad inſulam *Ely Clito Alfredus* ſtrictiſſime vinctus ducitur; ſed ut ad terram navis applicuit, in ipſa mox eruti ſunt oculi ejus cruentiſſime, & ſic ad Monaſterium ductus, & Monachis traditur cuſtodiendus. Ubi brevi poſt tempore de hac migravit luce, & in Auſtrali porticu in occidentali parte Eccleſiæ corpus ejus debito cum honore, anima vero *Paradiſiaca* fruitur amœnitate. Quo in loco miræ & pulchræ viſiones luminum & virtutum ſæpe contigerunt.

Cap. XXXIII.

Qualiter Edwardus *factus eſt Rex, & quam pie bona ſibi* Infantia *ab Eccleſia collata rependere ſtuduit.*

NEC multo poſt prædictus *Edwardus* de *Normannia*, ubi pluribus exulaverat annis, venit *Angliam*, & à fratre ſuo *Hardecanuto* Rege, qui fratre ſuo *Haraldo* cognomento *Hàrefoh* ſucceſſerat, honorifice ſuſcipitur; poſt quem ipſe *Lundoniæ* levatur in Regem. Jamque ſublimatus in Regno, beneficiorum, quæ puer in *Ely* habuerat, nequaquam eſt oblitus, digna enim recompendere præmia ſtuduit. Illuc enim delatus, in cunabulis à patre Rege & à matre Regina ſuper Sanctum altare oblatus fuerat, palla involutus orbiculata, brevibus circulis non plene viridi coloris adhuc ibi oſtenditur, & ſicut ſeniores Eccleſiæ, qui videre & interfuere, narrare conſueverant, cum pueris in clauſtro illic diu alitus eſt, pſalmos & himnos Dominicos cum illis didicit. Hujus quoque largitas ſupra omnium præcedentium Regum munificentiam *Elyenſi* ſe infudit Eccleſiæ, dans ei univerſa quæ in ſubjecto continentur privilegio.

Cap. XXXIV.

Carta ipſius ſuper omnibus quæ poſſidet Eccleſia.

"EDwardus Dei gratia Rex Anglorum, cunctis *Chriſti* fidelibus perpe-"tuam in Domino ſalutem. Cum Rex & Dominus rerum omnium "Deus, nullo indigens cuncta poſſideat, agit ineffabili qua hominem di-"lexit charitate, ut ex his quæ uſui humano creata largiter miniſtrat, ipſe "aliqua quaſi donaria gratanter recipiat, quo ſe colentis ad ſuæ ſervitutis "intentionem devotiores reddat, quos poſtmodum perpetua ſecum liber-"tate regnare concedat. Qua ſervitutis intentione antiqui patres ſuc-"cenſi, ſua primum Domino ſtuduerunt impendere, poſtmodum ſe, mu-"tuantes terrenis cœleſtia, temporalibus ſempiterna. Quorum veſtigia *Ædgarus* avus meus ac prædeceſſor ſceptrigeræ poteſtatis, "diligenter ſub-"ſequens, & exempla perfectius implens, *Elyenſe* cœnobium & alia, illud "tamen egregie præter cætera reſtauravit, reſtaurans ditavit, ditans om-"nimoda libertate quietavit, conſultus adjutuſque ſedula Sancti *Ædelwoldi* "ſummonitione, vel copioſa prædiorum augmentatione. Quod & Sancto "*Dunſtano* alacriter collaudante, cunctiſque primatibus Regni, privilegio "firmatum eſt. *Æthelredus* quoque pater meus, ſuæ gubernationis tem-"pore, quædam prædia eidem loco contulit, prioremque libertatem ſuæ "ſuorumque conceſſionis privilegio ſolidavit. Horum ego *Edwardus* Dei "gratia ſucceſſor, licet indignus, cum in his devotam circa Dei Eccle-

"ſiam, religionem, vel religioſæ devotionis operationem, longe diſpar con-
"ſpicio, veneranda eorum ſtatuta nequaquam infringere præſumo, ſed
"fortiter, quantum in mea efficacia eſt, defenſare, & utcunque augere
"deſidero. Unde & præfato cœnobio villam nomine *Lachin-geede* firme
"& hæreditarie ſubjicio, quo illorum aliquomodo jungar conſortio, &
"Sanctorum inibi multiplici meritorum laude quieſcentium amplificer
"ſuffragio, libertatem ab eiſdem ut diximus reſtitutam, ab ipſa autem
"Regina virgine Sanctiſſima prius habitatione poſſeſſa poſſeſſione Sancti-
"ficatam, Sanctificatione venerabilem factam, inviolatam manere, & om-
"nimode provehendam cenſeo, quod & privilegii atteſtatione, in eorum-
"que conſenſu fidelium, ſtabile præſentibus & futuris pronuntio, ſum-
"mam ergo eorum, quæ illi loco hoc noſtro adjacent tempore, vel le-
"gum conſuetudine nominatim ſubjecta, monſtrabimus deſcriptione.

In comitatu *Granteceſtriæ*, ipſa inſula cum duobus centuriatibus, & omnibus appendiciis; Extra, *Suafham*, *Horniggeſeie*, *Dittune*, *Havecheſtune*, *Nentune*, *Stapelford*, *Scelford*, *Tripelau*, *Meldeburne*, *Erningeford*, *Grantedene*, *Stevechwrde*, *Beleſham*, *Fuelburne*, *Theureſham*, *Weſtlai*, *Trumpintune*, *Wratinge*, *Sneilewelle*, *Dittune*, *Hardwic*, *Mideltune*, *Impetune*, *Cotenham*, *Wivelingeham*, *omniſque quartus nummus* reipublicæ in provincia *Granteceſtriæ*, & aliæ terræ in ipſa villa.

In comitatu *Sutfolc*, *Herteſt*, *Glameſford*, *Hecham*, *Ratleſdene*, *Drincheſtune*, *Neddinge*, *Berchinges*, *Bercham*, *Wederingeſcete*, *Liuremere*, *Acholt*, *Wichelau*, quinque & dimidium centuriarum; *Sutburne*, *Meltune*, *Kingeſtunho*, *Stoche*, *Debham*, *Brithwelle*, *Ordebruge*, *Brandune*.

In comitatu *Nortfolc*, *Feltewelle*, *Brugeham*, *Medelwolde*, *Crocheſtune*, *Watinge*, *Mundeford*, *Berc*, *Weſtfeld*, *Fingeham*, *Notwelle*, *Walepol* cum appendiciis, *Merham*, *Derham*, *Thorp*, *Pulleham*. In comitatu *Eſſexiæ*, *Hadeſtoc*, *Litelbirig*, *Stratlai*, duæ *Rodinges*, *Ratendune*, *Amerdene*, *Brocheſene*, *Eſtre*, *Fanbruge*, *Terlinges*. In comitatu *Hereford*; *Hadham*, *Hethfeld*, *Keleſhelle*. In comitatu *Huntendune*; *Spaldwich* cum appendiciis, *Sumereſham*, *Colne*, *Blunteſham*. "Hæc & aliorum appendicia, ſive majora ſive minora inſu-
"per omnia, à quocunque adjecta vel adicienda, bonorum teſtimonio poſ-
"ſeſſa, cum omni *Sacha* & *Socha*, ſine aliqua exceptione ſecularis vel Ec-
"cleſiaſticæ juſtitiæ, illi Monaſterio damus, data quieta clamamus, eadem
"qua Sancti viri illud glorificaverunt libertate, quo neque Epiſcopus, ne-
"que comes, neque alicujus exactionis miniſter, ſine licentia vel advoca-
"tione Abbatis vel fratrum, ullomodo ſe præſumat intromittere, vel rem
"Sanctæ aliquomodo inquietare, ſitque in eorum ut ſemper fuit arbitrio,
"à quocunque potiſſimum elegerint ordinari vel ſua Sanctificari Epiſcopo.
"Convenienti equidem diſpoſitione Regina hac utitur libertate, quæ Re-
"gum & Regnum mundumque florentem deſerens, inſulam pro dotalitio
"poſſedit, ubi ſponſo ſuo Chriſto integerrime ſervivit, quod & caro flo-
"rens in tumulo veſte etiam incorrupta oſtendit. Hæc quemcunque vo-
"luit Epiſcopum aſcivit, ſed Sanctus *Wilfridus* Eboracenſis Archiepiſco-
"pus, familiarior ei extitit, qui eam cum ſuo cœtu virginum conſecra-
"vit. Cum autem multo poſteriori tempore, ſervitio Dei pene deficiente,
"*Ædgarus* reſtauraret cœnobium, poſito ibi grege Monachorum, quibus
"Abbates præfecit, quos Sanctus *Ædelwoldus* & Sanctus *Dunſtanus* Sanctuſ-
"que *Oſwaldus* ordinaverunt, & quamdiu vixerunt quaſi ſuis conſuluerunt.
"Poſt hos quoſque meliores vinculo charitatis ſibi adtrahebant, è quibus ali-
"quos ſecum in Monaſterio retinebant. Harum ergo conſuetudinum cum
"non fuiſſem conſtitutor, malo eſſe teſtis & fidelis conſervator, quam
"perfidus & deteſtabilis everſor, Deum ſummum ſervatorem invocans, ut
"qui hæc conſtituta Sanctorum, noſtrumque infregerit teſtamentum, San-
"ctorum & omnipotentis, niſi pœniteat, incurrat odium, induens male-
"dictionem, ſicut veſtimentum, dum *Judæ* æmulatur opprobrium.

Quam ſolicita fuerit pii Regis in ſua largitate benignitas teſtatur ſequens Apoſtolici privilegium, quod individua ſocietate, ſub eodem contentum ſignaculo Regiam munificentiam *Petri* auctoritate confirmat. Voluit enim Rex piiſſimus inde inſtitutionis ſuæ habere firmamentum, unde totius Eccleſiæ proceſſit fundamentum, & tanquam in futuræ ſtabilitatis oraculum, non alterum quam *Petri* adhibere ſignaculum. Ut ergo fides vincat perfidiam, veritas falſitatem, & omnem de cætero juſta poſſeſſio repellat calumniam, *Victor* Papa & nomine & auctoritate legitimæ donationi concurrit, ſignificans invictum eſſe munus quod roborat.

Cap. XXXV.

Privilegium Victoris Papæ de libertate loci & omnium quæ illic adjacent.

"VIctor Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, *Edwardo* Regi Anglorum filio dilectiſſimo, cunctiſque Principibus Regni ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Privilegium Apoſtolica & Romanæ Eccleſiæ auctoritate antiquitus conſcriptum, & multorum ſæpius atteſtatione auctorizatum ſuper cœnobium *Elyenſe*, quod glorioſi Sanctæ Eccleſiæ patres pio affectu, larga manu, conſtituerunt, veſtræ piæ petitioni ſuccincte renovamus, ac perpetua ſtabilitate firmamus; imo firmatum conclamamus. Mandamus ergo & jure Apoſtolico præcipimus liberam eſſe Eccleſiam, & omnia quæ ibi continentur, vel adjacent, vel adjicientur, cellis, terris, agris, paſcuis, paludibus, ſilvis, venationibus, aquis, piſcationibus, libertatibus, ſervitiis debitis, decimis, cenſu, capitationibus, legibus, conſuetudinibus, cauſarum diſcuſſionibus, correptionibus, emendationibus, ſive Eccleſiaſticis ſive ſecularibus, & omnino rememorari poſſit quæ à Regibus vel ab aliquo fidelium Sanctis in illo Monaſterio collata vel conceſſa ſunt, quo nemo ex his ſubtrahere vel diminuere, aut diſperdere aliqua occaſione judicio vel poteſtate præſumat; nec Epiſcopus nec alicujus ordinis miniſter ſe intromittat; ſiquis vero malignitatis ſpiritu commotus hanc libertatem loci illius infringere, noſtrumque privilegium contemnere vel abjicere voluerit, à Deo & ab omnibus Sanctis ejus ſit condemnatus, & à nobis in quantum licet excommunicatus, & à conſortio omnium fidelium ſeparatus, niſi reſipiſcat.

Cap. XXXVI.

Quomodo Vulfricus *factus eſt Abbas.*

HIS vero diebus prædictus Abbas *Leofſius*, cum multa ſuæ geſſiſſet Eccleſiæ commoda, morte obiit, & juxta patres ſuos in Eccleſia Sanctæ virginis *Ædeldredæ* collocatus eſt. Quo defuncto Rex *Edwardus* *Wlfricum* cognatum ſuum Abbatem ad jam dictum cœnobium apud *Wintoniam* aſſumpſit, ibique à *Stigando Dorobernenſi* Archiepiſcopo benedici fecit, tertio Regni ſui anno; ab Incarnatione vero Domini milleſimo quadrageſimo quinto; atque hujus ſcripti teſtimonio uſitatæ locutionis ipſum in loco confirmavit.

CAP. XXXVII.

Stabilitas loci à Rege roborata.

ÆDƿarduſ cyning gret ælle mine biſcopaſ. ⁊ mine eorlaſ. and mine Scyrefen, and ælle mine þegenas on þan Scyran þer þa land to-liggað into Ely frendlice. and ic kyþe eow. þet ic habege unnen *Wlfrice* þet Abbotrice in Hely on eallen þingen binnen burgan ⁊ butan. toll and team. and infangen-þeof. fiht-wite. and ferd-wite. ham-ſocne. ⁊ grið-brice. ſitte hiſ mann þer þer he ſitte. ƿyrce þet he ƿyrce. and nelle ic ge-þafian þet ænig man of handa ateo. nan þere þinge þeſ ic him geunnen habbe. God eow gehealde.

CAP. XXXVIII.

Item de eodem.

HAnc quippe Epiſtolam in Latinum duxi commutandam, & ſic in Hiſtoriam redigere. "*Edwardus* Rex Anglorum Epiſcopis, Baronibus, & Vicecomitibus, & omnibus fidelibus ſuis in quorum comitatu "Abbatia de *Ely* terras habet, ſalutem. Notum ſit vobis, quod donavi "*Wlfrico* Abbatiam de *Ely* cum omnibus rebus ad eam pertinentibus intra "Burgum & extra, *Toll* & *Team* & *Infangantheof*, *Fihtwite*, & *Ferdwite*, "*Hamſochne*, & *Gredbrice*, & omnes alias forisfacturas, quæ emendabiles "ſunt in terra ſua ſuper homines ſuos, & nolo ut aliquis ſubtrahat ex his "omnibus, quæ illi conceſſi. Deus vos conſervet.

CAP. XXXIX.

Quod Eccleſia de Ely *villam de* Eſtre *cuidam ad tempus tenere conceſſit.*

DE famoſa villa de *Eſtre* alio nunc nomine *Plaſſiz* vocitata prætereundum non eſt, ſed quam miſere & injuſte ab Eccleſia Sanctæ *Ædeldredæ* diſtracta ſit, ſecundum antiqua loci ſcripta in palam producere. *Algarus* quidam *Stallare*, latine *Dux* dicitur, poſſeſſionem illam invadit, invadens poſſedit, poſſidens velut proprio abuti cœpit, jamque indebite poſſeſſor eſt factus, cui juſte foret alienus, Abbas vero præfatus *Wlfricus*, & fratres loci eum ſedulo, licet fruſtra, requirentes, cum nihil apud eum profeciſſent, pium Regem *Edwardum* adeunt de indebita hoſtis pervaſione conquerentes, illius ſuffragium implorant, ſed ille rebus & honore ſublimis, nec Deum nec hominem verebatur, Regiis juſſis nequaquam obtemperans, illum imitabatur, qui dixit, *ponam ſedem meam ad aquilonem & ero ſimilis altiſſimo*, ſed ſicut ille de cœlo in infernum ruit, ſic iſte per ſuperbiam & abuſionem in ſcandalum & opprobrium cadendus eſt. *Normannis* Dei judicio *Angliam* bello citius obtinentibus, qui uſque ad diem mortis ejus cum pluribus aliis in ergaſtulo carceris ferro aſtrictus, mox retrudendus erat. Fratres autem cum in gratiam nec prece nec promiſſis ipſuis animum flecti cognoviſſent, jaculo anathematis eum ferire adgreſſi ſunt, nec ſententiam ſuper eum ullo die prætermittebant. Quod ille diutius parvipendens, licet magnus & potens in Regno, uti Regis *Conſtabularius*, ab Eccleſia eliminatus & fidelium conſortio, ad correctionem, vix tandem cunctis jam deteſtabilis effectus, compulſus eſt pervenire. Quippe cordis ſui ductus livore & avaritia donationes fidelium, quas Deo prompta voluntate pro ſui & ſuorum redemptione adſignaverant, divertit, & pro libito

bito diſponit, ſed Eccleſia jus ſuum continue reclamante, & teſtamentum donantis, & præſcriptum Regis privilegium in ipſum publice oſtendente; unde plurimum objurgatus, necnon à Rege correptus, in ſe reverſus prece nititur tandem obtinere, quod iniquâ manu rapere cunctatus non eſt. Illi vero hoc cognoſcentes, ut filii Dei, pacem cum omnibus habentes, ſuis tunc petitionibus annuant, dimiſerunt ei; quamvis ad ſui incommodum, ita ut jurejurando poſt ipſius vitam ab omni ſuorum inquietudine libera ad Eccleſiam poſſeſſio rediret. Quod quidem factum eſt, & ſcripto Anglici ſermonis deſignatum, atque hoc, ut cætera ex Anglico tranſlatum in ſeriem adducimus & hic textus ejuſdem. *Igitur Abbas Wlfricus & conventus* Elyenſis *Eccleſiæ ſtatuerunt cum* Eſgaro Stallere, *quatenus idem* Eſgarus *cum Dei benedictione, & illorum permiſſione, terram de* Eſtre *habeat in vita ſua, atque poſſideat; & poſt diem illius cum omnibus quæ in ea fuerunt, libere ad Eccleſiam revertatur. Hujus enim conceſſionis prædictus Rex* Edwardus *& Regina, cum optimatibus Regni teſtes exiſtunt, ſicut hactenus geſtæ rei ſcriptum perhibet.*

Cap. XL.

Quomodo Abbas Wlfricus *quaſdam Eccleſiæ poſſeſſiones, neſciente conventu, fratri ſuo conceſſit, & de ipſius obitu.*

PORro idem Abbas gradum ſuum in honore primum ſervavit, & ſollicite locum rebus cumulare ſtuduerat. Nam cum quodam comite *Elgaro* nomine habuit conventionem, & manerium de *Bercham* ab eo emit, pro viginti quinque marcis auri, & in præſignata Regis carta, quam adquiſierat, confirmari fecit, & quamvis hoc commodum ſuæ geſſiſſet Eccleſiæ, noluit intelligere ut in finem bene ageret, ſed evanuit à cogitationibus ſuis, curis ſeculi ſe implicando, gloriam appetens humanam; unde in ignominiam & in proprium corruit. Habuit enim fratrem *Gudmundum* vocabulo, cui filiam præpotentis viri in matrimonium conjungi paraverat. Sed quoniam ille quadraginta *Hidarum* terræ Dominium minime obtineret, licet nobilis eſſet, inter proceres tunc numerari non potuit, eum puella repudiavit; unde pudore minium ſuffuſus, ad Abbatem rediit, conquerens infortunium ſibi illatum, & ut ei aliqua Eccleſiæ rura pro fraternitate committeret, intentius exorat, ne nunc honoris nomine, præſertim optata matrimonii copula, fruſtraretur, Abbas vero nimium carnaliter amans fratrem, abſque titulo & ſubſcriptionis teſtimonio, hæc ſubjuncta maneria illi, ſed tantum in præſto dimiſit, partem viz. de *Merham* cum curia villæ, *Liveremere*, *Nachentune*, *Acholt*, *Bedeneſtede*, *Gerboldeſham*, & hoc non manifeſte, ne Monachis innoteſceret: non prævidens aut præcavens quantum criminis & diſcriminis ſit ad momentum etiam res ſacras, & bona Domino oblata, laicorum manibus exponere, ut perfecta matrimonii celebratione abſque controverſia recipere deberet. Quod factum Monachos diu non latuit, qui eum ut decuit pro tali tranſgreſſione probris & objurgationibus proterve infeſtabant. Ipſe vero multo magis factum expavit, ad unum [eorum] quos expoſuerat, ſeceſſit locum, *Acolt* vocitatum, moerens coram omnibus, in Deum & animam ſuam, contra profeſſionem ſui ordinis, peccatum imo ſcelus perpetraſſe, diſtrahens bona de loco Sancto, quæ pretium erant piorum in redemptionem animarum eorum. Ibi dum aliquamdiu moras ageret, ex animi confuſione ac perturbatione in languorem decidit, ſed remedium ſalutis expectans, cum meliorari credidit, obiit, & in *Ely* ad ſepeliendum deportatur. Illic namque mori ſalubre æſtimavit, ut per mortem ſuam clareſceret Eccleſiam debere conquirere, quod negligenter & indigne conſenſum præbuit extuliſſe. Poſt cujus mortem

frater ejus ſupradictus *Gudmundus* nequaquam eaſdem terras reliquit, ſed facta conventione cum Abbate *Turſtano*, qui ipſi ſucceſſerat, ut quamdiu viveret, teneret, ſed citius *Normannis* Regnum obtinentibus, miles illorum quidam *Hugo* de *Mumford* eaſdem terras invaſit, & hactenus Eccleſiæ detinuit.

CAP. XLI.

Quomodo Abbatiam de Ely Stigandus *Archiepiſcopus tenuit, & quanta illic Ornamenta tribuit.*

POſt deceſſum vero Abbatis *Wlfrici*, *Stigandus Dorobernicæ* Archiepiſcopus, Abbatiam de *Ely*, ſed & Epiſcopatus atque Abbatias ſibi aſſumpſit plurimas, & gratia utriuſque Domini ſui, *Edwardi* ſcilicet, & *Haroldi* Regum, eas propriis paſtoribus viduatas, quamdiu voluit in ſua manu tenuit, & quibus voluit perſonis, conferebat. Nam *Wintonienſem*, *Glaſtonienſem*, Sancti *Albani*, & Sancti *Auguſtini*, & *Elyenſem* ante *Turſtanum* Abbatem Abbatias in manu ſua receperat, & velut proprias poſſidebat. Ipſo quoque ſuggerente, *Haroldus*, qui regni ſceptra tenebat, ipſum *Turſtanum* ab eodem *Stigando* benedici fecit; etenim *Stigandus*, quamvis ſubſtituto illic Abbate, cauſas Eccleſiæ agebat, ſed quaſdam illius optimas poſſeſſiones, ſicut *liber terrarum* inſinuat, ad maximum loci diſpendium retinuit, deditque tamen dona cœnobiis affluenter, præſertim his quæ in manu ſua cognoſcitur tenuiſſe, in *Ely* quippe vaſa majora & minora de argento & auro in miniſterium ſacri altaris contulit, quæ in deditionem *Wilhelmi* Regis magni comminuta ſunt & diſtracta; fecerat quoque illic crucem magnam deargentatam deſuper totam cum imagine Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ad magnitudinem formæ illius, atque ſimilis operis imagines, juxta Sanctæ Dei genitricis *Mariæ*, & Sancti *Johannis* Evangeliſtæ, ex ære fabrefactas, quas *Nigellus* Epiſcopus, ac plurima alia, poſtmodum abſtulit atque comminuit. Inſuper albam fecit & cappam cantoris, atque ineſtimabilis facturæ & pretii caſulam, qua nulla in Regno ditior aut pretioſior æſtimatur, quæ poſtea à prædicto Rege ſublata hactenus recuperari non valuit.

CAP. XLII.

De Oſmundo *Epiſcopo.*

NUnc dicendum eſt de *Oſmundo* pontifice inter ſupradictos pridem honorifice tranſlato, qui de *Suedtheda* regione, ubi Epiſcopus extiterat, veniens in Angliam, *Edwardo* Regi aliquamdiu adhærebat, ejuſque curiam cum magna ipſius Regis gratia ſequebatur. Erat autem vir grandævus & honorabilis, cunctiſque Regni primatibus pro reverentia ſui amabatur. Dum igitur verſaretur in Regali curia, fama *Elyenſis* Religionis delectatus, locum ipſum viſitare decrevit, volens ibi reliquum vitæ tempus tranſigere, ſi fratrum gratia cum ſua voluntate concordaret. Quo perveniens, loci amœnitate & fratrum devotione detinetur, & in plenam fraternitatem receptus, omnia Epiſcopalia apud eos eorum petitione faciebat, hoc enim ſolum omnes Epiſcopi huc ſe conferentes ſibi retinuerunt, ut relicta cura Epiſcopatuum, ſolum Epiſcopale officium exercerent. Duravit autem piiſſimus vir iſte apud hanc Eccleſiam à temporibus *Wlfrici* Abbatis, qui eum ſuſceperat, uſque ad tempora *Turſtani* Abbatis, ſub quo defunctus Epiſcopalia ornamenta, hîc dum viveret, conceſſa nobis dereliquit, & tandem de veteri ſepultura à nobis tranſlatus in pace requieſcit.

CAP. XLIII.

De obitu Regis Edwardi, *& quod* Haraldus *poſt eum Regnum ſuſcepit, qui* Thurſtanum *in* Ely *Abbatem conſtituit.*

ANglorum decus pacificus Rex *Edwardus*; quamvis curis ſecularibus multum eſſet occupatus, abjectis tamen plerumque noxiis honoribus, divinorum ſtudiorum erat indagator fervidus. Unde Rex Regum multa ei arcana revelavit, & non multa de futuris, ſicut ſeniorum relatione didicimus, inſinuavit. Interim cum omnem vitam Deo dicatam in vera innocentia duceret, morte obiit *Lundoniæ*, & in craſtino ſepultus eſt Regio more, ab omnibus, qui tunc affuere, non ſine lacrimis plangebatur amariſſime. Quo tumulato ſubregulus *Haraldus Godwini* Ducis filius, quem Rex ante ſuam deceſſionem Regni ſucceſſorem elegerat, à totius Angliæ primatibus ad regale culmen electus, die eodem ab *Aldredo Eboracenſi* Archiepiſcopo in Regem honorifice conſecratur, quia *Stigandus* Archiepiſcopus *Cantuariæ* ab *Alexandro* Papa, tanquam ſchiſmaticus, ſuſpenſus erat. Et mox accepto Regno *Turſtanum* in *Ely*, mortuo nuper *Wlfrico* patre, ejuſdem Monaſterii conſtituit Abbatem, virum probatæ virtutis & abſtinentiæ Anglice & Latine ſufficienter à puero ipſo in loco edoctum.

CAP. XLIV.

Quod Rex Haraldus *poſt annum interemptus eſt à Duce* Normannorum Wilhelmo, *qui jus Regni bello obtinuit.*

REX igitur *Haraldus*, mox ut Regni gubernacula ſuſceperat, leges iniquas deſtruere, æquas cœpit condere, Eccleſiarum ac Monaſteriorum Patronus fieri; Epiſcopos, Abbates, Monachos, clericos colere ſimul ac venerari, pium, humilem, affabilemque ſe bonis omnibus exhibere, malefactores exoſos habere, & pro patriæ defenſione ipſemet terra marique deſudare. Sed per modicum tempus in parva lætitia & jocunditate tenens imperium, Regnum cum vita perdidit; interea nuntiatum eſt ei *Willelmum* comitem gentis *Normannicæ* cum innumera multitudine fundi balariorum, ſagittariorum, peditumque adveniſſe, & in loco qui *Peſneſe* dicitur, ſuam claſſem appuliſſe. Unde Rex ſtatim verſus *Lundoniam* ſuum movit exercitum, magna cum feſtinatione, & licet mediam partem ſui exercitus nondum congregaret, quam citius tamen potuit, hoſtibus occurrere non formidavit, & cum eis prælium commiſit. Ab hora vero diei tertia uſque ad noctis crepuſculum adverſariis reſtitit fortiſſime, & ſe ipſum pugnando tam fortiter defendit & tam ſtrenue, ut vix ab hoſtili interimi poſſet agmine. At poſtquam ex his & illis quamplurimi corruere, heu ipſemet cecidit, crepuſculi tempore, & cum eo nobiliores totius Angliæ. Deinde comes *Willelmus* victor exiſtens, in ipſa Dominicæ nativitatis feſtivitate à prædicto *Aldredo Eboracenſium* Archiepiſcopo in *Weſtmonaſterio* conſecratus eſt honorifice, prius, ut idem Archipræſul ab eo exigebat, ante altare Sancti *Petri* Apoſtoli, coram clero & populo, jurejurando promittens, *Se velle Sanctas Dei Eccleſias ac Rectores illarum defendere, nec non & cunctum populum ſibi ſubjectum juſte ac regali providentia regere, Rectam legem ſtatuere & tenere, Rapinas injuſtaque judicia penitus interdicere.* Et hic primus *Normannorum* in Anglia imperavit, eorum dico qui utroque parente *Normanni* & in *Normannia* ſunt educati. Quod quidem non ſubito eventu aut incerto caſu, * provido Dei judicio ipſa rerum ſeries indicat contigiſſe.

Et nunc de Anglia quid dicam? Quid poſteris referam? Væ tibi eſt Anglia, quæ olim Sancta prole fuiſti Angelica, ſed nunc pro peccatis valde gemis anxia. Naturalem Regem tuum perdidiſti, & alienigenæ bello cum ingenti tuorum ſanguine fuſo ſuccubuiſti, filii tui miſerabiliter in te occiſi ſunt, & conſiliarii principeſque tui victi ſeu necati vel exhæredati ſunt. De ipſo quidem prælio teſtantur adhuc *Franci* qui interfuerunt, quoniam licet varius caſus hinc inde extiterit, tamen tanta ſtrages & fuga *Normannorum* fuit, ut victoria qua potiti ſunt, vere & abſque dubio ſoli miraculo Dei aſcribenda ſit, qui puniendo per hanc iniquum perjurii ſcelus *Haraldi*, oſtendit ſe non *Deum eſſe volentem iniquitatem.* Rex itaque factus *Willelmus* quid in Principes *Anglorum*, qui tantæ cladi ſupereſſe poterant, fecerit, dicere cum nihil proſit, omitto. Quid enim prodeſſet, ſi nec unum in toto Regno de illis dicerem priſtina poteſtate uti permiſſum, ſed omnes aut in gravem paupertatis ærumnam detruſos, aut exhæredatos, patria pulſos, aut effoſſis oculis, vel cæteris amputatis membris, opprobrium hominum factos, aut certe miſerrime afflictos, vita privatos. Simili modo utilitate carere exiſtimo, dicere quid in minorem populum, non ſolum ab eo ſed à ſuis actum ſit, cum id dictu ſciamus difficile, & ob immanem crudelitatem fortaſſis incredilile. Uſus ergo atque leges, quas patres ſui & ipſe in *Normannia* habere ſolebat, in *Anglia* ſervari volens, de hujuſmodi perſonis Epiſcopos, Abbates, & alios principes per totam terram inſtituit, de quibus indignum judicaretur, ſi per omnia ſuis legibus poſtpoſita omni alia conſideratione, non obedirent; & ſi ullus eorum pro quavis terreni honoris potentia caput contra eum levare auderet, ſcientibus cunctis, unde, qui, ad quid aſſumpti fuerint. Cuncta ergo divina ſimul & humana ejus nutum ſpectabant. Monaſteria quidem totius Angliæ perſcrutari fecit & pecuniam, quam ditiores Angli propter illius auſteritatem & depopulationem in eis depoſuerant, auferri, & in ærarium ſuum juſſit afferri. Et conſilio ſtatuto, *Stigandus Dorobherniæ* Archiepiſcopus degradatur, atque ejus frater *Ægelmarus Eſtanglorum* Epiſcopus ſimiliter *Wintoniæ* eſt degradatus, Abbates etiam aliqui ibi degradati ſunt, operam dante Rege, ut quamplures ex Anglis ſuo privarentur honore, in quorum locum ſuæ gentis perſonas ſubrogaret, ob confirmationem ſcilicet ſui, quod noviter adquiſierat Regni. Ideo & nonnullos tam Epiſcopos quam Abbates, quos nulla evidenti cauſa nec concilia nec leges ſeculi damnabant, ſuis honoribus privavit, & uſque ad finem vitæ cuſtodiæ mancipatos detinuit, efferato properanter animo undique patriam devaſtare, homines trucidare, & multa mala non ceſſabat agere, ſuſpicione, ut diximus, tantum inductus novi Regni.

Reliqua pars hujus ſecundi libri Hiſtoriæ Elyenſis *hic non adducitur, quoniam pertinet ad tempora* Normannorum.

COL-

COLLECTIO PRIVILEGIORUM

Elyenſis Eccleſiæ.

Privilegium ÆDGARI REGIS *Anglorum.*

OMnipotentis Dei cunctorum ſceptra regentis moderamine regum, immo totius ſeculi creaturæque indiſſolubili regimine æque gubernantis habenas, ipſius nutu & gratia ſuffultus, ego Rex *Edgarus* baſileus dilectæ inſulæ *Albionis*, ſubditis nobis ſceptris *Scotorum*, *Cumbrorumque* ac *Britonum*, & omnium circumcirca regionum, quieta pace perfruens, ſtudioſus ſollicite de laudibus Creatotis omnium occupor addendis; ne noſtra inertia noſtriſque diebus, plus æquo ſervitus ejus tepeſcere videatur, ſed greges Monachorum & Sanctimonialium, hac noſtra tempeſtate (ipſo opitulante, qui ſe nobiſcum uſque in finem ſæculi manere promittere dignatus eſt) ubique in regno noſtro deſertis Monaſteriis, antiquitus Dei famulatu deficiente, nunc reviviſcente, aſſurgere cupimus, ſub St. *Benedicti* Abbatis regula viventes, quatenus illorum precatu, & vigente religione ſancta, ſervitus Dei, nos ipſum rectorem placatum habere queamus. Unde frequentes monitus *Ædhelwoldi* venerabilis Epiſcopi, corde tenus pertractans, cupio honorare hoc privelegio, rebuſque copioſis Monaſterium, quod in regione *Ely* ſitum dinoſcitur antiquitus, ac St. *Petri* Apoſtolorum principis honore dedicatum, decoratumque reliquiis & miraculis almæ virginis *Ætheldredæ*, cujus vita venerabilis nobis modernis Hiſtoriâ *Anglorum* promitur, quæ etiam in corruptibili corpore, hactenus condita marmoreo mauſoleo albo perdurat.

Locus denique prædictus, deficiente ſervitio Dei noſtri, ætate regali fiſco ſubditus erat, ſed à ſecretis noſtris *Æthelwoldus*, deique amator, dioeceſi *Wintonienſis* civitatis fungens, datis nobis ſexaginta caſſatis in villa, quæ ab accolis *Heartingas* nuncupatur, mutuavit locum prædictum cum appendiciis ejus, augmentavique mutuationi tres villas, quæ his nominibus vocitantur, *Meldeburne*, *Ærmingford*, *Northwolde*, & ipſe illico Monachos meo conſilio & auxilio Dei, fideliter regulari norma ſervientes perplures inibi collocavit, quibus *Brithnodum* quendam, ſapientem, ac bene morigeratum virum, præpoſiti jure præfecit, cui effectui admodum ego congaudens, lætabundus pro amore *Chriſti* & St. *Petri*, quem ſub Deo patronum mihi elegi, & Sanctæ virginis *Ætheldredæ*, Deo dilectæ, & ejus proſapiæ Sanctæ illic quieſcentis, & pro animabus patrum meorum regum antiquorum, augmentare largiter mutuationem illam his donis, teſtibus meis conſiliariis volo.

Hoc eſt decem millia anguillarum, quæ omni anno in villa quæ *WELLEN* [al. *Willan*] dicitur, pro expenditione [al. expeditione] redduntur, fratribus ad victualia, modo & deinceps concedo, & inter paludes cauſas ſeculares duorum centuriatuum in *Wichlaw* in provincia *Orientalium Saxonum* [*Anglorum*] benigne ad fratrum neceſſaria ſanciendo largior: quinetiam omnes cauſas, ſeu tranſgreſſionum correptiones juſtæ legis in ſermonibus ſecularibus omnium terrarum, ſive villarum ad Monaſterium prædictum rite pertinentium, & quas in futurum ævum Dei providentia loco præfato largitura eſt, ſive emptione, ſive donatione, aut aliqua juſta adquiſitione, ſtent cauſæ ſæculares emendandæ, tamen clemente examine, fratrum loco manentium victui vel veſtitui neceſſaria miniſtrantes. Adhuc inſuper

per omnem quartum nummum reipublicæ in provincia *Granteceſtriæ* fratribus reddendum jure perpetuo cenſeo, & ſit hoc privilegium liberum, quaſi munus noſtrum Deo, devote oblatum, & ſanctis ejus prædictis, ad remedium animarum noſtrarum, ſicuti præfati ſumus, ut nullus regum vel principum, aut ullius ordinis quiſlibet præpotens in poſterum obſtinata tyrannide, aliquid horum infringere præſumat, ſi non vult habere Omnipotentis Dei maledictionem, & Sanctorum ejus & meam, & patrum meorum, pro quibus iſta omnia libera haberi volumus, æterna libertate, in æternum. *Amen.*

Hoc privelegium hujus donationis & libertatis ſcribi fecimus, anno Incarnationis Domini noſtri *Jeſu Chriſti* nongenteſſimo, ſeptuageſſimo, indictione tertiadecima, anno regni mei æque tertiodecimo, in villa regali, quæ famoſo vocabulo à ſolicolis *Wlfamere* nominatur; non clam in angulo, ſed ſub divo palam evidentiſſime; ſcientibus totius Regni mei primatibus, quorum quædam nomina hîc infra inſeri ad teſtimonium in poſterum mandavimus.

Ego Ædgarus Rex animo benigno hoc largiendo Deo conceſſi, & regia ſublimitate corroboravi. ✠
Ego Dunstan Arch. corroboravi. ✠
Ego Oscytel Arch. corroboravi. ✠
Ego Æþelwold Epiſ. confirmavi. ✠
Ego Ælfstan Epiſ. conſignavi. ✠
Ego Osulf Epiſ. confirmavi. ✠
Ego Wulfric Epiſ. adquievi. ✠
Ego Winsige Epiſ. corroboravi. ✠
Ego Alfwold Epiſ. conſolidavi. ✠
Ego Oswold Epiſ. adquievi. ✠
Ego Byrhtelm Epiſ. confirmavi. ✠
Ego Eadelm Epiſ. conſignavi. ✠
Ego Elric Epiſ. conſolidavi. ✠
Ego Wlsige Epiſ. corroboravi. ✠

Ælfðryð REGINA.

Alfric Abbas. ✠
Æsewig Abb. ✠
Osgar Abb. ✠
Ælstan Abb. ✠
Æþelgar Abb. ✠
Cynewerd Abb. ✠
Ðyrcytel Abb. ✠
Baldred Abb. ✠
Ordbriht Abb. ✠
Siferð Abb. ✠
Martin Abb. ✠
Æþelstan Dux. ✠
Ælfhere Dux. ✠
Ælfeah Dux. ✠
Ordgar Dux. ✠
Æþelwine Dux. ✠
Oslac Dux. ✠
Malcolm Dux. ✠
Brihtnoð Dux. ✠
Eadulf Dux. ✠
Bridferð Miles. ✠
Ælfwine Miles. ✠
Æþelweard Miles. ✠
Oslac Miles. ✠
Frena Miles. ✠
Siferð Miles. ✠
Leofric Miles. ✠
Edric Miles. ✠
Wlfnoð Miles. ✠
Ælsige Miles. ✠
Ulfcytel Miles. ✠
Þroold Miles. ✠
Ðurstan Miles. ✠
Osgod Miles. ✠
Tota Miles. ✠
Friþegist Miles. ✠
Ðurferð Miles. ✠
Ðurgod Miles. ✠
Osferð Miles. ✠
Oscytel Miles. ✠
Siferð Miles. ✠
Ðurcytel Miles. ✠
Forne Miles. ✠
Caut Miles. ✠
Ðurstan Miles. ✠
Ðurcytel Miles. ✠

His igitur teſtibus & aliis compluribus de omnibus dignitatibus & primatibus regni mei hæc conſtituta, & peracta noſcuntur, quæ etiam noſtra uſitata ſermocinatione deſcribi mandavimus, hac eadem ſceda: quo poſſint in auribus vulgi ſonare, ne aliqua ſcrupuloſitate admiſceri videantur, ſed regia auctoritate ſeu poteſtate nobis à Deo donata omnis contradictio funditus adnulletur.

Item

Item Privilegium Ædgari *Regis*

☧ UNiverſa opum ſecularium patrimonia incertis nepotum hæredibus relinquuntur; & omnis mundi gloria, appropinquante vitæ mortis termino, ad nihilum reducta fatiſcit. Idcirco terrenis caducarum [rerum] poſſeſſionibus ſemper manſura ſupernæ patriæ emolimenta adipiſcentes Domino patrocinante lucremur. Quamobrem ego *Ædgarus* totius *Brittanniæ* Baſileus, quandam ruris particulam decem videlicet caſſatos, in loco qui celebri & *Lyntune* nuncupatur vocabulo, Domino ejuſque genitrici *Mariæ*, nec non *Ætheldrydæ* perpetuæ virgini, ad Monaſterium quod in *Elig* ſitum eſt, ad uſus Monachorum ibi degentium perpetua largitus ſum hæreditate, ut illo perpetualiter cum omnibus utenſilibus, pratis videlicet, paſcuis, ſilvis pertineat. Ad hanc autem tellurem multa jugera ex diverſis circumjacentibus villis pertinent, perpetua inſignita libertate. Sit autem prædictum rus omni terrenæ ſervitutis jugo liberum, tribus exceptis, rata videlicet expeditione pontis arciſve reſtauratione. Si quis igitur hanc noſtram donationem in aliud quam conſtituimus transferre voluerit, privatus conſortio Sanctæ Dei Eccleſiæ æternis barathri incendiis lugubris jugiter cum *Juda* proditore *Chriſti*, ejuſque complicibus puniatur: ſi non ſatisfactione emendaverit congrua, quod contra noſtrum deliquit decretum. His metis præfatum rus hinc inde giratur.

Ðiſ ſynd ða land into Lintune. ðe Æþelƿerð geuðe hiſ ſunu Leofric. þæt þonne liðhid-mælum ⁊ æcer-mælum on *W*ilburhtune. and on hædanham. ⁊ on hylle. ⁊ on *W*ichamme. he hit geſealde Edgare Cyninge unbeſacan. Ealſƿa hit hiſ yldran ær mid feo gebohten ⁊ ſe fore-ſpreecena cyning hit geſealde Gode ⁊ Sce Æðeldriðe hiſ ſaule to alyſedneſſe:

Anno Dominicæ incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo ſcripta eſt hæc carta, his teſtibus conſentientibus, quorum inferius nomina caraxantur.

Ego Eadgar Rex præfatam donationem conceſſi.	✠	Ego Kyneƿeard Abb.	✠
Ego Dunſtan Dorovernenſis Eccleſiæ Archiepiſ. conſignavi.	✠	Ego Alfeah Abb.	✠
Ego Æþelƿold Epiſ. expreſſi.	✠	Ego Æþelhere Dux.	✠
Ego Oſulf Epiſ. conſignavi.	✠	Ego Æþelƿine Dux.	✠
Ego Ælſtan Epiſ. ad quievi.	✠	Ego Bryhtnoð Dux.	✠
Ego Oſƿold Epiſ. ſubſcripſi.	✠	Ego Oſgar Dux.	✠
Ego Eadelm Epiſ. non renui.	✠	Ego Oſlac Dux.	✠
Ego Brihtelm Epiſ. confirmavi.	✠	Ego Elfƿine Miniſter.	✠
Ego Alfƿold Epiſ. conſolidavi.	✠	Ego Eþelƿard M.	✠
Ego Æſƿig Abbas.	✠	Ego *W*ulſtan M.	✠
Ego Elfric Abb.	✠	Ego Elfſige M.	✠
Ego Oſgar Abb.	✠	Ego Ænulf M.	✠
Ego Elfſtan Abb.	✠	Ego Elfric M.	✠
Ego Eþelgar Abb.	✠	Ego Edƿine M.	✠
		Ego Elfƿold M.	✠
		Ego Elfƿard M.	✠

Item

Item Privilegium Ædgari *Regis.*

FLebilia fortiter deteſtanda titillantis ſeculi piacula diris obſcenæ horrendæque mortis circumſepta latratibus. Non nos patria indeptæ pacis ſecuros, ſed quaſi foetidæ corruptelæ in voraginem caſuros provocando ammonent, ut ea toto mentis conamine cum caſibus ſuis non ſolum deſpiciendo, ſed etiam velut faſtidioſam melancoliæ nauſeam abominando fugiamus; tendentes ad illud propheticum, *divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Qua de re infima quaſi peripſema quiſquiliarum abjiciens, ſuperna adinſtar pretioſorum monilium eligens, animum ſempiternis in gaudiis figens, ad adipiſcendam mellifluæ dulcedinis miſericordiam, perfruendamque infinitæ lætitiæ jucunditatem, Ego *Ædgar* per omnipatrantis dexteram totius *Britanniæ* regni ſolio ſublimatus, quandam ruris particulam, decem videlicet caſſatos in loco qui celebri *Ætſtoche* nuncupatur vocabulo, Sanctæ Dei Eccleſiæ ad reverentiam beati *Petri* Apoſtoli principis, nec non beatæ *Ætheldrydæ* perpetuæ virginis dedicatæ, loco qui celebri *Elig* nuncupatur onomate, ob æternæ beatitudinis remunerationem perpetua largitus ſum hæreditate, quatenus rus præfatum ad uſus Monachorum inibi degentium, uti *Æthelwoldus* Epiſcopus ſuo famulatu obtinuit devote, deſerviat. Prædicta equidem tellus cum omnibus utenſilibus, pratis videlicet, paſcuis, molendinis, ac ſuburbanis, ſupradictæ jugiter ſubjaceat Eccleſiæ. —— ſit autem prædictum rus omni terrenæ ſervitutis jugo liberum, tribus exceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arciſve reſtauratione. Si quis igitur hanc noſtram donationem in aliud quam conſtituimus transferre voluerit, privatus conſortio Sanctæ Dei Eccleſiæ, æternis barathri incendiis lugubris jugiter cum *Juda Chriſti* proditore ejuſque complicibus puniatur: ſi non ſatiſfactione emendaverit congrua; quod contra noſtrum deliquit decretum. His metis præfatum rus hinc inde giratur.

Ðis synd þara x hyda land gemæra. æt Stoce. þæt is þonne ærest of ðære hyde. and lang streames æt Ecmannes yre. 7 swa forð on midde-wearðne stream. þ hyt cymð on brunnan. 7 swa forð on ðeodford. 7 þanon on haligwille on healdenes ho. of þæm ho on pottafordabricge. on horsewade into mersmylne. of mersmylne into þere brige:·

Anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo ſcripta eſt hæc carta, his teſtibus conſentientibus, quorum nomina inferius caraxantur.

Ego Ædgar Rex totius Britanniæ præfatam donationem cum ſigillo Sanctæ crucis confirmavi. ✠
Ego Dunstan Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ejuſdem regis donationem cum ſigno crucis conſignavi. ✠
Ego Ælfstan Epiſ. conſignavi. ✠
Ego Æþelwold Epiſ. conſenſi. ✠
Ego Osulf Epiſ. ✠
Ego Winsige Epiſ. ✠
Ego Oswald Epiſ. ✠
Ego Ælfwold Epiſ. ✠
Ego Ædelm Epiſ. ✠
Ego Ælfwold Epiſ. ✠

Ego Ælstan Epiſ. ✠
Ego Wulfric Epiſ. ✠
Ego Wulfsige Epiſ. ✠
Ego Ælfsige Epiſ. ✠
Ego Escwig Abb. ✠
Ego Osgar Abb. ✠
Ego Ælfric Abb. ✠
Ego Ælfstan Abb. ✠
Ego Æþelgar Abb. ✠
Ego Kyneweard Abb. ✠
Ego Ælfeah Abb. ✠
Ego Folbriht Abb. ✠
Ego Godwine Abb. ✠
Ego Brihtnoð Abb. ✠
Ego Osward Abb. ✠

Ego

Ego Brýhteh Abb. ✠
Ego Ælfhere Dux. ✠
Ego Ælfeah Dux. ✠
Ego Æþelstan Dux. ✠
Ego Æþelwine Dux. ✠
Ego Brýhtnoð Dux. ✠
Ego Oslac Dux. ✠
Ego Wulstan M. ✠
Ego Ælfward M. ✠
Ego Eanwulf M. ✠
Ego Osweard M. ✠
Ego Osulf M. ✠
Ego Ælfwine M. ✠
Ego Eadwine M. ✠
Ego Ælfric M. ✠
Ego Ælfhelm M. ✠
Ego Ælsige M. ✠
Ego Winsige M. ✠
Ego Wulget M. ✠
Ego Æþelsige M. ✠

Ego Wulstan M. ✠
Ego Brýþric M. ✠
Ego Leofa M. ✠
Ego Hringulf M. ✠
Ego Osulf M. ✠
Ego Ðuneferð M. ✠
Ego Heanric M. ✠
Ego Leofric M. ✠
Ego Ædrig M. ✠
Ego Leofwine M. ✠
Ego Aþulf M. ✠
Ego Osferð M. ✠
Ego Ælfhelm M. ✠
Ego Sigeferð M. ✠
Ego Osgod M. ✠

Ðis is þara x hida land boc æt Stoce ðe Ædgar cyning bocade. Gode and Sancte Æðelðryðe into Elig on ece ýrfe. his saule to Alýsednesse. Ealswa Æþelwrýð hit gearnode his gebidda.

Privilegium Æthelredi *Regis.*

Ðis is þara xx Hida boc æt Lýtlanbýrig, ðe Æþelred cýning gebocede ⁊ hit gode sealde ⁊ sancte Æþelðriþe ⁊ hire halgan cinne into Elig.:

UNiverſa ſecularium opum patrimonia incertis nepotum hæredibus relinquuntur, & omnis mundi gloria, appropinquante iſtius vitæ termino, ad nihilum reducta fatiſcit; ſicut per quendam ſapientem dicitur, *Mundus hic quotidie tranſiens deficit; & pulcritudo ejus ut flos fæni areſcit.* Idcirco terrenis caducarum rerum poſſeſſionibus indeficientia ſupernæ patriæ gaudia, Domino patrocinante, lucranda ſunt. Quamobrem ego *Æthelredus* totius *Britanniæ* cæterarumque gentium in circuitu perſiſtentium baſileus, quandam ruris poſſeſſionem xx viz. manſas, in locoqui celebri *æt Littlanbyrig* nuncupatur vocabulo, Domino ejuſque genetrici *Mariæ*, & B. *Petro* Apoſtolorum principi, nec non Sanctæ *Ætheldrydæ* virgini præcipuæ, ac reliquis virginibus ſibi cognatis, ad monaſterium ſc. quod in *Elig* ſitum eſt, ad uſus monachorum ibi degentium perpetua largitus ſum hæreditate, ut illo perpetualiter cum omnibus utenſilibus, pratis viz. paſcuis, ſilvis, pertineat. Sit autem prædictum rus omni terrenæ ſervitutis jugo liberum, tribus exceptis cauſarum laboribus, rata viz. expeditione, pontis arciſve reſtauratione. Si quis igitur, &c. *ut ſupra.* His metis præfatum rus hinc inde giratur.

Ðis sýndan ða land gemæra into Lýtlanbýrig. þæt is ærest. of þam forde ðe is Æþelwardes ceasterforda gemæra. ⁊ Icelingtune gemæra ⁊ Litlanbýrig gemæra. swa and-lang stýrice into þam smalanforda to stræleage mere. of þam smalanforda to crocesþorne. of crocesþorne and-lang sceacerdene into þere ealdan delle. of þam delle into þam hæcce *** into þam wulfpitte. of þam pýtte into botulfes heale leage suðwarde. of þere leage into wullafes leage. of wullafes leage. and-lang into Leofsies pýtte. of leofsies pýtte swa ut to þam felda into þam ealdan gehæge. of þam gehæge into Spelbeorhge. into stýrice on Icelingtune gemæra. ⁊ Ceasterforda gemæra. ⁊ Lýtlanbýrig gemæra.:

Anno Dominicæ Incarnationis quarto ſcripta eſt hæc carta: Indictione ſecunda. His teſtibus quorum inferius nomina caraxantur.

Ego Æþelꞃeꝺuꞅ Rex Anglorum præfatam donationem cum ſigillo Sanctæ crucis confirmavi. ✠
Ego Ælꝼꞅꞇanuꞅ ejuſdem Regis filius una cum fratribus meis corroboravi. ✠
Ego Ælꝼꞃicuꞅ Dorobernenſis Eccleſiæ Archiep. ejuſdem regis donationem cum trophæo agiæ crucis conſignavi. ✠
Ego Wlꝼꞅꞇanuꞅ Eboracenſis Eccleſiæ Archipræſul conſenſi. ✠
Ego Ælꝼeah Winton. Eccl. Pontifex adquievi. ✠
Ego Lẏꝼinguꞅ Epiſ. conſolidavi. ✠
Ego Oꞃðbꞃẏhꞇuꞅ Epiſ. expreſſi. ✠
Ego Aþulꝼuꞅ Epiſ. ſubſcripſi. ✠
Ego Ælꝼᵹaꞃuꞅ Epiſ. non renui. ✠

Ego Wulꝼᵹaꞃ Abbas. ✠
Ego Ælꝼƿino Abb. ✠
Ego Ᵹeꞃmanuꞅ Abb. ✠
Ego Ælꝼheꞃe Abb. ✠
Ego Kenulꝼ Abb. ✠
Ego Ælꝼꞃic Abb. ✠
Ego Ælꝼꞃic Dux. ✠
Ego Ælꝼelm Dux. ✠
Ego Leoꝼƿine Dux. ✠
Ego Æþelmeꞃ M. ✠
Ego Oꞃꝺulꝼ M. ✠
Ego Ƿulᵹeaꞇ M. ✠
Ego Æꝺꞃic M. ✠
Ego Wlꝼcẏꞇel M. ✠
Ego Ælmæꞃ M. ✠
Ego Æþelmæꞃ M. ✠
Ego Ᵹoꝺƿine M. ✠
Ego Sıƿeaꞃꝺ M. ✠

De Dittune.

Ðiꞅ iꞅ Dicꞇuneꞅ boc. Ðe ƿaꞅ ᵹe hƿẏꞃꝼeꝺ ƿiþ ceaꝼlea:·

☧ IN nomine *Chriſti* ſalvatoris mundi in perpetuum regnantis, cujus ſunt diſpoſitione univerſi ordines & poteſtates totius dignitatis & principatus ordinati, qui jure cunctis principatur & dominatur, utpote creator omnium. Ego *Cnut* totius gentis Angligenæ ejus amore provocatus, & venerabilis orientalis Epiſcopi *Alfwini*, & Abbatis *Leofrici* monaſterii *Elyenſis*, & fratrum eorundem petitionibus incitatus, ac pro remedio animæ meæ, feci commutationem apud Abbatem ejuſdem monaſterii, *Leofricum* ſc. dando eis pro ea viciſſitudine, villam quæ proprio notamine appellatur *Dictun*, cum omnibus ad ſe jure attinentibus in longitudine & latitudine, ut mihi in poteſtate ſtetit, accipiens pro ea quoque villam ſilvoſam vocabulo *Ceaflea*, cum omnibus quæ ad eam attingunt, in pratis, in paſcuis, in ſilvis, & in quibuſlibet negotiis. Facta eſt hæc commutatio anno Incarnationis Dominicæ milleſimo viceſimo ſecundo, Indictione quinta, epactæ XV concurrentes VII, die feſtivitatis VIII. *Æthedrydæ* Reginæ & virginis, quæ ſanctis ſuis meritis cum ſororibus ſuis, viz. *Wyrburga*, *Sexburga*, & filiæ *Sexburgis* *Ærmenhilda*, illud monaſterium patrocinatur & regit. Si quis hanc noſtram placitam viciſſitudinem malo molimine machinatur mutare, abſque voluntate ſervorum Dei in monaſterio illo inhabitantium, ſit pars ejus cum diabolo, participium ſumens de omnibus pœnis ejus æternaliter, nec contingat ei perpetualiter viciſſitudo, cujus viciſſitudine poſſit ſibi gaudium aliquod in hoc ſeculo vel futuro ſperare. His aſtipulantibus fulcitur hæc commutatio.

Inprimis ego Knuꞇ baſileus totius Albionis gentis cum vivifico ſigno crucis corroboravi, æque perenniter volo ut inviolabiliter ab omnibus fidelibus roboretur. ✠

Ego Ælꝼʒiꝼu Regina præſcripti Regis cum omni alacritate mentis hoc ſancivi, ut perpetualiter inconcuſſum ſit. ✠

Ego Ƿulꝼꞅꞇanuꞅ Archiepiſcopus Eboracenſis civitatis Apoſtolica auctoritate confirmavi. ✠

Ego Æþelnoðuꞅ modernus Archipræſul Cantuariorum cum principalitate & decreto Petri principis Apoſtolorum confirmavi. ✠

Ego Ᵹeꞅbꞃanduꞅ Roꞅcylde Parochiæ Danorum gente confirmavi. ✠

Ego Bꞃiþþolduꞅ Epiſ. confirmavi. ✠

Ego Ælꝼꞅinuꞅ Epiſ. corroboravi. ✠

Ego Æþeꞃicuꞅ Epiſ. conſolidavi. ✠

Ego Ælmeꞃuꞅ Epiſ. conſignavi. ✠

Ego Leoꝼꞅinuꞅ Epiſ. affirmavi. ✠

Ego Æþelƿinuꞅ Epiſ. conſenſi. ✠

Ego Bꞃyhꞇƿinuꞅ Epiſ. ſtabilivi. ✠

Ego Ælꝼƿiʒ Epiſ. ſancivi. ✠

Ego Ᵹodƿinus Epiſ. corroboravi. ✠

Ego Ælꝼƿinuꞅ orientalium Anglorum Epiſ. qui hanc viciſſitudinem petivi, ut fieret cum conſenſu ejuſdem Regis Cnuꞇ, corroborando ſancivi. ✠

Ego Bꞃyhꞇƿiʒ Abbas. ✠

Ego Ælꝼꞅiʒe Abb. ✠

Ego Ælueꞃe Abb. ✠

Ego Æþelƿinuꞅ Abb. ✠

Ego Ælmeꞃuꞅ Abb. ✠

Ego Ælꝼƿeaꞃduꞅ Abb. ✠

Ego Leoꝼƿinuꞅ Abb. ✠

Ego Æþelꞅꞇanuꞅ Abb. ✠

Ego Yꞃic comes aſſentiendo corroboravi. ✠

Ego Eʒlaꝼ comes ratum duxi ſtabilire ſapientum decretum. ✠

Ego Ᵹodƿine comes quod dominus meus Rex ſtatuit confirmo. ✠

Ego Ᵹodꞃicuꞅ M. ✠

Ego Æþelƿinuꞅ M. ✠

Ego Ðuꞃꞅꞇanuꞅ M. ✠

Ego Ðꞃumm M. ✠

Ego Ƿulꝼꞃicuꞅ M. ✠

Ego Ælꝼƿinuꞅ Satrapa. ✠

Ego Ælꝼƿiʒ Satrapa. ✠

Ego Ælꝼꞃicuꞅ Satrapa. ✠

Ego Ᵹodƿinuꞅ Satrapa. ✠

Ego Ælꝼƿeaꞃduꞅ Satrapa. ✠

Sequebatur ibidem Privilegium Edwardi Regis ut ſupra, & in Monaſt. Angl. vol. primo.

Item Privilegium Victoris Papæ, ut in Monaſtico Anglicano, niſi quod hîc in fine iſta verba habeantur, niſi reſipiſcat. Fiat? Fiat. Placet? Placet. Laudatis? Laudamus. Hoc ſit ſtabile? Fiat, Fiat, Fiat.

Item Epiſtola Edwardi Regis, Saxonice ut prius.

Regum ſequentium Brevia & Paparum Privilegia nunc omittuntur; quoniam ad hoc intervallum non pertinent.

FINIS.

INCIPIUNT CHRONICA *Joannis Wallingford.*

ANNO ab Incarnatione Domini CCCCXLIX. *Anglorum* ſive *Saxonum* gens invitata à Rege *Wortigerno*, tribus longis navibus *Britanniam* advehitur, apud locum qui dicitur *Ypevineſſlet*, quaſi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura ſuſcipitur. Advenerat autem de tribus populis fortiſſimis *Germaniæ*, id eſt, *Saxonibus*, *Anglis*, *Jutis*.

De *Jutarum* origine ſunt *Cantiani* & *Vectuarii*. Hæc eſt ea gens, quæ *Vectam* tenet inſulam, & ea quæ uſque hodie in provincia *Occidentalium Saxonum*, *Jutorum* natio nuncupatur, poſita contra inſulam *Vectam*.

De *Saxonibus*, id eſt, ea regione, quæ nunc *antiquorum Saxonum* cognominatur, venere *Orientales Saxones*, *Meridiani Saxones*, *Occidui Saxones*.

Porro de *Anglis*, id ſeſt de illa patria, quæ *Angulus* dicitur, & ab eo tempore manere uſque hodie deſerta inter provincias *Jutarum* & *Saxonum* perhibetur, *Orientales Angli*, *Mediterranei*, *Merci*, tota *Northimbrorum* progenies, cæterique populi *Anglorum* ſunt excitati. Duces eorum fuerunt *Hengeſt*, & *Horſa*. Deinde & alii Duces advenerunt, qui quas ſibi ſedes occupaverunt ſubter annotatur.

De Regibus Cantiæ.

PRimus Rex *Anglorum Hengeſt*, qui regnavit viginti quatuor annis; cui ſucceſſit *Oeſic* XXIV annis; poſt hunc *Otta*; huic ſucceſſit *Eormeric*; cui filius *Eathelbertus* primus ex *Anglorum* regibus Chriſtianus, & regnavit quinquaginta & quatuor annis; poſt quem filius ejus *Eadbaldus* regnavit. Cui ſucceſſit *Earconbertus*, & regnavit XXIV annis. Poſt illum filius ejus *Egbertus* IX annis; cui ſucceſſit frater *Lothere* XII annis; poſt illum *Eadricus* filius *Egberti* & regnavit uno anno & dimidio. *Explicit Cantia.*

De Regibus Merciorum.

PEnda filius *Wibbæ* regnavit XIX annis in *Mercia*. Quo in bello occiſo, interfector ejus *Oſwin*, Rex *Northimbrorum*, tenuit regnum tribus annis. *Peada* filius *Pendæ* ibidem regnavit, ſed parvo tempore. Sed *Wolferus* filius *Pendæ* reſtauratur, & *Oſwinum* [*Eſcwine*] legitimum recepit regnum. Cujus frater *Ethelredus* ſucceſſit, tenuitque regnum XXIX annis, iſte filiam Regis *Oſwi* duxerat uxorem. Et tandem relicto regno Monachus vitam finivit, ſepultus in *Bordanige*. *Explicit Mercia.*

De Regibus Weſtſexiæ.

ANno ab Incarnatione Domini CCCCXCV. *Cerdic* & filius ejus *Kinric* cum V navibus *Britanniam* venientes, ad oſtium fluminis, quod è nomine ejus [*cerdices ora*] dicitur, applicuerunt. Qui cum debellaſſent il-

lius loci *Britones*, poſt XXIII annos adepti ſunt regnum *Gewiſſorum*, regnavitque primus ex *Anglis* in *Weſtſaxonia Cerdic* XV annis. Cui ſucceſſit filius ejus *Kenric* XXVI annis. Dederat autem duobus nepotibus ſuis *Stupho* & *Worthgaro*, *Vectam* inſulam. Poſt *Kenric* regnavit *Ceaulmus* filius ejus XXX, & I annis. Huic ſucceſſit *Ceolric* VI annis. Deinde frater ejus *Celwolf* regnavit XIV annis. Poſt hunc *Kineglis* frater ipſius *Celwolfi*. Hic primus Regum *Occidentalium Saxonum* baptizatus eſt à Sancto *Birino* Epiſcopo miſſo ad prædicandum à Papa *Honorio*, hunc *Kinegliſſum* de baptiſmo exeuntem ſuſcepit Rex Northimbrorum Sanctus *Oſwaldus*, eratque filiam ejus in conjugem accepturus. Poſt *Kinegliſſum Kenwalch* filius ejus regnavit XXXI annis. Poſt hunc *Sexburga* Regina I anno tenuit regnum. Deinde *Eaſcuine* regnavit II annis; poſt illum *Kentwine* filius *Kinegilſi* IX annis; cui ſucceſſit *Cedwalla*, filius *Coenberti*, filii *Cudæ*, filii *Cuthæ*, filii *Cealini*, filii *Kinrici*, filii *Cerdici*. Regnavit autem *Cedwalla* duobus annis. Dehinc *Romam* venit devotus, ibique baptizatus, & adhuc in albis poſitus vitam terminavit ſub *Sergio* Papa; ſucceſſit *Ine*, & *Inor*. *Explicit Weſtſexia.*

De Regibus Orientalium Anglorum.

Æ*Odwald*, [*Redwald*] *Eorthwald* filius ejus; *Sigbertus* frater illius, bonus ac religioſus Monachus vitam terminavit; *Egryc* cognatus ejus; *Anna* filius *Eani*, pater Sanctæ *Etheldridæ*, qui occiſus eſt à *Penda Merciorum* Duce; *Eathelhere* frater *Annæ* Regis. *Eathelwold* frater *Aldulf* patris Sanctæ *Ethelburgæ* virginis. Fuit iſte *Eathelwoldus* filius ſororis Sanctæ *Hildæ*, nomine *Hereſwith*. *Eadmundus*, *Gitrum*, qui ex pagano converſus ad fidem, à Rege *Athelſtano* ſuſceptus de fonte baptiſmatis, poſt occiſionem *Eadmundi* in *Eſtanglia* regnavit, donante Rege *Athelſtano*. *Extralineâris ſucceſſio.*

Eathelbertus, qui & *Cantuariorum* Rex, fecerat Eccleſiam Sancti *Pauli Londoniæ*; *Sigebertus* baptizatus à *Phinano* Epiſcopo; *Swthelm*; *Sibbi* poſtea Monachus; *Sigeardus* & frater ejus *Swefredus* filii *Sibbi*. *Swebertus*. *Explicit de Regibus* Eſtſexiæ.

De Regibus Northimbrorum.

ANno ab Incarnatione Domini DXLVII. Ab adventu vero *Anglorum* in *Britanniam* XCVIII. *Ida* primus Rex ex Anglis cœpit regnare in *Northimbria*, à quo tota ejuſdem provinciæ Regnum cœpit originem. Habuit autem ex Regina ſex filios, *Adda*, & *Helric*, *Theodoric*, *Ecbric*, *Thenceric*, *Oſmerum*; & alios ex Concubinis, ſcil. *Ogg*, *Alric*, *Eccam*, *Osbaldum*; venerat cum patre comite *Eoppa* cum LX navibus ad *Flemaburch*, indeque boreales partes occupans, ibidem regnavit duodecim annis. Quo mortuo regnum *Northimbrorum* diviſum in duo. Nam *Elle* regnavit in *Deira*; *Adda* vero ſucceſſit patri in *Bernica*, ubi regnavit VIII annis; cui ſucceſſit *Glappa* I anno. Poſt quem *Hulſa* —— annis; poſt illum *Frithwolf* regnavit VII annis. Huic ſucceſſit *Theoricus* VII annis. Poſt illum *Eathel-dricus* IV annis; huic ſucceſſit *Eathelfridus* XXIV annis. Habuit autem VII filios, *Eanfridum*, & ex ſorore Regis *Eadwini*, *Accam*, *Oſwaldum*, *Oſwium*, *Ollac*, *Oſwiclu*, *Oſa*, *Offa*. Mortuo autem *Elle*, *Eathelfridus* expulit filium ejus *Eadwinum* fratrem uxoris ſuæ à regno *Deirorum*, qui exulavit apud Regem *Readwlfum*, ab eodem reductus eſt in regnum omnium *Northimbrorum*, qui effectus Chriſtianus tenuit regnum XVII annis. Quo regnante, filii *Eaſfridi* exulaverunt inter *Scotos*; ſed *Eadwino* interfecto, redierunt. Quorum primus *Eamfridus* regnavit in *Bernica* I anno. Quo interfecto, frater ejus *Oſwaldus Bernicæ* gentis ſimul & *Deiræ* adeptus eſt regnum, atque ex duobus populis unum compaginavit, & regnavit IX annis;

cui ſucceſſit frater ejus *Oſwius*, & primo in ſola *Bernica*, ſed paulo poſt, interfecto *Oſwino*, ſimul & in *Deira*, à quo tempore ſimul utræque provinciæ unum habuere Regem. Defuncto *Oſwio* poſt XXVIII annos *Egfridus* filius ejus regnavit XV annis. Iſte Sanctum *Cutbertum* conſtituit Epiſcopum, cujus regni anno VI natus eſt Sanctus *Beda*, & traditur ſeptennis *Benedicto* Abbati cognomento *Biſcop* in Monaſterio apud *Werremuthe*. Poſt *Egfridum* ſucceſſit *Alcfridus*.

De Bernicibus *&* Deiris *linearis ſucceſſio.*

ANno ab Incarnatione Domini DLX *Elle* cœpit regnare in *Deira*; & ipſe traxit originem unde alii Reges Anglorum. Iſtius *Elle* mentio fit in vita Sancti *Gregorii* Papæ, regnavit XXX annis. Cui mortuo filius ejus *Eadwinus* ſucceſſit, ſed tamen Rex *Bernicorum Eathelfridus*, cum eſſet Gloriæ cupidiſſimus, quamvis ſororem *Eadwini* duceret uxorem, eum regno pepulit, quem tamen Rex *Readwolfus* reſtituit, Rege *Eadelfrido* occiſo, regnavitque ſuper *Bernicam* ſimul & *Deiram* XVII annis. Quo interfecto à *Cedwalla* Rege *Britonum* & *Penda Merciorum*, ſuſcepit poſt illum regnum *Deirorum* (unde ipſe *Eadwinus* originem duxerat) *Oſricus* filii patrui ſui, qui *Ealfricus vocabatur*, qui regnans uno anno occiſus eſt à *Cedwalla* Rege *Britonum*. Deinde *Oſwaldus* utriuſque Provinciæ Regnum IX annis tenuit. Illo occiſo *Oſwinus* de ſtirpe Regia *Eadwini* regnavit in *Deira*, erat enim filius *Oſrici* ſupradicti. Eo interfecto *Oſwius* Regnum *Deirorum* & *Bernicorum* gubernavit, *Eathelwaldus* tamen filius *Oſwaldi*, qui in *Deirorum* partibus regnaverat, patruum ſuum *Oſwium* ſæpe cum gente *Merciorum*, & cum *Cedwalla* Rege *Britonum* acriter impugnabat; veruntamen *Bernicorum* & *Deirorum* provinciæ deinceps unum habent Regem.

Hic ſequitur in MS vita S. Guthlaci *ex quâ excerptum hoc.*

CUM nocte quadam S. *Guthlacus* ſtaret ad pſallendum, audivit quaſi murmur multitudinis *Britonum*, qui omni tempore vitæ Sancti infeſti *Anglis* habebantur: ut enim *Galfridus* in tranſlatione hiſtoriæ *Britonum*, (licet ex tranſlatore magis habeat auctoritatem quam ex editore) ſcribit, *Cadwalladrus* (quem *Beda* & alii nominant *Cedwallam*) remiſit, cum *Romam* iret, *Inor* filium ſuum & *Ine* Nepotem ſuum, qui ſexaginta novem (poſt deceſſum *Britonum* pro variis tempeſtatibus) annis infeſtaverunt *Anglos*, quo tempore interlabente, deceſſit Rex *Merciorum Ethelredus*, anno ſeptingenteſimo quarto, & Rex *Northimbrorum Alfridus* anno DCCV, habueruntque ſucceſſores *Ethelredus* in *Mercia Conredum*, & *Alfridus* filium ſuum *Oſredum*. Regnavit in *Cantia* poſt *Eadricum* filius *Egberti Wictredus* XXXIV annis & ſemis. Igitur infeſtantibus *Britonibus Anglos* ſub Regno *Conredi* ſanctus *Guthlacus*, ut inceperam dicere, quadam nocte audivit, ut putabat, *Britones* ſibi colloquentes, & quaſi tumultuarent, turbæ clamores.

Conredus cum regnaſſet quinque annis in *Mercia* reliquit regnum *Ceolredo* filio *Ethelreci*, quem in fide ſua ſuſceperat ad hoc nutriendum. Erat minus ad regnandum (patre ſuo decedente, & cum tunc temporis inſtarent ingentia bella) aptus pro ætatis teneritudine. Ideoque coactus *Ethelredus* ſibi *Coenredum* reliquit ſucceſſorem, qui per omnia præſtans ſuam fidem prædeceſſori, quam dederat in promiſſis, ſtatim ut ætatem ad regnandum attigit, *Ceolredo* reliquit regnum, & *Romam* petens, optimo fine ſub Monachico habitu quievit anno ſeptingenteſimo nono. Reliquit etiam duos filios *Ine* & *Inglif*, quorum alter regnavit primo non ſtatim, poſt *Cedwallam* ſcilicet, *Ine* in *Occidentali Anglia*. Ex altero vero proceſſit Regii generis continua uſque ad *Eadwardum* linea.

Igitur *Ceolredo* filio *Ethelric* regnante in *Mercia*, habuit contemporaneum juvenem

juvenem præſtantiſſimum *Ethelbaldum*, qui ex Regiæ poteſtatis ſtemmate ducens originem, ad regnum aſpirabat, infeſtumque habuit, & poſt privatam vitam *Ceolredus* ad exilium eum coegit. Hic inter exilii varias curas detentus, nunc huc nunc illuc inſtabilis habetur, & ſicut mare fervens cogitatione diſpertitus nihil certum de rebus agendis potuit invenire. Venit tamen ad eum fama Sancti *Guthlaci*, & ad eum videndum cauſâ ſolacii ab eo percipiendi pergebat, exponebatque ei & ſui exilii cauſas, & ſui juris de regni petitione dignam rationem; excepitque ab eo, quantum attinet ad verba, primo ſolatium, poſtmodum vero de regni ſucceſſione plenam prophetiam. Habuit & idem exul comitem nomine *Ecgam*, in quem immundus ſpiritus miſerabiliter graſſabatur, ita ut ſe etiam neſciret, & cum corpus maneret in eo illæſum, acceſſit etiam miſeriæ quod loquendi facultas defuit voluntati; qui, cum primo curioſitate ad Sanctum virum eſt perductus, ſola cinguli vel *Zonæ* ejus ſuccinctione, & à furioſitate eſt ſanatus, & ad facultatem loquendi reductus. Appropinquabat, inter hæc multa alia miraculoſe facta, & prophetice prædicta, ad terminum vitæ hujus, complevitque eum ſub anno ab Incarnatione Domini DCCXV. Quod *Ethelbaldus* prædictus exul audiens, ad eum etiam mortuum, ſub cujus prophetia ſpem acceperat, & in qua quaſi in ſolida fidei columna ſuarum ſolatium curarum poſuerat, etiam ad tumulum ejus accedens, querulis lamentis replens, de ſolatio vitæ ſuæ ſurrepto querebatur. Sed nocte ſubſequente apparuit ei Sanctus, & ante quam ſol annum perficeret, id quod prædixerat reiteravit affuturum. Porro eodem anno emergente, anno vero DCCXVI uſuali * mortuus eſt *Ceolredus*, & eodem occiſus *Oſredus* Rex *Northimbrorum*. Habuit & ſucceſſorem *Ceolredus* in *Mercia Ethelbaldum*, & *Oſredus* in *Northimbria Oſricum*. Eidem Sancto erat contemporanea *Ethelburga Eadulfi* Regis filia, quæ primo Anachoreticam vitam in virginitate Sancta duxit. Poſtmodum vero exigentibus cauſis neceſſariis à loco ſuo extracta, Abbatiſſæ nomen accepit, & vices adimplevit. Nam ſanctimonialium multarum cuneis præpoſita in virginitate permanens, vitam præſentem terminavit, eratque *Eadulfus* frater *Ethelwoldi* filii ſororis Sanctæ *Hildæ* & *Witebi*, nomine *Hereſwit*. Habuit etiam contemporaneum venerabilem *Bedam* Preſbyterum, quem à tribus annis, ſiquis diligenter hiſtorias & Chronica conſideret, in naſcendo præceſſiſſe inveniet; *Beda* vero poſt *Guthlac* diu vixit, qui à ſeptenni ætate in Monaſterio de *Werremuthia* nutritus elegantem vitam & Sanctam duxit, & à pueritia in literatura bibit, quæ in ſenectute virtuoſe eructaret, ſcripſit multa ad Eccleſiæ ædificationem opera vitæ ejus atteſtantia, nec enim alter vixit quam docuit. Inter quæ opera etiam *Anglicanam Eccleſiaſticam hiſtoriam* uſque ad tempora ſua continuavit, ab adventu *Gaii Julii Cæſaris* in *Angliam*, quem LX anno ante Incarnationem Domini *Jeſu* adveniſſe teſtatur. Scripſit & *Omelias* multas & ſatis elegantes, compoſuit etiam multos & in Veteris & Novi Teſtamenti libros, quæ uſque ad ſeculi faciem laudem ejus exclamabunt, quos etiam ipſe in fine libri Hiſtoriæ curavit annotare, finitque *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* quantum ad Regum ſucceſſionem in *Oſrico* Rege prædicto, & *Ecgberto*, quo ſcil. anno ab Incarnatione Domini DCCXXIX poſt cometarum apparitionem mortuos aſſeverat, ſucceſſit autem *Oſrico Ceolwlfus* frater *Coenredi*, ad quem ſcribit *Beda Hiſtoriam Anglicanam*, eratque filius *Cuthæ*, qui fuit filius *Cuthewini*, qui fuit *Leſwaldi*, qui *Egwaldi*, qui *Aldelini*, qui fuit *Oggæ*, qui fuit *Idæ* primi Regis *Northimbrorum*. In cujus Regni tempore tranſiit *Beda* venerabilis ſacerdos, & circa annum DCC—, cum vixiſſet LIX annis, felix in Domino, & ſatis probatus in expoſitione multiplici, & Theologiæ multum eleganti & eloquenti narratu, quia æque patet janua doctrinæ ab Anglia, ut à Jeruſolimis, in fidei ſoliditate conſtituto. Multa & alia de hoc Sancto narrantur, quæ majori operi conſervanda æſtimo. Mortuus eſt autem & *Ine* ille glorioſiſſimus Rex *Occidentalium Saxonum*, filii *Coenredi*, ſub tempore *Bedæ*, anno ab

ab Incarnatione Domini DCC—. Habuit ſucceſſorem *Ethelardum* in occidentali *Saxonia:* ipſe autem relicto Regno *Romæ* finivit vitam, legiturque dediſſe Sancto *Petro* ex omnibus domibus in Regno ſuo ſingulos denarios, cauſa pauperes, & præcipue *Anglos Romæ*, illuc accurrentes ſuſtentandi, quod & multo tempore poſt ejus deceſſum fuit obſervatum. Regnavit autem *Ethelardus* XIII annis. Omnibus autem his, qui à DCCXVI anno ſucceſſererunt, contemporaneus fuit Diſcipulus Sancti *Guthlaci Ethelbaldus*. Qui ſtatim ex quo regnare cœpit Heremiticum locum in Abbatiam cœpit mutare, & ipſum Sanctum, per quem de Regnandi acceperat poteſtate prophetiam, in glorioſa condivit techa Sancto tanto condigna. Eratque valde ſtrenuus in armis; nam & omnia Regna *Auſtralis Angliæ* ab *Umbra* ſuæ legitur ſubdidiſſe ditioni. Suſcepit autem Regnum *Merciorum*, anno ab Incarnatione Domini DCCXVII. Regemque *Cantiæ Ethelbertum* [*Ermenrici*] filium, & *Ethelardum* Regem occidentalium, & omnia alia proxima Regna vel ſibi ſubjecit ut propria, vel ſibi ſub——. Porro *Britonum* reliquias à *Logria* abegit, & in *Kambria* ſola fecit reſidere, excepta ſola *Cornubia*, à qua pars eorum uſque ad præſentem diem ejici nec potuit, nec quiſquam ſubſequentium Regum ejicere curavit. Ipſo etiam regnante, *Ceolwolfus*, cum VIII annis regnaſſet, relicto regno Monaſterium *Lindiſpharnenſe* intravit, ibique optimo fine in Monachico habitu vitam concluſit. Reliquitque ſucceſſorem Regni filium patrui ſui ætate tenerum *Eadbertum*, cujus frater erat *Egbertus Eboracenſis* Archiepiſcopus, qui primus poſt *Paulinum* accepto pallio legitur fuiſſe confirmatus in Archiepiſcopatu; regnavitque poſt *Ceolwolfum Eadbertus*, cœpitque regnare à DCCXXXVIII anno ab Incarnatione Domini, ſub cujus tempore occiſus eſt in bello, quod & ei prædixerat Rex *Ethelbaldus*, cum regnaſſet ſuper *Merciam* præcipue & ſuper alia regna XXXIX annis; anno ab Incarnatione Domini DCCLV. Succeſſitque ei ſed parvo tempore *Bernredus*, eique *Offa* Rex Anglorum potentiſſimus, [qui] cœpit regnare anno ab Incarnatione Domini DCCLVII. Interruperunt autem iſti Reges *Ethelbaldus* & *Offa* & *Kenewlfus* ſubſequens omnium Auſtralium Regum *Anglorum* regna, & ideo horum nunc annotationem, ut aliquantulum cæteris certiorem, ſequar. Nam aliorum, prope uſque ad *Alfredum* filium quartum *Ethelwlfi*, annotationem inveni fluctuantem & incertam, ſed & ante hæc multa in numeri annotatione relinquimus incerta. Solent autem de iſto *Offa* multa narrari, quæ etiam relinquimus pro incertis & apocryphis, ea tamen in cedulis notavimus, ut ſi quando vera poſſint vel probari, vel certe deprehendi, majori operi commendemus. Fuit autem iſte contemporaneus *Pipini* Regis Francorum, patris magni *Karoli*, factaque eſt hiems maxima & incomparabilis ejus Regni VII anno; & Rex *Pepinus* obiit regni ejus anno XII. Succeſſitque *Karolus* filius anno ab Incarnatione Domini DCCLXIX. Porro iſte, ſicut alia regna, ſic & *Angliam* tempore hujus Regis *Offæ* ſibi ſubegit. Sub *Offæ* tempore Rex *Northimbrorum Eadbertus*, cum regnaſſet XXI annis, contempto regno, aſſumptaque tonſura in Eccleſia *Eboracenſi*, quam frater ejus prædictus *Egbertus* tunc regebat, in clericatu vitam terminavit; tradidit autem Regnum filio ſuo *Oſulfo*, quod cum uno anno tenuiſſet occiſus nequiter à ſua familia juxta *Michelwongtune*, ſucceſſitque in regnum *Eathelwoldus* cognomento *Mol*, regnavit ſex annis. Dehinc amiſſo regno in *Winchanheale Aloredum* ex proſapia *Idæ* habuit ſucceſſorem. Qui cum IX annis regnaſſet pellitur à regno in exilium. Poſt quem *Ethelredus* filius *Ethelwoldi Mol*, regnavit V annis. Quo dehinc pulſo in exilium, filius *Oſulphi* quondam Regis ſupradicti paternum ſuſcepit regnum *Ethelwoldus*. Quod per decem annos tenens pie ac religioſe, facta à ſuis conjuratione, occiditur in *Cyrenceſtre* juxta murum, ſed ſepultus eſt honorifice in Eccleſia *Sancti Andreæ in Haguſteldeſham*. In loco ubi interfectus eſt, lux emiſſa videri ſæpius ſolet. Succeſſitque *Olredus* filius *Alredi* ſupradicti Regis. Regnavit uno anno; quo

per

per dolum interfecto, *Ethelredus* de exilio rediens ſuſcepit regnum. Omnibus his conregnavit in Auſtrali Anglia Rex ſupradictus *Offa*, qui ſub anno regni ſui XXXVI, & DCCXCIII anno ab Incarnatione Domini, ab primo adventu *Anglorum* in *Britanniam* anno trecenteſimo quadrageſimo quarto, Angelica ammonitione præhabita, fecit transferri corpus beati *Prothomartyris Anglorum Albani*. Accitoque *Humberto Merciorum* Archiepiſcopo divinam de martyre transferendo pandit voluntatem; at Archiepiſcopus aſſumptis ſecum *Ceolwolfo* & *Unwona* Epiſcopis, magnaque multitudine clericorum diverſorum graduum, venit ad locum Sanctum, ubi factis precibus & præhabitis [jejuniis] haut ſegniter domini clementiam invocantes, & beati Martyris auxilium implorantes, aperuerunt terram, qua Sancti gleba tenebatur, levanteſque reliquias glorioſi Martyris cum vario gloriæ apparatu tranſtulerunt. Deditque Rex Martyris loco *Wineſlowe*, eo quod Angelica apparitione ibi fuerit illuſtratus, dum de transferendo Martyre reſponſum accepiſſet. Dedit etiam prope totius circumjacentis provinciæ ſubjectionem, & religioni, quam ibi inchoavit, præfecit Abbatem nomine *Guillegodum*; anno primo ſequente occidit in campeſtri indicto bello Sanctum *Ethelbrithum* Regem *Weſtſaxonum*, re quidem vera ſed cauſa incerta. Eumque ſolum nævum gloriæ ſuæ præhabitæ reliquit, porro nec ipſe diu ſuper morte ejus gaviſus eſt; nam anno abhinc tertio, hoc eſt ab Incarnatione Domini DCCXCVI & ipſe obiit, ſepultuſque eſt, ut dicitur, in *Uſa* flumine juxta *Bedeford*. Multa quidem & alia his æque commemoranda de viro iſto audivi, quæ cum veriora eſſe conſtiterit, alias Deo largiente explicabo. Reliquit autem regni ſui ſucceſſorem filium ſuum nomine *Egredum*, ſed parvo tempore regnavit. Nam interceptum eſt Regnum ejus & fama à *Kenewolfo*, qui etiam multorum Regum regna ſibi ſubjugavit. Nam & *Cantiorum* Regem *Eadbertum*, qui loco fratris ſui *Ethelberti* filii primi *Withredi* ſucceſſit, in bello vaſtata *Cantia* cœpit, effoſſiſque oculis ejus, & præciſis manibus, regnum *Cantiorum* ſuo adjecit. Sed & Auſtralium *Saxonum* regnum obtinuit, poſt *Sigebertum*; qui uno anno regnavit. Habuit tamen ſemper pars illa Reges ſuos, ſed toto tempore *Kenewolfi* ſubjectos *Kenewolfo*. Nam & *Brichtricus* ei ſubjectus tenuit occidentale regnum ſub eo XVI annis. Quo regnante *Dani* primum venerunt in *Angliam* tribus longis navibus advecti. Cœpit autem *Kenulfus* regnare circa annum ab Incarnatione Domini DCCXCVII. Regnavitque XXIV annis, felix ſatis, ſi ſucceſſori, ut oportuit, providiſſet. Obiit anno ab Incarnatione DCCCXIX.

De Martyrio Sancti Kenelmi *Regis & Martyris.*

Reliquit autem *Kenulfus* duas filias nubiles ætate, & unum parvulum nomine *Kenelmum*, qui ſub cuſtodia ſororum poſitus paternum regnum erat ſuſcepturus, invidit autem ei major natu ſororum nomine *Wendreda*, eo quod ſibi in regni jure eſſet præponendus *Kenelmus*. Alia vero nomine *Burchenilda* erga fratrem ſororia affectione tenebatur. Inſidias tamen, quas puero prætendebat major ſoror timore ejus detegere non audebat.

Regnavit in *Northimbria* à tempore *Kenulfi Osbaldus*, poſt *Ethelredum* apud *Corebrige* occiſum, tenuitque regnum viginti ſeptem dies. Illo vero projecto & in exilium fugato, *Eardulfus* ex ſemine Regio de comite provehitur in Regem; regnavit decem annis; cui ſucceſſit *Alfwodus* duobus annis. Poſt hunc *Eanredus*, qui regnavit XXXIX annis.

De Sancto Botulfo *confeſſore.*

Fuit etiam contemporanus his duobus regibus *Merciorum Offæ* & *Kenulfi Alcmundus* pater *Egberti*, ex nobili proſapia fratris *Inæ Iggles*; fuit

fuit enim filius *Eaſi*, qui fuit *Eoppæ*, qui fuit *Ingleis*, filii *Coinredi*. Relictuſque fuit in manibus matris, cum eſſet ineptus ad Regni gubernaculum, ob teneritudinem pueritiæ. Habebat autem & ipſe *Eathelmundus* duas ſorores, quas pater *Eaſi* transfretari fecerat in *Saxoniam*, à qua cum omnibus progenitoribus ſuis originem duxerat, ob mores gentis *Saxonum* erudiendos. Præceperat etiam ut ſub Eccleſiaſticæ forma inſtitutionis religioni ſe aptarent; paruerunt autem per omnia patris imperio *Eaſi*, & regularibus præceptis ſubditæ pupillæ poſt patris mortem in *Saxoniâ* remanſerunt. Erantque duo fratres in eodem Scemate Religionis *Eadulfus* & *Botulfus*, & ipſi ex *Anglia* nati, eadem, qua puellæ tranſmiſſæ fuerant, cauſa transfretaverunt, & in tonſura Clericali vivebant; erat autem uterque bene religioſus, atteſtabaturque factis quod tonſura deſignabat.

Succeſſit interea patri ſuo *Alcmundo* ſive *Ethelmundo Egbertus*, cœpitque regnare ab anno Incarnationis Dominicæ DCCCIII. Corregnavitque etiam ipſe *Kenulfo*, poſt cujus mortem omnia regna, quæ ei ſubjecta fuerant, ſibi virtute & armis ſubjecit. Nam *Cantiæ* Regem *Baldredum*, qui primus poſt *Cuthredum* regnavit, miſſo filio ſuo *Ethelwolfo* cum magna copia armatorum, ultra *Thamiſam* pepulit, & conſequenter *Cantuariorum* regnum obtinuit, & Regem ab ejus tempore habere ceſſavit, conſenſitque Regi parere *occidentalium Saxonum*. Sed & ejus tempore *Kenulfo* ſucceſſit in *Mercia Celwolfus*; duobus annis regnavit, eique ſucceſſit in eadem *Bernulfus*, qui ab *Eſtanglis* occiſus eſſe legitur. Cui ſucceſſit in eadem *Ludecan*, & poſt *Wiglaf* ibidem regnavit. De quorum tempore Regum nullam inveni annotationem, ſed & *Egberto* ſupradicto regnante, ſucceſſit *Eanredo* (qui XXXII annis regnavit in *Northimbria*) *Athelredus*, qui regnavit IX annis; poſt *Oſbertus* XIII annis. Quem *Northimbrorum* populus pellens de regno, *Ellam* alienum Regii ſeminis in ejus loco ſubſtituerunt. Sed *Danis* eo tempore *Eboracum* irrumpentibus neceſſitas concordiam Regum fecit; uterque enim Rex adunatis viribus ſuis *Eboracum* tendit; & primo quidem in fugam vertunt hoſtes, compuleruntque eos in civitatem intrare, quam antea armis occupaverant. Sed cum ad eam *Danos* incaute inſequerentur *Angli*, cæſi ſunt ambo Reges ab eis, atrociter pro vita repugnantibus, ſimul exercitu ſuo. His vero qui ſuperfuerunt de *Northimbris* præfecerunt *Dani Egbertum*, qui etiam ibidem regnavit V annis; ſubjecta eſt etiam *Egberto Suthereia*, *Suthſexia*, *Eſtſexia*, & *Eſtangla*, & Reges *Merciorum*; regnavitque XXXV. Habuit ſucceſſorem filium ſuum *Ethelwlfum*, mortuuſque eſt circa annum ab Incarnatione Domini DCCCXXXVII. Reliquit etiam *Ethelwlfus*, poſtquam XVIII & dimidium regnaſſet, quatuor filios, *Ethelbaldum*, *Ethelbrithum*, *Ethelredum*, & *Ealfredum*; regnavit primus *Ethelbaldus* poſt patrem, qui ab anno Incarnationis Domini DCCCLV cœpit regnare, & tenuit regnum V annis, continuavitque cum *Danis* bellum, ſicut & *Ethelbrithus* frater ejus poſt eum, VI annis, & *Ethelredus* idem fecit V annis, dederuntque animas ſuas pro patriæ, & populi ſui liberatione. Sed *Alfredus* adhuc juvenis nil famæ inter fratres potuit obtinere.

Omnibus autem his regibus fuit contemporaneus Sanctus *Swithunus*, qui, ſub tempore *Egberti* Regis, à *Kenegilſo* primo inter Reges *Occidentalium Anglorum* Baptizato, octavi, vitæ ſuæ curſum inchoavit, feliciterque terminavit.

Erat tunc temporis *Wentonianæ* ſedis Antiſtes & Epiſcopus, vir vitæ venerabilis *Elmeſtanus*, qui eum ad honorem ſacerdotii promovit, & quia virtutum in amplexibus vidit, inter familiares habuit, & ut miniſterium ſuum honorantem honoravit, inter cujus clericos vita & ſanctitate emicuit *Swithunus*.

Tradidit enim interea *Swithuno* filium ſuum *Athulfum* nomine Rex prædictus, & literis imbuendum, & ſanctis moralitatis præceptis inſtituendum, habebat autem eum ſolum ſolamen, & patris & regni ſpem unicam, & ju-

ris paterni ſucceſſorem. Invaluitque ſub manu diſciplinæ Sancti in diſcipulo tantum literaturæ affectio, ut diu præhabitam & inter magnos viros verſatam Sancto ſolveret quæſtionem. Nam cum inter clericatum & militaturam ſoleat eſſe de præſtantia altercatio, ipſe quantum ad judicium ſuum attinuit, diſſidium terminavit, & elegit ſub tonſatura clericorum vivere Chriſto, quam ſub regali potentia deſervire mundo; unde & Dei judicio, per omnia multum approbando, conſecutus utriuſque vitæ eminentiam & primatum. Nam & in *Wenthoniana* Eccleſia gradum ſubdiaconatus aſſecutus vices ipſius eleganter adimplevit, & ad ulteriorem profectum ſpem acceperat efficacem. Sed interim decedente patre *Egberto*, quia ſolus erat ei filius *Athulfus*, ſolus ut juſtus hæres ad ſuccedendum petebatur à populo regni. Sed cum inauditum eſſet, ut quis à ſubdiaconatu ad laicaturam trahi deberet, facta eſt inter clericos & laicos diſſenſio, adeo ut ſuper hoc capitulo ſedes Apoſtolica conſuleretur. Miſit autem Regio ad Leonem Papam, populi ſuggerens petitionem; qui ſuper eodem capitulo habito concilio, populi & utilitati & voluntati aſſenſit, & à ſubdiaconatu ad regalem dignitatem virum prædictum redire permiſit.

Decedente interea Rege *Aithulfo* Sancti *Swithuni* Diſcipulo; ſucceſſit ei filius ejus *Athelbertus*, cujus Regni anno tertio, & eodem anno ab Incarnatione Domini noſtri *Jeſu Chriſti* DCCCLXII, meruit audire Sanctus *Swithunus* à Domino, *Euge ſerve bone & fidelis, quia in paucis fuiſti fidelis; ſupra multa te conſtituam. Intra in gaudium Domini tui.* Tranſlatuſque eſt poſt aliquot annorum curricula, & in decenti theca reconditus in *Wentonia* Eccleſia, ubi uſque ad præſens cooperante domino fiunt crebro miracula, qui vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

De adventu Ynguar *&* Ubbe.

INgreſſuri diverſorum diſſidia bellorum, à lectore petimus, ut ſi brevitas, cui ſtudemus, non placet ei, ſaltem pro imagine teneat quod legit. Nam rerum pelagus quis ſequetur? Igitur regnante *Ethelberto* in provincia *Wintoniana*, & *Ethelberto* filio *Ethelwolfi* ſecundo in *Occidentali Anglia*; *Burredo* vero in *Mercia*; & *Eadmundo* in *Eſtanglia*, quæ noſtro tempore *Norfolchia* dicitur, eruperunt ex provincia ſua *Dani*, & quod à diu paulatim inchoaverant, nunc niſi ſunt conſummare: ſed quia res ſe ingerit, de gentis hujus origine pauca prælibabo, pauca enim de ea prædixi, & multa ſi deus annuat dicturi ſumus. De qua diverſi diverſa ſentiunt Hiſtoriographi. Nam quidam eos à *Trojanorum* gente deſcendiſſe in hiſtoria reliquerunt, ſiquidem cum *Anthenor Trojanus* in obſidione *Trojanorum* proditionis accuſaretur, & timeret ſibi ut conſcius, collectis mille quingentis viris evaſit à civitate, & poſt multos maris labores ad *Germaniam*, quæ tunc temporis colonis eguit, pervenit. Quam poſtmodum derelinquens, ulteriores terræ ſinus petiit, & in eis regnavit. Vocavit nomen terræ Regni ſui à *Dana* quodam Rege, ex quo ſtemma produxerat, *Danemarchiam*, nomenque ſatis Hiſtoriæ conſentit; alii vero aliter & forte melius hujus gentis originem texunt. Nam ex tertio filii *Noe*, *Japheti* ſcilicet, mediante filio ejus ſecundo *Magog* nomine, à quo *Gothica* ſoboles deſcendit, eos originem ducere dicunt, & de ſimilitudine ultimæ ſillabæ nomine patris vocabulum trahere *Gothos*. Porro duo populi ab *Gothis*, poſtquam in *Scanzâ* inſula, quam ſibi vendicaverant, multiplicati ſunt, deſcenderunt. Unus cum Rege ſuo *Thanauſe* ulteriorem *Scythiam* invaſit, & ſedem, poſt multa bella adverſus *Velonem Ægyptiorum* Regem, fecit; cujus populi uxores diutinam belli protractionem moleſte ferentes, repudiata virorum copula, duas ſibi Reginas cæteris audactiores *Lampetho* & *Marpeſſam* elegerunt, & in arma converſæ ſunt. Quæ dextris mamillis ob telorum jactus aduſtis, levam ſolam

ſolam lactentibus reliquerunt. Alter vero populus ab eadem vagina, ſcil. *Scanzâ* inſula, erumpens, cum Rege ſuo *Berig*, intra *Germaniæ* ſinus *Meotidas* paludes occupavit, & in ſecunda ſede *Danemarchiam*. Omnibus autem his populis una fuit diu conſuetudo (quouſque *Chriſtianitatis* & fidei titulo inter *Danos* eſt repreſſa.) Quod pater omnes filios adultos à ſe repelleret, excepto uno ſolo, quem juris ſui relinqueret Hæredem. Unde & factum eſt quod Juvenes propriæ voluntati dediti, luxui nimio ſe ſubdentes, & mulieribus diverſis copulantes, innumeram ſobolem procrearent; & conſuetudo inter eos inolevit, ut cum eos patria ferre non poſſet, ad aliam ſedem quærendam arcerentur. Qua lege acti omnibus populis ſuæ patriæ adjacentibus infeſti habebantur. Legat, qui vult, *Gothorum* Hiſtoriam, invenietque nec etiam ab eorum vexatione Romam fuiſſe tutam. Porro *Galliam* à *Beir* coſtæ ferreæ, & à Magiſtro ſuo *Hangiſto* omnium paganorum ſceleratiſſimo ita devaſtatam, ut vix pauci incolæ remanerent. A quo tempore *Normanni* partem Aquilonarem Franciæ occupantes, loco nomen dederunt, ſed his paucis pro digreſſione notatis ad propoſita revertamur. Igitur regnantibus *Anglis* regibus ſupradictis, evaginavit *Deus* ad corripiendam ſuperfluitatem *Anglorum* gladium ſuum, qui etiam mala in bonos uſus convertit, & ebullire fecit à *Daciâ* gentes infinitæ multitudinis, quæ uſque ad præſens in *Scandalum* permanent adjacentium populorum. Primæ autem eruptionis circa hæc tempora (nam ab antea multa loca *Angliæ* obtinuerant) fuerunt Duces *Igguar* & *Ubba*, qui cum multitudine maxima in *Northimbria* primo applicuerunt; ſecundò verò *Rollonis* comitatus; tertio vero *Gitri*, qui omnes infra viginti annos vices correptionis à Deo præordinatæ in diverſis locis, ut dicendum eſt, compleverunt. *Igguar* ergo & *Ubba* in *Northimbria* primo applicantes omnia mari loca affinia, à mari *Scotico* uſque ad *Eſtanglam*, depopulationi tradiderunt. Loca Sanctorum incenderunt, urbes, vicos, & caſtella campis coæquaverunt, Regiæque dignitatis & generis quendam virum nomine *Gutredum*, à quodam eorum Duce nomine *Hardecnuto* comprehenſum in ſervum vendiderunt. Sed hunc Sanctus *Guthbertus* ex ſervitutis jugo excuſſum mirifice poſt pauca promovit in Regem. Porro *Werremuthiam* Abbatiam in quâ Sanctus Deoque dilectus *Beda* contemplativæ vitæ fructus deguſtavit, incenderunt, quæ uſque modo ob venerationem Eccleſiaſtici doctoris in cellula parva nomen tenet & famam. Sed ipſius reliquiæ cum multis aliorum Sanctorum, quæ ibi continebantur, in *Dunnolmenſem* Eccleſiam tranſlatæ honorifice juxta altare Sancti *Guthberti* reconduntur. Inde ad *Withebi* Sanctæ *Hildæ* locum tranſierunt, & Sanctimoniales, (quæ à Sanctæ virginis tempore eum locum inhabitaverant) cum injuriis effugantes, vaſtitati locum dederunt. Exinde per portum *Umbræ* ad *Eboracum* venientes, eam etiam poſt multos bellorum eventus irruperunt, & Archiepiſcopatus, ſicut aliis Sanctorum Monaſteriis fecerant † tervorum flammis tradiderunt. Et quis inter hæc miſeriæ diſpendia, parvulorum neces innocentium, matronarum dehoneſtationes, virginum deflorationes, & diverſa flagitiorum genera exſequeretur, magis autumationi ſunt per hæc pauca, quam ſcripturæ, quia ſunt multa, relinquenda. Decedente interim ſecundo filio *Ethelwlfi* nomine *Ethelbritho*, ſucceſſit ei tertius *Ethelredus*, qui ſicut & fratres ſui viriliter reſtitit *Danis* & v annis regnavit, cujus Regni anno quarto, & eodem ab Incarnatione Domini DCCCLXIX, intravit *Inguar Eſtanglam*, quæ Euro Aquiloni expoſita, multos habet aptos navigiis portus, & ſicut ab exercitu peditum pro muro habens oceanum eſt tuta, ſic à periculis ab oceano navigio erumpentibus eſt incerta & improviſa.

De Sancto Eadmundo *Rege & Martyre excerptum.*

REgnabat autem tunc temporis pius Rex Deoque devotus ibidem *Eadmundus*, qui & ipſe ex nobili *Saxonum* genere ſtemma ducens, omnem nobilitatem generis & morum elegantia & fidei religione ſuperavit. Solentque quidam ad hunc Sanctum Regem retorquere ſatis accommode [quoad] tempora, & quod narratum eſt ſuperius de Sancto *Bothulfo*, ſicut hîc invenio *Eadmundum*, ita in patris *Egberti* nomine *Alcmundum*, & in *Legenda* Sanctorum *Ethelmundum*; poteſtque facere de nomine diſſonantia.

Ejuſdem provinciæ Epiſcopus *Theodredus*, qui ob reverendæ religionis & vitæ ſanctæ ſcema bonus agnomen accepit. Nam cum latrunculi quidam ex præcondictu ad Eccleſiam Sancti, ac ut eam infringerent, acceſſiſſent; quilibet in ſuo temeritatis auſu comprehenſus eſt, ſtabantque quaſi ligati, ne pedem poſſent movere, nec arreptum opus deponere. Sed alius cum ſua ſcala pendebat in aere, alius ut foſſor incurvus, palæ quam tenebat, inhæſit, & pala ipſi. Alius cum lima aut fabri malleo, ut ſeræ vel peſſulæ, quatenus infringeret, incumbebat, ſtetit ſuo ſupellectili alligatus, & ſupellectiles ipſi. Deprehenſi ſunt ergo unuſquiſque in auſu ſuo, & ante judicium Epiſcopi prædicti perducti. Quos omnes præcipiti judicio, ut poſtmodum ſibi viſum fuerat, patibulis fecit appendi, non enim eguit res probatione, cum ex evidentia facti & miraculi oſtenſione pateret fures eſſe. Retractabant autem factum Epiſcopi Coepiſcopi, & illum contra ordinis ſui jus feciſſe acclamabat provincia. Ipſe etiam pœnitentia ductus, contra auctoritatem canonum confeſſus eſt ſe feciſſe. Invenerat enim ſcriptum, *Nequis Epiſcopus vel de clero delatoris fungatur officio*, & illud, *ſatis dedecet miniſtros vitæ cœleſtis aſſenſum præbere in mortem hominis alicujus*, recordatus eſt etiam facti *Eliſei*. Qui latrunculos à *Samaria* egreſſos pavit coram Rege, pane & aqua paſtos remiſit ad propria, magiſque liberandos eſſe ſecum diſſeruit ex facto ipſius *Heliſei*, qui cum Rex *Iſrael* manus mittere in eos vellet, prohibuit fieri. Revolvit etiam ſecum *ſcripturam* dicentem, *eos qui ducuntur, eruere feſtina*. His aliiſque multis *ſcripturæ* auctoritatibus & rerum vel factorum exemplis ſeſe concludens Epiſcopus, in pœnitentiam & lamentationem diutinam dedit, & quia etiam in hoc facto ſcandalum † Eccleſiæ, voluit per eandem in ſatisfaciendo adjuvari; induxit dioeceſim ſuam ut pro hoc delicto ſuo jejuniis & orationibus communiter indulgerent, ſicque facto ut ſibi videbatur ſufficienti piamine, etiam thecam martyris ſtuduit in aliquo decorare, infractaque theca veteri viſu expertus eſt, quod ſub æſtimatione diu dubitavit, & corpus & caput conjuncta & integra reperit, induit etiam novis veſtibus & ornamentis Sanctum, & aromatibus innovatis recondivit, & quod oculis viderat, omnibus diebus vitæ ſuæ prædicavit, ad laudem Domini, & his ob reverentiam martyris & Regis, pro digreſſione inſertis, ad textum hiſtoriæ revertamur. *Dani* qui eum occiderant, aliis ſuæ perverſitatis & originis *Danis*, qui jam maximam partem *Merciæ* occupaverant, adjuncti in ducatu *Ingguar*, ut dicitur, etiam *Londonias* irruperunt. Non enim habebant *Londonienſes* ſpem diffugii, deficiente & interrupta omnium *Auſtralium Regum* poteſtate, ſolus tamen in *Weſtanglia* regnavit filius tertius *Ethelwlfi Ethelredus*, qui & ſequenti anno, hoc eſt ab Incarnatione Domini DCCCLXX, morti debitum perſolvit, ſucceſſitque ei frater ejus *Alfredus* ultimus filiorum *Ethelwlfi* eodem anno. XXIII annorum fuit cum regnare cœpit, regnavitque in multis periculis à *Danis* illatis, cujus generationis lineam ſic forte ex aſſuetudine antiquorum continuatam in ſcriptura inveni.

De Alfredo *primo Monarcha.*

ANno ab Incarnatione Domini DCCCXLIX. Angl. *Saxonum* Rex *Ealfredus* natus eſt in illa plaga Angliæ, quæ *Barrocſira* dicitur, fuitque filius *Ethelwlfi* Regis, qui fuit *Egberti*, qui fuit *Alcmundi*, qui fuit *Effe*, qui fuit *Eoppa*, qui fuit *Ingles*; porro *Ingles* & *Ine* ille famoſus Rex Occidentalium *Saxonum* germani duo fuerunt, qui *Ine* Romam pergens, ibique vitam præſentem finiens, cœleſtem patriam cum *Chriſto* regnaturus adivit. *Ingles* autem & *Ine* fuerunt filii *Coenredi*, qui fuit *Ceolwald*, qui fuit *Cutha*, qui fuit *Cuthwine*, qui fuit *Ceaulin*, qui fuit *Cynric*, qui fuit *Creotha*, qui fuit *Cerdic*, qui fuit *Eleſa*, qui fuit *Ella*, qui fuit *Gewis*, à quo *Britones Anglicam* gentem *Gewis* nominant, qui fuit *Wig*, qui fuit *Freawine*, qui fuit *Freothegar*, qui fuit *Bran*, qui fuit *Bealdag*, qui fuit *Guodden*, qui fuit *Frithewald*, qui fuit *Frelaf*, qui fuit *Frethewlf*, qui fuit *Fingoldwlf*, qui fuit *Geata*, [*Geta*] quem *Geattam* [*Getam*] pagani jamdudum pro Deo venerabantur, qui fuit *Cetirwa*, qui ſuit *Beau*, qui fuit *Celdewa*, qui fuit *Heremod*, qui fuit *Idermod* qui fuit *Hathra*, qui fuit *Wala*, qui fuit *Beadwing*, qui fuit *Semh*, qui fuit *Noæ*, qui fuit *Lamech*, qui fuit *Mathuſſalam*, qui fuit *Enoch*, qui fuit *Malaleel*, qui fuit *Cainan*, qui ſuit *Enos*, qui fuit *Seth*, qui fuit *Adam*. Quod ſi cui hæc non placet Genealogiæ deductio, quærat aliam, non enim ut authenticam eam proponimus, ſed ſi alterutrum cogeret, potius inter apocryfa numerarem. Hic ergo *Ealfredus* in primordiis Regni ſui veteri homini totus deditus, vivebat luxui & vitiis ſubjugatus, *Ealfreduſque* ut juvenis, mentem & corpus luxurioſæ etiam dederat voluptati, & cum unica eſſet ſpes *Anglicæ* generoſitatis, nullam æſtimationem profectus vel bonæ opinionis in factis ſuis ſagacibus dereliquit; nec erat qui Regem corriperet. Arriſit etiam tunc temporis ei pax. Nam *Hubba* (à *Northimbris* interfecto *Igguar*) curſum ſuæ ferocitatis cauſa eum ulciſcendi illac diverterat, & Maris ut dicunt tempeſtate circumventus cum omni claſſe ſua & effera multitudine infandorum ſatellitum uſque ad præſens diſparuit. Æſtimant autem plures eum immergio illius tempeſtatis interiiſſe: igitur arridente proſperitate & pace *Ealfredo*, & Regia poteſtate blandiente, *dederat*, ut prædictum eſt, *ſervire membra ſua inmunditiæ ad immunditiam*, nihilque ut *Chriſtiani* eſt, de *Chriſti* paſſionibus in corpore ſuo vel portavit vel portare curavit, ſed econtra virgines, & caſtæ [vivere] volentes, ſuæ luxuriæ vel invitas vel voluntaneas ſubdere omni ſtudio feſtinavit.

Circa hæc tempora lege *Danorum* prædicta *Rollo* cum ſuis actus ſedem in exteris regionibus quæſivit, & in tranſitu ſuo multas inſulas & loca regionum maritima exturbavit. More enim luporum ſubito incurſu à ſilvis erumpentium, litoribus naves impellebant, & actis prædis naves reintrabant, & panſis velis ad ventum ſubito diſparebant: unde factum eſt ut à diverſis portibus & locis mari vicinis quærelæ ad Regem defferrentur *Alfredum*, qui ſuper hoc habita deliberatione pacem æſtimavit petendam eſſe, qua enim contra taliter à mari erumpentes exercitum duceret, penitus ignoravit. Adipiſcitur pacem quam petivit, & religata multitudine *Danorum* qui fluctuabant & incerta ſede ferebantur in *Anglia*, pandit *Rollonis* comitatus vela ventis, & poſt varios eventus maris & terræ *Secannicum* portum allabitur, ubi poſtmodum vel invitis vel voluntariis *Francis* ſedem & principatum conſecutus *Rollo*, & uſque ad præſens in poſteris poſſedit.

De

De Sancto Neoto *excerptum.*

MUltis vel divinæ vel humanæ manus flagellis correptus Rex *Ealfredus* à luxuriis [quibus] aſſuetus fuerat temperavit, & de præteritis etiam cœpit pœnitere. Venitque ad virum vitæ venerabilis *Neotum*, cujus nomen aliquantulum in Aula Regis, ex divina gratia, celebre habebatur, ab eo conſilium petiturus: qui tunc temporis in extremis vitæ agens, inter fratres quos collegerat & regularibus inſtitutis informaverat in *Nedſtoche*, in quo aliquamdiu heremiticam [vitam] duxerat, degebat. Eſt autem locus in ulterioribus partibus *Cornubiæ Nedeſtoche*, quæ à viro incolante nomen traxit, & incultus à rerum primordiis uſque ad ſua tempora permanſit, aptior luſtris ferarum, quam hominum habitaculis, quouſque Sanctus eum à rudibus frutectis labore ſuo exemit.

Prænoverat autem antequam ad ejus conſilium veniret ex fama vitam ejus, ideoque ſecurior & providentior in vitam ejus fecit invectiones, nam etiam quæ putavit Rex cunctos latere, audacter in faciem rejiciens Sanctus, vehementer, ut oportuit, increpavit, & aſperis ut erat à Sancta pagina inſtructus miſcuit blandimenta, vinumque cum oleo in vulnera ſauciati infundere curavit. Sicque timorem incuſſit, ut ad ſpem erigeret, & in ſpem erexit, ut in ea non diu fluctuaret, inſtitit enim oportune, importune, frontaliter ei intentans voraginem vitiorum, quibus aſſuetus fuerat, in exemplari multos traxiſſe ad periculum, gravem eſſe *Gehennæ* ignem; & gravem injungendam evadere volenti eſſe pœnitentiam, inter hæc etiam injunxit ei ut ſub ſpe veniæ ſcholas *Angliæ* niteretur privilegiare, & ad Dominum Papam hac occaſione legatos mittere non differret. Quod ad voluntatem ſuggerentis ſufficienter adimplevit; habentur etiam in *Anglia*, ejus officio ad Sancti *Neoti* inſtantiam, privilegia Anglice & Anglicis apicibus ſcripta.

Anno ab Incarnatione Domini *Jeſu* DCCCLXXVIII. Regni vero *Ealfredi* anno eodem VII, erupit, lege *Danorum* ſæpe dicta, peſtis effera, tyrannus nomine *Gutrum*, applicuitque in *Anglia* cum multitudine maxima domino & duci in crudelitate perſimili, qui omni *Gentilium* ſuperſtitione perditus, cæteris beſtiis *Igguar* & *Hubba* & *Rollone*, videlicet, immanior apparebat. Nam non more ipſorum maritima & loca eis vicina invaſit, prædas duxit, & naves reintravit, ſed frontaliter mediterranea irrupit & vicos, urbes, civitates cum mœnibus eorum ſuccendit, vixerant enim præcipue in *Weſtanglia*, & mediterraneis, à tempore *Britonum* in pace *Angli*, quæ ſicut in fide manentibus vinculum ſpiritualis eſt, & *Eccleſiaſticæ Unionis*; ſic his qui ſunt ex diverſo peramica eſt, & nutrimentum vitiorum, quâ ſub multi temporis interſtitio arridente, reliquerant, ut incauti, urbium & civitatum mœnia, veterno & menſarum & potuum luxui ſe dederant, nihil de tam ſubita irruptione conjectantes. Advenit ergo beſtialiter viventibus, & luxui deditis beſtialiter ſæviens homo beſtialis, & in omnes crudeliter ſæviens, effecit quod voluit in gladio, & ſecuri, non enim occurſantibus & ante ejus oculos ſe proſternentibus peperit, nulli ſiquidem vel ſeni vel juveni adulto vel puero, matronæ, puellæ, vel virgini profuit ætas vel ſexus ſuus, nulli profuit oblatio theſauri patrum antiquorum vel oblatæ cautio ſubjectionis. Nam pagos, vicos, urbes, & civitates flammis, & vulgus dedit enſi ſuo. Non pepercit ejus ulli hominum oculus: erat videre miſerabile excidium, nam ſenes venerandæ caniciei in porticibus ſuis jugulati, matronæ inhoneſtatæ irreverenter ſupinæ in mediis urbium plateis, virgines expoſitæ, juvenes truncati caput manus & pedes, pueri perforati mucronibus jacebant in viis, compitis, & plateis, à prætereuntibus conculcandi. Jacebant in mediis cameris vel domibus ſemiuſti quidam, dum erumpere non auderent. Nam qui ab incendio eruperat, exceptus eſt

eſt à ſecuri. Nec tacuit interea fama, quæ per patriam delapſa, etiam robuſtos ſub timore tanti diſcriminis fugæ ventilabat, Rex vero *Ealfredus* elegit prophetiæ ſpiritui cedere, quam cum certo ſuorum diſſidio ſævientibus occurſare; conſiderans pro ſuis ſuorumque peccatis hæc inſtare, jugum Dominicæ præceptionis, quod Sanctus *Neothus* prophetice impoſuit, humiliter, ut debuit, ſtuduit ſuſtinere. Receſſit igitur ſcienter timidus & ſapienter fugitivus; devenitque in *Athelingeiam*, quæ locus eſt in ultimis *Angliæ* partibus ad occidentem vergens, diciturque à *Brithonibus*, *Clitonum patria*, eſt autem in mediis ſalis paludibus, gratam interius habens planitiem, *Illac* ergo devenit, & inter irrumpentes infortunii procellas *patientiam*, quæ *gaudet duris*, amplexans, ſaltem in ea fortis ſtetit, fortunæque ludibriis, quia vitare non potuit, *medium unguem oſtendit*, ſibique animo infixit, quod ſæpe à Sancto acceperat iteratum, quod ſcilicet, *potentes potenter tormenta patientur*, & illud Apoſtoli, *flagellat Deus omnem filium quem recipit*; ſed & Sancti *Job* & *Tobiæ* ante oculos juſtitiæ poſuit incrementa, qui inter tot adverſa Domini juſtitiam laudaverunt. Latuit autem in ſubulci tugurio, & in privato habitu diem ſolatii à Sancto *Neotho* prophetatum, & in Dei voluntate pendentem, in patientia expectavit.

Interea contigit quod in domo ſolus reſideret, & vetula ſubulci de reditu viri ſui, qui in paſcuis cum armento morabatur, ſolicita, panem ſubcinericium cineri calenti tradidit decoquendum, & ad alia quæ opus erat, dum panis in cinere fuit, ſe divertit, oblitaque eſt panis, quouſque per uſtrinam memoriæ revocaretur. Accurrit ergo, intermiſſis interim quæ præ manibus habebat anus, & virum quem præſentem vidit, ſermonibus impetens, dixit, *quâ parte homo es in curæ? qui pani ardenti negligis ſubvenire, nunquam vidi hominem tam negligentem, qui etiam panem ſubcinericium neſciat gyrare, & certe cum appoſitus tibi fuerit, de eo comedere maturabis. Quare uſtrinæ ejus ſubvenire pigreſcis*, Rex autem conviciorum verba patienter ferens, miſeriæ & pœnitentiæ ſuæ etiam ipſa aſcripſit, & voluntati Dei arridens reſpondit, *ut dicis ita eſt. Hoſpes mea, nam nimis pigreſcerem, ſi pani ſubcinericio neſcirem ſubvenire*, & decoctioni panis exinde indulſit, & manus ad nimis inſolita extendit, & quouſque ſufficienter coqueretur cuſtodivit.

Aſpexit Regis interim humilem pœnitentiam Deus, & ad ejus oppreſſioni ſubveniendum manum extendit pietatis. Nam exploratus ab aliquibus ſuorum Rex in medium erupit, & munitiorem arcem poſt paucos dies perfecit, collectiſque aliquot militibus & ſenioribus, in quibus vigebat ſolertia & ingenium, ex effectu pœnitentiæ ſolidior ad reſiſtendum ſe paravit, & primo quidem ex ſaltibus & locis ad diverticulum aptis imminens eis aderat improviſus, aliquando etiam crepuſculis vel diluculo, pro indifferenti æſtimans vel manifeſte vel occulte hoſtium inſidiis inſidere. In tranſitu quoque ſæpe illos, ut quem bene noverat, prævenit, & invaſione facta, ut vidit ---- ad tutiora loca ſe collegit, & ſic quidem primo debile ex improviſo erumpens, poſtmodum validum & frontaliter hoſtibus bellum intentavit, ex diludioque eventuum nunc patuit victoriæ, nunc victoria ceſſit ei.

Militia vero quæ à patria diffugerat, audiens interea Regem *Ealfredum* hoſtibus rebellare, ſub feſtinatione retransfretans ad ejus caſtra ſe divertit, ſicque factum eſt ut de die in diem immanior aſſurgeret, & hoſtibus artius immineret. Miſſis etiam legatis, *Rollonem*, qui continuum bellum, niſi quod ipſe interrupit, cum Gallis habuerat, ad ſuum ſubſidium vocavit; qui ob memoriam beneficii quod ei contulerat, dum ut prædictum eſt per *Anglica* littora tranſiret, ejus mandatis adquievit, & obſidione intermiſſa quam *Pariſianis* intentaverat, in *Angliam* venit. Igitur receptis ab undique viribus, municipia præoccupavit montuoſa, & loca tranſitu difficilia munivit, & viam hoſtibus interclusit. At adverſarii non minori cautela uſi omni anniſu *Anglis* occurrere curaverunt, unde & *Gytrus* undique *Danos* con-

 vocans,

vocans, qui in multis *Angliæ* locis conſederant, municipiaque in locis montuoſis præoccupaverant, jubet eis derelictis in exercitum cogi, & præceps ruit quaſi pro conſulto in periculum, vidit enim moram trahere periculum, Rege ab undique de die in diem in exercitum accreſcente. Igitur & ipſe manum magnam contraxit, & prodigus animarum ſuorum ſolummodo diem congreſſionis adoptavit. Rex vero licet ſecurus de victoria ex ſponſione Sancti eſſet, tamen timuit ut bonus Rex gregi ſuo, & in monte quem anticipaverat hoſtibus nimis aptum, ſi præcaviſſent, ſuper diem diſcriminis Sancti expectabat præmonitionem.

De Baptiſmo Gitri.

PEractis tandem ſolemniter triumphis Rex *Ealfredus* in *Eathelingeiam* rediit, ibique caſtellum fortiſſimum condidit, ubi *Gitrus* poſt tres ſeptimanas ſponſionem completurus invenit eum, & cum triginta primatibus ſuis baptizatus, poſt albas depoſitas, Regia præventus munificentia ad propria in pace una cum omnibus ſuis eſt reverſus. Reliquum vero vitæ ſuæ in pace bona deduxit. Rex *Ealfredus* tractabat Regni negotia, ut à Sancto *Neotho* præmonitus fuerat, inſigni juſtitia, nam & leges prædeceſſorum Regum & conſuetudines bonas in ſcripto redegit, & poſteris cuſtodienda mandavit, tranſerri etiam multas fecit à *Brithonica* lingua in *Anglicam*, inter quas etiam *Merchene Leaga* poſuit, quam nobilis & ſapiens quædam Regina *Marcia* nomine *Britoniſſa* adinvenit. Addidit etiam de ſua adinventione nonnulla, quæ adeo æquitatis munimine fulciuntur, ut à nemine redargui poſſint. In quo ejus facto colligi poteſt, quam devotus ad monita Sancti vixerit, & juſtitie tramitem ſit ſecutus.

De Edwardo *filio ejus dicto ſeniore.*

REX *Ealfredus* cum compleſſet Regni ſui annos XXVIII & dimidium, vitæ vero ſuæ annos L & unum, debita naturæ ab *Adam* vitiatæ perſolvens, in pace defunctus eſt VIII Kalend. Novembris, ab Incarnatione Domini DCCCC anno. Succeſſit autem ei filius ejus *Edwardus* vir modeſtus, prudens, & pius, qui per omnia patris mores, conſuetudines & elegantiam ſecutus eſt; devotus præcipue Deo, quod à patre didicerat, cui & ſe & Regni moderamen commendabat, patre latior in Regno, ditior opibus, diuturnior in pacis bono; in eum conſenſerunt omnes *Suthangli*. Nam *Juti Vectiani*, qui à tempore *Aelberti* filii *Aiſtulphi* ſub tempore *Eelfredi* mortui, & *Cantiani Juti* qui à tempore *Baldredi*, quem *Egbertus* Rex ſupradictus pater *Ethelwlfi* miſſo filio cum multa manu ſubegit, caruerant Rege, & *Mediterranei*, qui & *Mercii*, à tempore *Burthredi* Rege vacui, condicto potius & voluntate ei ſe ſubdiderunt, quam bello vel viribus ſubacti; ſolus enim *Ealfredus* pater *Edwardi* eis in tempore *Danorum* ſuccurſui fuerat, & ideo in filium facilius conſenſerunt. Porro benignitas ejus multum vera ad hoc etiam eos multum illexit.

Duxit autem in ſumma & bona pace vitam ſuam, excepto quod aliorum incommodis vexabatur: nam à temporibus *Sweni* & *Igguar* & *Hubbæ* ducibus *Danorum*, ſub diverſis eorum eruptionibus, conſederant in diverſis promontoriis & locis ad munitiones aptis *Dani* multi, & ea optime muniverant, nullius incurſum metuentes. In tempore Ducum ſupradictorum irrogaverunt moleſtias quas poterant omnibus patriotis, nec etiam adhuc patriam inquietare erant pigri. Quamobrem diverſæ provinciæ in unum condicentes, petierunt à Rege *Edwardo*, ut eorum voluntati hoſtes prædicti traderentur, deponentes in Regis † nono multas querelas de frequenti prædarum ſubreptione, de viarum intercluſione, de *Mercatorum* ſpoliis, & de multis aliis in hunc modum erumpentibus, ſed & in ſecretis quæ ad publicam

publicam non pertinent narrationem †. Accepta itaque à Rege licentia unaquæque provincia munitiones quibus ſe tuebantur dejecit, non tamen ſine gravi bello & labore diutino, ſub quo tempore deletum eſt optimum eorum præſidium in *Mercia Wiſtoche*. Sed hæc alias.

Interruptum autem fuit inter tempora *Danorum* diu Regnum *Northimbrorum*, & uſque ad tempora *Ethelſtani* nullus ibi regnavit, excepto ſolo *Gudredo*, qui XIV annis regnavit, quem *Hardecnuti* filii in ſervum vendiderant; ſed hunc Sanctus *Cuthbertus* à ſervitio promovit in Regem: iſte, ut audivi, *Hubbam* ſocium *Inguar* in *Campeſtri* bello delevit.

Suſcepit autem, inter hæc tempora labentia, à conjugali choro Rex *Edwardus* tres filios, & unam filiam nomine *Orgivam* [*Edgivam*,] quam Rex *Francorum Karolus* accepit uxorem, in duobus ſibi conſulens, ut non timeret ex parte illa *Anglos*, ad quorum ſuffragium *Rollo* & ſequaces ejus ſæpe confugerant, qui ſub tempore *Eadwardi* Chriſtianus obiit, habuitque ſucceſſorem *Wilhelmum* filium ſuum; & ut ad *Eadwardum* haberet refugium in excercitus reſtauratione, ſi neceſſitas urgeret. Filius autem primogenitus fuit *Ealſtanus*, ſecundus *Eadmundus*, tertius *Eadredus*, in quorum manu Regni diſpoſitionem omnino dereliquit. Emicuitque inter eos *Ealſtanus* ut major natu, & vivacitate conſilii, & morum elegantia, & in dominandi poteſtate; accepta enim licentia à patris conſilio in *Angliam Gytrum* revocavit, qui cum maxima manu à *Dacia* rediens ejus ſe ſubdidit una cum ſuis voluntati; deditque, aſſenſu patris, *Eſtanglam* ei, Regnum Sancti *Edmundi*, quod, eodem titulo, quo ut dictum eſt multa alia Regna, ad Dominium *Eadwardi* devenerat, uſuſque ejus auxilio *Ealſtanus* omnes rebelliones *Suthangliæ* patris jugo ſuppoſuit, magnumque poſteris in facto ſcandalum fecit, ut ex ſequentibus ſufficienter patebit.

Regnavit autem *Eadwardus* in pace bona XXIV annis, & mortuus eſt anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXIV.

Succeſſitque ei *Ethelſtanus* filius ejus major natu, unxitque eum in Regem *Eathelmus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, de quo *Galfridus Monemutenſis* (quamvis invidulus genti & gentis regibus *Anglorum* eſſet) ſcribit quod primus de gente *Saxonum* diadema portaverit: quod & poſſit eſſe verum, tamen credendum eſt invidum magis prioribus regibus derogaſſe, quam *Ealſtanum* laudaſſe. Nam & ſubſequenter Hiſtoriam *Anglorum* tradit, *Wilhelmo Malmesberienſi* & *Henrico Huntedunienſi in corde & corde locutus*, & verendum eſt de eo ne *diſperdat Dominus labia doloſa*: verum quia vices interpretis ſe dicit exſequi, utcunque excuſari poſſet, ſi ad tempus *Ealſtani* ejus editor (quem *Britonem* dicit) perſcripſiſſet, nos autem eandem Hiſtoriam Deo commendamus, & prout ipſe donaverit exſequemur, tantum imaginem futuræ editionis & materiam hîc præpingentes.

Igitur regnante *Ealſtano* in Monarchiam redacta eſt *Anglia*, nam & *Northimbria* & *Scotia*, *Cumberlandia*, & aliæ quæque partes *Angliæ* in inſula potius ad ejus *Monarchiæ* poteſtatem acceſſerunt, quam cogerentur. Erat enim pacis amator, & quod ab avo audierat, & in patre viderat, in judicio juſtus, & ex multarum virtutum condictu adeo omnibus gratioſus, ut nihil uſque ad præſens in eum fama audeat, quæ omnium ſaltem poſt mortem carpere ſolet factiones. Reſervavit ad iſtum Regem, quod ſuperius dixi, de *Ealfredo* & *Rollone*, ſcriptor hiſtoriæ *Normannorum*, quod nequaquam ſtare poteſt, cum *Rollo* uſque ad *Ealſtani* Regnum ex ipſo ejus volumine & Chronicorum ſupputatione convinci poſſit non perveniſſe. Sed & multi alii Hiſtorici ob auctoritatem *Ealſtani* ad eum referunt, quæ ad eum conſtat non pertinere.

Cœpit autem regnare anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXV, venitque ad eum *Lothowicus* cum matre ſua *Orgiva*, fugiens *Gallorum* timore, orta enim occaſione diſſidii inter Regem *Karolum* patrem *Lodowici* & gentem *Gallorum*, in manus eorum devenit & occiſus eſt ab eis. Timens filius de

ſimili, divertit ad avunculum *Ealſtanum*, qui honorifice ut oportuit eum ſuſcepit, & de reformanda pace non pigritavit; nam miſit legatos ad *Willelmum Normannorum* ducem *Rollonis* filium, & ejus internuncio pacem reformavit: porro ſororem ſuam *Orgivam* dedit *Sictrico* ex *Danorum* genere in uxorem, quem ideo ad nomen Regis ſublimavit, ne ſoror à Reginæ nomine ad nomen deſcenderet comitiſſæ. Accepit *Sictricus* pro Regno à *Theiſa* flumine uſque ad *Etheneburgam*. Sic ergo primum ſub tempore hujus Regis liberum habuerunt *Dani* acceſſum, nam qui in tempore Regum præcedentium, quaſi erratici per *Angliam* vagabantur, ſub *Elſtani* tempore manebant ſtabiles; nam & *Gytrus* in *Eſtanglia*, & *Sictricus* in *Northimbria* gentis ſuæ libertati, nec mirum, ſtudebant; favebant necnon voluntati eorum optimi portus, qui terram *Danorum* ex directo reſpicientes recedentibus & accedentibus faciles patuerunt. Porro & *Sictricus* & *Gytrus Ealſtano* omnibus diebus fideles paruerunt. Sed quia prudentiam rerum exitus metitur, debuit Rex ſapiens poſteris præcaviſſe, & iter hæredibus nocituris clauſiſſe. Sed quia *nemo ex omni parte beatus* addidit eorum commoditati, quod familiariſſimos habere ſtuduit *Danos*, & ad omnem voluntatem ſuam habuit præparatos, deſcenderat enim aliquando in tempore patris ſui ad *Gytrum* in *Daciam*, & multa de moralitate populi ſuis moribus adjecerat. *Quædam deſiderantur.*

Porro *Eathelmus* videns eum [*Dunſtanum*] facetum, extendit manum ſuam & commendavit eum *Ealſtano* Regi, qui etiam ob reverentiam Archipreſulis, quem ſemper habuit, ut patrem, eo quod ab eo in Regem unctus fuerat, inter familiares habuit *Dunſtanum*, & cito induſtriam & elegantiam morum ejus & deprehendit & collaudavit; ſed intercreſcente à *Northimbris* diſſidio, non potuit Rex dare occaſionem ſapienti, *ut adderetur ei ſapientia*, ſed ad præparatoria bellorum ſe convertit. Filius ſororis ſuæ & *Sictrici*, quem Rex *Ealſtanus* ſub nomine Regis tenuerat, cauſa præaſſignatâ, patre jam mortuo avunculo rebellavit. Erat autem cauſa rebellionis *Guttredi* ſuggeſtio *Northimbrorum*, qua Adoleſcenti ſuggeſſerunt quod eorum patria ſuo Rege ſemper ſolet gaudere, & ſub nullo *Suthanglorum* vectigari. Porro à tempore adventus *Anglorum* in inſulam hoc verum eſſe conſtat, quod nulli *Anglorum* Regum ſubjecti fuerint niſi *Ealſſtano*; igitur eo inconſulto nomen Regis vſurpaverat ſibi *Guttredus*, & ſubſidia & caſtella terræ cuſtodibus ejectis ſuæ tutelæ ſubdiderat, & tributa quæ patri impoſita fuerant, præciſe negabat. His permotus *Ealſtanus* ad expugnandum invigilabat rebellionem, & cum ſatis in manu ſuorum id poſſet exſequi, placuit etiam amicorum fidem & provinciarum ſuo Regno adjacentium attentare, & infra paucos dies magnum excercitum collegit. Cave autem hîc de hiſtoria *Normannorum*, quæ falſo quidem ſuggerit ad hanc veniſſe *Rollonem*, dum eundem conſtet ſecundum Chronica etiam ante Regnum *Ethelſtani* obiiſſe, ſed *Guttredus* audito *Ethelſtani* adventu diſparuit; qui poſtmodum, ut in geſtis Sancti *Cuthberti* legitur, præſidio affuit *Anglis* ipſius Sancti monitis exhortatus, contra piraticam *Danorum* irruptionem, regnavitque ut ibi legitur multis annis, ſed fides hiſtoriæ communis habet nullum in *Northanglia* regnaſſe poſt tempora *Ethelſtani*, auctoritati factum relinquimus qua probatur. Regnavit autem *Ethelſtanus* XVI annis, & mortuus anno ab Incarnatione Domini DCCCCXXXIX. Succeſſitque ei frater ejus *Eadmundus*, cœpitque regnare anno ab Incarnatione Domini DCCCCXL. Hic in primitiis Regni, quæ ſolent diſſidiis patere, infeſtos habuit *Northimbros* ad antiquam libertatem aſpirantes, ſed viriliter eos oppugnans jugum in eos obtinuit, quod frater *Eathelſtanus* impoſuerat.

Interea *Northimbri* freti auxilio cujuſdam *Norwenſis* nomine *Olaf*, quem ad hoc ſub nomine Regis potius quam re nominis ſibi à *Norweia* vocaverant, rebellabant *Eadmundo*. Cujus rebellionis finem [*Olafi*] internecione idem *Eadmundus* terminaſſet, niſi baptizmi interfugio excercitus ejus inſtantiam

ſtantiam præveniſſet. Erat enim paganus, & diffugium mortis ſub baptiſmi pallio in miſericordia Regis invenit. Conſpiraverunt nec minus contra eundem *Eadmundum* duo, *Olaf* filius *Sictrici* & *Orgivæ* ſororis Regis, ſecundo natus; & *Reginaldus* filius *Guthredi*, quem ut prædictum *Ethelſtanus* à Regno dejecit, ſed & hos in multitudine exercitus copioſa à Regno ſuo expulit, & deinde toto tempore vitæ ſuæ *Northimbriam* in manu propria ordinavit.

De Dunſtano.

FActo ipſius die crepuſculo vidit interim *Dunſtanus* Abbas in *Veſpertino* Regis convivio eundem † ut quempiam alium inter frequentantes Miniſtros Regis oberrantem. Porro poſt aliquot dies vidit Sanctus juvenem ignotæ faciei Regis curiam perluſtrantem, ferebatque in manu *Rotulam* multum involutam, & gloſa minuta conſcriptam; interrogatuſque quis eſſet, reſpondit ex orientalibus Regni partibus, & *Saxonica* voce ſe eſſe, & cum Rege quædam nuptialis verbi habere ſecreta: quæſituſque ut Regi aſtaret ad mandata exequenda, diſparuit, unde uſque ad præſens neſcitur uter ſpiritus eſſet in forma aliena, an homo verus in ſua. Rex autem eodem die ſica in viſcera ejus [adacta] in menſa occubuit. Sed qua ratione vel à quo occiſus fuit uſque ad præſens incertum habetur. Appoſituſque eſt ad patres ſuos anno Regni ſui ſexto, & eodem ab Incarnatione Domini *Jeſu Chriſti* DCCCCXLVI. Succeſſitque ei frater ejus *Eadredus*, cœpitque regnare eodem anno, fratriſque ſui *Eadmundi* filios *Eadwinum* & *Eadgarum* ſub diligenti cura tradidit nutriendos, ſatis ex facto ſuo indicans eos juſtos fore Hæredes, niſi ætatis teneritudo obloqueretur. Erat enim bene religioſus, provectæ ætatis, & maturus moribus. Huic erat *Dunſtanus* magis quam prioribus fratribus, *Ethelſtano* ſcilicet, & *Eadmundo* familiaris & gratioſus; quem quaſi parem amicitiæ ſuæ præelegit, ſed & *Dunſtanus* tantæ æſtimationi in quantum potuit ſtuduit reſpondere. Tradidit etiam ei Rex ex dilectionis confidentia omnia prædia ſua *Glaſtoniæ* vicina, ut ejus videlicet providentiæ ſubjacerent; ſed & antiquos patrum & prædeceſſorum Theſauros, cum his quos etiam ipſe adjecerat, ſub munimine Monaſterii ejus fideliter obſervandos, & Abbas ei ut Theſaurarius reſponderet, quæ omnia ut fidelis omni vita *Eadredi* Regis obſervavit, & quæ impoſita prædiis fuerant, juſte perſolvit. Rebellavit etiam huic *Northimbria*, & infracta fide quam illi juraverant in primitiis Regni *Northimbri*, revocaverunt *Olavum*, quem à Regno dejecerat *Eadmundus*. Et ejus ducatu niſi, quæ ſibi impoſuerat Rex vectigalia præciſe reddere, negabant. Ad quorum edomandam ſuperbiam collecto *Suthanglorum* excercitu *Northimbriam* invadit Rex, & eam incendiis urbium, dirutione caſtellorum, occiſione hoſtium, & proſcriptione ſuſpectorum ex magna parte delevit, & *Olavum* reductum in exilium perpetuo dejecit. Sed cum in *Suthangliam* redire diſponeret, timens hoſtium inſidias rerewardum exercitui poſuit, quem *Northimbri* in tranſitu ad nocendum prono reſidentes in inſidiis, ex magna parte deleverunt. Et quendam *Hericum* nomine filium *Horoldi* ſibi in Regem elegerunt, qui earundem inſidiarum auctor fuiſſe perhibetur. Sed Rex ut audivit cunei ſui extremi interfectionem, valde infenſus totum ſe ad ulciſcendum injuriam ſuam erexit, & relato cito excercitu in *Northimbriam* ad eam penitus ſubvertendam redire diſpoſuit; ſed creba ſupplicatio, & multa munerum exhibitio, & finalis ſubjectio iram Regis mitigavit. Ex quo tempore paſſa eſt jugum *Suthanglorum Northimbria*, & Rege proprio & antiqua libertate ad hæc [tempora] queritur caruiſſe. Porro duo Regna, quæ ibi aliquando fuerant, in Baronias & Comitatum diviſa ſunt.

Aſpiravit interea *Eadwinus* major natu filiorum *Eadmundi* ad Regnum, quod ſibi de jure hæreditario deberi privata familiaritas ſuggeſſerat, quo-

circa omnes familiares avunculi ſui *Eadredi* invido oculo reſpexit, & [licet] manu nil auderet, dum Rex viveret, tamen interiorem invidiæ flammam vultus & oculorum torvitate depromebat, unde & plures magnates, Regis fortunæ amici, futurum Regem metuentes à curia receſſerunt.

Senium nimirum *Eadredum* interim vexavit, & *multis incommodis* quæ *ſenes ſolent circumvenire* ad extrema deduxit. Erat autem præcipua cauſa quæ ei mortem maturavit, exeſio dentium. Nam ſolidorum ciborum edulia non potuit maſticare, nec ad diu ſuſtentandam vitam, quæ ei frequenter præparabantur ſorbilia, ſuffecerunt. Acceſſit ad hæc languor continuus, & familiaris ſenibus tuſſis frequens. Imminente autem —— morte ejus, miſit ad prædiorum ſuorum cuſtodes, & ſuos Theſaurarios, ut videlicet divitias congererent, quæ & exequiis ſufficerent; & [ut] emeritoriis ſatisfaceret clientelæ fidelibus, & amicis commonitoria poſt mortem bona daret; & ex his excreſcentia ſucceſſoribus ſuis prompta forent. Ad hæc, dum ad curiam *Dunſtanus* properaret, in media via facta eſt vox Angelica de ſublimi dicens, *ecce nunc Rex Eadredus in pace defunctus eſt*, & admirantibus univerſis qui aderant, & in ſuo ſtatu cunctis permanentibus, ſolus equus quem Sanctus inſederat in media via corruit & mortuus eſt. Cujus facti cauſam uſque ad hoc tempus hiſtoria potuit ignorare, indicavit vero Sanctus ſociis ſuis, qui de cœlo ſolus audierat. Et mirantes in rei ſubitæ & inauditæ eventu in fletum & dolorem pro morte Regis convertit, ſed & in hora & in facto ita inventum eſt, ut de cœlo audivit. Invenerunt enim Regem mortuum, & ſub eadem hora. Porro Sanctus Abbas amiciciæ vices penitus exſequens, licet multi prælatorum Regis exequias ob morem ſucceſſoris diffugerent [*Eadwini*] quaſi ſolus amicus ſubſtitit, & omnino quod Regem noverat præcepiſſe, proſecutus eſt. Funus quoque Regis honorifice in excubiis circumſedit, & inter patres & fratres regaliter ſepelivit anno Regni ejus nono, ab Incarnatione Domini DCCCCLV.

Succeſſit ei *Eadwinus* primogenitus *Eadmundi* eodem anno. Verum in ipſis primordiis Regni, videlicet ipſo die unctionis ejus, qualis futurus Rex foret, demonſtravit. Cui enim poſt Coronationem & miſſarum ſolemnia, ut tantæ ſolemnitati congruit, Barones & comites quaſi in conſuetudine delicioſe corporis procurationi aſſiderent, & poſt prandium ad pocula, quibus *Angli* nimis ſunt aſſueti, ipſe Rex è mediis exiliens cauſa laſciviendi thalamum intravit. Cujus reditum cum diu expectaſſent Barones, exiliens *Gyneſium* Epiſcopus, qui unctioni ejus interfuerat, & Abbas *Dunſtanus*, ut Regem ad convivium reducerent, intraverunt eundem Thalamum, inveneruntque, Coronam de capite ejus —— & ipſum medium inter duas, matrem *Ethelgivam* nomine *& filiam* – alternatimque eas laſcive & pudende palpitantem, corripiuntque eum —— facto, ſatis ei ſuggerentes nequaquam bene convenire quod primam vi —— tali interludio maculaſſet, & inter correptiones Coronam capiti imponentes, potius invitum quam voluntarium ad convivium reduxerunt. —— *Algiva* ut erat procacis linguæ & bene noſcens animum *Eadwini* —— & obprobriis *Dunſtanum* impetens, ipſi etiam ex parte Regis malevolenter — illuſit, ſed qui ſpem ſuam in Deo ex toto poſuerat, nihil ad verba ejus timens, poſt feſti conſummationem ad Abbatiam reverſus eſt: ſed non diu diſtulit impudens illa mulier, ſed omne iræ ſuæ venenum in Sanctum Abbatem evomuit, & ſub pallio ſuæ diſſimulationis Regis ſui proſecuta eſt voluntatem, ſuſpectus enim erat *Eadwino* omni tempore *Dunſtanus*, eo quod tempore *Eadredi* Theſauros patrum ſuorum cuſtodiſſet, ſub cujus obtentu ſuſpicionis etiam ipſa mulier impudens licentiam à Rege acceperat omnes facultates & ſupellectilem Sancti proſcribendi. Extendens igitur manum ſuam ex magna parte conventum *Glaſtoniæ* in Abbatem convertit, & à familiaribus cauſam ſuæ malitiæ proſequendæ excitavit, excitatamque fovit, & eouſque rem diduxit, ut ipſum Sanctum proſcriptioni appelleret, quid enim inter tot

hoſtes

hoſtes faceret? Regis iram ſenſit erumpentem ab occultis, & Reginæ manum exterius & aperte flagellantem, & in mediis fratribus ſeditionis fornacem eo periculoſiorem, quo à peſte familiari ſuccenſus; noti quoque ejus & amici Regis & Reginæ malevolentiam metuentes incurrere, in conſiliis dandis ei defuerunt. Quaſi enim publicus hoſtis habebatur, quicunque eum ſolatii ſubterfugio juvare tentaret. Sed nec inter hæc ſe potuit occultare antiqui hoſtis verſutia. Nam in voce mulieris quaſi eum irridentis in media proſcribentium multitudine cachinnum dedit audibilem, & de ejus † quam æſtimavit ex perditione exultavit. Sed vir Dei in fundamento Chriſto habens fixam mentem, irridenti inſultans fertur reſpondiſſe, *Magis dolebis Deo volente* in reditu, *quam gaudeas in proſcriptu.* Inſurgente igitur ex omni parte tempeſtate compulſus eſt vir Sanctus per latibula mare adire, & exilii diſpendio redimere timorem mortis. Ad quod etiam parentela mulieris proſequens, ex indignatione quam impudenter ipſa moverat, Sancti oculos eruere diſponebat. Sed fruſtra, nam intercapedine fluctuum jam ſecurus eorum inſidias non timebat. Fuit autem Dominus cum Exule ſuo, & omnia opera dirigebat, nam ſuſcepit eum vir beatæ vitæ *Earnaldus* ex Regia *Francorum* ſtirpe editus, & miſericordiæ compaſſione, quæ omnium Regum & Regalium virorum *Francûm* ſatis eſt aſſentanea, venerabiliter exhibuit. Quo etiam tempore idem *Earnaldus Cœnobium*, quod prius fuerat à Sancto *Amando* Epiſcopo conſtructum, nomine *Blandinium*, renovavit, & elegantioribus ædificiis inſignivit; Beatum quoque *Wandregiſilium* Abbatem cum aliis confeſſoribus ad idem *Cœnobium* tranſtulit, & auro & argento incapſavit. Cum hoc ergo viro moras faciens, linguam, *quam non noverat, audivit*, & didicit, facetiaque gentis multum inſtructus in ipſis anguſtiis exilii aliquem uſum invenit. Sed tamen non abſtulit memoriam & deſiderium natalis ſoli dulcis terræ multum inculcata jocunditas, vel populi ſatis elegans facetia, nam ſolet ſe ſemper ingerere exulum mentibus, & imago patriæ ad ſe trahit etiam reluctantes, ſed & Dominus per viſiones & revelationes ſæpe eum interim confortavit. Sanctus quoque *Andreas* ei aſſidue apparens ad puſillanimitatem deſcendere non permiſit.

Facta eſt interea in *Anglia* Dei nutu ab *Eadwino* diſceſſio, & in *Ædgarum* prope omnes principes conſenſerunt, erat enim ei ſpecies digna imperio, quam & eloquentia & morum nobilitas venuſtabat, eratque prudens in rebus agendis, verax in ſermone, providus in conſiliis, & in judicio juſtus, ſatiſque in omnibus uſualium virtutum incrementis dabat intelligi, quod in non uſitatis, ſi occaſio ſuppeteret, non deeſſet. At contra *Eadwinus* frater ejus pacem mundi, quæ peramica eſt vitiis, diligens, in hac ſola, ſimia virtutis, mores terminavit. Nam, ut prædictum eſt, erat voluptati carnis deditus, negligens, ſuis exceſſibus faventes diligens, & infeſtus bonis, his ſibi ex utraque parte cauſis ſtimulantibus coacti ſunt magnates Regni *Eadgaro*, ut Regi, adhærere, & diſcedere ab *Eadwino*. Sed in his † rebellavit *Eadwino*, immo ante omne diſſidium & guerram, ut pacis qualiſcunque bono uteretur, conceſſit fratri ſecum regnare, urgente inſuper ex omni parte concilio, facta eſt inter eos diviſio, ita tamen ut Diadema quod ſemel acceperat *Eadwino* remaneret. Diſterminavit Regna eorum *Thamiſa* flumen terræ notiſſimum, regnavitque in Auſtrali parte *Eadwinus*. Conſenſerunt in eum *Juti Cantiani*, & *Juti Vectiani*, & omnes *Occidentales Angli* ad diffinium prædicti fluminis, & *Cornubia* cum omnibus appendiciis, eſtque pars illa longe uberior in Segetum & fructuum copia, quam ea quæ remanſit *Eadgaro*, ſed longe inferior in multitudine populorum & intercapedine locorum. Nam conſenſit in *Eadgarum* pars *Aquilonaris Angliæ* ab eodem flumine *Thamiſa*, videlicet, *Exſexia*, *Northfolchia*, & tota *Mercia*, cum *Siris* ſuis; & *Bernia*, & *Deira* cum *Louthian*, quæ antiquitus duos Reges habebant, uſque ad *Caſtellum Puellarum*. Confirmatus ergo *Eadgarus* in ſuæ partis

partis Regno ſtatim fideles prædeceſſorum ſuorum Dei nutu recollegit & quod diu concupiverat, *Dunſtanum* Sanctum, legatis ad hoc præparatis, honorifice, ut oportuit tantum patrem, ab exilio revocavit cum ſuis, qui † eadem proſcripti fuerant: & quia ex magna parte ad Regnum *Eadwini* fratris ſui eorum ſpectabant poſſeſſiones, erat enim *Dunſtanus* cum ſuis ex *Eadgoreſleia*, quæ vicina eſt *Glaſtoniæ*, natus, patre *Heorſtano*, matre vero *Kynedrith*, quod in fratris parte non poterat, ex ſua parte ſupplevit; dans, viz. illis poſſeſſiones, prout unicuique competebat, ipſum etiam Sanctum, quia in *Glaſtoniæ* Abbatia inſtituere non potuit, in ſua curia retinebat, quouſque ad ſublimiora Dei adjutorio eum proveheret; ſub quo tempore etiam coegit concilium de Regni ſui negotiis *Eadgarus* Rex in *Bradamford*, cui interfuit Sanctus, qui, inter alios *de jure* & *conſuetudinibus* Regni tractantes, inventus multa bene ordinaſſe, & ad profectum Regis & Regni multa involuta evoluiſſe. Fecit etiam in eodem concilio ſermonem ad populum, qui bene ordinati fuit initium concilii, & in quo adeo peroravit, ut omnes eum ad Epiſcopi dignitatem attitularent. Aſſenſit autem Rex omnibus his, quæ in conſiliis dabantur à Sancto, & præcipue arriſit applauſui populi, quem electione fecerant *Dunſtani*; erat enim id idem cupiens jam ante; concurrente ergo favore populi Regis voluntati, ad *Wigornenſem* Eccleſiam devenit paſtor, quæ eodem tempore paſtore ſuo *Kenewoldo* Epiſcopo viduata eſt.

Unde poſt pauca *Londonienſi* Epiſcopo mortuo ſedem ejus & Epiſcopatum curæ ſubjecit. Ut videlicet unius Eccleſiæ eſſet paſtor, & præſul, alterius verò nutricius & procurator. Aſſenſit per omnia *Odo Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ut duarum Eccleſiarum eſſet moderator, ſciens in ſpiritu quod multo plurium cura eum expectaret. Qui ſub eodem tempore morti debita perſolvit. Electuſque ad ejus vices ſuplendas *Exonienſis* [*Wintonienſis*] Epiſcopus nomine *Ealſinus*. Hic, cum eſſet ex parte *Eadwini* Regis adhuc juvenis, Romam pro pallio juxta morem *Cantuariorum* electorum miſſus, in *Alpinis* montibus frigore interceptus obiit. Subſtitutuſque eſt ei *Brithelmus Dorchaſinus* Epiſcopus. Eratque vir mitis & benevolus, ſuavis, clemens, & modeſtus, & in his totus fuit. Nec aliquo artificio vel auſteritate ſuppoſitivâ virtutes temperavit. Sed ne ſub ejus nimia remiſſione fluctuaret Eccleſia, temperavit Deus. Nam *Eadwino* mortuo cum regnaſſet tribus annis, ante diviſionem Regnorum, & tribus poſt, totius terræ ſubſcriptus eſt Rex *Eadgarus*, & ad eum devenit, divina gratia diſpenſante, prædeceſſorum hæreditas; hic ergo remiſſam modeſtiam Archiepiſcopi aſcribens vitio, cum nullo articulo juſtitiæ temperaretur, eadem via qua aſcenderat fecit eum deſcendere. Nam concione ſuper hoc eodem facta objecit *Brithelmo* plura capitula, nimiam ejus remiſſionem morum arguentia, & condictione *Baronum* ſuorum & aſſenſu, ad curam ſolius *Caſinæ* Eccleſiæ relabi fecit. Dehinc omnium aſſenſu & acclamatione electus eſt Sanctus *Dunſtanus*. Qui *Romæ* Pallio ſuſcepto cum maximo honore & veneratione Apoſtolica eſt inſtitutus. At Rex *Eadgarus* ſub eodem tempore *Barones Northumbrenſes* in conſilium convocans apud *Eboracum*, capitula multa ad Regni negotia ſpectantia bene ordinavit. Inter quæ etiam *Oſulfi* comitatum, quem avunculus ejus *Eadredus* toti *Northimbriæ* ſub nomine comitis præfecerat, in duos diviſit comitatus. Ipſo *Oſulfo* jam mortuo, noluit ſub nomine hæreditatis Rex eam partem terræ alicui provenire ſoli, ne ad antiquam libertatem aſpirantes † *Northimbriæ*, hoc eſt ab *Humbria* uſque ad *Theiſam Oſlach*, & comitis gladio eum cinxit. A *Theiſa* vero uſque ad *Mireforth* ſub nomine etiam comitatus, partem videlicet maritimam Deiræ dedit *Eadulf* cognomento *Ewelthild*. Sicque duo Regna ad duos comitatus devenerunt, permanſeruntque omni tempore Regum *Anglorum* ſub ditione & donatione eorundem. *Louthion* vero ſemper patuit excurſibus *Scotorum* & *Pictorum*, & idcirco parum curæ fuit regibus hæc pars terræ,

terræ. Porro Rex *Scotorum Kineth* audiens ex fama & commendatione duorum comitum *Oſlach* & *Eadulf*, & Epiſcopi *Dunelmi Elfſi, Eadgari* Regis magnificentiam, deſiderio videndi petivit conductum veniendi *Londoniam*, ut cum eodem colloqueretur, & impetravit. Conduxeruntque eum ex præcepto Regis duo comites prædicti & Epiſcopus, venit *Londonias Kineth* Rex *Scotorum*, ubi à Rege *Eadgaro* honorifice ſuſceptus eſt, & honori habitus, cumque amice familiariter & jocunde colloquerentur; ſuggeſſit Rex *Kineth* Regi *Eadgaro Louthion* ad ſuum jus debere pertinere, & hæreditarie à regibus *Scotorum* poſſideri. Rex nolens aliquid abrupte facere, ne poſt factum pœniteret, Regis *Kineth* cauſam curiæ ſuæ intimavit. Proceres vero qui à progenitoribus erant eruditi, niſi ſub nomine homagii Regi *Angliæ* à Rege *Scotorum* inpenſi, † & præcipue quia ad tuendum terram illam difficilis eſt acceſſus, & parum proficua ejus dominatio, † aſſenſit autem aſſertioni huic *Kineth*, & ſub nomine homagii eam petiit & accepit, fecitque Regi *Eadgaro* homagium ſub cautione multa promittens, quod populo partis illius antiquas conſuetudines non negaret, & ſub nomine & lingua *Anglicana* permanerent. Quod uſque hodie firmum manet. Sicque determinata eſt vetus querela de *Louthion*, & adhuc nova ſæpe intentatur. Subjectus eſt ergo *Eadgaro* Rex prædictus prædicta cauſa, ſed & Rex *Cumbrorum Malcolm*, & *Oriccus* [*Mackus*] plurimarum Rex inſularum, & *Orcadum* diverſi Reges. Qui omnes *Eadgaro* Homagii nomine tenebantur.

Floruit ergo in pace ſancta tempore *Eadgari* Regis & Archiepiſcopi *Dunſtani Anglia*; &, Deo per omnia diſpenſante, magiſterio bonorum præfectorum, ſic arriſit proſperis, ut exemplar fieret ſucceſſuris, impletumque eſt per omnia quod de eo prophetice Angelica voce audierat Sanctus *Dunſtanus*, *Pax Anglorum Eccleſiæ nati nunc pueri & noſtri tempore Dunſtani.* Habuitque tunc tempora ſua, cum de ſuo Rege & de ſua gente nato gauderet, & animarum procuratores in ſuo Idiomate ſalutis verbum audiret, & prædicantes. Sed quid faciat peccatum ex ſequentibus poterit quis conjectare.

Acceperat autem interea *Eadgarus* duas uxores, ex quarum prima ſuſceperat optimum ſucceſſorem nomine *Eadwardum*. Ex alia autem uxore nomine *Gunnild* alium filium nomine *Ethelredum*, invidebat autem etiam omni tempore *Eadgari* novercali more noverca privigno ſuo *Eadwardo*, eo quod filio ſuo *Ethelredo* præceſſurus erat ad Regnum. Sed nequaquam tempore Regis machinationem ſuam ad effectum perducere æſtimavit. Nam Deus, quem de puero cognoverat, eum quoad voluit protexit. Regnavit autem *Eadgarus* in omni bona jocunditate ſexdecim annis, & mortuus eſt, & ſepultus cum patribus ſuis. Succeſſitque ei primogenitus ejus *Eadwardus* eodem anno, videlicet, ab Incarnatione Domini DCCCCLXXIX. Unxitque eum in Regem *Dunſtanus* Sanctus, jam quidem ætate floridus, & ad æternos fructus commaturans. Inſtruxitque eum patris ſui & prædeceſſorum ſequi veſtigia, & ſuper omnia Domini gratiam quærere in factis ſuis, fidei documenta omni affectu & deſiderio amplecti, & exemplar populo quem regeret ſe præbere. Quod & ipſe *Eadwardus* omni tempore fecit. Nam erat exemplar virtutis, quem ſpiritus Dei potius quam voluntas innata temperaret, & ſanctitatis inſigne, quod optime, licet præmature terminavit, in motu & geſtu, tenore juſtitiæ, & operibus præmonſtravit, inſignivit enim vas ſuum Spiritus Sanctus, quod præelegit, & quaſi ductu naturæ ad virtutum incrementa impegit, ſed vere artificio in eo uſus eſt, ut in brevi conſummatus, expleret tempora multa. Nam eouſque charitatis dono flagravit, ut etiam ad novercam, quam optime infeſtam ſibi ſcivit, manum extenderet beneficii. Dedit ei ſub nomine dotis patris ſui totam *Doreſetam*, & ſub nomine Regiæ dignitatis eam præcepit poſſidere, ut videlicet nulli de eadem reſponderet, ſed ut Regina & domina omnia etiam ad Coronam Regis ſpectantia, ad voluntatem diſponeret, ſed ſub hac charitativa

largitate invenit venenum novercale, nam nihilominus novercata eſt ei omni tempore, quod ex fine plenius patebit.

De Paſſione Sancti Ædwardi *Regis & Martyris.*

IGitur Rege Regni negotiis invigilante, & per omnia bonæ paci ſtudente, noverca ejus parvipendens emergentia, nulla juſtitia populum ſuæ partis temperavit, ſed feminea levitate cauſas tunc forefacta † diſſimulavit. Inſuper etiam ipſa populum perturbavit ſuum, volens multas querelas ad Regis thronum pervenire, gaudens etiam, ſi quomodo eum poſſet perturbare. Emergente ergo circa hæc multa occaſione, delatæ ſunt ad Regem *Eadwardum* multæ & frequentes querelæ, quas omnino remiſit ad novercæ ſuæ cognitionem. Sed fruſtra, nam ad Regem infectis rebus reverſi ſunt conquerentes, diſſimulavit ergo quantum potuit, in partem novercæ manum mittere, ne injurioſe cum ea agere videretur, ſed ſuccreſcentibus querelis, coactus eſt Rex per internuncios novercam corripere, & poſtea per mandata in ſcriptis redacta, & cum hæc omnia noverca parvipenderet, ne aliquando Rex pietati deeſſet in propria perſona eam adire maturavit. Proh dolor! nimis incurius fraudis novercalis & inſidiarum, quas ei tetenderat etiam adhuc patre *Eadgaro* vivente: ſed vicit egregium pectus bonitas innata, & quas nullo modo admitteret, in noverca timere noluit fraudes. Deſcendit etiam cum paucis, ne in viribus aliquid putaretur velle actitare, ſed quod perverſo pectore vertebat, facie ad tempus hilari palliabat, & cum reverentia & gloriæ apparatu ſuſcepit Regem noverca, peractis itaque Rex ad quæ venerat monitis, & ſub pietate correptione completa, dum redire diſponeret ad ſua, percuſſit eum noverca *Cultello,* quem abſconderat, & occidit. Diffugit autem ſtatim turba, quæ cum eo venerat, & corpus negligenter dimiſerunt. Quod illa plumbo involvens in *Stura* flumine, ut dicitur, diu abſcondit. Suppreſſa eſt ſtatim res geſta ob timorem *Ethelredi*, quem patria noverat jure ei debere ſuccedere, nec fuit qui corpus quæreret, nec mortis ultionem. Succeſſit enim ei ſtatim *Ethelredus* eodem anno ab Incarnatione Domini DCCCCLXXXIII. Regni *Eadwardi* anno quarto.

Qui poſtmodum *Angelica* revelatione inventus, ad *Saftheberiam* eſt tranſlatus, ubi glorioſe ut martyr inthecatus accepit in poſſeſſione perpetua quod novercæ dederat pro dote temporali, nam conventu *Sanctimonialium* illuſtratus, glorioſius multo æternaliter triumphat, quam ſub Regis nomine ſuo tempore militavit. Unxit autem *Ethelredum* in Regem Sanctus *Dunſtanus*, qui & *Eadgarum* Regem pacificum, & filium ejus Sanctum *Eadwardum* martyrem, & matrem ejus & *Ethelredum* in throno Regni collocavit.

Rex autem *Ethelredus* accepit uxorem primam de gente ſua, ſuſcepit ex ea filium nomine *Eadmundum*, qui poſtmodum ob probitatem & indurationem bellorum & armorum agnomen accepit *Ferreum Latus*, ſed & filiam nomine *Algivam*, quam poſtmodum dedit in uxorem *Hurthredo* comiti *Northimbrenſi*, qui patri ſuo *Waldevo* ſeniori ſucceſſit, ex dono ipſius Regis. Fuit cauſa præcipua ut haberet progugnaculum *Northimbriam* à facie *Danorum*.

Circa hæc tempora Rex *Ethelredus* fundavit Monaſterium *Celiſige*, ſuggeſtione Archiepiſcopi *Sirici*, & paterna pietate conſtructum & ditatum tradidit ad ordinandum *Germano Abbati Winchelcumbiæ*, quem *Eadgarus* pater ejus à *Floriacenſi* Monaſterio tranſtulerat illuc, ubi cum bene omnia ordinaſſet, tranſtulit eum ad ſuam Abbatiam novam *Celiſige*. Fundavit autem eam pro anima fratris ſui *Eadwardi* prædicto modo occiſi.

Circa hæc tempora *Ethelwinus Alderman*, exhortatione *Oſwaldi Eboracenſis* Archiepiſcopi, fundavit *Ramenſe* Monaſterium, & tranſtulit illuc duos Reges

ges & martyres *Ethelbrictum* & *Ethelredum*, qui ibidem inthecantur. Duxit etiam, eadem uxore mortua, aliam nomine *Emmam*, *Normanni* genere, filiam *Ricardi* ducis *Normannorum*, qui & vetus appellatus eſt, qui fuit *Wilhelmi*, qui fuit filius *Rollonis* primi ducis *Normannorum*. Accepitque ex ea duos filios *Eadwardum* & *Ealfredum*, regnavit autem iſte Rex in multis periculis ex præregnantium acceſſoriis cauſis ſibi incumbentibus, ita ut Dominus pepercerit Sancto martyri *Eadwardo*, ne tempora videret *Ethelredi*. Increverant enim nimirum *Dani* à tempore *Ethelſtani*, qui eorum fautor fuit, & optima terræ municipia occupaverant. Nam uſi ſunt eorum manu omnes Reges *Weſtangli* ad alias provincias debellandas, quamobrem conſtituerant, ut quælibet domus quæ ad hoc ſufficeret, Dacum unum in victualibus procuraret, ut ad expeditiones Regum prompti haberentur. Succreſcebant autem minutatim & populum terræ opprimebant.

Patebat enim eis omnibus diebus illis *Eſtanglia* præcipue, quæ terræ eorum eſt expoſita, & ob portuum habilitatem facilem habebant acceſſum & receſſum: unde ſiquid ex eorum numero vel ſenio vel occaſione aliqua minuebatur, ſtatim ex hac acceſſoria cauſa potuit reſarciri. Optima etiam terræ municipia vel occupaverant vel præparaverant, & genti terræ multas moleſtias inferebant: habebant etiam ex conſuetudine patriæ unoquoque die comam pectere, Sabbatis balneare, ſæpe etiam veſtituram mutare, & formam corporis multis talibus frivolis adjuvare; unde & matronarum caſtitati inſidiabantur, & filias etiam nobilium concubinarum nomine detinebant, factaque ſunt multa pro his aliiſque hujuſmodi cauſis in Regno diſſidia & guerræ, Rege penitus ſimulante, quia *Dani* ſemper pejori parti incumbebant. Sed ex ſcaturigine præaſſignata & numero & viribus aucti, parum Regem dubitabant, qui tandem multis querelis ex *Danorum* incentivis ſurgentibus actus, conceſſit omnes *Anglorum* voluntati, ſed non bene vertit: nam parum Dei judicium metuentes, & incircumſpecte ſibi præcaventes condixerunt invicem ut quælibet provincia ſuos *Danos* occideret, unumque diem ſtatuerunt in quo in eos inſurgerent, ſabbatum videlicet, in quo ut prædictum eſt ſolent balneare, deletique ſunt in die condictionis nimis crudeliter à minimo uſque ad maximum. Nam nulli ætati vel ſexui pepercerunt, ipſas mulieres ſuas, quæ luxuriæ eorum conſenſerant, & pueros, qui ex fœditate adulterii nati erant, una delentes, mammas quarundam abſciderunt, alias vivas terræ infoderunt, pueros poſtibus & lapidibus alliſerunt, porro ipſos adeo deleverunt, ut nec eſſet qui factum renunciaret. Exceptis duodecim tantum juvenibus, qui ab excidio *Londonienſi* effugientes ad *Thamiſam* diffugerunt, cimbæque parvæ ſe præcipitantes, & remigiis incumbentes, ſiſâ retracti uſque, cito diſparuerunt, venienteſque ad rivagium maris navem cambiverunt, & pando velo, quoad citius potuerunt, *Danemarchiam* allabuntur.

In fletu itaque & gemitu Regi ſuo *Swenio* nomine quæ in *Anglia* facta fuerant nunciaverunt, qui extemplo de ultione præmeditans conſilium ad hoc convocatum ad ſuam retorſit voluntatem, & ad ulciſcendum inflammavit, ſed & factum in Epiſtolis redactum miſit per adjacentes provincias & regiones, qui ut ſunt omnes avidi cædis & ſitibundi ſanguinis, audita hac cauſa, omnes unanimi aſſenſu in auxilium *Sweni* conſenſerunt, & ad tempus ſtatutum convenerunt *Alani* & *Sciti* & *Swathedæ*, & ab *Yperboreis* montibus populi, & à primo flatu *Aquilonis*.

De adventu Swein Daci *&* Onlaf *Rege* Norwagenorum.

ADerant *Norwenſes* cum Rege ſuo *Onlaf*, conflatuſque eſt infra breve tempus Exercitus maximus, ſolus tamen *Sweinus* ſtudio ulciſcendi actus eſt, nam alii lucri cupidi fertilitatem *Angliæ* ſuæ cupiditati miniſtrare velle æſtimabant, commoverat fama interea non has, quæ dictæ ſunt, re-

 giones

giones verum etiam omnes finitimas *Angliæ*, qui non conſiderantes probra quæ *Anglis* à *Danis* privatim illata fuerant, omnes factum eorum in occiſione *Danorum* ſceleri aſcripſerunt, unde ad reſiſtendum minime ſe paraverunt, illi etiam qui ex debito affinitatis Regi *Ethelredo* tenebantur, videlicet *Normanni* nihil in diſcriminis articulo contulerunt. Nam Rex *Eathelred* audita tot gentium conjuratione transfretavit, & ad fratrem uxoris ſuæ *Emmæ Ricardum* filium *Ricardi* venerat cauſa petendi auxilii, ſuſceptuſque ab eo honorifice cauſam *Anglorum* & ſuam ei ſtuduit intimare. Erat autem bene religioſus ille Rex [Dux] unde quaſi pater Monachorum æſtimatus eſt, audivitque petitionem attentius, ſed nihil per factum reſpondit. Nam reverſus in *Angliam* Rex ſub ſpe quidem auxilii, ſed penitus fruſtrata de futuro: reliquit tamen in *Normannia* duos filios ſuos, quos ex ſorore *Ducis* ſuſceperat *Edwardum* & *Ealfredum*, nutriendos in domo avunculi eorum, ipſe autem Rex *Wintoniæ* ſe recepit, diem & tempus divini diſcriminis ſub multo præludio famæ, & certo periculo, ob enormitatem peccatorum & ſui & populi *Anglicani* expectans.

At Rex *Danorum Swenus*, & *Norwenſium Olavus* in portu *Humbræ* applicantes apud *Eboracum*, territoriis ejus videlicet, exercitum ſuum longo maris tractu & labore vexatum per aliquot dies refecerunt; deinde *Eboracum* invadentes ante paucos dies ſuæ ditioni ſubdiderunt. Eſt enim ante hoc tempus, & fuit à diu *Dacorum* genere multum permixta illa provincia, & multum aſſentanea in loquela. Inde pandunt vela ventis, & per *Thamiſem* portum intrantes *Londonias* eadem lege ſibi ſubigere ſtuduerunt, ſed vi civium ad tempus repulſi, *Cantiam* ſubactam ſibi vectigalem fecerunt, & multitudine eorum ab undique affluente, tandem ſtabili obſidione *Londonias* ſunt aggreſſi. Porro Rex *Olaf* repacificatus Regi *Ethelredo* in obſidionis tempore ab eodem baptizatus ſuſceptus eſt à fonte, reverſuſque eſt ſtatim in patria ſua: invidiæ & odii *Sweino* & filio ejus *Cnutoni* fontem miniſtravit.

De Perſecutione Sweni *Regis.*

SWeinus vero amplius ultioni indulturus remanſit, & loca quæ potuit devaſtavit. Induratumque eſt bellum inter *Anglos* & *Danos* multo tempore, ſed populus invaſor de die in diem immanior aſſurgebat, & terræ mortalitas imminebat, nihilque terræ patuit tutum omnibus diebus *Sweini*: nam *Eboracum* ex toto poſſidens, & *Cantiam* tributariam ad uſus exercitus ſui in obſidione poſiti fungens, per intervalla temporum *Southanglis* & *Weſtanglis* imminebat horrendus. Regnaſſetque etiam in *Anglia* vivente *Eathelredo*, niſi fortunæ diludium ei invidiſſet, & mors etiam felicitatem interrupiſſet. Nam ipſo diſponente de Regno in parte ſuæ juriſdictionis mortuus eſt. Diſperditaque ſunt *Danorum* molimina ad tempus, qui funeri Regis ſui honorem exhibentes ſimul omnes cum eo & *Cnutone* filio & ſucceſſore *Sweini*, ab *Anglia* diſceſſerunt, & eum in *Danemarchiam* deportaverunt. Sepultoque eo, ſuſcepit *Cnuto* & cauſam ejus & arma. Qui exercitum ſuum reſarciens, ad modum *Antei* reſumptis viribus à tactu matris fortior & immanior inſurgebat, adhæſit enim, ut credendum, peccatum matris ſuæ ex parte in *Eathelredo*, quod in Sanctum *Eadwardum* commiſerat, & ira Dei populo terræ, pro crudeli *Danorum* ſupra omnem modum interfectione.

De reditu Cnutonis Dani *filii* Sweni.

REdiit ergo *Cnuto* in *Angliam* cum exercitu magno, cum Rege *Suecorum Lacmane*, & cum *Norwenſium* exercitu, nam Regem eorum *Onlavum* virum Chriſtianiſſimum à Regno expulerat, quia patrem apud obſidio-

obſidionem *Londoniarum* reliquerat contra conjurationis Sacramentum, quod in *Anglos* incentaverant; Regnum vero ejus in manu ſua tenuit, & exercitum terræ ſecum deduxit. Appulit autem in *Northimbria* ulteriori, ibique *Huctredum* comitem obviam habuit, & interfecit, uxoremque ejus *Algivam* filiam *Eathelredi* ſecum omni tempore guerræ detinuit, genuitque ex ea *Horaldum* qui primo ei ſucceſſit.

Adjecit autem ſtatim ſuæ ditioni omnia quæ pater ſuus bello obtinuerat, & ab undique collectis viribus obſidionem paravit iterum *Londoniis*, occurrerunt autem ei *Angli* in multitudine gravi apud *Auxedune*, & facta congreſſione traditi ſunt omnes judicio Dei in manus adverſariorum, & occiſa eſt ibi *Anglorum* infinita multitudo. Dehinc per *Thamiſæ* portum invectus *Londonias* obſidione circumſedit. Erat autem in civitate tunc temporis *Eathelredus* ſubminiſtrans arma & auxilium populo, & ex ſola præſentia ſua confortans, nam in propria perſona ægrotavit, & infra tempus obſidionis ad extrema pervenit. Annoque Regni ſui XXXVIII. Et eodem ab Incarnatione Domini noſtri *Jeſu Chriſti* M. XXI. mortuus eſt & ſepultus.

De Ædmundo Yreneſide *filio* Æthelredi *Regis*.

SUſcepit autem Regnum ejus filius ejus *Eadmundus Ireneſide* ex prima Regina, eleganterque ſuo tempore rexit. Erat enim ſtrenuiſſimus in armis & in militatura fulmineus. Nam infra breve tempus, quo ejus voluntati ſubjecti fuerunt *Angli*, quinquies cum *Cnutone* prælium commiſit, & niſi *Anglorum* exturbationibus præpediretur, guerram ad debitum finem deduxiſſet. Sed *Angli* mortale diſſidium & guerram amplius non ferentes, quod prope per XVIII annos continuaverant, dederunt male manum ſubjectioni, & Regem ſuum *Eadmundum* ad concordiam compulerunt, & ſic concordiam cum *Cnutone* inivit invitus. Eratque forma concordiæ, quod *Cnuto* ea quæ ipſe vel pater ejus *Sweinus* invaſores in Regna obtinuerant, in pace poſſideret, & *Eadmundus* Rex ea quæ ex jure hæreditario ſibi provenerunt; & prior decedens ſuæ partis ſuperſtitem hæredem derelinqueret. Daturque in confirmatione hujus concordiæ *Emma* Regina *Ethelredi Cnutoni* in uxorem, multum gaudenti ex affinitate *Normannorum*, quam per eam contrahebat.

Ipſe autem *Eadmundus* poſt primum menſem à concordia inita, proh dolor! hominem exuit, & gentem ſuam diutinæ ſervituti dereliquit, & ſolam divinam gratiam ad libertatem præhabitam expectantem.

Succeſſitque ei ex prædictæ concordiæ condictione *Cnuto Danus* & hoſtis potius *Anglorum* quam regnator, immutavitque ſtatim ſtatuta & leges ſcriptas patriæ, & conſuetudines, & populum, qui ſub omni honore & libertate tempore ſuorum regum exſtiterat, ſub gravi jugo coegit, nihilque de *Aelfredi* boni Regis & juſti, qui ab undique bonas conſuetudines collegerat & ſcripſerat, audire noluit ſtatutis. Sed & omnia quæ vel ipſe vel ſucceſſores legitime ſanxerant, ad ſuam ſtuduit reducere voluntatem. Sicque factum, ut prædia & poſſeſſiones & antiqua præclarorum virorum tenementa ſuæ aſcriberet ditioni.

Porro quot & quanta ſub pallio ejus protectionis facta fuerint injuſta, non eſt ſcriptura quæ poſſit explicare.

Adhuc in primordiis Regni ſui venerunt legati à *Normanniâ* ex parte *Eadwardi* & *Ealfredi*, filiorum *Eathelredi*, fratrum *Eadmundi Irenneſide*, cujus de jure erant hæredes, qui cum *Cnutone* de Regni jure diſceptantes juvenibus prædictis Regnum poſtulabant.

Super quo habito conſilio cum ſuis, in inficias ivit *Cnuto*: & ita legati vacui, & penitus re infecta pro qua venerant, ad *Normanniam* redierunt.

De filiis Eathelredi *Regis* Angliæ *& Matrimonio matris eorum* Cnutoni Daco.

AT fratres *Eadwardus* & *Ealfredus* cum avunculo ſuo *Ricardo* ſecundo de Regni jure tractantes, ad id rem deduxerunt, ut avunculus pro nepotibus arma movere tentaret. Compaſſus enim diutino eorum exilio, & ſuperbæ præſumptioni *Cnutonis* indignatus, rem ultione dignam judicavit, & claſſe ad hoc præparata ad *Angliam* ex propoſito tetendit. Sed fruſtra, nam tempeſtate ſubito exorta exturbati nautæ, multumque adverſante vento acti, poſt longum tempus & periculum ad montem Sancti *Michaelis* vix revecti ſunt.

Sed *Cnuto* interea auditis minis filiorum *Ethelredi* de præparatione jam dilata, etſi non ablata, & de cauſa ſui juris diffidens, & multas circumſtantias conferens, legatis præparatis miſit ad *Eadwardum* & *Ealfredum*, qui cum eis de pacis bono tractarent, qui & medietatem Regni *Anglicani*, coram omnibus quos ad audientiam legatorum Dux *Robertus* convocaverat, promiſerunt * pro ejus pacis bono, nam quadam moleſtia tactus *Cnuto*, & ſibi & cauſæ ſuæ timuit, & ſub cotidiana formidine diſſidium & periculum, quod ex parte illa imminere ſenſit, ſtuduit terminare.

Inter hæc tempora *Olavus* Rex *Norwenſium*, qui, ut prædictum eſt, in tempore obſidionis *Londoniarum* à *Sueno* factæ, ad baptiſmum confugerat & in patriam redierat, & in reditu *Cnutonis* cum funere patris ſui *Sueni* abactus fugerat in *Ruſſiam*, *Angelico* præmonitus afflatu, in *Norweiam* rediit, ibique multitudinem gentis ſuæ adverſam ſibi invenit, quæ cum *Cnutone* contra eum conſpiraverant, & cum infideliter eum à regno arcerent, infidelius eum in bello occiderunt, qui & pro martyre S. jure à *Norwenſibus* colitur, ibi crebris miraculis coruſcans.

De Hardecnuto *filio* Cnutonis.

SED & de liberis, quos jam ex ſorore *Emma*, Duci ſtuduerunt ſuggerere, qui non inferiori linea conſanguinitatis eum contingebant, ſuſceperat enim jam ex eadem filium *Hardecnutum* nomine, & filiam *Gunildam* nomine, quam accepit poſtmodum in uxorem Imperator Romanorum.

Dilatum ergo multo tempore Regnum *Eadwardi* & multis cauſis, præcipua tamen putabatur iter Ducis *Jeroſolimam*, quod à diu ante voverat, & de his, quæ à legatis in promiſſis acceperat, omnino nihil actum eſt, Duce rem differente uſque ad reditum ſuum, in quo & in [*Nicenâ*] urbe mortuus eſt, anno M. XXVI. [M. XXXV.] ab Incarnatione Domini.

HISTO-

HISTORIA
COMPENDIOSA
DE
REGIBUS BRITONUM
AUCTORE
RADULPHO DE DICETO.

HISTORIA COMPENDIOSA
DE REGIBUS BRITONUM

Per Radulphum Dicetum.

REGES BRITONUM.

BRUTUS primus de genere Britonum, quo tempore, & quo fortunio conquiſivit terram, & de tribus filiis, vide in Galfrido.

Locrinus II.

Maddan (ex Guendolena, uxore) Locrini filius, III.

Mempritius filius ejus, IV.

Ginbrancus, aliter Ebrancus, V.

Brutus, *cognomine viride Scutum*, VI.

Leyr, aliter Leyl, VII.

Rudbutebras, aliter Rudubras, vel Ludhurdibras, vel Ruthudibras, VIII.

[*Franſcion, qui venit de Trojâ.*]

Bladuo, aliter Bladud, IX. Hic conſtruxit Bad, & balnea in ea, & ibi poſuit ignem perpetuum in domo Minervæ.

Leyr X. & de tribus filiabus ſuis.

Cordeilla fœmina II. *uxor Regis Franciæ.*

Cunedagius, XII.

Rivallo, XIII.

Gurguntius, aliter Gurguſtius, XIV.

Siſillius, XV.

Lago, aliter Tago, XVI.

Amemarcus, aliter Kinimacus, vel Kynmarcus, XVII.

Bodogodo, aliter Corbodug, XVIII.

Gerbergus, aliter Ferrex, XIX.

Dumwallo, aliter Mulmutius Dumwallo, XX. Hic filius Regis Cornubiæ: quinque Reges, qui erant in Britannia debellavit, & leges quæ Molmutitiæ vocantur, creavit, & de duobus filiis, Belino ſc. & Brennio, & de pugna inter eos pro Regno, & quomodo Belinus victoriam adeptus, & quomodo quatuor regias vias per Angliam fieri fecit; ſupra.

Belinus XXI. Rex Britonicus fuit, & in eo facta eſt prima tranſlatio perſonalis illius regni: & ultra de Brennio, quomodo regnavit in urbe Scenonenſi; & quomodo venit ad pugnandum cum Belino fratre ſuo Rege Angliæ, & quomodo per matrem pacificati ſunt: & ultra de præliis quæ fecerunt iſti duo fratres, & quomodo conquiſierunt Romam, & Italiam, ſupra. De iſto Brennio dicit *Brome*, ſic. Brennius autem, dum apud urbem regnavit Scenonenſem, cum trecentis millibus Gallorum ad Italiam venit, & eam uſque Scenogalliam, ſuper mare Adriaticum ſitam, occupavit, & ibi ab invicem ſeparati ſunt Galli, quorum centum millia Delphos adeuntes, Græcorum gladiis perierunt: alia vero centum millia intra Græciam remanentes, primum Gallo-Græci à candore corporis, poſtea Galathæ ſunt appellati, alia centum millia remanſerunt in Italia, & Ticinum, & Mediolanum, Pergamum, & Brixiam conſtruentes, Ciſalpinæ Galliæ nomen dederunt, unde Gallia Tranſalpina, quæ ultra Alpes habetur, & Gallia Ciſalpina, quæ infra Alpes eſt, vocatur.

Gurguitarcurt filius Belini, XXII. Rex Britonicus: quomodo autem iſte Rex in Inſulis Orcadum invenit xxx naves plenas Hiſpanis, qui Vaſcles vocantur, & quomodo tradidit eis Inſulam Hiberniæ, qui illam Inſulam uſque nunc inhabitant, vide modo *Brome.*

Gintelinus XXIII. Rex Britonicus, al. Guinthelinus.

Siſubrius XXIV. al. Cecilius.

Marius XXV. al. Kimarus.

Daunus XXVI. al. Elanius, vocatus etiam Davius

Morwidus XXVII. al. Morindus

Gorbonianus XXVIII. al. Gorbomannus

Artallo XXIX. al. Archigallo

Elidurus pius XXX.

Jugenes XXXI. al. Vigenius

Peridurus XXXII.

Marganus filius Gorboniani XXXIII. al. Morganus

Cunamius XXXIV. al. Emerianus, vel Enion.

Idwallo filius Jugenes XXXV. al Jual

Rimo filius Periduri XXXVI.

Geruntius filius Eliduri XXXVII.

Cateulus filius Geruntii XXXVIII. al. Catellus

Coillus XXXIX. al. Coilus.

Porrex XL.

Eberinus magnus potator XLI. al. Chirimus.

Fulgentius filius Eberini XLII.

Aeldradus frater Fulgentii XLIII. al. Eldred.

Andragius frater Aeldradi XLIV. al. Androgius.

Adrianus filius Andragii XLV. al. Urianus.

Eliud XLVI.

Elodacus XLVII. al. Cledaucus.

Elotenus XLVIII. al. Clotenus.

Gurguntius XLIX.

Merianus pulcherrimus L. al. Meiriannus.

Bledanus filius Meriani prodigus LI. al. Bladunus.

Capo LII. al. Capenus.

Boenus LIII. al. Ovenus.

Siſillius LIV. al. Silius.

Blagabred, al. Bledgabredus. Hic multum novit de cantu, & propter hoc vocabatur Deus Joculatorum, LV.

Aruay frater ſuus LVI. al. Archemalus.

Edol filius Aruay, luxurioſus valde, LVII.

Bedion LVIII. al. Rodianus vel Redion.

Bedochius LIX. al. Redargius vel Rothericus.

Samul LX. al. Samulius Peniſel.

Parir, pulchram Cæſariem habuit, LXI. al. Pyrrhus.

Capoir LXII. al. Caporus.

Guiguellus filius Capoiri LXIII. al. Dinellus.

Hely filius ſuus LXIV. al. Helius, vel Bely.

Lud filius Hely LXV. Hic Londoniam renovavit & nomine ſuo Earluden vocari præcepit, uſque huc *Brome*, & nihil habetur ſuperius de his.

Caſſibelaunus, al. Caſſivelan frater Lud. LXVI. Rex Britonum, de quo ſupra *Brome.* Hunc Caſſibelaunum proditione fratris ſui Androgei vicit Julius Cæſar, nam tum Julius Cæſar bis victus terga ſua Britonibus oſtenderat pugnando. Ludum ſtatuerunt Britanni, in quo filius Androgei, filium Regis interfecit: unde Rex fratri ſuo mortem minatus eſt, niſi filium ſibi traderet occidendum, & primo Androgeus Cæſarem revocavit, & tradita ſibi Londonia, fratrem ſuum, & gentem Britonum Romanis ſubjugavit, hæc *Brome.*

Theman-

Themantius, al. Theomantius, LXVII. Rex Britonicus, frater Androgei.

Kimbelinus, filius Themantii, LXVIII. de quibus ſupra, *Brome*. Poſt Paſſionem anno quarto Claudius imperavit Romæ, qui quarto anno Regni ſui Britanniam adiens, cui neque ante Julium Cæſarem, neque poſt eum quiſquam attingere auſus fuerat, ſine ullo prælio ac ſanguine intra paucas dies plurimam Inſulæ partem ditioni ſuæ recepit, & Oxoniam fundavit. Veſpaſianus autem à Claudio illuc miſſus inſulam *Vectam*. i. e. de *With*, Britanniæ proximam, Romano imperio adjecit. Nero vero ſucceſſor, ſcilicet Claudii, in re militari nihil omnino auſus, Britanniam pene amiſit, nam duo nobiliſſima oppida illuc capta atque ſubverſa ſunt.

Guiderius LXIX.

Armiragus, vel Arviragus, frater Gauderii, LXX. Rex Britonicus. [al. Armoger. *f. Arivoger* vel *Arivog*,]

Marius filius Arviragi LXXI. [aliter *Maurinus, fortè, Maur.*]

Coillus, frater, Marii LXXII. de quibus ſupra.

Lucius filius Coilli LXXIII. Rex Britonicus. Hic primus fidem Chriſti ſuſcepit circiter annum Domini clxxxviii, & ultra, ſicut ſupra, *Brome*: tunc conſtructa eſt extra Cantuariam Eccleſia ſancti Martini. Tunc fundata eſt Abbatia Weſtmonaſterii, ultimo anno Antonii Pii Imperatoris. Sed poſtmodum Abbatia diu deſtructa, ab Edwardo Rege reparata eſt, & nobiliter dotata. Vates etiam quidam paganus in Britannia Dominicam Nativitatem prædixerat, unde Rex Lucius Romam pro orthodoxæ fidei doctoribus miſit; ſuſceptam autem, ut dictum eſt, à Britonibus Chriſtianitatem, uſque in tempora Diocletiani principis, integerrime, inviolatamque, quieta pace, ſervabant: hæc *Brome*. Hic autem fuit ſecunda tranſlatio perſonalis regni iſtius: nam Severus, qui & Imperator Romæ, de quo ſupra, regnavit poſt Lucium: nam Clodio Albino, qui ſe in Gallia Cæſarem fecerat, apud Lugdunum interfecto, in Britannicas civitates bellum transfert, & perdomuit Britones rebellantes. Hic fecit vallum inter Britones & Pictos, ubi, ut receptas provincias ab incurſione Barbarica faceret ſecuriores, magnam foſſam, firmiſſimumque vallum, crebris etiam turribus comminutum, per ſeptem & triginta milliaria, à mari uſque ad mare produxit: ſed eo tandem à Pictis perempto requieſcit Eboraci, in monte qui ab eo Severſho vocatus eſt. Iſte igitur Severus fuit LXXIV. Rex Britonicus.

Baſianus, al. Baſſianus Caracalla, filius Severi, fratre ſuo Geta ſuperato regnavit, & fuit LXXV. Rex Britonicus: & hic eſt tertia tranſlatio, non tantum perſonalis, ſed ad alios de alia gente: nam Cauraſius, al. Karencius, non de genere Britonum, Baſianum occidit, ſumptaque purpura Britanniam occupavit, tempore Diocletiani Imperatoris, in cujus tempore, in Britannia pene tota Chriſtianitas deleta eſt: tunc enim paſſus eſt beatus Albanus juxta Verolanum, i.e. Werelameceſtre, ſive Watlingeceſtre, ubi Eccleſia mirandi operis conſtructa eſt & Abbatia nobiliſſima: & etiam Aaron, & Julius Legionum urbis cives, aliique quam-plures utriuſque ſexus, ex præcepto Diocletiani, & Maximiniani; qui Diocletianus in oriente, & Maximinianus in occidente, vaſtari Eccleſias, affligi, interficique Chriſtianos præceperunt. Iſte Cauraſius, infimus genere, ſed conſilio & manu promptus & providus, ad oceani littora, quæ tunc Franci & Saxones infeſtabant, prædam prædonibus eripuit, & ſibi ſoli vindicavit, volens aliquam partem Dominis reſtitui, quamobrem à Maximo Juſſus occidi, Britanniam occupavit, quam fortiſſime per ſeptem annos ſibi retinuit: tandem fraude ſocii ſui, ſc. Allecti, interemptus eſt. Allectus occidit Cauraſiam, Britanniamq; tenuit per tres annos, & hic eſt quarta tranſlatio retro ad Britones, nam Britones elegerunt ſibi Regem,

Aſclepidiotum [al. Athelpandem] ducem Cornubiæ, de quo ſupra; iſte eſt LXXVI. Rex Britonicus, iſte occidit Allectum, & Gallerium ſocium ejus, unde dicitur Wallebrok; Britanniamque per decem annos tenuit: hic eſt quinta tranſlatio perſonalis, tumque,

Choel Dux, al. Coil, Coleceſtræ interfecit iſtum Aſclepidiotum, & regnavit, & fuit LXXVII. Rex Britonicus, de quo ſupra: & hic eſt ſexta tranſlatio regni perſonalis: tumque poſt mortem iſtius Choel, *Conſtantinus* Senator [al. *Conſtans Glyn.*] poſt regnavit ſuper Hiſpaniam & Galliam; duxit filiam ejus Helenam, regnavitque decem annis. Alii dicunt quod tantum habuit eam concubinam, genuit ex ea Conſtantinum Imperatorem, ſicut habetur ſupra, & hic LXXVIII. Rex Britonicus, obiitque Eboraci.

Conſtantinus Magnus filius Conſtantii, regnavit poſt patrem ſuum in Britannia, & fuit LXXIX. Rex Britonicus, iſte poſtea Romam occupavit, & Conſtantinopolim occupavit, de nomine ſuo ſic vocatam, tranſlato illuc Imperio, de iſto ſupra. Helena autem mater ejus Londoniam muro, qui adhuc ſupereſt, fertur cinxiſſe, & Coleceſtriam mœnibus adornaſſe, & hic eſt ſeptima tranſlatio, quia,

Octavius [al. *Octovianus*] dux Gewiſeorum obtinuit regnum: hic LXXX. Rex Britonicus: & hic etiam octava tranſlatio perſonalis: quia,

Trahera avunculus Helenæ Octavium vicit, & Regnum obtinuit, hic LXXXI. Rex Britonicus, & hic etiam nona tranſlatio perſonalis, quia iterum Octavius, diſſipatis Romanis, regnum obtinuit, qui ſenio confectus invitavit Maximum Senatorem, & ei filiam ſuam unicam cum Regno donavit, & hic ideo decima tranſlatio hujus Regni.

Maximus, patre Britannus, filius *Choelini* avunculi Helenæ, matre vero & natione Romanus, Armoricorum regnum, quæ nunc Britannia dicitur, debellavit. Umbaldum ducem Armoricorum, & quindecim millia armatorum cum eo interfecit, & quicquid maſculini ſexus erat per Armoricam: tandem ſedato regno Armorico, ipſum Britannico populo replevit: triginta millia militum, & centum millia plebanorum, ab inſula Britannica collegit, & eas per diverſas Armorici regni nationes diſtribuit, fecitque alteram Britanniam, & eam Canono Meridiaco donavit. Ipſe vero Maximus, ulteriorem Galliam, & totam Germaniam ſubjugavit, thronum ſuum ſtatuens apud Treveros. Imperatores Gratianum, & Valentinianum, alterum interemit, alterum ex Roma fugavit. Gratianum enim dolis circumventum apud Lugdunum occidit, fratremque ejus Valentinianum ex Italia expulit, unde propemodum ab exercitu Imperator creatus eſt, ubi contra Sacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet in Britanniam. Hic LXXXII. Rex Britonicus fuit: videntes autem tranſmarinæ gentes Scotorum & Pictorum, Britanniam, omni pene armata juventute copiiſque militaribus ſpoliatam, milite ac defenſore deſtitutam, quæ Maximi tyranni veſtigia ſecutæ in Gallias, nunquam ultra domum rediere, inſulam adveniunt: & vaſtatam direptamque multos per annos opprimunt. Conanus autem ut nullam commixtionem cum Gallis faceret, decrevit ut ex Inſula Britannica mulieres venirent, quæ ſuis maritarentur: direxit ergo nuncios in Britanniam inſulam ad Dionothum Regem Cornubiæ. Dionothus igitur collegit per diverſas provincias filias nobilium, numerum undecim millia virginum; de plebanis ſexaginta millia infra Londoniam, quas Guainus, Rex Hunnorum, & Melga Rex Pictorum periclitatas interfecerunt apud Coloniam Agrippinam: & hic tranſlatio perſonalis udecima: quia

Gratianus Rex municeps, cum Maximus interfectus fuiſſet Romæ ab amicis Gratiani Imperatoris, cepit diadema Britanniæ, ſed à Plebanis interfectus eſt, & hic LXXXIII. Rex Britonicus fuit. Britones vero Scotorum Pictorumque infeſtationem non ferentes, Romam mittunt, & ſui Subjectione in perpetuum promiſſa, contra hoſtes auxilium flagitant, quibus ſtatim miſſa Legio, magnam barbarorum multitudinem ſternit, cæteros à Britanniæ finibus pellit: ac domum reverſura, præcepit Sociis ad arcendos hoſtes trans inſulam inter Albaniam & Deiram murum ſtatuere: qui abſque magiſtro artifice, magis ceſpite quam lapide factus, nihil operantibus profuit: nam ut mox diſceſcere Romam, Guainus & Melga, & priores hoſtes ad-

vecti

vecti navibus Britones oppreſſerunt, iterum autem petenti auxilia Romani advolant, & cæſum hoſtem trans maria fugant. Conjunctiſque ſibi Britannis murum, non terra ut ante, non pulvere, ſed ſaxo ſolidum, inter civitates, quæ ibidem ob metum hoſtium fuerant factæ, à mari, uſque ad mare collocat, ſed & in littore Meridiano maris, quia & inde hoſtis timebatur, turres per intervalla ad proſpectum maris ſtatuunt, ſic valedicunt Sociis, tanquam ultra non reverſuri: interim autem Guitelinus Londonienſis Archiepiſcopus, in minorem Britanniam, ut auxilium à confratibus poſtularet, transfretavit, Britoneſque à Scotis, & Pictis, & Hunnis oppreſſos collectis viribus de minori Britannia liberavit: regnabat vero tunc in minori Britannia Androenus 4us. à Canono Meridiaco, qui habuit Conſtantinum, quem Guittelinus Archiepiſcopus in Regem majoris Britanniæ conſecravit: & ideo hic eſt duodecima tranſlatio perſonalis, quia,

Conſtantinus Rex frater Androeni cum duobus millibus militum transfretavit in Britanniam inſulam, & à Guitelino Londinienſi Archiepiſcopo regni diadema ſuſcepit; cui puellam de genere Romanorum ortam in Matrimonium copulavit, de qua genuit tres filios, Conſtantem, Aurelium, Ambroſium, & *Uterpendragum*, & hic LXXXIV. Rex Britonicus: Conſtans factus eſt Monachus in Eccleſia Amphibali infra Wintoniam.

Conſtans Monachus filius Conſtantini per Vortigirnum conſulem Gewiſeorum erectus in Regem, & conſilio ipſius Vortigirni interfectus, & hic LXXXV. Rex Britonicus. Circa hoc tempus exorta eſt in Britannia hæreſis Pelagiana, quam Pelagius Brito, & Julianus Capanenſis longe lateque ſeminarunt. Tempore Vortigirni venit in Britanniam Horſus, & Hengiſtus, venit & Germanus Antiſſiodorenſis, & Lupus Trecacenſis Epiſcopi miſſi per Papam in eam, ad reprimendam hæreſim Pelagianam, qua compreſſa beatus Germanus, omnium Apoſtolorum diverſorumque Martyrum ſecum reliquias habens, petiit Sanctum Albanum Protomartyrem, & facta oratione juſſit revelli ſepulchrum, pretioſa ibidem munera conditurus, quibus depoſitis de loco ipſo, ubi beati Martyris effuſus erat ſanguis, maſſam pulveris ſecum portaturus abſtulit. Qualiter autem Saxones primo venerunt in Britanniam, Beda recitat, *lib.* 1. *cap.* 30. Recedente enim à Britannia Romano exercitu, Scoti & Picti, cognita reditus Romanorum denegatione, redeunt ipſi, & cæſis, captis, fugatiſque cuſtodibus muri, & ipſo interrupto, intra illum crudelis præda graſſatur: mittitur Epiſtola lacrimis & ærumnis referta ad Romanæ poteſtatis virum Ethium ter Conſulem, 23°. Theodoſii Principis anno, petens auxilium, nec impetrat. Cujus hoc principium eſt. *Ethio ter Conſuli Romanorum gemitus Britonum,* & in proceſſu Epiſtolæ, ita calamitates ſuas explicant, *repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros, inter hæc oriuntur duo genera funerum, aut jugulamur, aut mergimur.* Uſque huc Epiſtola: neque tamen hæc agentes quicquam ab illo auxilium impetrare quiverunt: initum eſt ergo conſilium, quid agendum, ubi quærendum eſſet præſidium ad evitandam, vel repellendam, tam feram irruptionem, Hybernorum, Pictorum, & Scotorum; placuitque omnibus cum ſuo Rege *Vortigirno,* ut Saxonum gentem de tranſmarinis partibus, in auxilium vocarent. Itaque Britanniam tribus longis navibus advecti, inito certamine cum hoſtibus Britonum, victoriam reportarunt: advenerant cum tribus Germaniæ populis. i. e. *Saxonibus*, *Anglis*, & *Vitis*: omnis enim terra, quæ ſub Septentrione jacet, Germania vocatur, quia tantum virorum germinat: & Angli, & alii multi dicuntur Germani. *De Vitarum origine ſunt Cantuarii*, & *Victuarii, hoc eſt, ea gens quem* [quæ in Tenet] *tenet Inſula,* & *ea* [quæ] *uſque hodie in provincia occidentalium Saxonum Vitarum natio nominatur, poſita contra ipſam inſulam Vectam. De Saxonibus, i. e. ea generatione quæ nunc antiquorum Saxonum cognominantur, venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, occidui Saxones: de Anglis, hoc eſt, illa patria quæ Angulus dicitur, quæ ab eo tempore uſque hodie manet deſerta, venerunt Orientales Angli, Mediterranei Angli, Merchii,* & *tota Nor-*

 thanimbrorum

thanimbrorum progenies: horum duces fuerunt duo fratres, Horſus, & Hengiſtus, Horſus autem occiſus eſt à Britonibus à Catigerno filio Vortigirni. Monumentum habet in Cantia. Uſque huc Beda. Vortigernus autem gentem prædictam intra inſulam recepit, eiſque locum habitationis, ad ſui ſuorumque perniciem, conceſſit. Nam gens illa paganis ritibus adhuc dedita totam Chriſtianitatem in Inſula pene per ſucceſſionem temporum deleverunt, totamque terram vi & dolo obtinentes, Britones Chriſtianos de ſuis ſedibus effugarunt: applicuerunt vero in Britanniam anno Domini cccc. lxxxii. Theodoſii Imperatoris xv. non tamen eam plene poſſederunt, quin Reges Britonum interim in ea poſtmodum regnaverunt. Germanus autem & Lupus, qui ad hæreſim tollendam venerant, bellum Saxonum Pictorumque, adverſus Britones eo tempore junctis viribus ſuſceptum, divina virtute retundunt. Cum Germanus ipſe Dux belli factus, clamore *Alleluiah*, totius exercitus voce ad ſydera levata, hoſtes in fugam vertit, magnamque partem in cæcitatem convertit.

Vortimerius filius Vortigerni evectus eſt in Regem à Britonibus, & hic LXXXVI. Rex Britonicus fuit, [13ª. *tranſlatio perſonalis hujus regni*] cum autem Horſus, & Hengiſtus impetum Vortimerii ferre non poſſent, petierunt Germaniam, ſed Vortimerius inſidiis Novercæ ſuæ *Rowein* interfectus eſt in Londonia. Vortigernus iterum reſtitutus eſt in Regnum. Hengiſtus autem cum ccc. millibus armatorum reverſus eſt in Britanniam: poſtmodum Vortigernus & Hengiſtus in pago Ambrii convenerunt Kalend. Maii, facturi pacem cum Britonibus, ſed Saxones dolo principes Britones interfecerunt, & cccc. lx. Barones, & conſules cultris interfecerunt. Edol Conſul Claudioceſtriæ ſuſtulit palum, quo ſeptem Saxones interfecit. Cum autem Saxones totam fere Britanniam occupaſſent, Vortigernus ſeceſſit in Kambriam, vel partes Kambriæ, turrim fortiſſimam ædificaturus, ad quem adductus eſt Merlinus: iſte Merlinus fuit vates ex filia Regis ſanctimoniali & incubo Dæmone natus: nam mater ipſius inter Monachas in Eccleſia Sancti Petri degebat in urbe Carmerdin, quæ aſſeruit ſe nunquam virum cognoviſſe: ſed quidam in ſpecie pulcherrima ipſam frequenter deoſculans, & evaneſcens, & iterum apparens, & eam amplectens gravidam reliquit: unde cum ille Rex Vortigernus Britanniæ illud ædificium miræ magnitudinis conſtrueret, & nocte evaneſceret quod de die ædificabatur, admirans, à magis accepit reponſum, quod ædificium non perficeret, niſi calcia miſceretur ſanguine alicujus ſine patre procreati, & cum per Regnum talis quæreretur, Merlinus puer à quodam puero ſecum contendente talis notificatur, & captus, atque coram Rege ductus, magos mentitos eſſe dixit, & oſtendens ſub terra voraginem totum abſorbentem montem: de iſto Merlino & prophetia ſua ſupra. David, qui & Dewy, ex patre Rege Sancto nomine, & Nunna matre, naſcitur tempore Leonis Imperatoris primi: & hic tranſlatio 14. perſonalis, quia,

Aurelius Ambroſius [*al. Aurilambros*] filius Conſtantini regni diadema ſuſcepit. Hic LXXXVIII. Rex Britonicus fuit: hic victores Saxones vicit & repulit, & ex eo tempore, nunc hi, nunc illi palmam habuere, donec advena potentior tota inſula potiretur. Hic combuſſit Vortigernum in turri; Edol Hengiſtum interfecit.

Uterpendragon [*al. Uter, vocatus Pendragon*] frater Aurelii LXXXIX. Rex Britonicus fuit.

Arthurus filius Uterpendragon LXXXX. Rex Britonicus fuit. Quomodo ſtrenuiſſimus fuit, & quomodo à Modredo vulneratus eſt, deinceps Britonibus de vita ejus nulla certitudo remanſit. Sepulchrum autem ejus tempore Ricardi apud Glaſtenbirie eſt repertum, qui olim paludibus circumſeptus *inſula Avallonis Britannice. i. e. Pomorum* vocatus eſt. Sed quia Britannica hiſtoria de ejus morte nil certum tradidit, Britones adhuc eum vivere delirant: in ultima autem Britannia, quam Arthurus obtinuit, præcipua

ferri

ferri materia eſt, ſed aqua ferro violentior, quippe temperamento ejus ferrum acrius redditur, nec ullum apud eos telum probatur, quod non in fluvio Calabi tingatur: unde & *Curtannum* gladium Arthuri ejuſdem *Caliburth* dicunt.

Conſtantinus cognatus Arthuri, & filius Cadoris ducis Cornubiæ per viginti annos regnavit: iſte LXXXXI. Rex Britannicus fuit.

Aurelius Conanus nepos Conſtantini Monarchiam ſuſcepit, & poſtquam regnaverat triginta annis, mortuus eſt. Hic LXXXXII. Rex Britonicus.

Vortiporius Saxones ſuperavit, hic LXXXXIII. Rex Britonum.

Malgo totam inſulam obtinuit, Hiberniam, Gothlandiam, Orcades, Norwegiam, Daciam adjecit poteſtati ſuæ: hic LXXXXIV. Rex Britonum fuit.

Cathericus [*al. Careticus*] LXXXXV. Rex Britonicus fuit: hujus tempore Gormundus Rex Affricanorum, & Yſenbertus nepos Regis Francorum, qui Gormundo venit in auxilium cum C. & LX. millibus Britanniam infeſtantes, terram vaſtaverunt. Interea Sanctus Auguſtinus, in Angliam miſſus eſt à beato Gregorio ad convertendum populum, & prædicandum verbum Dei anno Domini 595. anno pontificatus Papæ Gregorii 4. Mauritii Imperatoris 14. anno ab adventu Anglorum in iſtam provinciam 142, regnante in Cantia Ethelberto, qui filiam Regis Francorum Chriſtianam duxerat in uxorem: eodem tempore occiſi ſunt mille ducenti Monachi apud Bangor, jubente Ethelberto Rege Cantiæ, quia noluerunt obedire Sancto Auguſtino. In quadam alia Chronica habetur, quod Ethelfridus Rex Northambrorum, cum apud Legeceſtriam mille ducentos monachos interfeciſſet, ei Britones reſtitiſſent, amiſit de ſuis decem millia. Sanctus *Yvo* Epiſcopus, & Doctor *Inclytus* tempore Mauritii Imperatoris migravit ad Deum: qui in Perſide ortus, finibus occiduis Britanniæ à Domino eſt deſtinatus.

Caduanus Dux Venedociæ, & LXXXXVI. Rex Britonum fuit, de quo.

Cadwallo [*al. Cadwallinus.*] Filius Caduani LXXXXVII. Rex Britonicus fuit, de iſto, & Edwino proditore Saxonico ſupra in Galfrido. Iſte 48. anno regni ſui migravit à ſæculo.

Cadwaladrus [*al. Cadwallader*] Rex Britonicus & ultimus de illa gente. Iſte mortuus eſt ann. Dom. 689. & Romæ quieſcit: Poſt iſtum ſupervenientibus Anglis, Britones, & nomen, & Regnum perdiderunt. Duravit autem regnum Britonum à Bruto primo conquiſitore, uſque ad Cadwaladrum, qui fuit ultimus de illa gente, duobus millibus & 46. annis, ſub centum & duobus Regibus, præter Wallenſes, & Cornubienſes. Angli autem, qui & Saxones dicti ſunt, ccc^tis 44 annis ante adventum Normannorum. *Hæc Brome.*

Explicit hiſtoria compendioſa de Regibus Britonum.

In hoc Catalogo omiſſi ſunt, ad numerum centum & duorum regum complendum, Madan. Allectus. Vortigernus, Archigallo; ex quibus Vortigernus & Archigallo depoſiti, vel ejecti, & poſtea reſtituti, bis numerantur ab aliis.

Quædam ſunt hic inſerta ex Tab. Cotton. Bibliothecæ ſub Veſpaſ. E. 7.

DE PARTITIONE PROVINCIÆ

In Schiras, & Epiſcopatus, & Regna.

IN *Anglia* ſunt triginta duo *Shiræ*, exceptis Northumberland, Weſtmerland, Cumberland, *Cornubia*, in qua continentur ſeptem *Shiræ*, & exceptis *Wallia*, & *Scotia*, & inſula de *Wiks*.

In aliis Chronicis ſic ordinantur *Shiræ*.

Suthfolchiæ, Nortfolchiæ, Cantebrigiæ, Lincolniæ, Notinghamiæ, Derbyæ, Staffordiæ, Ceſtræ, Schropesbyriæ: infra, Kentiæ, Suthhiriæ, Suthſexiæ, Suthhamptoniæ, Wiltoniæ, Sumerſetæ, Dorſetæ, Devenſchiræ, Berchſchiræ, Eſſexiæ, Midelſexiæ, Hertfordiæ, Huntedoniæ, Bedfordiæ, Northamptoniæ, Buckinghamiæ, Oxenfordiæ, Leyceſtræ, Warewikiæ, Wireceſtræ, Gloceſtræ, Herefordiæ.

In his triginta duobus *Shiris*, tres leges Conſtitutæ ſunt.

Una *Weſteſaxenlagha*, alia *Devenlagha*, tertia *Merchenelagha*.

Ad *Weſteſaxenlagha* novem Shiræ pertinent, videl. Kentiæ, Suthſexiæ, Suthreyæ, Berchſhiræ, Wiltſhiræ, in quibus Continentur MMMM. & DCCCC. hidæ. Southamptoniæ Schiræ, Sumerſetæ, Dorſetæ, Devenſchiræ.

Ad *Danegla* pertinent quindecim Schiræ. Everwich-Schiræ, Notingham-Schiræ, Derby-Schiræ, Leyceſtræ-Schiræ, Eſſexæ, Middelſexæ, Suthfolkiæ, Cantebrigæ-Schiræ, Stanuſordiæ, Bukinghamiæ, Northamptoniæ, Huntedóniæ, Hertefordiæ-Schira diviſa in duas partes, ſeu medietates.

Ad *Merchenelagha* pertinent octo Schiræ Gloceſtre-Schiræ, in qua ſunt MM. hidæ, & CCC.

Wireceſtre-Schiræ, in qua ſunt MMM. hidæ & CC.

Hertford-Schira in qua ſunt M. hidæ. Warewik-Schira, in qua ſunt M. hidæ & CC. Oxenford-Schira, in qua ſunt MM. hidæ & CCCC. [Ceſtreſchira.]

Stafford-Schira, in qua ſunt quingentæ hidæ.

Salopesbiriceſtræ.

Epiſcopatus vero ſunt XX. & duo Archiepiſcopatus.

Primus *Cantuariæ*, habet ſub ſe 13.

Primus *Roffenſis*, ſecundus *Londonienſis*.

Tertius *Norwaycenſis*, qui de duobus unus factus eſt.

Nam una ſedes erat apud *Helinam* vel *Teford*: ſecunda apud *Domnach*.

Quartus *Ciceſtrenſis*.

Quintus *Wintonienſis*.

Sextus *Saresburenſis*: qui olim erat diviſus in duos, quorum altera ſedes erat apud *Ramesbiriam*, altera apud *Schireburne*. Sed Rex Edwardus hos duos Epiſcopatus, Epiſcopo *Heremanno* commiſit, qui unum Epiſcopatum fecit, & ſedem apud *Saresburiam* locavit.

Septimus *Exonienſis*, qui ex duobus unus factus eſt, unus fuit apud S. *Germannum* in *Cornubia*, alter apud *Croditonam*. Sed *Leuricus* ſedem locavit apud *Exoniam*.

Octavus Epiſcopatus apud *Bathonam*, cujus ſedes fuit apud Welles, ſed tempore *Willielmi Junioris*, per *Joannem* Epiſcopum, poſita eſt ſedes apud *Bathonam*.

Nonus *Herefordiæ*.

Decimus eſt *Wigorniæ*.

Undecimus *Lichefeldiæ*, vel *Coventeriæ*: ſed nunc eſt ſedes apud *Ceſtriam*.

Duodecimus *Lincolniæ*, qui olim in duos Epiſcopatus fuit diviſus, ſed tempore

tempore Regis *Willielmi* primi, erat ſedes Epiſcopatus apud *Dorkaceſtre*, ſed *Remigius* Epiſcopus tranſtulit ſedem *Lincolniæ*.

Tertius decimus *Elyenſis*, qui fuit ſubtractus de Epiſcopatu *Lincolniæ*.

In *Wallia* vero ſunt quatuor Epiſcopatus ſimiliter ſubjecti *Cantuarienſi* Archiepiſcopo.

Unus autem apud Sanctum *David*, qui vocatur *Menenſis*: alius apud *Bangor*: tertius apud *Clomorgan*, modo *Landaff*: quartus apud *Aſaph*.

Secundus Archiepiſcopatus eſt *Eboracenſis*; qui olim in Epiſcopatus quinque fuit diviſus, ſc. in unum Archiepiſcopatum, & quatuor Epiſcopatus.

Unus fuit ex parte fluminis *Vſæ*, alter apud *Ripim*, tertius apud *Witeby*, quartus apud *Beverlæum*. Modo habet ſub ſe tres Epiſcopatus. Scil. *Dulenenſem*, videlicet *Durem*, cujus ſedes erat olim apud *Lindiſarnenſem* Eccleſiam.

Iterum *Cardotenſem*, ſc. *Carduil*: vel *Carlel*, qui fuit ſubſtractus ab *Eboracenſi*, non tamen demptus ab Epiſcopatu.

Iterum *Candidecaſæ*, qui vocatur *Galeweyæ*.

Notandum vero quod in inſula Britanniæ multi fuerunt Reges de diverſis gentibus, ſc. *Britonum*, *Saxonum*, & *Anglorum*, *Danorum*, & *Normannorum*, diverſis temporibus.

Gigantibus nempe ex ea expulſis, primi regnaverunt in ea *Britones*, quorum nomina per libros XI. ſeriatim expaſſa, ſi certam redigantur ad ſummam, ad nonaginta novem excreſcent, quorum primus Rex fuit *Brutus*.

Poſtea ſeptem populis *Germanicorum*, Britanniam incurſantibus, nomen Regium uſurpatum eſt, ſub Regulis nonaginta ſex.

Quorum primus Rex fuit *Hengiſtus*: etenim tunc in Anglia fuerunt ſex particularia Regna, ſicut dicetur infra.

Ad ultimum Reges quindecim in Anglia, regio diademate ſublimati ſunt.

Quorum primus Rex fuit *Alfredus*, & inter hos 15 fuerunt, tres de *Dacia*, ſc. *Cnutus*, *Haroldus*, *Hardecnutus*.

In fine, decem de genere *Normannorum* in urbe Londoniæ coronati ſunt.

Quorum primus Rex fuit *Willielmus Baſtardus*.

Erant vero à tempore *Hengiſti* particularia Angliæ regna ſex, præter Regulos Britonum qui reſidui erant, qui hodie *Carnowallenſes*, & *Wallenſes* dicuntur.

Reges ſiquidem *Cantuaritarum*, ſive *Kentenſes*, dominabantur in *Cantia*: in qua ſunt Epiſcopatus duo; Archiepiſcopatus *Cantuarienſis*, & Epiſcopatus *Roffenſis*.

Reges Weſtſaxonum dominabantur in *Wiltſchire*, *Berchſchire*, *Dorſeth*, in quibus modo eſt unus Epiſcopus, cujus eſt modo ſedes *Saresburiæ*, quondam erat *Ramesburæ*, vel *Schiresburnæ*:

Dominabantur ſimiliter duo Reges in *Suthſexia*, quæ aliquando tempore habuit Regem proprium: eratque ſedes Epiſcopalis ejus pagi in *Seleſea*, quæ eſt Inſula circumflua Ponto, ut Beda narrat, ubi *Wilfridus* Monaſterium conſtruxit: nunc vero eſt apud *Ciceſtriam*.

Dominabantur etenim in *Suthamton-Schire*, & *Suthrea*: quibus eſt Epiſcopus, qui habet ſedem *Wintoniæ*.

Dominabantur etiam in *Sumerſeth* habentem olim Epiſcopum apud *Wellas*, qui nunc *Bathoniæ*.

Dominabantur in *Devonia*, quæ *Devenſchira* dicitur, & in *Cornubia*, quæ nunc *Cornu Galliæ* dicitur: erantque duo Epiſcopatus, nimirum unus apud *Cridentone*, alter apud Sanctum *Germanum*; nunc eſt unus, & eſt ſedes ejus *Oxoniæ*.

Porrro Reges Merciorum dominabantur in *Gloceſtre-ſchira*, & *Wygornienſi*, & *Warewicenſi*, & in his eſt Epiſcopus unus, cujus ſedes eſt *Wygorniæ*.

In *Ceſtrenſi*, & *Staffordenſi*, & *Derbenſi*, & in his eſt unus Epiſcopus, habetque partem *Warewicenſis*, & *Scrobesburienſis*, & eſt ſedes apud civitatem *Legionum* i. e. Sanctum *David*, vel *Coventreyam*; quondam erat *Lychefeldiæ*, nunc eſt apud *Ceſtriam*.

 In

In *Herefordenſi*, habeturque ibi Epiſcopus, habens dimidium pagum i. e. Schiræ *Scrobesburiæ*, & partem *Warewicenſis*, & *Gloceſtrenſis* poſſidens in *Herefordo*. Iterum in *Oxenfordenſi*, *Burfordenſi*, *Huntedunenſi*, *Bedefordenſi*, *Northamptonenſi*, *Lincolnienſi*, quos regit Epiſcopus, qui modo habet ſedem *Lincolniæ*; quondam vero habebat apud *Dorkeceſtriam*.

Iterum in *Leyceſtrenſi*, vel *Legeceſtrenſi*, & *Notingamenſi*, ſeu *Snotingam*, quibus olim præerat proprius Epiſcopus, cujus ſedes erat apud *Legeceſtriam*: ſed nunc ſpectat ad Archiepiſcopum Eboracenſem.

Reges Eſtanglorum, vel Orientalium Anglorum, dominabantur in pago *Grantebrigienſi*, quondam de *Lincolnienſi* Diœceſi, ſed nunc eſt niſi unus Epiſcopus, cujus ſedes eſt apud *Ely*.

Iterum *Northfolk*, & *Suthfolk*, & eſt niſi unus Epiſcopus, cujus ſedes eſt apud *Norwicum*, apud *Helinam*, vel *Teford*.

Reges Orientalium Saxonum, vel *Eſtſexiæ*, dominabantur in *Eſtſexia*, *Middleſexia*, & dimidia *Herefordenſi*, & habetur ibi unus Epiſcopus, habens ſedem apud *Londonias*.

Reges Northumbrorum, dominabantur in omni Regione quæ eſt ultra *Humbram* fluvium uſque *Scotiam*.

Erant ibi Archiepiſcopatus Eboracenſis, & Epiſcopatus *Hauguſtaldenſis*, & *Ripenſis*, & *Lindifarnenſis*, & de *Candida Caſa*. *Hauguſtaldenſis* & *Ripenſis* defecerunt. *Lindifarnenſis* vero tranſlatus eſt in *Dunelenum*.

Hæ erant partitiones regnorum, quamvis Reges pro viciſſitudine temporum, modo hi, modo illi terminos prætergrederentur pro fortitudine; vel ignavia amitterent.

Sed has omnes Regnorum varietates *Ædbrictus* Rex *Weſtſaxonum* animi magnitudine compeſcuit, & ea uni conquadrans imperio, ad uniforme dominium vocavit, ſervans unicuique proprias leges.

Ab illo vero tempore *Weſtſaxones* caput extulerunt.

JOHAN-

JOHANNIS FORDUN
SCOTI CHRONICON
SIVE
SCOTORUM HISTORIA.

Johannis Fordun

SCOTORUM HISTORIA

Incipiunt tituli Capitulorum Libri primi gentis Scotorum.

Cap. I. De Mundo ſenſibili, terra viz. & ſuis quatuor punctis principalibus, Orientali, Occidentali, Auſtrali, & Boreali.

II. De quatuor ventis cardinalibus, quorum collaterales octo ſunt, & de capite mundi ſenſibilis, in oriente Paradiſo terreſtri.

III. De tribus mundi partibus inæqualiter diviſis, & mari mediterraneo.

IV. De diviſione trium mundi partium inter tres filios *Noe, Sem, Cham,* & *Japhet*. Et ſitu quarundam regionum, Aſiæ & Africæ.

V. De ſitu quarundam regionum Europæ, viz. Scithiæ, Græciæ, & urbis Romæ.

VI. De eodem, & inſulis Europæ majoribus, Albania & Hibernia.

VII. De numeris annorum ab origine mundi per ætates quinque diviſis uſque Chriſti Nativitatem.

VIII. De motu primo Scotorum originis, & eorum rege primo Geythelos.

IX. De ſuccedentibus in Ægypto regibus uſque Pharaonem patrem Scotæ, qui ſubmerſus eſt mari rubro.

X. De tempore quo Scoti primam habuerunt originem, & à quibus, & eorum ex Ægypto proſcriptione.

XI. De electione Geythelos in regem, & ejus profectione verſus occidentem.

XII. De tempore quo ſtationem fecit in Africa Geythelos, & cauſa qua primo petiit Hiſpaniam.

XIII. De cauſa ſui receſſus ex Ægypto ſecundum quoſdam, & aliorum eadem cauſa recedentium.

XIV. Qualiter primam obtinuit ſedem in Hiſpania Geythelos.

XV. De continua cede ſuorum ibidem, propter quod exploratores pro terris oceano ſcrutandis direxit, qui reperta quadam inſula redierunt.

XVI. De eodem, & exhortatione filiorum ut dictam adirent inſulam.

XVII. Qualiter Hyber, filius Geythelos, dictam aggrediens inſulam obtinuit, quæ de nomine ſuo poſtmodum Hybernia dicta fuit.

XVIII. De his quæ doctor Yſidorus, & Beda venerabilis ſcripſerunt de Hibernia.

XIX. De quibus legibus Geythelos populum ſuum prius inſtruxit.

XX. De ſucceſſione filii Geythelos Hyber in regnum Scotorum, poſt mortem patris in Hiſpania degentium.

XXI. De Anycelio rege Scotorum Hiſpanienſium, & ſuis filiis ad Hyberniam proficiſcentibus.

XXII. De his quæ Galfridus Monumetenſis ſit ſcripſit de Bartholomeo filio Mitelii.

XXIII. De diſſonantiis Hiſtoriarum.

XXIV. Quomodo circa tempus primæ captivitatis Romæ non Scoti ſed Picti tentantes Hyberniam pro ſedibus, miſſi ſunt à Scotis ad Albioniam.

XXV. Qualiter excuſat Chronica diſſonantias Hiſtoriarum.

XXVI. De profectione tertia Scotorum ad Hyberniam, facta per Smonbracht & ejus Genealogia.

XXVII. De eodem Smonbracht & Cathedra Regali lapidea, & ejuſdem vaticinio.

XXVIII. De rege primo Scotorum inhabitantium inſulas Albionis.
XXIX. De Pictis advenientibus Hyberniam, pro ſedibus ibidem habendis, quos abactos Scoti miſerunt ad Albioniam.
XXX. De his quæ Beda de Pictorum adventu conſcripſit.
XXXI. De cauſa prima Scotorum aditus, ad inſulam Albionem
XXXII. De diis gentium, imo verius, gentium dæmonibus.
XXXIII. De eiſdem & earum in talibus ſtultitia.
XXXIV. De primo rege Scotorum Regnantium in Albione.
XXXV. Quomodo à gentibus Pictorum, & Scotorum, Boreales Albionis partes prius poſſeſſæ fuerant.

Expliciunt Capitula libri primi.

Incipies Opus Hoc Adonay Nomine Noſtri
Exceptum Scriptis Dirigat Emanuel
Fantes Ornate Ructent, Dum Verbula Nectant.
Compilatoris nomen ſuperis Elementis
Conſtrue quem Lector precor ora ſcandere cœlum,
Atque Pater Noſter offer amore Dei. Amen.

Literæ majuſculæ trium horum Verſuum (qua ſupera elementa in prædicto verſu nominantur) inſimul compoſitæ reddunt Authoris nomen,
JOHANNES DE FORDUN, qui Scoto-Chronicon ſcripſit.

JOHAN-

JOHANNIS FORDUN

Scotorum Hiſtoriæ.

CAP. I. *De vetuſtate originis, & geſtis Scotorum; & primo de mundo ſenſibili.*

EX variis quippe veterum ſcripturis *Chronographorum* colligitur, quod gentis antiquiſſimæ natio *Scotorum* à *Græciæ* & *Ægyptiorum* reliquiis, cæteris mari rubro cum rege ſubmerſis, primum cœperat exordium. Igitur educationis ſuæ, regnorum viz. *Græciæ* ſimul & *Ægypti*, cæterorumque peregrinationis ſuæ locorum & ſtationis, ſedis etiam habitationis modernæ ſitus, deſcribere puto conveniens, ut ſub quo vel cœli cardine vel orbis parte ſituata conſiſtant Lectori facilius pateſiat. Omnipotens autem Deus Creator omnium & rector, mundum in ſua creatione ſecundum Philoſophos rotundam voluit habere formam, & in ejus regione media terram poſuit, omnium vegetabilium, ſenſibilium, & rationabilium matrem, nutricem, & habitaculum: ab omnibus cœli partibus in centri modum, æquali ſeparatam intervallo. Eſt autem mundus ſenſibilis, terra viz. infiniti maris Oceani aquis undique cincta. Cujus brachiis multiformiter invaſa, percuſſa, & furcata, ac humiditate ſua per occultos meatus humectatione penetrata, ne nimiæ ſiccitatis dominio in pulverem penitus redigatur. Habet igitur mundus quatuor principales punctos ſive parallelos abinvicem æque diſtantes, viz. Orientalem, Occidentalem, Auſtralem, & Borealem. A quibus quatuor venti cardinales procedere dicuntur cum ſuis octo ventis collateralibus.

II. *De quatuor ventis cardinalibus, quorum collaterales octo ſunt, & de capite mundi ſenſibilis, in oriente Paradiſo terreſtri.*

PRimus punctus, ſive cardinalis ventus, in Oriente conſiſtit, ubi Sol oritur, ſub æquinoctio vernali: & dicitur ſubſolanus. Iſte vero ventus duos habet collaterales, Vulturnum verſus Septentrionem, etiam Eurum verſus Auſtrum: *Secundus* vero punctus vel ventus cardinalis, ſitum habet in Occidente, ubi Sol occidit ſub æquinoctio autumnali: & dicitur Favonius, quique duos habet collaterales ventos, ſcil. Circium verſus Aquilonem: & Zephirum verſus Auſtrum. *Tertius punctus* ſeu ventus cardinalis eſt Auſter, atque ſub Polo Antarctico eſt æſtivalis ſolſtitii, ubi Sol altius aſcendit, in meridie ſituatur, & hic duos habet collaterales ventos, Nothum, ſcil. verſus Orientem & Africum verſus Occidentem. *Quartus* quoque punctus aut cardinalis ventus eſt Boreas, qui vero ſub Polo Arctico hyemalis ſolſtitii ſiſtitur, ubi Sol media nocte profundius deſcendit; & hic utique duos habet collaterales ventos, Aquilonem verſus occidentem & Chorum verſus Orientem. In Oriente quidem ſub cardinali ſubſolano terra ſive mundus ſenſibilis initium habet, cujus caput terreſtris eſt Paradiſus, locus florum, & arborum, omni ſuavitate redolentium amœniſſimus. Inhabitabilis tamen propter Adæ peccatum hominibus, ſed Spiritibus bonis, animalibuſque glorificatis receptibilis. In tantum vero conſtat locus ille ſuper altitudinem terræ levatus, quod univerſale diluvium cacumina montium longe tranſgrediens illic attingere non valebat.

III. *De tribus mundi partibus inæqualiter diviſis, & mari mediterraneo.*

MUndus autem ſecundum *Iſydorum* in tres non æquales partes diviſus eſt. *Aſiam*, viz. *Africam* & *Europam*. Qui quidem ideo diviſus dicitur, quoniam à *Favonio* vel Occidente ſinus Oceani permaximus terram intrans, & ab ejus auſtrali plaga Circialem dividens, ſcil. Africam, ab Europa, pene mundi pertingit ad medium, ubi ſinum efficiens angularem, verſus Boream inter Orientales Europæ fines & Aſiam contra Polum Arcticum directe dirigit Oceano curſum ſuum. *Aſia* vero quæ media creditur eſſe pars orbis, ex nomine cujuſdam mulieris eſt appellata, quæ apud antiquos regnum tenuit Orientis ſecundum *Iſydorum*. Hæc à puncto Boreali per Orientem uſque ad Auſtrum perveniens: ab Oriente ortu ſolis, à Meridie Oceano, ab Occiduo mari mediterraneo finitur, & à Septentrione quaſi ſub polo, Meotide lacu terminatur. *Europa* dicitur ab *Europa* filia Agenoris regis Libyæ ſic vocata, quam Jupiter raptam ab Africa Cretam adduxit, & tertiam partem orbis terrarum ex ejus nomine appellavit. Incipit autem ab eodem Meotide lacu deſcendens, per ſeptentrionalem Oceanum uſque ad Occidentem & mare Gaditanum. Pars autem ejus orientalis & meridiana à Ponto conſurgens tota mari mediterraneo conjungitur, & ad idem Gaditanum Fretum terminatur. *Africa* tertia pars mundi dicitur eſſe contra Aſiam & Europam, quæ tamen minor eſt ſecundum *Yſidorum* ſpatio quam Aſia vel Europa, ſed pro ſua quantitate decior, & mirabilior qualitate: hoc nomen habet ab *Afer* uno de poſteris Habrahæ de Cethura, qui dicitur exercitum duxiſſe verſus Libiam, & ibi victis hoſtibus conſediſſe, ſuoſque poſteros Afros nominaſſe. Incipit autem à finibus Aſiæ juxta Meridiem, pergens per meridianum Oceanum, uſque Atlantem montem. A Septentrione vero mari mediterraneo clauditur & in Gaditano Freto etiam finitur. Et ſic medium mundi ſola tenet Aſia, medium vero Europa & Africa, quæ ideo duæ factæ ſunt, quia inter utramque ab Oceano mare magnum ingreditur, quod eas interſecat.

IV. *De Diviſione trium mundi partium inter tres filios* Noe, Sem, Cham, & Japhet. *Et ſitu quarundam regionum,* Aſiæ & Africæ.

SIC autem diviſerunt mundum inter ſe *Noe*; *Sem*, *Cham* & *Japhet*, filii *Noe*, poſt diluvium. Inter quos *Sem* cum ſua poſteritate Aſiam. *Japhet* Europam, & *Cham* Africam poſſederunt. A quibus diſſeminatum eſt omne genus humanum, per nationes & regna ſuper terram, viz. à *Sem* Judæi & Sarraceni, immo verius Agareni. *A Japhet* Gentiles, quorum pars maxima Chriſtiani. Et à *Cham* Chananæi, qui maledictione *Noe* prophetantur expellendi de loco habitationis ſuæ. Hæ vero tres partes mundi multas habent & diverſas regiones, quas omnes nullatenus, ſed eas ſolummodo quæ ad opus inceptum neceſſariæ videntur, intendo diſtribuere, vel eas ſaltem quæ dignæ ſunt ob Patronorum reverentiam, ſingulari laude præferri. Ut eſt *Jeruſalem* Sancta civitas, & urbs etiam Romana. Aſiæ prima regio in Oriente ſecundum Vincentium eſt Paradiſus terreſtris, ſed nobis ignota; deinde India ſub ortu ſolis: ultima vero verſus Boream eſt Scythia ſuperior, & ultima ſua regio verſus Auſtrum eſt Ægyptus, ex qua ſcripſerunt antiqui Scotos primordii partem habuiſſe. Inter has regiones ſcil. Ægyptum & Scythiam, ſuper mare mediterraneum Jeroſolima regio conſiſtit, ubi ſitus eſt Sanctæ civitatis Hieruſalem, in qua filius Dei Deus & homo Jeſus Chriſtus Dominus Noſter pro omnuim ſalute paſſus eſt. Africa vero primam habet ab Oriente regionem Libyam Cirenenſem, Ægypti partibus conjunctam. Ab Auſtro Æthiopiam ſuperiorem, & ultima regio verſus Occidentem inferior eſt Æthiopia.

Æthiopia. Eſt enim triplex Æthiopia, cujus pars occidua eſt montuoſa, incipiens ad montem Atlantem. Media vero arenoſa. Oriens autem deſerta. Ad mare mediterraneum in Boreali plaga *Zeugis* eſt regio, ubi quondam *Chartago* magna, ipſa eſt vera *Africa*.

V. *De ſitu quarundam regionum Europæ, viz. Scythiæ, Græciæ, & urbis Romæ.*

DEinde pro diſtribuendis quibuſdam *Europæ* regionibus ſtilus aptandus eſt, de qua *Tholomæus* in tripartita nova, ſic. Habet autem *Europa* poſt *Aſiam* plus de habitabili terra, immo ſecundum ſuam quantitatem ſupra omnes partes terræ, amplius eſt populoſa. *Europæ* vero prima regio eſt *Scythia* inferior, & incipit ſub Polo Arctico à montibus *Riphæis*, & *Mæotidis* paludibus, inter Danubium & Oceanum Septentrionalem, & uſque Germaniam porrigitur. Et habet ab Oriente mare mediterraneum, quod ibidem *Balthicum* dicitur à *Bath*, loco ubi terram intrat ab Oceano. A qua regione ſecundum quoſdam *Albionenſes Picti* progreſſi ſunt. Deinde ſuper litus Mediterranei maris & in mari verſus Auſtrum ſeptem ſunt Græcorum provinciæ, quæ quondam regna fuerunt, ſcil. *Dalmatia*, *Epyrus*, *Ellades*, quæ & *Attica*, ubi ſunt *Athenæ* mater liberalium artium & nutrix Philoſophorum. *Theſſalia*, *Macedonia*, *Achaia*, & *Creta* in mari, quæ & *Centopolis* quondam dicta eſt. Cum inſulis *Cycladibus* numero LIII, quarum Metropolis eſt *Rhodus*. Etiam in ſinu *Achaiæ Arcadia*, quæ & *Sicyonia*. Ab iſtarum una regionum, propter inſolentias progreſſi ſunt quidam Græci, & cum Ægyptiis conjuncti unum fecerunt *Scotorum* populum, ut in ſequentibus patebit. Super idem itaque mare verſus Auſtrum, in angulari ſinu quo retorquet verſus Boream, principales ſituantur ratione regiones à duabus partibus mari conjunctæ. Quæ ſunt *Italia*, *Tuſcia*, *Etruria*, *Calabaria*, & *Appulia*, quarum pene medio famoſiſſima urbs *Roma* ſituatur. Cui maxima pars mundi quondam fuit ſubjecta. In qua glorioſi Petrus Apoſtolus, Orthodoxorum ſub Chriſti Vicarius, & Paulus gentium doctor paſſi, cum aliis innumerabilibus ſanctis martyribus confeſſoribus & virginibus requieſcunt.

VI. *De eodem, & inſulis, Europæ majoribus: Albania & Hybernia.*

ULtima quidem Europæ regio ſub plaga Favonii eſt Hiſpania, vel Gades inſula, quæ cxx. paſſibus in Oceano mari ſeparantur ab Hiſpanica terra, quibus quondam Hercules ſuas fixit columnas. Duæ ſunt Hiſpaniæ, citerior & ulterior, diverſas regiones continentes. *Legionem* ſcil. & *Caſtellum*, *Navarriam*, *Arragoniam*, & *Portugalliam*, cum cæteris provinciis ut eſt *Galicia*, cujus indigenæ ſecundum *Iſidorum* Græcam ſibi vendicant originem. Et *Celtibia* ſuper *Hyberum* flumen: quibus *Scoti* primam habuerunt aliqualem temporis ſtationem. Inſulas etiam habet Europa multas & magnas, quarum maximam *Albionem* in Oceano plaga Circiali ſitam. Cujus auſtrina pars & major olim à Britonibus habitata, *Britannia* dicta, ſed *Anglia* modo nuncupata. *Borealis* itaque pars ab antiquo *Scotis* inculta dicebatur *Scotia*, quæ nunc etiam Deo protegente ſuum eſt regnum principale. Habent etiam *Scoti* multas inſulas numero c. vel eo amplius, per eos ab antiquis temporibus poſſeſſas, ultra quarum ripas ſub circello non invenitur terra, excepta quadam, ut aiunt, *Tyle* dicta, navigatione VII. dierum ab ipſis diſcreta. Ultra quam navigatione unius diei pigrum & concretum dicunt mare. Etiam ultra Britanniam in Oceano inter eam & Occidentem inſula ſitum habet *Hiberniæ*: qua *Scoti* fixerunt primam ſedem. Hæc vero

quantum ad propoſiti præambulum, de regionum deſcriptione ſufficiant ad præſens. Et ad mundi tranſactas ante Dominicam Incarnationem ætates hoc opere ponendas percurramus.

VII. *De numeris annorum ab origine mundi per ætates quinque diviſis uſque Chriſti Nativitatem.*

AB origine mundi curſus annorum, ad Chriſti Nativitatem, antiqui patres in quinque partiuntur ætatibus, quas tamen non omnes uno & eodem modo, ſed varie, diſtingunt. Igitur in infra ſcribendis iſtius Chronicæ temporibus antiquæ tranſlationis annorum ſumma, quam ſancta tenet Eccleſia, ſervetur, quouſque facere operis faciat, per quem inceptum eſt, qui fons eſt & initium totius bonitatis, initio carens & fine, nullatenus hujus finem. Ipſarum autem ætatum prima continet annos à mundi principio ad diluvium MMCCXLII. A diluvio quoque ſecunda tenet annos, ad Nativitatem *Habrahæ*, DCCCCXLII. Tertia quidem, ab *Habraham* ad regnum *David*, annos habet DCCCCXXXX. A regno quoque *David* ad tranſmigrationem annos habet ætas quarta CCCCLXXXV. Quinta ſiquidem ætas ab ultima tranſmigratione filiorum *Iſraelis* in *Babylonem*, uſque Dominicam Incarnationem, annos continet DLXXXXVIII. Et ſic habetur ab initio mundi ſumma totalis ad Incarnationem MMMMMCXCIX. Unde quidam metrice,

Sic ætatem plebis à primo patre videbis,
Ad Chriſtum C. bis, ac quinquies M. removebis.

VIII. *De motu primo* Scotorum *originis, & eorum rege primo* Geythelos.

IN ætate vero tertia, temporibus *Moyſi*, Rex quidem unius regnorum *Græciæ*, nomine *Neolus* originis, vel *Heolaus*, filium hujus vultu elegantem, animo tamen inſtabilem, nomine *Geythelos*, nullum in regno poteſtatem habere permiſerat; dum concitatus in iram, & manu multorum munitus juvenum, horrenda crudelitate paternum regnum multis affecit cladibus, & inſolentiis patrem & incolas offendens vehementer. Quapropter à patria violenter expulſus navigio divertit in *Ægyptum*, & ibidem, quia fortitudine ſimul & audacia præpollens, atque regali propagine natus extiterat, filia *Pharaonis Scota* conjugio ſibi fuerat copulata. *Alia Chronica*, Infeſtabant omnem *Ægyptum Æthiopes* illis diebus, more ſolito vaſtantes à montibus uſque civitatem *Memphym*, & mare magnum: ideo *Neoli* regis filius *Geythelos Pharaonis* confœderati, in adjutorium ſibi cum exercitu magno miſſus eſt. Cui confœderationis gratia pacti, rex unicam filiam tradidit in uxorem. *Legenda Brandani.* Legitur inibi quendam militem, cui principalem generis ſui dignitatem attribuunt, *Athenis* in *Græcia* regnaſſe; cujus filium, nomine *Gaythelos*, filiam *Pharaonis* regis *Ægypti Scotam*, à qua *Scoti* nomen etiam traxere, conjugio perhibent habuiſſe. Qui ſcil. *Gaythelos* viribus præſtans & audacia, dum patrem vel cæteros inſolentia perurgeret, cauſa repulſa potius quam voto diſcedens, animoſa fretus manu juvenum in *Ægyptum* ſeceſſit. *Alia Chronica. Gaythelos* autem quidam, nepos, ut fertur, *Nembrocht*, per generis ſucceſſionem regnare nolens, per indigenas ipſius tyrannidi nolentes ſubeſſe, auxiliantibus finitimis, ex patria ceſſit, quem ſecutus eſt populus multus juvenum cum exercitu. Denique multis per loca varia bellis laceſcitus, & inopia victualium compulſus venit in *Ægyptum*; & cum rege *Pharaone* junctus, filios *Iſraelis* una cum *Ægyptiis* niſus eſt in ſervitutem perpetuam tenere: unde filiam *Pharaonis* unicam nomine *Scotam* uxorem duxit, animo tendens ut in regnum *Ægypti* Socero ſuccederet.

IX. *De*

IX. *De ſuccedentibus in* Ægypto *regibus uſque* Pharaonem *patrem* Scotæ, *qui ſubmerſus eſt mari rubro.*

REgnum *Ægypti*, cui primo nomen *Ætherea*, omnium regnorum antiquiſſimum eſt, præter *Scytharum*, ſecundum *Vincentium*, quod tempore *Ragau*, *abavo Habrahæ*, ſicut & *Scythia*, legitur originem habuiſſe. Unde contentio diu inter *Scythas* & *Ægyptios* de ſui generis antiquitate habita eſt. *Scythæ* tamen antiquiores viſi ſunt. Hoc autem regnum *Ægypti* duravit à tempore *Ragau* uſque ad *Octavianum Auguſtum*, non tamen continuè ſed factis quibuſdam interruptionibus. In quo regno primum regnavit, ut quidam volunt, *Pharao*, per quem *Pharus* civitas ædificata legitur, à quo etiam poſteri reges dicti ſunt *Pharaones*. Poſt quem regnavit *Zoes*. Tempore quidem nativitatis *Habrahæ*, regnum *Ægypti* regebatur per poteſtates quæ dicebantur Dynaſtiæ. Porro in XVII. Dinaſtia regnaverunt *Pharaones*, quorum unus ſublimavit *Joſeph*, quem Commeſtor *Nephrem* vocat. Et iſte *Nephres Pharao* mortuus eſt, anno tertiodecimo ducatus *Joſeph*. Cui ſuccedens *Amoſis Pharao* regnavit annis XXV. Cui *Chebron Pharao* annis XIII. Cui *Amenophis Pharao* annis XXI. Cui *Mephres Pharao* annis XII. cujus anno nono obiit *Joſeph*. Deinde *Miſpharmotoſis Pharao* annis XXVI. Cui ſucceſſit *Authomoſis Pharao*, annis IX. Cui *Ammenophis* annis XXXI. cujus filia *Theremuch*, anno regni ſui XXVI, natum *Moyſen* de aqua ſuſcipiens in filium adoptavit; & poſt hoc *Amenoph* ille annis *quinque* regnavit. Poſt *Horus Pharao* annis XXXVIII. regnavit. Cui *Acentris Pharao* annis XII. Cui *Athoriſis Pharao* annis VII. Cui *Chencres Pharao* ſuccedens regnavit annis XVIII. Quique perſequendo filios *Iſrael* in mari rubro ſubmerſus eſt. Cujus etiam erat filia *Scota*, quæ memorato *Gaythelos* conjux fuerat.

X. *De tempore quo* Scoti *primam habuerunt originem, & à quibus, & eorum ex* Ægypto *proſcriptione.*

A Mundi quoque principio tranſactis MMMDCLXXXIX. annis. In tertiæ viz. ætatis anno DV. qui fuit ante captivitatem Trojæ CCCXXX. ante conditionem urbis DCCLXXX. & ante Domini Noſtri Jeſu Chriſti Nativitatem MDX. ſupradicto *Pharaone* cum ſuis exercitibus ſubmerſo, ſexcentis & curribus, quinquaginta millibus equitum, & ducentis millibus peditum armatorum. Hi vero repente qui ſuperfuerant domi ſuperſtites, à ſervitute frugum olim illata per *Joſeph* tempore famis ſperantes abſolvi, generum regis *Gaythelos*, *Glas*, inſontes Hebræos nolentem perſequi, ne ſuper eos dominium invaderet, cum ſuis de regno penitus abigebant. Cunctis itaque Græcorum pariter & *Ægyptiorum* nobiles, quos nequaquam vorax abſorbuit Pelagus, allecti Pagenſes, ſervili tumultu crudeliter à ſe propulerunt. *Alia Chronica. Gaythelos* autem ex induſtria inter ipſum & regem *Pharaonem* condicta poſt exercitum civitate remanſit *Heliopoleos*, ſuo quaſi regno forſitan ſucceſſurus. At populus *Ægyptius*, qui reſiduus adhuc fuerat, quid de ſuo rege contigit advertens, ſimulque præcavens ne Jugo tyrannidis alienæ ſemel ſubmiſſus, excutere denuo non valeret. Collectis igitur viribus *Gaythelo* mandat quod ſi ocius è regno non maturaret exitum, inexterminabile ſibi ſuiſque proveniret exitium abſque mora.

XI. *De electione* Gaythelos *in regem, & ejus profectione verſus occidentem.*

PRæterea *Geythelos*, quia gener regis omniumque nobiliſſimus, ab expulſis utriuſque gentis nobilibus in regem erigitur. Sed nihilominus, exercitu quanquam numeroſo ſtipatus, caute perpendit ſe tantæ multitudinis hoſtium turmis ſævientium non poſſe reſiſtere: ſed & iterum in *Græciam* ſciens obſtructam redditus orbitam, ob perpetrata ibidem prius ſcelera, ſuorum conſilio majorum pro rata quippe decrevit, ut aut regnum & terras aliis abriperet gentilibus armis perpetuo colendas; ſeu Diis ſibi faventibus deſertas ſaltem manſiones conquireret poſſidendas. Quodque pro viribus omnibus executione debita proſequi, communi propoſito conjurantur. Sublimato quidem *Geythelo* ergo duce, nobiles expulſi, ut in extremi mundi finibus, velut opinantur, adhuc vacuas novas terras igitur colendas acquirerent, juvenilibus ducti quodammodo laſciviis, claſſem non modicam immiſſis victualibus cum cæteris navigio neceſſariis oneratam citiſſime præpararunt. *Alia Chronica.* Collectis igitur *Gaythelos* ſuis omnibus cum uxore *Scota* ab *Ægypto* receſſit: & quia propter veteres inimiticias timuit in partibus è quibus in *Ægyptum* venerat repedare, verſus occidentem iter vertit, ubi noverat, ut pauciores, ut minus bellicoſos habitare populos, cum quibus congredi neceſſe fuerit, hominibus armis minus doctis. *Item alia Chronica.* Denique paratis omnibus *Geythelos* cum conjuge totaque familia, cæterique duces Deorum ſuorum regimini fidentes ſcaphis advecti naves conſcendunt paratas, & anchoris funditus ſubductis, nautarumque funibus diligenti cura ſolutis, vela latius ventorum afflatibus expanduntur. Mediterraneum inde fretum petentes, inter auſtrales *Europæ* fines & *Africam* proris pelagi ſecantibus undas, verſus occidentales mundi plagas tetendere.

XII. *De tempore quo ſtationem fecit in* Africa Geythelos, *& cauſa qua primo petiit* Hiſpaniam.

G*Eythelos* itaque provinciis pluribus pervagatis, & variis per loca ſtationibus quæ reperit opimiora factis, quia populum quem duxit mulieribus ac parvulis multiſque ſarcinis oneratum ultra modum vexari noverat, per *Auſaga* flumen *Africam* intrans, per aliquod temporis ſpatium *Numidiæ* provincia quievit. Licet illius patriæ cultores nullam requiei certam habent ſedem. Igitur per annos xl. quibus habitaverunt filii *Iſraelis* in deſerto ſub *Moyſe*, & ipſe *Gaythelos* cum ſuis nunc hac nunc illac per plures vagabatur terras: ſed *Africa* tandem relicta, navibus quas habere tunc poterat aſcenſis, juxta *Gades* inſulas advehitur in *Hiſpania*. *Alia Chronica.* Sic quidem diu per maris incogniti loca huc illucque vagi plura pertranſeunt; & prout contrario ventorum agebantur impetu pericula multa diſcriminaque varia perpeſſi, cogente tandem alimentorum penuria, quaſdam inſperatas *Hiſpaniarum* ad oras incolumes adventant. Ubi naves ejectis anchoris affixæ tenacibus quieverunt.

XIII. *De cauſa ſui receſſus ex* Ægypto *ſecundum quoſdam, & aliorum eadem cauſa recedentium.*

PErhibetur tamen alibi multos *Ægyptios* & advenas *Græcos*, non ſolum humano metu, ſicut ſuperius exprimitur, ſed potius timore divino perterritos, ab *Ægypto* procul & patria nativa fugiſſe. Videntes autem terribiles plagas

plagas & ſigna, quibus per *Moyſen* afflicti fuerant, timuerunt valde, nec auſi ſunt ibidem amplius præſtolari. Nam ſicut *Gomorreorum* regiones cum populis & *Sodomorum*, olim in cineres propter peccata redactæ fuerant, ſic totam ſperabant *Ægyptum* cum incolis ſubito ſubvertendam. Quod & in Hiſtoria Scholaſtica patet, ubi dicitur. Multi quidem *Ægyptiorum* timentes *Ægyptum* perituram egreſſi ſunt; quorum *Cecrops* in *Græciam* tranſiens urbem condidit *Athen*, quæ poſtea dicebatur *Athenæ*. Creditur etiam ea tempeſtate quod *Dionyſius Bacchus*, egreſſus ex *Ægypto*, *Arges* in *Græcia* civitatem condidit, & uſum vineæ *Græcis* dedit. Siquidem vel hujuſmodi ſponte metu divino ductam, ſive violenter ab hoſtibus coactam, modo penitus è duobus altero verum eſſe docetur, *Scotam* cum viro, magna ſectante familia, territam *Ægypto* proceſſiſſe. *Groſſum caput.* Antiquitus autem exiit de *Ægypto Scota*, filia *Pharaonis*, cum marito ſuo nomine *Gayel*, & maxima Comitiva. Audierant enim mala quæ ſuperventura fuerant *Ægypto*, & hoc per præcepta Deorum vel reſponſa, plagas fugientes quaſdam venturas miſerunt ſe in mari, Deorum ſuorum gubernaculo committentes. Qui taliter diebus plurimis per maria fluctuantibus animis navigantes, tandem littori cuidam propter aeris intemperiem læti applicuerunt.

XIV. *Qualiter primam obtinuit ſedem in Hiſpania* Geythelos.

ILlis interim diutina maris fatigatione vexatis, & acquirendi gratia victus ac quietis ad terram *Hiſpaniæ* properantibus, ex omni parte concurrunt cives, eorumque indigne ferentes adventum, bello proponunt & armis obſiſtere; ſed & pugna mox ingenti contentione commiſſa victi ſunt indigenæ pariter & fugati. Patrata deinde victoria *Geythelos* cives inſequitur, & aliquantis agrorum prædatis ad littora reverſus, in quodam altiori loci monticulo tentoria vallo circundata confixit, ubi hoſtium inſultantibus cuneis poterat obviare. Quo poſtmodum ſubactis aliquantiſper incolis oppidum interpolate fortiſſimum, nomine *Brigantiam*, ædificans, cujus in medio maximæ celſitudinis turrim conſtituit, profundis adhuc patentibus foſſis circumſeptam. Omnibus igitur diebus vitæ ſuæ continuis affectus bellorum incurſibus ibidem deguit, variiſque caſibus jugiter obvolutus. *Legenda Sancti Brandani. Gaythelos* autem ex *Ægypto* pulſus, & ſic per mediterraneum mare vectus navibus ad *Hiſpaniam* applicat, atque ſuper *Hyberym* flumen turrim condens nomine *Brigantiam*, locum & ſedem violenter ab incolis uſurpavit.

XV. *De continua cede ſuorum ibidem, propter quod exploratores pro terris Oceano ſcrutandis direxit, qui reperta quadam inſula redierunt.*

MUltimodis interim afflictus ibidem incommodis *Geythelos*, cujus circa gentis ſuæ tuitionem, ſicut utilem decuit & curioſum principem, tota verſabatur intentio, cum aliud illac eventum ſibi nullatenus advenire proſpexerat, quam aut à populis *Hiſpanorum* fortiſſimis ipſum cum gente de ſuperficie terrarum omnium deleri, vel jugo perpetuæ ſubjici ſervitutis: & licet adverſariis ſæpius ſtrages plurimas ipſum inferre contigerat, nunquam tamen aut una potitus eſt victoria abſque ſuæ gentis exiguæ detrimento, quam quotidiano jugique diſpendio minui potius proſpicit quam augeri. De tali vero continua cæde, necnon imminente diſcidio, ſeu deinceps de dicto quod agendum negotio, dum cura pervigili præcavens mente divolveret, ſecum tandem diſceptans animadvertit, quod quas patiebatur merito tuliſſet anguſtias; utcunque ſuum primitivæ deliberationis propoſitum, terras ſcil. vacuas nulli moleſtiam inferens acquirere dimiſerat, ſed &

ſolum inſultans aliis divinitus adhibitum populis, quod in hoc ſuos multipliciter Deos offendiſſe ſperavit. Ad præconceptum igitur in *Ægypto* propoſitum intendens regredi, ſuorum conſenſu majorum nautas convocat, & eos armis inſtructos cum naviculis victualibus refectis terras quæſitum diſſitas ad infinitum confeſtim dirigit Oceanum perſcrutandum. Illi nimirum abeuntes naves petunt,& explicatis velis,litus linquentes *Hiſpanicum*,ad incognita maris loca relictis cognitis adveniunt. Quique curſu velociſſimo favore conducti Deorum, procul eminentem viderunt inſulam undique ſalo circumfuſam. Ad quam in portu cum applicarent proximo locatis navibus eam explorantes circueunt, atque viſa quoad poterant inſula celeri remige *Brigantiam* repetunt, de quadam plaga terræ pulcherrima Oceano reperta ſuo regi *Gaythelo* enunciantes.

XVI. *De eodem, & exhortatione filiorum ut dictam adirent inſulam.*

GAythelos namque cum eſſet incolis ingratus, die quodam ſereno cum de *Brigantia* ſpectans, eminuſque terram contemplatus eſſet in mari, agiles & Bellicoſos juvenes armat, & cum tribus naviculis exploratum dirigens, alto ſe committunt freto. At illi ſpirantibus auris ad notum tandem ad inſulam conveniunt, & eam contemplando circueuntes, & remis incolas repertos invadentes peremerunt. Sicque tellure luſtrata mirantes ejus decorem ad *Brigantiam* redeunt. Sed *Gaythelos* morte repentina præventus, filios hortando commonuit ut prædictam certamine terram invaderent, eorum pariter ſegnitiem arguens & ignaviam, ſi tantæ nobilitatis regnum deſereretur, quod ſine bello vel quovis diſcrimine penetrare valerent. Vobis, inquit, hanc inſulam quicquid de mea ſalute contigerit facere poteritis, ut aſſeritur, habitabilem; applicantibus in hac regione, nobis urgente victus inopia, dum noſtri de obſtantibus incolis juſtam dedere victoriam, ſi quantocius ut refectis alimentorum copia navibus recedentes, hanc quam Dii nobis jam offerunt inſulam, vel conſimilem cultoribus vacuam adiremus. Hæc igitur nobis adverſantia merito patimur, quia juſtis Deorum votis nullatenus obedire curavimus. In his æſtimo partibus dominii poſſeſſio difficilis acquiritur niſi caro nimis pretio, ſervili viz. ſubjectione, ſeu nimirum omnium morte, quod abſit mortibus redimatur. Sed & nobis jocundius eſt laudabiliuſque mortem compati bello ſtrenuo, quam ignobiliter quaſi viventes moriendo quotidie, ſub execrabilis onere ſubjectionis jugiter compediti. Hominis enim nullatenus dignus eſt nomine, cujus continuum, velut aſini collo, jugum imponitur ſervitutis. Nunc igitur ô filii munera Deorum oblata grataanter accipite, & vobis paratam adite nec tardetis inſulam, qua velut nobiles & liberi degere poteritis, cum ſit hominum ſumma nobilitas & cordis cujuſque generoſi deſideratiſſima rerum jocunditas, immo gemma cunctis mundi merito præferenda jocalibus, nullius Alienigenæ dominantis imperium pati: ſed ſucceſſionem ſolummodo propriæ nationis uti ſpontaliter poteſtate.

XVII. *Qualiter* Hyber, *filius* Geythelos, *dictam aggrediens inſulam obtinuit, quæ de nomine ſuo poſtmodum* Hybernia *dicta fuit.*

AUditis igitur *Iber* patris ſermonibus cum *Hymec* fiere navigio prædictam aggreſſus eſt inſulam,& eam non vi ſed vacuam, ut quidam volunt, omni cultore carentem obtinuit, & obtentam frari ſuæque familiæ committens, ad *Hiſpaniam* reverſus eſt. Quidam vero tradunt illam inſulam primo Gigantes inhabitare, quod & ſcriptum in ſua *Chronica Galfridus Monumetenſis*

numetenſis Aurelii Ambroſii geſta commemorans, libro ſeptimo ſic. *Galfridus.* Mitte pro *Chorea* Gigantum, inquiens *Aurelio Merlinus*, quæ eſt in *Gallareo*, monte *Hyberniæ*, & infra. Ad cujus verba ſolutus eſt *Aurelius* in riſum dicens, qualiter id fieri poſſet ut illius choreæ tanti lapides ex regno tam longinquo adveherentur, ac ſi *Britannia* lapidibus careret. *Ad hæc Merlinus*, ne moveas ô rex vanum riſum, quia vana non profero. Myſtici ſunt lapides illi, & ad diverſa medicamenta ſalubres. Gigantes olim eos aſportaverunt ex ultimis *Africæ* finibus, & poſuerunt in *Hybernia*, dum eam inhabitarent. Cauſa autem erat ut *Balnea* infra ipſos conficerent, cum infirmitate gravarentur, hæc ille. *Legenda Brandani.* Ex filiis *Gaythelos* unus quidem *Hyber* nomine, Juvenis ſed de ætate valens, incitatus ad bellum accepit arma, paratoque pro poſſe navigio prædictam aggreſſus inſulam, partem paucorum incolarum quos reperit necat, ſibique partem ſubegit. Sed & totam ſibi poſſidendam & fratribus terram vendicat eam, ex nomine matris *Scotiam* nuncupando. *Groſſum caput.* Et quia ipſa Duciſſa eorum inter omnes qui aderant nobiliſſima fuerat, *Scota* dicebatur, ipſam partem terræ, cui prius applicuerant, ſcil. *Scotiam* vocaverunt, *Oyliſter. Legenda.* Poſtmodum autem ab eodem *Hybero* rege, vel mari potius *Hyberico Hyberniam* vocaverunt. *Ex Chronicis. Hyber* igitur ſua poſtmodum tam crebra navigatione verſus inſulam proficiſcens, indeque toties iterum per mare rediens, eidem mari ſicut & inſulæ de ſuo nomine vocabulum reliquit æternum. Ita viz. quod *Hybericum* mare de cætero, ſiquidem & inſula, vel ab eodem rege vel pelago *Hybernia* vocentur interim & uſq; tempus præſens. Quidam quoque tradunt ſcriptores *Hyberum* amnem toti *Hiſpaniæ Hyberia* nomen dediſſe, quique nota ab ipſo rege ſicut legitur accepit. Citeriorem autem *Hiſpaniam Januenſis ſcripſit* primo vocari *Hyberniam*, ſed ulteriorem *Heſperiam* vel ab *Heſpero* ſtella, qui in ipſa parte cœli lucet, vel ab *Heſperio* rege, *Atlantis* fratre, qui pulſo à Germano Italiam tenet, eamque de ſuo nomine, vel nomine priſtinæ regionis quam reliquerat, *Heſperiam* nominavit.

XVIII. *De his quæ doctor* Yſidorus, *&* Beda *venerabilis ſcripſerunt de* Hibernia.

J*Anuenſis* autem ponit *Hyberniam* ab *Hiems* derivatam, eo quod ibi præcipue fit *Hyems* dura. Aliter tamen ſcripſerunt omnes Hiſtorici, qui mentionem faciunt hujus inſulæ. *Beda.* Eſt autem *Hybernia* inſula omnium poſt *Britanniam* maxima, & ad Occidentem ejus ſita. Et ſicut contra Aquilonem ea brevior, ita in Meridiem ſe trans fines illius plurimum procedens, uſque contra *Hiſpaniæ* ſeptentrionalia, quamvis maguo æquore interiacente, pervenit. Hæc autem & latitudine ſui ſtatus, & ſalubritate, & ſerenitate aerum, multum *Britanniæ* præſtat. Ita ut raro ibi nix pluſquam triduana remaneat. Nemo propter *Hyemem* aut fœna ſecet æſtate, aut ſtabula fabricet Jumentis. Nullum ibi reptile videri ſoleat, nullus vivere ſerpens valeat. Nam ſi aliunde illuc ſerpentes allatæ fuerint, mox ut odorem aeris illius perſenſerint, intereunt. Quin potius omnia pene, quæ de eadem inſula ſunt, contra venenum valent. Dives lactis ac mellis inſula, nec vinearum expers, volucrumque, ſed & cervorum caprarumque venatu inſignis. *Yſidorus. Hybernia* Oceani eſt inſula in *Europa*, *Britanniæ* inſulæ vicina, ſpatio terrarum anguſtior ſed ſitu fœcundior. Hæc ab Auſtro in Boream porrigitur, cujus partes priores in *Hybernum Cantabricum* Oceanum mare tendunt. Eſt autem inſula frumentariis campis uberrima, fontibus & fluviis irrigua, pratis & ſilvis amœna, in metallis fœcunda & gemmigera. Nam ibi gignitur lapis Sexagonus, & Hiris, qui ſoli appoſitus format in aere Cœleſtem Arcum. Quantum autem ad ſalubritatem aeris, eſt *Hybernia* regio valde temperata, modicus enim eſt ibi æſtus vel *Hyems.* Exceſſus ibi nullus in frigore vel calore.

Regio

Regio eſt, ubi nulla anguis, avis rara, apis nulla, adeo ut advectos inde lapillos vel pulveres, ſi quis ſparſerit inter *Alvearia*, examina favos deſerant. Nullus ibidem Serpens, nulla Rana, nulla Aranea venenoſa, Immo tota terra adeo eſt contraria venenoſis, ut terra inde delata & ſperſa Serpentes perimat & Buſones. Lana etiam *Hybernica* & animalium coria fugant venenoſa. Sunt ibidem fontes & lacus mirabiles, de quibus nihil ad præſens. Sed in illa terra multa ſunt alia mirabilia, quorum proprietates omitto deſcribere, quia Lectori, ut æſtimo, faſtidium generarent.

XIX. *De quibus legibus* Geythelos *populum ſuum prius inſtruxit.*

DOcuit autem populum ſuum leges ſervare *Geythelos*, quas rex *Phoroneus Græcis* dedit. *Comeſtor.* Tempore quo *Jacob* conſilio matris fugit ad *Laban*, viz. infra ſpatium XIV. annorum, quibus ei ſervivit pro filiabus, *Phoroneus*, filius *Inachi* & *Meliſſæ*, primus *Græciæ* leges dedit, & ſub judice cauſas agi, locumque judicis deſtinatum inſtituit. Locum commerciis forum à ſuo nomine appellavit. Soror ipſius *Iſis* in *Ægyptum* navigans quoſdam apices terrarum *Ægyptiis* dedit, & poſt mortem ibidem numero Deorum accepta eſt. Filius autem *Phoronei* rex *Argivorum*, qui *Apis* dictus eſt, cum fratrem ſuum *Ægialeum Achaiæ* præfeciſſet, ipſe cum populo ad *Ægyptum* navigavit, & ibidem mortuus ab *Ægyptiis* deificatus eſt. Eiſdem ferme eo tempore legibus & lingua fruebantur *Ægyptii*, ſicut & *Græci*, quamvis ſecundum diverſarum regionum vel gentium mores & ritus in multis differant, ut in ſcriptis variis reperitur. *Unde in libro Ethymolog.* IX. de *Græcorum* lingua *Iſidorus*. Lingua enim *Græca*, quæ in modo pronunciandi clarior eſt cæteris, in quinque partes diſtingitur. *Una* vero eſt mixta ſive communis qua omnes utuntur. *Secunda* Attica, quæ *Athenienſis* dicitur, qua uſi ſunt omnes auctores *Græciæ* ſive Philoſophi. *Tertia* Dorica, qua *Ægyptii* & *Syri* utebantur. *Quarta* vero Jonica. *Quinta* Æolica, qua *Æoliſtæ*, utebantur. Et ipſarum una quæque lingua multas habet ſpecies, vel varietates. Sic & in lingua Latina continentur *Eccleſiaſtica*, *Italica*, *Gallica*, & *Hiſpanica*. Sed inter iſtas linguas fit ſubdiviſio ſecundum loquendi modum, & propria idiomata provinciarum. *Alia Chronica.* Legibus vero, quas *Phoronæus* rex *Græcis* mandaverat, & jam ſuo tempore apud *Ægyptios* celebratas, memoriter *Gaythelos* eruditus, populum qui eum ſecutus eſt imbuit, & per earundem legum conſtitutiones, quoad tempus quo vixerat, illum prudenter ac moderate tractavit; unde & uſque hodie *Scoti* noſtri eiſdem legibus ſe uſos gloriati ſunt.

XX. *De ſucceſſione filii* Geythelos Hyber *in regnum* Scotorum, *poſt mortem patris in* Hiſpania *degentium.*

AD regimen vero *Scotorum* in *Hiſpanis* permanentium poſt mortem patris ſucceſſit *Hyber*. Cui filius ejus *Nonael*; deinde quidem quemcunque regimen jure ſucceſſionis attigerat, hunc gens præfecerat ſuum regem. *Alia Chronica.* Per CC. *circiter* XL. *annos* inter *Hiſpanos*, qui eos jugiter infeſtabant, ægro victu & vili habitu moram fecerunt. Deſerta quippe loca montibus *Pyræneis* & ſaltuoſa, ſibi ſunt ab *Hiſpanis* contradita, ut vix vivere poterant, ſolummodo lacte caprino & melle ſilveſtri vitam ſuſtentantes. His igitur ærumnis vel pejoribus multo tempore vixit populus iſte, ſilvis degens & abditis, præter quod ex rapinis habere valuit & prædis, propter quod à circumſitis undique populis maxime deteſtatus, nihil habens, nudipes gradiens, male paſtus, habitu viliſſimus; nam pene nudus, exceptis ſaltem pelliciis vel piloſis veſtibus, quibus fuerat informiter coopertus. Et in omnibus his malis & anguſtiis nunquam ut regi ſubderetur alieno

vel

vel ad obediendum flecti poterat, quin potius humilis ſemper & devotus ſub rege proprio cum libertate, tantum hanc vitam eligeret ducere beſtialem. *Groſſum caput.* *Scoti* quoque quaſi à principio regnum ab aliis diſtinctum, & regem ſemper proprium habuerunt.

XXI. *De* Mycelio *rege* Scotorum Hiſpanienſium, *& ſuis filiis ad* Hyberniam *proficiſcentibus.*

PErvenit tandem regiminis culmen ad virum æque ſtrenuum & induſtrium, regem viz. *Micelium Eſpayn,* cujus anteceſſoris quidam ſibi ſuiſque gentibus cum libertate ſedem manſionis acquiſivit liberam, ſed tantæ numeroſitatis gentibus nimis modicam. Deſideratæ vero pacis tranquillitate, pro qua diu certaſſet, obtenta per circuitum ab omnibus, hoc tempore populus fruebatur. Erant enim *Micelio* tres filii, quorum nomina ſunt, *Hermonius, Bartholomus*, & *Hibertus.* Ipſos interim ad *Hyberniam* parata claſſe copioſo tranſmiſit exercitu, ſciens ibidem eos ad colendam ſpatioſam reperire terram ſed pene vacuam, licet paucis & ex eodem genere gentibus fuerat antiquitus incolata. Quo poſt breve ſpatium cum adveniſſent, & eam vel bello, vel ab incolis ſponte recepti, faciliter occupaſſent, *Hermonius* ad patrem *Hiſpanias* rediit, fratres vero ſui *Bartholomus*, & *Hibertus* cum gentibus in inſula commanſerunt. *Alia Chronica.* Poſt mortem *Geythelos* & *Scotæ* ſuorumque filiorum, in illo ſucceſſerunt ducatu quique proximi ſingillatim, ſicut caſus ſe caſibus obtulit, uſque quendam qui proprio nomine *Bartholomus* dicebatur. Is animo ſagax & æque ſenſu induſtrius dolere cœpit, ſe populum ſuum in illis partibus creſcere vel multiplicare non poſſe propter acerrimas & crebras infeſtantium moleſtias *Hiſpanorum.* Igitur à tam arido ſolo, quod etiam ærumnoſo tenuerant iter, ab iis quoque, qui eos tanquam hominum viliſſimos reputabant, ſeſe proponunt eripere, & ad manſiones pro poſſe latiores tranſducere. Conſilio proni demum inito cum ſenioribus ad mare Gallicum cum ſportellis & ſarcinis accedunt, & comparatis, vel undecunque poterant quæſitis navibus, marino diſcrimini ſeſe committunt, certas quæſituri quo ſe fortuna perduceret & perpetuas cum libertate manſiones. Igitur ab *Hyberniam Bartholomus* cum ſua familia navigio profectus eſt, & eam ſubactis indigenis in perpetuam ſibi poſſeſſionem obtinuit.

XXII. *De his quæ* Galfridus *Monumetenſis ſcripſit de* Bartholomeo *filii Micelii.*

INter cæteras tamen Hiſtoriæ *Britonum* incidentias, iſta *Bartholomi* profectio pro conquirendis *Hyberniæ* partibus fabuloſe reperitur ſic inſcripta. *Galfridus. Gurgunt Bartruc,* rex *Britonum, Belini* regis filius, cum poſt victoriam à *Dacis* tributum ſolitum denegantibus obtentam domum navigio per *Orcadum* rediret inſulas, invenit triginta naves viris & mulieribus plenas; & cum cauſam adventus eorum inquiſiſſet, acceſſit ad ipſum dux eorum *Bartholomus* nomine, & eo adorato veniam rogavit & pacem. Dicebat autem ſe ex partibus *Hiſpaniarum* fuiſſe expulſum, & maria illa circuire. Petebat autem ab eo portiunculam *Britanniæ* ad inhabitandum, ne odioſum iter maris diutius perararet. Nam annus & dimidius jam erat emerſus, ex quo à patria ſua expulſus per Oceanum cum ſociis navigaverat. Ut igitur *Gurgunt Bartruc* & ipſos ex *Hiſpania* veniſſe, & *Vaſclenſes* eſſe vocatos, & eorum petitionem edoctus fuit, miſit homines cum eis ad inſulam *Hyberniæ*, quæ tum vaſtata omni incola carebat, eamque illis conceſſit. Denique creverunt illic & multiplicati ſunt, inſulamque uſque ad diem hodiernum tenuerunt, *hæc ipſe.*

XXIII. *De diſſonantiis Hiſtoriarum.*

SED hoc omnino videtur Hiſtoriæ præcedenti tam facto quam tempore diſſonum, in qua traditur *Hyberniam* ante ſuum adventum cultam fuiſſe non vacuam, neque de dono regis alieni receptam, ſed vel gladio vel indigenarum voto tantum in regem ſuſceptum, ſedes etiam ibidem libere quas denuo coluit poſſidere. Noſtræ ſiquidem nullatenus Hiſtoriæ contemporaneos eſſe tradunt hos reges. Nam ætate tertia circa dies *Abdon* Judicis *Iſraelis,* vel ante paulo, cujus *anno* VI. *Trojanum* celebratur excidium, *Bartholomi* regnum à Chronicis initium habere traditur. Regem vero *Gurgunt* in ætate quinta poſt primam urbis *Romæ* captivitatem regnare perhibetur. Quia, ut refert *Galfridus,* rex *Belinus* pater regis *Gurgunt* cum fratre *Brennio,* Gallorum regulis omnibus captis, & ad deditionem infra unum annum coactis, eorum provincias ſuæ ſubmiſit ditioni. Quibus confectis exercitu copioſo *Romam* petentes per dies aliquot obſeſſam manu valida ceperunt, anno ſecundum *Eutropium* ab urbe condita CCC. LXIV. Hujus autem Captivitatis annus ut vult *Euſebius* ſic ſummatur. *Anno* XVII. regis *Perſarum Artaxerſis* ſecundi, qui *Hebraica* lingua dicitur *Aſſuerus,* ſub quo & Hiſtoria *Heſter* conſcripta eſt, qui eſt annus ætatis quintæ CXCVIII. Galli *Senones* duce *Brennio Romam* invadentes excepto capitolio ceperunt, illudque tenebris nocte cepiſſent, niſi anſer eos impediret. *Iſidorus.* Gallorum aſcenſus in capitolio anſeris clangore deprehenſus eſt. Nullum enim animal ita odorem hominis ſentit ſicut anſer. Unde in deriſionem Deorum gentium *Ambroſius Romam* ſic alloquitur. *Ambroſius.* Merito debes anſeribus ô *Roma* quod regnas, Dii enim dormiebant & anſeres vigilabant. Illis potius debes ſacrificare quam *Jovi.* Cedant enim Dii tui anſeribus, à quibus ſe ſentiunt eſſe defenſos, ne & ipſi ab hoſte capiantur. Igitur capta *Roma,* dicit *Galfridus,* ibidem *Brennio* fratre relicto *Belinus* rex ad *Britanniam* reverſus aliquo tempore regnavit. Quo, cum reliquis diebus vitæ ſuæ collapſas reparaſſet urbes, & novas ædificaſſet, defuncto, ſucceſſit ei filius ſuus *Gurgunt Bartruc,* patet igitur ipſum clare poſt urbem captam regnaſſe.

XXIV. *Quomodo, circa tempus primæ captivitatis* Romæ, *non* Scoti *ſed* Picti *tentantes* Hyberniam *pro ſedibus, miſſi ſunt à* Scotis *ad* Albioniam.

SCiendum eſt quod in his diebus, *Romanæ* viz. captivitatis, quibus ipſum à *Galfrido* regnare proponitur, de *Pictavia* progreſſi cum ſua familia *Picti* trans fretum *Britannicum* ratibus *Hyberniam* adibant, ut ibi ſedes à *Scotis* acciperent, quos ipſi nequaquam admittere volentes ad *Albionem* ut infra patebit tranſmiſerunt. De quibus, niſi fallor, intelligi poſſint quæ ſuperius per *Galfridum* vitio relatoris de *Scotis* inſcripta ſunt. Nam ipſis ut puto per maria vagis caſu rex obvians, ut navigarent ad inſulam conſuluit. Ex quo popularis inepta loquacitas de tali forte conſilio ſublimia glorians aſſerere voluit, *Hyberniam* eis de ſui regis dono fuiſſe datam, de quo rege *Gurgunt* quendam Hiſtoricum quod ſequitur ſcripſiſſe reperi. Mirandum eſt inquiens hujus animoſitate modeſti regis *Britonum* & prudentis, qui propriæ nationis gentibus in tanta numeroſitate dotatus, quod remotas valde tranſmarinas regiones, quas olim invadere *Romanis* etiam terror inerat, periculoſis vel ſubjicere vel inquietare ſaltem bellis præſumeret, & ſecundam inſulam *Hyberniæ* quàm inclytam, quod hæc ab Hiſtoricis multum *Britanniæ* præſtare diceretur, incultam dimitteret & vacuam, eamque gentibus extraneis traderet poſſidendam. Raro qui regna notis præbeant domeſticis noſcuntur reges, ignotis autem extraneis rariores.

XXV. *Qua-*

XXV. *Qualiter excuſat* Chronica *diſſonantias Hiſtoriarum.*

ET licet in his aliqualiter & forſan in aliis diſſentiant Hiſtoriæ, non inde mireris: quia in pluribus Hiſtorici diſſonare videntur ſcripturis omni die, ſicut habetur exemplum in Chronicis regum *Perſarum. Argem vero* filium regis *Ochi*, *Juſtinus* inter reges *Perſarum* non numerat, ſed ſtatim poſt *Ochum* ponit *Darium*; *Tertullianus* autem hunc *Argem* vocat *Argum*, quem dicit regnare anno uno. *Iſidorus appellat* eum *Perſen*, quem dicit regnaſſe annis quatuor: *Jeronimus* ſuper *Danielem* vocat eum *Arxen*, alii appellant eum *Arſanum*, ſicut *Comeſtor*. Nec etiam ipſius *Romæ* totius pene mundi triumphatricis conditoribus conſonos habemus Hiſtoricos. *Saluſtius* enim ſicut & *Iſidorus* urbem à *Trojanis* ab initio conditam & inhabitatam ſcripſerunt. *Alii* dicunt ab *Evandro* rege, ſecundum quod *Virgilius*.

Tunc rex Evandrus Romanæ *conditor urbis*.

Alii à *Romulo*, ut *Ennius* & *Eutropius*. Si igitur, ut ait *Iſidorus*, tantæ civitatis certa ratio non appareat, mirum non eſt ſi in aliorum opinione dubitetur. Unde non Hiſtoricos, nec Commentatores vel Commentores varia dicentes, imperite vel imperitiæ condemnare debemus, quia antiquitas ipſa creavit errorem, longinquitate ſæpe fit temporis ut originis conditio non pateat.

XXVI. *De profectione tertia* Scotorum *ad* Hyberniam *facta per* Smonbracht, & *ejus Genealogia.*

AD inſulam præterea ſupradictam proceſſu temporum, ab *Hiſpaniæ* iterum finibus, ut docent Chronciæ, etiam tertius adveniens accola, *Scotici* generis, cui nomen Scoticè *Smonbrecht*, Latinè vero *Simon Varius* vel *Lentiginoſus*, ibique regni faſtigium accipiens, indigenis abunde novis inſulæ populos ampliavit. Eo tempore regnavit, ut afferunt, in *Judæa Manaſſes*, filius *Ezechiæ*. Qui cœpit anno quartæ ætatis cccLXIV. rexit autem annis quinquaginta quinque. Hic peſſimus idolatra fuit, & plateas *Jeruſalem* ſanguine Prophetarum purpuratas fecit. Inter alia quidem ſua ſcelera, *Iſaiam* quoque avum maternum ſecundum *Hebræos*, vel ſuum affinem, ejectum extra *Iſraelem*, circa piſcinam *Siloe* ſerra lignea per medium ſecari fecit. Qui, dum in principio ſectionis anguſtiaretur, ſibi petiit aquam dari ut biberet: & cum nollent ei dare, Dominus à ſublimi miſit aquam in os ejus, & expiravit, nec tamen carnifices deſtiterunt à ſectione. Ob hanc aquæ miſſionem, confirmatum eſt nomen *Siloe*, quod interpretatur miſſus. Temporibus itaque *Manaſſæ*, *Romanorum* ſecundus regnavit *Numa Pompilius*, qui *Romulo* ſucceſſit, & primus leges Romanis dedit. Erat enim idem *Simon* filius regis *Fonduf*, qui tunc temporis ſuper *Scotorum* reliquias *Hiſpania* degentes regnavit, qui fuit filius *Etheon*, filii *Glath*, filii *Noethath Fail*, filii *Elchata*, *Oltbaim*, filii *Sirue*, filii *Dein*, filii *Demail*, filii *Rothotha*, filii *Ogmam*, filii *Eugus*, olim *Cotha*, filii *Fiachach Labrain*, filii *Emirnai*, filii *Sinretha*, filii *Embatha*, filii *Chiernay*, filii *Falegis*, filii *Etheor*, filii *Jair Olfacha*, filii *Hermonii*, fratris *Bartholom* & *Hibert*. Et hi tres fuerunt filii regis *Micelii Eſpain*, cujus ſupra mentionem fecimus, de quo quidem *Smonbricht*, & ejuſdem adoptione regni, quoddam ut ſequitur in Legenda Sancti *Congalli* reperitur inſcriptum.

XXVII. *De eodem* Smonbracht & *Cathedra Regali lapidea, & ejuſdem vaticinio.*

ERat autem quidam *Scotorum Hiſpaniæ* rex, plures habens filios, unum tamen, cui nomen *Smonbracht*, quamvis natu non major fuerat vel hæres, præ cæteris tum diligebat. Miſit igitur ipſum pater ad *Hyberniam* cum exercitu, donavitque ſibi marmoream cathedram, arte vetuſtiſſima, diligenti ſculptam opifice, qua *Scoticæ* nationis *Hiſpaniæ* reges ſedere ſolebant. Unde diligenter in ſua regione quaſi pro anchora tuebatur. Pergebat autem idem *Smonbrecht*, magna comitatus hominum caterva, prædictam ad inſulam, & in ea ſuo ſubjecta dominio regnavit annis multis. Lapidem vero præfatum, ſcil. cathedram in eminentiori loco regni *Themor* nomine poſuit, qui regia ſedes locuſque regni ſuperior de cætero dictus, quo ſuæ propaginis poſteræ reges multis temporibus ſedere ſolebant, regiis honoribus inſigniti. Attulit ſecum hanc cathedram *Gaythelos*, cum aliis ornamentis regalibus ad *Hiſpaniam*, ut aiunt quidam, ex *Ægypto*. Alii quoque quod *Smonbret* in mari prope litus *Hybernicum* emiſſas è navi confixit anchoras, & eas iterum, urgente ventorum adverſitate, dum ex undoſis omni conatu retrahere fluctibus valide ſategerat, in formam cathedræ deciſum ex marmore lapidem de pelagi profundo ſublatum, in navi cum anchoris introduxit. Hunc igitur lapidem quaſi pretioſum munus à Diis oblatum certum etiam futuri regni præſagium accipiens, & nimio fluctuans in gaudio, ſuos in tantum veneratus eſt Deos, ac ſi regnum ſibi tradiderant penitus cum corona. Accepit ibidem & inde vaticinium à Diis ſuis hujuſmodi, ſicut ſcriptis aſſeritur, quod ubicunque locorum regno ſeu dominio per adverſariorum de cætero potentiam ab eis invitis delatum reperiant lapidem, pro firmo tenere juſſerunt aruſpices ibidem ſe ſuoſque poſtea regnaturos. *Unde quidam* ex eorum divinatione vaticinando metrice ſic prophantur.

Ni fallat fatum, Scoti *quocumque locatum,*
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Et hoc, ſicut vulgaris aſſerit hactenus opinio, verum in ſua ſæpius primitiva peregrinatione probari. Nam ereptum per hoſtes lapidem non ſolum *Hiſpanienſes* regulos, verum etiam & *Hybernienſes* patriotas, hunc una cum eorum regionibus, ſecundum aſſignatum ſuperius vaticinium, & ipſi potenter ab hoſtibus receperunt. Verum quia de *Græcis* & *Ægyptiis* populus iſte commixtus duxerat originem, ne priorum memoria ſuorum principum prolixi tranſcurſu temporis ex hominibus forte periret, eorum nomina ſuis coaptabant nominibus. *Græci* viz. ex ſui principis nomine *Gaythelos* ſe *Gaythelenſes*, ſimiliter & *Ægyptii* de *Scota* ſe *Scotos* protinus vocabant, quo ſolo nomine poſtmodum hodieq; communiter utraq; gens perfrui gratulatur, unde quidam.

Scoti *de* Scota, *de* Scotis Scotia *tota*
Nomen habent, vetito Gathelos *ducis adauᴄto.*

XXVIII. *De rege primo* Scotorum *inhabitantium inſulas* Albionis.

CRevit autem in terra populus & valde multiplicatus eſt, extendit enim à mare uſque ad mare palmites ſuos, & *Albionis* inſulas, ut traditur, nullo cultore præhabitatas, propagines ejus. *Primus autem* eorum *dux* eas inhabitantium, *Echachius Rothay*, pronepos ſupradicti *Simonis Brec*, interpretatione ſui nominis inſulæ *Rothiſay* nomen dedit, quo quidem non parvi temporis ſpatio fruebatur nomine, quouſque Salvatoris Noſtri fide per univerſos orbis terræ fines & inſulas quæ procul ſunt diffuſa, *Sanctus Brandanus* in ea *botham*, idiomate noſtro *Bothe*. i.e. cellam conſtruxit. Unde & deinceps & uſque tempus noſtrum habetur binomia, quod aliquando *Rothiſay*, i.e. inſula *Rothay*, ſic & aliquando inſula de *Bothe* ab indigenis nuncupatur.

XXIX. *De* Pictis *advenientibus* Hyberniam, *pro ſedibus ibidem habendis, quos abactos* Scoti *miſerunt ad* Albioniam.

REvoluto quidem non pauco tempore, dummodo proſpera quiete degebant & pace, populus quidam ignotus ab *Aquitaniæ* finibus emergens, qui *Pictus* poſtea dicebatur, ſuo littori ratibus applicuit, & quod vel per ſe loco deſerto, vel ſecum in inſula paſſim cohabitare poſſet, humiliter à majoribus poſtulavit. Ex propria namque patria ſe dicebat adverſantium valida manu licet immerito nuper expulſum, ac eatenus in mari periculis vexatum fuiſſe maximis & horrendis procellarum. Nec tamen ut inter eos eadem maneret inſula fateri volebant, immo ſub amicitia ſuæ pacis & protectione ſuſceptum, ad finem *Albionis* aquilonalem deſertum hactenus cum quibuſdam traditis ſecum comitibus tranſmiſerunt. Illis igitur incipientibus ibidem terras incolere, nec ſecum ſuæ nationis mulieres habentibus dederunt uxores *Scoti* filias ſuas, ſub pacto ſempiterni fœderis & dotis condicto ſpeciali. *Pictorum* autem acceſſus ad hanc inſulam per varios varie deſcribitur auctores, quorum quidam tradunt quod à gentibus quas ſecum ex *Scythia* rex *Humber* ad *Britanniam* conduxerat, cum à *Locrino* filio *Bruti*, propter occiſionem ſui fratris *Albanacti*, ſubmerſus eſt fluvio, *Picti* ſumpſerunt originem. Nam ſublato gentes rege ſuo non receſſerunt ab inſula, ſed in extremis ejuſdem finibus multo tempore cauſas judicibus terminabant. *Alia Chronica. Picti* quidem exorti de *Scythia* fugam *Agenoris* comitati ſunt, & ipſo duce inſederunt *Aquitanorum* nationem, huic aſſertioni noſtræ urbs teſtatur *Agenorenſis* ab *Agenore* conſtructa, & *Pictavorum* patria, in qua *Picti* de proprio nomine *Pictavem* condiderunt civitatem, his vero claſſe poſtmodum compoſita petentes *Albioniam* cum *Scotis* hactenus commanere dicuntur.

XXX. *de his quæ* Beda *de* Pictorum *adventu conſcripſit.*

IN Eccleſiaſticis autem gentis *Anglorum* Hiſtoriis, quas venerabilis *Beda* apud ſe ſtilo fideli compoſuit, *Pictos* quoque, non ut tradit *Galfridus*, ex donatione *Britonum*, ſed *Scotorum*, vel eorum exhortatione ſaltem *Albionem* prius adveniſſe docetur, etiam ſub eorum protectionis cuſtodia terras ibidem inſediſſe. Cujus hæc ſunt verba quæ ſequuntur. *Beda.* Cum *Britones*, plurimam inſulæ partem incipientes ab Auſtro poſſediſſent; contigit gentem *Pictorum* de *Scythia*, ut perhibent, longis navibus non multis ingreſſam Oceanum, circumagente flatu ventorum, extra fines omnes *Britanniæ Hyberniam* perveniſſe, ejuſque ſeptentrionales oras intraſſe, atque inventa ibi gente *Scotorum*, ſibi quoque in partibus illis ſedes petiſſe, nec impetrare potuiſſe. Ad hanc inſulam ergo uſque pervenientes navigio *Picti*, petierunt in ea ſibi quoque ſedes & habitationem donari. Reſpondebant *Scoti*, quia non ambos eos caperet hæc inſula; ſed poſſumus, inquiunt, ſalubre vobis dare conſilium, quod agere valeatis. Novimus inſulam eſſe aliam non procul à noſtra, contra ſolis ortum, quam ſæpe lucidioribus diebus de longe aſpicere ſolemus. Hanc adire ſi vultis habitabilem vobis facere valeatis, vel ſi quis vobis reſtiterit, nobis auxiliariis utimini. Itaque petentes inſulam *Picti*, habitare per ſeptentrionales ejus partes cœperunt: nam *Auſtrinos Britones* occupaverunt. Cumque uxores *Picti* non habentes peterent à *Scotis*, ea ſolum conditione dare conſenſerunt, ut ubi res veniret in dubium, magis de fœminea regum proſapia quam de maſculina regem ſibi eligerent. Quod uſque hodie apud *Pictos* conſtat eſſe ſervatum, hæc *Beda.*

XXXI. *De cauſa prima* Scotorum *aditus*, *ad inſulam* Albionem.

S*Cotorum* vero filias quas nuptum *Picti* ſumpſerunt & cognatas, dum ſecum ad propria paulatim mariti conducerent, earum innumeri parentes ſecuti ſunt, patres viz. & matres, fratres etiam & ſorores, neptes ſimiliter & nepotes; ſequuntur autem & cæteri plures, quos non ſolum affectio filialis urgebat vel ſororia, ſed potius quos telluris *Albionicæ* quo tendebant herboſa fertilitas, atque ſuorum ampliſſima pecorum paſcua penitus provocabant. Utriuſque vero ſexus tanta ſequacis vulgi copia ſecum armenta deducens cum *Pictis* manſura per exigui temporis exiit intervallum, quanta non legitur propriam liquiſſe patriam abſque duce. Sed & eorum itaque numerum augebat proſcriptorum contraria progreſſio maleficorum, quia legis diſciplinam quiſquis ſubire timeſcens, cohabitare *Pictis* ſecurus adiit, ubi deinceps accerſitis parvulis & uxore pacifice remanens, nullatenus de cætero reverſus eſt. Adventum vero tantæ multitudinis interim *Picti* moleſte ferentes, nam timor eorum eos pervaſerat, ne quis advena ſedem de cætero manſionis uſquequaque finibus ſuis obtineat, ex præconio proclamari jubebant; ſed & his qui ſecum prius ad votum manere contenderant occaſionem dedere multiplicem recedendi. Nam primo cum intrabant ad inſulam, per ſuorum reſponſa Deorum, ſed potius Dæmonum, quibus antequam operis cujuſque quicquam facerent immolantes, intellexerunt futurum eſſe, quod ſi non *Scotos* expugnare ſatagerent, ab eis penitus delerentur. Ideoque videntes eorum inter eos augeri numerum, magis ac magis timere cœperunt, & eos acrius à ſua regione propulerunt. Quod autem verum non ſtatim poſtea ſed poſt mille annos expertum eſt, quia genus eorum eo tempore cum lingua per eos penitus deletum eſt.

XXXII. *De Diis gentium*, *imo verius*, *gentium Dæmonibus*.

SAcra quoque ſcriptura teſtatur, quod per Deos gentium, Idola viz. ex ære, ligno, vel lapide manufacta, quæ ſurda fuerunt & muta, Dæmones multotiens quaſi per inſtrumenta loquebantur, & falſa quandoque, quandoq; vera dicentes. Vera quidem vel omnino per bonos Angelos coacti dixerunt, vel ut fortius ſuos poſtea multo tempore cultores deciperent, vel ficte vera nunciando ſub intentione duplici, ſive vigilantibus, ſive dormientibus, ut maleficos, qui ſe vexando per incantationes à præda pinguiori præpediunt citius extinguerent, aut damni eis in corpore, bonis temporalibus, aut fama, celerius inferre valerent. Sicut fratri quondam *Haſdrubalis Amilcari* contigit, qui poſtea bello *Sicilienſi* occiſus eſt. Huic *Amilcari*, ut ait *Valerius*, cum obſideret *Syracuſas*, dictum eſt per *Somnium* à Dæmone, futurum eſt ut proxima die in eadem urbe cœnaret. Quod & in craſtinum fecit, non victor ſed captivus. *In Elucidario* quoque dicitur, quod Dæmones formulas Idolorum intrare ſolebant, & populum per reſponſa ſeducentes ludificabant. Ex Angelica enim natura Dæmonibus ineſt plurima ſcientia, non tamen omnia ſciunt, ſed quanto eorum natura eſt ſubtilior quam hominum, tanto in omnibus artibus peritiores ſunt quam ullus hominum: futura neſciunt niſi quatenus ex tranſactis colligunt. *hæc ibi.* Vel ut puto quantum eis per bonos Angelos ſcire permittitur ex indignis. Multos enim Deos olim habuere gentiles. Nam apud *Græcos*, ex quibus & *Ægyptiis Scotorum* propagatur ſoboles, *Cecrops*, ſub quo urbs *Athenienſium* ex appellatione *Minervæ* nomen ſortita eſt, primus omnium *Jovem* appellavit Deum, ſcil. temperantiæ ſimulacra reperit, aras ſtatuit, victimas immolavit, unde *Theodolus*.

Egregio-

Egregio Cecropi debetur cauſa litandi
Ille bovis primo rimatur viſcera ferro.

Ægyptii quoque colebant *Iſidem* Deam terræ, ſed *Serapis* omnium deorum *Ægypti* maximus eſt. Ipſe fuit rex *Argivorum Apis*, qui poſtea dictus fuit *Serapis*. Iſte *Serapis Ægypti* cum *Iſide* Dea, necnon & *Græciæ Jupiter* cum Dea ſapientiæ *Minerva*, quam de *Jovis* capite natam dicunt, Deos fuiſſe creduntur *Scotorum* antiquitus principales. Apud *Romanos* omnes pene Dii gentium ſub ſuo militantium imperio colebantur, ut *Apollo* Deus divinationis & medicinæ. *Diana*, germana *Apollinis*, Dea & præſes viarum. *Saturnus* Deus ſeminum terræ. *Janus* Deus principii. *Mars* Deus belli. *Ceres* Dea frugum. *Volcanus* Deus ignis. *Neptunus* Deus aquæ. *Juno* ſoror *Jovis*, Dea januarum mulierum. *Venus* uxor *Vulcani*, Dea generationis. *Cupido* filius *Veneris*, Deus amorum. *Genius*, Deus genitalium habens vim rerum omnium gignendarum.

XXXIII. *De eiſdem & earum in talibus ſtultitia.*

GEntiles autem, ut in Epiſtola *Bragmannorum* ad *Alexandrum*, Deorum unicuique membra ſui corporis regenda diſtribuunt, cuilibet membro Deum ſtatuentes. Affirmant enim *Minervam* pro eo quod fuit inventrix multarum artium, natam de capite *Jovis*, & tenere ſapientiam. Proinde dicunt eam tenere capitis ſummitatem. *Junonem*, pro eo quod fuit iracunda, dicunt eſſe Deam cordis. *Martem*, pro eo quod fuit præſes Bellorum dicunt eſſe Deum pectoris. *Mercurium*, pro eo quod multum loquebatur, dicunt eſſe Deum leporis & linguæ. *Bacchum*, quia fuit egregius potator & ebrioſus dicunt eſſe Deum gutturis. *Herculem*, pro eo quod XII. mirabiles fecit virtutes, dicunt eſſe Deum brachiorum. *Cupidinem*, eo quod fuit fornicator, dicunt in manu tenere favillam ardentem, cum qua accendit libidinem, proinde dicunt illum eſſe Deum jecoris, ubi habitat maxima pars ignis corporis. *Cererem*, pro eo quod fuit inventrix frumenti, dicunt eſſe Deam ventris. *Venerem*, pro eo quod fuit maximè luxurioſa, dicunt eſſe Deam membrorum genitalium. Sed & in Deorum laudibus acceſſerunt Poetæ ſecundum *Iſidorum*, & compoſitis carminibus in cœlum eos in ſtellis mutatos ſuſtulerunt; proinde autem ex his ſeptem Planetis vel Stellis nomina dierum dederunt, dicentes ſe habere ad *Apolline* ſpiritum, à *Diana* corpus, à *Marte* ſanguinem, à *Mercurio* ingenium & leporem, à *Jove* temperantiam, à *Venere* voluptatem, & humorem à *Saturno*. Talis quippe gentilium extitit ſtultitia quod tales eſſe Deos credunt, quales propter ſuam turpitudinem digni non ſunt homines appellari. *Bel* autem idolum *Babyloniæ* fuit omnium idolorum occaſio, ſicut dicitur, & primum. Fuit enim hic *Bel* pater *Nini* regis *Aſſyriorum*, quem quidam *Saturnum* appellant, quidam *Bel*. Primum apud *Aſſyrios* & *Afros*, poſtea cultum eſt & apud alios plures, ſed à diverſis diverſimode nominatum, ut *Bel*, *Baal*, *Belyal*, *Belzebub*, & *Belphegor*.

XXXIV. *De primo rege* Scotorum *Regnantium in* Albione.

PRæterea dum *Picti Scotos* advenas hujuſmodi damnis affligerent & anguſtiis, nunciatum eſt clanculo gentis ſuæ majoribus, quali quantaque per eos degebant ærumna. Sed & interim accedentes quidam, qui tam amplæ tantæque fœcunditatis amœnitatem regionis etiam ſibi prodiderant, in qua volatilia tantum & feræ ſilveſtres inerant & beſtiæ, redigenda ſiquidem faciliter in culturam. Hæc igitur ut audivit nobilis quidam & immodicæ probitatis juvenis *Fergus* filius *Ferehad*, ſive *Ferchardi*, ex antiquorum

proſapia regum progenitus, quod ſcil. acephala gens ſuæ nationis abſque rectore per *Albionis* vaſtas vagando ſolitudines, à *Pictis* ejecta degebat, cordis ob iram candeſcere cœpit. Inſuper & illius commendatione regionis, qua forſan regnare tetenderat, multum allectus eſt; quam qui vidiſſent uberrimam prædicabant, præter quod operiebatur eo tempore condenſis valde nemoribus omnis humus, unde certum nobis & hactenus hujuſmodi patet indicium, cum in locis contigerit & ſæpe planiſſimis, quibus terra fortaſſis effoſſa fuerit, ſeu cavata, ſubterraneæ radices arborum ingentes & trunci reperiuntur, immo quo nuſquam antea ſilvas creviſſe diceres ullo ſigno. His ergo exhortationibus & ambitione regnandi ſtimulatus, magna ſibi juvenum copiam accumulans ad *Albionem* continuo progreſſus eſt, ubi ſegregatos è medio *Pictorum Scotos* accolas, una cum his quos ſecum attulelerat, in occidentalibus inſulæ locando finibus, ibidem ſuper eos Regem primum ſe conſtituit.

XXXV. *Quomodo à gentibus* Pictorum, *&* Scotorum, *Boreales* Albionis *partes prius poſſeſſæ fuerant.*

DUabus autem his gentibus diverſæ nationis vetuſtæ docent Hiſtoriæ poſſeſſam primo fuiſſe *Scotiam,* & earum ingreſſus inibi, nullo vel pauco ſaltem interveniente temporis ſpatio, cum tamen ante *Pictos* quidam volunt regnare *Scotos* multis annis. Sed in hoc etiam, etſi pariter inſulam fuiſſent ingreſſi, nequaquam ideo diſſonant Hiſtoriæ, quia regnantibus continue regibus in *Scotos* à ſuo principio, ducentorum viz. ad minus annorum decurſu, *Picti* non Regibus ſed judicibus uſi ſunt, & quoaduſque *Clementis* unius judicum filius, nomine *Cruchne*, regia violenter arripiens inſignia, regnabat inſuper in hac gente. Et videtur *Bartholomæus*, decimoquinto libro de proprietatibus rerum, velle conjunctos ab initio cum *Pictis* fore *Scotos*, & pariter intraſſe *Galliam Narbonenſem. Bartholus. Pictavia Galliæ Narbonenſis* eſt provincia, quam *Picti* & *Scoti* navigio impetentes antiquitus inhabitaverunt, & tandem regioni & genti de ſua antiqua proſapia nomen in poſterum reliquerunt. Hi de *Britannicis* finibus claſſem facientes oras Oceani circueunt, & fines *Aquitanici* tandem invaſerunt. Deinde non ſine bellorum diſcrimine contra incolas locum in patria obtinentes, *Pictavum* oppidum à *Pictis* nominatum conſtruunt, & longa patriæ confinia *Pictaviam* de cætero vocaverunt. Huic vero nulla favet quam legebam Hiſtoria. *Polumanticus.* Avis Pica vel Picta *Pictavorum* urbi nomen contulit, levitatem gentis & colore & voce præfigurans. *Pictorum* populos volunt quidam, vel à venuſtatis forma, vel eleganti ſtatura corporis vocari *Pictos*, vel à *Picturatis* veſtibus, quaſi præ cæteris circumſitis quadam varietate ſplendidioris amictus & novitate depictos, vel eos forte quia viliſſimos habitu cæteræ gentes deriſorie *Pictos* per antifraſim vocaverunt.

Explicit Primus Liber.

Incipiunt tituli Capitulorum ſecundi Libri.

CAP. I. DE ſitu, longitudine, latitudine, mutationeque nominis hujus *Albionis* inſulæ in *Britanniam* & *Scotiam*.
II. De ſcriptis *Galfridi* diverſis affirmantibus *Britanniam* eſſe diviſam à *Scotia*.
III. De Scriptis *Willielmi Malmesberienſis* & *Bedæ* venerabilis hoc idem affirmantibus.
IV. De ſcriptis etiam eorundem è converſo contrarium affirmantibus, & quod à ſcribis æmulis Hiſtoriæ ſæpius everſæ falſificantur.
V. Sub quo *Bruto* prius *Britones* ad *Albionem* inſulam acceſſerunt.
VI. De diviſione trium regnorum *Britonum* inter filios *Bruti*.
VII. De *Scotia* qualis & quanta ſit vel dudum fuerit.
VIII. De *Scotiæ* regionibus imis & ſummis, & de contentis in eiſdem.
IX. De diviſione gentium *Scotiæ* & linguarum, ac diverſis moribus earundem.
X. De inſulis *Scotiæ* diviſis ab *Orcadibus* Inſulis.
XI. De inſulis *Orcadibus*.
XII. De tempore quo *Ferguſer* filius *Ferechardi*, rex *Scotorum* primus, in *Scotia* regnare cœpit,& armis ejus bellicis.
XIII. De rege *Recher* ejus abnepote, quem *Beda Rendam* vocat.
XIV. De legatis à *Julio Cæſare* miſſis ad reges *Scotorum* & *Pictorum*, ut *Romanis* obedirent hortando.
XV. De reſponſis eorundem regum tranſitoriè *Julio* remiſſis.
XVI. De Repentino *Julii* redditu, propter *Francorum* ſive *Gallorum* iteratam rebellionem ſedendam, & de ſigno lapideo, meta ſcil. ultima *Romanæ* poſſeſſionis ſub circulo.
XVII. De primo *Julii Cæſaris* Imperio qualiterque vi *Romanam* arripuit poteſtatem.
XVIII. Quomodo,ex neceſſitate,*Romanorum* tempora Principum ſcribenda ſunt in hac Chronica, & de quatuor mundi Monarchiis.
XIX. De morte *Julii Cæſaris*, & mirabili vindicta ſuis proditoribus, ut ſpero, divinitus illata.
XX. De tempore ſucceſſionis Imperatoris *Octaviani* nepotis *Julii Cæſaris*, & de viſione ſibi divinitus revelata.
XXI. De Conceptione Nativitateque Domini Noſtri *Jeſu Chriſti*.
XXII. De diverſis accidentibus poſt Incarnationem, & ſucceſſione *Tiberii*.
XXIII. De Paſſione & Reſurrectione *Chriſti*, & diverſis accidentibus.
XXIV. De ſucceſſione *Claudii Cæſaris*, & ejus bello *Britannis* illato, & ſucceſſione *Neronis*.
XXV. Quomodo anno *Claudii* duodecimo, bellum primo *Britannicum* adverſus *Scotos* initium ſumpſit.
XXVI. De bellorum ſævitia *Scotorum* & *Pictorum* contra *Britones*, & ab eis primo conqueſtu regionum *Albaniæ* trans fretum *Scotorum*.
XXVII. De *Moravienſibus* à natali ſolo *Moravia* per *Romanos* expulſis, qui ſe *Pictis* poſtmodum conjunxerunt.
XXVIII. De ſigno quod *Marius*, *Romanarum* legionum dux, ob belli memoriam fieri fecit, & Imperatorum ſucceſſione.
XXIX. De his quæ de *Romanæ* poteſtatis aſcenſu & deſcenſu ſcripſerunt *Oroſius* & *Auguſtinus*, & imperatorum ſucceſſione.
XXX. De ſucceſſione diverſorum Imperatorum.
XXXI. De confœderatione *Fulgentii* ducis *Britonum Albanenſis* cum *Scotis* & *Pictis*.

XXXII. Quomodo imperator *Severus*, ad excludendum *Scotos* & *Pictos* ab invaſione *Britonum*, murum fieri fecit tranſverſus inſulam.

XXXIII. Quomodo fulgentius *Scotorum* fultus & *Pictorum* præſidio civitatem obſidens *Eboracum*, *Severum* occidit imperatorem.

XXXIV. De hoc quod *Beda* ſcripſit de dicto muro civitatis, etiam obſidione ſeu morte ſeveri.

XXXV. De ſancto *Victore* Papa primo, ſub quo *Scoti* ſuſcipere fidem cœperunt Catholicam.

XXXVI. De ignobili ſucceſſione multorum Imperatorum.

XXXVII. De primo motu diſſentionis inter *Scotos* & *Pictos*, tempore *Diocletiani*, vel ante paulo exortæ.

XXXVIII. De conventione *Carauſii* facta cum *Scotis*, & *Pictis*, & Romanorum ejectione prima de *Britannia*.

XXXIX. De ratificatione conventionis ejuſdem, & fœdere per *Carauſium* inter inſulanos *Scotos*, *Britones*, & *Pictos* inito, imperpetuum duraturo.

XL. De proditioſa morte *Carauſii* per adlectum militem, & ejus ad inſulanos exhortatione, ſeu doctrina, quomodo de *Romanis*, vel quibuſcunque cæteris adverſantibus tranſmarinis, ſemper ſe defenderent.

XLI. De ſucceſſione *Galerii* & *Conſtantii* Imperatorum, & bello conſtanter contra *Scotos* & *Britones Albanenſes*.

XLII. De ſucceſſione magni *Conſtantini* imperatoris, & ejuſdem avunculo *Thraherii* per *Scotos* & *Britones* occiſo.

XLIII. Quomodo *Octavius* rex *Britonum* tripharias inſulæ gentes, videlicet, *Scotos*, *Britones*, & *Pictos*, ad unitatem pacis reduxit, ut olim *Carauſius*, & de ſucceſſione filiorum *Conſtantini*.

XLIV. Quomodo *Conanus* nepos *Octavii Scotos* & *Pictos* bellando duxerat contra tyrannum *Maximum*, *Conſtantini* magni conſanguineum, qui *Maximus* poſtmodum ſimulata pace *Pictos* à *Scotis* callide ſeparaverat.

XLV. Quomodo *Britones* cum *Pictis*, duce *Maximo*, *Scotos* à regno dejecerunt.

XLVI. De tranſlatione reliquiarum beati *Andreæ* Apoſtoli per *Conſtantinum* Imperatorem de civitate *Patras* ad *Conſtantinopolim*.

XLVII. Quomodo Angelus Domini beatum Abbatem *Regulum* cum ſociis mandaverat, ut accepta parte reliquiarum Boreales adire mundi partes non tardaret.

XLVIII. Quomodo beatus *Regulus* ſociique ſui cum reliquiis naufragi primo *Scotiam* advenerunt, tempore regis *Pictorum Hurguſt*.

XLIX. Quomodo *Maximus* poſtquam *Scotos* ſeparatos à *Pictis* bello contriverat, & ipſos etiam ſubegit, & de ſucceſſione Imperatorum.

L. De præſumptione *Maximi* contra *Romanum* Imperium, & ejus interitu. Ac de *Conano*, cui regnum tradidit *Armoricum*, quod de cætero minor *Britannia* vocatum eſt, & Imperatorum ſucceſſione.

LI. De Chriſtianiſſimis actibus Imperatorum *Theodoſii Senioris*, & ejuſdem uxoris *Placellæ*.

LII. Quomodo mortuo tyranno *Maximo Scoti* regnum ſuum recipere cœperunt, & de ſucceſſione Imperatorum.

Expliciunt tituli Capitulorum Libri ſecundi.

Incipiunt Capitula Libri Secundi.

Cap. I. *De ſitu longitudine, latitudine, mutationeque nominis, hujus* Albionis *inſulæ in* Britanniam & Scotiam.

TOtius namque peregrationis *Scotorum* ambitu, de gente viz. in gentem, de regno ad regnum ſiquidem alterum utcunque tranſcurſo, cum eorum tandem modernæ ſedis in Dei nomine perveniatur ad patriam, cui nomen ſecundum ſcribas *Albion* erat antiquitus; de ſui nominis varia mutatione, propter novæ nationis adventum ipſam crebro ſuperantis, ac de hoc ſitu regnorum ejus marginibus, procedat ulterius ſermo brevis. *Albion* enim Oceani quædam eſt inſula, ſitus hujus in *Europa*, ſub Circio, quæ per longum à Meridie primo tendens verſus Aquilonem, deinde curvam quaſi formam aſſumens quodammodo vergit in Vulturnum. Auſtrales quidem ejus & mediæ regiones *Hyberniam* habent Inſulam ab Occidente, Boreales vero contra Polum Arcticum, Oceano patent infinito. Habet etiam *Iſlandiam* à Borea, ſic & Vulturno *Norguegiam.* Ab Oriente *Daciam.* Ab Euro *Germaniam* vel *Almanniam.* A Notho quidem *Hollandiam* & *Flandriam.* Ab Auſtro ſiquidem & Africo *Galliam,* cum ſuis provinciis; ac *Hiſpaniam* à Zephiro, quibus Oceani maris undique nunc majore jacet intervallo, nunc minori circumſepta. Longitudinis quoque paſſuum eſſe traditur octingentorum millium, ſeu paulominus. Tranſverſo vero Latitudinis quibuſdam locis ampliſſimis ducentorum, quibuſdam aliis multo ſtrictior. Nam in ſui pene medio milliaria tantum ſexaginta quatuor ab Oceano tenet ad Oceanum; ubi magnis eſt adeo perfuſa fluminibus, quod præter aſperos terræ meabilis amfractus ſpatio millium viginti duorum paſſuum, interſitis nemoribus, arbuſtis, ac paludibus, eorum ferme capita contrahuntur. Unde fit quod ex hujuſmodi magnorum hinc inde fluminum influentia, quamvis adinvicem non plene contingant eam, in duabus quaſi diviſam inſulis nonnulli ſcripſerunt Hiſtorici, ſicut per hæc quæ ſequuntur ſcripta clarius apparebit. Hæc igitur *Albion* inſula poſt Gigantes, obmiſſo nomine primo, duobus conſequenter nominibus ſecundum has duas diviſiones, *Britannia* viz. & *Scotia,* fruebatur. *Primi quidem ejus* accolæ partis Auſtralis fuerunt *Britones,* à quibus, quia per eos ſuæ primo cultæ fuerant regiones, vocabulum habuerunt *Britanniam,* Aquilonalis itaque partis regiones advenas primos habebant *Pictos* & *Scotos,* quibus ſimiliter à *Scotis* poſtmodum *Scotia* nomen inditum eſt.

II. *De ſcriptis* Galfridi *diverſis affirmantibus* Britanniam *eſſe diverſam à* Scotia.

HÆC autem iſtorum diviſio primitiva regnorum & antiqua ſcriptis multorum roboratur. *Galfridus Monumetenſis,* peculiaris *Britonum* Hiſtoricus, in ſua Chronica ſic inſcripſit; Rex *Britonum Leyl,* dum proſperitate regni uſus eſt, urbem in Aquilonali parte *Britanniæ* de ſuo nomine *Karleyl* vocatam ædificavit. Urbs autem illa *Karleyl*, in parte revera Boreali *Britanniæ* conſtat, ſed in *Albionis* Boreali nequaquam, quia ſui pene medio ſituatur. *Idem Galfridus. Belinus* Rex ambiguum legi ſuæ auferre volens, juſſit viam ex cæmento lapidibuſque fabricari, quæ Inſulam in longitudinem ſecaret. Quæ quidem ſtrata via ſive foſſa non amplius, in rei veritate, quam ad maris *Scotici* litus protenditur, nam ejus veſtigium patet hactenus, nec ab intuentium delebitur viſibus in futurum. *Idem Galfridus. Severus* par-

tem illam *Britanniæ*, quam ſubjugare nequivit, diris debellationibus in *Scotia* trans *Albaniam* fugavit. *Idem Galfridus.* Timentes autem *Aurelium Saxones* ſeſe *Trans Humbrum* in *Albaniam* receperunt, vicinitas enim *Scotiæ* tutelam eis adhibuit, qui in omne damnum civium *Britanniæ* conſueverant imminere. *Idem Galfridus.* His igitur à *Cadwallone* regibus interfectis ſucceſſit *Oſwaldus* in regnum *Northumbrorum*, quem *Cadwallo* poſt cæteros inquietatum in provinciam uſque ad murum, quem *Severus* Imperator olim inter *Britanniam* & *Scotiam* conſtruxerat, fugavit. *Idem* in libri ſui proemio *Britanniam* de ſuis fluminibus commendans ait. Porro *Britannia* piſcoſis fluviis eſt irrigua, nam abſque meridiano plagæ freto, quo navigatur ad *Gallias*, tria nobilia flumina, *Thamenſem, Sabrinum*, & *Humbrum*, velut tria Brachia extendit, quibus tranſmarina commercia ex diverſis nationibus eidem deferuntur. Quod igitur nomine plura ſunt in *Albione* famoſa flumina verum, ſi totam *Albionem Britanniam* diceret, flumina *Scotiæ*, quæ multo ſupradictis ampliora ſunt fluviis, piſcoſiora meliora, necnon utilitatibus cunctis fœcundiora, ſilendo minime tacuiſſet, ſicut flumen de *Forth*, quod & auſtrale dicitur fretum vel mare *Scoticum;* flumen *Esk*, quod dicitur *Scotiſwath*, ſive *Sulwath.* Flumen itaque de *Clyde.* Flumen etiam de *Tay.* Et flumen Borealis freti, *Cronibathy*, quod propter ſuæ firmitatis excellentiam à nautis *Zikirſorant* nomen habet. Et præter hæc alia plura, quæ fluminibus *Britanniæ* ſuperius dictis conchelinis ſunt & marinis piſcibus, etiam aquæ dulcis, utiliora nautis; itaque procellis Oceano periclitantibus incomparabili refugio tutiora.

III. *De ſcriptis* Wellielmi Malmesberienſis & Bedæ *venerabilis hoc idem affirmantibus.*

Willielmus itaque Malmesberienſis, verus *Anglorum*, ut aiunt, & inſuſpectus Hiſtoricus, non omnem *Albionem* dici velit *Britanniam*, immo territoria tantummodo *Britonum*, *Britanniam*, quaſi *Britonum* terram, ſive quas ipſi regiones regnando coluerunt etiam per ſe velut inſulam à *Scotia* diviſam, ſuas tradit aperte per ſcripturas. *Willielmus. Saxones* navigio gentes *Orcadum* cum *Scotis* & *Pictis* pari ærumna involventes, in Aquilonali parte inſulæ, quæ nunc *Northumbria* dicitur, & tunc & deinceps inſedere; ultima pars inſulæ *Britanniæ* verſus Boream eſt *Northumbria. Idem Willielmus.* Vir venerabilis *Beda*, quem mirari facilius qua indigne prædicare poſſis, in remotiſſima *Britanniæ* plaga, territorio viz. Monaſterii quod eſt apud *Weremuth*, locum nativitatis & educationis habet *Scotiæ* propinquum; igitur remotiſſima & eſt. Sanctus *Cuthbertus*, ut in ejus habetur hiſtoria, lecto vigilanti *Alfredo* regi apparuit dicens, juſtitiam de cætero diligas & judicium, quia me impetrante totius imperium *Britanniæ* tibi conceditur: nec multo poſt imperium quod Sanctus prædixerat obtinuit. Sed quale poſtea rex imperium obtinuit *Willielmus* idem deſcribens ait, *Alfredus* totam Angliam præter id quod *Dani* habebant animo ſuo ſubdiderat. *Beda.* Exinde cœperunt per plures dies de *Scotorum* regione venire *Britanniam*, & *Anglis* verbum dei prædicare. *Idem Beda.* Interea *Colmannus* Epiſcopus, qui de *Scotia* erat, relinquens *Britanniam* ad *Scotiam* reverſus eſt. Deinde ſeceſſit ad inſulam non procul ab *Hybernia* ſecretam. *Idem Beda.* Occiſus eſt autem Sanctus *Oſwaldus*, juxta murum, quo *Romam* ob arcendos Barbarorum impetus totam à mari ad mare præcinxerunt *Britanniam. Tholomæus. Scotia* regnum promontorium eſt, montibus & maris brachiis à *Britannia* ſeparata, mores habet & linguam modumque vivendi ab *Anglicis* omnino diſtinctum: regio quidem *Hyberniæ* per omnia conformis. *Bartholomæus. Anglorum* progenies *Britanniam* inſulam poſſidet. *Idem. Britannia*, quæ nunc dicitur *Anglia*, eſt inſula contra

proſpectum

proſpectum *Galliæ*, &c. *Idem.* A *Bruto* dicitur *Britannia*, ſed tandem ab *Anglicis* ipſam obtinentibus vocata eſt *Anglia.*

IV. *De ſcriptis etiam eorundem è converſo contrarium affirmantibus, & quod à ſcribis æmulis Hiſtoriæ ſæpius everſæ falſificantur.*

HÆC autem & alia ſiquidem innumera ſcriptis eorundem reperta, *Scotiam* aſtruunt à principio ſeparatam à *Britannia*, licet è contrario quibuſdam eorum ſcriptis omnis *Albion* vocari *Britannia* dinoſcatur. Unde primo *Beda. Britannia* Oceani eſt inſula, cui quondam *Albion* nomen fuit, per millia paſſuum octingentorum longa. Et hæc revera totius eſt *Albionis* longitudo. *Idem Beda.* Denique duabus gentibus tranſmarinis vehementiſſimis, *Scotorum* à Circio, *Pictorum* ab Aquilone, *Britannia* multos gemuit per annos. Tranſmarinas dicimus has gentes, non quod extra *Britanniam* eſſent poſitæ, ſed quia à parte *Britonum* erant remotæ. *Galfridus. Britannia* quidem inſularum optima, in Occidentis Oceano ſita, milliaria tenet in longitudine octingenta. *Idem Galfridus. Albanactus* filius *Bruti* poſſedit patriam, quæ noſtris temporibus *Scotia* vocatur, cui nomen ex nomine ſuo dedit *Albaniam. Auctor.* Nunquid hæc omnino differre videntur à præcedentibus? immo differunt: ſed neque ſuper his vel illis fixum Hiſtoriæ ſermonem retinent; quin & eiſdem varia variis contraria ſæpius intermiſcentur etiam, ut eodem quandoque capitulo quædam inſint ſibimet clauſulæ diſſonantes. Et licet hujuſmodi ſane crebra diſcrepatio reperta ſit Chronicis, ipſarum peritis, immo ſanctis, nullatenus eſt auctoribus imputanda, qui caute ſuis originalibus immobili ſtylo conſonas quippe veritati ſcripſerunt Hiſtorias. Sed ſcribis potius æmulæ nationis, quorum invidia quædam omnino Chronicæ, ne regnorum confinium vigeat auctoritas, evertuntur, pejorantur, & violantur, ac indiſcrete ſæpius adeo mutantur, ut unius videatur aſſertio capituli ſenſum alterius adnullare: Verum quicquid hujuſmodi variæ definitionis finium *Britanniæ* ſcriptorum vitio reperiantur Hiſtoriis, vulgaris opinio moderni temporis omnem *Albionem* à *Bruto*, qui præter Auſtrales ejus regiones cultura redegerat, dici velit *Britanniam*, velut ab *Agenoris* filia dudum *Europa* mundi pars tertia nomen accepit æternum, licet illius exigua parte Dominium prima tunc temporis excoluerit.

V. *Sub quo Bruto prius Britones ad* Albionem *inſulam acceſſerunt.*

IGitur primo *Scotorum* illic introitu ſuperius utcunque digeſto, reſtat jam ut *Britonum* acceſſus ibidem ſecundum diverſas Hiſtoricorum traditiones ſub compendio declaretur. Incoluerunt ergo *Britones Albionem* inſulam prius ſub duce quodam *Bruto*; ſed quis fuerit ille *Brutus* cujuſve ſit generis non omnes conſentiunt Hiſtorici. Nam quidam à *Bruto* duce *Trojani* generis ſuiſque ſequacibus *Britanniam* eſſe vocatam volunt & populatam, ſicut à *Galfrido* ſibique faventibus traditum eſt. Etiam à *Bruto* quodam *Iſichionis* filio primogeniti ducis *Alanii* quidam *Britones* aſſerunt nuncupatos. Erat enim *Alanius* de genere *Japhet*, qui primus mare mediterraneum tranſiens cum tribus filiis, *Iſichyon*, *Armenon*, & *Negno*, pervenit ad *Europam*, à quibus exortæ ſunt, ut dicitur, gentes quatuor, viz. *Latini, Franci, Alemanni* & *Britanni.* Quidam itaque *Britones* ab eorum conditione ſilveſtri, Latinè *Britones*, quaſi brutos homines, ſicut à ferocitate *Francos*, denominari volunt, quibus & favet *Iſidorus.* Nonnulli ſiquidem ingenio veterum derogantes à *Bruto* conſule *Romano* vocabulum dedere *Britonibus.* Nos verumtamen, obmiſſis cæteris minus notis aſſertionibus, notioris nobis paginæ ſcriptis fidem adhibentes,

bentes, & in hoc ſectantes *Galfridi* Chronicam, ab ipſo *Bruto*, qui fuit filius *Silvii*, filii *Aſcanii*, filii *Æneæ*, de *Troja* profugi, cujus pater *Anchiſes* filius *Troii*, filii *Dardani*, congruum de *Britonibus* noſtræ ſumamus initium relationis.

VI. *De diviſione trium Regnorum* Britonum *inter filios* Bruti.

IDem vero filius, patre vivente, de nobili familia, nepte viz. *Laviniæ* Reginæ, genuit *Brutum*, quia ſicut per hunc patet verſum, natus eſt ab origine mundi. *Mille quater Deca tres ſit Adam Bruto prior annis.* Hoc eſt octingenteſimo XLVIII. tertiæ ætatis anno. Ex *Italia* quidem exivit *Juvenis* annorum quindecim, & in *Albionis* regnare cœpit provinciis Auſtralibus, annorum ætatis triginta quinque. Genuit igitur idem *Brutus* ex uxoris filia *Pandraſi* regis *Græcorum* tres filios, quibus impoſita ſunt hæc nomina, *Locrinus*, *Albanactus* & *Camber*. Qui poſtquam viginti quatuor annis regnaverat mortuus eſt, & ſepultus à filiis in urbe *Londonienſi*. Poſt cujus obitum filii Regnum prius, quod ab eo ſuiſve *Britonibus* eſt dicta *Britannia*, diviſum in tribus inter ſe Regnis partiti ſunt, limites cuilibet & vocabula de ſuis nominibus imponentes, *Locria* vero *Locrini* Regnum, ad Meridianam Inſulæ plagam, *Cotonenſe* ſcil. litus incipiens, ad *Humbri* flumen verſus Boream, & ad amnem de *Tharent* finem habet. *Cambria* deinde fratris quoque *Junioris Cambri* regio connexa *Locriæ* regno. Jacet non ad Auſtralem ejus finem, ut quidam autumant, neque Borealem, ſed ad ipſius latus occiduum, ab eo montibus marique *Sabrino* diviſa, quaſi collateralis ei verſus *Hyberniam* ex oppoſito. *Albania* ſiquidem regnum *Albanacti*, tertia regio regni *Britonum*, ad idem *Humbri* flumen & gurgitem amnis de *Tharent* habens initium, in fine Boreali *Britanniæ*, ſicut ſuperius eſt expreſſum, terminatur. Hujus autem *Albaniæ* regionis provincias, quæcunque fuerint, quæ ſunt inter *Humbrum* & mare *Scoticum*, olim *Britones* dominio tantum, & nihil unquam poſſeſſionis in *Albione* verſus Boream, habuerunt. His ex introitu *Britonum* ad hanc inſulam, & ambiguitate diviſionis finium regnorum ejus ita peractis, modo ſupereſt ut *Scotorum* regio *Scotia*, quam modernis *Albaniam* dici placeat, qualis & quanta ſit, ſeu dudum fuerit, propaletur.

VII. *De* Scotia *qualis & quanta ſit, vel dudum fuerit.*

SCotia quidem à *Scotorum* gentibus quibus incolitur appellatur. Ad fretum quoque *Scoticum Scotia* prius initium ſumpſit, ab Auſtro deinde quidem ad *Humbri* flumen, à quo cœpit exordium *Albania*. Poſtmodum vero juxta murum incœpit *Thirlwal*, quem *Severus* extruxerat ad amnem *Tynam*. Modo quidem ad amnem *Tweden* incipit, à finibus *Angliæ* Borealibus, & in longum per quadringenta vel paulominus milliaria verſus æſtivum protenſa Circium, & in freto *Perthtlandiæ*, quo formidabilis & dira Caribdis, aquas bibit & vomit omnibus horis, terminatur. Terra quoque fortis, & progreſſus difficilis ac laborioſus. Eſt namque regio quodammodo promontoria, quodammodo depreſſa ſive plana. Nam à fine per medium ejus uſque finem, ut *Alpes* altiſſimi per *Europam*, ſic montes protenduntur excelſi, qui *Scotos* dudum à *Pictis*, & eorum ab invicem regna ſeparabant. Inpertranſibilis quidem equitibus, niſi perpaucis in locis, & tamen propter in eis continuas nives, excepto ſolum æſtatis tempore, perdurantes, tamen propter altiſſimorum præruptos rupium ſcopulos, tamen propter eorum medio concavitates profundas, peditibus extant vix meabiles. Quorum vero montium circa

radices

radices nemora ſunt ingentia, cervis, damulis, aliiſque feris ſilveſtribus diverſi generis, & beſtiis referta, quæ contra prædationes hoſtium pecudibus incolarum firmas multotiens & tutas adhibeant munitiones. Habent autem, ut aiunt, illarum armenta partium ex uſu conſuetudinem, ut quandocunque virorum clamores audiant vel mulierum, ac ſi confeſtim rimarentur canibus, currendo gregatim ſilvas petunt. Fontes autem ex declivis montium jugis & collibus quamplurimum prorumpentes ebulliunt: & inter ripas ad ima florigeras quam dulci ſonitu rivulis ſcaturiunt criſtallinis: ex ipſis vero per vallium planities condeſcendentibus amnes multi naſcuntur, ac etiam ex illis magna flumina, quibus *Scotia* mirifice præ cæteris abundat, quorum in oſtiis quo maria repetunt, portus habet nobiles & ſecuros.

VIII. *De* Scotiæ *Regionibus imis & ſummis, & de contentis in eiſdem.*

REgiones quoque maritimas ſatis planas & uberes habet, virides campos habentes ac agros fertiles & frugiferos, frumentarios, & hordeaceos, fabis, piſis, ac cæteris quibuſque frugibus aptos; vini tamen expertes & olei, ſed mellis & ceræ nequaquam. Sed & in ſummis & ſecus montana provinciis, agri frugibus, exceptis avenis tamen & hordeo, ſunt minus habiles. Rura multum ex moris ibidem ſunt tetra, paluſtribus arvis, luteis & ſqualoſis conſperſa; paſcuoſa tamen armentorum herbagiis, & juxta decurſus aquarum virore convallibus ſunt decora. Regio namque lanuginoſis ovibus eſt ac equis abundans, cujus tellus herboſa, pecudem altrix & ferarum, lactis & lanæ dives, piſcibus marinis fluvialibus & lacualibus multiplex opulenta. Multimodis etiam volatilibus eſt inſignis. Falcones ibi nobiles altiſſimi volatus & animoſitatis egregii ſunt, & accipitres audacitate maxima præſtantes. Ibi lapis marmoreus bini coloris ſeu trini, niger viz. varius & candidus, & Alabaſtrum reperitur. Ferrifodiis & Plumbicidiis, cujuſlibet etiam pene metalli, ſatis habilis: *Erodotus. Scotorum* regio quoad humi fertilitatem nemorum amœnitatem, fluviorum ac fontium irriguitatem, gregum omnium ac jumentorum multiplicitatem, ubi litus gaudet cultoribus, nec etiam ipſi ſolo *Britannico* impar eſt. *Iſidorus. Scotia* quantum ad aeris & cœli ſalubritatem eſt regio valde temperata; modicus ibi caloris æſtate vel nullus exceſſus, aut hyeme frigoris; & eadem omnia ferme de *Scotia* quæ de *Hybernia* deſcripſit. Solſtitio quidem æſtivo *Scotia* longiſſimos dies octodecim horarum habet, vel amplius; hyemali vero breviſſimos non plene ſex; cum in inſula *Meroe*, quæ caput eſt *Æthiopum*, dies ſit longiſſimus horarum duodecim, in *Alexandro Ægypti* tredecim, in *Italia* quindecim. In inſula vero *Tyle* ſex menſibus æſtivalibus dies continuus eſt, & iterum ſenis menſibus brumalibus etiam nox continua.

IX. *De diviſione gentium* Scotiæ *& linguarum, ac diverſis moribus earundem.*

MOres autem *Scotorum* ſecundum diverſitatem linguarum variantur, duabus enim utuntur lingius, *Scotica* viz. & *Teutonica*, cujus linguæ gens maritimas poſſidet & planas regiones, *Scoticæ* vero linguæ montanas inhabitat & inſulas ulteriores. Maritima quoque domeſtica gens eſt & culta, fida, patiens & urbana, veſtitu ſiquidem honeſta, civilis atque pacifica, circa cultum divinum devota, ſed & obviandis hoſtium injuriis ſemper prona. Inſulana vero ſive montana, ferina gens eſt & indomita, rudis, & immorigerata, rapta capax, otium diligens, ingenio docilis & callida, forma ſpectabilis, ſed amictu deformis, populo quidem *Anglorum* & linguæ, ſed & propriæ nationi

tioni propter linguarum diverſitatem infeſta jugiter & crudelis. Regi tamen & regno fidelis & obediens, necnon faciliter legibus ſubdita, ſi regatur. *Solinus* Hiſtoricus mores primævæ *Scotorum* gentis deſcribens ait. Inhumano ritu gens *Scotica* ſemper aſpera fuit & bellicoſa. Namque dum eis naſcerentur maſculi, patres cibum eis mucronis cuſpide primum offerre ſolebant, ut non aliter mortem quam in armis, pro libertate bello perire deſiderent; & cum adulti deinde fuerint, & ad bellandum habiles, interemptorum ſanguine prius hauſto victores vultus ſuos obliniunt: liberalis enim gens eſt, victu parca, animo ſæva, vultu ferox & torva, affatu aſpera, erga ſuos tamen affabilis & benigna, dedita ludis & venationibus & otio potius quam labori. *Iſidorus*. *Scotica* gens ea ab initio eſt quæ quondam in *Hybernia* fuit, & ei ſimilis per omnia, lingua, moribus & natura. Nam gens eſt levis, animo ferox, ſæviens in hoſtes, tantum fere mortem diligens, quam ſervitutem, in lecto mori reputans ſegnitiem, interfici campo per hoſtes ut interficiat, gloriam arbitrans & virtutem, gens parci victus, famemque diutius ſuſtinens, & raro ante ſolis occaſum ſe ſuper cibum effundens. Carnibus & lacticiniis eſt contenta. Et cum ſit à natura populus ſatis elegantis figuræ generaliter, & faciei pulchræ, multum eos tamen deformat proprius habitus.

X. *De inſulis* Scotiæ *diviſis ab* Orcadibus *Inſulis.*

A Tergo quoque *Scotia* multas habet utriuſque quantitatis inter ipſam & *Hyberniam* inſulas, ab *Orcadum* inſulis interjacente magno freto ſeſparatas, quarum hæc ſunt quædam nomina quæ ſequuntur. Eſt enim ab Auſtro prius incipiens inſula, quæ dicebatur antiquitus *Eubonia*, modo quoque *Marina*. Cujus regulus Domino ſuo regi *Scotiæ* galeas piraticas, quotiens opus fuerit, præter alia ſervitia regia providebat. In qua ſedes eſt Epiſcopalis *Sodorenſis*. Inſula *Arane*, ubi duo ſunt caſtra regalia, *Brethwik* & *Lochranſay*. Inſula *Helantina Layſche*. Inſula de *Rothiſay*, ſive *Bothe*, & ibi caſtrum regale pulchrum & inexpugnabile. Inſula *Combrey* major, dives & magna. Inſula *Combray* minor, inſignis venatui, paucos igitur habet incolas. Inſula *Bladay*. Inſula *Inchmernok*, & ibi cella Monachorum. Inſula *Awyne*, ubi capella ſancti *Anniani*, ibique pro tranſgreſſoribus refugium. Inſula *Rachryn*, ſex milliaribus tantum diſtans ab *Hybernia*. Inſula *Gya*. Inſula *Helant Naicarmyk* & ibi refugium. Inſula magna quæ dicitur *Ile*, ubi dominus inſularum duas habet manſiones, & caſtrum *Domanowalk*. Inſula *Helanttexa*, ibique cella Monachorum. Inſula *Colonſey*, & ibidem abbatia regularium Monachorum Canonicorum. Inſula *Dura*, viginti quatuor milliaribus longa, cujus pauci ſunt incolæ, quia venationibus multum apta. Inſula *Starbay*, longitudinis quindecim milliarium, ubi capella beatæ Virginis, qua multa fiunt miracula. Juxta quam gurges Oceani decurrit fortiſſima *Corebrekane*. Inſula *Linguay*. Inſula *Luyng*. Inſula *Svnay*. Inſula *Selee* major. Inſula *Selee* minor. Inſula *Hellan Leneow*, eſt inſula *Scotorum*, & ibi refugium. Inſula *Garboleane*, juxta magnum caſtrum de *Donquhonylie*, diſtans ab aliis inſulis ſex milliaribus in Oceano. Inſula *Mule*, ibi duo ſunt caſtra, ſcil. *Domandoward* & *Domanarwiſe*. Et à *Mule* per quatuor milliaria diſtans in mari, fortiſſimum extat caſtrum *Carnebrog*. Inſula *Hycolumbkille*, ubi duo Monaſteria ſunt, unum Monachorum, aliud Monialium, ibidem itaque refugium. Inſula Sancti *Kenethy*, cujus ibidem eſt Eccleſia Parochialis. Inſula *Kerneras*. Inſula *Liſmoree*, ibi ſedes Epiſcopalis eſt *Ergadiem-Liſmorenſis*. Inſula *Coel*. Inſula *Tyree*, qua turris eſt fortiſſima, etiam hordei magna copia. Inſula *Hellantinok*, i. e. inſula *Porcorum*. Inſula *Barraye*, & ibi cella Sanctæ Trinitatis. Inſula *Vyſt*, ubi maxima de cetis cæteriſque belluis marinis habetur abundantia, & ibi caſtrum de *Berwewil*. Inſula *Ruernie* ſilveſtris & montana, venationi-

bus apta, paucos etiam habens incolas. Inſula *Fuleay*. Inſula *Aſſek*. Inſula *Sky*. Inſula *Lewis*. Inſula *Hirth*, omnium inſularum fortiſſima. Juxta quam eſt inſula quædam viginti milliarium longa, qua dicitur oves ineſſe ſilveſtres, quæ non præter à venatoribus capiuntur. Inſula *Tyreym*. Inſula *Thorſat*, & ibi turris eſt fortiſſima. Inſula *Stromeay*. Inſula *Durenys*, & ibidem æſtatis ſolſtitio ſol per noctem viſus eſt non lucens ſed quaſi caliginem pertranſiens. Has habet *Scotia* ſupradictas & plures alias Inſulas, ad Occidentis ſui limites inter ipſam & *Hyberniam* mari ſparſim ſituatas, quarum ſub æſtivo Circio quædam infinitum reſpiciunt Oceanum. Unde ſub hac *Scotiæ* plaga mundus ut creditur habitabilis finem habet.

XI. *De inſulis Orcadibus.*

SUnt etiam inſulæ *Pomoniæ*, quæ dicuntur *Orcades*, ad finem *Scotiæ* Borealem, inter eam & *Norguegiam* Oceano ſitum habentes, & à prædictis inſulis, ut ſuperius dicitur, æquore non modico disjunctæ, quamvis & has & cæteras inſulas quidam velint *Orcades* appellari. Dicuntur autem *Orcades* à *chorein Græce*, quod eſt recipere; quia ibidem Oceani Scylla ſive Charybdis aquas maris continue recipit, & refundit, de quibus ſcripſit *Iſidorus* dicens, *Orcas* eſt inſula juxta mare *Britannicum*, à qua conterminatæ traxerunt inſulæ nomen *Orcades*, & ſunt in numero triginta tres, quarum viginti deſertæ ſunt & tredecim incoluntur. Sed revera, ſi cum ipſis *Orcadibus* cæteras *Scotiæ* connumeremus inſulas, cultas viz. & incultas, plures reperientur quam ducentæ; modernis namque temporibus *Orcadum* inſulæ quadraginta cultæ ſunt & plures. Igitur ut earundem inſularum differentia liquidius pateat, *Orcadum* itaque nomina conſequenter inſcripta ſunt. Inſula major earum *Pomonia* dicitur, vel *Orcadia*. Inſula *Revaldiſay*. Inſula *Papey* major. Inſula *Papay* minor. Inſula *Stromiſay*. Inſula *Sanday*. Inſula *Onſkery*. Inſula *Ethcay*. Inſula *Stromeholme*. Inſula *Weſteray*. Inſula *Fereay*. Inſula *Egliſay*. Inſula *Rolliſay*. Inſula *Were*. Inſula *Inhelaw*. Inſula *Goriſay*. Inſula *Swynay*. Inſula *Scalpadiſay*. Inſula *Heleneholm*. Inſula *Colbanyſay*. Inſula *Lamholm*. Inſula *Glonuſholm*. Inſula *Borowray*. Inſula *Ronaldiſay*. Inſula *Flatay*. Inſula *Swynay* minor. Inſula *Grymiſay*. Inſula *Ryſaymor*. Inſula *Swytay*. Inſula *Wawis*. Inſula *Hoy*. Inſula *Fareay* minor. Inſula *Calſay*. Inſula *Calf* de *Flataye*. Inſula *Pentlandiskery*. Inſula *Sowliskery*. Inſula *Borch* de *Briſay*. Inſula *Borch* de *Dernes*. Inſula *Papay* tertia.

XII. *De tempore quo* Ferguſius *filius* Ferethardi *rex* Scotorum *primus in* Scotia *regnare cœpit, & armis ejus bellicis.*

AD hanc inſulam *Albion* memoratus adveniens *Fergusius*, *Scotorum* primus rex in ea creatus eſt, quibus & ipſe datis legibus & ſtatutis, ab Occidentali quidem Oceano regnum, & ab inſulis uſque dorſum *Albaniæ* dilatans, limites ibidem inter regna conſtituit: nam orientalis Oceani regnum *Picti* coluerunt. De regni quoque principio dicti regis & armis bellicis ſic habentur.

Albion *in terris rex primus germine* Scotis.
Ipſorum turmis rubri tulit arma leonis.
Fergusius *fulvo* Ferthard *rugientis in arvo*
Chriſtum trecentis ter denis præfuit annis.

Hoc vero tempore, viz. anno ætatis quintæ CCLV. magnus *Alexander* patri *Philippo* ſuccedens, anno regni ſui poſtea ſexto *Darium* regem *Perſarum* interfecit, atque *Babyloniam* obtinuit: per idem itaque tempus apud *Romanos Lucius Papirius* dictator effectus. Adeo tunc, ut ait *Eutropius*, inter bellicoſiſſimos urbis millites habebatur, ut cum diceretur *Alexandrum* in *Italiam* tranſgredi, *Romani* inter cæteros duces hunc eligerent

 præcipue,

præcipue, qui bellis ſuſtineret impetum *Alexandri. Hiſtoria beati Congalli.* Deinde poſt multum tempus venit quidam rex ex *Hybernia* nomine *Ferguſius*, filius *Ferethardi*, regalem in *Scotia* ſecum deferens cathedram marmoreo lapide deciſam, in qua primus ibidem Rex à *Scotis* coronatus eſt. Cujus exemplo ſuccedentes poſtmodum in regno cæteri reges eadem cathedra rite coronam ſuſceperunt. Hanc quoque cathedram *Symonbrec*, ut ſupradictum eſt, primus attulit ad *Hyberniam.* Poſt cujus vero Regumque quorundam aliorum deceſſum, abnepos ejus *Renther*, quem *Beda Rendam* vocat, ad regimen Regni *Scotorum Albionenſium* ſuccedens, ſui Regiminis temporibus indefeſſo labore regionis limites protendere ſtuduit: nam & aliquas *Pictorum* Regni partes adduxit ſollicitus ſuo regno. Inſuper nec arridentis ei tam felicis fortunæ dono contentus; immo prorogandi Regni fines aviditate nimia deditus, appoſuit etiam & ex terris *Britonum* quaſdam extremi limitis provincias verſus Boream ſuo dominio ſubjugare.

XIII. *De rege* Rether *ejus abnepote, quem* Beda Rendam *vocat.*

REX igitur *Rether* in manu forti copioſam hominum ex *Hybernia* conducens multitudinem, cum *Scotis* inſulanis & *Albaniæ* terras habitantibus, partes *Britonum* aggreſſus eſt. Ubi procurſu modici temporis cum ſuis reſidens, parti cuidam regionis, qua fixit tentoria de nomine ſuo *Retherdale*, hoc eſt, vallis, ſive pars *Rether*, Anglicè *Riddeſdale*, inditum eſt nomen hodiernum. Ipſum tamen quidam à *Britonibus* eorum partes deprædantem eadem valle referunt occiſum, & hoc exinde vocabulum habuiſſe. Sub hoc autem rege ſecundus ex *Hibernia Scotorum* adventus ad *Albaniam* perfici legitur. Nam omnes ferme, quos in auxilium inde vocaverat, ultro ſibi facta fide, *Scotis* adjuncti ſunt *Albanenſibus*, nec unquam de cætero reverſuri. *Beda. Scoti* vero duce *Renterha* de *Hybernia* progreſſi, vel amicitia vel ferro inter *Pictos* ſedes quas hactenus habent vendicarunt. Dum idem utique regnaret Rex, inter ſuos tam inſulanos quam terrigenas *Scotos* & *Pictos* reparata pace, firmiſſimum communionis fœdus caute compoſuit, ut cujuſque gentis alienæ bellorum inſultibus unanimi voto conjuncti de cætero ſimul reſiſterent ſimiliter & impeterent, cum contigerit. Quodque fœdus diu poſtea variis conjugiorum alternative confectis nexibus, & ob amicitiam mutuæ dilectionis inter eos eorumque ſoboles perpetrandam multimodis hinc inde donariis firmatum eſt.

XIV. *De legatis à* Julio Cæſare *miſſis ad reges* Scotorum & Pictorum, *ut* Romanis *obedirent hortando.*

POrro modeſta pace *Scoti* concordes effecti cum *Pictis*, ſuorumque Regnorum limitibus ambo contenti multo ſequenti tempore regnabant, nullam alterutris moleſtiam, ſeu quicquid injuriæ conferentes. Fuerunt ſiquidem eo tempore reges Monarchæ *Britonibus*, qui gentes undique circumſitas bellis nequaquam injuriando vexabant; ſed omni manſuetudinis clementia cunctis concordiam utrobique conſervarunt. Tali namque pacis concordia dum cunctæ ſub Circio gentes potirentur inſulanæ, *Gaius Julius Cæſar*, poſtquam ponte facto *Renum* tranſiens totam perterruiſſet *Germaniam*, omnemque fere *Galliam*, quæ inter *Alpes*, flumen *Rodanum*, *Renum* & Oceanum eſt, *Gallorum* gentem ferociſſimam annis novem domuiſſet: mox *Britannis* bellum intulit, quibus ante, ſicut refert *Eutropius*, nec nomen quidem *Romanorum* cognitum eſt. *Beda.* Verum *Britannia Romanis* uſque *Gayum Julium Cæſarem* inacceſſa atque incognita fuit, qui cum *Lucio Bibulo* conſul factus

ſactus, *Germanorum* gentibus & *Gallorum* vel territis vel ſuperatis, *Britonum* regem *Caſsibilanum* ad deditionem coegit. *Galfridus. Caſſibilanus* vectigal ſingulis annis librarum argenti tria millia *Julio Cæſari* ſpopondit. Igitur Urbis Conditæ anno DCCIII. & ante Divinam Incarnationem XLIX. *Cæſar* victis *Britonibus*, *Aquilonalium* partium reges conſimili volens ſubjicere jugo, præmiſſis primo legatis, qui quas petebat ab eis ſervari leges exponerent, pertranſit *Britanniam*, & ad mare *Scoticum*, quo tunc temporis *Britones* à *Scotis* disjuncti fuerant, uſque perveniens, in ripa fluminis ejuſdem magno vallatus exercitu per tempus aliquod aſſidebat. Ipſis interea, *Scotorum* viz. regibus & *Pictorum*, per nuncios bifarias & clementiæ ſimul & auſteritatis direxit epiſtolas: quarum ſi priores, hoc eſt ſpontaneæ ſubjectionis & pacis, quaſi propriæ ſalutis forſan immemores, fronte rugata ſtolide reſpuant, ut alteras ſibi bellorum literas mandavit ac diffidentiæ præſentarent.

XV. *De reſponſis eorundem regum tranſitorie* Julio *remiſſis.*

HUjuſmodi vero cum audiſſent reges nuncium indignati valde, brevi reſcribentes ſtilo, ſub uno tenore conjuncti reſponſa dabant tali forma. Reges *Scotorum Pictorumque* voce conſona *Romanorum* civium *Julio* procuratori, Salutem dicimus & pacem; ſi quæ ſunt pacis ſapias aut ſalutis; & tum conſequenter ad hanc clauſulam. Ne putes, ô *Cæſar*, puerili nos more talibus adulationum ſeduci poſſe blanditiis, quod ab innatæ nobis amœna nobilique libertatis platea, qua noſtri directe parentes ope Deorum ſuffulti ſemper ibant, non à dextris ad ſiniſtram flectentes, per callem inviam, generoſi cordis cuique tortam aſperam & horribilem, ſervili valle teterrima devios errando deducere valeas, cum hæc præcipue, quæ blanditiarum inſipientibus apta conveniunt pignora, tuæ legationi defuerant, giracula viz. vel poma, quo libationi fortius aſpirat gratulando ſtultorum levitas quam ſi quis Regnum eis libere genibus offerat provolutus. Minas itidem, quas ex tuis literis te nuper equitaſſe propendi poterit, parum timendas vel nihil omnino decernimus, cum eas non Deorum exiſſe ſperamus decreto; ſed notabili tuæ præſumptionis audacia potius ambiguum non eſt: nam temet, ſeu quos te fateris eorum conſulem, nuſquam offendimus, ſed neque novimus teſte mundo. Nobis injuſte ſic quidem inſontibus bella promittis in proximo, ſi non hujuſmodi prætactas ſuperius adorationis tuæ ſectantes ſemitas, eleganti dejecto nobilitatis antiquæ ſepto, quod abſit, reges tamquam blaſphemi propriæ gentis, cunctiſque monſtra regibus, ordine rationis everſo famulemur civibus, & regia dignitate vertices coronis hactenus aureis aſſuetos, ſub ſervitutis torque lugubri præcipites miſere ſubmittamus. Igitur hæc nobis tua legatione nuper aſcripta, quia Deorum ſimul & hominum diſſona videntur legibus, Deos in adjutorium nobis & tuam perniciem, ſi tua dictis facta ſequantur, inſurgere præſto non diffidimus. Non enim ad bella quaſi pompatice te provocantes hoc brevius reſcribimus. Sed omni voto pacem humiliter, & priſcorum ſalvis omnino patrum traditionibus, tuam intentius amicitiam obſecrantes. Nam traditionis libertatem, quæ diligenda nobis ſuper aurum eſt & topazion, quæque noſtro judicio cunctas longe mundanas & incomparabiliter opes tranſcendit, & infinite jocalia, quam ab initio magnanimi patres incontaminatam nobis filiis, & uſque ad mortem, ſervabant egregie: ſimiliter & nos profecto non tamquam noſtris demeritis ab eorum degenerati natura, ſed quaſi ſuarum imitatores legum ſtrenui noſtris poſt obitum filiis inviolatam ſervabimus, & abſque ſervili quoque ſcrupulo transferemus, valeas &c.

XVI. *De Repentino* Julii *reddito, propter* Francorum *ſive* Gallorum *iteratam rebellionem ſedendam, & de ſigno lapideo, meta ſcil. ultima* Romanæ *poſſeſſionis ſub circulo.*

DUM vero per idem tempus ad *Scotici* maris auſtrale litus reſponſa præſtolans *Cæſar*, cum exercitu moram faceret, advenerunt ex *Gallia* naves, à quibus audivit quod *Ambio* Rex cum *Eburnacibus* & *Advaticis*, conſilio *Treverorum* animatus, *Romanorum* legatos inſidiis cum tota funditus adventante ſibi legione circumventos apud *Embronas* interfeciſſet. Quod itaque conſpirantes iterato *Galli* contra *Romanos* ad arma crudeliter conjuraſſent. Intelligens autem majora quam ipſorum regum expugnationem hæc ſupereſſe negotia, feſtinus, priuſquam ad *Gallias* mare tranſcenderet, incertus ſui reditus, ex magnis politiſque lapidibus abſque cæmento rotundam caſulam columbaris ad inſtar, præter ſignum ut patet intuentibus ad nihil utilem, fieri juſſit, ab oſtio non procul amnis *Caronii*. Ipſam vero domunculam *Romanæ* poſſeſſionis ultimam quaſi fine mundi ſub Circio metam, ſuæque famoſæ militiæ perdurans ſignum, extruere voluit, ut dudum *Hercules*, ob æternæ famæ ſuique laboris longinqui memoriam, in inſula *Gades* columnas fixit, ad finem *Europæ* ſub Favonio. Docetur tamen alias, & præcipue fama vulgante, quod *Julius Cæſar* hanc domunculam per ſingulos lapides ſeparatim ab exercitu circumferri ſecum juſſit, ut in ea ſingulis diebus qualibet ſtatione reædificata, ſecurius quieſceret, quam tentorio. Sed dum regredi concitus ad *Gallias* voluit, eam ut hactenus patet lapide tantum impoſito lapidi conſtructam in intentione citius redeundi dereliquit. Hujus ad Orientem domus, tantæ quantitatis extat introitus, ut emiſſario miles armatus ſedens ingredi valeat, galea capite criſtata faſtigium valvæ non attingens. *Richardus. Julius Gallorum* gentem ferociſſimam multis præliis expugnavit: denique navibus *Britanniam* advectus, *Romanum* imperium ultra limitem, viz. Oceanum, dilatans, quod totum intra decennium conſummavit.

XVII. *De primo* Julii Cæſaris *Imperio, qualiterque vi* Romanam *arripuit poteſtatem.*

RUmore vero conjurationis *Gallorum* crebreſcente, *Cæſar* rem tanti negotii non negligendam ratus, ne rebellionis aliorum hæc impunis fieret occaſio, reges prædictos bellis ad tunc impetere diſtulit, & vere proximo debellandos ſe reverſurum improperans, inſtructis navibus ad *Gallias* rediit, victoſque *Britones* acceptis obſidibus ſecum duxit. Ubi vero, ſecundum *Oroſium* & *Bedam*, à *Britannis* reverſus, repentinis bellorum tumultibus undique circumventus & conflictatus eſt. *Oroſius*. Igitur cum pacatam univerſam eſſe *Galliam Cæſar*, neque auſuram fore ut aliquos aſpiraret motus, arbitraretur. Legiones in *Hyberniam* miſit, & *Ambionis* regis fines, qui tot excitaverat bella, ſtragibus hominum horrendis devaſtavit. Oppreſſa deinde rebellione *Gallorum*, bellum civile continuo ſurrexit *Romanis* execrandum, & lacrimabile, quod & totam urbem *Romanam* quatuor annis, & uſque mortem *Cæſaris* tenuit, quo populi *Romani* fortuna pene mutata diceretur. Interea *Cæſar*, altero conſulatu, quem ita per nuntios expetierat, ut & ſine aliqua dubietate deferretur, per *Marcellum, Jubulum, Pompeium,* atque *Catonem* contradicto, juſſus eſt ut dimiſſis legionibus ad urbem redire non tardaret. Ob quam injuriam, ab *Arantinio*, quo congregatos milites habebat, adverſus patriam repente venit cum exercitu. Cujus adventu territi conſules, & omnis

omnis ſenatus, atque univerſa nobilitas ex urbe fugerunt in *Græciam*; & apud *Epirum*, *Macedoniam*, & *Achaiam*, duce *Pompeio*, Senatus contra *Cæſarem* bellum parat. *Cæſar* vero vacuam urbem ingreſſus, dictatorem ſe fecit, cujus auctoritas ab antiquo fuit ut conſulum excederet poteſtatem. Deinde quatuor annis ut dictum eſt civilibus bellis intentus, omni pene vel victo vel interfecto Senatu cum *Pompeio*, cæteraque nobilitate, ſolus *Romanum* annis quinque tenet imperium, per idem vero tempus in *Africa* duces *Romani*, *Cato*, *Scipio Petreius* & *Juba*, quia per *Cæſarem* victi, ſeipſos nequiter occiderunt.

XVIII. *Quomodo, ex neceſſitate,* Romanorum *tempora Principum ſcribenda ſunt in hac* Chronica, *& de quatuor mundi Monarchiis.*

NEC te pigeat quicquam, ô lector, quod *Romanorum* geſta ſeu bella quidem Imperatorum, hoc conſequenter opuſculo ſcripta reperias, quæ compendioſe quidem huic ratione duplici ſunt inſerta; una viz. eſt & neceſſaria, quod à tempore *Julii Cæſaris*, qui *Scotos*, ut priori notatur capitulo, ſi non ab aliis forte bello fuiſſet occupatus, ſubjicere gladio tetendit, per annos & ultra quadringentos inſultando *Romani Scotos* ſubigere, reſiſtendo ſimiliter & hi ſua defendere bellis adinvicem conflixerunt. Altera quippe ſed ſpontanea, quia præ cæteris omnium nationum Hiſtoriis, excepta duntaxat Hiſtoria ſacra, quæ merito cunctarum Regina dici debeat Hiſtoriarum, & Dominam, *Romanorum* penitus effulget Hiſtoria. Juxta cujus igitur Imperatorum ſucceſſiones, qui per annos notantur Incarnationis Dominicæ, tactis quorundam famoſis aliquibus geſtis belliſve, negotio quodammodo junctis, hujuſmodi vocari, Chronicles, tempora prætenduntur. Quatuor namque mundi dudum fuiſſe Monarchias Hiſtoriis legimus, per *Aſſyrios*, *Perſas*, *Græcos*, & *Romanos* obtentas, quarum excellentior, amplior, & diuturnior eſt *Romana*. *Prima* vero Monarchia partibus ſurrexit Orientis. Nam ſicut humanum genus originem habuit in Oriente, ſic & ibidem multiplicatum Dominium primo præ cæteris pullulavit, & in ætate mundi tertia tempore Nativitatis *Abrahæ*, tranſactis ab ejus principio MMMCLXXXIV annis, per Regem *Aſſyriorum Ninum*, & eo modo per *Semiramidem* ejus uxorem, inſuper & ad obitum *Sardanapalli* continuata. Hæc autem *Semiramis Indis* bellum intulit, quos præter illam & *Alexandrum* nullus intravit. *Secundam* deinde per *Cyrum* Regem *Perſarum*, ætatis quintæ principio vel citra ſurrexit, & in morte regis *Darii* filii *Argis* finem habuit. *Tertia* quidem in eadem ætate quinta per magnum *Alexandrum Macedoniorum* Regem initium habens; poſt cujus obitum, *Romanis* triumphantibus, pauliſper evanuit. *Quarta* quoque Monarchia ſed & famoſiſſima, ſicut legitur, ab ipſo *Romanorum* Imperatore primo *Julio Cæſare*, vel ab *Octaviano* ſibi ſuccedente nepote principium traxit, ac deinceps cum annis Incarnationis concurrens hactenus durat. Et licet hodiernum *Romanæ* poteſtatis imperium, ceſſante juſtitia, multimodiſque peccatis exigentibus, temporali nequaquam gladio regatur ut aſſolet, ejus tamen modernæ poſſeſſionis Monarchia, Domini Dei Noſtri *Jeſu Chriſti*, cujus caractere ſignatur, favente gratia, præcedentes Monarchias, cæteraque mundi dominia, ſicut & honeſtate ſimiliter & audacia, longe præcellit & infinite.

XIX. *De morte* Julii Cæſaris, *& mirabili vindicta ſuis proditoribus, ut ſpero, divinitus illata.*

PRimus apud *Romanos Caius Julius Cæſar* Imperium arripuit, ſingulare viz. anno *Clepatræ* 3. qui fuit annus ætatis quintæ quingenteſimo quadrageſimo quarto, & imperavit annis fere quinque. *Ricardus*. Per *Julium Cæ-*

 ſarem

ſarem repetitum eſt jus uni parendi in Republica anno ab urbe condita DCCV°. ac pro regibus Imperatores ſunt appellati. Denique *Cæſar* bellis civilibus orbe toto compoſitis, *Romam* rediens, dum Reipublicæ ſtatum juxta priorum exempla clementer inſtauraret, auctoribus, *Bruto* & *Caſſio*, plurimo ſiquidem ſenatu conſcio, in curia viginti quatuor, alii viginti tribus, alii viginti uno tradunt, vulneribus confoſſus interiit. In hac conjuratione ducentos ſexaginta vel amplius conſcios fuiſſe ferunt. Duo enim *Bruti*, de genere *Bruti*, qui primus *Romæ* Conſul fuerat, & reges extulerat, *Gayus Caſſius*, atque *Servilius Caſta*, ſtrictis in capitolio pugionibus, *Cæſarem* annos ætatis habentem quinquaginta ſex occiderunt. *Romanus* itaque populus dolore ſtimulatus, Capitolium cum auctoribus cædis incendere volens, ejus raptum corpus in foro fragmentis tribunalium ac ſubſelliorum cremavit. Apud quos etiam ita poſtmodum memorabilis factus eſt, ut omnis poſt eum Imperatores *Cæſares* appellarentur. *Suetonius.* Animadvertens *Cæſar* undique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obvoluit, ſimulque ſiniſtra manu ad ima crura deduxit, quo caderet honeſtius, etiam inferiori parte velata corporis: atque uno tantummodo ad primum ictum edito gemitu ſine voce, percuſſorum *Cæſaris* fere neque triennio quiſquam amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes alius alio caſu periit, pars naufragio, pars prælio, nonnulli eodem pugione quo *Cæſarem* violaverant, ſeſe miſerabiliter interemerunt. Ecce lector renunciationem juſtam proditionis. *Eutropius.* Vir ergo nullus unquam bellis magis innituit. Ejus vero ductu undecies centum nonaginta duo millia cæſa ſunt hoſtium, nam quantum bellis fuderit civilibus noluit annotare. Signis collatis quinquagies dimicavit; ad hoc nullus celerius ſcripſit, nemo velocius legit, quaternas etiam Epiſtolas ſimul dictavit. Tantæ fuerat bonitatis, ut quos armis ſubegerat, clementia magis vincebat.

XX. *De tempore ſucceſſionis Imperatoris* Octaviani *nepotis* Julii Cæſaris, *& de viſione ſibi divinitus revelata.*

JUlio quoque *Cæſari Romanorum* ſecundus ſucceſſit Imperator nepos ejus, annorum decem & ſeptem, *Juvenis Octavianus Auguſtus*, à quo cæteri *Romanorum* Imperatores *Auguſti*, ſicut à *Julio Cæſares* ſunt appellati. Ipſum *Julius* hæredem Teſtamento relinquens nomen ſuum ferre juſſerat. Cœpit anno quidem ætatis quintæ DXLVIII. ac annis LVI. regnavit. Poſtmodum autem, anno duodecimo quam Conſul fuerat, bellis orbe toto confectis, *Romam* rediit, & ex eo rempublicam quadraginta quatuor annis ſolus obtinuit, ante vero per XII. annos cum *Antonio* & *Lepido* tenuerat. Ejus autem anno circiter XXVII. nata eſt beata Virgo *Maria*, juxta librum *Joachim*, & Revelationem factam *Elizabeth*, ex qua poſtmodum filius Dei, cooperante Spiritu Sancto, ſine virili ſemine carnalem aſſumpſit Nativitatem. Hujus autem *Auguſti* diebus trans *Tibrim* de taberna meritoria fons olei exundavit è terra, ac per totum diem largiſſimo rivo fluxit, ſignificans *Chriſti* gratiam ex gentibus. Etiam circulus aureus, ad ſpeciem cœleſtis arcus, circa ſolem apparuit. Igitur cum totum orbem *Cæſar Auguſtus* ſub pace tranquilla compoſuiſſet, *Romani* non intelligentes quod pax illa non *Auguſto*, ſed naſcituro *Chriſto* famularetur, dicunt ei. Te volumus adorare quia Deus eſt in te. Si hoc vero non eſſet, non ita tibi proſpere ſuccederent omnia. Quod renuens inducias poſtulavit, & ad ſe Sybillam *Tiburtinam* ſapientem convocans, ſibi quod ſenatores dixerant recitavit. Quæ ſpatium petiit trium dierum, quibus arctum operata eſt jejunium, & Imperatori poſt diem tertium reſponſum dedit in hunc modum,

Judici

Judicii ſignum tellus ſudore madeſcit.
De cœlo Rex adveniet per ſeccla futurus.
Scilicet in carnem potius ut judicet orbem.

Et cætera per ordinem verſuum, quæ ſunt in numero XXVII. Quibus imperatori recitatis illico cœlum apertum eſt, in quo pulcherrimam Virginem ſtantem vidit ſuper altare puerum tenentem in brachiis, vocemque dicentis audivit, hæc eſt Ara filii Dei. Quam ſenatoribus viſionem retulit, & ipſi ſupra modum mirati ſunt. Cujus poſtmodum anno quarto, octavo Kal. octobris, quando dies incipiunt minui, ſuum filium *Elizabeth* peperit *Johannem* Baptiſtam, præcurſorem divinum.

XXI. *De Conceptione Nativitateque Domini Noſtri* Jeſu Chriſti.

GRatiæ quidem anno primo, qui *Cæſaris Auguſti* fuit XLII. poſt præcurſoris vero Conceptionem menſe ſexto, Kal. videlicet *Aprilis* octavo, quando dies incipiunt creſcere, beata Virgo *Maria*, ſervata Virginitate, mundi pereuntis Redemptorem, Angelo nunciante, concepit. Qui cum in forma Dei eſſet humiliter ex ea ſervi formam accipiens in *Bethleem Judæ*, civitate *David*, ejuſdem anni menſe decimo, Deus & homo Dominus Noſter *Jeſus Chriſtus* naſci voluit, ut tunc demum aptior fieret humilitatis inſtitutio, cum jam pœna ſuperbiæ per totum mundum omnibus eſſet exemplum. *Igitur* ſopitis ubilibet bellorum tumultibus, dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter faceret, Dei patris verbum caro factum eſt, & habitare cœpit in nobis, à mundi principio tranſactis MMMMMCXCIX. annis. A tranſitu maris rubri MMCCCCLII. A *Troja* capta ſex annis mille ducentis. Et quinquaginta ſeptingenti duo fluxi Urbis erant, *Chriſtus* cum mundum ſanctificavit. A primo Rege *Scotorum* in *Scotia* regnante, qui *Chriſtum* trecentis ter denis præfuit annis. A reſuſcitatione Regni *Judæorum* per *Judam Machabæum* CLVIII. *Oroſius* autem in Apologetico ſuper illud orationis *Abacuc* Prophetæ. Domine opus tuum in medio annorum vivifica, illud deſcribens ait, *Chriſtus* filius Dei in virtute & gloria Patris, ea quæ principio condidit in medio redemit, & in noviſſimo judicabit. Mundus itaque per tria variationis legum tempora diviſus eſt. Nam in *Adam* incepit tempus legis naturæ, durans uſque ad *Moyſen*, in quo terminatum eſt. In *Moyſe* vero tempus incœpit legis ſcripturæ fluens ad *Chriſtum*, quod & in ipſo terminatur. In *Chriſto* ſiquidem incœpit tempus legis gratiæ, quod uſque conſummationem ſeculi perdurabit.

XXII. *De diverſis accidentibus poſt Incarnationem, & ſucceſſione* Tiberii.

ANno Gratiæ ſecundo Gentiles Magi, *Jaſper*, *Melchior*, & *Balthazar*, cum muneribus procul ab Orientis finibus, eos nova ducente ſtella, venerunt *Judæam*, adorare *Chriſtum* Natum. Quem cum adoraſſent, juſſui regio non obedientes, per aliam viam in ſuas regiones reverſi ſunt. Igitur *Herodes* iratus omnes pueros duorum annorum & infra *Bethleem Judæ*, & in omnibus finibus ejus occidit, ſperans inter eos occidere Dominum *Jeſum*. Eodem anno *Johannes* Evangeliſta natus eſt. Anno gratiæ VI. miſerabiliter *Herodi* mortuo ſucceſſit filius ejus *Archelaus*. Et anno XII. *Chriſtus* in Templo Doctores audit, & in *Chana Galileæ* convertit aquam in vinum. Eodem etiam anno *Judaicum* Regnum in quatuor Tetrarchiis diviſum eſt inter fratres *Archelai*,

Archelai, videlicet *Herodem*, *Antipatrum*, *Liſaniam* & *Philippum*. Qui quidem *Archelaus* anno Domini xv. obiit. Et illi ſucceſſit *Herodes* Tetrarcha. Anno quoque Domini xvi. *Cæſar Auguſtus* obiit, quem *Romani* plangentes dixerunt. Utinam aut non naſceretur, aut non moreretur. Vir qui non immerito ex maxima parte Deo ſimilis putatus eſt. Nullus eo vel in bellis felicior aut in pace moderatior. Qui certe nunquam aut reipublicæ ad ſe potentiam traxiſſet, aut ea tamdiu potiretur, niſi magnis ſtudiorum & naturæ bonis abundaſſet. Beatiſſimam rempublicam *Tiberio* ſucceſſori reliquit, qui privignus ei, mox gener, poſtremo filius adoptione fuerat. Hic *Tiberius* anno quidem Imperii xxiii. obiit, omnium ingenti gaudio. *Pilatus* anno Domini xxvi. Procurator efficitur in *Judæa*.

XXIII. *De Paſſione & Reſurrectione* Chriſti, *& diverſis accidentibus*.

ANno gratiæ triceſimo tertio Deus & Dominus Noſter *Jeſus Chriſtus*, ut ipſe prædixerat, ſecundumque prophetias, quæ de eo præſcriptæ fuerant, ad Paſſionem ſponte venit, paſſuſque ſepultus eſt, ac tertia Die reſurrexit. Die vero deinde quadrageſima propria virtute cœlos unde venerat aſcendit. Eodem anno Sanctus *Stephanus* lapidatur, & *Paulus* converſus eſt. Anno gratiæ xxxvii. Sanctus *Petrus* in *Antiochia* cathedratus eſt. Et anno xxxviii. *Pilatus* ſeipſum interemit. Decedenti quoque *Tiberio* nepos ejus ſucceſſit, *Romanorum* quartus, *Cayus* cognomento *Caligula* ſive *Galigula* ſceleratiſſimus; cœpit anno domini xxxix. & regnavit annis quatuor. Hic *Herodem Agrippam* à vinculis liberatum Regem *Judeæ* fecit. Annoque ſequenti Sanctus *Matthæus* Evangelium in *Judæa* ſcripſit. *Gaius* vero, dum adverſus cunctos ingenti crudelitate ſæviret, in palatio conſilio Senatorum interfectus eſt. *Claudius* inde *Romanorum* quintus, *Gaii* Patruus, regnare cœpit anno Domini xliii. & imperavit annis fere xiv. cujus anno tertio *Jacobus Zebedei*, frater *Johannis* Evangeliſtæ, decollatus eſt ab *Herode*, à quo *Petrus* etiam vinculatus, ſed aperto carcere per Angelum liber exivit, & ejus anno iii. *Romæ* Cathedram ſuſcipiens, ibidem annis xxv. princeps Eccleſiæ ſedit. Porro poſt paſſionem Dominicam, erat *Petrus* Eccleſiæ Rector annis quatuor, poſtea quidem *Antiochiæ* tenuit Epiſcopatum annis vii. at *Romæ* deinceps Pontificatum annis ut ſupra viginti quinque, ſicque ſacerdotii gradu poſt *Chriſtum* fungens, annis xxxvi. papa ſedit. Anno Domini l. *Claudii* quoque *Cæſaris* octavo *Paulus Romam* invitus mittitur.

XXIV. *De ſucceſſione* Claudii Cæſaris, *& ejus bello* Britannis *illato*, *& ſucceſſione* Neronis.

CLaudius autem, in quarto ſuæ Regnationis anno, *Britannis*, ob negatam tributi ſolutionem, bellum intulit; quos nullus poſt *Cæſarem Julium* attigerat. Ipſorum autem interempto Rege *Guyderio*, fratrem ſuum *Arviragum*, ejus loco Regem ſublimatum, ad deditionem tributique ſolutionem coegit: unde, ſecundum *Galfridum*, ibi per totam hyemem moram faciens, ſuam filiam nomine *Gewiſſam* uxorem *Arvirago* tradidit, quo facto *Romam* reverſus eſt. *Beda*. *Claudius* ſine ullo prælio ac ſanguine intra pauciſſimos dies plurimam inſulæ partem in dedicatione recepit, ac ſexto quam profectus eſt menſe *Romam* rediit. Inſulas quoque tunc *Orcades* inter *Scotiam* & *Norguegiam* poſitas, auxilio *Britonum* uſus *Romano* ſubdidit imperio. Nec omnes eo tempore *Britones Romanis* ſubjecti ſunt: nam poſtquam receſſerat, eos ad rebellionem reparatos *Veſpaſianus*, qui poſt *Neronem* regnavit, ab eodem *Claudio Britanniam* miſſus, perdomuit, & inſulam *Wectam* jam primo ſub ditione *Romana* ſuſcepit. *Nero* quoque poſt hunc ad Imperium ſucceſſit avunculo

culo ſuo *Gayo* ſimillimus, cœpit anno Domini LVI. & imperavit annis XIII. & menſibus octo. *Eutropius*. Hic *Romanum* imperium & deformavit & minuit, inuſitatæ fuit luxuriæ ſumptuumque, ut retibus aureis piſcaretur, quæ balteis funibus extrahebat. Infinitam ſenatus partem interfecit; bonis omnibus hoſtis fuit; urbem *Romam* incendit, ut ejus imaginem ſpectaculi cerneret, quali *Troja* capta dudum arſerat. Cujus anno ſexto, *Jacobus* frater Domini à *Judæis* lapidatur. Et anno VII. *Marcus* Evangeliſta, *Maria*que *Magdalena* obierunt. Ultimo quidem imperii anno *Petrus* ab eo crucifixus, & *Paulus* decollatus eſt. Eodem anno publicus hoſtis à ſenatu judicatus, cum quæreretur ad pœnam, è palatio fugiens ſeipſum interfecit.

XXV. *Quomodo anno* Claudii *duodecimo, bellum primo* Britannicum *adverſus* Scotos *initium ſumpſit.*

CIrca quidem hæc tempora, duodecimum viz. annum *Claudii, Britannicum* primo bellum adverſus *Scotos* & *Pictos* exortum fuiſſe dicitur, quod per centum quinquaginta quatuor annos, ad annum ſcilicet *Severi* decimumquintum, nullius interveniente pacifica temporis ſtabilitate: hoc utique modo ſequenti cœptum eſt; *Vaſpaſianus* enim ab Imperatore *Claudio* variis legionibus *Britanniam* tranſmiſſus, poſtquam omnium rebellione ſopita, *Britones* ad annuam tributi ſolutionem reduxerat, *Romam* rediit; & pro tuenda patria ſui partem exercitus ibi relinquens, ut *Britonum* fulta ſubſidio gentem ſervire cogeret *Hybernienſium*, & *Scotos* ſimiliter & *Pictos*, vel deleret, præcepit. Progreſſi denique comites cum *Romanis Britones* ad *Hyberniam*, ubi datis mutuo receptiſque variis cladibus parum aut nihil profecerunt. Indeque reverſi contiguas regni *Scotorum* & *Pictorum* plagas, quia ſe *Romanis* ſubjicere nollent, incendiis ubique conſumunt, & cædibus ſimiliter & rapinis. Convaleſcentibus interim *Romanorum* & *Britonum* bellis, crudeliſſimæ gentes, *Hybernici* viz. *Picti*, ſed & *Scoti*, quos eadem urgebat convenire neceſſitas, quia triplex difficile funiculus rumpitur, adverſus eos fœdere firmiſſimo colligatæ, *Britanniam* ex omni parte vaſtare cœperunt. Nam ab Occidente prorumpentes *Hybernici, Scoti* ſiquidem à Circio, necnon & ab Aquilone *Picti*, diviſas inter ſe regni partes miſera cæde conſumunt, non ſexui parcentes vel parvulorum ætatulæ, ſed vel in ore gladii vel incendio ſorbentes omne quod attigerant. Illi quidem eos è contra nec immerito ſubjicere compari clade ſatagentes, viſa quæque, præter humum & lapides, aut in nihilum igne redigunt, aut gladio paſſim trucidarunt.

XXVI. *De bellorum ſævitia* Scotorum & Pictorum *contra* Britones, *& ab eis primo conqueſtu regionum* Albaniæ *trans fretum* Scotorum.

SÆviſſimum inter eos nec auditum antea conſimile bellum, quippe nullum Hiſtoriis tale vel eo crudelius inter gentes prædicatur: vulgus quidem gentis utriuſque, cujus proprium eſt Agriculturæ ſolummodo non cædibus indulgere ſeu bellis, ex omni parte prædis penitus & bellis expoſitum eſt ac rapinis. Miſeri quoque plebis viz. abjectio, qui neque prodeſſe civibus, vel hoſtibus quicquam nocere noverant, abſque pietate trucidantur. Pars namque populi reſidua, quæ gladiorum ullatenus aciem evadere poterat, omni deſtituta præſidio, montibus, ſpeluncis, atque latendo ſilvarum ſiluit in abditis. Herbarum itaque radicibus, fructibus etiam & foliis arborum, ſeu corticibus, aut lacte ſaltem cujuſque pecudis, ſi quidem habuerit, ſumme contenta, miſere vitam ſuſtinebat: unde & contigit quod & cives fortiſſimis urbium incluſi mœnibus, oppidorumque cuſtodes, hujuſmodi gladio

dio vel deciſis agrorum vel fuga prolapſis cultoribus, ad tantum famis & inediæ pervenerunt inopiam, ut domos, univerſaſque facultates, totamque ſupellectilem, pro nihilo reputantes, ſeipſos, uxores, & liberos, ab hac clade ſalvare cupientes, remotis procul in partibus adduxerunt. Urbes interea ſic ſæpius evacuatæ cuſtodibus, præter paucos vecordes, omni defenſionis expertes peritia derelictas, circumdant hoſtes, nec ab his diu quievit eorum feritas, ſed lectis in unum agminibus facile ſcandentes mœnia, quibus abſque mora proſtratis funditus, ac ſparſim lapidibus foſſa dejectis, humo protinus coæquabant. Hujus vero ſunt teſtes cladis vrbes *Britonum* fortiſſimæ, viz. *Agned*, quæ per *Heth Scotorum* Regem reparata poſtmodum, *Hethniburgh* dicta fuit: *Kaerleyl* etiam, & *Alneclud*, oppidaque plurima, quæ per eos uſquequaque ſolotenus dejecta ſunt, nec à quoque hactenus reformata. *Romanorum* Hiſtoriis *Eutropius* hujus reminiſcens cladis, ait. *Nero* quidem in re militari nihil auſus, pene *Britanniam* amiſit: nam duo ſub eo vel tria nobiliſſima capta ſunt oppida & ſubverſa.

XXVII. De Moravienſibus, *à natali ſolo* Moravia *per* Romanos *expulſis, qui ſe* Pictis *poſtmodum conjunxerunt.*

IMperatoris illius nequiſſimi *Neronis* vecordia ſegnitieque non incognitis, ſpes priſtinæ libertatis recuperandæ nonnulla eſt exorta gentibus. Innumera mala *Romani* ſuis diebus perpeſſi ſunt. Nam legionibus Orientis *Parthi* jugo ſubductis, *Armeniam* ab eis receptam ſervire cogebant. *Britanniam* quidem à circumſitis eſt diminuta peneque vaſtata populis. *Germanos* inſuper & *Pannonios* novo motu rebellare volentes *Romani* domabant exercitus. Itaque *Moravia*, *Pannoniæ* regio quædam juta *Danubii* flumen, ut ſæpe ſolebat per ſeditionem excitata, *Roderico* duce rebellans, totam ipſius patriæ tutricem legionem dolo circumventam occidit. Hos quoque *Moravios* ante privignus *Auguſti Cæſaris Tiberius*, nondum Imperator, cæde cruenta ferme delevit. Quamobrem propinquæ provinciarum legiones ſceleris hujuſmodi factione percepta decernunt, quod vel eorum majores videlicet *Moraviorum* punirent gladio, ſive perpetuo deinceps damnatos exilio relegarent. *Rodericus* igitur advenientium impetus legionum pavore territus ferre non ſuſtinens, cum ſuis exul claſſe refecta victualibus per *Danubii* flumen mare petiit, ac arte piratica ſinus varios Borealis Oceani prædando circuiens, ad mare *Belgicum* ſe tranſtulit. Igitur dum ibidem per tempus aliquod adverſando *Romanis* mare tranſcurreret, ac multis infeſtationibus *Galliæ* partes & *Britanniæ*, ſuaſq; naves afficeret, *Pictis* demum, inter quos antea ſæpius moram fecerat, quieſcere volens, perpetuo fœdere manus dabat. Quorum illico multitudine nervoſiores *Picti* multoque fortiores effecti, contra *Britones* ad bella procedere continuo *Scotos* hortantur, quod & factum eſt. Nam ſua componentes in unum agmina, nullius adverſarii timentes impetum, *Britanniam* advolant, & poſt multos hominum hinc inde diſcurſus graveſque provinciarum vaſtationes ad propria redire contendunt, quibus interea cum prædis pluribus & ſpoliis in margine Regnorum revertentibus, *Romanæ* gentis legionum dux *Marius*, *Britonumque* patricius occurrens, eos utrinque ſæviſſima cæde commiſſa fugere compulit, perempto prius in acie *Moraviorum* principe *Roderico*. Hos enim *Moravios* genus fuiſſe *Pictos* de *Scythia* ſcriptis impoſuit, & bene, nam omnes à mari *Baltico* regiones uſque *Danubium* olim inferior *Scythia* dicebantur, ex quarum una venientes ſe *Pictis* pro perpetuo conjunxerunt. Regreſſus vero domi *Pictorum* populus poſt fugam confuſi penitus; necnon & acephalæ genti *Moraviæ*, cujus princeps in bello cecidit, filias in uxores & amplam dedit patriam excolendam, cui priſtinæ regionis *Moraviæ Kataniæ* tradentes nomen, cum *Pictis* inſuper commanſerunt.

XXIII. *De*

XXVIII. *De ſigno quod* Marius, Romanarum *legionum dux, ob belli memoriam fieri fecit, & Imperatorum ſucceſſione.*

PAtrato quoque triumpho *Romanus* idem *Marius*, perpetuam volens ad poſteros tanti dirigere belli memoriam, conclavis ad ſimilitudinem pene quadranguli quoddam ſignum utilitatis modicæ, tamen dolatis ex lapidibus abſque cæmenti compagine compoſitis artifice, juxta victoriæ locum erigere juſſit, quod itaque ſecti tegebant & concavi lapides inuſitati penitus operis antea fabricatum. *Servius Galba*, poſt *Neronem*, per aliquod tempus ſucceſſit ad imperium, quod breve fuit; nam *Othonis* occiſus inſidiis imperii menſe ſeptimo *Romæ* foro jugulatus eſt. Inde *Lucius Otho*, perempto *Galba*, pervaſit imperium, hiſdem namque temporibus quibus *Otho Galbam* occiderat, *Vitellius* à *Germanicis* exercitibus Imperator factus, *Othonem* in *Italia* prælio vicit levi, unde futuri belli deſperatus eventu, xcv. die quo ſumpſit imperium ſemet occidit, dicens, ſe non eſſe tanti meriti quod propter eum civile bellum oriretur. Deinde *Vitellius* imperio poſitus multo dedecore gravique ſævitia rexit. Hic cum *Nerone* ſimul eſſe vellet à *Vaſpaſiani* ducibus occiſus eſt, imperii completo menſe VII, perempto prius ab eo nequiter *Vaſpaſiani* fratre *Sabino*, quem cum capitolio *Vitellius* incendit. *Vaſpaſianus Romanorum* ſeptimus huic interfecto ſucceſſit, anno Domini LXXI. & regnavit annis novem, menſibus X, diebus XXII. Hic apud *Palæſtinam* factus fuit imperii princeps. Obſcure quidem natus, ſed optimis comparandus. Cum filio ſuo *Tito* de *Jeroſolumis* triumphavit, interfectis in ea centum & undecim millibus *Judæorum.* Qui cum anno vitæ ſuæ LXX. cunctis amabilis eſſet ac jucundus, profluvio ventris feſſus aſſurrexiſſet, ſtantem, ait, Imperatorem terras excedere decet, & ſic exanimatus eſt. Cui ſucceſſit *Titus* filius ejus *Romanorum Octavus*, anno LXXX°. & regnavit annis II. & menſibus octo. Vir omnium virtutum genere mirabilis adeo, quod amor & deliciæ generis humani diceretur, facundiſſimus, bellicoſiſſimus, moderatiſſimus: fœlicitatis & libertatis tantæ fuit, ut cum nulli quicquam negaret, & ab amicis reprehenderetur, reſpondit, nullum debere triſtem ab Imperatore diſcedere. Præterea cum quadam die recordatus in cœna fuiſſet, nulli ſe quicquam illo die præſtitiſſe, dixit, amici, hodie perdidi. Interea XLII. ætatis anno morte præventus eſt, hominum majore quam ſuo damno. *Tito* ſucceſſit frater ejus *Domitianus, Neroni* vel *Galiculæ*, vel *Tiberio*, quam fratri ſeu patri ſimilior, anno Domini LXXXIII. imperavit annis XV. Hic ſecundus poſt *Neronem* Chriſtianos perſequens, cum ob ſcelera cunctis exoſus eſſe cœpiſſet, interfectus eſt in palatio per ſenatum. Nerva ſucceſſit *Domitiano*; regnavit anno uno & menſibus quatuor.

XXIX. *De his quæ de* Romanæ *poteſtatis aſcenſu & deſcenſu ſcripſerunt* Oroſius & Auguſtinus, *& Imperatorum ſucceſſione.*

ANno Domini C. *Romanorum* undecimus *Wlpius Crinitus Trajanus*, natus *Italicæ* in *Hiſpania*, regnavit annis XIX. menſibus V. diebus XV. Denique proſtrato debilitatoque ſtatu *Romano*, in remedio malorum divinitus credebatur *Nerva* datus. Innumera quidem evenerunt ſemper *Romæ* bella contraria, non ſolum his ſed etiam à ſuæ conditionis diebus continue, quamvis ad tantam poteſtatem pervenerit, de quibus omnibus epilogatis in generali ſcripſit *Oroſius* dicens. Partem ſive latitudinem regni *Roma* ſuis cladibus in ſuam verſa cædem ſingularem, quaſque gentes ibidem ubi domuit vindicavit; *Aſiæ, Europæ*, atque *Africæ*, non dico tribus mundi partibus, ſed totis trium partium

 angulis,

angulis, gladiatores ſuos feriatuſque inimicis ſpectaculum ultionis miſere ingeſſit. Et *Auguſtinus*; partibus orbis imperans ipſa tanquam ſe ferre non valens ſe ſua quodammodo magnitudine fregit. *Nerva* quoque rempublicam ita miniſtravit ut omnibus principibus merito præferatur. Inter plura dicta hoc ipſius fertur egregium, amicis eum culpantibus quod nimium circa omnes communis eſſet, reſpondit, talem ſe Imperatorem eſſe privatis, quales eſſe ſibi imperatores privatus optaſſet. Obiit profluvio ventris ætatis anno XLIII. Hujus tantum memoriæ delatum eſt, ut uſquē noſtram ætatem non aliter in ſenatu principibus acclametur, niſi felicior *Auguſto*, melior *Trajano*. Ejus tempore *Johannes Apoſtolus*, cum eſſet nonaginta novem annorum, migravit ad Dominum. *Helyus Adrianus*, Conſobrinæ *Trajani* filius, ab *Auguſto* duodecimus princeps creatus, cœpit anno Domini C. XIX. imperavit autem annis XXI. Omnibus pene diebus vitæ ſuæ pacem habuit. Urbem *Romanam* ſuo tempore circuiit, *Judæos* ſecundo rebelles ſubjugavit, muros *Jeruſalem* reparavit, & *Helyam* de ſuo nomine vocari præcepit, ne cui *Judæorum* in ea daretur intrandi licentia, ſed tantum *Chriſtianis*, alias in ea gentes collocando.

XXX. *De ſucceſſione diverſorum Imperatorum.*

ANtoninus Adrianus, cognominatus *Pius*, *Helii* gener, eo mortuo decimus tertius *Romanorum* ſucceſſit, anno Domini CXL. & imperavit cum filiis *Aurelio* & *Lucio* XXII. annis. Cui decedenti *Marcus Antoninus*, & *Lucius Aurelius Commodus*, anno Domini CLXII. imperium aſſecuti ſunt. Hi æquo jure adminiſtraverunt imperium, cum ad hoc tempus ſinguli fuerint *Auguſti*. Conjuncti regnabant annis decem: undecimo quidem anno *Aurelius Commodus* obiit, & *Marcus Antoninus* rempublicam ſolus tenuit annis VII. Quem mirari quiſquam facilius quam laudare poſſet. A principio quoque vitæ tranquilliſſimus, adeo quod ab infantia multum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaverit. Ipſius tempore *Lucius* Rex *Britonum*, ut fertur, ad papam *Eleutherium* Epiſtolam miſit, obſecrans ut per ejus mandatum *Chriſtianus* efficeretur; & mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt. Anno CLXX. ſancta crux inventa eſt. *Aurelius Commodus* patre defuncto regnavit annis XIII. cœpit anno Domini CLXXXI. Tandem ipſe *Commodus*, cunctis incommodus, in domo veſtali ſtrangulatus interiit, *Helyus* deinde *Pertinax* ſenex à ſenatu creatus eſt Imperator. Imperare vero juſſus eſt anno Domini CXCIII. ſed *Juliani* Juriſperiti ſcelere occiſus eſt, quem poſtea *Severus* apud *Milvum* pontem interfecit. *Julianus* autem, qui vi ſibi *Romanum* vendicavit imperium, imperavit menſibus ſeptem. Sicque inter *Pertinacem Cæſarem*, & *Julianum* ejus ſucceſſorem, unus annus ſcriptus eſt. *Severus* igitur *Afer* genere, *Romanorum* decimus ſeptimus, regnavit annis XVIII. Solus omnium memoria & ante & poſt ex *Africa* Imperator fuit. Cœpit anno Domini CXCIII. Hic natura ſævus, multis bellis laceſcitus, rempublicam fortiſſime, ſed laborioſiſſime rexit.

XXXI. *De confœderatione* Fulgentii *ducis* Britonum Albanenſis *cum* Scotis *&* Pictis.

TEmporibus autem Imperatoris *Commodi* præcedentis civile diſcidium in *Britannia*, propter tributi ſolutionem, oriri cœpit inter *Britones*. Nam defuncto, vel ut alibi non comparente ſuo rege *Lucio*, poſt quem eorum regia ſtirps in *Britannia* regnare deſiit, tribuni pro regibus conſtituuntur ibidem à *Romanis*. Conſul interim *Britonum Albanenſium Fulgentius*, ex

ex antiquorum exortus regum proſapia, ſe nequaquam *Romanis* tributa ſolvere, ſed neque debere dicebat, cum nullam eis unquam, vel fidem vel ſubjectionem promiſiſſet. Ob hoc autem ad invidiam excitati concives, ipſum contribuere ſuas namando terras cogere diſponunt, quibus & ipſe renamando nullatenus, ſed in ipſos quaſi deſæviens prædando, vicem compenſat cum uſuris. Unde poſtmodum rapinæ ſequuntur acerrimæ, ſeditiones etiam & incendia, nulli mutuo parcentes, ſed omnia, quaſi totaliter ab Auſtralibus Boreales diviſi ſcil. *Britones*, atque ſeipſos ad invicem ubique conſumentes. *Scoti* ſiquidem cum *Pictis*, more ſolito, crebris irruptionibus propinquas eis *Fulgentii* partes vaſtando dilacerant, prædas innumeras abducentes. Quod utique *Fulgentius* ut undique bellis competeretur non ſuſtinens, fœdus cum *Scotis* ad tempus iniit; & ex pacto pace firmata, *Britones* ſocios toto conamine, *Romanorumque* patricios, qui patriam eo tempore regebant, invaſit. Dum hæc autem apud *Britanniam* civilis diſcidii geruntur incommoda, tributi penſio *Romanis* annuatim ſolita tranſmitti, remanſit penitus inſoluta. Multi quoque *Britonum* à *Romana* fidelitate poſt ipſum abierunt, à tributorum ſubjectione ſperantes ſic abſolvi.

XXXII. *Quomodo imperator* Severus, *ad excludendum* Scotos & Pictos *ab invaſione* Britonum, *murum fieri fecit tranſverſus inſulam.*

AD imperii Regimen, ut dictum eſt, *Severus* accedens, ubique rempublicam omnino turbatam invenit, quam ad ſtatum reducere magnis laboribus conatus eſt. Igitur poſtquam *Paſcenium Nigrum*, *Ægypti* partibus & *Syriæ* rebellare conantem, occidiſſet, ac *Parthos*, *Arabes*, & *Azabenos*, victos ad pacem reduxerat; *Judæos* etiam & *Samaritas*, iterato rebellionem meditantes repreſſos, multaque rebellia toto *Romano* paciſceret orbe, *Clodium Albanum*, qui ſe *Galliis Cæſarem* fecerat, apud *Lugdunum* civitatem victum, interfecit. Civilibus itaque bellis ex omni parte maxima diligentia repreſſis, ſola *Britannia* factione *Fulgentii* remanſit effrænis. Inito quidem imperator conſilio, quis inter totius militiæ principes acceptis ſecum legionibus *Britanniam* adire ſe diſponeret inquirens, nec ullum ſe paratum eſſe dicentem audierat, aſſumpto gladio, præſto ſum, inquit, omnes præparate ſequimini, mecum ibitis, ſicque continuo verſus *Britanniam* profectus eſt. Nec tamen adventus ſui cauſa *Fulgentio* latuit, ſed ab amicis per præmiſſos clam nuncios præmonitus, quod tantæ multitudinis pugnatorum adverſus impetum ſe nequaquam cum ſuis ſperaret ullatenus prævalere. Quamobrem feſtinus *Scotiam* ingrediens, cum regibus *Scotorum* & *Pictorum*, perpetuæ pacis ſuarumque gentium æternæ communitatis perſtabile fœdus iniit, filiis ſuis duobus obſidibus interim derelictis. Quorum deinde maximo ſuffultus exercitu *Britanniam* regreſſus eſt, bella confeſtim commiſſurus. Ibat autem hujuſmodi ſæpius expeditiones faciendo redibatque, donec latiſſimi valli munitione per *Severum* trans inſulam deducti præpeditus, ac tunc primo paululum conquievit.

XXXIII. *Quomodo fulgentius* Scotorum *fultus* & Pictorum *præſidio civitatem obſidens* Eboracum, Severum *occidit Imperatorem.*

FEcerat enim Imperator eo tempore vallum trans inſulam, cum effugatum in *Scotia Fulgentium* ſuperaſſet, inter duos hinc inde fluvios, viz. *Tyne* & *Esk*, ne ſuis continuis hoſtibus *Scotis* & *Pictis*, aut ipſis etiam *Albaniæ Britonibus*, invadendi ſocios, ut ſoliti fuerant, appareat de cætero locus patens. Sciens igitur *Fulgentius* iter ſuum terreſtre verſus *Eboracum* eſſe

vallo præcluſum, naviculas victualibus inſtrumentiſque bellicis, ac equitibus oneratas repente præparat; pedites etenim cum ſeipſo cæterique terreſtris duces exercitus fluvium adeunt, & carabos ex complectis virgulis, ſcaphas ſcil. portatiles, coriis circumcirca ſubtiliter conſutas, quarum unaquaque duos aut unum ſaltem cum armis & remige transferre poterat, ex induſtria facientes, quibus remigando noctis caligine, natando ſimiliter proſpere, fluvium præ diluculo transferunt. Adunatis in unum deinde catervis, civitatem, quam invadente *Severo* prius amiſerat, *Eboracum* forti circundans obſidione, ſuorum quoſdam ab eo recedentes antea procerum in fide priſtina ſibi conjunctos recipiebat. Animati vero tanta pugnatorum multitudine, quæ ſecum aderat, ſibi potius adhærere quam *Romanis* elegerunt. Dum igitur poſt paucos dies obſidioni vacaret intentius, & præparatis multis inſtrumentorum ad mœnia civitatis ſcandenda ſeu perforanda machinis, aſſultum diligenter afficeret, in impetu repente cum ſuis idem *Romanus* princeps, ut erat magnanimus, in eos irruit, & cum *Fulgentio* bellum lethale committens occiſus eſt. *Beda* vero *Severum* eadem civitate propria morte defunctum refert: ſed *Galfridus*, ſicut & hîc, hunc à *Fulgentio* teſtatur ſequentibus interfectum.

XXXIV. *De hoc quod* Beda *ſcripſit de dicto muro civitatis, etiam obſidione ſeu morte* Severi.

BEda. Victor ergo *Severus* bellorum civilium, quæ ſibi graviſſima concurrerant, in *Britannias* omnium pene ſociorum defectu trahitur, ubi magnis gravibuſque præliis ſæpe geſtis, receptam inſulæ partem, à cæteris indomitis gentibus, non ut quidam æſtimant muro, ſed vallo diſtinguendam putavit. Hoc itaque vallum firmiſſime crebris inſuper turribus communitum à mari deduxit ad mare, ibique, viz. apud *Eboracum*, morbo obiit. *Galfridus*. *Severus*, mox ut appulſus *Britanniam* fuerit, bellum *Britonibus* committens, partem patriæ ſibi ſubmiſit, & partem quam ſubjugare nequivit, diris debellationibus in *Scotiam* fugavit. At illa duce *Fulgentio* toto niſu reſiſtens, maximam ſæpius ſtragem & concivibus & *Romanis* inferebat. Conduxerat enim in auxilium inſulanos quoſcunque populos, & ſic cum victoria multotiens redibat. Igitur irruptiones *Fulgentii* crebras graviter ferens Imperator, fieri juſſit vallum inter *Deiram* & *Albaniam*, ut ejus impetum propius accedere prohiberet. Communicatoque ſumptu à mari fecerunt illud uſque ad mare, quod poſt hoſtium acceſſus futuro tempore facilius poterat detinere. At *Fulgentius*, cum *Severo* diutius reſiſtere nequiſſet, tranſmeavit in *Scotiam*, ut *Scotorum* auxilio *Pictorumque* reſtitueretur dignitati. Cumque totam ibi juventutem collegiſſet navigando reverſus eſt *Britanniam*, & *Eboracum* obſedit civitatem. Quod cum per cæteras *Britanniæ* nationes divulgatum fuiſſet, maxima pars *Britonum* *Severum* deſerens penitus abivit ad *Fulgentium*. Nec ob id ab inceptis *Severus* deſtitit, ſed convocatis *Romanis*, cæteriſque *Britonibus*, obſidionem petens cum *Fulgentio* dimicavit. Sed cum pugnam acrius confeciſſent, *Severus* cum multis ſuorum interfectus eſt, & *Fulgentius* vulneratus.

XXXV. *De ſancto* Victore *Papa primo, ſub quo* Scoti *ſuſcipere fidem cœperunt Catholicam.*

ANno quidem imperatoris *Severi* ſeptimo, *Victor* primus, poſt *Petrum* Papa decimus quartus, *Africæ* nationis oriundus, patrem habens nomine *Felicem*, ſedit annis decem, menſibus duobus, diebus XII. Sub eo *Scoti* fidem Catholicam ceperunt, anno viz. Domini CC. tertio, unde quidam.

Chriſti

Christi tranſactis tribus annis atque ducentis.
Scotia *Catholicam cœpit inire fidem.*
Roma Victore *primo Papa reſidente:*
Principe Severo *Martyr & occubuit.*

Hic autem *Victor*, ſicut prædeceſſor ejus *Eleutherius*, ſanctum Paſcha Die Dominica celebrari conſtituit, & ad ſacerdotum interrogationem, de termino paſchali celebrando, cæteris etiam Eccleſiæ perneceſſariis, Concilium in *Alexandria Paleſtinæ* celebravit. Cui interfuit Concilio ſanctus ipſe Papa *Victor*, *Narciſſus* itaque Patriarcha *Hieroſolymorum*, atque *Theophilus Cæſarienſis* Epiſcopus; ubi ſtatutum eſt, ut obſervata XIV. luna menſis *Aprilis*, ſemper Die Dominico Paſcha celebraretur. Multi quidem & Orientis & *Aſiæ* tunc Epiſcopi, multoque tempore poſtea, cum *Judæis* Paſcha celebrabant. Conſtituit etiam quod urgente neceſſitate quicunque hominum ſive fluminibus, ſive fontibus, vel in mari, Chriſtiana tamen profeſſione credulitatis clarificata baptizaretur. Martyrio quoque ſub *Severo* coronatur, & apud Sanctum *Petrum* ſepultus in *Vaticano*, cujus feſtum agitur V^to^. *Kalendas Auguſti.*

XXXVI. *De ignobili ſucceſſione multorum Imperatorum.*

E*Vtropius*. Reliquit enim *Severus* duos filios ſucceſſores, *Baſianum*, & *Gethan*, ſed *Baſiano* nomen *Antoninus* per ſenatum impoſitum eſt; ac *Getha* publicus hoſtis judicatus confeſtim periit. *Antoninus* igitur *Baſianus*, qui & *Caracalla*, poſt patrem regnare cœpit anno Domini CCXIII. & ſex annis regnavit, atque defunctus apud civitatem *Ediſſam*, adverſus *Parthos* moliens expeditionem. *Sigibertus* apud *Ediſſam* civitatem *Baſianum* à *Parthis* tradit interfectum. *Galfridus* vero *Baſianum* in *Britannia* docet occiſum à *Carauſio*, ſed priorum potius hiſtoriis annuendum æſtimo; quia *Diocletiani* temporibus & *Maximiani*, certum eſt *Carauſium* tunc primo *Britanniam* à *Romanis* uſurpaſſe. Nam tranſactis, poſt hujus mortem, *Baſiani* ſeptuaginta duobus annis, *Carauſius* in *Britannia* contra *Romanos* rebellis effectus, ab Imperatore *Diocletiano* per ſocium adlectum interfici juſſus eſt, ut infra ſtatim recitetur. *Baſiano* ſucceſſit *Macrinus Opilius* anno Domini CCXIX. & imperavit anno uno. Poſt quem *Marcus Aurelius* imperio potitus imperavit annis quatuor. Hic *Romanorum* viceſimus cœpit anno Domini CCXX. Huic *Alexander* ſuccedens anno Domini CCXXIII. regnavit annis XIII. Quo militum occiſo tumultu, *Romanorum* viceſimus ſecundus regnavit *Maximinus*. Hic primus ex corpore militari ſine ſenatus auctoritate Imperator electus eſt ab exercitu, anno Domini CCXXXVII. & regnavit annis III. Mox *Pupienus* & frater ejus *Balbinus*, interfecto *Maximino*, uſurpaverunt imperium, & ſtatim in palatio cæſi ſunt. *Gordianus* ad imperium ſublimatus imperavit annis ſex, cœpit anno Domini CCXL. qui *Philippi* fraude occiſus eſt. *Romanorum* igitur XXIV. regnavit *Philippus* cum filio *Philippo* VII. annis. Qui primus omnium ex *Romanis* Imperatoribus *Chriſtianus* effectus eſt. His regnantibus *Romanæ* urbis milleſimus expletus eſt annus, quique fraude *Decii* ſucceſſoris occiſi ſunt: ſicque *Romanorum* XXV. regnavit *Decius* anno uno & menſibus tribus. Porro non totis duobus annis cum regnaſſet cum filio, in medio ſinu *Barbarorum* interfectus eſt. Poſt hunc *Gallus Hoſtilianus*, qui & *Decius*, cum filio *Voluſiano* regno potitus imperavit vix ann. II. cœpit autem anno Domini CCLIV. *Romanorum* quoque XXVII. imperavit *Valerianus* cum *Galieno* filio, qui & *Decius*, & imperaverunt anno XV. cœperunt anno Domini CCLVI. Qui quidem *Valerianus*, poſt Martyrium beati *Pontii* & aliorum Martyrum plurimorum, à rege *Perſarum Sapore* captus, omnibus diebus vitæ ſuæ merita pro factis percepit, ita ut quotiens rex *Sapor* æquum conſcendere vellet, non manibus

bus, ſed incurvato dorſo, cervice ejus poſito pede, equo membra locaret. *Galienus Mediolano* gladiis à militibus confoſſus eſt. *Romanorum* XXVIII. regnavit *Claudius* ſecundus annis fere duobus; cœpit anno Domini CCLXXI. Cui frater ejus *Quintilius*, ab exercitu electus, & VII. die percuſſus occubuit. *Aurelianus* poſt hunc regnavit annis pene VI. poſt *Aurelianum* occiſum *Romanorum* XXX. regnavit *Tacitus* menſibus ſex. Quo apud *Pontum* occiſo, imperium *Florianus* obtinuit,& diebus LXXXIX. imperavit.Hoc apud *Tharſum* interfecto, *Romanorum* XXXI. regnavit *Probus* annis ſex, menſibus IV. cœpit anno Domini CCLXXIX. qui militari tumultu apud *Sirmium* necatus eſt. Cui ſucceſſit *Carus* anno Domini CCLXXXV. & imperavit annnis II.

XXXVII. *De primo motu diſſentionis inter* Scotos *&* Pictos, *tempore* Diocletiani, *vel ante paulo exortæ.*

Caro quoque fulminis ictu percuſſo, *Diocletianus* poſt *Auguſtum* XXXII. anno Domini CCLXXXVII. ſuccedens annis XX. regnavit & *Maximianum*, *Herculium* primo *Cæſarem*, deinde fecit *Auguſtum*, & in *Gallias* miſit. In quo itinere *Thebea* legio paſſa eſt. Tanta quidem furia perſecutionis *Chriſtianorum* invaluit eorum temporibus, ut infra triginta dies XXII. millia promiſcui ſexus per diverſas provincias Martyrio coronarentur. Qua perſecutione Chriſtianitas in *Britannia* deleta eſt. Sed eorum juſſu dum iſta geruntur per omnes imperii *Romani* fines, ſubitarum graves perturbationum concrepuere fulgores. Porro *Carauſio*, qui ad obſervanda Oceani littora penitus fuerat, in *Britannia*, ac in *Ægypto Achilleo* rebellantibus, *Narſeus* Rex *Perſarum* Orientem, & *Africam Quinquegentiani* premebant. Hujus autem *Diocletiani* vel ante paulo tempus, *Scotorum* corregnantibus pacifice gentibus & *Pictorum*, junctiſque viribus ſuas ubique regiones protegentibus, caſu contigit ut die ſtatuto gentis utriuſque quidam nobiles more ſolito regnorum confinibus gratia venandi convenerunt. Ubi vero dum per diei ferme ſpatium huc illucque diſcopulatis canibus feras agitando diſcurrerent, moloſſus quidam, qui ſanguinolenta ferarum veſtigia ſolebat inſequi, furto per *Pictos* abductus, & apud eos continuo repertus eſt. Quem cum repetentes *Scoti*, nec reddere voluiſſent, & in ſeditionem verſi per violentiam eis eripere nitebantur. At illi quidem è contra nequaquam injurias ſatisfaciendo mitigare, ſed vel crudelius augere curantes, ad pugnam properant, ex quo partis utriuſque multi qui convenerant gladiis mutuo trucidantur. Hæc etenim occaſio primæ diſſentionis inter eos, ut legitur, & initium eſt, qui per quingentos annos una pace degentes, unaque potentia cæteris quibuſque reſiſtentes gentibus concordarunt.Sed non diu poſtmodum,quanto prius eorum quandoque unius amicitia gentis crebris alternatim obſequiorum beneficiis,confœderationibus liberorum firmis matrimonii lege, necnon & mutuis ſæpe conviviis, fovebatur intentius, tanto crudelius eorum inimicitia de cætero rapinis, incendiis, cædibus, & inſidiis, tumultibus variis & eruptionibus, de die creſcebat in diem. Et licet frequenter inter eos pax firmata treugarumque tractatus convenerunt, opus tamen in deterius quotidie verſum eſt, ut una gens alteram delere ſatageret toto niſu. Reparata tamen pax eſt per *Carauſium Britonem*, conducere vero ſecum eos præliatum contra *Romanos* intendit, ut in ſequentibus elucеſcet.

XXXVIII. *De Conventione* Carauſii *facta cum* Scotis *&* Pictis, *&* Romanorum *ejectione prima de* Britannia.

VOlvente rotam hujuſmodi non indubie fortuna mobili, *Romanorum* attenuatæ vires adeo mutantur, ut eorum orbis totus mari terraque turbaretur. Porro *Carauſius* idem viliſſime natus, militaris tamen officii periſſimus, dum arte piratica *Saxones* & *Franci* tractus *Belgici* maris & littora navibus populabantur, illud pacandi accepit poteſtatem à Senatu. Qui continuo latrunculis undique convocatis, quos ad factionem quiſquis pronos ſemper habere poterit, multas ab hoſtibus prædas ſæpe receptas non ſociis æque dividens, nec ſua reſtituens indigenis, vel ad reipublicæ provectum, aut Senatui quicquam impertiens, integras ſibi curioſitate callida collectas retinuit, ſe ditando. Ob hoc igitur etiam, ne nimia barbaros amicitia ſuſceptos, & in *Romani* ſtatus perniciem aggregatos induceret, à Senatu ſecreto per literas ut occideretur juſſum eſt. Ille vero, cum in omnibus prudens fuiſſet & cautus, *Cæſaris* mandati ſerie comperta, mox omni virtute contra *Romanos* inſurgens, totam ſibimet *Britanniam*, nihil eis inde largiens, retinuit, dominioque proprio ſuppoſuit univerſam. Inſulanas inſuper quaſcunque nationes, *Scotos* etiam & *Pictos*, quos acerrimis pridem deprædationibus affecerat, ad amicitiam pacis cum inſtantia repente provocans, ut *Romanos* ex inſula conjuncti cum eo pariter dejicere conſurgerent, multa promittendo donaria, diligenter poſtulabat. Nec eos ad hujuſmodi pacis uſquequaque contractum allicere poterat, ſi non acquiſitæ gladio tempore *Neronis* poſſeſſiones ſub eadem pacis ſubſiſterent forma conceſſerit, etiam eis integre pro perpetuo remanerent. His igitur in adjutorium ſibi conjunctis, in *Romanos* irruens, ereptis ſibi cunctis munitionibus, & oppidis, omnes è *Britannia* crudeliter expulſit, ſeſeque regni cum diademate conſignivit.

XXXIX. *De ratificatione Conventionis ejuſdem, & fœdere per* Carauſium *inter Inſulanos,* Scotos, Britones *&* Pictos, *inito, in perpetuum duraturo.*

HUnc ergo *Carauſium*, ex ſera licet militia *Britones* & obſcure natum cuncti cognoſcerent, propter tamen rei militaris qua callebat peritiam, libenter in regem ſuſcipiunt, ſperantes citius per ejus induſtriam à *Romanorum* eripi poteſtate. Conventiones quoque cum *Scotis* nuper & *Pictis* per ipſum initas, ſponte ratificant, ac dominia ducis quondam *Fulgentii*, quæ nepos ejus ex filia *Gotharius*, ad fluminis *Humbri* ripam, à *Romanis* eatenus ope *Scotorum* multis labentibus annis ærumnoſe tenuerat, in poſſeſſionem extunc ſibi perpetuam, confederationis gratia pacti, libere conceſſerunt. Et ut futuris firmatum eſt temporibus unus quaſi confecti populus contra *Romanos*, vel alias quaſcunque nationes, ipſis inferre vel eorum alteri bella volentes, abſque dolo fidelem alterutris opem darent. Mittitur interea duce *Baſiano Romana* poteſtas ab Imperatoribus ad *Britanniam*, ut à barbaris eam gentibus & indomitis, occiſo *Carauſio* vel effugato, reciperet, & ad ſolitum reipublicæ ſtatum perduceret: ſin autem, incolarum cadaveribus reſpirare volentium lugubre ſterneret ſua rura. Sollicitabat interim adventu primo blandiens *Pictos Baſianus*; non utique *Baſianus* ille *Caracalla*, qui tranſactis non paucis annis *Severo* patri ſucceſſit imperio, ſed alius jam tunc propter militiæ famam legionibus præſtare ducatum electus; quia ſi percuſſo ſecum fœdere contra *Britones* ipſum bello juvare contenderent, etiam & eis ipſe contra *Scotos* continuum adhibere præſidium non negaret.

 Sed

Sed quia Conventione prius à *Carauſio* præventi fuerant, de præmiſſis finale nullatenus dedere reſponſum: ipſum tamen vel eorum protenus habendi ſubſidium, ſeu bello ſaltem ſe ſubtrahendi ſeductum, callide dimittentes. Volebant enim fallaci prius prævidere cautela belli finem, de victoria certi, quo ſecurius cum victore pacto poſtmodum convenirent. Adveniens igitur *Baſianus*, poſtquam perfugatos cædibus variis & proſcriptionibus affecerat *Britones*, à *Carauſio*, junctis ſibi *Scotis* & *Pictis*, acerbiſſimo certamine cum multis militibus occiſus eſt.

XL. *De proditioſa morte* Carauſii *per* Adlectum *militem, & ejus ad Inſulanos exhortatione ſeu doctrina, quomodo de* Romanis *vel quibuſcunque cæteris adverſantibus tranſmarinis ſemper ſe defenderent.*

POſt hanc igitur victoriam *Carauſius* præ cæteris in omni militia ſplendeſcens, cum primus omnium *Britones*, poſtquam ab Imperatore *Julio* ſubacti fuerant, expulſis ex eorum medio *Romanis*, ad libertatem redactos priſtinam egregie rexiſſet, à ſuo milite non abſque proditionis nota deceptus gladio periit. *Beda. Carauſius Britannis* ſibi per ſeptem annos fortiſſime vendicatis ac retentis, fraude tandem *Adlecti* ſocii ſui interfectus eſt. Erat enim *Carauſius* ex pacto præclare fidelis, promiſſa quæque, ſed & cum *Scotis* Conventiones & *Pictis* compoſitas, ad unguem obſervans, eos ad mutuam & veram frequenter concordiam per intercedentes nuncios, ſæpiuſq; per literas adhortando. In hac, inquiens eis *Carauſius*, Inſula metuendos eſſe *Romanos* nequaquam cenſeo, dummodo communione fideli nationum illius varietas ſub fidis adunata principibus firmam alterutris pacem obſervet. Sic quidem, ut non intrantibus ſtatim adverſariis, priuſquam ſociorum habito vel amicorum concurſu, repentinum præceps in bellum irruat improvide: ſed ab hoſtibus ſubſtractis prudenter victualibus, bello quidem oporteat differatur, & ſic communi deliberato caute propoſito, bellandi ſuſcipiat tempus aptum. Ob mortem interea *Carauſii* principis pars maxima gentis *Britannicæ* reparato cum *Scotis* præhabitæ confœderationis pacto, vel ut *Adlectum* occidere vel ex *Britannia* poſſet expellere nitebatur. *Adlectus* vero *Pictos*, qui fœdus ante præmiſſum *Britonibus* eruperant, ſecum ducens, variis *Britanniam* afflixit incommodis: poſt annos tandem paucos pugnam cum eis aggrediens, poſt plurimas utrorumque ſtrages, & ipſe non immerito cecidit interemptus. *Eutropius*. Poſt *Carauſium Adlectus* triennio *Britanniam* tenuit, qui *Aſclepiodori* ductu Præfecti Prætorio oppreſſus eſt. Deinde vero genti *Britannicæ* bella quotiens per *Romanos* illata fuerant, auxiliantes ei totiens fidele ferebant & *Scoti* ſubſidium, adverſus quoque *Britones Romanis* opem aſſidue *Picti* dabant. Separabat autem *Pictos* à *Britonibus Adlecti* calliditas, qui ſe invicem deinceps uſque *Galliarum* Imperatoris *Maximi* tempus alternis cædibus vaſtabant. Ad Imperatorum recitando ſucceſſiones redeamus.

XLI. *De Succeſſione* Galerii & Conſtantii *Imperatorum, & bello* Conſtantii *contra* Scotos & Britones Albanenſes.

VErum periclitante republica ſub *Auguſtis Diocleſiano* & *Maximiano* ſupradictis, coadjutores ſibi duo creantur, *Conſtantius* viz. *Magni Conſtantini* pater, qui *Claudii* nepos ex filia fuit, & *Galerius Maximinus*. Quos ut eis etiam affinitate conjungerent, *Diocleſianus Galerio* filiam ſuam *Valeriam*, atque *Conſtantio Maximianus Theodoram*, ſuam privignam, uxores dederunt. De *Theodora* vero *Conſtantius* ſeptem filios *Conſtantini* fratres genuit, qui tandem ad oppreſſam ab *Alemannis Galliam*, *Britanniamque* laborantem civilibus, à *Maximiano* miſſus eſt. *Gallias* autem pacificatas pertranſiens ſeceſſit in

in *Britanniam*, & tres ſecum transducens legiones, non bello, ſed belli quidem formidine, *Britones* faciliter Auſtrales ad pacem coegit. *Albanicis* vero *Britonibus* & *Scotis* bellum indicens, *Pictorum* in eos gentem, in vicinorum perniciem ſemper pronam, agitabat. Erat enim his diebus cum *Diocleſiano* militans filius *Conſtantii Conſtantinus* juvenis, ex *Helena* priore conjuge genitus, quem *Diocleſianus* dolo perimere, ſtimulante *Galerio*, ſatagebat. Cujus fraude per *Fauſtam Maximiani* filiam, quam uxorem duxerat, detecta, ſalvus ad patrem remeavit. Recedentes ab imperio *Diocleſianus* & *Maximianus*, eoſdem *Conſtantium* & *Galerium* ſucceſſores habebant, anno Domini CCCVII. qui poſtquam creati ſunt *Auguſti*, *Romanum* imperium in duas procurationes, Orientis ſcilicet & Occidentis, primi diviſerunt. Ita ut *Gallias*, *Africam* & *Italiam Conſtantius*, *Galerius Illyricum*, *Aſiam*, & Orientem obtinerent. *Conſtantius* tamen *Auguſti* dignitate cum *Galliis* contentus, regendi quidem *Italiæ* ſicut & *Africæ* ſollicitudinem recuſavit. Sicque biennio *Galerius* imperium ſolus tenuit. *Beda*. *Conſtantius*, qui vivente *Diocleſiano* *Galliam Hiſpaniaſque* regebat, vir ſummæ manſuetudinis & civilitatis, in *Britannia* morte obiit. Hic *Conſtantinum* filium ex *Helena* Concubina procreatum *Galliarum* reliquit Imperatorem.

XLII. *De ſucceſſione Magni* Conſtantini *Imperatoris, & ejuſdem avunculo* Traherio *per* Scotos *&* Britones *occiſo.*

E*Uſebius*. Igitur *Conſtantinus*, ex *Helena Conſtantii* Concubina genitus, anno Domini CCCIX. pervaſit imperium, & regnavit annis XXXI. cum menſibus X. qui ſtatim poſt mortem primus, animo totum imperium invadendi; collectis *Gallorum*, & quotquot *Britonum* habere potuit, verſus *Italiam* profectus eſt. Interim excitato *Romæ* tumultu Prætoriani *Maxentium* *Maximiani* filium *Auguſtum* nuncupaverunt. *Eutropius*. Eo tempore respublica per quatuor tuebatur Imperatores, *Conſtantinum* & *Maxentium*, *Auguſtorum* filios, *Licinium* & *Maximinum* novos homines. *Conſtantinus* quoque poſt aſſumptum imperium anno quinto *Maxentium* vicit, *Italiaque* potitus eſt; anno deinde IX. *Maximino* fortuita morte prævento, *Licinium*, cui ſoror ejus *Conſtantia* nupta fuerat, navali terreſtrique bello victum interficiens, totum obtinuit imperii principatum. Anno ſui regiminis X. *Romæ Petri* Cathedra Sanctus Papa *Silveſter* ſedit, natione *Romanus*, qui dictum Imperatorem à lepra baptizando mundavit, ex quo pacem deinceps accepit Eccleſia, quæ ſecundum omnes hiſtoricos à tempore *Neronis* continua turbine perſecutionis laborabat, quamvis crudeliores cæteris decem annotentur. Nam ad hunc *Silveſtrum* excluſive quotquot *Romæ* præfuerunt Eccleſiæ Pontifices, excepto duntaxat *Marco*, Martyres extiterunt. Victi ſunt his diebus in *Britannia* per *Britones Romani* cum *Gallis*, quos ad ipſius tutelam *Conſtantinus* tranſmiſerat, ſed nullatenus expulſi, quia ad eorum mittebantur præſidium legiones aliæ, quæ ſub jugo redactis *Britonibus* clade miſera *Scotos* etiam lacerabant. Inter hæc vero *Britannici* generis *Octavius* nomine dux quidam, inſperate primo cum paucis inſurgens, legionum duces atque Patricios ſimul Prætorio conſedentes extinxit. Igitur ad eum mox omnes indigenæ libertatis gradum volentes aſcendere ſubito confluunt, ac ſuum unanimes in regem, hoſtibus ex Inſula dejectis, erexerunt. Deinde mittuntur adverſus eum & aliæ legiones duce *Traherio*, à quo victus *Scotiam* adiit, & *Scotos*, *Pictos* etiam, quos *Britones* eatenus hoſtes habuerant, firma pace compoſitos, *Britanniam* rediens, ſecum adduxit, ac ipſum *Traherium*, cui *Britonum* penitus obſtiterat omne robur, interfecit.

XLIII. *Quomodo* Octavius *Rex* Britonum *trifarias Inſulæ gentes, videlicet* Scotos, Britones *&* Pictos, *ad unitatem pacis reduxit, ut dudum* Carauſius, *& de ſucceſſione filiorum* Conſtantini.

IGitur ſolio regni ſublimatus *Octavius*, ad veræ pacis unitatem, ut dudum *Carauſius*, Inſulæ trifarias gentes, *Scotos* viz. *Britones* & *Pictos*, verus interceſſor exiſtens, reduxit; promiſit inſuper ex pacto ſe ſuoſque ſemper ad eorum defenſionem pronos juvamen impendere, ſi ſecum adventantes contra *Romanos* dimicarent, cum opus fuerit, & hoc idem quiſquis eorum confirmavit alteri ſacramento. Quomodo utique conventionis fœdus ex omni parte fideliter aliquandiu ſervatum eſt, & uſque cujuſdam tyranni tempus, cui nomen *Maximus*, cujus crudeli dolo tyrannidis ab invicem dictæ gentes ſeparantur, & in nihilum pene, ſicut infra declarabit hiſtoriæ veritas, rediguntur. *Conſtantino* quoque *Nicomedia* decedenti tres filii ſucceſſerunt, *Conſtantius* viz. *Conſtantinus* & *Conſtans*, anno Domini CCCXL. *Conſtantius Romanum* adeptus eſt imperium, *Conſtantinopoli* vero *Conſtantinus* regnavit, & apud *Antiochiam Conſtans*. *Conſtantinus* interea dum fratri bellum inferre vellet occiſus eſt. *Conſtantem* quoque *Magnentius* apud caſtrum cujus *Helenæ* nomen eſt interemit, imperii anno XVII. *Conſtantius* autem vir egregiæ tranquillitatis, cum annis XXIV. [*al.* XXVIII.] regnaſſet,ad bellum civile contra *Julianum Apoſtatam* converſus, inter *Siciliam* & *Cappadociam* obiit in itinere. Anno quidem hujus *Conſtantii* XVI. *Maximus*, de quo ſuperius eſt tactum, ab eo regendi *Gallias* accepta poteſtate, cum legionibus proficiſcens proditione quorundam *Britonum* allectus, relictis in quiete *Galliis*, *Britanniam* cum ſuis copiis venit, *Gallis* pariter & *Romanis*. Hic ex Imperatorio genere deſcendens, *Conſtantini* viz. *Magni* conſanguineus, partem imperii ſibi competere calumniabatur. In catalogo Principum *Romani* generis, qui dominabantur *Britonibus*, legitur, quod ab anno *Gratiani* primo, & deinceps, apud *Britones* regnaverit *Maximus* annis XXXIII. hoc eſt ab anno Domini CCCLXXXI. & ſic ad annum quintum Imperatoris *Honorii* vixiſſe diceretur. Sed hoc nullatenus ſtare putatur, quia *Theodoſii* Senioris anno ſecundo, qui dominicus eſt annus CCCLXXXVIII. Idem *Maximus*, propter iniquam mortem *Gratiani*, quem proditione magis quam bello peremerat, apud *Aquileiam* à *Theodoſio* captus eſt, & occiſus; patet igitur verius quod anno *Conſtantii* XVIII. Domini viz. CCCLV. *Maximus* hoſtiliter *Britanniam* intraverat debellandam.

XLIV. *Quomodo* Conanus *nepos* Octavii, Scotos *&* Pictos *bellando duxerat contra tyrannum* Maximum, Conſtantini Magni *conſanguineum, qui* Maximus *poſtmodum ſimulata pace* Pictos *à* Scotis *callide ſeparat.*

IPſi tyranno quoque *Maximo* venienti *Britanniam*, primo nutu pars maxima *Britonum* adhæſit, ſed hi præcipue, quos ut patriam invaderet invitatores habuit, pars vero reſidua firmiter cum *Octavio* permanebat. Deinde in *Britannia* civile bellum inter eos commotum eſt, & hinc inde conflictus varii. *Maximus* tamen potiori bellorum fine potitus eſt. *Conanus* autem *Brito* Regis *Octavii* nepos, cujus adminiſtrationes belli gerebat, ſeceſſit in *Scotiam*, & ſocios *Albaniæ*, *Britones*, *Scotos* & *Pictos*, & aliis undique collectis auxiliis regreſſus, & bellum cum *Maximo* committens victus eſt. Unde deſperatus *Octavius* rex triumphanti *Maximo* ſeſe dedit. Ad *Scotiam* nihilominus iterum *Conanus* refugiens, copiis iterumque reſociatis ad bellum properans, adhærentes cum *Maximo* Provincias trans *Humbrum* clade vaſtando graviſſima contrivit. Bellorum vero ſtrages inter eos continuæ trium annorum durabant ſpatio, quibus *Scotorum* vires tantis attenuantur incommodis,

quod

quod ſecum deinceps ad certamen ſecum ſe conferre nequaquam poſſe dixerunt; quia ſuæ nobiliores gentis quamplurimos bellis prioribus amiſiſſent. De pace vero tractanda ſalvis omnino confœderationibus conſilium dabant. Præcaventes autem & hi, qui *Conanum* extollere volebant *Britones*, ne ſuo ſine conſenſu *Scoti* cum *Maximo* pacem ſecreto conficerent, etiam ſocios, ſine quibus minime bella ſubiſſent, à ſuo videntes ſubſidio deficere, pacem & illi continuo, quam ipſe ſæpius expetiit, inierunt. *Galfridus.* Redibat igitur *Maximus* commiſſis præliis quandoq; cum triumpho, quandoq; ſuperatus abibat. Denique, cum alter alteri damnum maximum intuliſſet, concordiam annuentibus amicis fecerunt. Huic *Maximus* per anni ſpatium firmam ſimulando pacem habere cum *Scotis*, ut primo tractatu ſub fide *Conano* promiſerat, regem *Pictorum* & populum occulte ſibi callida ſocietate connectens, adverſus eos bella movendum fallaciter excitavit. Intendens vero populum utrumque ſub ſua ſervitute deducere, caute primo diviſit ab invicem, ut poſtmodum facilius vincere poſſet; quia quos inſuperabiles communi potentia conjunctos noverat, dolo ſuperatos vincere propoſuit, cujus propoſiti ſtatim effectus, & in brevi poſtea ſequebatur.

XLV. *Quomodo* Britones *cum* Pictis, *duce* Maximo, Scotos *à regno dejecerunt.*

IMmemores deinde confecti fœderis, quod olim agente *Carauſio* nec fruſtra *Scotis Picti* pepigerant, eorum illico Provincias non ſolum cum *Maximo* conjuncti Comites, verumetiam duces præcipui cæteris per omnia crudeliores vaſtabant, & interceptos vel populando quoſcunque, vel conflictu majores, omni ſpreta redemptione trucidant, inermi nequaquam vulgo parcentes vel imbelli. Omnis vero *Britannicæ* gentis aggregata poteſtas, ut eos deleret, *Pictis* adhærere non diſtulit, ſolus *Conanus* & ſui, quamvis opprobrium à *Maximo* cum indignatione tuliſſent, à prædis ſe continent & cædibus, nec eis aſſenſum tantummodo dare volebant aut juvamen. Me dudum eis, *Conanus* inquiens, & ipſi fidem perpetui fœderis mihi feciſſe commemoro, quam violare nullatenus honeſte valeam, quemadmodum inviolatam hactenus ut illi fideliter obſervarunt. Nefanda deinceps inter eos bella multo prioribus ſævibra reſurgunt, quibus, poſt modicum adhuc tempus, non confectorum ſenio, ſugentium vel ubera parvulorum, mulierculárumve partu proximo quicquam hinc inde miſeretur, ſed cujuſque ſexus univerſi, quos vel interciperent, hac clade miſera conſumti ſunt. Quid plura:

Finalis demum Pictis *victoria ceſſit,*
Amplius in bello nequeunt reſiſtere Scoti,
Qui probitate ſolent armorum gentibus eſſe
Contiguis terror, hoſteſque fugare ſuperbos,
Subdere vi terras, victores jura tueri.
Fœdere conjunctis & opem conferre potenter.
Jam latitant derelicti, ſit nullus amicus.
Fugantur gladio, cæduntur & exiliantur.
Hoſtis & eſt plebi judex, generoſa propago
Exulat, heu regni cum principe vis perit omnis.

Cecidit autem his diebus in bello rex *Scotorum Eugenius* cum filio, multique cum eis Principes & reguli, vulgus etiam innumerabile: ſed & reliqui, qui bello ſupererant, relictis prædiis, ſubeſſe cum populo vel hoſtibus ſervire nolentes, elegerunt in terram potius alienam velut advenæ degentes liberi, quam propria ſubditi vivere continua ſervitute. *Echoth.* quoque regis frater

 ter

ter cum ſuo filio, cui nomen *Erth*, aliiſque pluribus *Hyberniam* petiit. Alii vero *Norguegiam*. Inſulas itaque quidam petentes per omne tempus latebant excidii, præter quas omne regnum, circa Dominicæ tempus Incarnationis, annum viz. CCCLX. amiſerunt.

XLVI. *De tranſlatione reliquiarum beati* Andreæ *Apoſtoli per* Conſtantium *Imperatorem, de civitate* Patras *ad* Conſtantinopolim.

IDem quoque circa tempus *Conſtantius* Imperator, filius Magni *Conſtantini*, de quo præmiſſum eſt, anno regni ſui XX. zelo Chriſtianæ Religionis ductus & ſpeciali devotione, quam erga beatum *Andream* Apoſtolum antea diu corde conceperat, ſtimulatus, facto complere deſiderans, regionis *Achaiæ* civitatem *Patras*, qua paſſus eſt Apoſtolus & ſepultus, adiit, & ſuas inde reliquias manu valida ſurripiens, in maxima lætitia cum hymnis & canticis VII. Idus Maii *Conſtantinopolim* tranſtulit, ac thecis ibidem aureis & argenteis ſummo locavit cum honore. *Achaia* quidem eſt una de ſeptem *Græciæ* Provinciis, & Inſula pene; nam abſque Septentrionali ſua parte, qua *Macedoniæ* jungitur, eſt undique mari circumſepta. Erat enim beatus *Andreas* Apoſtolus Chriſti vocatione primus, in ordine ſecundus, aut certe tertius, colore niger, decorus aſpectu, ſtatura mediocris, barbam habens prolixam, cujus quorundam oſſium de *Patras* ad *Scotiam* tranſlatio ſequitur in hunc modum. Accidit autem, ut divino nutu, tertia nocte priuſquam Imperator civitatem eſt ingreſſus, Angelus Domini cuidam ſancto viro timenti Deum Abbati, nomine *Regulo*, reliquiarum cuſtodi, dicens. Applica tibi fratres idoneos, & pergens ad Sarcophagum, quo beati *Andreæ* Apoſtoli recondita ſunt oſſa, tolles inde dextræ manus tres digitos, & os brachii dependens ab humero, dentem unum, & genu patellam, ac ubi monſtravero tibi caute cuſtodias, donec redeam. Qui mox electis fratribus accerſitis omnia velut ſibi præceptum eſt oſſa ſecum deferens, in ſecretiori loco per Angelum condidit aſſignato: veniens igitur expeditis legionibus Imperator poſt biduum civitatem opibus evacuando captivat, & acceptum in quo condebantur reliquiæ ſcrinium, decenti veneratione *Conſtantinopolim* afferri juſſit, ſeipſo pariter cum exercitu comitante.

XLVII. *Quomodo Angelus Domini beatum Abbatem* Regulum *cum ſociis mandaverat, ut accepta parte reliquiarum Boreales adire mundi partes non tardaret.*

TRanſcurſis demum annis aliquot Angelus iterato cœleſtis ad Abbatem reverſus *Regulum*, hoc illi mandatum vultu terribili quod ſequitur in omnipotentis Dei nomine tradidit & his verbis. Reſumptis, inquit, beati *Andreæ* Deo dilecti, quas me nuper docente reſervaſti, reliquiis, *Scotorum* totum laudabilem aſſumens comitivam, occiduas partes ſub leonis circio, mundi finem, adire non differas; & quocunque locorum qua tranſveheris carina Deo volente naufragio periclitet, te tamen & ſociis in incolumitate perſiſtentibus, ibidem tui laboris extenſum aut longioris ſaltem itineris ſcias feliciter conſummatum. Caveas inſuper, nec hujuſmodi ſis mandati negligens aut immemor, quia & eodem loco, divini nominis ad honorem, & Apoſtoli ſui ſancti perpetuæ venerationis laudem, firmiter Eccleſiæ fundamina jaceas; quia futurum eſt, ut ſicut ejuſdem vivet prædicationis ſonitu, quod non ignoſcis, dudum Oriens, ita reliquiarum ejus ſcias veraciter ſignis fiendis & totum Occidens pro perpetuo decorari. Erit enim locus ille quidem electus à Deo ſempiterna ſedes Apoſtolica, firma ſiquidem fidei petra, nec immerito, quia beati *Petri* fratris, cui dixit Dominus tu es *Petrus* &c. itaque regni

regni, quo ſitum habeat, immobilis erit & tenax anchora, cunctiſque fidelibus, præcipue regibus & cæteris terræ potentibus, ob devotionem Apoſtoli percelebris, quorum prædiis abunde ditabitur & muneribus. Venientium igitur ibidem peregre diverſis ex mundi finibus, ut corporis ſalutem & animæ recipiant, catervæ crebro fidelium, adeptis mirifice petitis ad propria gaudentes redibunt,& Deum in Apoſtolo,qui ſemper in ſuis glorioſus eſt ſanctis, voce magnifica collaudantes. Et his dictis Angelus ab eo diſparuit, & ejus ad exequenda mandata beatus *Regulus* ſe convertit. Igitur divinis volens obtemperare præceptis, prudentibus viris ac religioſis ad ſe vocatis, ſcientia; moribus præclaris, quos & pridem angelica ſigillatim exhortatio præmonuit ſuæ peregrinationis fieri participes, ſecum ad navem ſacras deferens reliquias mare petiit, partes adire paratus circiales. Hæc autem hujus comitivæ Sanctorum ſunt nomina quæ ſequuntur: Primus vero Sanctus Abbas *Regulus*, & Sanctus *Damianus* Presbyter. *Gelaſius* & *Thubaculus* diaconi, *Merinatus* frater Sancti *Damiani*. *Nerius* & *Eluſenius* de *Cretha*, *Mirenus*, *Machabenus*, & *Silvius* frater ejus. Heremitæ quidem octo, viz. *Felix*, *Sajanus*, *Mathæus*, *Mauricius*, *Madianus*, *Philippus*, *Lucius* & *Eugenius*. Ac Virgines Sanctæ tres de *Coloſia*, viz. *Triduana*, *Potentia*, & *Emeria*.

XLVIII. *Quomodo beatus* Regulus *ſociique ſui cum reliquiis naufragi primo* Scotiam *advenerunt, tempore Regis Pictorum* Hurguſt.

HI quoque viri ſanctiſſimi cum virginibus refertam quibuſque neceſſariis ingreſſi naviculam, æquoreo tramite Mediterraneo fines *Europæ* circuiverunt, quouſque ſitus Oceano multis fatigati laboribus venirent ad Inſulas ſub Occaſu. Cumque ſpatio duorum pene fuiſſent annorum, ut aura duce contigerat, freto non cognito vagantes, ignari quid agerent, ab Oriente ſubito ventus vehemens & ſolito validior in velum irruit, cujus impetu regno *Pictorum* inter ſcopulos *Albionis* Inſulæ, velut ab Angelo prædictum fuerat, ratis impulſa conquaſſatur. Confortatus tamen à Deo beatus *Regulus*, incolumis ad terram cum ſociis IV. kal. Octobris, Dominicæ crucis prælato ſignaculo, gaudens aggreditur, & ibidem in nemore *Porcorum*, quod patria lingua *Mucroſſis* dicitur, ad honorem Apoſtoli baſilicam poſtea dedicavit. In quo loco reliquiarum attactu multa fiebant, etiam hactenus ſtupenda fiunt miracula, qualia poſt fidei ſuſceptionem in Inſulis viſa nequaquam eatenus vel audita ſunt, utpote cæcis ab utero daretur viſus, mutis ſermo, greſſus claudis, & omnibus pie ſuffragium Apoſtoli petentibus, à quacunque tenebantur infirmitate, medela protinus Deo miſerante largiretur. Crebreſcentibus hujuſmodi quotidie miraculis occurrunt undique nationum populi cum muneribus, immenſas Deo laudes, comploſis manibus, de tanto patrono ſuppliciter extollentes. Illius autem eo tempore regionis rex *Hurguſt*, filius *Forgii*, loci delectatus ſanctitudine, ſuum inibi palatium juxta baſilicam ædificans, beato *Regulo* ſuiſque fratribus terras quaſdam pro ſeminandis frugibus in elemoſynam perpetuam excolendas conceſſit. Cujus exemplo poſteri reges, ut ſuæ devotionis dictabat affectus, quamvis in modico, poſſeſſio tum augebatur, uſque quo rex *Hungus*, qui poſt annum octingenteſimum Incarnationis Dominicæ *Pictos* rexit, decimam regni partem beato *Andreæ* tradidit, ob opem mirabilem in expeditione ſibi collatam contra *Saxones*, ut libri quarti decimotertio capitulo patet & decimoquarto. In forma quoque monaſteriali fundata cellula, deputatiſque reliquiarum cuſtodibus, beati viri prædicando per patrias exiere, non equites, ſed ut dudum Apoſtoli, per binos & binos verbum Dei gentibus ubique ſeminandum innumera ſigna miraculoſe facientes. Cum igitur has in fide gentes doctrinis cœleſtibus imbuiſſent, & ſignis confirmaſſent variis, beatiſſimus Abbas *Regulus* poſt annos triginta duos, poſtquam naufragiis in *Albioni* advenerat Inſula; quibus evan-

gelicum

gelicum opus exercens mirifice Deo complacuit, apud *Kilremont* à *Mucroſis* per regem mutato nomine, plenus dierum obiit & grandævus.

XLIX. *Quomodo* Maximus, *poſtquam* Scotos *ſeparatos à* Pictis *bello contriverat, & ipſos etiam ſubegit, & de ſucceſſione Imperatorum.*

RUpti namque fœderis gens ipſa *Pictorum*, cum *Scotos* à regno callide per eam deceptos expuliſſet, impunis poſtmodum diu non exſtitit. Nam & ejuſdem *Maximi* tyrannidem ſtatim poſtea perſenſit, & ex eodem liquore felleo, quem ſociis nequiter propinari compoſuit, etiam & ipſa nec immerito potavit. Igitur tyrannus idem *Maximus*, dum *Scotos* à regno penitus noverat exactos, totius potentiæ robur in *Scotiam* repente conduxit, & *Pictos* priori bello multum à *Scotis* debilitatos, & pluribus oppreſſos bellis ſervire coegit, eorum cunctis munitionibus, etiam *Scotorum* quas ipſi ceperant, captivatis. Interea *Conſtantius* Imperator, adverſus patrui filium *Julianum* Apoſtatam regnare molientem ad bellum civile converſus, poſt annum imperii viceſimum quartum, inter *Ciliciam* obiit & *Cappadociam* in itinere. Quo mortuo *Julianus* ad Imperatoriam acceſſit dignitatem, anno Domini CCCLXIV. & imperavit anno uno cum octo menſibus, alibi tamen annis tribus. *Eutropius* quoque ſeptem tradit; erat enim magni *Conſtantini* nepos, qui *Bizantiam* de ſuo nomine *Conſtantinopolim* vocari præcepit. Habuit enim *Conſtantinus* duos ex eodem patre ſed non ex eodem matre germanos, *Dalmatium* ſcilicet & *Conſtantium*, qui vero *Conſtantius* iſtum genuit *Julianum*. Sub eo paſſi ſunt Sancti *Damianus*, *Gordianus* & *Epymachus*, *Johannes* & *Paulus*, & plures alii Sancti. Poſt necem vero *Juliani*, quem ſanctus martyr & miles *Mercurius*, ſicut Sancto *Baſilio* revelatum eſt, peremit. Acceſſit ad imperium *Jovinianus*, & imperavit menſibus octo. Deinde magnus *Valentinianus* imperio ſucceſſit, anno ſecundum *Paulum Diaconum* ab urbe condita MCXVI. & ſecundum *Hugonem* anno Domini CCCLXVII. *Romanorum* Imperatorum in computatione triceſimus octavus, & imperavit annis XI. Hic non ſolum corporis fortitudine ſed & prudentia, temperantia, atque juſtitia, corporiſque magnitudine præfulgebat. Cum idem antea ſub *Auguſto Juliano* fidem Chriſtianitatis integram gerens, ſcutariorum tribunus eſſet, juſſus ab Imperatore ſacrilego vel idolis immolare vel cedere militia, ſponte deceſſit. Nec mora, cæſo *Juliano*, *Jovinianoque* mortuo, idem *Valentinianus*, qui pro Chriſti nomine tribunatum amiſerat, in locum ſui perſecutoris imperium accepit. *Valentem* vero fratrem in communione regni ſuſcepit, & filium *Gratianum* anno regni tertio ſuſtolli fecit Imperatorem. *Sigibertus.* Hoc tempore *Maximus*, qui per tyrannidem *Britanniam* invaſit, *Scotos* & *Pictos* eam incurſantes ſuperavit, & regis *Octavii* filia aſſumpta conjugio, ſe regni diademate conſignivit.

L. *De præſumptione* Maximi *contra* Romanum *imperium, & ejus interitu. Ac de* Conano, *cui regnum tradidit* Armoricum, *quod de cætero minor* Britannia *vocatum eſt, & Imperatorum ſucceſſione.*

POſtquam *Valentinianus* apud *Brigitionem Quadorum* oppidum ſubita ſanguinis effuſione, quæ dicitur apoplexis, expiraſſet, ejus frater *Valens* cum nepote *Gratiano* III. annis & VI. menſibus imperavit. Quo *Valente* per *Gothos* in vili caſula cremato, remanſit *Gratianus* Imperator cum *Valentiniano* juvene fratre ſuo; cœpit anno Domini CCCLXXXI. & imperavit annis ſex. Coadjutorem vero ſibi *Theodoſium Auguſtum* fecit, qui poſt ipſum *Gratianum* occiſum à *Maximo*, ſolus imperavit annis XI. cum jam in Orientis partibus ſex annis *Gratiano* vivente regnaſſet; cœpit anno Domini CCCLXXXVII. Porro

Maximus, qui merito *Maximus*, ſi tyrannorum addatur, dici poſſet, in regni *Britanniæ* ſublimatus faſtigio, cum ſuæ dolo calliditatis & potentia *Scotos* à *Pictis* ſociis nequiter circumventos, ac truſos in exterminium, eorumque victores *Pictos* ſuo cernebat ſubditos dominio, ſuperbire cœpit, & contra *Romanum* imperium ſuam tyrannidem exercere. Nam divulgata morte *Valentis*, non obſtante quod *Valentiniano* jamdudum & filio ſuo *Gratiano* regnantibus firmatam ſacramento fidem feciſſet, arrepta tyrannide purpuram induit, & *Dionoto* tribuno pro judice *Britannis* relicto, omnes *Galliarum* regiones, quas ſub eiſdem *Auguſtis* regendas acceperat, imperio ſublatas uſurpavit. Hæredem ſe dicebat magni *Conſtantini*, ideo quod *Gallis* ad minus imperare deberet ac *Britonibus* contendit. *Gallica* deinde regna poſtquam obtinuit, *Armoricum* regnum *Conano Meriodok* pro *Britannia* recuperatum, anno Domini CCCLXXXVI. tradidit, & expulſis indigenis promiſcuo ſexu *Britannici* generis illud reſtaurans, minorem deinceps *Britanniam* nominavit. Timuit enim ne *Conano* redeunte *Britanniam*, cum eo *Britones* contra ſuæ majeſtatis potentiam, ut ſoliti ſemper adverſus extraneos, tumultu conſurgerent; ipſum igitur cum aliis ſibi ſuſpectis proceribus ſecum transduxit ad *Gallias*, quos cum multis plebanorum millibus ex Inſula deductis minori locavit in *Britannia*. *Beda*. *Maximus*, vir quidem *Auguſto* dignus, niſi contra fidem emerſiſſet, in *Gallias* tranſiit, ibique *Gratianum* dolo circumventum occidit. *Theodoſius* inſuper anno regni ſui ſecundo, vel ſecundum alios primo, beneficiorum *Gratiani* non immemor, hoſtem illum *Maximum* trucem ac formidabilem occidit apud *Aquileiam*, ac *Valentinianum* fratrem *Gratiani* reſtituit Occidentis ad imperium. *Sigibertus*. Tempore *Theodoſii* Senioris Sanctus *Patricius Scotus* in *Hybernia* cum ſororibus venditur, ubi cum *Reguli* cujuſdem *Porcarius* eſſet, Angelico ſæpius alloquio fruebatur.

LI. *De Chriſtianiſſimis actibus Imperatoris* Theodoſii Senioris, *& ejuſdem uxoris* Placellæ.

HUgo *Floriacenſis*. Denique Chriſtianiſſimus Imperator *Theodoſius* contra gentilium errorem inſurgens, eum evertere funditus deſtinavit. Lege primo data præcepit idolorum templa ſolotenus everti. Ante ſui temporis imperium magnus *Conſtantinus*, qui primus pietate morum ornavit imperium, ſacrificare dæmonibus interdixit, non tamen eorum evertit templa, ſed inacceſſibilia fore præcepit. Cujus filii paterna ſunt ſecuti veſtigia. *Julianus* autem eis ſuccedens impietatem renovavit, & veteris flammam erroris reaccendit. Interemptoque *Juliano Jovinianus* imperium aſſecutus, immolationes rurſus prohibuit idolorum. *Valens* denique cunctis imperii *Romani* gentibus conceſſit, ut religiones ſuas colerent ſicut vellent. Illos impugnans ſolummodo, qui dogmata non ſuſcipiebant Arriana. Sic quidem & uſque tempus hujus nobilis *Theodoſii*, & ad idolorum aras ignis accendebatur, & libamina atque ſacrificia offerebantur; ſed & publicas feſtivitates populi per plateas agebant, & orgya *Dionyſii* celebrabant, atque cum ſacris currebant eviſcerantes canes, & furentes agebant omnia, quæ nequitia proprii erroris inſinuat. Sed hæc omnia Catholicus Imperator *Theodoſius* extirpare radicitus imperavit, & evulſa corripuit & condemnavit. Imperatrix uxor ſua *Placella* claudorum, cæcorum, atque debilium maxime habebat curam, non ſervis, non aliis utens miniſtris ad hæc officia peragenda, ſed per ſemetipſam hæc agens ad eorum habitacula veniebat, unicuique quod opus habuit præbens, & per Eccleſiarum Xenedochia diſcurrens ſuis manibus infirmis miniſtrabat. Ollas eorum extergens, jus guſtans, offerens coclearia, panem frangens, cibos miniſtrans, calices guſtans, & alia cuncta faciens, quæ ſervis & miniſtris mos eſt ſolemniter operari, faciebat. Illis autem qui de rebus eam talibus prohibere nitebantur dicebat. Aurum autem diſtribuere imperii

opus eſt, ego autem pro ipſo imperio hoc opus offero mihi bona tribuenti. Sed & viro ſuo ſæpe dicebat, oportet te, marite, ſemper cogitare quid dudum fueris, & quid modo ſis. Nam ſi ſemper hæc cogitaveris, ingratus Deo benefactori tuo non eris, ſed imperium, quod eo largiente ſuſcepiſti, per omnia legaliter gubernabis. His autem & hujuſmodi ſermonibus optima mulier ſedulo virum ſuum proficere virtutibus hortabatur.

LII. *Quomodo mortuo tyranno* Maximo, Scoti *regnum ſuum recipere cœperunt, & de ſucceſſione Imperatorum.*

THeodoſius autem, bene tranquillata republica, apud *Mediolanum* naturalis mortis quietem invenit. Cui ſucceſſerunt duo filii, quos ex eadem *Placella* genuit, *Honorius* & *Arcadius*, anno Domini CCCXVIII. ſimulque regnabant annis XIII. Eorum anno ſecundo dicit *Sigibertus* Sanctum obiiſſe *Martinum*, ſed *Proſper* eorum anno quinto. Iſtorum vero temporibus Imperatorum diu proſtrata lateque diſperſa *Scotorum* natio, poſt mortem *Maximi* ſtatim reſurgere cœpit, & ex illatis ſibi tanto tempore per hoſtes injuriis ultionem expetere condignam intendit. Cum igitur à *Theodoſio* peremptus fuiſſet *Maximus*, ejuſque filius *Victor* nomine, quem imperandum *Gallis* dum ad *Italiam* tenderet reliquit, etiam ab eo fuerat extinctus, necnon & comes ſuus *Andragatius* his auditis ex navi præcipitem ſeſe dediſſet in mari, nec ulterius ejus familiæ ulla ſpes iterum reſpirandi fuerat, *Gratianus* municeps à quibuſdam *Britonibus* Imperator ejus loco *Britanniæ* creatus eſt. Ab aliis tamen ſuam timentibus tyrannidem, ne velut *Maximus* perperam aliquid in eos ageret, poſt creationem mox percuſſus occubuit. *Paulus* & *Beda*. Apud *Britannias* loco *Gratiani Conſtantinus* ex infinita militia propter ſolam ſpem nominis ſine merito virtutis eligitur. Qui *Gallias* tranſiens detrimento reipublicæ magis fuit quam augmento, *Conſtantemque* filium ex monacho *Cæſarem* factum *Hiſpanias* miſit. Quod audiens *Honorius*, dum jura reipublicæ continuis vexari cerneret incommodis, generem ſuum *Conſtantium* comitem, virum ſtrenuum, ad *Gallias* cum exercitu miſit. Ubi mox ingreſſus *Conſtantinum* apud *Arelatem* extinxit. *Conſtans* vero filius ex monacho *Cæſar* à *Gerontio* comite *Vienna* peremptus eſt. Hos vero patrem & filium *Galfridus* in *Britannia* proditione *Pictorum* docet occiſos, cujus etiam variæ tenent hiſtoriæ contrarium.

Explicit Liber Secundus.

Inci-

Incipiunt tituli Capitulorum Libri tertii.

CAP. I. DE *Ferguſio* filio *Erth Pictis* conjuncto, regnum dolo tyranni *Maximi* per *Romanos* & *Britones* quadraginta tribus annis detentum recipiente.
II. De eodem, & expulſione *Romanorum* & *Britonum* de ſuis regnis.
III. De crudelitate cladis per *Pictos* & *Scotos* illatæ *Britonibus*, & *Romana* legione, ac ædificatione foſſæ per Inſulam, quæ dicitur *Grymiſdike*.
IV. De victoria *Romanæ* legionis & *Britonum* contra *Scotos* & *Pictos*, bello quo cecidit rex *Ferguſius*, cum magna parte ſuorum & *Pictorum*.
V. De ſucceſſione regis *Eugenii* filii *Fertharda*, qui cum avo *Gryme* evertit *Grymiſdike*, & de ſecunda legione *Scotos* iterum & *Pictos* fugante citra amnem *Tynam*.
VI. De reparatione muri, quem *Severus* Imperator olim conſtrui juſſit trans Inſulam, inter *Gatyſhede* & *Carlyle*, ac reditu legionis, & electione primi regis *Francorum*.
VII. De *Scotis* murum deſtruentibus, & de clade quam *Britonibus* intulerunt.
VIII. De adventu Sancti *Palladii* in *Scotia*, primi *Scotorum* Epiſcopi & doctoris, quamvis ante fidem longe ſuſceperant.
IX. De Sanctis, eodem *Palladio*, *Servano*, *Kentigerno*, *Ternano* & *Niniano*.
X. De dejectione muri per *Scotos* & *Pictos*, & unde nomen accepit, & de ſubjectione *Britonum Albanenſium* ſub *Scotorum* ditione.
XI. De *Britonibus* adhuc mittentibus Epiſtolas ad *Romanos*, *Litorium* viz. & *Aetium*, pro ſuccurſu, nec obtinuerunt.
XII. De deſperantibus *Britonibus* cum ſuo rege *Vortigerno*, qui paganam gentem *Saxonum*, in adjutorium contra *Scotos* & *Pictos* invitarunt.
XIII. De adventu primo *Saxonum*, & diverſis ſtragibus hinc inde datis & receptis.
XIV. De ſucceſſione regis *Dungardi* fratris *Eugenii*, & confœderatione regis *Vortimerii*, filii *Vortigerni*, tunc regis *Britonum*, cum *Scotis* contra *Saxones* inita, & eorum agitatione de *Britannia*.
XV. De reditu *Saxonum* poſt mortem *Vortimerii* cum majori multitudine paganorum, & proditioſa morte magnatum *Britonum*.
XVI. De ſucceſſione *Conſtantii*, & diviſione *Britanniæ* proceſſu temporis inter *Saxones*, & octo regnis.
XVII. De confœderatione regis *Britonum Aurelii Ambroſii* cum rege *Conſtantio* contra *Saxones*, & vate *Merlino*.
XVIII. De ſucceſſione regis *Congalli*, & renovatione fœderis inter *Scotos* & *Britones*, & inteſtina diſſentione *Britonum*, per quam regnum amiſerunt, & *Saxones* penitus prævaluerunt.
XIX. De primo rege *Francorum* baptizato, nomine, *Clodoveo*, & eorum origine.
XX. De eodem, & tempore quo primum habuerunt regem, ac de regia ſucceſſione uſque hunc *Clodoveum*, & Sancto *Giberiano Scoto*.
XXI. De ſucceſſione *Gonrani*, & renovatione fœderis cum *Uther*, & de Sancta *Brigida*.
XXII. De Hiſtorico *Gilda*, & ſuis quibuſdam metricis prophetiis.
XXIII. De eiſdem prophetiis, & Sanctis *Brandano* & *Machuto*.
XXIV. De morte *Gonrani* regis, & de *Arthuro* rege *Britonum*.
XXV. De eodem *Arthuro*.

XXVI. De ſucceſſione trium regum, *Eugenii, Convalli,* atque *Kynatel,* ſive *Convydem,* & adventu Sancti *Columbæ.*

XXVII. De Angelo librum vitreum deferenti Sancto *Columbæ* regni conſecrationis, & ſucceſſione regis *Aydani.*

XXVIII. De ſubſidio per *Aydanum Malgoni Britonum* regi miſſo, & victoria paganorum, de parentibus Sanctorum *Furſei, Feylam,* & *Vulcani.*

XXIX. De rege *Aydano* pro *Cadwallonis* regis *Britonum* ſubſidio proficiſcente contra *Saxones,* & belli victoria, & prophetia Sancti *Columbæ,* de dicto bello, & de Sanctis *Kentigerno* ac *Convallo.*

XXX. De eodem *Aydano* per *Northumbrorum* regem *Æthilfridum* è bello fugato, & de *Auguſtino* fidem *Anglis* prædicante.

XXXI. De prophetia Sancti *Columbæ,* de regis *Aydani* filiis, & ejus morte, & de Sancto *Droſtano* ſuiſque parentibus.

XXXII. De ſucceſſione *Eugenii* filii *Aydani,* & de Sanctis *Gillemo* & *Columbano.*

XXXIII. De fuga *Cadwallonis* regis *Britonum* venientis in *Scotia* pro ſubſidio, & adventu Sancti *Oſwaldi,* fratrumque ſuorum ibidem baptizatorum, & ſepultura dextræ manus, & gladii regis *Eugenii* in mora lapidea.

XXXIV. De ſucceſſione regum *Ferthardi,* ſuique fratris *Donaldi,* quem Sanctus *Columba* benedixit adhuc puer, & reditu Sancti *Oſwaldi* in patriam.

XXXV. De eodem Sancto *Oſwaldo,* & electione Sancti *Aydani* ad *Saxones* convertendos.

XXXVI. De prædicatione ejuſdem Sancti *Aydani,* & morte Sancti *Oſwaldi.*

XXXVII. De ſucceſſione regis *Ferthardi,* & Sanctis *Fynano, Furſeo* & *Fulano.*

XXXVIII. De Sancto *Colmanno* & ejus prædicatione tribus annis, & ſuo reditu.

XXXIX. De numero regum *Anglorum,* quos *Scoti* baptizabant, & Epiſcopis à quibus baptizabantur.

XL. De ſucceſſione *Maldwyni,* & Epiſcopo *Tuda* ſuccedente poſt *Colmannum.*

XLI. De fuga *Cadwaladiæ* noviſſimi regis *Britonum* ex *Britannia,* & cauſis quibus dejecit eos Deus de regno.

XLII. De eiſdem cauſis, & *Britonum* futuro reditu per *Angliam* prophetato, & quibuſdam prophetiis *Merlini* de eodem.

XLIII. De ſucceſſione regum *Eugenii* quarti & *Eugenii* quinti, & de Sanctis *Cuthberto* & *Adamnano.*

XLIV. De ſucceſſione regis *Amrynkyleth* & ejus morte, & de Sancto *Chiliano.*

XLV. De ſucceſſione Reguli *Eugenii* ſexti & *Murdaci,* & ſtatu tunc temporis in *Britannia.*

XLVI. De ſucceſſione trium regum, *Ethfyn, Eugenii* ſive *Nectavii,* atque *Ferguſii,* & de ſua morte per reginam.

XLVII. De ſucceſſione *Selwalthii,* & de magno rege *Karolo.*

XLVIII. De ſucceſſione regis *Athay,* primam cum *Francis* confœderationem facientis, & ejus cauſa, & de egregio milite *Gilmerio Scoto.*

XLIX. De nunciis *Scotorum* *Karolo* miſſis pro eadem confœderatione firmanda.

L. De execranda proditione *Northumbrorum* in ſuis regibus, adeo quod eis nullus auderet imperare.

LI. De principio ſtudii *Pariſienſis,* & à quibus incœpit primo.

LII. De imperio *Karoli* filiique ſui *Ludovici,* & à *Clodoveo* ſucceſſione regum *Francorum* ad ipſum *Karolum* aſcendendo.

LIII. De ſucceſſione regum *Convalli* & *Dongalli* reſuſcitantes bellum diu ſopitum in *Pictos.*

Incipit

Incipit Liber Tertius.

Cap. I. *De* Ferguſio *filio* Erth Pictis *conjuncto, regnum dolo tyranni* Maximi *per* Romanos *&* Britones *quadraginta tribus annis detentum recipiente.*

HUjuſmodi quidem & aliis ubique *Romanis* contingentibus incommodis, & ſuper hæc *Britannia* civili diſcordia laborante, *Picti*, quorum eis nuper *Maximus* munitiones eripiens ſuis ſervandas militibus tradiderat, à ſervitutis vinculo cupientes reſolvi, priſtinæ viciſſitudinis, & pacis fœdus cum *Scotis* occulte componunt, ut libertates avorum & regna, conjunctis viribus hortantur ſuppliciter, cum opportunum inſtaret jam tempus, reciperent. Illi vero ſuis annuere parati ſuggeſtionibus, ſed doloſæ gentis proditionem primitus expertam omni cura cavendam decernunt, quod nec bella ſaltem publica ſeu deprædationes cum paucis ſuo nunquam ineant conſortio, nec præviam in bellis aciem inter amicum viz. ſuſpectum & hoſtem publicum aſſumere de cætero non præſumant. Nam ſæpius incauti, poſt fœdus noviter initum, doloſis ab hoſtibus proſternuntur. Igitur anno Domini CCCCIII. Imperatorum *Arcadii* & *Honorii* VI. regni quoque *Scotorum* in *Albion* Inſula DCCXXXIII. Ab eorum origine, primo viz. eorum ex *Ægypto* progreſſu, MDCCCCIII. ac ab origine mundi MMMMMMDXXV. *Ferguſius* filius *Erth*, filii *Echadii*, qui fuit frater *Eugenii* regis, bello proſtrati per tyrannum *Maximum*, juvenis ſtrenuus, cæteris virtute præcellens, fortis viribus & audax, in bello quoque pronus & efficax, cum duobus fratribus *Loaru* & *Cenego* ſuiſque popularibus Inſulanis *Hibernenſibus* ac *Noricis*, intrepide *Scotiam* regnum de jure ſibi debitum adveniens, hoſtes in ea diu degentes abunde longius effugavit. Igitur,

Agmine condenſo ventis velamina pandit:
Et ratis æquoreos atque galea petunt
Fluctus: in his acies juvenum phalerata ſuperbo
Principe congreditur. Nec mora, turma potens
Ad natale ſolum properat; relevare jacentes
Rex faſces regni ceſpite ſoſpes adit
Intrepidus patrio, pandens vexilla leonis,
Terruit occurſu quem fera nulla ferox.
Ocius advenit, fuerat quæ turbine diro
Subdita plebs, annis & quater & tribus; hæc
Congaudens patrio regi ſervire parata,
Ad libertatem quicquid ut orbe volat.

Regi præterea *Ferguſio* cum exercitu per patrias, quas paulatim cum indigenis ad pacem recepit, procedenti, *Pictorum* gentes cum ſuis occurrunt cuneis; & ne quidem eis ullus vel odii vel perfidiæ ſcrupulus putaretur ineſſe, caſtra quæque, cunctaſque munitiones quotquot *Scotorum*, permittente *Maximo*, tenuerunt eatenus, apertis ſibi ſpontaliter januis reddiderunt.

II. *De eodem, & expulſione* Romanorum *&* Britonum *de ſuis regnis.*

COnduxerunt utique de *Dacia Veſpiliones* ac etiam *Hunnos*, qui mare turbarent *Britannicum*, plurima ſibi promittentes ſpolia, ſuiſque regnorum portubus firmum contra *Romanos* de cætero receptaculum. In unum

namque præfatæ gentes conglobatæ, fœderibus tactu ſacramentorum iteratis: quia & una fuerat & amborum neceſſitas, per regna gradientes alienos è prædiis ejiciunt, & quia prudentis nullatenus eſt differre paratis, inducias nulli concedere volebant; immo cujuſque conditionis quemquam, ſi non vel è regnis feſtinum arriperet exitum, vel eatenus ſi caſtra tenentes petita ſponte non redderent, poſt obſidionis impetum ſtatim ereptos jugulabant. Infra quoque ſpatium ab inde trium annorum idem *Ferguſius*, univerſas regni regiones eis, citraque vadum *Scoticum*, à patribus ab antiquo poſſeſſas, de mora lapidea viz. & *Inchegal* ad Inſulas *Orcades*, ſub ſua compoſuit ditione. A primo quidem hujus regni rege *Ferguſio*, filio *Ferthar*, ad hunc regem *Ferguſium*, filium *Erth*, incluſive, quadraginta quinque reges ejuſdem gentis & generis in hac Inſula regnaverunt. Sed & horum ſingillatim diſtinguere tempora principatuum ad præſens omittimus, nam ad plenum ſcripta non reperimus. Ab hoc ergo rege jam ulterius omnium regum, etiam tempus uſque modernum ſucceſſive ſecundum chronicas, regnationis annos inſerere convenit, ut quis quo quantove tempore regnaverat, clarius poſteris propaletur. Idem namque rex XVI. regnavit annis in *Scotia*, quorum tribus ultimis ultra *Dernalban*, hoc eſt, ultra dorſum *Albaniæ*, primus regum *Scotici* generis in terra *Pictorum* à montibus ad mare *Scoticum* regnavit: ſed ſi vel gladio vel alio quo jure mihi non patuit, ubi nullus antea primatum tenuit prædeceſſorum. Conjuncti quidem ut ſuperius *Scoti* cum *Pictis*, poſtquam à propriis ſedibus *Romanos* expuliſſent & *Britones*, eorum regnum *Britanniam*, quæ tunc temporis omnium belligerorum ope vindicata fuerat, crebris agminibus, ut diverſorum notatur in chronicis, ſæpius invadunt, vulgi miſerabilis partem gladio cædentes, partemque vitæ relictam ſub ſervitute deducentes.

III. *De crudelitate cladis per* Pictos *&* Scotos *illatæ* Britonibus, *&* Romana *legione, ac ædificatione foſſæ per Inſulam, quæ dicitur* Grymiſdike.

Abduxerat enim ſecum *Maximus* omnes bellicoſos Inſulæ juvenes quos reperit, & inermes tantum colonos reliquit, qui, cum ſuæ feritati reſiſtere vel bello confligere non noverant, ab eorum occurſu velut ab igne relictis prædiis aufugerunt. Tanta nimirum tyrannide tunc temporis eos vexabat, ſuaque crudeli diſperſit verſutia, quod hactenus & hodiernum uſque diem ſtatum nequaquam attingere priſtinum, ſeu quomodolibet proſperare valebant. *Beda* vero de crudelitate cladis his diebus, & ædificatione muri ſecundi tranſverſus Inſulam, ita ſcripſit. Exinde *Britannia* omni armato milite, totaque floridæ juventutis alacritate ſpoliata, quæ tyrannorum abducta temeritate nuſquam ultra domi rediit, præda tantum patuit, utpote omnis uſus bellici prorſus ignara. Denique ſubito duabus gentibus tranſinarinis vehementer ſævis, *Scotorum* à Circio, *Pictorum* ab Aquilone, multos ſtupet gemitque per annos. Tranſmarinas autem dicimus has gentes, non quod extra *Britanniam* eſſent poſitæ, ſed quia à parte *Britonum* erant remotæ, duobus ſinibus maris interjacentibus, quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali, *Britanniæ* terras longe lateque irrumpit. Orientalis habet in medio ſui urbem *Guidy*; Occidentalis ſupra ſe, hoc eſt ad dextram ſui, habet urbem *Alcluit*, quod eorum lingua ſonat petram *Cluit*, eſt enim juxta fluvium nominis illius. Ob harum autem infeſtationem gentium *Britones* legatos *Romam* cum Epiſtolis mittentes, lacrimoſis precibus auxilia flagitant ſubjectionem continuam, dummodo hoſtis imminens longius arceretur, promittebant. Quibus mox legio deſtinatur armata, quæ ubi Inſulam advecta cum hoſtibus aggreſſa eſt, & magnam eorum multitudinem ſternens, cæteros ſociorum è finibus expulit, eoſque interim à diriſſima depreſſione liberatos, hortata eſt inſtruere murum inter duo maria trans Inſulam, qui arcendis hoſtibus poſſit

eſſe

eſſe præſidio, ſicque domum cum magno triumpho reverſa eſt. At illi trans Inſulam murum, quem juſſi fuerant, non tam lapidibus quam ceſpitibus conſtruentes, utpote nullum tanti operis artificem habentes, ad nihil utilem ſtatuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta vel ſinus de quibus diximus maris, ubi aquarum munitio deerat, ubi præſidio Valli fines ſuos ab hoſtium irruptione defenderent. Cujus ibidem operis valli uſque hodie certiſſima veſtigia cernere licet. Incipit autem ſpatio duorum ferme millium à monaſterio *Abircornyng*, i.e. *Abircornum*, ad Orientem,& tendens contra Occidentem, juxta urbem *Alcluit* terminatur. Poſt *Arcadii* mortem imperavit *Honorius* cum octenni puero, fratruele ſuo *Theodoſio*, XIV. annis, cum ante cum *Arcadio* fratre treſdecem annis regnaverit, & cœpit anno Domini CCCCXI.

IV. *De victoria* Romanæ *legionis* & Britonum *contra* Scotos & Pictos, *bello quo cecidit rex* Ferguſius, *cum magna parte ſuorum* & Pictorum.

EQuidem & inde refert *Paulus Diaconus*, quæ ſequuntur. Hac tempeſtate *Britanni Scotorum* & *Pictorum* infeſtationem non ferentes, *Romam* mittunt, ac ſui ſubjectione promiſſa contra hoſtes auxilia flagitant; quibus ſtatim ab *Honorio* miſſa militum legione, magnam eorum multitudinem ſtravit; cæteroſque *Britanniæ* finibus expulit. Illis igitur ex *Britannia* fugatis, *Britones Romanorum* auxilio ſuperiorem in bello manum habentes, ut eis juſſum eſt, ſupradictum murum ab Oceano conſtruunt ad Oceanum, & tantis per intervalla firmatum turribus, quod ab unaquaque tubæ clangor ad aliam pertingere poſſet, maximo ſumptu perfecerunt. Incipit autem ab Oriente ſuper Auſtrale litus *Scotici* maris juxta villam *Karedyn*: deinde paſſuum ſpatio viginti duorum millium procedens per tranſverſum Inſulæ porrigitur, & civitatem habens ab Auſtro *Glaſguenſem* in ripa fluminis de *Clyde*, juxta *Kirkpatrik* terminatur. Hujus autem atrociſſimi præmemorati conflictus poſt ruinam, quo triumphantibus *Romanis*, à *Britonibus* rex inclytus *Scotorum Ferguſius* cum magna ſuorum *Pictorumque* multitudine corruit, qui de *Scotis* ſupererant, *Romanis* nequaquam,aut *Britonibus* volentes ſubjici,paucis vulgaribus exceptis vacuam linquentes patriam aufugerunt. Non enim ultra fretum Auſtrale moram diutius audebant trahere, quamvis ejuſdem temporis nonnulli vates, gentis utriuſque tanta belli non obſtante clade, futurum eſſe canebant *Scotos* proculdubio totam Inſulam poſſidentes. Filios autem tres reliquit impuberes, *Eugenium*, *Dongardum* & *Conſtantium*, quos ex filia *Britonis Gryme* genuit, de ſtirpe ducis *Fulgentii* deſcendentis. Ipſum quoque *Gryme* Imperator *Maximus*, quia *Conani* fautor indeficiens atque *Scotorum* extiterat, callide pulſit à dominio, *Eugenius* vero poſt mortem patris regni ſuſtollitur arte. Juvenis quidem & paucos habens annos, ideoque rectorem ſibi ſuiſque fratribus & regni cuſtodem, avum ſuum *Gryme* primates deputant, cum & ipſe militia præſtans de ſuorum etiam priſcorum regum genere duxerat originem. Quia vero ſicut & pacis ita bellorum temporibus aptum regimini non ignorantes in ducem eligunt, quouſque nepotes ad annos attigerint puberes, ac habiles extiterint ad regendum.

V. *De ſucceſſione regis* Eugenii *filii* Ferthardæ, *qui cum avo* Gryme *evertit* Grymiſdike, & *de ſecunda legione* Scotos *iterum* & Pictos *fugante citra amnem* Tynam.

IN regni denique ſublimatus ſolio rex *Eugenius*, cum avo conſule *Gryme* regnare cœpit anno Domini CCCCXIX. & Imperatoris *Honorii* IX. regnavitque XXXIII. annis. Interim *Romana* legione poſt ædificationem muri reverſa

verſa, primo quæ pacis ſunt regni caute diſponens, ad bella deinde ſe convertit. Terras quidem ad Boream *Humbri*, quarum ſibi quædam ſucceſſione parentum dudum, *Fulgentio* viz. aliiſque *Scotorum Pictorumque* nobilibus, ante bellum jure competerent, moleſte ferens injuſte per *Romanos* & *Britones* fore detentas, collectis undique adjutoribus in magna potentia dictum adiens murum, præordinatis machinis, cuſtodibus vel fuga lapſis vel occiſis, funditus evertit. Evidens enim illius foſſæ vel muri ſignum veraque patent hactenus veſtigia, quique de ſuo nomine nomen hodiernum accepit, & *Grymiſdik* ab incolis eſt vocatus. Everſo denique muro terras olim ab eis poſſeſſas una cum indigenis ſub ditione priſtina ſuſceperunt. *Bedà.* Verum priores inimici, ut *Romanum* militem abeſſe conſpexerant, advecti mox navigio irrumpunt terminos, omnia cædunt, & quaſi maturam ſegetem obvia quæque metunt, calcant, & pertranſeunt. Unde rurſum mittunt *Romam* legatos flebili voce auxilium implorantes, ne penitus miſera patria deleretur, ne nomen *Romanæ* Provinciæ, quod apud eos tam diu claruerat, ex terrarum gentium improbitate obrutum vileſceret. Rurſum mittitur legio, quæ inopinate tempore autumni adveniens magnas hoſtium ſtrages dedit, eoſque qui evadere poterant omnes trans maria fugavit, qui prius anniverſarias prædas trans maria milite nullo obſiſtente cogere ſolebant. Ab *Honorio* quidem & hæc etiam mittebatur legio, qua dictæ gentes diverſis incurſionibus exterritæ publicum inire certamen non audebant, ſed quo ſecurius latere poterant, donec ipſa rediret legio, tutamina petentes, ſed neque procul à fluviorum ripis *Esk* & *Tyne* Aquilonalibus retrocedunt.

VI. *De reparatione muri, quem* Severus *Imperator olim conſtrui juſſit trans Inſulam, inter* Gatyſhede *&* Carlyle, *ac reditu legionis, & electione primi regis* Francorum.

BEda. Tunc *Romani* denunciavere *Britonibus*, non ſe ultra ad eorum defenſionem tam laborioſis expeditionibus poſſe fatigari. Ipſos potius monent arma corripere, & certandi cum hoſtibus ſtudium inire, quo non aliam ob cauſam quam ſi ipſi inertia ſolverentur eis poſſent eſſe fortiores; qui etiam, quia hoc ſociis, quos derelinquere cogebantur, aliquid commodi allaturum putabant, murum à mari ad mare recto tramite, inter urbes quæ ibidem ob metum hoſtium factæ fuerant, ubi & *Severus* quondam vallum fecerat, firmo de lapide locaverunt. Quem videlicet murum, hactenus famoſum atque conſpicuum, ſumptu publico privatoque, adjuncta ſecum *Britannorum* manu, conſtruebant, octo pedes latum & duodecim altum, recta ab Oriente in Occaſum, lineaſque & turres per intervalla collocant, ut uſque hodie intuentibus clarum eſt. Quo mox condito dant fortia ſegni populo monita, præbent inſtituendorum exemplaria *Romanorum*, & valedicunt ſociis, tanquam ultra non reverſuri. Anno quidem *Honorii* nono, ſecundum *Sigebertum*, *Samnone* & *Marcomiro*, *Francorum* ducibus defunctis, *Franci* in communi deliberant, ut & ipſi, ſicut & aliæ gentes, regem habeant, & filium *Marcomiri* ducis *Pharamundum* ſibi regem ordinant, qui regnavit annis undecim. *Honorius* autem *Auguſtus* tranſactis annis XIII. quibus imperaverat cum *Arcadio* fratre ſuo, & aliis iterum quatuordecim annis cum ſuo nepote *Theodoſio*, rebus exceſſit humanis.

VII. *De* Scotis *murum deſtruentibus, & de clade quam* Britonibus *intulerunt.*

PAulus Diaconus. Sed mox ut *Romani* diſceſſerunt, advecti navibus iterum hoſtes, obvia ſibi quæque conculcant ac devorant. *Beda. Romanis* interim ad ſua remeantibus, cognita *Scoti Pictique* redditus denegatione, confeſtim

ſtim & ipſi ſolito confidentiores facti, omnes Aquilonalem & extremam Inſulæ partem pro indigenis ad murum uſque capeſcunt. Statuitur ad hoc medicæ artis acies ſegnis, ubi trementi corde ſtupida die noctuque marcebat. At contra non ceſſant uncinata hoſtium tela, quibus ignavi propugnatores miſerrime de muris tracti allidebantur. Quid plura? relictis civitatibus ac muro, fugiunt, diſperguntur, inſequitur hoſtis, accelerantur ſtrages cunctis prioribus crudeliores. Sicut enim agni à feris, ita miſeri cives diſſipantur ab hoſtibus, nude à ſuis manſionibus & poſſeſſionibus ejecti; imminens ſibi famis periculum latrocinio ac rapacitate mutua temperabant, agentes exteras clades domeſticis motibus, donec omnis regio totius cibi ſuſtentatione excepto venandi ſolatio vacuaretur. Interea fames illa præfata magis ac magis *Britones* afficiens, ac famam ſuæ malitiæ poſteris diuturnam relinquens, multos eorum coegit victos infeſtis prædonibus dare manus. Initium vero trahit ille memoratus murus ad Orientem in Auſtrali ripa fluminis *Tyne* ad *Capricapud*, quod *Anglorum* lingua ſonat *Gaitiſhede*, ubi dudum *Severus* murum per vallum fieri juſſit ex oppoſito *Novi Caſtri*, & ſuper fluvium *Esk*, ſed alias dicitur *Scotis Wath*, per ſexaginta paſſuum millia porrectus, finem habet juxta *Carlyl*, ad Occidentem. Poſt deceſſum *Honorii*, *Theodoſius* idem Junior, ejus ex *Arcadio* fratre nepos, ad imperium anno Domini ccccxxv. ſuccedens, ſolus imperavit annis tribus, & anno tertio *Valentinianum*, *Conſtantii* & amitæ ſuæ *Placidiæ* filium, Imperatorem ſecum regnare creavit, qui vero pariter annis xxiv. regnaverunt.

VIII. *De adventu Sancti* Palladii *in* Scotia, *primi* Scotorum *Epiſcopi & doctoris, quamvis ante fidem longe ſuſceperant.*

Anno quoque *Theodoſii* ſecundo, primus *Cœleſtinus*, Eccleſiæ *Romanæ* Papa quadrageſimus primus, natione *Romanus*, à patre *Priſco* nomine genitus, ſedit annis octo, menſe uno, diebus autem octo. Hic conſtituit ut Pſalmus, *Judica me Deus* &c. ante introitum miſſæ diceretur. Et Pſalmi *David* centum quinquaginta, ante ſacrificium antiphonatim canerentur ex omnibus. Quod ante non fiebat: niſi tantum Epiſtola *Pauli* & ſanctum Evangelium recitabantur. Ex hoc inſtituto de Pſalmis excerpti ſcil. introitus miſſæ, gradalia, alleluja, & offertoria ante ſacrificium, orationes inter communicandum cum modulatione ad miſſam in Eccleſia *Romana* cantari cœperunt. *Sigibertus.* Anno Domini ccccxxix. vel ſecundum alios ccccxxx. ad *Scotos* in Chriſtum credentes Sanctus *Palladius* ordinatus à Papa *Cœleſtino* primus Epiſcopus mittitur, & hoc idem teſtatur *Beda*. *Socrates* autem eiſdem præmiſſis verbis ait: Erat enim Sanctus *Palladius* diſcipulus *Evagrii*, qui duorum fuit *Machariorum* diſcipulus, de quibus & cæteris *Ægypti* Sanctis patribus liber ejus affluenter loquitur. Ait enim, oportet nos & addiſcere quæ neſcimus, & fideliter docere quæ novimus &c. *Polychron.* Anno Domini ccccxxx. Papa *Cœleſtinus* primum Epiſcopum in *Scotia* miſit Sanctum *Palladium*, de quo *Scotis* convenit quod ſuam, id eſt, *Scotorum* gentem, longe quamvis in Chriſtum ante credentem, fidem orthodoxam verbo ſollicite perdocuit, & exemplo feſta ſimul & memorias Eccleſiaſticas diligenter celebrare. Ante cujus adventum habebant *Scoti* fidei doctores, ac ſacramentorum miniſtratores, presbyteros ſolummodo vel monachos, ritum ſequentes Eccleſiæ primitivæ. Advenit vero *Scotiam* magna cleri comitiva, regis *Eugenii* regnationis anno xi. cui rex manſionis locum ubi petierat gratis dedit.

IX. *De Sanctis, eodem* Palladio, Servano, Kentigerno, Ternano & Niniano.

PRædicationis autem & ſacramentorum miniſtrationis conſortem ſanctiſſimum virum *Servanum* habuit, quem ordinatum Epiſcopum, quia tantæ genti miniſteria ſolus impendere paſtoralia non ſufficiebat, ad orthodoxam populo fidem docendam, ac opus ſollicite perficiendum Evangelii, dignum per omnia ſuum effecit coadjutorem. *Ex hiſtoria beati Kentigerni.* Iſte vero *Servanus* in primitiva pene *Scotorum* Eccleſia diſcipulus venerandi Pontificis *Palladii* fuit. Hunc *Palladium* anno poſt Incarnationem Dominicam, ut ſupra, ſanctus Papa *Cœleſtinus*, longe credentibus ante *Scotis*, primum miſit Epiſcopum. Ille vero *Scotiam* adveniens Sanctum ibidem invenit *Servanum*, & eum ut in vinea Domini Sabaoth operaretur invitans, doctrina poſtmodum Eccleſiaſtica ſufficienter imbutum, in omni *Scotorum* gentem ſuum conſtituit ſuffraganeum. *Hæc ibi.* Erat itaque diſcipulus beato *Palladio* Sanctus *Ternanus* Pontifex, cui & baptiſmate pater & univerſis literarum & fidei rudimentis almificus doctor & alumnus. Diſcipulus etiam Sancti *Servani Kentigernus*, à quo ſacri baptiſmatis eſt fonte lotus, & in omni Chriſtianæ religionis dogmate ſive ſcientia perfecte doctus, qui tantæ perfectionis & gratiæ deſuper datæ poſtmodum etiam & adoleſcens habitus eſt, ut magna per eum Deus atque ſtupenda dignatus eſt operari miracula. *Sigibertus.* Anno quoque poſtquam *Palladius* advenit *Scotiam*, miſſus eſt ad *Scotos Hybernienſes* ab eodem Papa *Cœleſtino* Sanctus *Patricius*, genere *Brito*, filius *Chouches*, ſororis Sancti *Martini Turonenſis* Epiſcopi, qui dictus eſt in baptiſmo *Suchat*, à Sancto *Germano Magonius*, à Sancto *Cœleſtino Patricius*, à quo & Epiſcopus ordinatus, per ſexaginta annos, doctrina, ſignis, & ſanctitate excellens, totam *Hyberniam* Inſulam ad Chriſtum convertit. Imperatoris iſtius *Theodoſii* Junioris temporibus, Sanctum obiſſe ferunt *Ninianum* Pontificem. Ipſum namque, ſecundum hiſtoriarum ſcripta, ſub imperio ſui patris *Arcadii* & *Honorii* patrui ſcimus veraciter floruiſſe: nam eorum anno quinto beatus *Martinus Turonenſis* Epiſcopus obiit, cujus adhuc in carne viventis alloquio Sanctus meruit *Ninianus* ſaluberrimo conſolari. Auſtralium quoque regni partium ultra fretum *Scoticum* prædicavit gentibus, quæ nondum cum Aquilonalibus *Scotis* Chriſti legem ſuſcipere meruerunt. Erat autem mirandæ virtutis vir & ſanctitatis coram Deo & hominibus, ac innumerorum vivens miraculorum, etiam poſt tranſitum & hactenus, operator mirificus; unde *Gregorius.* Quid mirum, ſi electi quique in carne poſiti multa facere mirabilia poſſunt, quorum ipſa oſſa mortua plerumque in miraculis vivunt.

X. *De dejectione muri per* Scotos & Pictos, & *unde nomen accepit,* & *de ſubjectione* Britonum Albanenſium *ſub* Scotorum *ditione.*

DUrante vero famis memoratæ ſuperius egeſtate *Scotorum* principes & *Pictorum*, aſſumptis *Hybernicis*, ad ejuſdem muri fines utroſque, trans flumina *Tyne* & *Eſk*, diverſo navigii genere remigantes, undique per circuitum regiones invadunt, deſtruunt, & conſumunt. Ubi modico poſt tempore quibuſdam indigenarum ad pacem acceptis, his autem fugatis, aliis interemptis, totam à mari uſque ad mare regionem ſub protectione pacis ſuſcipientes, hactenus abinde nequaquam abigi potuerunt. *Galfridus.* O divinam ob præterita ſcelera vindictam! ô tot per veſaniam *Maximi* tyranni bellicoſorum militum abſentiam, qui ſi in hujuſmodi ſtrage calamitatis adeſſent, non ſuperveniſſet populus quem non in fugam propellerent. Interea vero non ceſſant, ut ſuperius per *Bedam*, uncinata hoſtium tela, quibus miſerum

rum vulgus de muris trahebatur, & ſolo crudeliter allidebatur. Quid plura? relictis enim civitatibus, & muro ceſſo, civibus iterum fugæ, iterum diſperſiones multum ſolito deſperabiliores, iterum inſectationes ab hoſtibus, iterum crudeliores ſtrages accelerant. Obtinentes autem quæ cis citraque murum ſunt regiones, inhabitare cœperunt victores, ac citato repente rurali vulgo, cum ſuis ſarpis quilibet, & ligonibus, raſtris, tridentibus, & foſſoriis patulas in eo rimas foraminaque crebra perfoderunt, quibus ubique promptum habeant aditum etiam & receſſum. Ab illis ergo foraminibus hæc deinde materia nomen hodiernum aſſumpſit, quod *Anglica* lingua ſonat *Thirlit wall*, Latine vero *murus* dicitur *perforatus*. Anno quoque regni regis *Eugenii* duodecimo, Diabolus in Inſula *Cretha* ſpecie *Moyſis Judæis* apparuit; ad terram repromiſſionis per mare pede ſicco perducere promittit, ſicque plurimis necatis ac ſubmerſis, reliqui ad Chriſtum convertuntur.

XI. *De* Britonibus *adhuc mittentibus Epiſtolas ad* Romanos, Litorium *viz. &* Aetium, *pro ſuccurſu, nec obtinuerunt.*

DUm autem & his ac hujuſmodi ſtragibus *Britonum* hinc inde populi graſſabantur, regis *Eugenii* bellorum princeps & conſul præcipuus *Gryme*, poſtquam cuſtodis officio decem & novem annis fungeretur, quibus & regnum nobiliter rexit, & nobilius ad ſtatum reduxit priſtinum, morte propria ſenex obiit. Deinde poſt ejus mortem rex ſolus XIV. annis regnavit. Etiam & ipſe *Pictis* adjunctus crudele bellum contra *Romanizatos Britones* ſuſcitare non diſtulit; ſed & eos communi potentia totis viribus invaſit: quibus vero confeſtim obſiſtere non valentibus, ad *Romanos Patricios* mittitur, qui ſub Imperatoribus *Theodoſio* & *Valentiniano* reipublicæ vices gerebant, *Aetium* viz. & *Litorium*, qui ſecunda poteſtate poſt *Aetium* cæteris præerat, ut eis ipſi ſicut & aliis *Romanorum* ſubditis adverſus *Scotos* & *Pictos* hoſtes ferociſſimos opem inferre non recuſent. *Beda.* Ad *Aetium* paupérculæ *Britonum* reliquiæ mittunt Epiſtolam, cujus hoc principium eſt: *Aetio* Conſuli gemitus *Britannorum*. Et in proceſſu Epiſtolæ ſuas ita explicant calamitates. Repellunt ad mare barbari, mare repellit ad barbaros; inter hæc duo genera funerum oriuntur, aut enim jugulamur aut mergimur. Neque tamen hæc agentes quicquam auxilii ab illo impetrare quiverunt, utpote qui graviſſimis eo tempore bellis cum *Bledla* & *Attila* regibus *Hunnorum* erat occupatus. Siquidem ab eis nihil habentes adjutorii triſtes ad ſua redeunt, atque concivibus ſuam denunciant repulſam. *Paulus.* Itaque *Britanni* cum rurſus *Scotorum Pictorumque* concurſionibus præmerentur, mittunt *Aetio* Epiſtolam lacrimis & ærumnis refertam, ejuſque quantotius auxilium efflagitant. Quibus dum *Aetius* nequaquam annuiſſet, eo quod contra viciniores occupatus hoſtes exiſteret, quidam *Britannorum* ſtrenue reſiſtentes hoſtes abigunt, quidam vero coacti hoſtibus ſubjiciuntur. Denique *Scoti Pictique* ſubactam extremam hujus Inſulæ partem, eam ſibi habitationem facientes hactenus exinde nullatenus expelli valuerunt. Interea *Theodoſius* Imperator, dum abſque viginti uno ſuperioribus annis, quos cum *Honorio* patruo regnaverat, ſeptem & novem annis regnavit, ex quibus cum *Valentiniano* genero ſuo vigintiquinque geſſiſſet, apud *Mediolanum* morbo conſumptus obiit, & ibidem ſepultus eſt. Hoc tempore Sanctus *Johannes Baptiſta* caput ſuum duobus monachis Orientalibus venientibus *Jeroſolymam*, juxta quondam *Herodis* regis habitaculum, revelavit.

XII. *De deſperantibus* Britonibus *cum ſuo rege* Vortigerno, *qui paganam gentem* Saxonum, *in adjutorium contra* Scotos & Pictos *invitarunt.*

EX *Chronicis.* At vero reſidui *Britannorum,* dum *Scotorum* continue formidarent impetum, ultra jam de *Romanorum* præſidio diffidentes, ſui regis conſilio gentem *Saxonum* anno Domini CCCCXLVII. vel potius CCCCXLIX. regis *Eugenii* triceſimo tertio, cum duobus ducibus *Horſa* & *Hengiſt,* in ſuæ defenſionis auxilium invitarunt. *Sigibertus.* Poſtquam *Maximus* Inſulam *Britanniæ* præſidio militum evacuaverat, irruerunt in eam *Scoti* & *Picti,* cætereque nationes cum eis, & populum imbellem terramque totam cædibus & prædis vaſtare cœperunt. Acceſſit & aliud huic malo, quod rex *Vortigernus,* ad ſui tutamen, & hoſtium impugnationem, gentem invitavit *Saxonum* paganorum. *Ex Chronicis.* Anno ut ſupra, cum *Vortigerni Britonum* regis iniquitas & animi levitas omnibus per circuitum nationibus divulgata fuiſſet, inſurrexerunt in eum à Circio *Scoti*; *Picti* ſiquidem ab Aquilone, qui regnum *Britanniæ* acerrimis infeſtationibus & laboribus impugnabant. Nam ferro & flammis, prædis & rapinis, omnia conſumentes, gentem peccatricem, quæ regio faſtui & luxuriæ favebat, conteruerunt; & ſic plebs ſimul cum rege contaminata communi procellitur ultioni. Et quos de miſerando populo hoſtilis irruptio non attigit, fames prævalida penitus conſumpſit. Et ſic quaſi inter duas molas plebs contrita volveretur, ingruente peſte, gladius graſſabatur, adeo quod nec vivi ſufficerent ſuos mortuos ſepelire. Rex itaque cum populo deſolato, & bellicis incurſionibus fatigato, contra hoſtium irruptiones ignarus quid ageret, in deſolationem inclinavit. *Beda.* Inito namque conſilio quid agendum, ubi quærendum eſſet præſidium, ad evitandas vel repellendas tam feras tamque creberrimas Aquilonalium gentium irruptiones. Placuit tandem omnibus cum ſuo rege *Vortigerno,* ut *Saxonum* gentem de tranſmarinis partibus in auxilium vocarent. Quod divino nutu conſtat eſſe diſpoſitum, ut venirent contra improbos mala, ſicut evidentius rerum exitus comprobavit. Nam anno ſuperius notato, gens *Anglorum* ſive *Saxonum,* tribus advecta primo longis navibus, à *Vortigerno* rege *Britonum* invitata, locum manendi in *Cantia,* quaſi pugnatura pro patria ſuſcepit. Advenerunt igitur de tribus populis *Germaniæ* fortioribus, i. e. de *Saxonibus, Angulis,* & *Jutis*: porro de *Anglis,* hoc eſt de gentibus exortis ex illa patria, quæ *Angulus* dicitur, cæteræ gentes *Anglorum* omnes denominantur.

XIII. *De adventu primo* Saxonum, *& diverſis ſtragibus hinc inde datis & receptis.*

A *Britonum* deinde præſidio *Romanis* deficientibus, ex deliberato communi conſilio *Saxones* invitantur. Qui, ſtatim poſtquam advenerant, nova bella contra *Scotos* juncti *Britonibus* reparare captantes, procedunt ad *Albaniam,* ac eam hoſtiliter impetentes prædas plurimas abſtulerunt. E contra quidem & *Scoti* cum *Pictis* & *Britonum* parte ſibi ſubjecta, nam *Albaniam* his diebus paſſim manentes colebant, ſuos collegerunt cuneos, regiones more ſolito trans *Humbriam* deprædantes. *Galfridus.* *Saxones* illico barbari confirmato fœdere cum *Vortigerno* ſua remanſerunt curia, ſed & ex *Albania, Scoti, Pictique* grandem valde fecerunt exercitum, & Inſulæ cœperunt *Aquilonares* partes devaſtare. Quod ut audivit *Vortigernus* milites ſuos cum *Saxonibus* collegit, atque trans *Humbrum* obviam pergens, hoſtes, qui vincere ſolebant, in fugam protinus repulit. Dedit autem *Hengiſto Vortigernus* agros in regione plurimos *Lyndiſſaya.* Siquidem annorum ferme duorum ſpatio, crebras hinc inde ſtrages conferunt, bella nequaquam publica commiſſa ſunt.

Suggerebant

Suggerebant autem *Vortigerno Saxones* dolo, quod ſi plures aliquos de ſua patria ſtipendiarios habere diſponeret, ſupradictos faciliter hoſtes ſibi redderent ſuperatos, quod & factum eſt. Nam ut refert *Beda,* confluentibus certatim in Inſula memoratarum gentium catervis, grandeſcere populus cœpit advenarum. Ita ut ipſis quoque qui eas invitaverant indigenis, eſſent terrori. *Galfridus. Britones* vero cum hoc vidiſſent, eorum timentes proditionem, dixerunt regi, quod eos ex regni finibus expelleret, ſed *Vortigernus* ſuo diffugiebat acquieſcere conſilio, quia *Saxones* ſuper omnes gentes propter filiam *Hengiſti Rowen,* quam ante duxerat uxorem, diligebat; unde *Britones* illico *Vortigernum* deſerentes, *Vortimerum* filium regis, quem ante genuit, ut barbaros expelleret repente regem erexerunt. *Willielmus. Vortimerus* vero, filius *Vortigerni,* cum ſe ſuoſque *Britones Saxonum* dolo perverti cerneret, ad eorum expulſionem, poſt ſeptem annos adventus eorum, mentem intendit.

XIV. *De ſucceſſione regis* Dungardi *fratris* Eugenii, *& confœderatione regis* Vortimerii, *filii* Vortigerni, *tunc regis* Britonum, *cum* Scotis *contra* Saxones *inita, & eorum agitatione de* Britannia.

E*Ugenius* namque, completis ærumnoſæ regnationis ſuæ diebus, morbo prævalente mortuus eſt, vel ut in quadam hiſtoria traditur, à *Britonibus* & *Anglis* ad Auſtrum *Humbri* bello corruit, ſibique frater ejus *Dongardus* in regni ſublimatus ſolio quinque regnavit annis, ac anno Domini CCCCLII. regnare cœpit, & Imperatoris *Marciani,* qui *Theodoſio* ſucceſſit, anno primo, qui *Marcianus* imperavit annis ſex, & ſex menſibus. Anno quoque *Dongardi* ſecundo, *Vortimerus,* de quo ſupra, patre vivente continuo rex conclamatus: non tutum animo ſentiens, nondum *Scotis* ad concordiam inductis, temere *Saxones* præceps offendere, ne forſan conjuncti viribus ſimul in *Britones* irruant, nuncios illico regi dirigit, qui fœdus ſolitum, quod contra *Romanos* olim pepigerant, in omni ſecuritate contra *Saxones* paganos reparatum fideliter in omnibus obſervaret. Paruit enim eis rex libenter in omnibus ac per omnia poſtulatis, qui ſuo regi cuncta per ordinem acta referunt, & conceſſa. Ille vero ſtatim abilitate captata temporis, in eos ſubito cum ſuis irruens, ducem *Horſum* fratrem *Hengiſti* primo prælio cum multis aliis interfecit. Occiſo quidem *Horſo* principe, *Saxones Hengiſtum* fratrem ejus in regem erigunt, quem ter eodem anno contra *Britones* pugnaſſe legitur, ſed probitati tamen *Vortimerii* reſiſtere non valens ad Inſulam *Thanet* confugit, ubi quotidie prælio navali vexabatur. Tandem *Saxones* cimbas ſuas vix ingreſſi relictis mulieribus & parvulis in *Germaniam* redierunt. Deinde *Vortimerio* ſorte fatali ſublato, qui multum à facilitate patris abhorrens egregie regnum moderaſſet, ſi Deus ſiviſſet, *Vortigernus* iterum in regni ſuſtollitur regimen, & *Saxones Britanniam* redierunt. *Marcianus* Imperator anno imperii ſexto, ſed & eodem menſium numero tranſactis obiit, & *Leo* Magnus illi ſucceſſit, ac imperavit annis XVI. Obiit autem anno *Marciani* quinto rex *Dongardus.*

XV. *De reditu* Saxonum *poſt mortem* Vortimerii *cum majori multitudine paganorum, & proditioſa morte magnatum* Britonum.

IGitur anno Domini CCCCLX. primo *Hengiſtus* audito obitu *Vortimerii,* qui per venenum à ſua noverca *Rowen* porrectum extinctus fuerat, cum tribus millibus armatorum ſibi ſociatis in *Britanniam* advectus eſt. Sed cum tantæ multitudinis adventus iterum *Vortigerno* in rege creato principibuſque regni nuntiatum fuiſſet, indignati valde cum illis conſtituunt prælia. Quod cum *Hengiſto* filia ſua, *Vortigerno* injuſte prius copulata, per internuncios pa-

tri clam indicaſſet. Ipſe *Hengiſtus* gentem *Britanniæ* ſub ſpecie pacis prodere cogitavit. Miſitque legatos ad regem, dicens ſe non tantam multitudinem conduxiſſe, ut ſibi vel regno aliquam ingereret violentiam, ſed ut ſeſe per populum ſuum diſpoſitioni committeret, ut quos rex optaret in regno retineret, & reſidui in *Germaniam* vela retornarent. Cumque talia regi nunciarentur, necnon ut dies & locus ad hæc firmanda de communi conſenſu præfigerentur, juſſit rex cives & *Saxones* kal. *Maii* in pago *Ambrii* convenire, ubi prædicta firmarentur. Interim commilitonibus ſuis præcepit *Hengiſtus*, ut unuſquiſque longum cultrum infra caligas haberet, & cum ſecurius *Britones* colloquium tractarent, unuſquiſque paratus, facto ſigno, veniet *Zonre Sexes*, aſtantem ſibi *Britonem* educto cultro jugularet. Quod ita factum eſt, *Hengiſtus Vortigernum* per pallium detinuit, cæteri autem aſtantes *Britones* nihil talia præmeditantes, circiter quadringentos ſexaginta viros, Barones & Conſules jugularunt. *Saxones* quoque mox quaſque Provincias devaſtantes ingraſſanteſque, ſubito cives invaſerunt, quaſi lupi oves quas paſtores deſeruerunt, Eccleſias, & Eccleſiaſtica omnia ad ſolum uſque deſtruebant, Sacerdotes juxta altaria trucidabant, ſacras Scripturas igne concremabant. Viri religioſi & conjugati ſubſtantiam, conjuges, liberos, & quod majus eſt libertatem relinquentes, exteras ac tranſmarinas petebant regiones. Itaque nonnulli de miſerandis reliquiis, qui ab hac clade evadere poterant, ſpeluncas & nemora loco, quidam Boreales partes, quidam Auſtrales, *Scotiam*, viz. *Walliam* & *Cornubiam* petierunt. Alii vero fame convicti procedentes, pro accipiendis alimentorum ſubſidiis, manus dabant hoſtibus, æternum ſubituri ſervitium, ſi non continuo trucidarentur.

XVI. *De ſucceſſione* Conſtantii, *& diviſione* Britanniæ *proceſſu temporis inter* Saxones, *& octo regnis.*

C*Onſtantius* quoque frater *Dongardo* ſucceſſit, anno Domini CCCCLVII. quique regnavit annis XXII. *Vortigerno* rege *Britonum* fulminis ictu percuſſo, vel ut velit *Galfridus*, turre propera per *Aurelium Ambroſium* cremato, idem *Aurelius* in regem ſuſceptus eſt à *Britonibus*. Nam ut tradit *Willielmus*, poſt mortem regis *Vortimerii Britonum* robur emarcuit, & jam tunc *Britones* peſſum iſſent, niſi ſolus *Ambroſius Romanorum* ſuperſtes, qui poſt *Vortigernum* regnavit, monarcha regni fuiſſet. *Beda.* Utebantur autem *Britones* eo tempore duce *Aurelio Ambroſio*, qui fuit vir modeſtus, & qui ſolus forte *Romanæ* gentis præfatæ tempeſtati ſuperfuerat, occiſis in eadem parentibus regium ferentibus nomen & inſigne. Eo quoque duce vires capeſcunt *Britones*, & ex eo tempore nunc cives, nunc hoſtes vincebant, uſque ad annum obſeſſionis *Badomor* montis, quando non minimas eiſdem hoſtibus ſtrages dabant, XLIV. circiter anno poſt eorum adventum in *Britanniam*. Subjugata ſiquidem à *Saxonibus Britannia*, cœperunt proceſſu temporis octo reges *Saxonum* regno inter ſe partito regnare, qui nihil potius quam Chriſtum & Chriſtianorum ſubvertere cultum ſitiebant, dilatantes ſua regna, & pro uniuſcujuſque poſſibilitate regnis ſuis lites imponentes, quorum hic nomina conſequuntur. Primum utique regnum fuit *Kantia*, cujus reges primi *Horſa* & *Hengiſt*. Secundum vero *Suthſax*. cujus rex primus *Elle* regnare cœpit anno Domini CCCCLXXVII. *Aurelio* regnante ſuper *Britones*. Tertium *Weſtſax*. temporibus *Uther* initium ſumpſit à rege *Terditio*. Quartum deinde *Eſtſax*. ſumpſit initium temporibus *Arthuri* regis ab *Erkenwino*. Quintum eſt *Anglia*, cujus rex primus *Wlfa*. Sextum regnum *Merciorum*, incepit à rege *Creodda*. Septimum regnum *Deirorum*, cœpit ab *Alle*. Octavum eſt regnum *Berwiciorum*, quod ſumpſit initium ab *Adda*; & hæc ultima duo regna de regno *Northumbriæ* diviſo facta ſunt, quod poſtmodum in uno regno reintegratum eſt. Et hæc de *Saxonum* adventu primo lectori ſufficiant ad præſens.

XVII. *De*

XVII. *De confœderatione regis* Britonum Aurelii Ambroſii *cum rege* Conſtantio *contra* Saxones, *&* *vate* Merlino.

C*Onſtantio* deinde regi, rex *Britonum Aurelius Ambroſius* ſalutem miſit, ac intermiſſis nunciis ab eo diligenter expetiit, ut & ipſe paganis *Saxonibus*, veri Dei Chriſtianæque religionis aſſiduis hoſtibus, bellum non tardaret inferre, *Britonibuſque* confœderationis præhabitæ gratia ſubveniret conſociis ſua parte; & fœderi namque per *Vortimerium* nuper inito rex conſentit, & iteratum pro perpetuo duraturum magnis intervenientibus Sacramentis, ſi quidem *Aurelius* hoc idem faceret, confirmavit. Nuncii vero, cunctis proſpere pro quibus advenerant expeditis ad votum negotiis, cum aliquibus ſecum Ambaſſatoribus iterum ad propria ſunt regreſſi. Miſit enim *Aurelius* eo tempore *Pictorum* regi *Droſtano* nuncios etiam, eodem oneratos negotio, qui præventus ab *Hengiſti* nunciis, cui fœdus amiciſſime contra *Britones*, & tutum in neceſſitate receptaculum promiſerat, neque pacis ſolummodo ſecuritatem *Aurelio* ulterius præſtare curavit. Unde, poſtquam *Hengiſtus* in finibus *Cantiæ* regnum firmaverat, promiſſione *Pictorum* confiſus, fratrem ſuum *Octavi*, ac filium *Eubuſam*, probitate viros & audacia probatos, ad Boreales occupandas *Britanniæ* partes, & ad reſiſtendum *Scotis*, ſuoſque compeſcendos impetus emiſit. Venientes igitur dicti milites ſtatim à *Pictis* cum hilari vultu recepti ſunt, quibus etiam adaucti numero bellum pauliſper & *Scotis* & *Britonibus* intulerunt. Conjuncti de cætero ſimul *Britones*, & *Scoti*, contra *Pictos* ſemper & *Saxones* pugnaverunt. *Aurelii* regis ſimul & ſui prædeceſſoris *Vortigerni* diebus, vates quidam ex *Cambria*, *Merlinus* nomine, plura quaſi prophetice cecinit ad intelligendum obſcura, quæ, donec contingant, nullatenus aut vix à quoquam diſcerni valeant, ſed contingentia ſæpius, vel poſtquam acciderint, à multis creduntur agnoſci: hæc autem quæ prædixerat, in chronicis *Galfridi* libro ſexto prope finem reperies. Unde quidam,

Vortiger in veſte regali ſedit honeſte,
Merlino ſtante ventura pericula fante.

Sic enim incipit, ſedente *Vortigerno* ſuper ripam exhauſti ſtagni, &c. Quod autem *Britones* à *Saxonibus* de regno fuiſſent expellendi, ſuis aperte continetur dictis; etiam *Saxones* prius à *Danis* ſuperandi, poſtmodum à *Neuſtrenſibus* è *Normannis* dejiciendi, quæ quidem per omnia noſtris diebus noſcuntur veraciter perimpleta. Ab his itaque qui modo regnant in *Anglia Normannis* iterum *Britones*, concomitantibus *Armoricis* gentibus & *Albanicis*, regnum erepturos priſtinum prædixit, & inibi de cætero regnaturos. Cæterum ſive divinationis hujuſmodi futura, quæ nondum ut putatur fiunt, ſive fienda contingent, annon ejus conſtant arbitrio, cui præterita ſimul & futura præſentia continue præſto ſunt.

XVIII. *De ſucceſſione regis* Congalli, *&* *renovatione fœderis inter* Scotos *&* Britones, *&* *inteſtina diſſentione* Britonum, *per quam regnum amiſerunt, &* Saxones *penitus prævaluerunt.*

POſt mortem vero *Conſtantii*, qui morbo decoctus occubuit, ejus nepos *Congallus* ex fratre *Dongardo*, regnum anno Domini CCCCLXXIX. ſuſcepit, & anno *Zenonis* Imperatoris ſexto, qui *Leoni* ſucceſſit, cujus filiam duxerat in uxorem: regnavit autem rex annis ſimiliter XXII. ſicut & patruus prædeceſſor. Etiam & cum *Congallo*, ſtatim ut in regem coronatus eſt, per regis

regis *Aurelii* nuncios, amicitiæ fœdus innovatum confirmatur. Invaleſcebant namque bella *Saxonica* contra *Britones*, novis aſſidue ſupervenientibus turmis, & tandem undique copiis, quod eos ex regno nequaquam valebant abigere; ſed magis magiſque numero malitiaque de die proficientes in diem prævaluerunt. Ex omnibus paganorum terris, maxime tamen *Germanicis*, ut ad cadavera corvi, naves armatæ conveniunt, quibus eorum vehementer adauctus eſt numerus, & *Britonum* quotidie minoratus. Inteſtina diſſentionis etiam clade continua robur eorum nimium indulgens variis adeo diviſum eſt partibus, quod ſi non *Aurelii* cum auſteritate juviſſet prudentia, tunc regnum proculdubio perdidiſſent. Suo quidem omni tempore *Britones Scotorum* gentibus amicitiam, & ipſi mutuo *Britonibus* obſervabant. Non enim eos ulla deinceps adverſariorum ſejunxit verſutia, nulla de cætero ſuæ pacis aliena pactum effregit ſævitia, nec ſuarum protinus gentium altrinſeca diſſentio, vel injuria, ſuam amicitiam diſſecuit; immo feſtina reparatio fortior potius dilectione colligatos ſolidabat. Pugnatum eſt ergo continue contra invicem à *Saxonibus* & *Pictis*, adverſantibus eis *Scotis* & *Britonibus*, quouſque ſuperiorem manum obtinentes *Scoti Pictos* omnes peſſundarent, & à *Britonibus*, propria licet incuria, *Britanniam Saxones* eripuiſſent. Unde *Willielmus*; conjuncti denique ſimul *Britones* & *Scoti* contra *Saxones* & *Pictos* bello ſæpius dimicabant. *Beda.* Interea *Saxones* & *Picti*, quos eadem & una neceſſitas in caſtra contraxerat, bellum junctis viribus adverſum *Britones* & *Scotos* ſuſceperunt.

XIX. *De primo rege* Francorum *baptizato, nomine* Clodoveo, *& eorum origine.*

CLodoveus vero *Francorum* rex, anno *Congalli* regis x. vel circiter, baptizatus eſt, in nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, à Sancto *Remigio*, & cum eo ſui exercitus ad tria millia, cunctuſque *Francorum* populus, exemplo ſui conſequenter baptizatur. *Sigibertus.* Originem vero gentis *Francorum* de relatu fideli majorum, hanc eſſe notificemus. Poſt illud famoſum & cunctis notum ſæculis *Trojanæ* civitatis excidium, victoribus *Græcis* reliquiæ *Trojanorum* cedentes, pars quædam cum *Ænea* ad fundandum *Romanum* Imperium ad *Italiam* perrexit, pars una, ſcil. decem millium, duce *Anthenore* in finitimas *Pannoniæ* partes ſecus *Meotidas* paludes pervenit, ubi civitatem ædificantes, ob ſui memoriam *Sicambriam* vocaverunt. In qua cohabitantes multis annis magnam coaluerunt in gentem, & crebris incurſibus *Romanum* ſolum uſque *Gallias* ferocitatis ſuæ veſtigia dilataverunt. Hos adeo *Romanis* infeſtos *Conſtans Cæſar*, filius Magni *Conſtantini*, bello preſſit, & tandem *Romano* imperio ſubjectos aliquantulum à ſua ferocitate manſuetos fieri coegit. Poſt aliquot annos, *Alanis* rebellantibus contra *Valentinianum* Imperatorem, qui cum eos debellare non poſſet, eo quod intranſibiles *Meotidæ* tutarent eos paludes, promiſit Imperator, quod ſi qua gens has paludes intrando rebelles *Alanos* poſſet conterere, decem annis à tributo liberam redderet. Hac illecti ſponſione, fortitudine ſua ſimul & prudentia confiſi, duce *Priamo*, *Meotidas* paludes *Romanis* invias ingreſſi, gentes *Alanorum* exuperantes *Valentiniano* ſatisfecerunt. Imperator autem eorum virtute delectatus, eos, qui prius *Trojani*, poſtea *Sicambri* vocati fuerant, *Attica* lingua *Francos*, quod interpretatur Latina *feroces*, appellavit. Ab illo tempore tantum virtus eorum crevit, ut totam *Germaniam*, & uſque juga montis *Pirenæi*, *Gallias*, & ultra, ſubjugaverunt. Alii *Francos* ab *Hectoris* filio *Francione* volunt appellari. Dicunt enim quod prius excidium *Trojæ* multitudo magna inde fugiens, & in duos poſtea populos dividens, alia *Francionem* ſuper ſe regem levabat, alia *Thureum* nomine ſecuta, ſic & ex eis duos populos *Francos* & *Thureos* appellari.

XX. *De*

XX. *De eodem, & tempore quo primum habuerunt regem, ac de regia ſucceſſione uſque hunc* Clodoveum, *& Sancto* Giberiano Scoto.

VErum undecunque denominati ſunt *Franci*, quantum altius hiſtorici colligere poterant, diebus ultimis *Valentiniani* principis, aut *Gratiani*, primus quidam *Priamus* vel ſuper eos regnare, vel eorum dux eſſe cœpit. Non *Priamus* ille magnus rex *Trojæ*, ſed *Priamus* qui, poſt multa tempora, de filiis nobiliſſimi militis *Hectoris* in *Francorum* chronica legitur deſcendiſſe. Igitur anno primo *Gratiani*, qui *Valentiniano* ſucceſſit, in commune *Franci* deliberant, ut & ipſi ſicut aliæ gentes regem habeant, & ipſum *Priamum* regem conſtituunt, qui ſuper eos regnavit annis quinque: cui *Marcomirus* filius ejus ſuccedens, annis XXXIII. regnavit, hos enim duos in quadam chronica, non reges, ſed duces fuiſſe, legitur. Sic enim habetur; Imperatoris *Honorii* temporibus *Sampnone* & *Marcomiro Francorum* ducibus defunctis, *Franci* regem habere volentes, filium *Marcomiri* ducis *Pharamundum* in ſuum erigunt regem, qui regnavit annis XI. cui *Clodius Crinitus* filius ejus ſuccedens, regnavit annis XVIII. cui cognatus ejus *Meroveus* ſuccedens, regnavit annis X. cui filius ejus *Hildericus* ſuccedens, regnavit annis XXIV. cui *Clodoveus* filius ejus, de quo fit mentio, ſuccedit, & regnavit annis XXX. Cæterorum quoque nomina regum *Francorum* ſucceſſiones & tempora noſcere captans, iſto libro conſequenter ſeptimo capitulo reperiet. Anno *Congalli* XV. Imperatore *Zenone* mortuo, qui decem regnavit & novem annis, *Anaſtaſius* ab *Auguſta* aſſumptus, Imperator ſimul & *Auguſtæ* maritus cunctis innotuit, & imperavit annis XXV. Cœpit anno Domini CCCCXCIII. *Congalli* regis etiam anno XVI. Sanctus *Gyberianus Scotus* cum fratribus ſuis & ſororibus *Galliis* peregrinatus, urbem *Remenſem* vita morteque ſua perluſtravit. Ejus autem anno XVII. Letaniæ, quæ dicuntur rogationes, à beato *Mamerto Vienſis* Epiſcopo inſtitutæ ſunt, & in *Scotia* promulgatæ. Eodem autem anno duces duo *Saxonum*, *Cerdix* viz. qui primus regnavit in *Weſtſax.* & filius ejus *Kenrik*, in *Britanniam* cum quinque navibus advehuntur, & ipſo applicationis die bellum cum *Britonibus* committentes vicerunt.

XXI. *De ſucceſſione* Gonrani, *& renovatione fœderis cum* Uther, *& de Sancta* Brigida.

BElla quoque publica *Congalli* temporibus nulla, ſed irruptiones variæ, *Saxonibus* & *Pictis* inſultantibus, fuiſſe leguntur. Illi vero diſcedenti *Gonranus* frater ejus, filius etiam *Dongardi*, vir ætatis provectæ, ſucceſſit, anno Domini DI. necnon Imperatoris *Anaſtaſii* nono, regnavitque XXXIII. annis. Ejus regnationis principiis, inter ipſum & *Britones* emergere bella cœperunt; nam ſtatim ut ſublatus eſſet è medio nobilis ille princeps *Britonum Aurelius*, *Saxonico* proditorie potionatus veneno, nequaquam *Britones*, vel fœderatis pacem amicis, vel ſibimet concordiam noverant ulterius obſervare: ejus vero laudes eximius *Britonum* hiſtoricus *Gildas* præ cæteris eorum regibus non tacuit, immo poſteris eleganti ſtilo ſua geſta fideliter conſcripta dereliquit. Erat enim fortis pede, fortior equo, largus & audax; in divinis obſequiis ſedulus, cunctis modeſtus, & ad exercitum regendum doctiſſimus. Obeunti tandem ſibi frater ejus *Uther* ſucceſſit, inter ſuos civilium bellorum nimius excitator. Nitebatur etiam & ipſe quorundam inſtigatione regionem *Weſtmeriam*, cum aliis annexis regionibus, *Scotis* eripere, quibus poſſeſſione pacifica tantis tranſacti temporis gaudebant annis. Sed hoſtium impetitus undique paganorum incurſibus, cum rege priſtinum renovare fœdus conſentiit, atque partis utriuſque nunciorum interceſſione concordes adin-

vicem ſunt effecti. Anno *Gonrani* regis octavo, pagani præſcripti *Cerdix* & *Kenrik*, una die quinque millia *Britonum* cum rege ſuo *Nathanleod* occiderunt. Etiam ejus anno XIV. *Stuff* & *Wichtgare* pagani *Saxones*, cum paucis navibus *Britanniam* advehuntur, & apud *Cherdixore* bellum cum *Britonibus* committunt, & omnes in fugam verſi ſunt. Ejus anno XVIII. obiit Sancta *Brigida*, virgo Deo dilecta, *Dunoque* ſepulta eſt. Eodem anno *Cherdix* & *Kenrik* apud *Cherdixforde* pugnaverunt contra *Britones*, & victores exſtiterunt, ac in *Weſtſex* deinde regnandi poteſtatem obtinuerunt.

XXII. *De Hiſtorico* Gilda, *& ſuis quibuſdam metricis prophetiis.*

HOc circa tempus *Gildas* obiit, verus hiſtoricus & facetus, qui in Inſula *Avallone* vetuſta ſepultus eſt Eccleſia. Cui, ſicut variis teſtatur hiſtoriis, *Britanni* debent, ſi quid inter cæteras gentes habent notitiæ: quidam ipſum *Arthuri* fuiſſe Capellanum volunt, & quidam non, ſed ejus primis & ante floruiſſe diebus. Hic in eadem Inſula *Avallone*, affectu non modico locique ſanctitudine delectatus, diutina perendinatione manſit. In ea vero vitam Deo placabilem atque ſolitariam ducens, ad tantam pervenit gratiam, ut & miraculis & ſpiritu ſæpius prophetiæ meruit divinitus decorari. Multa quidem & vera, quorum proſaice quædam, & quædam metrice, prædixit experta. Sed pauca quædam operis ſui metrici, quæ ſecundum noſtri temporis expoſitores nondum accidiſſe putantur, huic operi præſenti capitulo placuit inſerere quæ ſequuntur. Et primo ſequitur de continuatione confecti fœderis inter *Scotos* & *Britones*, incepti prius à *Carauſio*, deinde fideliter à *Conano* ſervati, ſed & ab *Aurelio Ambroſio* reparati, necnon à multis hucuſque principibus quamvis non omnibus continuati, *Gildas*.

Bruti poſteritas cum Scotis aſſociata,
Anglica regna premet, marte, labore, nece.
Flumina manabunt hoſtili tincta cruore,
Perfida gens omni lite ſubacta ruet.
Quem Britonum fundet Albanis juncta juventus,
Sanguine Saxonico tincta rubebit humus.
Regnabunt Britones Scotorum gentis amici.
Antiquum nomen Inſula tota feret.
Ut refert aquila veteri de terra locuta,
Cum Scotis Britones regna paterna regent.
Regnabunt pariter in proſperitate quieta,
Hoſtibus expulſis, judicis uſque diem.

XXIII. *De eiſdem prophetiis, & Sanctis* Brandano *&* Machuto.

ETiam & hæc de quibuſdam caſibus *Scotis* contingendis inter cætera cecinit dicens:

Fata ducis celebris ſuper omnia Scotia flebit,
Qui loca ſepta ſalo junget ubique ſibi:
Principe magnifico tellus viduata vacabit,
Annis bis ternis, menſibus atque novem.
Antiquos reges, juſtos, fortes, locupletes,
Largos, famoſos, Scotia mœſta luget,
Ut Merlinus ait, poſt reges victorioſos,
Regis more carens, regia ſceptra reget.
Væ canet Albania *tantis præſaga ruinis,*

Totaque

Totaque gens propria fraude perempta jacet.
Serviet Angligenæ *regi per tempora quædam,*
Proh dolor! Albania *fraude ſubacta ſua.*
Quod reſpirabit poſt funus regis avari,
Verſibus antiquis priſca ſibilla canit.
Candidus Albanus *patriotis cauſa ruinæ,*
Traditione ſua Scotica *regna teret.*
Rex Borealis enim numeroſa claſſe potitus,
Affliget Scotos, *enſe, furore, fame,*
Extera gens tandem Scotorum *fraude peribit.*
In bello princeps Noricus *enſe cadet,*
Gallica *quem gignet, qui* Gazis *regna replebit,*
O dolor, ô gemitus fratris ab enſe cadet!
Triſtia ceſſabunt quæ proſpera fine ſequentur,
Pacis & adveniet tempore grata quies.
Hiſtoriæ veteris Gildas *luculentus Orator,*
Hæc retulit parvo carmine plura notans.

Juſtinus Senior, Imperator Chriſtianiſſimus, *Anaſtaſio* perfido ſuccedens anno Domini DXVIII. imperavit annis X. & anno regis *Gonrani* XXVIII. mortuus eſt. Cui ſucceſſit ex ſorore nepos ejus *Juſtinianus* eodem anno, viz. Incarnationis Dominicæ DXXVIII. & imperavit annis XXXVIII. Ipſe libros *Romanorum* legum in uno volumine, quod *Juſtinianum* vocatur, abbreviavit. Anno itaque regis XXX. *Therdix* & *Kenrik* filius ejus *Wectam* Inſulam ceperunt, & illam nepotibus ſuis *Stuff* & *Wichtgare* dederunt. Et hoc tempore *Dionyſius* in urbe *Roma* Paſchalem circulum decennovennalem compoſuit, & anno Domini DXXXII. incœpit. Eo tempore Sanctus *Brendanus* in *Scotia* floruit, qui & magnæ abſtinentiæ vir & in virtutibus clarus, trium fere millium monachorum pater fuit. Hic quoque fortunatas Inſulas Septentrionali navigatione perquirens, multa miraculo digna vidit. A quo Sanctus *Machutes*, qui & *Macloveus*, baptizatus & regulariter educatus, ac ipſius navigatione ſocius, in *Britannia* miraculis & ſanctitate claruit.

XXIV. *De morte* Gonrani *regis, & de* Arthuro *rege* Britonum.

G*Onranus* utique plenus dierum, poſtquam in regno triginta quatuor impleverat annos, apud *Innerlothyn*, à ſuo nepote filio fratris *Eugenio* vel *Eothodio Hebdir* inſidiis circumventus interiit: cujus ad ſepeliendum corpus ad Eccleſiam Sancti *Orani* delatum eſt, ubi patris & avi funera quieſcunt in *Hy* Inſula. Uxor vero poſt ejus mortem regina, cum filiis ſuis *Rogenano* & *Aydano*, ad *Hyberniam* clam aufugit, ubi, dum vel ipſe vel frater ejus regnabat, & uſque mortem permanſit: filii tamen ſui, cum perfectæ pubertatis annos, & militiæ robur habuiſſent, animo regis intercedentium amicorum mitigato precibus, ad patriam redeuntes in pace de cætero quieverunt; de quibus, ut infra ſuo loco patebit, amplius eſt dicendum. Cum enim *Uther* rex *Britonum*, ſicut bonæ memoriæ frater ejus *Aurelius*, *Saxonum* perfidia veneno periſſet, filius ejus *Arthurus* factione quorundam in regno ſucceſſit, quod tum illi debitum de jure non fuerat, ſed *Annæ* ſorori potius vel ſuis liberis. Illa namque de thoro procreata legitimo, conſuli *Loth Scoto* & domino *Landoniæ*, qui de familia ducis *Fulgentii* proceſſit, nupta fuit: ex qua duos filios genuit *Galwanum* nobilem & *Mordredum*, quem aliter ex adverſo genitum nonnulli tradunt, ſed non tenet. *Arthurum* regnaſſe *Gonrani* diebus regnationis certum eſt, & poſt ejus deceſſum ſeptem annis. Nam anno Domini quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, ſicut variis apparet in Scriptis, obiit *Arthurus*, ſed quoto regnum ſuſceperat anno mihi non notuit. Sed quare

aſſumptus eſt *Arthurus* in regem, omiſſis legitimis hæredibus, patere poterit per *Galfridum*, qui, ut dicit, defuncto *Uther Pendragonum*, convenerunt ex diverſis Provinciis gentes *Britonum*, & proceres in civitate *Cilceſtriæ*, *Dubricio* urbis legionum Archiepiſcopo ſuggerentes, ut *Arthurum* filium ejus in regem ſublimarent & conſecrarent; arguebat enim eos neceſſitas, quia audito prædicti regis obitu, *Saxones* concives ſuos ex *Germania* invitaverunt, & duce quodam *Colgerino* eos exterminare nitebantur.

XXV. *De eodem* Arthuro.

D*ubricius* ergo calamitatem patriæ dolens, aſſociatis ſibi Epiſcopis, propter periculum eminens futurum, *Arthurum* regni diademate inſignivit. Erat enim xv. annorum *Arthurus*, juvenis inauditæ virtutis & largitatis, in quo tantam gratiam ſua innata bonitas ſibi præſtiterat, ut à cunctis fere populis amaretur. Inſignibus igitur regiis initiatus ſolitum morem ſervans ſemper largitati indulſit, propter ejus admirabilem liberalitatem cum aliis virtutibus confluebat ad eum tanta multitudo militum, ut quod etiam diſpenderet ei deficeret. Sic cui naturalis ineſt largitas cum probitate, quamvis ad tempus indigeat, nullatenus tamen continua paupertas ei dominari poterit: ſed ut ad propoſitum revertamur, ubi dicitur. Arguebat enim eos neceſſitas quæ legem non habet, nam multotiens neceſſitas facit licitum quod aliter licitum non eſſet. Sed quæ vel qualis fuerat iſta neceſſitas non multum declarat, nam ſatis luculenter apparere poterit, & colligi ex dictis ejuſdem proceſſus, quia tunc *Gawanus* & ejus frater *Mordredus* pueri erant impuberes; & ponito ut jam diximus, quod *Arthurus*, quum aſſumptus eſt in regem, fuit annorum quindecim, diverſis eruptionibus per eum bellicis *Saxonibus* illatis; interim poſt hujuſmodi bella à tempore regnationis ejus edita, ſic loquitur *Galfridus*. His itaque geſtis &c. poſt pauca, erat *Wauwanus* filius *Loth*, XII. annorum juvenis, obſequio *Sulpitii* Papæ ab avunculo traditus, à quo arma recepit. Et ideo ingruente tanta neceſſitate potius adoleſcens tendens ad virum eligitur, quam in periculis puer in cunabulis, & hac forte de cauſa movebat bellum *Mordredus* contra *Arthurum*, in quo alteruter fatis ceſſit, &c. Scribit enim *Galfridus*, *Mordredum* & *Gawanum* fuiſſe filios ſororis *Aurelii* patrui *Arthuri*, ſic dicens. *Loth* autem qui tempore *Aurelii Ambroſii* ſororem ejus duxerat, ex qua *Mordredum* & *Gauwanum* genuerat, infra tamen vocat *Arthurum* avunculum eorum. Sic dicens, erat autem *Wauwanus* filius *Loth* annorum XII. juvenis, obſequio *Sulpitii* Papæ ab avunculo traditus. Tamen clare conſtat quod ei tunc non erant ſuperſtites, nec *Aurelius* nec *Uther*. Ideo colligitur quod *Arthurus* fuit iſte avunculus, qui obſequio Papæ eum tradiderat: alibi tamen legitur *Mordredum* fuiſſe ſororium *Arthuri*. Unde Scriptor de prophetia Venerabilis *Bedæ*, & ejus ſcriptis. *Beda* Venerabilis de *Anglia* ſic prophetizans dixit:

Villa ſuper Twedam *fert* Anglis *te fore prædam*,
Gaude per Bedam, *qui ſcripſit verbula quædam*,
Libro de geſtis Anglorum *ſcripta poteſtis.*
Cæteris quod peſtis erit Anglis *tetra teſtis*,
Prædixit Chriſti vir genti credulus iſti.
Stragi dolo triſti mala gens ſemper ſtuduiſti;
Ebria gens, fidei fictæ, gens Ingluviei,
Gens peravara rei, gens nequam progeniei.
Eſt ter ventura gens Francorum *nocitura*,
Te ſubverſura ſemper ſine ſpe labitura,
Non gens Francorum *tamen ſed ſpreta proborum*,
Gens tibi Scotorum *fiet major duorum.*

Hæc ille *Beda*. Nota quod anno Domini DXLII. *Arthurus* in bello lethaliter vulneratus, abiit ad ſananda vulnera in Inſulam *Avallonis*. *Evegus*; non legimus quo fine pauſavit, ſed quia in Eccleſia monaſteriali de *Glaſmbery* dicitur eſſe tumulatus, cum hujuſmodi epitaphio, ſic eum ad præſens ibidem credimus, unde verſus:

Hic jacet Arthurus *rex quondam rexque futurus.*

Credunt enim quidam de genere *Britonum* eum futurum vivere, & de ſervitute ad libertatem eoſque reducere &c. Contemporaneus fuerat *Arthurus* Sancti *Columbæ*, Sanctus etiam *Conſtantinus* rex *Cornubiæ* eodem tempore reliquit regnum terrenum, adhærendo & invitando regem cœleſtem, & cum Sancto *Columba* in *Scotiam* venit, & fidem *Scotis* prædicavit, monaſterium de *Goron* fundavit & Abbas fuit, & *Pictis* prædicavit; terram totam de *Kintyre* convertit, & ibidem martyrio occubuit, &c. Item Sanctus *Columba* convertit *Kenderen* regem *Pictorum*, & gentem ejuſdem, & Abbas fuit in *Hybernia*, in monaſterio quod vocatur *Campus*, & in *Scotia*, in monaſterio *Genſy*; non fuit Epiſcopus ſed monachus.

XXVI. *De ſucceſſione trium regum*, Eugenii, Convalli, *atque* Kynatel, *ſive* Connyd, *&* *adventu Sancti* Columbæ.

E*Vgenius*, qui & *Eochodius Hebdir*, occiſo patruo *Gonrano*, regnum ſuſcepit anno Domini DXXXV. & regnavit annis XXIII. Suæ regnationis anno octavo, & Imperatoris *Juſtiniani* decimo quinto, commiſſum eſt in *Britannia* bellum inter *Britonum* regem *Arthurum* & ſuum nepotem *Mordredum*, quo bello cecidit vulneratus ad mortem uterque cum multitudine copioſa *Britonum*, pariter & *Scotorum*. Totum namque tempus ſui regiminis cum *Saxonibus* & *Pictis* aſſidue dimicando tranſduxit, illi quandoque vel illis fortuna victoriam concedente: pacem cum *Britonibus*, & priſtinæ colligationis vinculum diligenter obſervans, ſæpius eis etiam perſona præſens ſubſidium contra paganos exhibuit. Illi vero poſt mortem ſucceſſit frater ejus *Convallus* anno Domini DXVIII. & Imperatoris *Juſtiniani* triceſimo primo, regnavitque decem annis. Eo regnante *Scotis* anno octavo, & *Pictis Brudeo* filio *Mealochon* anno ſui regni nono, qui erat annus Domini DLXV. ex *Hybernia* venit in *Scotiam* Sanctus Presbyter & Abbas *Columba*, vir vitæ non nimus mirabilis quam venerabilis, monaſteriorum fundator, & multorum pater & inſtructor monachorum. Hic cum *Jona* Propheta ſortitus eſt nomen, nam quod Hebraica lingua *Jona*, Latina vero *Columba* dicitur, Græca vero *Periſtera* vocitatur. Nomina virorum duodecim, qui cum Sancto *Columba Scotiam* adnavigaverunt ex *Hybernia*, ſunt hæc: duo filii *Brendini*, *Bathenus*, qui & *Coninus*, Sancti *Columbæ* ſucceſſor, & *Obthacus* frater ejus: *Aernamus* avunculus Sancti *Columbæ: Dormitius* ejus miniſtrator: duo filii *Rodaini*, *Rus* & *Fechno: Standalaus* filius *Breſaili*, filii *Endei*, *Goghodius*, *Thocammeus*, *Mocuferus*, *Cetea*, *Cayrnaanus*, filius etiam *Brandiur*, filii *Melgy Grillaamis*. Die quodam & eadem hora qua commiſſum eſt bellum in *Hybernia*, quod *Ondemorum Scotice* dicitur, idem homo Dei, coram eodem rege *Convallo* filio *Congalli* converſatus in *Scotia*, narravit per omnia, tam de bello commiſſo, quam etiam de regibus quibus Deus donavit victoriam de inimicis. Sancti vero *Columbæ* poſt adventum anno ſecundo mortuus eſt rex *Convallus*, & illi ſtatim frater ejus *Kynatel* ſive *Connyd* eodem anno ſuccedens in regno, poſt annum & tres menſes diſceſſit.

XXVII. *De Angelo librum vitreum deferente Sancto* Columbæ *regiæ conſecrationis, & ſucceſſione regis* Aydani.

ADamnanus. His itaque temporibus cum in Inſula, cui nomen *Hymba*, Sanctus *Columba* manſiſſet, nocte quadam, mentis in extaſi, vidit angelum Dei vitreum in manu librum regum ordinationis geſtantem, quem ut legeret Sancto *Columbæ* porrigebat, qui cum tertia nocte, ſecundum quod ei in libro juſſum fuerat, *Aydanum* filium *Gonrani* regem ordinare recuſaret, cum fratrem ejus *Jogenanum* magis diligeret, extendens ſubito manum angelus flagello ſanctum virum percuſſit. Cujus in latere linoſum omnibus ſuæ vitæ diebus permanſit veſtigium. Hoc itaque verbum intulit, pro certo ſcias, inquiens, quia cum hoc libro ſum ad te miſſus à Deo, ut juxta quod in eo legiſti regem ordines *Aydanum*, quod ſi nolueris huic obſecundare juſſioni iterato te percutiam. Itaque cum angelus Domini per tres continuas noctes eundem in manu vitreum habens codicem eidem Sancto apparuiſſet, & divina juſſa de regis ejuſdem ordinatione commendaſſet, ad *Jonam* tranſnavigavit Inſulam, & ibidem *Aydanum* his diebus adventatem, ſicut erat juſſus, manum ſuper caput ejus impoſuit, & in regem benedicens ordinavit, ac inter ordinationis verba de filiis nepotibus ac pronepotibus futura prophetavit. *Aydanus* igitur angelicis in regem hujuſmodi monitis ad ſuæ lætitiam gentis ordinatus, regnum in magna proſperitate rexit. Cœpit autem anno Domini DLXX. *Juſtini* Junioris, qui *Juſtiniano* ſucceſſit, anno quinto; nam imperare cœpit anno Domini DVI. & imperavit annis duodecim, regnavitque rex annis XXXV. Hic bellicis motibus nimis etiam contra beati *Columbæ* monita ſe ſupra modum ingerens, adeo quod quaſque gentes per circuitum, quotiens ſuum irruebant in regnum, *Noricos* viz. *Pictos* & *Saxones* devinceret, ſed & eoſdem *Pictos* etiam propriis in ſedibus ſuperabat, binis tamen vicibus ſuum exercitum Scripturæ docent ſuperatum. Una vero vice ſub *Brendino* principe bellorum, altera quidem ſub ſeipſo; quarum unius & primæ modus diſconfecturæ ſequenti capitulo ſequitur, & eſt talis, &c.

XXVIII. *De ſubſidio per* Aydanum Malgoni Britonum *regi miſſo, & victoria paganorum, de parentibus Sanctorum* Furſei, Feylam, *&* Vulcani.

MIſit autem ei nuncios *Malgo* rex *Britonum*, cum ſuæ probitatis præconium audiſſet, obſecrans, ut poſteræ confœderationis & amicitiæ non immemor, auxiliari ſibi contra nefandæ nationis ethnicam gentem non recuſet. At ille faciliter tam juſtæ petitionis aurem inclinans effectui, filium ſuum *Griffinum* militem egregium, atque *Brendinum Euboniæ* regulum, ex parte ſororis nepotem, anno regni ſui XV. cum manu potenti deſtinavit. Non enim illis hac vice tanti curam commiſiſſet negotii, cum antea nihilominus exercituum prudenter ſoleret & ſæpius ducatum gerere, quia dictam per ſe profectionem regere diſpoſuit, ſi non ſaniori conſilio primates diligentius ipſum à propoſito revocaſſent. Illis mox cum exercitu proficiſcentibus *Britones* aſſociantur Boreales, & ſic conjuncti ſimul quaſi nihil timentes ſecure *Malgonem* adire contendunt. Sed ecce ſubito die tertia, poſtquam moram tranſiſſent lapideam, in paganorum turmas, non improviſi penitus incidunt, quibus præfuit *Weſtſaxonum* rex *Cenlinus*, loco qui *Fethanleg* appellatur, ubi cum non parvo diei ſpatio fortiter certaſſent, *Cutha*, *Cenlini* filius, cum tota quam ducebat acie prima peremptus eſt. Nec tamen ob id paganorum acies reliquæ quicquam timentes ex campo recedere, quin & fortius inſtare curabant, donec & noſtros & *Britones*, qui bellum primo videbantur

tur evincere crudeli cæde terribiliter effugaret. *Unicus* erat enim his diebus in *Scotia Brendino Regulo* frater, cui nomen *Adelfius*, de cujus filia vocata *Gelgehes*, rex *Hyberniæ Philtanus* Sanctum genuit *Furſeum*, & fratres ejus *Stoylanum*, & *Ultanum*, magnificos Sanctos apud Deum. Anno regis *Aydani* nono *Juſtinus* obiit, & ad imperium ſucceſſit *Tiberius* anno Domini DLXXVIII. & imperavit annis VI. *Tiberio* mortuo ſucceſſit gener ejus ex filia *Mauritius*, anno Domini DLXXXIV. & regnavit annis XXI.

XXIX. *De rege* Aydano *pro* Cadwallonis *regis* Britonum *ſubſidio proficiſcente contra* Saxones, *& belli victoria, & prophetia Sancti* Columbæ *de dicto bello, & de Sanctis* Kentigerno *ac* Convallo.

A *Britonibus* & ſuo rege *Cadwallone*, rex *Aydanus* anno regni ſui XXIII. contra prædictum *Cenlinum* regem de ſubſidio requiſitus, ad *Ceſtriam* uſque cum ſuo perrexit exercitu, quo *Britones* cum eo turmatim globati per acies adverſus ipſum dimicaturi convenerunt. Quibus & ipſe cum hoc audiſſet, cum ſuis paratus ad bellum obvius incedit, & apud *Wodenysborth* duro commiſſo prælio, duces de parte *Cenlini*, *Cealinus* & *Quichelm* & *Crida*, copiæque bellatorum ſui pene perierunt exercitus, ſed & ipſe vulneratus fugiens regno ſtatim privatus eſt. Ipſo quoque tempore belli vir ſanctus *Columba Jona* moram faciens Inſula, ſicut refert in ſuis Scriptis, ſubito miniſtrum advocat dicens, cloccam pulſa; cujus incitati ſonitu fratres ad Eccleſiam ocius, ipſo ſancto præſule præeunte, cucurrerunt. Ad quos in Eccleſia flexis genibus juſſit, nunc Deum intentius pro rege deprecemur *Aydano*, & hoc populo, nam in hac hora bellum ineunt. Et poſt modicum intervallum Eccleſiam egreſſus in cœlum reſpiciens inquit, in fugam nunc barbari vertuntur, *Aydanoque*, quamlibet alias infelix, à Deo tamen victoria conceditur. Sed & exercitus *Aydani* de numero trecentorum interfectorum & trium virorum, prophetice vir ſanctus atque veraciter narravit. Contemporaneus vero cum Sancto *Columba* beatiſſimus floruit *Kentigernus Glaſgweum* Epiſcopus, vir mirandæ ſanctitatis, & multorum operator miraculorum, cujus ibidem oſſa veneranda, multis ad laudem Dei clarificata miraculis, tumulata requieſcunt. Ejus verſus Auſtrum Epiſcopatus tunc temporis ultimus finis fuerat, ut eſſe modo de jure debeat, ad crucem regiam infra *Stanemure*. Unus vero diſcipulorum ejus præcipuus erat Sanctus *Convallus*, miraculis clarus & virtutibus, cujus itaque oſſa ſepulta quieſcunt apud *Inchenave* juxta *Glaſgw*.

XXX. *De eodem* Aydano *per* Northumbrorum *regem* Æthelfridum *è bello fugato, & de* Auguſtino *fidem* Anglis *prædicante*.

ALio quidem in tempore victus eſt *Aydani* regis exercitus ipſo præſente, ſuæ viz. regnationis anno triceſimo tertio. Denique, poſtquam *Cenlinum* regem *Weſtſaxonum* devicerat anno undecimo, conventum eſt inter ipſum & *Britones*, populos *Northumbrenſes*, quos tunc rex fortis viribus & prudens *Æthelfridus* rexit, qui *Britones* continuis & *Scotos* affecit injuriis, iſte quidem ad Boream, illi ſiquidem ad Auſtrum, utriſque partibus impetere condicto ſubfirmata fide termino convenirent. Rex igitur, quamvis ætate grandævus, adveniente nocturno tempore, ſperans eos ex adverſo facturos quod pacto pepigerant, *Northumbriæ* partes invaſit, & dum per dies ſingulos incendio ſuis vacaret & ſpoliis exercitus, una dierum diſperſos hujuſmodi prædando per villas & arva *Scotos*, rex *Æthelfridus* condenſo ſuperveniens agmine, non abſque ſuorum magna cæde ſuperavit. *Beda*. Profectibus *Æthelfridi* motus *Scotorum* rex *Aydanus*, contra eum cum immenſo fortique venit

venit exercitu, ſed cum paucis, loco qui dicitur *Degſaſtan*, omnis pene cæſus eſt ejus exercitus. In qua tamen pugna *Theobaldus Æthelfridi* frater, cum omni quem ducebat exercitu peremptus eſt, victus nihilominus *Aydanus* aufugit. Ante quidem hoc bellum anno quinto, Sanctus *Gregorius* Papa miſit *Auguſtinum* cum ſociis, primum doctorem in *Angliam*, ut eis fidem prædicaret, qui regem *Cantiæ Athelbertum* ad fidem eodem anno convertit. *Franci* quidem & *Hiſpani* temporibus *Aydani* de Paſcha celebrando diſſentiunt, *Francis* XIV. kal. *Maii*, *Hiſpanis* XII. kal. *Aprilis* Paſcha celebrantibus. Ejus etiam tempore Sanctus *Gregorius Turonenſium* ordinatur Epiſcopus, & clarus habetur in omnibus. Hic regum *Francorum* hiſtoriam ſcripſit. Poſt autem dictum bellum rex *Æthelfridus* gentem *Britonum* miſere vaſtavit, pluresque terras eorum, exterminatis indigenis, aut genti *Anglorum* tributarios, aut habitabiles fecit.

XXXI. *De prophetia Sancti* Columbæ, *de regis* Aydani *filiis, & ejus morte, & de Sancto* Droſtano *ſuiſque parentibus.*

ADamnanus. Tempore vero quodam, cum Sanctus *Columba* regem *Aydanum* de regni ſucceſſore quæſierat, illo ſe reſpondente neſcire quis eſſet regnaturus de filiis, *Arthurius*, an *Eochodius Find*, an *Dongartus*? Sanctus hoc conſequenter prophetatur, nullus ex his tribus erit regnator, nam in bellis cadent ab inimicis trucidandi: ſed nunc ſi quos habes alios minores ad me veniant, & quem ex eis Dominus regem elegerit ſuper meum ſubito irruet gremium. Quibus accitis, ſicut prophetabat Sanctus, *Eochodius Buyd* adveniens in ejus ſinu recubuit, quem Sanctus ſtatim oſculatus eſt, & benedicens ad patrem ait, hic eſt ſuperſtes, & rex ſtatim poſt te regnaturus etiam, & poſt eum regnabunt ejus filii. Sic omnia plene ſuis temporibus impleta ſunt, nam *Arthurius* & *Eochodius Find* non multo poſt temporis intervallo bello *Maychorum* trucidantur, *Arthurius* quoque bello *Saxonico*, ſicut & ante diu frater ejus major *Griffinus*, peremptus eſt; ſed *Eochodius Buyd*, quod noſtra lingua ſonat *Eugenius*, in regno patri poſt annum ſucceſſit. Hujus enim *Griffini* filii regis *Aydani*, filii *Gonrani*, filiam nomine *Fynewennem Conanrodus* filius regis *Demetiæ* duxit uxorem, ex qua genuit filium multum Deo dilectum Sanctum *Droſtanum*, qui monachico degens in habitu Deo ſeipſum hoſtiam obtulit acceptabilem. Anno Domini ſexcenteſimo Sanctus obiit *Columba*, poſtquam optima converſatione in *Scotia* manſiſſet annis plene triginta quatuor, quod ex dictis beati viri patet. Uſque in hunc, inquiens fratribus, præſentem diem meæ peregrinationis in *Scotia* terdeni completi ſunt anni; ſed quia dominus mihi totis viribus roganti donavit, ut ad ipſum hac die de mundo tranſirem, multarum magis Eccleſiarum orationes pro me exaudiens, dictum citius immutavit, & ipſis exorantibus à domino donatum eſt, ut, quamlibet contra meam voluntatem, anni quatuor ab hac die mihi carne manenti ſuperaddantur. *Aydanus* quoque rex poſt bellum *Degſaſtan* continue mœrens, tantis ſeipſum afflixit doloribus, quod anno ſecundo poſt fugam, adeo grandævus ut annorum octoginta pene metas attingens, apud *Kentyre*, & apud *Kylcheran*, quo prædeceſſorum nullus antea, tumulatur. Statimque *Kenethus Kere* filius *Conal* regiam ſuſcepit coronam, & poſt annum, vel ut alibi poſt tres menſes, defunctus eſt.

XXXII. *De*

XXXII. *De ſucceſſione* Eugenii *filii* Aydani, *& de Sanctis* Gilleno & Columbano.

AD regni deinde ſucceſſit apicem filius *Aydani* regis, *Eugenius Buydnel*, *Eochodius* à quibuſdam, *Aydo* ſecundum alios, anno Domini DCVI. & regnavit annis XVI. Anno quoque præcedente, Chriſti viz. DCV. *Mauritio* cum uxore & filiis à milite ſuo *Foca* perempto. *Focas* idem invaſit imperium, & tenuit annis octo. *Bonifacius* Eccleſiæ *Romanæ* Papa LXIV. qui *Sabiniano* ſucceſſit, apud eundem *Focam* obtinuit, ut Eccleſia *Romana* caput eſſet omnium Eccleſiarum; quia tunc Eccleſia *Conſtantinopolitana* ſe primam ſcribebat omnium Eccleſiarum. Hic *Eugenius* à *Parmeno*, poſtquam in beati *Columbæ* gremio caput reclinaverat, dilectus fuit ejus alumnus tenerrime nutritus, diuque poſtmodum diſcipulis diligenter tribus informatus. Ejus doctrinam rex effectus in multis oblivioni tradens, nam paci raro, ſed bellis continue curam adhibuit, gravibus ſemper regiones *Saxonum* irruptionibus, aliquandoque *Pictorum*, infeſtavit. In cunctis vero regendis auſterus erat, ac omnibus ſuæ majeſtatis imperium irritantibus per omnia crudelis atque ferox, glorioſius multo ſuperbos putavit aut effrenes cruenter quam civiliter ſuperare. Subactis tamen vel hoſtibus vel legiis civibus valde miſericors & mitis fuit, ſed & injuriarum veniam poſcentibus promptus indultor & ſuavis, in hoc enim generoſi leonis, cujus ipſe ſignum tulit in armis, verus imitator dici poſſit, cum parcere proſtratis ſit nobilis ira leonis. Ejus anno octavo, cum *Focas* Imperator in ſuos crudeliter domeſticos deſæviret, *Heraclii Africæ Patricii* juſſu peremptus eſt, qui poſt ejus necem ſibi rempublicam vendicavit; cœpit anno Domini DCXIII. trigintaque regnavit annis: hic rempublicam diſſolutam invenit & attritam. Eo tempore Sanctus *Gillenus Scotus* Provinciam *Attrebatenſem* ſana doctrina Chriſto acquiſivit, & illi claris attraxit miraculis. Quadam die, cum idem Sanctus cum Sancto *Phareone* corpus reficeret, vas vitreum, quo vinum propinabatur, pincerna tenente, caſu ruens confractum eſt: cernens autem beatus *Gillenus* vultum miniſtri in pallorem verſum, innuit illi latenter dari fruſtum calicis fracti, ſuper quem oratione facta, repente vitreum reintegratum eſt. *Eugenii* diebus Sanctus *Columbanus Scotus* multis claruit virtutibus, in *Galliis* Cœnobia *Luxonienſis* & *Bobrenſis* conſtruxit; poſtmodum à *Theodorico* rege, inſtinctu *Brunechild* aviæ ſuæ, expellitur de *Francia*, qui poſt, relicto *Gallo* diſcipulo in *Alemannia*, Cœnobium conſtruxit in *Italia*.

XXXIII. *De fuga* Cadwallonis *regis* Britonum *venientis in* Scotia *pro ſubſidio*, *& adventu Sancti* Oſwaldi, *fratrumque ſuorum ibidem baptizatorum*, *& ſepultura dextræ manus*, *& gladii regis* Eugenii *in mora lapidea*.

ANno quidem *Eugenii* decimo, *Weſtſaxonum* regis *Cinegillus* & *Quichelmus* prælium apud *Beautonum*, adverſus regem *Britonum Cadwallonem* committentes, exercitus ſui duobus millibus quadraginta ſex occiſis, ipſum fugam arripere coegerunt. Qui poſtmodum *Scotiam* cum paucis clam adveniens, opem habiturus à rege, de qua placitum ſibi promiſſum accepit: de *Scotia* vero petiit *Hyberniam*, indeque *Britanniam* ſeceſſit *Armoricam*, ubi ſtatim à rege, cui nomen *Salamon*, cum obtenta bellatorum manu non modica domi reverſus, immuneris *Saxones* occiſionum cladibus infeſtavit. Undecimo quidem anno ſuo *Redwaldus*, rex Orientalium *Anglorum*, *Ethelfridum Northumbriæ* regem bello peremit; in quo regno ſuccedens *Edwinus*, ſeptem filios *Ethelfridi*, viz. *Andefridum*, *Oſwaldum*, *Oſlafum*, *Oſwium*, *Offam*, *Oſwudum* & *Oſlacum*, & unam filiam *Ebbam*, ex regno patris ſui depulſit. Hi qui-

dem omnes cum multis nobilibus amicorum diligentia fuga lapſi, ſupremani coacti neceſſitate *Scotiam* adveniunt, quos rex adhuc paganos, ac licet eorum pater ſuum debellaſſet in bello patrem, eo tamen honore quo decuit benigne ſuſcipiens, in regno diu poſtmodum receptavit. Ejus etiam hortatu poſt paucos annos, doctrinaque ſanctorum Patrum & prædicationibus, quorum aſſidue glorioſa tunc converſatione *Scotia* refulſit, ad Chriſtianam perducti fidem, Sanctæ Trinitatis nomine ſacri baptiſmatis aqua ſunt renati. Anno duodecimo regni regis, & Imperatoris *Heraclii* quinto, *Palæſtina* bello premitur à *Perſis*, ſanctaque civitas *Jeruſalem*, peremptis in ea Chriſtianorum nonaginta millibus, capitur, & ipſa ſancta Dominica crux aſportatur. Unde quinto poſt hoc anno motus Imperator, menſis Aprilis die quarta, ſecundaque feria Paſchæ, contra regem *Coſdroem* iter arripuit, quo ſtatim interfecto, *Jeruſalem* reportavit ſanctam crucem, in cujus Imperator erumpendo laudibus hanc cecinit Antiphonam, O crux ſplendidior, &c. Rex igitur *Eugenius*, qui cunctis pene regni diebus quietem abhorruit, ad vitæ bravium tandem perveniens, etiam & hoſtibus poſt mortem, ut dudum vivens, æternus voluit eſſe timor. Nam ut in futurum regni gentes, ipſo defenſore licet mortuo, nunquam careant, legiis majoribus ſub fide jurata præcipiendo teſtamento conſtituit, quod ad eorum firmam de cætero tutelam, in extremis ad Auſtrum regni finibus, eo defuncto, dextram ſtatim ab humero deciſam, ac ſigno leonis bellico decoratam habentem manu gladium ſepelirent; hujuſmodi tamen regiæ manus ſepulturam *Eugenio* regi *Congalli* filio, non iſti, chronica quædam aſcripſit; arbitrio lectoris, an iſti debeat aſcribi, vel alteri potius relinquatur.

XXXIV. *De ſucceſſione regum* Ferthardi, *ſuique fratris* Donaldi, *quem Sanctus* Columba *benedixit adhuc puer, & reditu Sancti* Oſwaldi *in patriam.*

EJus enim filiorum major *Ferthardus* anno Domini DCXXII. principis *Heraclii* X. in regno ſibi ſucceſſit, & regnavit annis X. in cujus nihil actum eſt tempore memoria dignum. Ejus circa principium regnationis, magus & pſeudopropheta *Machometus*, *Arabes*, qui & *Saraceni* dicuntur, & populos multos ſeduxit. Qui vero *Ferthardus*, cum in Inſula *Columbæ* ſepultus eſſet, accepit pro eo regnum frater ejus *Donevaldus Brek*, anno Domini DCXXXII. & ejuſdem *Heraclii* XX. & regnavit annis XIV. Idem vero *Donevaldus* adhuc puer ad Sanctum *Columbam*, ſicut tradit *Adamnanus*, in Inſula *Dorcete* per mercatores adductus eſt, quem Sanctus intuens *Columba* percunctatur, inquiens, cujus filius eſt hic quem adduxiſtis? Illis reſpondentibus, hic eſt *Donevaldus* filius *Eugenii*, qui ad te ideo perductus eſt, ut tua redeat benedictione ditatus. Quem cum continuo Sanctus eum benedixiſſet, ait, hic poſt omnes fratres ſuos ſuperſtes erit, & rex valde famoſus, nunquam in manus inimicorum tradetur, ſed in ſenectute, morte placida, ſuam inter domum, & coram amicorum familiarumque turba, ſuper lectum morietur, & hæc omnia vera ſunt ſecundum beati viri vaticinium adimpleta. Regis enim anno ſecundo *Northumbrorum* rex *Edwinus*, qui regis *Ethelfridi* filios ſupra memoratos è regno pulſit, à *Cadwallone Britonum*, & *Penda Merciorum* regibus occiſus eſt. De cujus nece fratres *Andefridus*, *Oſwaldus*, ac cæteri nobiles, qui decem tunc & ſeptem annis exules manſiſſent in *Scotia*, veraci relatione certificati regis acceſſerunt præſentiam, rogantes, ut libertate conceſſa, ſibi ſubſidium quoddam, quo regnum reciperent patris, conferre dignetur gratioſe. Rex autem liberam eis recedendi facultatem ac redeundi gratis tribuit: ſed & contra *Pendam* ſeu quoſcunque *Saxones* ſubſidium promittens, adverſus *Cadwallonem* & *Britones*, quibus amicitia veri fœderis *Scotos* ad diu conjunxit, omnino renuit adhibere. Ut itaque ſui monarchias ſalvi pertranſeant, non

affectione *Saxonici* generis, ſed Chriſtianæ zelo religionis, bellatorum cum eis manum copioſam miſit. Ac illi tantis ſuffulti catervis, paternum intrantes regnum, libenter ab incolis recepti ſunt, ac eorum major *Andefridus* mox in regem coronatur *Berwiciorum*. Regnum quoque *Deirorum* eo tempore *Oſricus* ab Epiſcopo *Paulino* baptizatus ſuſcepit; nam *Northumbriæ* regnum in duabus tunc regionibus *Berwiciis* & *Deiris* diviſum eſt. Qui quidem reges *Andefridus* & *Oſricus* utcunque regna receperant, fidem abnegantes Catholicam, ſerviendum idolis redierunt.

XXXV. *De eodem Sancto* Oſwaldo, *& electione Sancti* Aydani *ad* Saxones *convertendos.*

BEda. Toto quidem tempore quo regnavit *Edwinus*, filii præfati regis *Æthelfridi*, cum magna nobilium juventute, apud *Scotos* exulabant, ibique ad doctrinam *Scotorum* catechiſati, & baptiſmatis ſunt gratia recreati. Qui, ut mortuo rege inimico patriam ſunt redire permiſſi, & eorum primus *Andefridus* regnum *Berwiciorum* accepit, *Oſricus*, ut ſupra, regno præficitur *Deirorum*; qui uterque rex, ut terreni regni ſortitus eſt infulas, Sacramenta regni cœleſtis anamatizando perdidit, & ſe priſcis idolatriæ ſordibus polluendum reſtituit, ac perdendum. Nec mora regem utrumque *Cadwallo* rex *Britonum* impia manu, ſed ultione Dei juſta, peremit. Deinde cum anno integro *Northumbrorum* provincias poſſideret *Sanctus Oſwaldus*, poſt occiſionem fratris cum parvo ſuperveniens exercitu, ſed Chriſti fide munitus, ipſum regem *Cadwallonem* cum immenſis copiis interemit. Eſt autem locus pugnæ juxta murum illum qui vocatur *Thirwall*, ad Aquilonem, quo *Romani* quondam, ob arcendos *Scotorum* impetus, totam à mari ad mare præcinxerunt *Britanniam*. Idem rex *Oſwaldus* ubi regnum ſuſcepit, deſiderans totam cui præeſſe cœpit gentem fidei Chriſtianæ gratia imbui, miſit ad majores natu *Scotorum*, inter quos exulans ipſe baptiſmatis Sacramenta cum his qui ſecum erant militibus conſecutus erat, petens ut ſibi mitteretur antiſtes, cujus doctrina gens quam regebat *Anglorum* Dominicæ fidei dona diſceret, ac ſuſciperet Sacramenta. Nec aliquanto tardius quod petiit impetravit, miſſus eſt igitur ad prædicandum primo vir quidam auſterus animo, qui cum aliquandiu genti prædicans *Anglorum* nihil proficeret, patriam rediit, & in conventu ſeniorum retulit, quod nihil prodeſſe docendo genti ad quam miſſus erat potuiſſet, & quod eſſent homines indomabiles & duræ mentis. At illi tractatum magnum in conſilio, quid eſſet agendum, habere cœperunt, deſiderantes quidem genti quam petebant ſaluti eſſe, ſed de non recepto quem miſerant prædicatore dolentes. Tunc ait Sanctus *Aydanus*, nam & ipſe conſilio intererat, ad ſacerdotem eum de quo agitur, videtur mihi, frater, quia durior juſto indoctis auditoribus fuiſti, & non eis juxta Apoſtolicam diſciplinam primo lac doctrinæ mollioris porrexiſti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, & ad facienda ſublimiora Dei præcepta ſufficerent. Quo audito univerſi, qui conſedebant, ad ipſum oculos & ora convertentes, diligenter quid diceret diſcutiebant, & ipſum eſſe dignum Epiſcopatu, ipſum ad erudiendos incredulos mitti decernunt & indoctos.

XXXVI. *De prædicatione ejuſdem Sancti* Aydani, *& morte Sancti* Oſwaldi.

ITaque *Beda.* Accepit ergo Sanctus *Oſwaldus* Sanctum Pontificem *Aydanum*, ſummæ manſuetudinis, & pietatis, ac moderaminis virum, habentem zelum Dei, cui locum ſedis Epiſcopalis in Inſula *Lindiſfarnenſi*, ubi ipſe petebat, tribuit, atque ejus ammonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auſcultans, Eccleſiam Chriſti in regno ſuo multum diligenter ædificare, ac dilatare curavit, ubi pulcherrimo ſæpe ſpectaculo contigit ut evangelizante antiſtite, qui *Anglorum* linguam perfecte non noverat, ipſe rex ſuis ducibus ac miniſtris interpres verbi exiſteret cœleſtis, quia nimirum tam longo exilii ſui tempore linguam *Scotorum* jam plene didicerat. Exinde cœperunt plures per loca indies de *Scotia* venire *Britanniam*, atque illis *Anglorum* Provinciis, quibus regnavit *Oſwaldus*, magna devotione verbum Dei fidei prædicare,& credentibus gratiam baptiſmi, quicunque Sacerdotali erant gradu præditi, miniſtrare. Conſtruebantur ergo Eccleſiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio poſſeſſiones & territoria ad inſtituenda monaſteria, imbuebantur præceptoribus *Scotis* parvuli *Anglorum* una cum majoribus; ſtudii & obſervationis regularis diſciplinæ inter alia vivendi documenta, ſanctus antiſtes ſaluberrimum abſtinentiæ, vel continentiæ, clericis exemplum reliquit, cujus doctrinam id maxime commendabat omnibus, quod non aliter quam vivebat ipſe cum ſuis docebat. In tantum vita illius à noſtri temporis ſegnitie diſtabat, ut omnes qui cum eo incedebant, vel attonſi vel laici meditari deberent, id eſt, aut legendis Scripturis, aut Pſalmis diſcendis operam darent. Anno quidam regis *Donaldi* XI. idem Sanctus rex *Oſwaldus* à *Penda* rege *Merciorum* occiſus eſt, & illi frater ejus *Oſwius* ſucceſſit; hic etiam à *Scotis* in fide Catholica doctus & baptizatus eſt. Eodem anno moritur *Heraclius* Imperator, & *Conſtantinus* filius ejus ſubſtituitur, ac imperii ſui quarto menſe à noverca ſua *Martina*, & *Pirro* Patriarcha, veneno extinctus eſt: *Martina* deinde cum filio ſuo *Heraclona* imperium arripuit. Verum *Heraclonas* poſt annum abſciſſo naſo, & *Martina* mater ejus abſciſſa lingua exulantur, & *Conſtans*, qui & *Conſtantinus*, filius *Conſtantini* prædicti, cepit imperium anno Domini DCXLIV. regnavit annis XXVI.

XXXVII. *De ſucceſſione regis* Ferthardi, *& Sanctis* Fynano, Furſeo *&* Fulano.

ANnis autem in regno completis quatuordecim *Donaldus* moritur, & nepos ejus *Ferthardus Fode*, filius *Ferthardi*, promotus ad regni regimen coronatur; regnare cœpit anno Domini DCXLVI. *Conſtantis* ejuſdem, qui & *Conſtantini*, tertio; regnumque XVIII. tenuit annis, & in pace toto tempore rexit. Anno regni ſui ſexto Sanctus Epiſcopus & doctor *Anglorum Aydanus*, poſtquam Epiſcopatum *Northumbriæ* ſeptendecim annis glorioſe rexiſſet, migravit ad Dominum. Et Sanctus *Finanus* etiam *Scotus* illi ſuccedens, decem annis regebat, à quo, ſtatim poſt ſuum ibidem adventum, mediterraneorum *Anglorum* rex *Peada*, filius *Pendæ*, baptizatus eſt, cum omnibus qui ſecum venerant comitibus ac militibus, earumque familiis univerſis. Ejuſdem regis circa regnationis principium Sanctus *Furſeus*, de cujus parentibus dictum ſuperius eſt, virtutibus plenus emicans, de *Scotia* pro Chriſto peregrinationem aggreſſus, ad *Gallias* uſque pervenit, & à rege *Clodoveo* filio *Dagoberti* ſuſceptus, honorifice *Laciniacum* Cœnobium fundavit: quem non multo poſt fratres ſui Sanctus *Foilanus* & Sanctus *Vlcanus*, pari peregrinandi voto

voto ſecuti per *Gallias* claruerunt. E quibus *Foilanus* dono *Gertrudis* virginis *Foſſenſe* poſtea monaſterium fundavit, ubi etiam & ipſe martyrio coronatus quieſcit. Ejus itaque temporibus *Dido Pictavenſis* Epiſcopus, ad regem in *Scotia* miſſus eſt exul, quem honorifice ſuſceptum aliquanti temporis ſpatio ſecum retinuit, poſtea vero prædicto regi *Clodoveo* ipſum ad gratiam repetenti remiſit.

XXXVIII. *De Sancto* Colmanno *& ejus prædicatione tribus annis, & ſuo reditu.*

DEfuncto quidem anno regis *Ferthardi* decimo ſexto Sancto *Finano*, Epiſcopo, ſucceſſit Sanctus *Colmannus*, etiam à *Scotis* miſſus & ordinatus, ſed niſi tribus annis officium ibidem exercuit, nam *Anglorum*, qui tranſvecti fuerant, ferre non valens invidiam, Epiſcopatu relicto ad patriam remeavit. *Beda. Colmannus* autem cum tribus annis genti *Northumbriæ* præfuiſſet antiſtes, aſſumens ſecum partem oſſium Sancti patris *Aydani Scotiam* reverſus eſt; quantæ autem parcimoniæ, cujus continentiæ fuerit ipſe cum prædeceſſoribus ſuis, teſtabatur locus ille quem regebant. Erant ibidem eo tempore multi de nobilibus *Anglorum*, ſimul & mediocrum, qui tempore *Colmanni* & *Finani* Epiſcoporum, relicta patria, vel divinæ lectionis, vel de continentioris vitæ gratia illo ſeceſſerant. Et quidam mox ſe monaſticæ converſationi fideliter manciparunt, alii magis circuiendo per cellas lectioni magiſtrorum operam dabant. Quos omnes *Scoti* libentiſſime ſuſcipientes victum eis ſine pretio quotidianum, atque libros ad legendum, gratuitumque magiſterium præbere curabant. Interea *Colmannus*, qui de *Scotia* venerat relinquens *Britanniam*, iterum rediens ad *Scotiam* tulit ſecum quos congregaverat *Scotos*, & *Anglorum* gentis viros triginta circiter, qui monachicæ converſationis ſtudiis erant imbuti, cum quibus ad Inſulam, quæ dicitur *Hy Boſynd*, non procul ab *Hybernia* ſecreta, perveniens, inibi monaſterium conſtruxit, & monachos utriuſque nationis, quos adduxerat, in eo collocavit: qui cum invicem concordare non poſſent, monaſterium aliud in loco qui *Mageo* nominatur conſtituit, ac relictis in priori *Scotis* monachis, *Anglos* ibidem conſiſtere per ſemet ordinavit.

XXXIX. *De numero regum* Anglorum, *quos* Scoti *baptizabant, & Epiſcopis à quibus baptizabantur.*

PEr hos ergo ſanctiſſimos viros agentibus *Scotorum* regibus, ac cleri majoribus, Epiſcopos *Aydanum*, *Finanum* & *Colmannum*, ſive per ſe, ſive per alios, quos ipſi conſecratos *Anglis* dederant Epiſcopos ac Sacerdotes, cum aliis doctoribus, regna quatuor, viz. duo *Northumbrorum*, *Merciorum*, *Midilanglorum*, & media pars regni *Saxonum* Orientalium, uſque *Thamenſis* pene fluvii ripam, ad Chriſtum converſa ſunt, ac eorum reges cum indigenis in nomine Sanctæ Trinitatis baptizati, necnon operibus fidei docti fideliter & informati. Primus namque rex *Anglorum* à *Scotis* baptizatus *Gaudfridus* extitit, quamvis ad idola velut ad vomitum canis redierat. Ejus itaque frater Sanctus rex *Oſwaldus*, quo ut ſupra poſtulante, fides Catholica *Northumbris* à beato *Aydano* prædicatur. Rex etiam *Oſwius*, *Oſwaldi* frater, ac ejus in regno ſucceſſor. Rex itaque *Deirorum Oſwinus*, quem à propriis hominibus proditum idem *Oſwius* interfecit. *Midilanglorum* rex *Peada*, filius *Pendan*, cui datus eſt Epiſcopus *Dwynea Scotus*, ut ipſis *Midilanglis* præeſſet ſimul & *Merciorum* populis; nam Sacerdotum paucitas unum cogebat antiſtitem duobus populis duarum præfici regionum; ſed Orientalium *Saxonum*, qui fidem expulſo *Mellito* nuper abjecerant, rex *Sigberthus*, cui pro docen-

 dis

dis gentibus *Cedda* mittitur Epiſcopus, à quo ſiquidem rex *Swythelmus* ejuſdem *Sigberti* ſucceſſor baptizatus eſt. Epiſcoporum namque *Scotorum* primus fidem *Anglis* prædicantium Sanctus fuit *Aydanus*, cui diſcedenti Sanctus ſucceſſit *Finanus*, & huic Sanctus *Colmannus*, cui *Scotiam* revertenti *Cuda* ſucceſſit, Epiſcopus rite per *Scotos* ordinatus: *Midilanglis* equidem atque *Merciis* Epiſcopabat primo *Dwinia Scotus*, deinde poſt ejus obitum ſucceſſit *Ceolatus* etiam *Scotus*, cui poſtmodum ad *Scotiam* reverſo ſucceſſit *Trumhery*, & hinc *Jarmnan*, ambo quidem *Anglicæ* nationis, ſed à *Scotis* edocti pariter & ordinati.

XL. *De ſucceſſione* Maldwyni, & *Epiſcopo* Cuda *ſuccedente poſt* Colmannum.

Poſtquam igitur *Ferthardus* obiſſet, *Maldewynus Donaldi* regis filius, ad apicem acceſſit regni, poſt incarnationem anno DCLXIV. Imperatoris *Conſtantini* XXI. Quo videlicet anno Sanctus rediit ad *Scotiam Colmannus*, & illi *Cuda* ſucceſſit: per omne vero tempus prædicationis *Scotorum* in *Anglia*, firma pax atque communio ſine ſtrepitu contentionis habita fuit, demum cum properæ nationis *Anglorum* clerus doctrina maxime *Scotorum* multiplicatus creviſſet, ingratus omnino ſanctis doctoribus indignari cœpit, & occaſiones multas & varias acquirere, quibus eos redire *Scotiam* cogeret, aut intolerabile quod eis impoſitum onus fuerat, ſuſtinere. Unde de cætero viginti quibus *Maldewinus* regnavit annis, nulla ſeu rara pax inter regna contigit, ſed eruptiones eruptionibus hinc inde vaſtando quidem continue ſuccedebant; nullum tum bellum de quo memoria fieret his actum temporibus, neutrorum chronicis reperitur. Ejus autem anno quinto mortalitas hominum graviſſima totam *Europam* horribili clade præmebat. *Adamnanus*. Hujus cladis mentionem faciens ait, de mortalitate, quæ noſtris temporibus orbem terrarum bis ex parte vaſtaverat, majori tacendum minime videtur. Nam ut de cæteris taceam latioribus *Europæ* regionibus, hoc eſt de *Italia* ipſaque *Romana* civitate, & *Ciſalpinis Galliarum* Provinciis, *Hiſpanis* quoque *Pirenæi* montis interjectu diſterminatis, Oceani Inſulæ per totum, *Hybernia* videlicet & *Britannia*, binis vicibus hac dira peſtilentia vaſtatæ ſunt, exceptis duobus populis, *Scotorum* viz. & *Pictorum*, inter quos dorſi *Britannici* montes utroſque diſcriminant. Et quamvis utrorumque populorum grandia non deſint peccata, quibus ad iracundiam æternus plerumque provocatur judex, utriſque tamen patienter ferens ipſe miſericors hucuſque pepercit. Anno regis ſeptimo *Conſtans* Imperator, qui & *Conſtantinus*, in balneo per ſuos occiſus eſt, atque *Mezentius Armenus* creatus eſt Imperator à militibus; ſed non multo poſt ejuſdem *Conſtantis* interfecti filius, nomine *Conſtantinus*, *Heraclii* pronepos, purpuram ſuſcepit, & *Mezentium* cum interfectoribus patris ſui morte turpiſſima peremit, cœpit anno Domini DCLXX. & imperavit annis XVII. cujus anno XIV. rex obiit *Maldwinus*, & in Inſulis in Eccleſia beati *Columbæ* ſepultus eſt honorifice.

XLI. *De fuga* Cadwaladri *noviſſimi regis* Britonum *ex* Britannia, & *cauſis quibus dejecit eos Deus de regno.*

His etenim temporibus ultimus rex *Britonum* in *Britanniam Cadwalladrus*, filius *Cadwallonis* memorati ſuperius, obiit. Hunc *Cadwallonem Galfridus* in *Britonum* geſtis, non ut in *Bedæ* ſeu cæterorum *Anglorum* docetur chronicis, ab *Oſwaldo* tradit occiſum, ſed ipſum è contra præcipuum *Oſwaldi* fuiſſe perſecutorem uſque ad mortem, longeque poſt ejus vixiſſe deceſſum, ac morte propria, cum XLVIII. regnaſſet annis, lecto vitam terminaſſe.

naſſe. Verum, ſicut in his & multis aliis expertum eſt *Britonum* geſtis & *Anglorum*, in tantum ſua ſæpius diſcordant Poetarum ſcripta quantum & populi, quorum voluntates adeo contrariæ noſcuntur, ut niſi coactus, neuter id minime quod alter velit. Hic locus exigit diſcidium notare gentis *Britonum*, ut eorum civilis aſſidua contentio, vilium flagitiorum delectatio, divini cultus omiſſio, novorum electionis regum præſumptio, ſed & virorum deſpectio, quibus regnum amiſerant, nobis continue cedant & cæteris gentibus in exemplum. Suſcepto quoque regno pro patre *Cadwaladrus*, poſt duodecim annos, prævalentibus quotidie *Saxonum* irruptionibus, urgenteque graviſſima prædictæ mortalitatis clade, fugit è *Britannia*, flens & ejulans, his verbis aut ſimilibus lamentando; Dediſti nos Domine tanquam oves eſcarum, &c. nobis peccatoribus væ nobis, ob innania ſcelera quibus Deum offendere nequaquam diffugimus, dum pœnitentiæ ſpatium habuimus; idcirco nobis ejus poteſtatis incumbit ultio, quæ nos à natali ſolo pellere feſtinat, quos nec olim *Romani*, nec *Scoti* vel *Picti*, nec verſutæ proditionis poterant *Saxones*, qui ſemper proditionem facere, nec firmam ulli fidem conſueverant retinere: ſed in vanum ſuper eos patriam recuperare nitimur, cum divina non fuerit voluntas, ut in ea diutius regnaremus. Ipſe vero juſtus judex, cum nos à noſtris ſceleribus velle nullatenus ceſſare vidiſſet, indignationem ſuam nobis inviſit, ut indignos corripit, qui noſtris, proh dolor! demeritis à patrio regno catervatim, velut inutiles arborum rami ligati faſciculis, ex vineis dejicimur, cunctis monſtrum gentibus & exemplar, ne tantis Deum irritent flagitiis in futurum. Quo miſera gens, quonam civilium bellorum tuæ contentiones abierunt & rixæ? quibus ipſa tuam dulciſſimam *Britanniæ* regionem adnihilare non omiſiſti: ex altera quidem mentitæ fidei *Saxones* ipſam nunc occupatam adeo retinent, ut nec in ea te bellis extraneis uti volunt aut civilibus. Quid igitur otioſa gens, immo vero gens otioſa, quid facies? non habes unde modo civilia valeas gerere bella, nec extranea potens exercere. Tu namque prælia ſemper civilia ſitiens, in tantum intrinſecis te debilitaſti motibus, quod patriam aut conjuges, aut filios, aut quod majus eſt, libertatem tueri nequeas ab inimicis: heu tarde nimis Evangelicum illud intellexeras! Omne regnum in ſeipſo diviſum &c. ſed hanc modo clauſulam experientia docente veriſſimam eſſe didiciſti. Nam deſolatum ideo cernis regnum tuum, & ab impiiſſimis paganis occupatum, quia civilis diſcordiæ furor, & timoris fumus tuam hebetavit mentem, & quia tua ſuperbia nullatenus uni, ſeu vero regi, debitam ferre permiſerat obedientiam, cernis domos ejus ſuper domos ruentes, ac leænæ barbaræ catulos, ejus oppida, civitates, & cæteras à te tuas eripere poſſeſſiones, à quibus adeo miſerabiliter es expulſa, quod prioris tuæ ſtatum dignitatis vix aut nunquam recuperabis.

XLII. *De eiſdem cauſis, &* Britonum *futuro reditu per* Angliam *prophetato, & quibuſdam prophetiis* Merlini *de eodem.*

EX *Britannia* vero *Cadwaladrus* fugiens, ad minoris *Britanniæ* regionem venit, ubi, dum per aliquod tempus manens redire *Britanniam* proponeret, intonans ei vox angelica præcepit, ne quod mente conceperat perficeret. Quia Deus, inquit, ad præſens gentem tuam in Inſula *Britanniæ* diutius regnare non velit, antequam fatale tempus advenerit: tunc enim propter fidei meritum *Britones* ſunt regnum adepturi, nec id tamen tempus futurum ſperent, priuſquam tuis potiti reliquiis, illas ex *Roma Britanniam* aſportabunt. Hæc acer audiens ab angelo, *Romam* adiens ibidem defunctus eſt. *Merlinus Ambroſius* de receptione regni *Britonum* ſic prophetatur; *Cadwaladrus* vocabit *Conanum*, & *Albaniam* in ſocietatem accipiet, tunc erit ſtrages alienigenarum, tunc flumina ſanguine manabunt, tunc erumpent montes armo-

armoria, & *Bruti* diademate coronabuntur &c. Porro filius ejus *Inor* & nepos *Yny*, nunc *Wallia* nunc *Scotia* recepti, collectis navibus, inquietatione ſæviſſima regnum *Britanniæ* per multos annos affecerunt. Ab hoc autem tempore circiter, viz. annum Domini DCLX. *Britannia* vocabulum amittens priſtinum, ab *Anglorum* gentibus nomen modernum *Angliam* aſſumpſit. Quod nomen exponens *Beda* ſcripſit; porro de *Anglis*, hoc eſt de populis venientibus ex patria *Germaniæ*, quæ dicitur *Angulus*, *Anglorum* cæteræ gentes nomen habent. Diſperſi ſiquidem *Britones*, quidam regnum petebant *Armoricum*, quidam *Gallias*, & quidam eorum *Scotiam*, nunquam ad propria reverſuri, quidam autem *Walliam*; propriæ regionis in extremis finibus miſeram cum libertate potius ibidem eligunt vitam tranſigere, quam hoſtium ſubjici dominio ſervitute. Duriſſima quoque ſervitutis eſt cuique conditio, naturali patria famulari ſervus, qua dominari ſoleat libertate.

XLIII. *De ſucceſſione regum* Eugenii *quarti*, & Eugenii *quinti*, & *de Sanctis* Cuthberto & Adamnano.

DEfuncto rege *Maldwino* nepos ejus ſucceſſit *Eugenius* quartus, filius *Dongardi*, filii *Donaldi Brek*, & regnavit annis tribus. Cœpit autem anno Domini DCLXXIV. Imperatoris *Conſtantini* XV. Regis autem anno ſecundo Sanctus *Cuthbertus* ordinatus eſt Epiſcopus, tertio loco poſt Sanctum *Colmannum Scotum*, de quo dictum eſt ſupra. Eodem anno *Northumbrorum* rex *Egfridus* à *Scotis* occiſus eſt. *Beda*. Rex *Egfridus*, cum temere ad vaſtandam *Scotorum* Provinciam exercitum duxiſſet, multum prohibentibus amicis, & maxime beatæ memoriæ Sancto *Cuthberto*, qui nuper fuit ordinatus Epiſcopus, introductus eſt, ſimulantibus fugam hoſtibus, in anguſtias inacceſſorum montium, & cum maxima parte copiarum quas ſecum adduxerat eſt extinctus. Ex quo tempore ſpes cœpit & virtus *Anglorum* regni fluere, & retro ſublapſa referri: nam & *Picti* terras poſſeſſionis ſuæ, quas tenuerunt *Angli*, & *Scoti* qui fuerunt in *Britannia*, *Britonum* itaque pars nonnulla receperunt. Huic *Eugenio* poſt mortem etiam *Eugenius* quintus ſucceſſit, anno Domini DCLXXXVII. Imperatoris etiam *Juſtiniani* ſecundi, qui pariter *Conſtantino* ſucceſſit, primo, & imperavit annis X. regnavit autem rex itaque X. annis. Iſte *Eugenius* filius erat *Ferthardi Fode*, & omni tempore ſuo pacem cum *Anglis* habuit, cum *Pictis* vero bellum treugis paulatim interceptis. Nam ejus tempore regnavit in *Northumbria* rex *Alfridus*, frater *Nothus Egfridi* prædicti, non tamen eiſdem terminis quibus frater regnum tenuit, qui non paucis annis in *Scotia* & *Hybernia* diſcendo literis curam dedit, ubi crebra converſatione regi fuit *Eugenio* notiſſimus, & ideo firmam alterutris pacem regnorum ſervabant in marginibus. Ejus itaque temporibus virtutibus pollens & miraculis Sanctus *Adamnanus Scotus* floruit, per omnem enim Inſulam, eo regnante, tam *Scotiam* quam *Britanniam*, ſanguinea pluvia per ſeptem dies deſuper effluxit, ac verſa ſunt in ſanguinem omne lac pariter & butyrum.

XLIV. *De ſucceſſione regis* Amrynkyleth & *ejus morte*, & *de Sancto* Chiliano.

REgnum diſcedens *Eugenius*, pace cum *Pictis* & *Anglis* firmata, ſuo ſucceſſori reliquit *Amrykelleth*, filio *Findan*, filii *Eugenii* quarti; qui cum coronatus fuiſſet eodem anno Domini DCXCVII. bellum adverſus *Pictos* inconſulte, pacis ſoluta conditione, paravit. Nec ipſe plene nondum anno completo, in terris eorum prima profectione condenſorum abdita luſtrando nemorum, exercitus ſui pluribus ſagittatis, ipſe rex ictu ſagittæ vulneratus

ſubito

ſubito rediit, ac decimo die poſt vulnus acceptum moriens, *Eugenio* fratri regni ſedem evacuavit. Eodem anno apud *Wirzіburgh* caſtrum oſtio *Franciæ*, Sanctus ejuſdem Epiſcopus *Chillianus Scotus*, cum ſuis diſcipulis *Clolomano* & *Colmanno*, clam martyrizantur à *Geylana*, uxore *Gothberti* principis, quæ timebat ſeparari à viro ſuo, arguente eum *Chilliano*, quod eam uxorem quondam fratris ejus etiam ipſe uxorem haberet: quorum mors cum apud omnes diu lateret, *Geylana* & percuſſoribus à dæmonio arreptis, eorum confeſſione divulgata eſt. Ipſo ſiquidem anno cum Imperator *Juſtinianus*, ut dictum eſt, decem annis regnaſſet, inſurgens in eum *Leo Patricius*, & eum regno privans & naſo relegavit. Sed anno deinde poſt ſumptum imperium peracto, *Tiberius* ab imperio *Leone* pulſo, carcereque truſo, ſibi naſum decidit, ac annis ſeptem imperavit. Deinde *Juſtinianus* auxilio *Crebellis Bulgarorum* regis imperium iterato recepit, atque *Tiberium* & *Leonem* jugulavit. Tantam in adverſarios ultionem exercebat, ut quotiens ab exciſo naſo defluentem reumatis guttam detergeret, pene totiens aliquem conſpiratorum jugulari præciperet. Ipſum vero, filiumque ſuum *Tiberium*, poſtquam ſeptem annis ſecundo regnaſſet, *Philippus* pariter interficiens, anno uno cum dimidio regnavit. In eum inſurrexit *Anaſtaſius*, & illum oculis privans ab imperio pulſit, quem utique poſt duos annos *Theodoſius* ab imperio depoſitum presbyterum ordinans, regnavit anno uno. Hunc etiam *Leo* tertius ab imperio depoſuit; qui poſt factus clericus vitæ reſiduum in pace peregit. Sicque per viginti unum annos imperium *Romanum* cunctis fuit ridiculum etiam infidelibus.

XLV. *De ſucceſſione Reguli* Eugenii *ſexti &* Murdaci, *& ſtatu tunc temporis in* Britannia.

SExtus *Eugenius*, filius *Findan* ſupradictus, *Amrykeleth* fratri ſuccedens, regnavit annis XVII. cœpit enim anno Domini DCXCVIII. *Leonis Patricii* ſecundo. Erat autem rex humilis & modeſtus, pacificum potius tranſigere tempus quam bellicum eligens, feras etiam & aves inquietare malens, quam homines: omnis vero vicinæ nationis ſagaci quodam ingenio favorem pariter & amorem alliciens, propriumque regnum continuis regendo legibus adornans, tranquillam feliciter vitam terminavit: cujus poſt mortem apud *Loarno* funus ejus allatum, ad Inſulas patrum in tumulo ſepelitur. Cui *Murdacus* nepos ejus ex *Amrynkeleth* fratre ſuccedens, eadem pace qua patruus prædeceſſor regnum rexit, ſed eodem ſeu tanto favore nullatenus vicinorum. Regnare vero cœpit anno Domini DCCXV. & regnavit annis XV. Ejus tempore regnationis *Beda* Venerabilis, nationum totius *Albionis* Inſulæ ſtatum in ſuis noviſſimis ſcribens chronicis, ſicut ſequitur annotavit. Hoc, inquit, tempore *Pictorum* natio fœdus habet pacis cum *Anglis*, catholicæque veritatis ac unitatis, cum univerſali Eccleſia particeps gaudet exiſtere. *Scoti*, qui *Britanniam* incolunt, ſuis contenti finibus, nihil jam inſidiarum contra gentem *Anglorum* moliuntur. *Britones* quoque, quamvis ex maxima parte gentem *Anglorum* odio ſibi domeſtico moribus impugnent improbis, tamen & divina ſibi & humana prorſus reſiſtente virtute, in neutro poſſunt obtinere propoſitum. Quippe qui, quamvis ex parte ſui ſint juris, nonnulla tamen ex parte *Anglorum* ſunt ſervitio mancipati, quæ res quem finem ſit habitura poſterior ætas videbit. Anno *Murdaci* ultimo circa ſolem apparuerunt duæ Cometæ, multum intuentibus terrorem incutientes, una quippe ſolem præcedebat mane Orientem, altera veſpere ſequebatur Occidentem, diræ cladis præſagæ, una diei, altera noctis præcurrebat exortum, ut mala mortalibus imminere ſignarent. Portabant faciem ignis contra Aquilonem, quaſi ad accendendum adclivem, apparebant autem menſe Januario, & duabus ferme ſeptimanis permanebant.

XLVI. *De ſucceſſione trium regum,* Ethſyn, Eugenii *ſive* Nectavii, *atque* Fergusii, *& de ſua morte per reginam.*

ANno quoque Domini DCCXXX. *Leonis* tertii, qui *Theodoſium* ab imperio depoſuit, decimo tertio, *Murdaco* ſucceſſit *Ethſyn*, filius *Eugenii* ſexti, & regnavit annis XXXI. vir regiæ ſublimitatis honore dignus, pace votiva pro parte regnationis ſuæ majori fruens, ultimis tamen diebus à *Pictis* bellum habuit. Ejus anno ſecundo, vel ut volunt quidam, anno quinto, *Beda* Venerabilis obiit. Ejus anno duodecimo Sanctus *Eucherius Aurelianenſis* Epiſcopus in oratione poſitus, ad alterum ſeculum raptus eſt, qui inter cætera quæ vidit, conſpexit *Carolum* patrem *Pipini* regis in inferno torqueri, quia res Eccleſiarum ab eis ſeparavit atque diviſit, & propter hoc ſolum damnatus eſt. Anno decimo tertio *Leoni* ſucceſſit filius ejus *Conſtantinus*, & imperavit annis XXXV. Anno XXI. *Franci Pipinum* regiæ domus majorem auctoritate *Zachariæ* Papæ regem conſtituunt, *Hilderico* rege in monaſterio tonſorato: deinde benedictus eſt rex *Pipinus* à Sancto *Stephano* Papa, & filii ejus *Carolus* & *Carolomannus*, & filia *Sigilla*, *Pariſiis*, inter ſacra miſſarum ſolemnia, præcipiente Sancto *Petro* & Sancto *Paulo*, beatoque *Dionyſio*. Poſt *Ethpyn* ſeptimus *Eugenius*, filius *Murdaci*, quadam tamen chronica dictus eſt *Nectavius*, regni coronam ſortitus eſt, anno Domini DCCLXI. Imperatoris *Conſtantini* viceſimo, regnavitque duobus annis. Et illi ſucceſſit *Ferguſius* filius *Ethſyn* anno Domini DCCLXIII. & Imperatoris prædicti viceſimo ſecundo, atque regnavit annis tribus. Ipſum ab uxore regina, nimium in ipſo zelata mulierum concubinatu, veneno fuiſſe prohibetur extinctum. Quod ipſa poſtmodum confitendo palam, quamvis à nemine de tali facto ſuſpicaretur, cum regis defuncti corpus inſpiceret, clamore lugubri laniando carnes in hæc ſeu ſimilia verba perrumpit: O miſerrima mulierum, & omni fera crudelior, viliſſima proditrix, quid feciſti? Nonne, Dominum tuum regem conjugem, amantiſſimum virorum omnium, & ſupra mulierum amorem formoſiſſimum, quem ſolum præ cunctis viventibus intimo cordis amore dilexeras, proditionis ſæviſſimo genere, nec in hoc aſpidi multum diſſimilis, libidinoſo furore ſtimulata nequiter occidiſti? Non enim hoc flagitioſum nephas impunitum erit, vindicabor certe de meipſa. Igitur & tu maladicta manus, quod divino tuo nuper amatori dulciſſimo propinaſti poculum, hoc idem vel amarius audacter, & ori meo feſtina præpares, nec omittas. Deinde poſtquam lethaliter hauſit liquorem, ſtatim infert; nec iſta mihi maleficæ potio pœna, quaſi talionis, tantum committenti ſcelus ſufficere debeat; immo caballorum alligata trahi caudis ad ſuſpendium, atque ſpinarum incendiis hoc corpus nefandum in cineres vento diſperſos concremari. Et his dictis pugione, quem præmeditata paraverat, accepto, manu coram aſtantibus in locum cordis ſubito ſeipſam transfigebat.

XLVII. *De ſucceſſione* Selwalthii, *& de magno rege* Karolo.

SUcceſſor autem *Ferguſii Selwalthius*, filius *Eugenii*, filii *Ferthardi*, regnare cœpit anno Domini DCCLXVI. & ejuſdem Imperatoris viceſimo quinto, ſed & regnavit annis XXI. Regni ſui diebus cum *Pictis* pacem & *Anglis* habuit, quamvis & hi ſimultatibus inter ſe domeſticis utebantur. Illi quidem *Angli*, viz. *Northumbrenſes*, quorum regio *Scotiæ* propinquius adjacet, ſuorum miſerabiliter cædibus regum & proſcriptionibus operam dabant aſſiduam, ut infra clarius patebit; etiam ipſe rex iners & remiſſus, otium longe bello propoſuit, non ad reipublicæ augmentum proſpiciens, ſed omnia delabi miſera ſegnitie permiſit. Verum ſi populus uterque *Scotus* & *Pictus*, ut creditur,

creditur, ipſo fatali tempore mutuo fidem, ut ſolito, ſervaſſet, & pacem etiam ſi ſola gens *Scota* ſub belligero conducta principe, juſta dico belli concurrente cauſa, *Northumbros* armis impetiſſet, cunctas *Albaniæ* regiones olim proprias, ab eis eripere proculdubio potuiſſet. Nihil tamen actum eſt in adverſarios eo tempore, de quo digne memoria fieret, præter eruptiones quaſdam, quæ ſub militiæ ducibus raro fiebant & plebeis. Anno quoque regni ſui quarto *Carolus*, qui pro fœlicitatis & geſtorum magnitudine dictus eſt *Magnus*, & frater ejus *Carolomannus*, patri *Pipino* ſucceſſerunt, quos ex *Berta Cæſaris Heraclii* filia genuit. *Carolomanno* quoque poſt biennium mortuo, totum poſſeſſione regnum patris *Karolus* accepit, quod & in duplo quam pater habuerat ampliavit. Anno quoque duodecimo, Chriſti viz. DCCLXXVII. *Leo Conſtantini* filius imperium patris accepit, & imperavit annis quinque. Cujus poſt mortem ſucceſſit *Hyrene*, mulier magni cordis, cum filio ſuo *Conſtantino*, & rexit imperium annis pene decem. Cœpit anno Domini DCCLXXXII. Morte vero tranquilla rex apud *Innerlochy* diſcedens, cum patribus in Inſula requieſcit.

XLVIII. *De ſucceſſione regis* Achay, *primam cum* Francis *confœderationem facientis, & ejus cauſa, & de egregio milite* Gilmerio Scoto.

ET illi ſucceſſit *Achaius* filius *Ethfyn*, anno Domini DCCLXXXVII. tunc imperantis *Hyrene*, filii quoque ſui *Conſtantini* ſexto, & regnavit annis XXXII. Ejus, ut creditur, frater erat egregius ille miles *Gilmerius Scotus*, qui diu *Karoli* regis obſequio contra crucis Chriſti ſtrenue militabat hoſtes, unde nomen ſibi perpetuum, & præclaris armorum actibus honore militari glorioſum conquiſivit. Amicitia confœderationis inter reges *Scotorum* & *Gallorum*, & eorum regna, quæ noſtris adhuc durat diebus illæſa, laudetur Deus, per magnum regem *Karolum*, & hunc *Achaium* initium habuit, cujus hæc ſequens occaſio prima fuit. Antequam paulo regnaſſet *Achaius*, ſui viz. tempore prædeceſſoris, *Anglorum* reges ſuperatis *Britonibus* erecti ſuperbia, non ſolum vicinas in eadem Inſula gentes, *Scotos*, *Pictos*, & *Britones*, inquietare ſibi ſuffecerat, ſed & tranſmarinas *Gallorum* gentes etiam maritimas, navali præda ſæpius affligere, totumque mare *Belgicum* atque *Britannicum* perturbare ſatagebant. Erat his diebus idem rex invictiſſimus *Karolus* aſſidue paganorum intentus bellis, & ut Chriſtianis omnibus infatigabili labore ſuique ſanguinis effuſione pacem acquireret occupatus. Cum igitur à rapinis hujuſmodi piraticis, & Chriſtianorum effuſione ſanguinis, etiam ab eo ſæpius rogati minime deſierant, illorum ad refrænandam ſævitiam amicos undique venari ſatagebat, & eos præcipue, quos in ſuam perniciem noverat ardentius inſudare. Denique nuncios ubilibet emittens, quorum *Achaio* regi quoſdam, cum quibus iterum & ipſe ſuos, ejuſdem negotii per eum in omnibus approbati remiſit bajulos, ut initi fœderis & amicitiæ conventiones & pacta, ſub æquis firmarentur conditionibus, & indentatis redacta ſcriptis, utriuſque regis munimine alternatim ſignarentur. Porro ſæpius ſuis ſcribens amicis aſſeruit, quod non injuſte regi cuilibet quamvis Chriſtiano bellum indicitur, qui principem paganos infideles debellantem à tergo perſequitur violenter. Neque tantas undique perſtrepentes minas ſecutum fuit bellum, quia promittentibus illis de cætero ſuppliciter pacem clementer annuit & benigne. De cujus inter eos, videlicet *Karolum* & *Anglos*, tractatu pacis, *Alcwinus* ſocio ſcripſit dicens; ſunt qui dicunt nos ab *Anglorum* regibus, ad *Karolum* regem pro pace mittendum. Et *Willielmus* de quibuſdam actibus *Egberti* Epiſcopi ſcribens, ait, cujus rei teſtem idoneum adnoto *Alcwynum*, qui pro pace miſſus eſt ab *Anglorum* regibus ad magnum regem *Karolum*, &c. Nuper enim inter eos aliquid diſſentionis, diabolico fomento flammante, exortum eſt, ut utrinque interdicta navigatio ceſſet.

XLIX. *De nunciis* Scotorum Karolo *miſſis pro eadem confœderatione firmanda.*

EJuſdem diſſentionis idem alibi mentionem faciens ait *Willielmus*: Rex *Merciorum Offa Karolum* Magnum regem *Francorum* frequentibus legationibus amicum paravit, quamvis in animo non facile quod ſuis conduceret artibus inveniret. Diſcordarunt ante adeo, ut magnis motibus utrobique concurrentibus, etiam negotiatorum commeatus prohiberentur. Ex hujuſmodi vero diſſentione fienda concordia, *Pariſiis* cum aliis *Alcwynus* exiſtens, ad regem *Offam*, de antedictis *Scotorum* nunciis, à *Karolo* nuper ad *Scotiam* revertentibus, ut ſequitur, reſcripſit: Sciat reverenda dilectio veſtra, quod dominus rex *Karolus* amabiliter mecum de vobis locutus eſt, & in eo fideliſſimum habetis amicum, veſtræque dilectioni digna dirigit munera, & per Epiſcopales ſedes regni noſtri. Similiter & *Æthelredo* regi *Northumbriæ*, qui & *Æthelbertus* dicebatur, & ad ſuas Epiſcoporum ſedes, dona direxit: ſed, heu proh dolor! donis datis, & ipſis in manus miſſorum, ſupervenit triſtis legatio per nuncios, qui de *Scotia* venerant, & per vos reverſi, de infidelitate gentis, & ipſius nece regis. Ita *Karolus*, retracta donorum largitate, in tantum iratus eſt contra gentem illam, ut ait, perfidam, & perverſam, ac homicidam Dominorum ſuorum, pejorem eam paganis æſtimans, ut niſi ego fuiſſem interceſſor pro ea, quicquid eis boni abſtrahere potuiſſet, & mali machinari, jam feciſſet. Et quia regis iſtius *Æthelredi* hoc loco ſuæ necis proditioſæ fit mentio, non meæ nationis hujus blaſphemum reputes, ô lector, ſi cæterorum regum ſuorum, hunc præcedentium regem, flagitioſas cædes, proditiones inauditas & proſcriptiones, ſicut ſui veraces hiſtorici ſcriptis teſtantur, hîc inſeram, quibus non ad cujuſcunque gentis ſcandalum, ſed cautelam, & ad tam horrendi ſceleris vitandum nefas futuris gentibus in exemplar.

L. *De execranda proditione* Northumbrorum *in ſuis regibus, adeo quod eis nullus auderet imperare.*

ACHay quidem anno tertio, *Northumbriæ* rex idem *Æthelredus*, vel *Æthelbertus*, ſive quia trinomius *Æthelwaldus*, à ſubditis vili proditioni ſuccubuit. Aliorum vero nomina prædictæ regionis regum, proditione ſimiliter pereuntium, infra patebunt conſequenter. *Willielmus*. *Oſwinus* autem filius *Oſrici* rex *Deiræ*, quæ media *Northumbriæ* pars eſt, pro penuria dudum exercitus, abſtinendum bello ratus, ſuburbanum rus clanculo conceſſit, & ſtatim à ſuis proditus ab *Oſwio* peremptus eſt. *Oſredus* itaque filius *Alfredi* totius *Northumbriæ* rex, cognatorum inſidiis ſubditorum, *Cenredi* viz. & *Oſrici*, cæſus interiit, quorum primus duobus annis, alter duodecim, poſt eum regnantes; hoc tamen habent memoriale, quod Domini ſui regis occiſi ſanguinem luentes, auras exitu fœdo polluerunt. Poſt eos vero conſcendit tremuli regni culmen *Celwlpus*, & ſibi ſucceſſit *Egberthus*; ambo reges in religione tondentes comas, priorum regum fata renuunt præſtolari. *Oſulfus Egbertho* patri ſuccedens, poſt annum à civibus innocenter cæſus *Molloni* locum fecit; qui *Mollo* ſatis impigre regno functus undecim annis *Alcredi* quidem inſidiis occubuit. *Alcredus* itaque, decimo regni quod invaſerat anno, à provincialibus cedere compulſus eſt. *Æthelbertus*, *Mollonis* filius, eorum conſenſu rex lævatus, anno quinto ab eiſdem expulſus eſt. Tunc rex *Alfwoldus* acclamatus, poſt undecim annos provincialium perfidiam ingemuit, ſine culpa trucidatus. Et nepos ſuus filius *Alcredi Oſredus* ſuccedens, vix anno emenſo expulſus, regnum *Æthelredo*, qui & *Æthelbertus* dictus eſt, de quo

prius fit mentio, vacuavit. Hic filius *Mollonis*, qui etiam tertio nomine vocabatur *Æthelwaldus*, regnum poſt duodecim annos exilii recipiens, quatuor annis tenuit: quibus exactis fatum ſuperiorum effugere non valens, anno quo ſupra miſere peremptus eſt; quare plures Epiſcopi, necnon optimates offenſi, de patria effugerunt. Poſt hunc *Æthelredum* nullus ad regnum auſus eſt aſcendere, dum quiſque regum ſuperiorum timeret contingere ſibi caſum. Ita, ceſſante rectore, per triginta tres annos illa provincia riſui finitimis & prædæ regnis fuit; hæc *Willielmus*.

LI. *De principio ſtudii* Pariſienſis, *& à quibus incœpit primo.*

CIrca vero tempus idem, *Achaio* regnante, *Pariſienſe* ſtudium à duobus clericis de *Scotia*, *Johanne* viz. & *Clemente*, viris doctiſſimis, agente *Karolo Magno*, primum habuit fundamentum. Unde *Vincentius* in ſpeculo: Omnipotens rerum diſpoſitor Deus, & ordinator regnorum & temporum, cum illius admirandæ ſtatuæ pedes ferreos vel teſtaceos comminuiſſet *Romanis*, non minus admirabilis ſtatuæ caput aureum per illuſtrem *Karolum* erexit in *Francis*: qui cum in occiduis partibus ſolus regnare cœpiſſet, & ſtudia literarum ubique eſſent in oblivione, ideoque veræ deitatis cultura teperet; contigit duos *Scotos* monachos cum mercatoribus ad litus *Galliæ* devenire viros, & in ſecularibus & in ſacris Scripturis incomparabiliter eruditos: qui quotidie, dum nihil oſtenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare ſolebant. Si quis ſapientiæ cupidus eſt veniat ad nos, & accipiat eam, nam venalis eſt apud nos. Tam diu vero conclamata ſunt iſta, donec ab admirantibus, vel illos inſanos putantibus, ad aures regis *Karoli* ſemper amatoris ſapientiæ ſunt perlata: qui celeriter illos ad ſuam provinciam evocatos interrogat, ſi vere ſapientiam haberent, ut ipſe comperit? Sapientiam, inquiunt, & habemus, & eam in nomine Domini quærentibus dare parati ſumus. Qui cum quæſiſſet ab illis, quid pro ipſa peterent? Reſponderunt. Loca tantum opportuna, & animas ingenioſas, &, ſine quibus iſta peregrinatio tranſiri non poteſt, alimenta, & quibus tegamur. Quo ille percepto ingenti gaudio repletus, primum quidem apud ſe utrumque parvo tempore tenuit, poſtea vero, cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine *Clementem* in *Gallia Pariſiis* reſidere fecit, cui & pueros nobiliſſimos mediocres & infimos ſatis multos commendavit, & eis, prout neceſſitatem habuerunt, victualia miniſtrari præcepit, habitaculis ad meditandum deputatis. Alterum vero *Johannem* viz. in *Italiam* direxit, cui & monaſterium Sancti *Auguſtini* juxta *Ticinenſis* urbem delegavit, ut illuc ſi voluiſſent ad diſcendum congregari poſſent: qui cum ibidem per tempus aliquod moram faceret, regis mandato *Pariſios* rediit, ubi magno progreſſus in ævo vitam famoſam terminavit. Audito quidem *Alcwinus* de natione *Anglorum*, quod *Karolus* gratanter ſapientes ſuſciperet, aſcenſa navi venit ad eum cum ſociis in omnibus Scripturis exercitatis, quem rex ſecum uſque ad finem vitæ retinuit. De chronicis autem metropolis *Arelatenſis* hæc *Vincentius* excipiens, ſuis addidit in ſpeculo ſcriptis hiſtoriali. Anno *Hyrene* decimo filius ejus *Conſtantinus* eam imperio privans, ſeptem annis imperavit: quibus ipſa finitis eum oculis & imperio privat, anno Domini DCCXCVIII. & ſola quatuor annis imperavit.

LII. *De imperio* Karoli *filiique ſui* Ludovici, *&* *à* Clodoveo *ſucceſſione regum* Francorum *ad ipſum* Karolum *aſcendendo.*

KArolus autem anno Domini DCCCII. regis *Achay* XVI. cum jam ſuper *Francos* triginta tribus annis regnaſſet, *Francorum* primus imperavit XIII. annis, à *Conſtantinopoli* imperio *Romano* diviſo circiter evolutis annis quadringentis ſeptuaginta octo, ex qua *Bizantium Thraciæ* civitas à primo *Conſtantino* renovata, *Conſtantinopolis* dicebatur. Erat autem *Karolus* ex *Clodovei* primi *Francorum* regis baptizati proſapia genitus, quorum origo, & gentis & regum catalogus ad hunc *Clodoveum*, hujus libri tertii XIX. atque XX. capitulis habentur ſuperius prænotatis. Idem *Clodoveus* genuit *Lotharium*, qui regnavit L. annis. Cui filius ejus *Chilpericus*, & regnavit annis XXXIII. Cui filius ejus *Lotharius* ſecundus, & regnavit annis XLIV. Cui *Dagobertus* filius ejus, & regnavit annis XIV. Cui *Clodoveus* ſecundus filius ejus, & regnavit annis XVII. genuit autem idem *Clodoveus* ex *Bathilde* regina tres filios, *Lotharium*, *Childericum*, atque *Theodoricum*. Succeſſit patri *Lotharius* tertius, & regnavit annis IV. Cui *Theodoricus* frater ejus in regnum ſublimatus, ſed à *Francis* repudiatus, in cœnobio Sancti *Dionyſii Pariſiis* tonſoratur, & regnavit frater ejus *Childericus* annis XII. Cui *Theodoricus* in regnum reſtitutus, regnavit annis XIII. Cui *Clodoveus* tertius, filius *Theodorici*, regnavit annis IV. Cui *Childebertus* frater ejus ſuccedens, regnavit annis XVIII. Cui *Clodoveus* quartus, & regnavit annis IV. Cui *Lotharius* quartus, & regnavit annis II. Cui *Chilpericus* ſecundus, annis V. Cui *Theodoricus* ſecundus annis XV. Cui *Hildricus* ſuccedens, regnavit annis IX. Hic in monachum tonſoratur, *Pipino*, filio *Karoli Marcelli*, rege effecto, cujus generationis ſeries ſequitur hoc modo: ex filia quoque regis *Lotharii* quarti, *Ausbertus* genuit *Arnoldum*, & hic ſecundum *Arnulphum*, & hic *Anchiſem*, & hic *Pipinum* majorem, & hic *Karolum Marcellum*, & hic *Pipinum* regem, qui regnavit annis XVIII. Qui vero *Pipinus* genuit *Karolum Magnum*, regem & Imperatorem. Succedentium quoque regum *Francorum* catalogus alias infra ſubſequentur. Glorioſus autem Imperator & rex *Karolus*, poſt acta ſua plurima, imperio regnoque ſuo pacato & dilatato, ſtatu quidem Eccleſiæ ſanctæ religioſe ordinato, moritur, anno ætatis ſuæ LXXII. & *Aquiſgrani* ſepelitur. Filius quoque ſuus *Ludovicus* Pius poſt ejus obitum, *Romanum* obtinens imperium, anno Domini DCCCXIV. imperavit annis ferme XXVII.

LIII. *De ſucceſſione regum* Convalli *&* Dongalli *reſuſcitantes bellum diu ſopitum in* Pictos.

POſtquam rex *Achaius* vitam finierat, cognatus ejus *Convallus* ad regni ſuſtollitur regimen, anno Domini DCCCXIX. & Imperatoris *Ludovici* VI. & regnavit annis V. Eodem anno rex *Merciorum Kynwlfus* obiit, & illi filius ejus *Kynelmus* ſuccedens, puer admodum à ſorore ſua *Quendrida* cæſus innocue, nomen & decus martyrii divina ſibi favente gratia promeruit. Anno quoque ſequenti, quæſtio magna de jure regni *Pictorum* illud aſſerens deberi *Scotis* oriri cœpit, & in omnium ore, ſive principum ſive plebium ventilari. Ad actum tamen nullatenus eſt proceſſum, ſtatim poſt annos quinque completos *Convallo* mortuo. *Dungallus* filius *Selwalthii* regnare cœpit anno Domini DCCCXXIV. Imperatoris *Ludovici* XI. regnavitque VII. annis. Ab ipſo quidem in *Pictos* bellum annis pene quinquaginta ſopitum reparatur. Dicebat autem regnum ſuorum ſuum ex jure conventionis antiquæ; jus enim primitivum in ſucceſſione regum ſuorum & principum, ſecundum

cundum *Bedam* & chronicas; hoc eſt, Cum autem intrantes hanc Inſulam primo *Picti*, nec ſuæ nationis uxores habebant, petierunt à *Scotis* ſuas filias, quas ſolum eis ea conditione dare conſenſerunt, ut ubi res & regni ſucceſſio, ſive dominii veniret in dubium, ex fœminina magis proſapia quam maſculina ſibi reges eligerent, quod utique conſtat apud *Pictos* conſtanter eſſe ſervatum. Et hæc cauſa forſan hujus clamii ſeu contentionis eſſe potuit. Quia verum eſt, ut ex eorum chronicis & hiſtoriis colligitur, in tanto diebus pacis ab initio vera fovebatur inter eos amicitia, quod ſui reges & principes, quaſi continue, regum *Scotorum* viz. & principum filios & filias, & è converſo, duxerunt in conjuges altrinſecus & uxores. Novit enim ille, cui nihil ignotum eſt, hanc ultimæ contentionis cauſam, & quorum culpa cœptum eſt crudeliſſimum hoc bellum finem non habens, donec, ut illi placuit, qui regnorum rector eſt omnium, & ad libitum diſſipator, *Pictis* omnino ſuperatis, palmam victorii *Scoti* finaliter, & eorum regnum, obtinuiſſent. Anno deinde ſeptimo mortuus eſt *Dungallus* rex, ſed ut alibi bello peremptus, & in Eccleſia beati *Columbæ* ſepultus, quieſcit in Inſulis juxta patrem.

Explicit Liber Tertius.

Incipiunt

Incipiunt tituli Capitulorum Libri quarti, Deus, in nomine tuo.

CAP. I. DE ritu ſucceſſionis regum *Scotorum* præcedentium & ſubſequentium, uſque tempus *Malcolmi* filii *Kenethi.*

II. De ſucceſſione regis *Alpini,* ſuaque victoria de *Pictis,* & morte, & exemplo impatientiæ.

III. De ſucceſſione *Kenethi* regis filii *Alpini,* & ejus mira calliditate contra *Pictos.*

IV. De ſuis victoriis contra *Pictos,* & obtentu regni ſui.

V. De ſubverſione diverſorum regnorum propter peccata.

VI. De eadem.

VII. Etiam de eadem, & *Romana* prima poteſtate, & moderna propter peccata egeſtate.

VIII. De finali victoria *Kenethi* regis in *Pictos,* & ejus morte.

IX. De quibuſdam præambulis in catalogo regum *Pictorum.*

X. Etiam de catalogo regum *Pictorum,* & adventu beati *Columbæ.*

XI. De eodem catalogo, & converſione *Brudei Pictorum* regis per beatum *Columbam,* & *Orcadum* regulo tunc captivo.

XII. De eodem adhuc catalogo.

XIII. Quomodo *Hungus* rex *Pictorum,* & *Æthelwlfus* rex *Anglorum,* contemporanei fuerant, & ejus filio *Athelſtano.*

XIV. De victoria *Hungi* regis *Pictorum* contra *Athelſtanum,* cujus caput ſudi figi præcepit.

XV. De ſucceſſione regum *Donaldi* filii *Alpini,* & *Conſtantini* filii *Kenethi,* & morte *Donaldi.*

XVI. De morte *Conſtantini,* per *Danos* viz. ac *Norguigenſes,* & ſucceſſione regis *Herth Aliped.*

XVII. De ſucceſſione regis *Gregorii* qui ſibi ſubjugavit totam *Hyberniam,* & pene totam *Angliam.*

XVIII. De eodem *Gregorio* & ejus morte, deque martyrio beati regis *Edmundi,* & quod *Anglia* pene tota tunc temporis *Scotis* & *Danis* erat ſubjecta.

XIX. De *Johanne Scoto* Philoſopho, & Imperatore *Arnulpho* qui à pediculis conſumptus eſt.

XX. De ſucceſſione *Donaldi* regis, filii *Conſtantini,* & ejus morte.

XXI. De ſucceſſione *Conſtantini* regis, filii *Heth Aliped,* & quod *Cumbriæ* dominium dedit *Eugenio* filio *Donaldi,* proximo ſibi ſperato ſucceſſori.

XXII. De eodem *Conſtantino,* & miſerabili crudelique bello de *Brounygfeld.*

XXIII. De damnis per hoc bellum gentibus *Scotorum* illatis, & de obitu *Conſtantini* in religioſo habitu.

XXIV. De ſucceſſione regis *Malcolmi,* filii *Donaldi,* cui rex *Anglorum Edmundus Cumbriam* reddidit.

XXV. De morte ejuſdem *Malcolmi,* & ſucceſſione regis *Indulfi* & ſua morte per *Danos.*

XXVI. De ſucceſſione regis *Duff,* cujus poſt mortem corpus abditum fuit ſub ponte, nec ſolis radius illuxit in regno donec repertum fuit.

XXVII. De ſucceſſione *Culenii* regis & morte, & de quadam *Apocryfa Anglorum* chronicis inſcripta.

XXVIII. De ſucceſſione *Kenethi,* filii *Malcolmi,* & diverſis contentionibus; de varietate ſucceſſionis tam Imperatorum quam Regum.

XXIX. De eodem *Kenetho,* & nova mutatione ſucceſſionis Imperatorum & regum *Scotorum.*

XXX. De *Baldredo Rivallenſis* Abbate, ſermonem regis *Anglorum Edgaris* recitante, contra male viventes in Eccleſia Dei.

XXXI. De eodem Sermone.

XXXII. De mirabili proditionis inſtrumento, pro eodem rege *Kenetho* decipiendo, & blanditiis verſutæ mulieris.

XXXIII. De proditioſa morte ejuſdem *Kenethi,* & promotione filii ſui *Malcolmi* in dominium *Cumbriæ.*

XXXIV. De ſucceſſione regum *Conſtantini Calvi,* & *Gryme* filii *Kenethi.*

XXXV. De *Cumbriæ* regulo præfato *Malcolmo,* filio *Kenethi,* nolente tributum ſolvere *Danis* pro *Cumbris,* ſicut cæteri Provinciales ex *Anglia* fecerunt.

XXXVI. De conditionibus *Anglorum,* ut in polychronicon, & de quadam prophetia.

XXXVII. De cauſa cladis per *Danos Anglis* illatæ, ut refert *Willielmus,* *Angliam* crebro & undique vaſtantes.

XXXVIII. De occiſione regis *Gryme* per *Malcolmum* prædictum, filium *Kenethi,* &c.

XXXIX. De ſucceſſione regis ejuſdem *Malcolmi,* & filia ſua *Beatrice,* nupta *Crynyn Althano* de *Dul.*

XL. De eodem *Malcolmo,* & fundatione Epiſcopatus *Marthillach,* nunc vero tranſlati apud *Abirdon.*

XLI. De contentione regis *Malcolmi* contra *Cnutonem Danum* tunc regem *Angliæ* pro *Cumbria,* & ejus morte.

XLII. De vitio proditionis, omnium vitiorum viliſſimo, & ab omnibus execrando, & de variis exemplis maledictæ proditionis.

XLIII. De liberalitate regis *Malcolmi,* ſeu potius prodigalitate, quia ſibi nihil de regno retinuit, præter monticulum in *Scona.*

XLIV. De ſucceſſione regis *Duncani,* nepotis ſupradicti *Malcolmi,* & ejus morte, & quod fuit nimis patiens ſive remiſſus.

XLV. De ſucceſſione regis *Machabeti,* & ejectione filiorum *Duncani* regis de regno in *Angliam.*

XLVI. De proſcriptione *Thani* de *Fyf,* nomine *Macduf,* propter amicitiam, quam habuit erga filios *Duncani,* *Malcolmum* dictum *Cammor,* & *Donaldum.*

XLVII. De primo adventu *Malcolmi Cammoire* ad *Angliæ* regem *Edwardum,* & de *Mariniano Scoto.*

Incipit Liber Quartus.

Cap. I. *De ritu ſucceſſionis regum* Scotorum *præcedentium & ſubſequentium, uſque tempus* Malcolmi *filii* Kenethi.

REGUM vero *Scotorum* in *Albionis* parte Boreali poſt *Ferguſium*, filium *Erth*, conregnantium *Pictis*, veræ ſucceſſionis tempora patent ſuperius; ad monarchas modo procedere convenit, qui, *Pictorum* ſubverſis gentibus, omnis ipſius partis obtinuerunt ſingulare dominium: & eorum geſta quædam ſimul & tempora regnationis, prout antiquorum docent volumina, propalare; de ritu tamen ſucceſſionis eorundem primo dicendum eſt. Nam ſæpius quæſtio fieri ſolet, quare non filii communiter patribus, ſicut moderni temporis mos exigit, ad regni ſucceſſerant regimen, potius quam fratres, ut in præcedentium ſucceſſionibus eſt expreſſum. Hoc autem illis ideo fiebat diebus, quoniam & eis & *Pictis* pleriſque regnorum regibus, etiam & imperii quibuſdam principibus, eadem ſuccedendi lex erat, ſcil. ut regis cujuſque diſcedentis frater aut filius fratris, ſi filio regis ætate non fuerat ac abilitate regendi potior, quamvis gradu remotior, ipſum præcederet ad regendum. Non enim ſanguinis proximitas, ſed perfectæ pubertatis abilitas hunc vel illum regni throno ſuſtulit ad regnandum. Hujuſmodi vero regnationis conſtitutio prius invaluit, quia primitivæ gentis exigua paucitas, cum eſſet numero brevi, certam in acquirendo ſibi ſive ſervando cum libertate ſedem, undique bellis expoſita, non ſolum ſui regni, ſed etiam corporum abhorrens regimen tradi juvenibus, hanc legem ſtatuit prætaxatam: talis quoque ſucceſſionis regiæ mos priſcus, uſque tempus *Malcolmi* filii *Kenethi* continue durabat, & donec ipſe, propter imminens regni diſpendium, quod inde forſan evenire poterat, ordinatione communi pro lege perpetua ſanxivit, quod deinceps cuicunque regi, qui pro tempore fuerit poſt ejus obitum proxima ſobolis, filius viz. aut filia, nepos ac neptis, proximior tunc ſuperſtes ad regni regimen ſuccederet. Sed illis forte deficientibus, hæreditatis jura poſſideat, vel regia progenitus ex ſtirpe, vel collaterali proximus hæres.

II. *De ſucceſſione regis* Alpini, *ſuaque victoria de* Pictis, *& morte, & exemplo impatientiæ.*

POſtquam *Dungallus* obiſſet, *Alpinus* filius *Achay* ſtatim coronatus, regni regimen ſuſcepit, anno Domini DCCCXXXI. regnavitque tribus annis. Bellum contra *Pictos* à prædeceſſoribus cœptum, infatigabili labore continuavit eos, ſemper exercitibus aut crebris irruptionibus devaſtando. Igitur anno tertio ſui regni, in ſolemnitate paſchali, *Scoti* cum *Pictis* congreſſi ſunt, & plures de ſuis nobilibus ceciderunt; unde fit ut rex *Alpinus* victor exiſtens, in ſuperbiam elatus, eodem anno XIII. kal. Auguſti, temere cum eis altero conſerto prælio, vincitur, capitur, & omni neglecta redemtione capite detruncatur. Ad bellum quidem ultra modum præceps erat, & in cunctis actibus impatiens nimis & impetuoſus. Nihil pene minus quam impatientia bellorum executori convenit, ut patet in hiſtoriis *Romanorum.* Scripſit enim *Eutropius*, duos Conſules, *Varronem*, & *Æmilium*, adverſus *Hannibalem* ad bellandum miſſos, quibus à Senatu monitum eſt ut ipſius *Hannibalis* impetuoſi ducis impatientiam, non aliter quam bellum differendo vincerent, nam ipſum antea

antea *Fabius* Conſul differendo pugnam ſuperavit: veruntamen per *Varronem, Æmilio* ſocio contradicente, apud *Cannæ* vicum in *Apuliâ*, cum eo pugnatum eſt, & ambo Conſules ex impatientia *Varronis* vincuntur, atque *Romanorum* in ipſa pugna trecenta millia perierunt pugnatorum. Poſt vero dictum bellum *Romanis Hannibal* obtulit, ut captivos redimerent, à Senatu reſponſum eſt, illos cives non neceſſarios, qui cum eſſent armati capi potuiſſent; ille vero variis ſuppliciis eos interficiens tres modios annulorum, quos ex manibus equitum, Senatorum & militum detraxerat, *Carthaginem* miſit. Nec dubium illum diem ultimum fuiſſe *Romani* ſtatus, ſi mox poſt victoriam *Hannibal* ad pervadendam urbem contendiſſet.

III. *De ſucceſſione* Kenethi *regis filii* Alpini, *& ejus mira calliditate contra* Pictos.

Filius autem *Alpini Kenethus* ſucceſſit in regno patris, anno Domini DCCCXXXIV. & in regno *Pictorum*, ipſis ſuperatis, anno Domini DCCCXXXIX. Imperatoris *Ludovici* XXV. Regnationis *Scotorum* in *Albion* Inſula, MCLXIX. ſed & exitus eorum ex *Ægypto* ſub primo rege *Gaythelos*, filio regis *Neoli Athenienſium* & uxore ſua *Scota*, MMCCCXLIX. quibus regnis annis ferme XVI. monarcha regnavit: erat enim vir fortis, & prudens, perſpicacis ingenii, præclarus, atque bellorum executor audaciſſimus. Hic mira calliditate duxit *Scotos* in regno *Pictorum*, cujus hæc ut ſequitur cauſa fuit. Primo quidem ſuæ coronationis anno primatibus conſilio congregatis, innotuit ſe vindicare velle de patris ſui nece crudeli, ſuorumque parentum in bello nuper occiſorum, quorum multos, poſtquam ſe reddiderant, occiderunt. Igitur ad hoc feſtinandum opus eos diligenter exhortatur, & ut die ſtatuto ſe, cæteris omnibus prætermiſſis, ad expeditionem præpararent. Illi vero noviter tranſacti certaminis, quo rex *Alpinus* cum multis militibus occubuit, immenſo territi pavore, ſed & illius belli fragore trepidantes, animoque penitus deficientes, ut vecordes vel effœminati voce conſona reſpondentes, regi dixerunt: Quicquid, ô domine rex, vel tuum defendere regnum, vel aliud opus quodcunq; nobis faciendum præceperis, præter unum, omittere nolumus nec debemus. Regni vero *Pictorum* nequaquam volumus tranſcendere metas, nam breviter eos invadere non audemus. Tantus enim nos hactenus à tempore belli timor invaſit, quod quamvis à Deo de cœlis miſſus fuerit Angelus hoc nobis annuncians, annuere forſitan trepidaremus. Avorum namque dudum temporibus, etiam & noſtris nuper, *Scotorum* fortitudo leonis exſuperabat, aut unicornis audaciam, quorum primi natura nullius eſt curſu terreri, ſecundi vero vivus ſub hominum poteſtate non venit, interfici poteſt, ſubdi vivus nequaquam; & ſi quandoque venatorum induſtria vivus capi contigerit, illico moritur: ſed viceverſa nobiſcum volvitur alea fati, quia nunc fœminis, vel ſi fas eſt dicere, ſumus lepuſculis timidiores. Videns igitur rex quod neque blandis aut aſperis exhortationibus quicquam proficeret, uti quadam voluit calliditate: nam eos non omnino profectionem negaſſe, ſed dubitanter dixiſſe meminit, quod quamvis eis Angelus in *Pictorum* proficiſci regno mandaſſet, nec illi forſitan obedirent. Ac ille ſubito cautelam mente concipiens, cariſſimo ſibi cuidam artifici reſponſa principum ſecreto revelat, & qualiter totum perageret negotium informavit. Artifex enim ille, cum eſſet ingenioſus, voluntati regiæ libens favit, promittens inſuper omnia pro poſſe fideliter perimplenda. Aſſumptis igitur caute ſquameis piſcium pelliculis, quæ noctium tenebris quodam fulgore reſplendent, quibus amiculum angelicis velut fulgentibus pennis coruſcans ſubtiliter ornatum fecit, cum quo ſe veſtiens totius effigiem corporis circumtexit. Hujuſmodi quidem indutus amictu, magnatum thalamos angelica forma clam ſubintrans, eorum mirabiliter ſenſus intellectum immo vigilantium deluſit, & ex parte

Dei viventis eis præcipiendo mandavit, quod in omnibus ſui regis obedirent præceptis, & quod præcipue *Pictorum* regna deſtruere nullatenus formidarent. Subdola quoque tali prudentia duces ſeducti, domino regi confeſtim advenientes, obedientiam ad omnia compromittunt. Nam angelum Dei vidimus, aiunt, facie ad faciem, ô rex certiſſime, qui te ſequi quocunque perrexeris nobis monuit, quibus eorum conclavigeri magno ſponte Sacramento jurantes etiam atteſtantur: & hoc idem eis jurando rex innotuit, ipſum audiſſe per eundem angelum, & vidiſſe.

IV. *De ſuis victoriis contra* Pictos, *& obtentu regni ſui.*

HIs autem ad votum ita peractis, & ad finem optatum per omnia deductis, communi voluntariaque deliberatione *Pictis* bellum indicitur, & congregatis exercitibus ipſorum regna penetravit. Tanta quoque non ſolum in homines ira, verumetiam in fœminas & parvulos deſævit, ut nulli ſexui vel ſacris parceret ordinibus; ſed omne vivens, quod ſecum non abduxerat, gladio vel igne conſumpſit. Anno deinde regni ſui ſexto, cum piratæ *Danorum*, occupatis litoribus, *Pictos* ſua defendentes non modica ſtrage prædando maritima proteruiſſent, ſimiliter & ipſe *Kynnedus* in reliquos *Pictorum* terminos montana finium ſuorum, viz. dorſum *Albaniæ*, quod *Scotice Drumalban* dicitur, tranſiens arma vertit, & multis *Pictorum* occiſis, reliquos in fugam compulit, & amborum regnorum monarchiam conquiſivit. *Picti* vero reparatis aliquantulum *Anglorum* auxilio viribus, quatuor annis *Kynnedum* infeſtabant. Sed conſequenter poſtmodum inopinatis incurſibus, & variis eos ſtragibus debilitans, duodecimo tandem anno regni ſui ſepties uno die congreditur, & immuneris *Pictorum* populis proſtratis, regnum deinceps de fluvio *Tyne* juxta *Northumbriam*, ad *Orcadum* Inſulas, ut dudum Sanctus *Adamnanus Hyenſis* Abbas prophetando retulit, totum ſibi ratificat confirmatum. Sic quidem non ſolum reges & duces gentis illius deleti ſunt, ſed etiam ſtirps & genus adeo cum idiomatis ſui lingua deficiſſe legitur, ut quicquid ex eis veterum reperitur in ſcriptis fictum credatur à pluribus, aut apocrifum; legentibus tamen frequenter hiſtorias, nullatenus mirandum videtur, ſi Deus omnipotens, regum omnium & regnorum rector, atq; ſecundum merita conſervator mirificus, ſecundum vero demerita terrificus diſſipator, robuſtas gentes, & regna peccatis exigentibus perire ſæpius permiſerat, atque permittet in futurum. Unde Propheta *David* teſtatur, dicens: Ecce peccatores abundantes in ſeculo obtinuerunt divitias; quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt, perierunt, propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium, imagines eorum ad nihilum ſunt redactæ.

V. *De ſubverſione diverſorum regnorum propter peccata.*

COnſequenter hîc, ad futurorum cautelam, interſeruntur quædam regnorum & regum ſubverſiones, & diſcidia. Quorum exemplo regi cujuſlibet rex aut princeps; in cunctis actibus Deum ante mentis oculos ſemper habeat, & evitare vitia diſcat, ſuperbiam præcipue, vitiorum omnium radicem. A gula tandem & libidine, quæ corda principum infallibiliter effeminant, animum avertere ſtudeat; potentiores & inferiores legum, rex qui judicat in veritate pauperes, thronum ejus in æternum firmabitur, peccatores ab indebitis plebium exactionibus, rapinis, & cædibus; maleficos juſtis aſſidue legibus ſatagat cohibere. Quiſquis igitur regum hæc faciens, quamvis adverſus eum ſuperborum caſtra conſiſtant, non timebit, ſed hæreditabit diu terram à Deo ſibi collatam, & inhabitabit in ſeculum ſeculi ſuper eam; & quia Dominus Deus amat judicium, non derelinquet eum in adverſariorum manibus,

manibus, ſed in æternum conſervabit. Non ſic impii principes, & in ſervandis legibus deſidioſi; non ſic quorum viz. voluntas in lege Domini non eſt, ut pauperem liberent à potente; ſed ſicut pulvis, quem projicit ventus à facie terræ, deficientes ab adverſariorum impetu fugient, & ſemen eorum, ut nunquam fuiſſet, interibit. *Salomon.* Cum populus dudum Dei peculiaris, duodecim tribus *Iſrael*, quondam lege ſervata Deo placuiſſent, multis infidelium deletis gentibus, earum cum proſperitate poſſidebant regna, quouſque prævaricantes legem, & Domino Deo derelicto, varias abominationes facientes, iram divinæ majeſtatis provocando, poſt Deos tandem abierunt alienos. Exinde de cætero quidem in ignominiam & deriſum cunctis habiti ſunt populis, ut ex hominibus eorum deleantur nomina, præter ſolam tribum *Judæ*, de qua *Judæi* nomen habent, qui modico tempore legem ſequebantur, ſed cum, ut reliquæ tribus, lege poſtpoſita Deum offendentes, manum ad peccata porrexerant, in diſperſionem miſere traditi ſunt inter gentes & diſperſi. Nec eorum ſub cœli cardine reperitur poſſeſſio, cum tum ad infidelitatis ſuæ memoriam, atque fidelibus exemplum, pauci ſervantur, degentes hactenus ſub tributo.

VI. *De eadem.*

MUltæ quidem & aliæ nationes, ut teſtantur hiſtoriæ, vias ambulando non bonas, ſed poſt peccata Domino judicante corruerunt. Ejuſdem namque ſubverſionis *Pictorum* pene diebus, natio *Gothorum* fortiſſima, multis primo devictis gentibus, juxta *Danubium* inſedit. Quique *Gothi* poſtmodum in duo diviſi, duo de ſe regna creantes, unum in *Italia Eſtirgothorum*, alterum *Weſtirgothorum* in *Hiſpania*, duos Imperatores, *Decium* prius cum filio, poſtea *Valentem* occiderunt. Et ſic multo tempore reges varios & regna bellis undique laceſſentes, toti quidem orbi *Romano* terrori fuerant, &, quaſi duobus capitis ſui cornibus, Orientem ſimul & Occidentem acerrime ventilantes, tandem ſubito reges eorum & regna cum gentibus, ac inſperate, propter peccata, quibus offendere non verebantur, deleti ſunt penitus, nec nominis ſui ſonus præter in ſcriptis auditur, ſive noſcitur inter homines in terris. *Vandalorum* populi ſic quidem exorti de *Scythia*, primo *Pannonias*, deinde *Gallias*, poſtmodum *Hiſpanias* inſedentes, cum ad *Africam* ultimo pervolaſſent, ibi regnum ſuum multo tempore confirmaverunt. Et dum divina ſimul & humana, ſine reſpectu deitatis aliquo & humanitatis perturbaſſent, diſpoſitione divina *Belizarius Patricius*, ſub *Juſtiniano* militans, noctu cum ruſticorum plauſtris *Carthaginem* cepit, eorumque regnum funditus deſtruxit, & ſic ipſa *Vandalica* rabies in perpetuum eſt finita. Etiam potentes dudum conſanguineos & colligatos noſtros *Britones*, nunquid à ſuo regno miſerabiliter ejecerunt peccata, ſicut tertio libro cap. XL. notatum eſt? Equidem *Hybernienſis* vicina nobis, ac ejuſdem noſtri generis natio, nonne dudum locuplex erat & fortis, legibus adhærens, juſtitiam ſectans, multorum mater & nutrix *Scotorum*? Cujus audire ſapientiam, ut veris docetur hiſtoriis, ex longinquis plurimi venerunt regionibus; proceſſu quoque non magni temporis, cum ipſa, ſpretis hujuſmodi virtutibus, deſidia corporis vitiis vacaſſet & otio, nec uno vero rege, ſed legum ac fidelitatis contemptu, pluribus contenta regibus, ſtatim ex ſuis eſt ejecta fœcundis civitatibus & oppidis, ad proprii regni ſteriles & ſqualidas ultimas regiones, ubi ſilvis, rupibus, & locis abditis miſere latet ad diem hodiernum, victum vix habens vel veſtitum.

VII. *Etiam*

VII. *Etiam de eadem,* & Romana *prima poteſtate, & moderna propter peccata egeſtate.*

ET quod de *Romana* quidem urbe dicta, quæ caput mundi dicebatur, quod tantis mundi dudum regionibus imperabat, quantis licuit. Nam ut refert *Eutropius*: Ejus *Adrianus*, *Conſobrini Trajani* filius, qui ſibi ſucceſſit in imperium, tres nobiliſſimas provincias, viz. *Syriam*, *Meſopotamiam* & *Armeniam*, ſpontaliter abſcidit ab imperio, volens imperii finem habere non ultra fluvium *Euphraten*. *Aurelianus* Imperator etiam ſponte *Daciam* ab eo diviſit. Itaque *Severus Scotiam* foſſatis muris & turribus excluſit, non tamen voluntarie dimittens, ſed ut *Scotos* à *Britannicis* irruptionibus impediret. Quomodo nunc ſola ſedet civitas, tunc domina gentium? modo propter peccata paucis, immo perpaucis, dominando regionibus, nec ut aſſeritur civitatibus ſuo non procul à muro ſituatis. Quod & omnibus dolendum eſt Chriſtianis, cum ipſa ſit non immerito domina totius Chriſtianitatis & caput, ob reverentiam beatorum *Petri* principis Apoſtolorum, & coapoſtoli ſui *Pauli* doctoris gentium, atque ſuprema vicariorum Chriſti ſedes in terris; ſed & martyrum & confeſſorum innumerabilium terrena corporum requies, quorum ſancto ſanguine carniſque pulveribus, totius terræ ſuæ cineres ſtratæ, lapides, domorumque limina ſcil. & poſtes beatificati præparantur. Sed ubi nunc quæſo tantæ majeſtatis, & honoris imperium, tantæ dominationis ampla terrarum poſſeſſio, tantorum obedientium regum & principum, tributaque tot regnorum? Sed & ubi curruum aureorum ac triumphantium gloria, cui nunquam aliqua mundialis pompæ vanitas poterat, ut legitur, comparari. Quid igitur *Romanos* ab hac ſublimi potentia dejecit niſi peccata tantum? quibus ſervire potius quam Deo volebant, ſine quo nulla eſt poteſtas, cujus ſervos fidem eis & regulam juſte vivendi prædicantes occiderunt. Inter quos *Petrus* & *Paulus* Apoſtoli ſub *Nerone* martyrizantur, quapropter ſubito *Romana* poteſtas in eo ruere cœpit: nam ipſe urbis magnam partem incendit, *Parthi* tulerunt *Armeniam* ab eo, ſuis legionibus ſub jugo miſſis; utque *Britannia* tunc per affines pene perdita, ſic quidem diu poſtmodum Chriſti ſervos aliquando trucidantes,& aliquando faventes,tunc victi, nunc victores extiterunt. Tandem ad ſe reverſi fidem gaudentes ceperunt catholicam, quam operibus caritatis, & miſericordiæ magna cordis devotione diu ſervabant, & extunc ſubditis gentibus humiles,& hoſtibus terribiles imperabant. Proceſſu quidem temporis, ad inania, quibus uti ſolebant, flagitia ſe committentes, præter quod fidem cum paucis fidei tenebant operibus, ad hanc inopiam, quam modo cernitis, miſerabiliter pervenerunt. Hæc autem exempla fœlici poterint ſufficere principi, ne ſe peccatis enormibus immiſceat: quia,

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Poſt obitum *Ludovici Pii*, ſuſcepit imperium filius ejus *Lotharius*, anno Domini DCCCXLII. & imperavit annis XV. regis *Kenethi* IX.

VIII. *De finali victoria* Kenethi *regis in* Pictos, & *ejus morte.*

REx igitur *Kenethus*, poſtquam, ut præmiſſum eſt, ſeptem uno die potiretur bellorum victoriis, quaſque provincias regni *Pictorum* peragrando, populum imbellem ſub fide pacis ſuſcepit. Multi nihilominus colla ſervituti ſubmittere dedignantes, ſub ſpe reſiſtendi, novum ab eis regem creatum ſequebantur: quorum ipſe brevi poſtmodum quoſdam cum ſuo rege, turmis peditum emiſſis, occidit, & quoſdam ad deditionem compulſos obti-

obtinuit. Reſidui vero per vaſtas ſolitudines diu latrocinio vagantes, neque deditionem penitus, neque pacem volebant; coacti tandem, non quo caput obedirent locum habere valerent, fugæ remedium ad *Anglos* ac *Norguigenſes* aſſumpſerunt. Sic quidem Deo concedente factum eſt, ut totum ſub Circio finem *Albionis* in monarchiam omnium regum primus ſuſcipiens, unum fœliciter regnum compegerit è duobus: jura vero, quæ leges *Macalpinæ* dicuntur, componens, obſervari ſtatuit, quarum hactenus quædam reſtant, ac inter populos curſum habent. Itaque legibus imbuto pacatoque regno, poſt multos ac innumerabiles tanti temporis labores improbos, peractis plene regenerationis in monarchia XVI. annis, & octo menſibus, apud *Forthemoth* migravit ad Dominum, & in Inſula *Jona* cum honore decenti, maximoque *Scotorum* ejulatu, ſepultus eſt; ubi quondam rex *Ferguſius* filius *Erth*, cum duobus fratribus *Loaru* & *Tenegus*, humo condebatur, quorum animæ pace perpetua perfruantur. Erat enim iſte *Kenethus* filius *Alpini* regis, filii *Achay*, filii *Erthfyn*, filii *Eugenii*, filii *Fyndan*, filii *Eugenii*, filii *Dongardi*, filii *Donaldi*, filii *Eugenii Buyd*, filii *Aydani*, filii *Gowrany*, filii *Dongardi*, filii *Ferguſii Arth*. Qui quidem *Ferguſius* regnum, dolo tyranni *Maximi*, *Pictorumque* potentia, quadraginta tribus annis detentum recepit, ac priſtinæ reſtituit libertati, ut patet ſupra.

IX. *De quibuſdam præambulis in catalogo regum* Pictorum.

SUbverſione *Pictorum* nota ſuperius, non importunum videtur eorum catalogum, & alia quædam veterum reperta voluminibus, hîc conſequenter annotare. De ſua quidem origine, quam ob cauſam has partes vel unde venerint, in libri primi capitulis XXIX. XXX. necnon XXXI. liquide reperietur. Ante vero Dominicam Incarnationem, ut ibi patet, hujus regni partem ante *Scotos* vel uno ſaltem tempore coluerunt, quamvis quædam ſunt chronicæ, quæ *Scotos* aſſerunt, longe præ *Pictis* trecentorum annorum ſpatio hanc poſſidere regionem. *Galfridus* in ſua chronica libro quinto cap. VI. *Pictos* originem habere ponit poſt Dominicam Reſurrectionem, *Veſpaſiani* diebus, & ex eis tunc primum *Scotos* excreviſſe: ſed hæc quidem an ſic, an aliter, pluribus non ignoratur chronographis. Scriberet enim certius, eo tempore *Moravios*, *Pictis* & *Scotis* conjunctos, hanc adveniſſe patriam contra *Romanos* ſub duce *Rodorico*, qui certe *Moravius* fuit & non *Pictus*, ex quorum filiabus creata ſobole multitudines ſuam adauxerunt. Ex facili namque probari poterit, quod hoc ante diu cœperunt per ſuæ regnationis tempora: nam verum eſt, regnabant per annos in *Albione* mille centum, & eo plures, nec dubium eſt quin memorati regis *Kenethi* gladio perierint. Non tenet igitur quod poſt Incarnationem, ſed ante, ſumpſerunt originem. Vel ſi quis objicere forſan velit aſſerens, minime credendum regem *Ghede*, vel ejus ſucceſſorem *Tharan*, tantum habuiſſe regnandi tempus, ut uni centum, alteri vero centum quinquaginta computentur anni, reſpondeat lector, quod licet alterutriſque regibus anni ſolummodo quinquaginta ſcribantur, ante tamen Incarnationis tempus annis centum & amplius, eos cœpiſſe reperiet. Et quia de tanto ſuæ regnationis annorum numero nonnulli muſitant, placuit ut amborum regum annua computatio correctioni lectoris, inde veritatem perſcrutantis, relinquatur. Cæterorum vero regum ſucceſſionis tempora ſigillatim ſtylum, ut noverit, proſequetur.

X. *De*

X. *Etiam de catalogo regum* Pictorum, *& adventu beati* Columbæ.

PRimus autem rex apud eos erat *Cruythne*, filius *Kynne* judicis, & regnavit annis L. Secundus vero poſt eum *Ghede*. Tertius *Tharan*, quibus, ut ſupradictum eſt, aſcripti ſunt anni ducenti quinquaginta. Regi quoque *Tharan* ſucceſſit *Dmorthetiſy*, & regnavit annis XX. Cui *Luchil* ſuccedens, regnavit annis XL. Cui *Duordeghal* annis XX. Cui *Decokheth* annis LX. Cui *Combuſt* annis XX. Cui *Caranathereth* annis XL. Cui *Garnabolger* annis IX. Cui *Wypopneth* annis XXX. Cui *Blarehaſſerath* annis XVII. Cui *Frachna Albus* annis XXX. Cui *Thalarger Amfrud* annis XVI. Cui *Canatalmel* annis VI. Cui *Dongardnethles* anno I. Cui *Feredath* filius *Fynyel* annis II. Cui *Garnard Dives* annis LX. Cui *Hurguſt* filius *Forgſo* annis XXVII. Hujus tempore regnationis ut libro ſecundo cap. XLVIII. quædam reliquiæ Sancti *Andreæ* per beatum *Regulum* in *Scotia* ſunt allatæ. Poſt *Hurguſt* ſucceſſit *Thalarger*, filius *Keother*, & regnavit annis XXV. Cui *Durſt*, alias vocabatur *Nectave*, filius *Irbii*, annis XLV. hic ut aſſeritur centum annis vixit, & centum bella peregit. Quo regnante, Sanctus *Palladius* primus *Scotorum* Epiſcopus à beato Papa *Cæleſtino* miſſus eſt ad *Scotos* docendos, longe tamen ante in Chriſto credentes. Cui ſucceſſit *Thalarger* filius *Amyle*, & regnavit annis II. Cui *Nectave Chaltamoth* annis X. Cui *Durſt Gorthnoth* annis XXX. Cui *Galaam* annis XV. Cui *Durſt* filius *Gigurum* annis V. Cui *Durſt* filius *Othcred* annis VIII. Cui iterum *Durſt* filius *Gigarum* annis IV. Cui *Garnard* filius *Gigarum* annis VI. Cui frater ejus *Kelturan* annis etiam VI. Cui *Tholorger* filius *Mordeleth* annis XI. Cui *Durſt* filius *Moneth* anno I. Cui *Thalagath* annis IV. Cui *Brude* filius *Merlothon* annis XIX. eo regnante Sanctus *Columba Scotiam* adveniens, ipſum ad fidem convertit. *Beda*. Venit Sanctus *Columba Pictaviam*, regnante *Pictis Brudeo*, rege potentiſſimo, filio *Meilochon*, anno nono regni ſui, qui fuit ab incarnatione Domini DLXV.

XI. *De eodem catalogo, & converſione* Brudei Pictorum, *regis per beatum* Columbam, & Orcadum *regulo tunc captivo*.

EX ejus hiſtoria; in itineris vero beati *Columbæ* prima fatigatione verſus regem *Brudeum* caſu contigit, ut idem rex faſtu regio zelatus, ſuæ munitionis ſuperbæ agens, in primo beati adventu viri, non aperiret portas. Quod ut cognovit homo Dei, ad valvas portarum cum comitiva accedens, & primum Dominicæ crucis imprimens ſignum, manum pulſans contra oſtium ponit, quæ continuo, ſponte retro retruſis fortiter ſeris, cum omni celeritate ſunt aperta. Quibus ſtatim apertis, Sanctus conſequenter cum ſociis intrat, quo cognito rex cum ſenatu valde pertimeſcens, domum egreſſus, obviam cum veneratione beato pergit viro, pacificiſque verbis admodum blande compellit, & ex ea in poſterum die ſanctum & venerabilem virum idem regnator, omnibus ſuæ vitæ diebus reliquis, valde veneratus eſt, magna ſicut decuit honorificentia. His vero diebus, cum idem Sanctus ultra dorſum moraretur *Albaniæ*, quendam monachum volentem *Heremum* acquirere, qui poſtquam à terris per infinitum Oceanum plenis enavigaſſet velis, eidem *Brudeo* regi *Pictorum Orcadum* præſenti regulo commendavit dicens. Ex noſtris aliqui nuper intranſmeabili pelago deſertum invenire cupientes navigabant, qui ſi forte poſt longos circuitus *Orcadas* devenerint Inſulas, huic regulo, cujus obſides in manu tua ſunt, diligenter commenda, ne aliquid adverſi intra terminos ejus contra eos fiat. Hoc vero Sanctus ita dicebat, quia ſpiritu cognovit, quod poſt aliquot menſes, idem monachus, cui *Tormachus* nomen erat, ad *Orcadas* eſſet venturus, quod ita poſtmodum evenit,

&

& propter prædictam ſancti viri commendationem, de morte vicina liberatus eſt in *Orchadibus.*

XII. *De eodem adhuc catalogo.*

ISti quoque regi *Brudeo* ſucceſſit *Garnard,* filius *Dompnath,* & regnavit annis XX. Hic fundavit *Abirnethy.* Cui *Nectave* filius *Irb* annis XI. Cui *Kenel* filius *Luchtren* annis XIV. Cui *Nectave* filius *Fode* annis VIII. Cui *Brude* filius *Fathna* annis V. Cui *Thalarger* filius *Farthbarer* annis XI. Cui *Talargan* filius *Amfend* annis IV. Cui *Garnard* filius *Dompnal* annis V. Cui frater ejus *Durſt* annis VI. Cui *Brude* filius *Bile* annis XI. Cui *Gharan* filius *Amſedeth* annis IV. Cui *Brude* filius *Decili* annis XXI. Cui frater ejus *Nectave* annis XVIII. Iſte, ſecundum *Bedam,* accepit literas ex *Anglia* de circuli *Paſchalis* obſervatione. Cui *Nectave* ſucceſſit *Garnard,* filius *Feredath,* & regnavit annis XIV. Cui *Oenguſſa* filius *Ferguſa* annis XVI. Cui *Nectave* filius *Derely* menſibus IX. Cui *Oenguſſa* filius *Brude* menſibus VI. Cui *Alpyn* filius *Feredeth* ſimiliter menſibus VI. Poſt quem idem *Alpinus* interim regnavit annis XXVI. Cui *Brude* filius *Tenegus* annis II. Cui *Alpin* filius *Tenegus* etiam annis II. Cui *Durſt* filius *Thalargan* annis I. Cui *Thalarger Druſben* annis IV. Cui *Thalarger* filius *Tenegus* annis V. Cui *Conſtantinus* filius *Ferguſa* annis XL. Iſte ædificavit *Duntrelden.* Cui *Hungus* filius *Ferguſius* annis X. Eodem vero tempore quo Rex *Hungus,* regnavit & in *Weſtſex* Rex *Ethelwlfus,* cujus filii majoris *Athelſtani* caput infixum ſudi Rex obtenta belli victoria ſecum in regno detulit, ut in proximo ſequenti capitulo plenius apparebit. Cui *Hungo* ſucceſſit *Durſtolorger,* & regnavit annis IV. Cui *Eoghane* filius *Hungus* annis III. Cui *Feredeth* filius *Badoe* ſimiliter annis III. Cui *Brude* filius *Feredeth* menſe I. Cui *Keneth* filius *Feredeth* annis I. Cui *Brude* filius *Fotehel* annis II. Cui *Druſken* filius *Feredeth* annis III. In hoc quoque rege *Druſken, Pictorum* regnandi defecit poteſtas, & ab eis penitus tranſlatum eſt regnum ad regem *Scotorum Kenethum,* ſuiſque ſucceſſoribus, & unum deinceps *Scotorum* regnum eſt effectum. Deo gratias.

XIII. *Quomodo* Hungus *rex* Pictorum, *&* Æthelwlfus *rex* Anglorum, *contemporanei fuerant, & ejus filio* Athelſtano.

QUis enim ille fuerit *Athelſtanus,* quem rex *Hungus* bello proſtravit, notandum eſt. Nam tres dudum in *Anglia* reges fuerunt *Athelſtani,* quorum primus *Cantiæ* Rex erat ultimus, à quo tranſlatum eſt regnum, & additum eſt regno *Weſtſaxonum.* Secundus autem iſte de quo nunc agitur filius *Æthelwlfi,* cui pater omnes *Angligenæ* gentis regiones ipſo vivente contulit, præter regnum *Weſtſex,* quod penes ſe ſolum retinet. Tertius quidem *Athelſtanus* erat filius *Edwardi,* filii *Alfredi,* frater iſtius *Athelſtani*; unde *Willielmus.* Rex *Egbirthus,* ſubjugatis primo *Cornugalliæ Britannis,* aquilonales etiam *Britannos* tributarios fecit. Itaque regnum *Cantiæ,* cum *Suthireya,* regnumque *Merciorum* & *Eſtanglorum,* orientales & auſtrales *Saxones,* in deditionem accepit. Sic quidem cæteris *Anglorum* provinciis in fide vel tributo ſuſceptis, *Weſtſaxonum* regnum ampliavit. *Northumbri* vero, qui ſe ſolos remanſiſſe, tum propter inteſtinas diſſentiones, tum propter fallaces jurationes, & omni digito ſe vocari cernerent, datis obſidibus ſuæ favebant ditioni. Huic *Egbirtho* poſt mortem ſucceſſit filius ejus *Æthelwlfus,* qui patre vivente quinque filios genuerat. Hic natura levis ſub quiete degere quam multis imperare provinciis mallet. Avito regno *Weſtſaxonum* ſolo contentus, cætera quæ pater ſubjugaverat appendicia, ſtatim ut regnare cœperat, filio ſuo majori contradidit *Athelſtano.* Qui quando vel quo fine defe-

cerit incertum eſt; hæc ille. Verum illius *Athelſtani* finis apud *Willielmum* quamvis lateat, apud nos attamen, & variis ſcriptis, & ore ſimul hactenus populorum celebri, recolitur in memoria. Nam in his quas pater ei tribuerat eo regnante regionibus, Rex *Hungus* magno cum exercitu nationes *Anglorum* finitimas *Northumbros* immani clade vaſtando, patriam pertranſiens, poſt varias dietas, quamdam advenit laſſus, quieſcendi [cauſa], non procul ab amne *Tyna*, gratam planitiem, ubi caſtra figi mandat, quatenus exercitum itineris longitudine fatigatum paſtu congruo recrearet. Et quia ipſa planities frugibus & herbis, atque nemorum arbuſtis, erat uberrima, fontibus & aquis irrigua, ſtatuit inibi quaſi nihil metuens per dies aliquos commorari.

XIV. *De victoria* Hungi *regis* Pictorum *contra* Athelſtanum, *cujus caput ſudi figi præcepit.*

HÆc cum audiſſet Rex *Athelſtanus*, totius *Anglorum* gentis borealium ſimul & auſtralium robur in unum conducens, & aciebus ſingillatim per turmas compoſitis inſperate ſuperveniens, locum quo ſedit adeo ſuis undique circumdat cuneis, quod nullus ei pateret tranſitus evadendi. Territus autem Rex, & animo principes conſternati timuerunt valde; nam humana protinus ope ſe nequaquam ſalvari poſſe ſperabant, ad divinum ergo recurritur auxilium, quod poſcentibus in veritate non deeſt, & à ſingulis tam majoribus quam minoribus Deo ſuppliciter, & ſuis ſanctis, & præcipue ſancto *Andreæ Apoſtolo*, nota fiunt. Rex igitur ad honorem Dei, benedictæque virginis *Mariæ*, decimam regni ſui partem beato ſe daturum *Andreæ*, voto ſolenni promiſit, ut ipſum cum exercitu ſalvum ad propria reduceret, & à tam innumerabilis, tamque ſuperbæ gentis, incolumen eriperet poteſtate. Regi viro nocte ſequenti beatus *Andreas* apparuit, dicens. Deus, cui ſemper humilium placet deprecatio, votaque ſuperborum implacabilia, tuam interveniente me deprecationem exaudiens, die craſtino, lætam tibi dando victoriam, tuos ante te proſternet inimicos, nec adverſum te bellando prævalebunt, quia dominicæ crucis Angelus Vexillifer, multis videntibus, te præcedet. Cum igitur in regnum tuum proſpere redieris, voti nequaquam ſis immemor, ſed quod de liberæ mentis arbitrio ſponte promiſſeras, cave ne differas adimplendum. Evigilans autem rex à ſomno, quæ per viſionem audierat, cuncta ſuis patefecit Comitibus & populo. Quomodo Deus, Apoſtoli ſui precibus, certam ſibi conceſſerat victoriam ex inimicis. Omnes igitur, ex hujuſmodi viſionis confidentia, ſupra quam credi poteſt exhillarati, nec ut heri vel nudiuſtertius jam timidi, ſed fortes, & ſolito multum audaciores effecti, quamvis numero pauciores longe fuerant, in hoſtes clamoribus tubiſque clangentibus proruerunt. Continuo namque tantus eorum cordi pavor invaſerat, ut omnes ſolutis aciebus averſi ſunt in fugam, exceptis cum rege paucis obſiſtentibus, qui primo congreſſu ſuperati ſunt pariter & occiſi. Regis vero caput, ob tam miraculoſæ cædis memoriam, abſciſſum à corpore Rex ſecum afferens, in medio maris *Scotici*, cujuſdam ſummitate rupis palo præcepit infigi, cunctis tranſeuntibus per annos aliquot ad ſpectaculum. *Kenethi* vero regis anno XIII. claſſes diverſæ paganorum portus *Angliæ* piraticis irruptionibus ſæpius invadentes, tandem *Londoniæ* civitatem ceperunt, fregerunt, ac depopulati ſunt.

XV. *De ſucceſſione regum* Donaldi *filii* Alpini, & Conſtantini *filii* Kenethi, & *morte* Donaldi.

CElebratis ſolenniter *Kenethi* magni regis exequiis, eodem obitus anno, ſucceſſit ei frater ejus *Donaldus*, etiam *Alpini* filius, anno viz. Domini DCCCLIV. *Lotharii* quidem Imperatoris XIV. Regnavitque IV annis. Erat enim miles inclytus, & ad omnes actus bellicos fortis & pronus, quique crebras victorias & triumphos in debellatione *Pictorum* glorioſe peregit. Vicinis vero regnis & regibus pacem fovere ſtuduit & concordiam, nec quicquam ſuos fratres in aliquo moleſtare præſumpſit, præter quoſdam abjectiones *Pictorum*, qui, diebus excidii, gentis ſuæ videntes cladem, fugerunt ad *Angliam*: qui, ſtatim ut de morte *Kenethi* regis audierunt, ab *Anglis* inſtigati, necnon eorum adaucti cuneis, non obſtante treuga pacis nuper inita, regni limites invadere cœperunt: ſed eodem anno, regis prudentia, quorundamque fidelium *Pictorum*, nullo remanente, ſunt deleti. Ejus anno tertio *Lotharius Imperator*, inter filios regno partito, ſeculo renunciavit, & ad imperium filius ejus *Ludovicus* ſecundus promotus eſt, & imperavit annis XXI. Apud *Scotiam* vero ſedem regiam, rex univerſæ carnis viam ingreſſus, in *Jona* ſepultus eſt inſula, juxta fratrem. Anno domini DCCCLVIII. ſucceſſit ei nepos ejus *Conſtantinus*, fratris ſui *Kenethi* magni filius, & Imperatoris *Ludovici* tertio, regnavitque rex annis XVI. Suo quidem & omni tempore ſuorum prædeceſſorum, patris ſcilicet & patrui, magna claſſis ab oriente paganorum, *Danorum*, *Norguigentium*, & *Friſonum*, emergens, totum mare *Britannicum* atque *Belgicum* turbavit. Nam anno monarchiæ patris ſui decimo tertio, per *Thamenſem* fluvium *Angliam* impetentes, *Londoniæ* civitatem vi cœperunt, aſportatis ſecum ſpoliis & gazis quibuſque pretioſis; & ſic continue multis diebus utrumque regnum, *Scotiam* & *Angliam*, nunc hic nunc illic, ut ventis agebantur, erumpentes, ſubito pluribus incommodis affecerunt. Ejus anno ſecundo gelare cœpit per *Europam* pene totam II Kalen. Decembris, & nonas Aprilis finivit. Anno octavo, Rex *Bulgarorum* ad *Chriſtianiſmum* cum ſua gente converſus, adeo fide ſolidatur, ut non multo poſt filio majore regno promoto, penitus ipſe ſeculo renuncians monachus factus eſt. Sed cum filius ejus juveniliter agens ad gentilitatis cultum redire vellet, reſumpto militiæ cingulo cultuque regio, filium perſecutus cœpit, & oculis ejus effoſſis, eum in carcerem truſit; & filio juniore in regno locato, fatrum habitum recepit, & in eo uſque finem vitæ permanſit.

XVI. *De morte* Conſtantini *per* Danos *viz.* *ac* Norguigenſes, & *ſucceſſione regis* Heth Aliped.

EJus etiam tempore regnationis, altera paganorum claſſis major atque ſeverior ex *Danubio* veniens ſe commixit priori, quæ ſtatim nullius boni propoſito, ſed omnis malitiæ & nequitiæ conſortes effecti, maria velut plantata nemoribus operuerunt. Sicque brevi poſtea factum eſt, ut in ambobus regnis ſolidam petentes terram, ſecuri per dies & menſes, propriis quaſi ſedibus commanſerunt. Hos enim, ut nunc putabatur, *Scotiam* clam attraxit *Pictorum* barbaries nondum plene perdomita, ſicut ex rei poterit exitu non diſſimiliter ſuſpicari. Oblatum eſt eis à rege ſæpius ſecurum infra regni portus receptum, ad mercanda pro libitu victualia, ſi tamen ab irruptionibus ceſſantes pacis fideliter pactum obſervarent. Igitur cum hujuſmodi nec ullo pacis alio tractatu ſedari poterant, loco, cui nomen eſt *Nigra Specus*, vel die præfixo, ut inopinate caſu veſtitur rex, bellum cum

eis iniens cum multis ſuorum occubuit. Nec mirum, quia ſubactos nuper quoſdam de *Pictis*, quaſi ſinu ſerpentem ſecum bellandos tenerrimo conduxit. Namque ſtatim conſerta pugna fugientes, occaſionem cæteris hoc idem faciendi dederunt. Sicque regem, ab excercitus ſui magna parte campo derelictum, circumdant hoſtes & occidunt. Ipſis illico poſt victoriam ad naves recedentibus, cives fugati redeunt, & campum ſcrutantes, regis inventum funus ad *Jonam* Inſulam ejulatu magno tulerunt, ubi conditum eſt cum honore ſinu patris. In *Anglia* vero, duobus annis ante ſuam mortem elapſis, regem *Eſtangliæ*, ſanctum *Edmundum*, dictarum claſſium pagani martyrizabant. Illi quoque ſucceſſit frater ejus *Hethus Alipes*, filius etiam magni *Kenethi*, anno Domini DCCCLXXIV. *Ludovici* XIX. & regnavit anno uno. Hic vero tantæ vivacitatis membrorum agilitate floruit, ut ab omnibus diceretur *Hethus Alipes*, & *Hethus* alas in pedibus habens; nam ſuo tempore velocitatis titulo præ cæteris meruit annotari. Sed nuncquid *Alexandri* magni curſoribus, *Aniſio Laconi* ac *Philonidi*, debeat agilitate præferri, qui ſecundum *Solinum*, uſque *Sicyonem* ab *Elide* mille ducenta ſtadia tranſierunt uno die? Ejus tamen & eorum pernicitatem [ſuperaſſe] videtur *Ladas* quidam, ut idem refert *Solinus*, qui ſuper cavum pulverem ita cucurrit velociter, ut in arenis nulla relinqueret indicia veſtigiorum. Sufficiat regi palma ſui temporis adepta velocitatis. Illum vero ſecundum regni jura ſucceſſione præcederet filius *Dungalli Gregorius*, unde diviſis inter eos regni principibus, apud *Strathalorn* bellum committitur, in quo rex primo congreſſu mortali plaga vulneratus, poſt duos menſes obiit, paucis alterutræ partis in pugna ducibus interemptis; ſepultus eſt autem in Inſula *Jona* juxta patrem.

XVII. *De ſucceſſione regis* Gregorii *qui ſibi ſubjugavit totam* Hyberniam, *& pene totam* Angliam.

IDem vero *Gregorius*, cum regni regimen, pluribus majorum annuentibus, obtinuiſſet, *Scotia* ſolenniter coronatus eſt anno Domini DCCCLXXV. *Ludovici* XX. & regnavit annis pene XVIII. Solennitate peracta coronationis, per omnes ſtatim regni fines firmam ſtabiliens pacem, omnes, quos ſibi bello reſiſtere noverat, plena remiſſione conceſſa, [ad] ſuam adduxit & veram amiciciam. Neque principio ſuæ regnationis divini cultus extitit immemor aut negligens, quin & Eccleſiæ Dei perpetuam, ac perſonis Eccleſiaſticis conſenſu principum libertatem conceſſit, confirmatam à Papa *Johanne* octavo. Qui quintam Synodum *Conſtantinopoli* celebravit. Nam eatenus Eccleſia more *Pictorum* ſubacta fuerat ſervitute. Ille vero totam ſibi ſubjugavit *Hyberniam*, ac pene totam *Angliam*. Et quamvis *Hybernia* ſibi jure ſucceſſionis attigerat, quorundam tamen reſiſtentium abſque bello nullatenus eam acquiſivit. Poſſeſſionis ſuæ dominium in *Anglia* partim armis, & partim clementia ſubegit. Suis diebus, ſicut ante, necnon & diu poſtmodum, diverſarum gentium, ut patet ſuperius, piratæ, *Danorum viz. Norguigentium*, *Gothorum*, *Wandalorum*, atque *Friſonum*, unius & ejuſdem malignitatis complices, per portus *Anglorum* & terras diſperſi, clade miſerrima partes præcipue maritimas jugiter quaſi furentes vaſtabant, donec eas ex magna parte ſub ſuo redactas dominio poſſediſſent. Rex autem *Gregorius*, ut ipſi maritimas, ſic & ipſe ſuperiores & occidentales non impari clade perdomuit. Sed & quarundam indigenæ provinciarum, priuſquam ſuos attigerat fines, ſeſe cum terris & poſſeſſionibus ſuæ ditioni ſponte dederunt, facto prius Fidelitatis & Homagii Sacramento. Beatius vero putabant ac utilius catholicæ fidei cultoribus *Scotis* ultro ſubjici, licet hoſtibus, quam invite paganis infidelibus. *Willielmus.* Ardebant omnes Provinciæ ſævis populationibus, unuſquiſque regum magis inimicos in ſuis ſedibus ſuſtinere curabat,

curabat, quam laborantibus opem porrigere compatriotis. Anno *Gregorii* primo, duo cognati *Noricorum* ſive *Danorum*, *Rollo* & *Gello* cum ſuis, *Neuſtriam* penetrantes, *Rothomagum*, & cæteras urbes confines obtinuerunt. Anno tertio *Ludovicus* Imperator obiit, & *Karolus Calvus* patruus ejus ſucceſſit, & imperavit annis II. Cujus poſt obitum ſuccedens *Karolus Junior*, imperavit annis XII. *Karolus* igitur, cum *Rollonem* & ſocios à patria pellere non poterat, accepto conſilio, filiam ſuam *Gillam* ſibi dedit uxorem, & totam *Neuſtriam*, quam ipſe de *Normannis Normanniam* vocabat, accepta tamen ſponſione *Chriſtianiſmum* recipiendi.

XVIII. *De eodem* Gregorio *&* *ejus morte*, *deque martyrio beati regis* Edmundi, *& quod* Anglia *pene tota tunc temporis* Scotis *&* Danis *erat ſubjecta.*

NUllum tunc temporis, ſcilicet *Gregorii*, defenſorem *Angli*, vel certe debilem habebant, omnibus orbati regibus, qui dudum octo fuerant, præter *Alfredum* regem *Weſtſaxonum*, qui ſolus ſuperſtes, virtute qua potuit, parum proficiens hoſtes invaſit. Et multo ſæpius ab eis invaſus, in tanta deſolatione ſævientium undique declinans hoſtium inſidias ſubito decidit, ut in *Anglia*, quo ſe loco tutum occulere poterat, corde trepido fluctuaret. *Northumbri* vero propria culpa ſuos à ſe reges ante ſæpius expulerant. Sed modo neceſſitate compulſi regem abjectum prius, ſcilicet *Oſberthum*, rurſum recipientes, in brevi poſtmodum ipſi cum eo crudeliter ab hoſtibus occiſi, vel infra mœnia civitatis *Eboraci* cremati ſunt; eorum poſſeſſio deinceps ab eis jure bellico regionibus. Rex itaque *Merciorum Burthredus*, per hoſtes regno pulſus, *Romam* petiit non reverſurus. Orientalium *Anglorum* rex ſanctus *Edmundus*, à paganis, ut ſupra, glorioſum paſſus martyrium, terreſtre ſolium pro cœleſti mutavit, & ejus etiam regnum inimici denuo poſſederunt. Cæteri quoque principes, qui ſuperfuerant, ſive *Scotis* ſive *Danis* obſtricti, pro vita rebuſque ſervierunt. Superiores quidem provinciæ regno *Scotiæ* confines, regi *Gregorio* volentes manus dabant. Sic quidem his diebus, ac diu poſtmodum, *Anglia* tota variis fortunæ rotata caſibus, variis dominis miſere ſuccubuit. Quædam pars *Danis*; & pars ſed maxima *Scotis*; & pars *Alfredo* regi ſed parva remanſit; unde *Willielmus*. *Alfredus* autem ad hoc tandem inopiæ coactus eſt, ut, vix tribus pagis fide ſibi parentibus, ſcilicet *Huntetonſcire*, *Wilteſchire*, & *Somirſete*, ad quandam Inſulam uligine paluſtri vix acceſſibilem, vocabulo *Adlingiam*, refugerit. Tempore *Gregorii*, *Flandriæ* Comitatus exordium habuit; prius vero regum *Francorum* regebatur Forreſtariis, quorum primus *Lidericus*, ſecundus *Ingerlanius*, & tertius *Audacer*: ſub *Pipino*, & *Karolo* magno, & *Ludovico*, iſti rectores *Flandriæ* fuerunt, non tamen Comites: deinde *Karolus Calvus*, de quo ſupra, *Flandriam* dedit in hæreditatem *Baldwino* filio *Audacri*, & *Judith* filiæ ſuæ. *Gregorius* autem Rex iſte magnificus, poſtquam annis decem & octo, menſibus aliquot exceptis, ſtrenue regnaſſet, apud *Dorvedeore* diem clauſit extremum, & *Jona* ſepultus Inſula requieſcit. Anno *Gregorii* decimo tertio *Karolus* Imperator obiit; & *Arnulfus* ſucceſſit, viz. anno Domini DCCCLXXXVII. & imperavit annis XV.

XIX. *De* Johanne Scoto *Philoſopho, & Imperatore* Arnulpho, *qui à pediculis conſumptus eſt.*

HUjus *Gregorii* tempore floruit *Johannes Scotus*, vir ſecundum *Helynandum* perſpicacis ingenii, ac mellitæ facundiæ. Qui concrepantibus undique bellorum fragoribus, in *Franciam* ad *Karolum Calvum* tranſierat,

ubi diverſos libros perſcrutans, rogatu *Karoli*, Hierachiam *Dionyſii Areopagitæ* de *Græco* verbum è verbo tranſtulit in *Latinum*; compoſuit etiam Librum, quem *peri phyſicωn meriſmatos* & *de diviſione naturæ* intitulavit, propter prolixitatem neceſſariarum quæſtionum ſolvendam bene utilem. Succedentibus annis, *Alfredi* regis allectus munificentia venit in *Angliam*, & in brevi poſtmodum, apud *Malmesberienſe* Monaſterium, à pueris, quos docebat, grafiis ut fertur perforatus, Martyr effectus eſt. Cujus celebrem memoriam, Sepulcrum in altaris latere ſiniſtro, ſed & Epitaphii verſus prodant.

Clauditur hoc tumulo ſanctus Sophiſta Johannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro.
Martyrio tandem Chriſti *conſcendere regnum,*
Quo meruit, ſancti regnant per ſecula cuncti.

Arnulfus Imperator, cujus tempus præcedenti capitulo notatur, *Normannos*, qui *Galliam, Lotharingiam*, & *Dardaniam*, circa *Leodium*, & circa *Maguntiam*, vaſtabant, incredibili plaga proſtravit: & tunc cœpit jugum *Normannorum* & *Danorum* ceſſare, qui quadraginta annis *Galliam* vaſtaverunt. Deinde idem *Arnulfus* longa infirmitate tabeſcens, nulla arte medicinali juvari poterat, quin à pediculis conſumeretur. Anno *Gregorii* XVI obiit *Guthrum Danus*, *Northumbriæ* Rex & *Eſtangliæ*, quem *Alfredus*, de ſacro fonte ſuſcipiens, *Athelſtanum* nominavit. Cui filius ejus *Ranaldus*, & cognatus *Sithricus* ſucceſſerunt.

XX. *De ſucceſſione* Donaldi *regis, filii* Conſtantini, *& ejus morte.*

OBitus ac ſepulturæ *Gregorii* planctu ſopito, regni faſtigium *Donaldus* obtinet, qui fuit filius ſuperioris *Conſtantini*, filii *Kenethi* magni, coronatus eſt apud *Sconam*, eodem quo deceſſit *Gregorius* anno, Domini viz. DCCCXCII. ac Imperatoris *Arnulfi* VI. Regnavit annis XI. ſtrenue quidem, ſed ingenti labore nunc in aquilonis *Scotiæ* partibus, nunc in *Angliæ*, de novo conquæſtis, non quievit, nequando deliciis aſſuetus, & otio negligens perdat & inglorius, quod ſuus prædeceſſor vigilanti prudentia magniſque laboribus acquiſivit. Quia non minus eſt virtus quam quærere parta tueri. Offerebant autem *Danicæ* gentis pagani *Donaldo*, ſicut dudum ſuo prædeceſſori *Gregorio*, pacis ſecum inire fœdus adverſus *Anglos*, ut communibus undique vocibus inſultati facilius poſſent expugnari. Quod omnino Rex uterque renuens, hoc nuncquam licere reſpondit Chriſtiano principi, contra Catholicos, quamvis hoſtes, infidelibus opem conferre paganis, aut in aliquo conjurationis fœdere colligari. Cæterum poſt annos aliquot, quidam *Danorum* Rex, *Northumbrorum*, & *Eſtangliæ*, *Gurmundus* cum ſuis ab *Alfredo* rege baptizatus eſt, & eidem ſacramento conſtrictus: ſtatim poſtea nihilominus fidelitatis & amicitiæ præoptatum fieri fœdus à *Gregorio* tunc ſuperſtite, magna cum inſtantia procuravit. Itaque poſt mortem *Gurmundi*, filio ſuo *Ranaldo*, cognatoque *Sithrico* ſucceſſoribus, conſimilem pactum fœderum aſſidue flagitantibus, Rex iſte *Donaldus* ſponte per omnia conceſſit, licet eos indubie noverat, ſicut & *Gurmundum*, *Alfredo* feciſſe prius fidem. Per idem quoque tempus rege moram in auſtro faciente, maligni quidam latrunculi tranſmontanas partes crebris cædibus clam, palamque rapinis inquietare cœperunt. Quorum ut ſedaret malitiam, miſſis in auſtro militum præſidiis, mox illorum aggreſſus terminos, in villa de *Fores* brevi decumbens infirmitate quaſi ſubito deceſſit, an labore conſumptus an malignorum dolo potionatus dubitatur. In *Jona* quoque ſepultus eſt Inſula, diem expectans ultimam, in pace requieſcat ſempiterna. Ejus anno decimo Rex *Weſtſaxonum Alfredus* moritur, &

& *Edwardus* filius ejus ſucceſſit. Anno undecimo, viz. ultimo regnationis, Imperator *Arnulfus* obiit, ac *Ludovicus* ejus filius imperare cœpit; ſed ad coronam imperii non pervenit; aſſignantur ei tamen anni decem. Iſte vero finis fuit imperii, quantum ad poſteritatem *Karoli*, propriis culpis exigentibus.

XXI. *De ſucceſſione* Conſtantini *regis*, *filii* Heth Aliped, *& quod* Cumbriæ *dominium dedit* Eugenio *filio* Donaldi, *proximo ſibi ſperato ſucceſſori.*

CONſtantinus filius regis *Heth Alipedis*, *Donaldo* ſuccedens, anno Domini DCCCCIII. *Ludovici* primo, regnavit annis XL. Ipſo regnante duo reges *Anglorum*, ſupradictus viz. *Edwardus*, & ſuus filius nothus *Athelſtanus*, ſucceſſive regnantes, adverſus eum frequenter bellabant, tum propter opem *Danis* adhibitam, tum quia terrarum *Cumbrorum* viz. ac cæterarum in *Anglia* poſſeſſionum indigenas, ſibi fideliter & uſque bellum de *Brounygfeld* adhærentes, omni virtute protegebat. *Danicæ* vero gentis mobiliores vento reges, ſibi, ſicut & prædeceſſoribus ſuis, ſub eadem conjuratione fœderis & amicitiæ forma juncti ſunt; ſed duobus annis vix fide manentes, pacem cum *Edwardo*, ſubdolis ſeducti promiſſis, ad propriam fecerunt perniciem contra *Scotos*. Neque diu contractus hujuſmodi conditio tenuit, quin poſt quadriennium exorta quædam inter eos diſcordia, dubium quo caſu, ſed opinatur *Edwardi* ſcelere, qui terras eorum hoſtiliter invadens, per menſem integrum miſerabili ſtrage devaſtavit. Illi quidem neceſſitate coacti, nullam alicubi ſperantes opem quam reconciliandos ad priorem fœderis amicitiam *Scotos* diſcernunt, à quorum contubernio nuper *Edwardi* dolo receſſerunt. Igitur ad mitigandum quod in eis Rex *Conſtantinus* fixerat odium, nuncios mittunt, veniam humiliter imprecantes & pacem, nec unquam de cætero fœdus quodcunque, ſi tandem hoc reficere placuerit, ſuis rumpendum demeritis Sacramento pollicentur. Sic quidem exacta quæque negotia nuncii ſecum pro voto læti receperant, ira regis in pietate reformata. *Conſtantinus* autem anno regni ſui XVI. dedit *Eugenio* filio *Donaldi*, proximo ſibi ſucceſſori ſperato, regendum *Cumbriæ* regionis dominium, uſque quo regni *Diadema* poſt ejus mortem fuerit obtentus, ac eo rege coronato, ſuus hæres proximus ad idem ſuccedat dominium, & ſic ab hærede ſemper in regem coronato ſtatim ſuo ſucceſſori proximo dominium, hujuſmodi ſucceſſionis ritu, deinceps transferatur. Anno regni ſui XXII. mortuus eſt *Edwardus*, & illi ſucceſſit filius ejus nothus *Athelſtanus*, ex Opilionis filia genitus, poſtpoſito fratre, qui de jure regnaſſet, *Edwino*, miſerabili poſtea morti tradito; nam in navi ſine remige vetuſtate conſumpta, ſolus, unius hominis excepto comitatu, mari miſſus fuerat & demerſus. Hujuſmodi factis invidens quidem princeps *Elfredus*, adverſus *Athelſtanum*, regi *Conſtantino*, præfatoque *Sithrico*, ſe mox in omni fidelitatis ſocietate colligavit. *Conſtantini* quidem anno XI. *Ludovicus* Imperator obiit, & illi *Conradus Alemannus* quidam ſucceſſit, ac imperavit annis VII. tamen inter Imperatores non numeratur, nam imperiali caruit benedictione. *Conrado* ſucceſſit *Henricus* anno Domini DCCCCXX. & *Conſtantini* XVIII. Imperavit enim annis XVIII. nec ipſe computatur inter Imperatores, neque per Papam coronatus.

XXII. *De*

XXII. *De eodem* Conſtantino, *& de miſerabili crudelique bello de* Brounygfeld.

CUm autem *Ethelſtanus* prætactæ confederationis rumores audiſſet, motus immodice, nam adverſæ partis vires augeri, ſuaſque minui noverat, excogitare cœpit rem potius in occulto clam agere, quam in aperto dubios bellorum eventus experiri. Emiſſis ergo ſuis latenter ſuſurronibus, in aure *Sithrici* doloſe fraudem inſtillantibus, ipſum Sacramenti prioris immemorem, ſed & filiis ſuis hoc omnino prohibentibus, ſororis ſuæ fallaci connubio circumvenit; unde contigit quod novem minime vixit menſibus, ſed nequiter extinctus æſtimatur. Refert autem *Willielmus* quod *Sithricus,* poſt annum vita deturbatus, occaſionem *Athelſtano* dedit ut *Northumbriam* parti ſuæ jungeret. Et mox *Eboracum* obſidens, oppidanos nunc precibus, nunc ad deditionem ſollicitans, & pro voto neutrum expediens, abſceſſit. *Northumbriæ* quidem gentes & *Cumbriæ, Scotis* & *Danis* jam diu fideliter tamquam una gens conglutinatæ, libentius ſibi quam *Anglis* ſubjici curabant. *Sithrico* quidem ut ſupra de medio ſublato, filios ejus *Analafum,* & *Godofridum,* in principes ſibi *Northumbri* libenter ſuſcipiunt, qui ſtatim *Conſtantino* juncti, totis viribus impugnabant *Athelſtanum.* Igitur anno regni ſui XXXVI. Rex *Conſtantinus, Analafus,* & *Godofridus,* grandi nimis excercitu collecto, partes *Anglorum* auſtrales [invadunt,] cuncta vaſtando per quæ tranſierant, quoaduſque locum, quo tentoria fixerat *Athelſtanus,* qui *Brounygfeld* dicitur, adveniſſent. *Willielmus.* Poſtremum *Athelſtano* bellum fuit cum *Analafo, Sithrici* filio, *Scotorumque* rege *Conſtantino,* qui ſpe invadendi regni terminos tranſierant, *Athelſtano* ex conſilio cedente, ut glorioſius vinceret, jam inſultantes multum in *Anglia* tranſierant. Nec mora, phalangis utriuſque partis & aciebus intermixtis, crudeliſſimum commiſſum eſt bellum, & longe præ cæteris ſæviſſimum, vel antiquorum ſcriptis traditum, ſive præſentium memoriæ commendatum. Cæſi ſunt autem, ex parte victoris *Athelſtani,* præcipui duces *Elwinus,* & *Ethelwinus,* aliique duces duo, duo ſiquidem Epiſcopi cum multis nobilibus. Ex altera vero parte regulus *Deirorum Eligenius* cum aliis tribus, duces novem, ac vulgi partis utriuſque populus innumerus.

XXIII. *De damnis per hoc bellum gentibus* Scotorum *illatis, & de obitu* Conſtantini *in religioſo habitu.*

INfauſtus enim erat *Scotis* ille dies, nam quæque dominia, temporibus *Gregorii,* vel hactenus conquæſta, necnon XXXIV annis poſſeſſa vel amplius, hoc in die jure bellico ſunt amiſſa. *Willielmus.* Cecidit ibidem Rex *Scotorum, Conſtantinus,* magnæ quidem animoſitatis, & vivacis ſenectæ vir, reges quinque &c^a^. Hujus *Willielmi* poſitionis contrarium veraces & variæ produnt *Chronicæ,* quia, poſt hujus belli funeſtum excidium, regni ſceptrum quatuor regebat annis, ac deinde regno ſponte dimiſſo, religionis in habitu Deo ſerviens apud ſanctum *Andream, Killideorum* Abbas effectus, annis quinque vixit, ibique moriens ſepultus eſt. *Hyenſes* deinde Monachi, ſua ſtatim effodientes oſſa tulerunt, & in baſilica beati *Orani* patrum tumulo condiderunt, anno Domini DCCCCXLVII. Nec tenet igitur quod in bello *Brounygfeld* occiſus fuerat, cum poſt bellum annis novem ſupervixerit. De prædicto quidem *Athelſtano* rege, legenda miraculorum ſancti *Johannis Beverlaci,* quod ſequitur inter cætera ſcriptum reperi. Rex *Athelſtanus,* proficiſcendo bellandum contra *Scotos,* beatum *Johannem Beverlaci* viſitavit, ſuper cujus altare cultellum pro vadio poſuit, promittens, quod ſi

victor

victor rediret, cultellum digno pretio redimeret. Quod & implevit; nam in dimicando contra *Scotos*, rogavit Deum ut, prece ſancti *Johannis*, aliquod ſignum evidens oſtenderet, quo præſentes & futuri cognoſcere poſſent, *Scotos* de jure *Anglis* ſubjugari. Unde Rex cum gladio ſuo percuſſit ſcopulum quendam lapideum, juxta caſtrum de *Dunbar*, cujus ictu ſcopulus ad menſuram ulnæ cavatur, ut uſque diem patet hodiernum, hæc ibi; verum ex relatione magarum veterum, conſimilem truſam audivimus, *Arthuri* regis militi *Kayo* cum quodam enormi Cato dudum pugnaturo contigiſſe; videns namque Catus militem pugnaciter ſecum bellare paratum, magnæ rupis ſtandebat ad ſummum, atque deorſum deſcendens, ad pugnam mirabiliter ungues acuendo, variis & incredibilibus fiſſuris rupem cavit & amfractibus, Catum tamen, ut aiunt, *Kayus* interfecit. *Athelſtani* vero rupis fiſſuræ non habetur in populo memoria vel notitia, ergo &c^a^. Ipſo quoque anno belli obiit *Henricus*; & *Otho* filius ejus imperavit annis XXXVI. Hujus autem anno tertio viz. DCCCCXL. mortuus eſt *Athelſtanus*, & frater ejus *Edmundus* ſucceſſit, tenuitque regnum annis pene ſeptem.

XXIV. *De ſucceſſione regis* Malcolmi, *filii* Donaldi, *cui Rex* Anglorum Edmundus Cumbriam *reddidit*.

ANno quoque Domini DCCCCXLIII. qui fuit *Othonis* ſextus. Rex *Conſtantinus*, divinæ miſerationis inſpirante gratia, quæque mundana vanitati fore ſubjecta luculenter intelligens, ut ſupra patet, evacuata ſede regia, *Malcolmo*, filio *Donaldi*, locum regnandi dedit; quique regnavit annis IX. Porro poſt mortem *Athelſtani*, terrarum omnium indigenæ, quos ipſe bello de *Brounygfeld* ſuo dominio redegerat, ad priores Dominos *Scotos*, & *Danos* reſpirabant. *Northumbri* quidem *Analafum* ex *Hibernia* revocandum, ac regem denuo conſtituendum diſponunt. Quod cum ad *Edmundi* pervenit auditum, metuit ne forte populus *Cumbriæ Scotis* adhæreat, ut *Analafo Northumbri*, pro ea maluit amicum venari, quam ipſo invito crudelis eam hoſtis, & forte pro perpetuo, poſſideret; unde *Malcolmi* regis auxilium, ac animum placabilem, firmiter ſibi junctum, contra *Danos* habere deſiderans, totam ei *Cumbriam*, in perpetuum ſub fide jurata tradidit poſſidendam. *Willielmus*. Hoc tempore *Northumbri*, rediviva meditantes prælia, pactum, quod cum *Athelſtano* pepigerant, corrumpere, & *Analafum*, ab *Hibernia* revocatum ſtatuere regem. At vero *Edmundus* exiſtimans injurium, ſi non fraternæ victoriæ reliquias perſequeretur, copias contra deſertores *Northumbros* ductitavit. *Analafus* animum regis tentans deditionem ſui obtulit, ſed non diu barbaricus animus in ſententia manſit, quin & Sacramentum læderet, & Dominum irritaret. Quapropter anno ſequenti pullus perpetuo exilio pœnas luit. Provinciam, quæ vocatur *Cumbreland*, regi *Scotorum Malcolmo*, Rex ſub fidelitate jurisjurandi commendavit, hæc ille. Poſtmodum vero ſtatim inter eos concordatum eſt, & amborum conſilio decretum, ut in futurum, pro bono continuandæ pacis utriuſque regni, *Malcolmi* regis proximus hæres *Indulſus*, cæterorumque regum *Scotorum* hæredes, qui pro tempore fuerunt, *Edmundo* regi, ſuiſque ſucceſſoribus *Anglis* regibus homagium pro *Cumbria* facerent, ac fidelitatis Sacramentum. Inſuper itaque quod neuter eorum hanc barbaram aquilonis & perfidanam gentem ſuo receptet in regno, quoviſmodo protegat, auxilium præbeat, vel favorem, ſeu cujuſque rei gratia, ſub homagio ſuſcipiat fidelitatis. Et hæc omnia fuerunt in poſterum obſervanda. Rex uterque vinculo conjurationis alterutri eſt aſtrictus. Anno quoque *Malcolmi* quarto, Rex *Edmundus* à quodam latrunculo, quem una dierum in aula de malefactis exprobraſſet, in medio militum pugione perfoſſus interiit, & ſibi ſucceſſit *Edredus* frater ejus.

XXV. *De morte ejuſdem* Malcolmi, *& ſucceſſione regis* Indulfi, *& ſua morte per* Danos.

MAlcolmus autem Rex cum *Edredo* pacem habuit, facto ſibi prius homagio pro *Cumbria* per *Indulfum*: conſpirantes namque *Northumbros*, ac novum ſibi ſtatuentes regem, anno regni ſui quinto, *Malcolmi* regis fultus ſubſidio, crudeli cæde vaſtavit. Quod autem in magnum regni ſui damnum poſtea ceſſit. Nam *Norguigenſes*, & *Dani*, quos prius amicos diu & fœderatos habebat, in ejus & regni maximam offenſam excitati, maritimas undique regiones, & portus, multo tempore poſtmodum inſultabant. Solebat autem quolibet anno, ſi non majori præpeditus cura, regni peragrare provincias, judicium faciens raptorum, ac latrocinantium malitiam reprimens, & quantum hoc bonis placuit & modeſtis, tantum malignantibus, ac regiæ pacis ruptoribus, diſplicuit. Tandem conſpiratione quorundam, & ut Annales tradunt chronicæ, *Moravienſium* dolo, completis in regno novem annis, cum tribus menſibus, apud *Ulrim* occiſus eſt, & in *Jona* cum patribus ſepultus Inſula. *Malcolmo* ſucceſſit *Indulfus*, filius *Conſtantini*, filii *Heth Alipedis*, qui totidem, ut ipſe, regnavit annis, & anno Domini DCCCCLII. necnon *Othonis* primi XV. regnare cœpit. Ad *Cumbriæ* vero dominium, eo coronato, promotus eſt *Duffus*, regis *Malcolmi* filius, *Edredo* regi ſolita fidelitatis fide facta: anno deinde tertio, viz. *Indulfi* quarto, Rex *Edredus* obiit, & illi ſucceſſit *Edwius Edmundi* filius, vir deſes & inutilis, quamobrem à ſuis & pluribus habitus eſt quaſi derelictus. Redditus eo tempore *Danorum* ac *Noricorum* rumor ſperſus omnes inſulanos immodice terruit; nam *Scotos* non minus quam *Anglos* exoſos habebant. Nec mora, quod verebatur anno ſequenti verno tempore facto contigit. Claſſe quidem quinquaginta navium revecti, prout eos ventorum impetus agebat, nunc auſtrales nunc boreales regni plagas ſæpius crudelitate piratica vaſtabant: dum enim eis Rex in Borea nitebatur occurrere, popularis ſtrepitus ipſos Auſtrum vaſtantes ſucclamabat. Illis tandem una dierum, ut contigit, fuſis per cuneos, prope locum qui *Collyn* dicitur, vaſtando patriam, Rex in abdito, non procul à litore, ſtatuit inſidias, nam caſu fortuito cum paucis ibidem tunc aderat; ſed utinam non adeſſet. At cum prædones per agros, & villas turmatim diſperſi diſcurrerent, in eos vociferando concitus irruit, & pluribus occiſis, fugæ remedium reliquos arripere compulit. Ipſe domum, ut erat magnanimus, abjectis pro dolor armis, ut ocius inſequi fugatos poſſet, ex una navium ſpiculo capite percuſſus, eadem interiit nocte. Cujus, ut decuit honore, corpus ad Inſulam *Columbæ* delatum eſt, & conſueto regali tumulo progenitoribus conſepultum.

XXVI. *De ſucceſſione regis* Duff, *cujus poſt mortem corpus abditum fuit ſub ponte, nec ſolis radius illuxit in regno donec repertum fuit.*

POſtquam debite proſecutæ fuiſſent regis exequiæ, ſucceſſit illi *Duffus*, regis *Malcolmi* filius, anno Domini DCCCCLI. ſuperioris *Othonis* XXIV. quatuor annis & ſex menſibus regnavit. Erat enim vir columbinæ ſimplicitatis quietem diligentibus & pacem; rebellium quoque, prædonum, & latronum ſeverus ultor, terribilis, & cruentus. Tempus ſuæ regnationis ab exteris gentibus in pace tranſegit, aquilonales regni cives à propriis prædonibus oppreſſi ſunt, quamquam rigore juris eorum crebro nequitiam antea mitigaſſet. Igitur anno quinto partes paciſci cupiens, cum multis adiit, & in *Moravia*, villa de *Foras*, varios plectendo maleficos aliquamdiu moram traxit. Cum autem, ut ſolito, cuneos, & turmas, deſerta montium,

tium & ſilvarum ſcrutanda, paucis ſecum retentis, emiſerat ex ſuis ſecretioribus quoſdam vigiles, ſuique corporis die noctuque cuſtodes ſtatuit: at illi, quaſi nihil timentes, jocis, ludicris, & commeſſationibus regi nullatenus intendebant. Quod nephandis utique graſſatoribus minime latuit; unde mox, intempeſta noctis hora captata, regium intrantes cubiculum, minus caute repagulis firmatum, ipſum cum ſolo cubiculario lecto quieſcentem clam eripiunt; atque per abdita ſecum loca trahentes peremerunt. Corpus autem occiſi regis, nullo protinus veſtigio cruoris relicto, ſub cujuſdam pontis umbraculo juxta *Kyulos* imponunt, foſſa viridi terra ſubtiliter coopertum. Mirum dictu, ab hora deinceps, quouſque repertum fuerat, in omni regno *Scotiæ*, ſolis nequaquam illuxit radius; imò, quamdiu ſub ponte latuit, continua tenebroſitas mirabiliter operuit cunctis ſtupentibus totam humum. Invento poſtmodum quantocius corpore, ſol ipſo die ſolito clarius, ut videbatur, reſplenduit, flagitia revelans proditorum. Funus autem ejus ſcrinio locatum, & aromaticis conditum ſpeciebus, ad *Jonam* delatum eſt Inſulam, ibidem honorifice ſepeliendum.

XXVII. *De ſucceſſione* Culenii *regis & morte, & de quadam* Apocryfa Anglorum *chronicis inſcripta.*

Culenius filius *Indulfi* regis in regem ſuſceptus, anno Domini DCCCCLXV. & *Othonis* XXVIII. quique, ſicut prædeceſſor, quatuor annis & ſex menſibus regnavit. Ad regni vero regimen inutilis & remiſſus fuit, nihil regale, vel memoria dignum, ſuis diebus actum eſt. Nam ſpreto ſenſatorum conſilio, juvenum in omnibus inhærebat veſtigiis; quippe virginum violator præcipuus; in procerum ac privatorum uxores libidinoſus adulter; imitator in multis *Edwii* regis *Anglorum*, nuper defuncti, qui, ſecundum *Willielmum*, ipſo die quo in regem ſacratus fuerat, frequentiſſimo conſeſſu procerum, dum de rebus ſeriis & regno neceſſariis inter eos ageretur, è medio quaſi ludibundus prorupit in triclinium; in complexum meretricis devolutus. Iſte quidem, dum continue vitiis hujuſmodi flagitioſis totaliter animum daret, nec ab his aliquorum hortatu principum, aut clericorum, reduci poterat, omni indigenarum in ſe provocavit indignationem. Inter cæteros interea nefandiſſimos actus ſuos, cujuſdam principis, cui nomen *Eadhardus*, pulcherrimam filiam, quam quia ſibi ſponte pater tradere noluit, invite raptam violavit. Quapropter ab eo poſtmodum in brevi multorum gaudio peremptus eſt, dolore protinus perpaucorum. Tulerunt autem corpus ejus, & in Inſula *Jona* cum cæteris regibus ſepelierunt. Quoddam mirabile *Scotis* olim contingens tempore *Gregorii* ſcripſiſſem, ſed negligentia, fateor, hactenus omiſſum, hîc inſcribam verbotenus, ut in quadam legenda ſcriptum eſt. Ab anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIII. aliquanto tempore interjecto, gentes *Scotorum,* innumerabili coadunato exercitu contra *Northumbriæ* regem in pugnam, & *Lindiſfarnenſem* Eccleſiam inter cætera crudelitatis ſuæ facinora rapinis invadentes, & pacem ſancti *Cuthberti* infringentes, in momento ſubito hiatu terræ abſorptæ diſparuerunt. Facto namque mane, Rex & ſui in hoſtes irruunt, ſed mirabile dictu, quos modo contra ſe jacula mittere conſpiciunt, in eodem ſtatim momento nuſquam nec unum ex his inveniunt. Sicut enim vir Dei *Cuthbertus* regi ſpiritu prædixerat, coram eis terra vivos omnes deglutivit. Ut quid in talibus apocryfis aptaret pennam hiſtoricus, quibus fidem quilibet ſenſatus adhibere recuſat?

XXVIII. *De ſucceſſione* Kenethi, *filii* Malcolmi, *& diverſis contentionibus; de varietate ſucceſſionis tam Imperatorum quam Regum.*

SUcceſſit ei *Kenethus* ſecundus poſt monarchiam, *Malcolmi* filius, frater regis *Duff*, vir fortis & prudens, anno Domini DCCCCLXX. necnon *Othonis* ſæpe dicti XXXIII. Regnavit autem in pace feliciter XXIV. annis; & menſibus IX. Omni tempore regnationis ipſe, ſuique contemporanei reges *Anglorum*, *Edgarus*, ac ſui duo filii, beatus viz. martyr *Edwardus*, & *Ethelredus*, fideliter adinvicem diligentes, firmiſſimæ pacis & amicitiæ ſervabant alterutris communionem. Eo quoque ſtatim coronato, *Malcolmum*, filium *Duff*, ſucceſſione proximum, ſi vixiſſet, in regulum *Cumbriæ* libenter *Edgarus* recepit, ſub ſacramento fidelitatis conſueto. Hujuſmodi mutuæ pacis & amicitiæ pactum inter reges & regna, feliciter à regibus *Malcolmo Scotorum*, & *Anglorum Edmundo*, primitus initum, abſque contentionis aliquo ſtrepitu jugiter & inconcuſſe centum viginti perſeveravit annis, & amplius, etiam uſque *Willielmus* baſtardus invaſit *Angliam* & obtinuit. Erat enim *Edgarus* Rex feliciſſimus, pacificaciſſimus, liberaliſſimus, ac regibus vicinis & principibus munificentia communicativus; nec mirum, quia à ſanctiſſimi doctoris ſui pariter & rectoris *Dunſtani* monitis non receſſit. Anno quinto *Kenethi* regis obiit *Otho* primus, & illi ſucceſſit in imperio filius ejus *Otho* ſecundus, ac imperavit annis X. His diebus & antea, ſed & diu poſtmodum, incommoda plurima, de varietate ſucceſſionis regum & principum, diverſis mundi partibus emergere cœperunt. Nam hujus *Othonis* primi regnationis anno quinto, ſicut in hiſtoriali ſpeculo legitur, talis inter imperii principes quæſtio ſucceſſionis exorta eſt. Utrum viz. deberent, avis ſuperſtitibus, filii filiorum poſt patres defunctos hæreditare, an exhæredatis fruentibus, deberet hæreditas ad patruos redire. Ex *Othonis* quidem omnique principum ſententia, cognitio veritatis judicio gladiatorio commiſſa eſt. Ceſſitque victoria his qui dicebant, fratrum filios debere cum patribus hæreditare. Anno XV. *Kenethi* regis obiit *Otho* ſecundus, poſt cujus mortem inter imperii primates oritur itaque diſſenſio, de imperatore ſubſtituendo. Aliis filio ejus *Othoni* imperium deberi certantibus; aliis à filio ejus imperium transferre volentibus ad *Henricum* ducem, *Othonis* primi fratrem. Hic enim *Henricus* ipſum puerum *Othonem* factioſe raptim in cuſtodia tenuit, quem principes ex ejus extorquentes manibus, in regno ſublimant, & regnavit annis XIX. In *Galliis* ſiquidem, mortuo rege *Ludovico*, *Francis* regnum transferre volentibus ad ducem *Karolum*, fratrem *Lotharii* regis, ipſius *Ludovici* patruum: ſed dum ille rem ad conſilium differt, regnum uſurpat *Hugo*, filius *Hugonis* Comitis *Pariſienſis*, ex *Hawyde Othonis* primi ſorore.

XXIX. *De eodem* Kenetho, *& nova mutatione ſucceſſionis Imperatorum & regum* Scotorum.

ETiam ut pericula de cætero ſucceſſionis imperatorum evitentur, imperii principes unanimi conſenſu ſtatuerunt, quod, poſt iſtius *Othonis* tertii jam imperantis, ac eodem conſilio pro tribunali ſedentis, obitum, nullus, quocunque ſibi gradu, vel conſanguinitatis vel affinitatis attingens, ad imperium deinceps accedere præſumat, ſi non per officiales imperii præordinatos eligatur. Qui quidem officiales ſeptem ſunt viz. *Maguntinenſis*, Cancellarius *Germaniæ*. *Triverenſis*, Cancellarius *Galliæ*. *Colonienſis*, Cancellarius *Italiæ*. *Marchio Brandeburgenſis*, Præpoſitus Cameræ. *Palatinus* Dapifer. Dux *Saxoniæ* portans enſem. Pincerna Rex *Bohemiæ*. Unde verſus;

Magun-

Maguntinenſis, Treverenſis, Colonienſis,
Quilibet imperii ſit Cancellarius horum.
Et Palatinus *Dapifer; Dux portitor enſis.*
Marchio *Præpoſitus Cameræ; Pincerna* Boemus.
Hi ſtatuunt demum cunctis per ſecula ſummum.

His de mutatione ſucceſſionum rumoribus auditis. Rex *Kenethus* priſcorum regni ſui regum, hactenus intricate regnantium, ſucceſſionis ritum aboleri noluit, & ſobolem propriæ generationis, poſt quemlibet regem, præ cæteris regni diademate decorari. Habebat ipſe filium illuſtrem, *Malcolmum* nomine, cui regnum aſcribi propoſuit toto niſu. Statuit igitur omni conſenſu principum, paucis primitivæ ſucceſſionis fautoribus exceptis, ut regi cuique decedenti de cætero filius aut filia, nepos aut neptis, ſeu lineæ collateralis frater aut ſoror, aut ſaltem quiſquis alius regi decedenti ſuperſtes ſanguine proximus, ſuccedere debeat, unius diei licet ætatis infans, cum dicatur, ætas regis in fide ſubditorum conſiſtit: nulla lege deinceps in hujus contrarium prævalente. Anno *Kenethi* ſexto Rex *Anglorum Edgarus* obiit. Cui filius ejus ſanctus *Edwardus* ſucceſſit, & tribus annis cum dimidio regnans, *Elfridæ* novercæ dolo ſica perfoſſus martyrio coronatus eſt. Poſt quem frater ſuus *Ethelredus*, adeptum regnum triginta ſeptem annis, ut vult *Willielmus*, potius obſedit quam rexit. Ejus, inquit, vitæ curſus ſævus in principio, miſer in medio, turpis in exitu aſſeritur. Suam ignaviam prædixit ſanctus *Dunſtanus*, nam cum ipſe puſiolum in fontem Baptiſmi mergeret, alvi profluvio ſacramentum interpolavit, qua de re turbatus, per Deum, inquit, & matrem ejus, ignavus homo erit iſte.

XXX. *De* Baldredo Rivallenſi *Abbate, ſermonem regis* Anglorum Edgaris *recitante, contra male viventes in Eccleſia Dei.*

B*Aldredus* ſeu *Athredus Rivallenſis* Abbas, de ſermone regis *Edgari*. Cumque Rex *Edgarus* diligenter Epiſcoporum, Clericorum, & Monachorum, vitam & mores inveſtigatione pudentiſſima didiciſſet. Convocatis Eccleſiarum & Monaſteriorum ad ſe Presbyteris, cum eis hujuſmodi ſermonem habuit. Quum magnificavit Dominus miſericordiam ſuam facere nobiſcum, dignum eſt, ô patres Reverendiſſimi, ut innumeris beneficiis ejus dignis reſpondeamus operibus. Neque enim in gladio noſtro poſſedimus terram, & brachium noſtrum non ſalvavit nos, ſed dextra ejus & brachium ejus, quia complacuit illi in nobis. Juſtum proinde eſt, ut qui omnia ſubjecit ſub pedibus noſtris, ſubjiciamus & nos illi animas noſtras, & ut hi, quos nobis ſubdidit, ejus ſubdantur legibus, non ſegniter elaboremus. Et meum quidem eſt inter laicos cum equitatis jure tractare inter virum & proximum ſuum, juſtum judicium facere, punire ſacrilegos, rebelles comprimere, de manu fortiorum ejus inopem eripere, egenum & pauperem à diripientibus eum. Sed & meæ etiam ſollicitudinis eſt Eccleſiarum miniſtris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & neceſſaria procurare, & paci eorum ac quieti conſulere. De quorum omnium moribus ad vos ſpectat examen, ſi vixerint continenter, ſi honeſte ſe habeant ad ea quæ foris ſunt, ſi in divinis officiis ſolliciti, ſi ad docendos populos aſſidui, ſi victu ſobrii, ſi habitu moderati, ſi in judiciis diſcreti. Paci veſtræ loquor, Reverendi patres, ſi iſta ſolerti ſcrutinio ſcrutare curaſſetis, non tam horrenda & abominanda noſtras ad aures de veſtris Clericis perveniſſent. Taceo quod nec illis eſt corona patens, nec tonſura conveniens; quod in veſte laſcivia, inſolentia in geſtu, in verbis turpitudo, interioris hominis locuntur inſaniam. Præterea in divinis officiis quanta ſit negligentia? Cum ſacris vigiliis vix intereſſe dignentur; cum ad miſſarum ſolennia, ad ludendum vel ridendum magis, quam ad

pſallendum, congregari videantur. Dicam dicam quod boni lugent, mali rident, dicam dolens, ſi tum dici poteſt, quomodo defluant in commeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, ut jam domus clericorum putentur proſtibula meretricum, & concionabulum hiſtrionum. Ibi aleæ, ibi ſaltus & cantus, ibi, uſque medium noctis ſpatium, cum clamore protractæ ſunt vigiliæ & horrore.

XXXI. *De eodem Sermone.*

SIc ſic patrimonia regum, eleemoſinæ principum, imò, quod majus eſt, illius pretioſi ſanguinis pretium, profligantur? Ad hoc nonne theſauros ſuos exhauſerunt reges patres noſtri? Ad hoc Fiſcus regius detractis redditibus multis detinuit? Ad hoc Eccleſiis Chriſti agros, & poſſeſſiones, regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur, luxurioſa convivia præparentur, canes & aves & talia ludicra comparentur? Hæc milites clamant, plebs ſubmurmurat, mimi cantant, & ſaltant, & vos negligitis, vos parcitis, & vos diſſimulatis. Ubi gladius *Levi* & zelus *Simonis*, qui ut ſcorto abutentes filia *Jacob Sichimitas*, eorum habentes figuram, qui Chriſti Eccleſiam pollutis actibus fœdant, etiam circumciſos ſucciderunt? Ubi ſpiritus *Moyſi*, qui caput vituli adorantibus, etiam domeſticis ſui ſanguinis, non pepercit? Ubi pugio *Phinees* ſacerdotis, qui fornicantem cum *Madianita* confodiens, ſancta hac æmulatione Domini placuit iram? Ubi ſpiritus *Petri*, cujus virtute punitur avaritia, hæreſis *Symoniaca* condemnatur? Emulamini, ô ſacerdotes, emulamini vias Domini, & juſtitias Dei veſtri. Tempus faciendi contra eos, qui diſſipaverunt legem Domini Dei. Ego *Conſtantini*, vos *Petri* gladium habetis in manibus. Jungamus dexteras; gladium gladio copulemus, ut ejiciantur extra caſtra leproſi, ut purgetur ſanctuarium Domini, & miniſtrent in templo filii *Levi*, qui dixit patri & matri neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro illos. Agite, queſo, ſollicite; ne peniteat nos feciſſe quod fecimus, dediſſe quod dedimus; ſi viderimus illud non in Dei obſequio, ſed in peſſimorum luxuria, impunita conſumi libertate. Moveant nos ſanctorum reliquiæ, quibus inſultant; veneranda altaria, ante quæ inſaniunt: moveat vos anteceſſorum virorum mira devotio, quorum eleemoſinis veſania clericorum abutitur. Prædeceſſores & proavi noſtri quanta contulerunt Eccleſiis, veſtram Paternitatem non latet; quibus donariis altaria Chriſti cumulaverunt, meminiſſe vos decet. Habes, ô pater *Dunſtane*, habes hîc tecum venerabilem patrem *Ethelwoldum Wintonienſem* Epiſcopum, habes Reverendiſſimum præſulem *Wigornienſem Oſwaldum*, vobis iſtud committo negotium, ut, & Epiſcopali cenſura, & auctoritate regia, turpiter viventes de Eccleſiis ejiciantur, & ordinate viventes inducantur. Sentientes igitur beati patres manum regis bonam ſecum, ab Eccleſia *Wyntonienſi*, & *Wigornienſi*, & aliis pluribus, inhoneſte viventes expulerunt, inducentes viros religioſos, qui novo quodam ſplendore totum regnum illuſtrarunt. O vere beata tunc Eccleſia! quam tanta Monachorum, & Virginum, adornabat integritas; quam devotio plebium, moderatio militum, judicum æquitas, terræ fecunditas, lætificabant. Tunc enim homines Deo, terra hominibus, cœlum terræ, juſtitiæ fructu, aerum temperie, debitum præſtabant officium. Iſtum hîc regium inſcripſi ſermonem, ut volentibus cedat in exemplum.

XXXII. *De mirabili proditionis inſtrumento, pro eodem rege* Kenetho *decipiendo, & blanditiis verſutæ mulieris.*

ODerunt autem *Kenethum* regem, & filium ſuum, alterius ſucceſſionis principes, ſe jam privatos aſſerentes antiquitatis ſolito ſuccedendi titulo, quorum præcipui *Conſtantinus Calvus*, filius *Culeni* regis, & *Grime*, filius *Kenethi*, filii regis *Duff*, eorum continue mortem machinati, tandem ad ſcelus hujuſmodi complices inveniunt perpetrandum. Conſentiit actibus eorum, & conſilio, filia *Cruchne*, Comitis de *Angus*, cui nomen *Finele*, cujus unicum filium, ſive legis ſeveritate, vel facto, vel alio quovis eventu, neſcio, dudum apud *Dounuſynane* occidi juſſit. Hæc igitur verſuta mulier, in mortem regis ardenter aſpirans, inviſum antea quoddam decipulæ genus, in ſecretiori domunculo fieri fecit. Habebat enim affixas ex omni parte decipulæ baliſtas, ſingulis ſemper extenſas funibus, & acutiſſimis paratas jaculis, earumque medio ſtatuam in modum pueri ſtantem, artifice baliſtis annexam, quam, ſi quis quomodocunque motam tetigerit, ipſum, mox ſolutis undique baliſtarum laqueis, emiſſa ſtatim jacula terebrarent. Hujuſmodi quoque patrandi ſceleris opere perfecto, memorata ſuperius mulier nequam, regi ſemper vultum prætendens hilarem, verbis tandem doloſis blandiens decepit. Rex autem una dierum, cum paucis, nec procul à manſione propria, venatum pergens, filius hinc inde beſtias agitando canibus, juxta villam *Fethircarum*, qua manſit proditrix, venando, divertere caſu contigit, quem illa videns, flexis genibus, ſuam adire domum importune rogitat; alioquin, ait, apud tuæ majeſtatis gratiam infallibiliter reputo me ſuſpectam. Sed novit Deus, tuque Rex ſtatim ſcies, quod licet de me malignorum dictet multifarie mentiendo loquacitas, tibi ſemper & fui fidelis, & ero vita comite. Nam quicquid nequiſſimo filio meo nuper feciſti, non immerito ſed juſte factum optime novi. Et accurrens regis in aure ſuſurrat; proditores tuos, inquit, filii mei maledicti complices, tibi Domino meo, proditioniſque modum, dummodo mecum adveneris, explicabo. Me vero ſecum in tua deceptione conjuratam aſſociare ſperabant, ſed eorum nephandis aſſentire proditionibus ſtatim abnui: veruntamen me ſua nunquam ſecreta prodere, tactis evangeliis, Sacramento coegerunt: & quamvis hoc eis jurata promiſeram, tibi nihilominus, Domine mi Rex, cui præ cæteris firma debetur & legia fidelitas, falſiſſima fuiſſem & proditrix, diſcrimen tui corporis occultando. Nam contra regiæ majeſtatis ſalutem conjuratio nulla tenet, quis ignorat?

XXXIII. *De proditioſa morte ejuſdem* Kenethi, *& promotione filii ſui* Malcolmi *in dominium* Cumbriæ.

SIc quoque doloſa mulier regis animum callide ſeducens, ipſum, pro dolor! nimis ſibi credulum domicilio cunctis annitentibus ſecum traxit. Quid plura, quid in dolendis moror? Poſt deſcenſum ab æquo regem, ocius manu domo, qua latuit decipula, ſolum induxit, & quaſi proditorum arcana revelandi gratia, ſicut promiſerat, hoſtio retrorſum clauſo, ſtatuam ſibi, quæ totius pedicæ vectis fuerat, oſtendit. Illi quidem quidnam ſibi velit hæc ſtatua ſciſcitanti, reſpondit arridens. Hanc, Domine mi Rex, quam cernis ſtatuam, ſi quis ſui capitis tangendo moveret verticem, mirabilis ex ea ludus exiet & jocundus. Ille vero doli latentis omnino neſcius, ad ſe manu caput machinæ faciliter attrahens, baliſtarum vectes exſolvit & anſas, unde ſubito jaculis ex omni parte laxatis trajectus eſt, nec verbum amplius emittens occubuit. Illa deinde feſtina proditrix, per

poſticum

poſticum exiens, ad tempus ſe ſilvarum abdidit umbraculis. Sed paulo poſtmodum ſecura ſuos pervenit ad fautores. Comites quoque regii ſuum diu præſtolantes è domo reditum, quid inibi tardaret mirantur: denique pulſantes præ foribus diligenter januam, cum nihil audiſſent, furentes ipſam confregerunt. Cognito mox ejus interitu clamor ingens attollitur, etiam huc illucque quærendo maleficam fruſtra curritur, nec invenientes, neſcii quid agerent, oppidum igne conſumptum in cineres redigunt, ac cruentatum corpus regium ſecum ferentes, in *Jona* brevi poſtmodum, cum patribus more regio ſepelierunt. Ipſius *Kenethi* circa viceſſimum annum, poſtquam ſucceſſionis ſtatuta firmaſſet, defuncto *Malcolmo* filio *Duff*, *Cumbriæ* regulo, filium ſuum *Malcolmum*, ejuſdem Dominii regulum efficere volens, *Anglorum Etheldredo* regi miſit, à quo ſub prætactis, ut ſupra, fidelitatis & homagii conditionibus, ſponte ſuſceptus eſt.

XXXIV. *De ſucceſſione regum* Conſtantini Calvi, & Gryme *filii* Kenethi.

CRaſtino quoque die poſt regis mortem, *Conſtantinus Calvus*, filius *Culenii*, de quo ſuperius fit mentio, ducens ſecum quos habuit fautores, publica conſtitutione deſpecta, ſedem invaſit regiam, & paucis procerum annitentibus, capiti proprio regni coronam impoſuit, anno Domini DCCCCXCIV. & tertii *Othonis* undecimo. Quamobrem diutina ſequebatur, & magni temporis, incolarum diviſio, plebium ſtrages, turbatio cleri; magnatum etiam & regum miſeranda contigit cædes, ac multorum ſanguinis effuſio innocentum; & ut breviter concludam, regni finalem, ac totius *Scotici* generis, everſionem advenisse multi ſperabant, ſi non divinæ miſerationis pietas miſereri citius ſuæ dignaretur genti, licet multifarie peccatrici. Duravit interim iſta maledicta clades novem annis, & adeo pernicioſe, quod cui certantium, ſive *Conſtantino*, quia coronato, ſive cui jura favebant, *Malcolmo*, potius obediret, quiſquis penitus ignoravit. Tenuit ipſe regnum, poſtquam invaſerat, nec tamen pacifice, per annum & dimidium; nam jugiter illi moleſti fuerunt *Malcolmus*, ſuiſque patrinis Nothus nomine *Kenethus*, non ignotæ probitatis miles, qui totis viribus præ cæteris ipſum occidere tentabat, indefeſſus perſecutor. Non enim à propoſito deſtitit, donec uno die, ſive caſu ſive propoſito certum non eſt, in *Laudonia*, juxta ripam amnis *Amonde*, invicem obviantes, ad pugnam congreſſi, poſt multorum partis utriuſque cædem, ambo duces perempti ſunt; manum tamen ſuperiorem *Kenethum* referunt habuiſſe. Fugerunt interim, qui *Conſtantini* præſidio fuerant, ad *Gryme*, filium *Kenethi*, filii *Duff*, ſuum Collegam, quin & ipſe præcipuus priſtinæ ſucceſſionis executor ſecum fuit. Hic abſque mora, junctis ſibi benevolis, eo jure quo prædeceſſor, inſignia regia ſuſcepit, anno Domini DCCCCXCVI. ſed & Imperatoris *Othonis* tertii decimotertio; regnavit autem annis VIII. cum tribus menſibus. *Malcolmus* vero parum ante conflictum, dictante fortuna, *Cumbriam* adierat, & per quindenam vix ibi reſidens, audivit ab his qui dicta finaliter intererant pugna, de nece patrui, cæterorumque ſuorum fidelium, etiam & regni pervaſione. Igitur confeſtim rediens, congregatis quibuſcunque mox auxiliariis, *Gryme* tunc erectum in regem, & ſuos quoſcunque fautores multimodis vexabat incommodis: at ille toto niſu reſiſtens, eadem menſura ſibi ſuiſque, nec minore crudelitate, graviſſimum intulit damnum, & ſic ab utriſque miſerum & exile vulgus oppreſſum diu jacuit peſſundatum.

XXXV. *De*

XXXV. *De* Cumbriæ *regulo præfato* Malcolmo, *filio* Kenethi, *nolente tributum ſolvere* Danis *pro* Cumbris, *ſicut cæteri Provinciales ex* Anglia *fecerunt.*

ANte parum, & his itaque diebus, *Anglici Danis* tributa pro pace dederunt, primo decem millia, deinde ſexdecim, mox vigintiquatuor, & ultimo triginta millia librarum. Deinde Rex *Ethelredus* regulo *Cumbriæ* ſupradicto *Malcolmo* ſcribens per nuntium mandavit, quod ſuos *Cumbrenſes* tributa ſolvere cogeret, ſicut cæteri faciunt provinciales. Quod ille protinus contradicens reſcripſit, ſuos aliud nullatenus debere vectigal, præterquam ad edictum regium, quandocunque ſibi placuerit, cum cæteris ſemper fore paratos ad bellandum. Nam pulcrius eſſe dicebat, ac multo præſtantius, viriliter gladio, quam auro defendere libertatem. Hac cauſa quidem, & ſicut Rex in ira motus aſſeruit, eo quod regulus contra Sacramentum ſibi debitum *Danis* favebat, maximam ex *Cumbria* prædam arripuit, poſtea tamen concordes per omnia ſtatim effecti, pace firma de cætero convenerunt. Hæc autem *Cumbriæ* prædatio per regem *Ethelredum* facta fuit anno Domini M. regis vero *Gryme* anno quinto. Ejus autem anno ſeptimo, idem *Ethelredus* omnes *Danos* uno die, viz. ſancti *Bricii*, per totam *Angliam*, conſilio ducis *Edrici* proditoris, occidi juſſit, inter quos nobilem fœminam *Gunyldem*, regis *Swani*, *Dacoris* ſororem. Quamobrem furibundus poſtmodum *Angliam* adveniens, apud *Sandwik* applicuit, & in ultiones tanti ſceleris eam rapinis, & cædibus, ac provincialium eraſis opibus, & ad naves cum obſidibus deportatis, non ut Dominus,ſecunudm *Willielmum*, ſed ut tyrannus atrociſſimus totam enormiter deſtruebat. Octavo quidem anno dicti regis *Othoni* tertio ſucceſſit *Henricus*, Imperator primus electus, de cujus electione ſuperius habes capitulo ſeptimo; & imperavit annis XXII. Hic ſororem ſuam *Gillam Hungarorum* regi Salamoni dedit uxorem; erat enim hactenus idolatriæ deditus, ſed uxoris hortatu, cum tota gente ſua Chriſtianiſmum ſuſcepit & in baptiſmo mutato nomine, dictus eſt *Stephanus.* Cujus merita per *Hungariam* uſque diem hodiernum magna miraculorum gloria commendantur.

XXXVI. *De Conditionibus* Anglorum *notatis in Polychronicon, & de quadam Prophetia.*

TEmpore vero ſupradictæ Coronationis *Ethelredi*, ſanctus *Dunſtanus* hæc mala, quæ modo ſuperveniunt *Anglis*, ſpiritu prophetico pronunciavit, ſibi dicens; *Willelmus.* Quia, inquit, per mortem fratris tui ad regnum aſpiraſti, audi verbum Domini; hoc dicit Dominus Deus, Non delebitur peccatum ignominioſæ matris tuæ, & virorum qui interfuerunt illius conſilio, neque niſi multo ſanguine miſerorum provincialium. Et venient ſuper gentem *Anglorum* mala, qualia non paſſa eſt ex quo venit in *Anglia* uſque tempus illud. De conditionibus *Anglorum* polychronicon libro primo cap. ultimo. *Eugenius* Papa dixit, gentem *Anglicam* ad quæcunque fore vellet idoneam, niſi levitas animi impediret: & ſicut *Hannibal* negabat ſe poſſe vincere *Romanos* niſi è propria patria, ita gens *Anglica*, dum peregrinatur, ducibilis eſt, in ſedibus propriis facilius expugnatur. Et ibidem,gens iſta quæ ſua ſunt faſtidiens, vituperat propria, commendat aliena, de ſtatus ſui gradu vix unquam contenta, quod alterius congruit, libenter in ſe repræſentat. Imo nonnulli genus omne circumeuntes nullius generis ſunt; omnem ordinem attentantes, nullius ordinis ſunt: nam in geſtu ſunt hiſtriones, in affatu citharones, in convictu nebulones, in queſtu caupones, in apparatu

 ſunt

ſunt tirones, in lucris agri *Dædali*, in cubilibus *Sardanapalli*, in templis ſimulacra, in curiis tonitrua: ſed & in cunctis paſſim *Angligenis* tanta veſtium varietas, & apparatus multiformitas inolevit, ut neutri jam generis quilibet pene cenſeatur. De qua re prophetavit quidam ſanctus Anachorita, temporibus primis *Ethelredi* regis in hunc modum; *Henricus* libro ſexto. *Angli* quia proditioni, ebrietati, & negligentiæ domus Dei dediti ſunt, primo per *Danos*, deinde per *Normannos*, & tertio per *Scotos*, quos viliſſimos reputant, erunt conterendi. Horum quoque trium contagiorum duo, viz. proditionis & gulæ, per *Danos* primo, per *Normannos* ſecundo, verificata ſunt, tertium vero negligentiæ domus Dei per *Scotos* reſtat hactenus verificandum.

XXXVII. *De cauſa cladis per* Danos Anglis *illatæ.*

LIbet igitur prætactæ cladis *Danorum Anglis* illatæ cauſam, ad audientium ſive legentium futurorum cautelam, breviter his ſcriptis intimare. In tabula *Londonæ*; in *Anglorum* quidem eccleſia primitiva religio clariſſime reſplenduit, ita ut reges & reginæ, principes & duces, conſules & barones, ac eccleſiarum rectores, cœleſtis regni deſiderio ſuccenſi, monachatum, ſpontaneum exilium, vitam ſolitariam certatim appetentes, relictis omnibus, Dominum conſequerentur. Proceſſu vero temporis adeo in eis omnis virtus emarcuit, ita ut nulla gens proditione vel fraude eis conſimilis videretur. Nec erat eis inviſum aliquid niſi pietas & juſtitia; nec quicquid perviſum, niſi bella pluſquam civilia, & ſanguinis effuſio innocentium. Miſit igitur eis Deus omnipotens gentes paganas & crudeliſſimas, velut apum examina, quæ ne quidem ſexui muliebri aut parvulorum parcerent ætati, *Danos* ſcilicet & *Norguigenſes*, *Gothos* & *Swethedos*, *Wandalos* & *Friſos*, qui ab exordio regis *Ethelwlfi*, uſque ad *Normannorum* adventum, per annos ferme ducentos triginta, terram hanc peccatricem à mari uſque ad mare, & ab homine uſque ad pecus deleverunt. Sic quidem *Angliam* crebro & undique invadentes, non ſolum eam ſubjugare & poſſidere, ſed prædare & perdere ſatagebant. Qui ſi aliquando vincerent *Angli*, non proficiebant, cum alibi claſſis major & exercitus ex improviſo & ſubito adveniret. Nimirum dummodo reges *Anglorum* in plagam regni orientalem contra illos tenderent pugnaturi, antequam turmæ appropinquarent hoſtibus, dicens nuncius advolabat, quonam rex iter ſumis? ecce claſſis paganorum innumerabilis ex auſtrali parte regni littora occupans, urbes & villas prædans ferro, & quæque ſibi obvia & incendio conflagravit. Nec minus, imo rumor hujus ab oriente, vel occidente, aut aquilone ſuperveniens, omnem indigenis ſpem ſalutis ademit; ſicque tot malis ac rumoribus ſiniſtris reges cum abjectis cordibus diſſecantes contra hoſtiles incurſiones dubium certamen inibant: unde contigit ut quandoque cives quandoque vincerentur & hoſtes, unde quidam metrice,

Cernitur in geſtis Anglorum *plurima peſtis,*
Captivis, mœſtis, miſeris eſt Anglia *teſtis;*
Sunt nam bis bina, fraus, faſtus, guerra, rapina
Plana, quibus pœna manus eſt Anglis *aliena.*

XXXVIII. *De occiſione regis* Gryme *per* Malcolmum *filium* Kenethi.

INter *Malcolmum* filium, *Kenethi* de quo tactum eſt, & regem *Gryme* durante litigio, damna regnicolarum per annos octo continuata quis poterit in omnibus explicare, libentius tamen multo favet populus eis, qui per ipſum non per regem fiebant: nam in omni re militari, tam ſerio quam joco, nulli pene ſecundus in regno floruit. In vibrandis ſive jaciendis enſibus aut

lanceis

lanceis peritum, famem, ſitim, frigus, atque vigilias ad diu, quod mirum eſt, tolerantem, annales tradunt hiſtoriæ. Igitur per regni ſæpius peragrando partes, ab inſidiis *Gryme* ſe caute muniens, optimatum ſibi multorum conglutinavit animos, & ad ſuæ fidelitatis ſacramentum clam illexit: vulgus quoque reliquum, quia variis eum virtutibus ſciebat præditum, ac abilitate corporis & forma floridum, omni voto ſuum laudibus nomen & famam extollere cœpit, atque dignum ſe regno præ cæteris, quia viris potiorem etiam in aperto prædicabat. Hujuſmodi vero favore populi quorundamque principum inſtigatione roboratus, continuo mittens ad regem, per nuntios unum è duobus eligere mandat, ut vel evacuata ſede regia, coronam, quam hactenus ſicut ſuus prædeceſſor injuſte tenuit, abjiciat, aut campeſtri bello turmis bellantium ambo juncti, vel ſolus cum ſolo ſi placuerit, juſto ſe Dei committentes judicio confligere, quis eorum alteri ſubjici debeat quoquo jure. Unde multum *Gryme* indignatus, ipſum arbitrans non poſſe reſiſtere, confeſtim cum ſuis, in quibus confidebat, cum eo bellandum profectus eſt; at è contra, *Malcolmus* eodem propoſito cum paucis obviam ſed electis audacter pergens, opportunum uſque bellandi devenit campum, cui nomen *Athnebard*, in quo ſignis utrinque collatis congreſſi, bellum crudele de tantis agminibus commiſerunt. Rex tandem pugnando fortiter mortali vulnere ſauciatus, & à ſuis è bello repente ductus, eadem interiit nocte: & cæteri quidem omnes ſuæ partis hæc videntes fugerunt, ſicque felici ſucceſſu *Malcolmus* triumphum obtinuit atque regnum. Poſtera vero die, cum de morte regis verum audiſſet, ſuis præcepit familiaribus ut nihil timentes funus ejus tollerent, & in ſepulchro regum inſula *Jona* ſepelirent.

XXXIX. *De ſucceſſione regis ejuſdem* Malcolmi, *& filia ſua* Beatrice *nupta* Crynyn Abthano *de* Dul.

POſtquam vero *Malcolmus* victoriam, ut præmittitur, obtinuiſſet, non ſibi ſtatim nomen aſſumpſit regium, ſed convocatis regni principibus, coronam ab iis ſibi dari, ſi jura permitterent, nec alias, humiliter exegit; ac illi regiæ ſucceſſionis legem, patris ſui diebus ſtatutam, per omnia ratam habentes, ipſum repente regem conſtituunt, regni diademate coronatum: regnare cœpit anno Domini MIV. ac Imperatoris *Henrici* ſæpe dicti ſecundo, regnavitque annos XXX. Fortis bellator, & victor cujuſque gentis continue ſuam molientis audaciam experiri: non eum ipſum aliquam habuiſſe ſobolem legimus, præter unam filiam nomine *Beatrice*, magnæ ſtrenuitatis & potentiæ viro nuptam, *Crynyn Abthano* de *Dul*, inſularum Seneſcallo; de quo quibuſdam annalibus, vitio ſcriptoris, reperitur *Crynyn* Abbas de *Dul*; ſed verius ſcripſiſſet *Abthanus* de *Dul*: derivatur autem *Abthanus* ab *Abba* quod eſt Pater, vel Dominus, & *Thana*, quod eſt reſpondens vel numerans, unde *Abthanus* quaſi *Thanorum* ſupremus, ut eorum ſub Rege dominus, cui tenentur annuatim de ſuis firmis & redditibus domino Regi debitis reſpondere. *Abthanus* autem regales habet numerare redditus, & Fiſcalia, velut officio fungens Iconomi ſive Camerarii. Idem autem *Abthanus* ex uxore ſua filium genuit, nomine *Duncanum*, qui poſtmodum avo ſuo decedenti regno ſucceſſit, ut infra patebit. Iſte *Malcolmus*, ubilibet Deo favente, tanta victoriarum hoſtes vincendo triumphavit gloria, quod in omnibus ipſe quibuſcunque ſui fit mentio ſcriptis, ſemper pro titulo Rex victorioſiſſimus appelletur. *Danorum* vero piratas ſæpe de navibus ad terram egreſſos, & partes regni mari contiguas deprædantes, ternis vicibus caſu fœliciter circumventos devicit: ſemel etiam ab indigenis, eo tamen abſente, fugati ſunt. *Othredum* itaque Comitem *Anglicum*, ſed *Danis* ſubditum, cujus inter eos ſimultatis exortæ cauſam neſcio, *Cumbriam* prædari conantem, receptis prædis, juxta *Burgum* bello difficili ſuperavit. Primis pene diebus poſt ſuam coronatio-

nem in aquilonis partibus, grandi navigio *Norguigenſium* exercitus adveniens, & moram inibi deſtruendo diu protelans, per eum bello noctu deletus eſt, adeoque pauci, nautis exceptis, evadentes belli cladem, domi cæteris nunciarunt, triginta de ſuis tantum perdidit: unde diu poſt hoc bellum ab eorum incurſu terra ſiluit. Conſimilis olim belli victoria *Gneo Pompeio* contigit, cui delatum eſt bellum a ſenatu contra *Mithridatem*, minoris *Armeniæ* regem, quem ut refert *Eutropius*; nocturno prælio vicit, caſtra diripuit, quadraginta millia ſuorum occidit, viginti de ſuo tamen exercitu perdidit, & duos centuriones.

XL. *De eodem* Malcolmo, *& fundatione Epiſcopatus* Marthillach, *nunc vero tranſlati apud* Abirdon.

D*Anis* atque *Northumbris*, qui tunc velut una gens coierant, *Cumbriam* vaſtantibus, adventus eorum aliquando per nepotem *Duncanum*, rex præviſus occurrens, magnam exercitus partem miſera cede proſtravit: dederat enim ei *Cumbriam* antea, regis *Ethelredi* conſenſu nondum obtento, quia tranſitus ad regem per regnum ſecurus non erat, tamen ob metum *Danorum*; qui tunc per regnum adeo libere vagabantur, ut per quinquaginta milliaria prædam ad naves conveherent, nullas provincialium formidantes inſidias, tum ob indigenarum proditionem, qui nec ſuo regi, ſecundum *Wilielmum*, ſervabant fidelitatem. Idem *Willielmus*; ſi quid, urgente neceſſitate, rex & duces arcanum utile decreviſſet, ſtatim ad *Danos* deferebatur per proditores, quorum præcipuus defamatur *Educus*, quem rex comitatui *Merciorum* præfecerat, fex hominum, & dedecus *Anglorum*, verſutus nebulo, diſſimulare cautus, fingere paratus, conſilia regis ut fidelis venabatur, ut proditor diſſeminabat, ad hoſtes ſæpe miſſus pacis mediator pugnam accendit. Anno regni ſui VII. de multimodis ſibi collatis à Deo beneficiis continue recolens, quid illi retribueret mente ſolicitâ revolvit, ſpiritus ſui tandem operante gratia, divinum augere cultum corde concipiens, novam Epiſcopalem conſtituit ſedem apud *Mirthillach*, non procul à loco quo ſuperatis *Norguingenſibus* victoriam obtinuit, eccleſiis ac prædiorum redditibus plurimis prædotatam. Hujus autem Diœceſis ſive territorium, ab amne ſive fluvio, qui dicitur *Dee*, tranſverſum protendens uſque fluvium de *Spee*, dirigi voluit. Ad hanc ſedem primus Epiſcopus vir ſanctus & epiſcopatu dignus, cui nomen *Reyn, Ethelredus* vir ſanctus, ad Regis inſtantiam à domino Papa *Benedicto* promotus eſt. Anno XIII. obiit, vir ſecundum *Wilielmum* miſeriis & laboribus natus, cui ſucceſſit filius ejus *Edmundus Irynſide*, ex filia *Thoreti* comitis genitus, & anno ſecundo proditione prænominati proditoris *Educi* nequiter occiſus eſt, de quo prolixior libro ſequenti ſermo fiet. Poſt quem *Cnuto Danus Suani* filius ab omni ſtatim *Anglia* ſuſceptus eſt in regem, expulſis interim veris hæredibus, dicti ſcelere proditoris, ut idem liber ſubſequens declarabit. Anno XXII. Domini, viz. MXXV. primus electus Imperator *Henricus* obiit, cui ſuccedit *Corradus* ſecundus, annis XV. imperavit. Anno *Corradi* VIII. *Cnuto* rex *Romam* peregrinatione proficiſcens, ac ibidem eleemoſinis peccata redimens, poſt aliquanti temporis ſpatium in *Angliam* eſt reverſus.

XLI. *De contentione regis* Malcolmi *contra* Cnutonem Danum *tunc regem* Angliæ, *& ejus morte.*

NOn enim hactenus *Anglorum* regi *Cnutoni*, quia regnum invaſerat, pro *Cumbria Duncanus*, quamquam iterum & iterum ab eo ſummonitus, homagium fecerat, quia non inde ſibi de jure, ſed regibus *Angligenis* fidem deberi rex reſcripſit. Quapropter à *Romana* peregrinatione rediens, confeſtim magna

magna cum armorum potentia, *Cumbriam* ſuo ſubdendam dominio pedetentim advenit; cui rex forti præſidio ſuffultus obviam perrexit, æque per omnia paratus ad pugnam: ſed, Deo volente, Præſulum ac cæterorum interventu proborum, ad hanc quæ ſequitur adducti ſententiam conveniunt, ut viz. regis nepos *Duncanus*, *Cumbriæ* dominio libere, ſicut prædeceſſorum aliquis liberius tenuit, de cætero gaudeat in futurum; dumtamen ipſe, futurorumque regum hæredes, qui pro tempore fuerint; regi *Cnutoni* cæteriſque ſuis ſucceſſoribus *Anglorum* regibus, fidem conſuetam faciant; & ſic abeuntes in pace diſcedunt per omnia concordati. Præcedentium nempe duorum regum, *Conſtantini* ſcilicet & *Gryme*, qui juſte per eum & ſuos, ut putabatur, occiſi fuerant, quidam ex ſtirpe progeniti, nequando ſe rex ſuſpectos habeat, ejus doloſe flagitant amicitiam, nec aſtricti, fidem ſibi firmam jurantes, quæ ſemper & hoſti publico ſervari convenit, ſuum nihilominus ſpirabant ad interitum. Illorum autem animos & ipſe ſibi benevolos inducere volens ſæpius eos donis & redditibus ditare laborat, ſed in vanum; nam ea raro, quæ duris radicata ſunt oſſibus evelli poterint molli carne. Factum eſt autem poſtea, dum quadam die ſolita cum equitum curia, neſcio quo vel quid agendum negotii, per viam qua tenderat profectus eſt; quod perfidis graſſatoribus, inveſtigatione diligenti præhabita, verum patuit, & orbitam juxta *Glarmis*, per quam iturus eſſet, ſatellitum ſuorum latrunculis intempeſtæ noctis obſtruentes, ipſum nihil hujus tyrannidis præmeditantem, ex inſidiis effuſi ſubito circumveniunt: at ille quidem imperterritus cum ſuis in eos audacter irruens, mox copias eorum, quæ ſuis trities plures fuerant, occiſis proditorum majoribus, victoria lugubri ſuperavit; Rex, proh dolor! in pugna vulneratus, per tres dies ſupervivens, cruoris tandem profluvio qui ſiſti nequeat, in mortem, cunctis dolendam *Scotigenis*, octogenarius & ſupra reſolutus eſt. Sic quidem fœlicitatis victoriæ munus, quod Deus viventi frequenter contulit, etiam & morienti grate eidem id donavit.

XLII. *De vitio proditionis, omnium vitiorum viliſſimo, & ab omnibus execrando, & de variis exemplis maledictæ proditionis.*

NEque vero tantæ probitatis & excellentiæ rex, tantæque fortitudinis invictæ princeps, necnon tantæ virtutis & audaciæ miles evadere poſſet, quin ſceleratorum occumberet ſævitia proditorum. O nefanda proditorum rabies! O maledicta proditionis occultæ conditio, quæ nunquam præter in ſe confidentes, & quos fide tenetur, præcipue decipit! O malum malorum omnium incomparabiliter fœdiſſimum, & cunctis hominibus execrandum! Vere proditor, quia fidem perdit, homo non eſt, nec alio nomine dignus, quàm renunciando fidem quam ſponte ſuſcepit, hoc eſt proditor. Fides, dicit Philoſophus, firmiſſimum humani pectoris bonum eſt, nulla neceſſitate fallendum cogitur, nullo præmio corrumpitur, qui ſine fide eſt omni vero bono vacuus eſt. Error iſte, quem odire debet quicquid odire poteſt; in hoc errore detenti, quantum ad hoc, dæmonibus deteriores ſunt. *Auguſtinus.* Qui palam adverſarius eſt, facile cavendo vitari poſſit; hoc occultum malum & domeſticum opprimit antequam præviderı poſſit. *Eleutherius* Papa; Nec calumnia, neque vox proditoris audiatur. *Jeronimus.* Regibus & principibus ſervare fidem oportet, quia qui non exhibuerit, apud Deum invenire præmia non poteſt. *Ambroſius.* Caveamus proditorem, ne per unum multi fluctuemus. *Petrus Bleſenſis.* Nihil deteſtabilius eſt nota proditionis in militibus: licet Joab omnia feciſſet fortiter, non tamen computatur in catalogo fortium *David*, quia fortitudinem ejus proditio in *Abner* & *Amaſam* denigravit. Sola fidelitas eſt, quæ dilatat principis & populi gloriam, quæ pacem firmat, & terrorem incutit inimicis. Abhorrent utique ſubditi divinis legibus, vel quibuſcunque fidem debeant, ſeu quomodolibet,

libet, aliis in ſe confidentibus proditionem inferre, ſcientes firmiter, juſtum Judicem, vel hîc, vel in futuris latebris, horribiliter hoc ulturum, exemplo maledicti *Judæ*, qui poſtquam Filium Dei Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, cui non latuit ejus proditio, tradidiſſet, de ſeipſo nutu Dei vindictam ſumpſit, nam ſtatim abiens & laqueo ſe ſuſpendens, crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia ejus viſcera, cujus diſcipuli cæteri quique proditores merito reputantur; Deus itaque juſtus judex. De proditioſa pagani morte *Julii Cæſaris* vindictam ſcripſit *Suetonius*; Percuſſorum *Cæſaris*, fere neque triennio quiſquam amplius ſupervixit, nec ſua morte defunctus eſt; damnati omnes, alius alio caſu periit, pars naufragio, pars prælio, nonnulli eiſdem pugionibus, quibus *Cæſarem* violaverunt, ſeſe crudeliter interemerunt. Caveant ergo ſibi proditores, ne quemquam Chriſtianum prodant Principem, ſeu quemvis alium in ſe confidentem, ob metum juſti Judicis, qui tantam exercuit in proditores vindictam pro pagano. Sequitur exemplum quam pulchra ſit in homine fidelitas, & quam vilis proditio: olim vero pro captivis *Romanorum* redimendis *Fabricius Epirorum* regi *Pirro* miſſus eſt, quem cum pauperem cognoviſſet, quarta parte regni promiſſa ſolicitare voluit, ut ad ſe dimiſſa patria tranſiret, quod contemptus eſt à *Fabricio*. Interjecto quidem anno, idem *Fabricius* cum exercitu pugnandi directus eſt contra *Pirrum*; & cum ejus & *Fabricii* caſtra vicina fuerant, *Pirri* medicus ad eum nocte venit, promittens veneno ſe *Pirrum* occiſurum, ſi ſibi aliquid polliceretur; quem *Fabricius* vinctum ad dominum reduci juſſit, *Pirroque* dici quid contra caput ejus ſpopondiſſet: tunc rex admiratus dixiſſe fertur. Iſte eſt *Fabricius*, qui difficilius ab honeſtate quam à curſu ſuo Sol averti poteſt. Ecce duo valde diſſimiles, quorum alter nullo beneficio, non quarta parte regni, licet pauper, redimi potuit hoſti favere contra patriam, nec proditore voluit ut hoſtem vinceret; alter vero dominum regem ultro mercatum obtulit levi pretio.

XLIII. *De liberalitate regis* Malcolmi, *ſeu potius prodigalitate, quia ſibi nihil de regno retinuit, præter monticulum in* Scona.

PRæfatum quoque *Malcolmum* in donis adeo largum fuiſſe, vel potius prodigum, ut cum omnes totius regni certas regiones & provincias ritu priſcorum, in propria poſſeſſione tenuerat, nihil inde poſſidendum ſibi retinuit, præter regiæ ſedis *Sconæ* monticulum, qua reges amictu regali ſedentes in throno, judicia, leges, & ſtatuta ſubditis ſoleant propalare. Antiquitus vero conſueverant reges ſuis dare militibus plus aut minus de terris ſuis in feodofirmam, alicujus provinciæ portionem vel thanagium: nam eo tempore totum pene regnum dividebatur in thanagiis; de quibus autem cuique dedit, prout placuit, vel ſingulis annis ad firmam ut agricolis, vel ad decem annorum, ſeu viginti, ſeu vitæ terminum, cum uno ſaltem aut duobus hæredibus, ut liberis & generoſis, quibuſdam itaque, ſed paucis, in perpetuum, ut militibus, thanis, principibus, nec tamen adeo libere, quin eorum quilibet domino regi perſolveret annuatim certum cenſum: de quibus terris omnibus & annuis redditibus, cum ſibi nihil ut dictum eſt reſervaſſet, generali tandem curia neceſſitate coactus, quoddam ab eis emolumentum regiæ dignitati congruum provideri petiit, aut terras, viz. aut redditus ut competens ſaltem annale ſubſidium, quo ſuæ majeſtatis per omnia ſuſtentetur honeſtas; ita tamen quod imbecillis plebicola contributionis annuæ nullatenus gravi deprimatur onere: quod autem ab omnibus gratanter tam plebe quam nobilibus approbatum eſt & conſenſum. Inſuper & cuncti nobiles cujuſque ſtatus annuunt, quod omnium terrarum ac hæredum ſuorum cuſtodia domino Regi per annos viginti remaneat, una cum releviis & maritagiis cujuſcunque

cujuſque principis, aut libere tenendis poſt deceſſum. Rex enim iſte *Malcolmus*, licet pace quam bello magnanimis, & quod inconſulte ſua diſtribuit videtur; non quia bene meritis ſecum bellis militantibus, & dignis, dona gratis decentia dederat: ſed quia prodigus, omiſſo largitatis tramite; non ſuæ partem poſſeſſionis, immo totam, nihil ſibi retinens diſſipavit. Inconſulte ſatis fit illa donatio, quam neceſſaria ſequitur donorum repetitio. Unde *Bernardus*, Si ſtultus eſt qui partem ſuam deteriorem facit, quid ille qui penitus ſe reddit vacuum, ut de bonis ſuis nullam ſibi partem reſervet? *Gregorius*. Quibuſdam inopiam ferre non valentibus, tollerabilius eſt minus dare, quam poſt largitatem ſuam ex inopiæ anguſtia murmurare. *Seneca*. Cave ne beneficium tuum majus ſit facultate tua; ineſt enim tali liberalitati cupiditas capiendi, ut ad largiendum ſuppetant copiæ; ſequuntur enim ſæpius talem largitionem rapinæ, cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur, & odia majora eorum aſſequuntur quibus ademerunt, quam eorum favores quibus dederunt.

XLIV. *De ſucceſſione regis* Duncani, *nepotis ſupradicti* Malcolmi *& ejus morte, & quod fuit nimis patiens ſive remiſſus.*

SEpulto quoque *Malcolmo* cum patribus in inſula *Jona*, ſucceſſit *Duncanus* nepos ejus, quem *Abthanus Crynyn* genuit ex filia *Beatrice*. Cœpit anno Domini MXXXIV, necnon Imperatoris *Corradi* ſecundi decimo. Regnavit autem annis ſex; cujus anno ſecundo *Cnutus Anglorum* rex obiit, & ſibi filius ejus *Haroldus Harefoot* ſuccedens, quinque regnavit annis. Obiit etiam eodem anno *Normanniæ* dux *Robertus*, cui ſucceſſit filius ejus nothus *Willielmus*, dictus *Baſtard*, puer ſeptennis, qui poſtmodum invaſit *Angliam*; cui contradicentes *Normannos Henricus Francorum* rex ejus tutor bello vicit, & ipſum in brevi ducem conſtituit. Genuit autem *Duncanus*, avi ſui diebus *Sywardi*, ex conſanguinea *Sywardi* comitis, duos filios, *Malcolmum Chammore*, latine vero *Groſſum Caput*, & *Donaldum Bane*, cui *Malcolmo Cumbriæ* regionem pater ſtatim ut coronatus eſt donavit, per hoc breve regnationis ſuæ tempus, nihil actum eſt unde mentio fieret, quia firmam ex omnibus, tam exteris quam regnicolis, pacem habuit, præterquam ex antiqua conſpiratorum familia quoſdam rumor parſus defamat, in ſuum ſicut & avi predeceſſoris interitum conſpiratos. At licet hoc ſibi revelatum ſæpe fuiſſet à fidelibus, fidem eis adhibere renuit, dicens non eſſe credendum eos tantum facinus auſuros perpetrandum. Unde contigit, ut qui prius fidelium dictis incredulus cedere nollet, in perfidorum poſtea laqueis ſubito cecidit inprovifus: inerat enim ei laudabilis conſuetudo, regni pertranſire regiones ſemel in anno, pacificum & peculiarem populum ſua benigne conſolari præſentia, minorum etiam à majoribus contra leges oppreſſorum offenſas corrigere, injuſtas officialium & inſolitas exactiones cohibere, itaque ſævientium in populo prædonum, & aliorum delinquentium malitiam, diſcreta quadam ſeveritate compeſcere, regnicolarum inteſtinas ſedare diſſentiones: & hoc illi præcipue bonum innatum erat, quod nullum unquam in regno, vel avi vel ſuis diebus inter principes inſurgere paſſus fuit diſſidium, ſed ſtatim audiens prudenter concordiam reparavit. Hic autem occiſus eſt ſcelere generis occiſorum tam avi quam proavi, quorum præcipuus erat *Machabeus* filius *Finele*, à quo latenter apud *Lochgoſnane* vulneratus ad mortem, & apud *Elgyn* delatus, occubuit: poſt paucos vero dies inſula *Jona* ſepultus eſt. Erat enim rex, ut videtur, nimium patiens ſive remiſſus, in hoc quod non rumore culpator, ſeu quoviſmodo ſuſpectos, ad amicitiam blande liniret, vel ſedaret legibus, vel ſaltem diſſimulando ſe cautius muniri feciſſet. Imperatori quoque *Veſpaſiano* patientia multum ſimilis; qui cum multas conjurationes contra ſe, etiam patefactas, ingenti diſſimulatione contempſit, quoſdam tamen contra ſe reos læſæ majeſtatis, ad pœnam exilii, ſed non ultra, punivit.

punivit. Sed in hoc & alicui pœnam intulit filio ſuo *Tito*, ut rege ſenior fuit, porro *Titus* Imperator vix omnium virtutum genere mirabilis, adeo quod amor & deliciæ humani generis diceretur: tantæ civilitatis & clementiæ fuit, quod nullum omnino punierat; convictos adverſum ſe conjurationis nota dimiſit, & in eadem familiaritate quam prius habuerunt, verumtamen puto diligentiori cura de cœteris ſe munivit.

XLV. *De ſucceſſione regis* Machabei, *& ejectione filiorum* Duncani *regis de regno in* Angliam.

IDem deinde *Machabeus* malignorum vallatus turmis, & opibus præpotens, regali dignitate potitus anno Domini MXL. regnavit annis XVII. Eodem anno *Corradus* Imperator obiit, & illi tertius *Henricus*, qui dicitur *Pius*, ſuccedens, imperavit etiam annis XVII. Verum rex *Machabeus*, poſt regis *Duncani* mortem, filios ſuos *Malcolmum Cammore*, qui ſibi ſuccederet, & *Donaldum* fratrem, totis perſequendo viribus occidere nitebatur: at illi pro poſſe reſiſtentes, per annos pene duos ſperando victoriam in regno manſerunt, paucis ex populo vel illi vel illis opem publice conferentibus. Cum igitur non diutius contendere auderent, *Donaldus* inſulas, *Malcolmus* vero *Cumbriam* adibant, quia evidentius eis mori patuit quam vivere, ſi manſerint. Deinde vero *Malcolmus*, conſilio *Swardi* comitis in omnibus ibidem agendis uti volens, ad eum perrexit, & eo ſtatim conſulto ſimul & ductore, præſentiam regis *Edwardi* qui tunc regnavit petentes, ad ejus amicitiam promiſſumque juvamen, quia multum erat miſericors & mitis, libenter aſſumptus eſt, nam ut ipſe modo, nuper & exul ille fuit. Reſidenti quidem in *Anglia* per annos ferme XIV ſæpius ei reditum tam æmuli quam amici ſuadentes; æmuli quidem ut eum perderent; & ut in regnum ſuſtollerent amici laborabant. Quidam vero regni majorum his diebus ſuſurrantes de *Malcolmo* revocando, cum regni fuiſſet verus hæres ſæpe collocuti ſunt, ſed palam nimis, ideoque nihil omnino perfecerunt: nam quod in aure quorundam aliquando locutum eſt, alium alio prodente, regi dictum eſt in aperto. Quamobrem eorum plures, & quos ei præcipue noverat amicitia propinquos, voto conſpirationis addictos, variis damnavit incommodis, quorum alios morti tradidit, alios ſqualori carceris intruſit, alios confiſcatis quibuſque bonis, ad ultimam induxit egeſtatem: nonnulli quoque regis feritatem metuentes & judicium, de regno, ſub ſpe tamen aliquando revertendi, fugerunt, relictis prædiis, liberis pariter & uxoribus. Anno quoque *Machabei* primo, poſt obitum *Anglorum* regis & *Danici* generis *Haroldi Harefoot*, ſucceſſit frater ejus *Hardcanutus*, rex in *Anglia Danici* generis ultimus, & regnavit annis duobus. Hic quidem ſtatim poſt coronationem, fratrem ſuum præfatum *Haroldum* effodiens de tumulo, capite truncato, *Thamenſi* projecit in flumine. Poſt obitum cujus ſanctus *Edwardus* confeſſor, filius *Ethelredi*, frater *Edmundi Irnſyde*, qui diu *Normannia* deguit exul, *Angliæ* regnum adeptus ſucceſſit, & annis XXIV. regnavit.

XLVI. *De proſcriptione* Thani *de* Fyf, *nomine* Macduf, *propter amicitiam quam habuit erga filios* Duncani, Malcolmum *dictum* Cammor, *&* Donaldum.

UT *Malcolmum* promoveret in regem, omnium laborantium major atque præcipuus vir erat egregius, nobilis, & fidelis, nomine *Macduf*, *Thanus* de *Fyf*, qui cautius cæteris atque diutius incognitum animi celavit propoſitum, aſſidue tamen culpatus apud regem, ſuſpectus tandem habitus eſt. Prætereuntis interea temporis die quodam, rex occaſione ſumpta, quid cauſæ neſcio, ſibi crudelius ſolito, fortaſſis ex infidelitate ſibi contermina, prius improperans, deinde palam adjiciens, quod ejus ſub jugo collum, ut bovis in biga deprimeret, nec hoc ad diu tardandum, adjuravit. At ille pruden-

prudenter, ut incumbens & ſubita popoſcit neceſſitas, licet ingens eum pavor invaſerat, velut innocentis vultum hilarem & jocoſum illi prætendens, feritatem ejus ad tunc ſubtili quodammodo verborum mollitie temperavit. Sic quidem ab ejus præſentia caute diſcedens, & curia furtive declinata, præproperus abiens mare confeſtim petiit; nec venti diutius congruitate proſpecta, naviculam paucis refertam cibariis aſcendit; & poſt multa maris pericula, quæ per inclementiam aeris paſſus eſt, vix vita comite ſalvus applicuit in *Anglia*, quo gratis *Malcolmi* receptus eſt ob favorem. Cum igitur illius regi cognita fuerat clancula diſceſſio, furibundus ipſe, vocatis ejus & equitibus univerſis, fugitantem feſtinus inſequitur, donec certus progreſſam à terra qua velificavit naviculam in mari vidiſſet navigando. Sed quod eam intercipere poſſet nulla ſpes affuit, confeſtim rediens, & caſtra quæque cum municipiis obſidione circumdans, cepit terras quidem & prædia, ſed & quicquid pretioſum aut concupiſcibile videbatur, confiſcari mandavit, totamque ſubſtantiam ejus auferens, in ſuo protinus juſſit ærario collocari. Inſuper & ipſum voce præconia publice proclamari fecit perpetuum exulem, cunctis ſpoliatum prædiis, ac cæteris quibuſque poſſeſſionibus. Ideoque per totum regnum murmur ingens, ac inter nobiles præcipue, ſurrexit; quia ab eis placido favore dilectus eſt, eo quod ira potius quam ratione ductus, nimis præceps abſque conſilii generalis & nobilium decreto, tantæ ſtrenuitatis & potentiæ virum exulem redderet vel exhæredatum. Injuſtum omnino dicebant quemquam nobilem ſive privatum, vel exilii, vel exhæredationis ſubita damnari ſententia, quouſque ſtatuti temporis die legitimo vocetur ad curiam; & forſan tunc veniens ſeſe legibus explacitet, ſic liber exeat; ſin autem curia ſuccumbens, corporis diſpendio, vel alias regi ſatisfaciat; vel ſi conventus venire neglexerit, tunc primo proſcribi debeat exul; vel ſi culpa poſtulet, exhæredari.

XLVII. *De primo adventu* Malcolmi Cammoire *ad* Angliæ *regem* Edwardum, *& de* Mariniano Scoto.

POſtquam vero *Danici* generis reges regnum *Angliæ* viginti ſex annis tenuiſſent, ac regnare deſierant. Sanctus *Edwardus Ethelredi* filius, frater *Edmundi* regis, ob ingentem corporis vigorem dicti *Irneſide*, ab omni populo ſuſceptus eſt in regem, veris hæredibus ejuſdem *Edmundi* filiis adhuc, & diu poſtmodum, degentibus in *Ungaria*. Anno quoque regis ejuſdem *Edwardi* primo, *Malcolmus Cammoire* expulſus à patria venit in *Angliam*, quem Rex, quia injuſte regia dignitate privari novit, libenter ſuum ſuſcepit ad obſequium, & famulatum ſpecialem. Imperatoris præcedentis *Henrici* tertii diebus ultimis, vel ut quidam volunt, *Henrici* quinti diebus primis, ſecundum *Hellinandum* & *Sigebertum*, claruit *Marinianus Scotus*, qui à *Scotia* in *Gallias* veniens, *Coloniæ* factus eſt monachus. Primo apud *Fuldenſe Cœnobium*, in *Saxonia*, corpore ſancti *Galli* inſigne, & prædiis ditatum permagnificis. Illius loci Abbas ſexaginta millia bellatorum imperatorum præbet in hoſtem; poſt apud *Maguntiam* cum incluſis contemptu præſentis vitæ gratiam futuræ promerebatur. Is longo vitæ otio Cronographos ſcrutatus, diſſonantias cyclorum recenſens, viginti duos annos, qui cyclis prædictis deerant, ſuperaddidit, ſed paucos ſententiæ ſuæ ſectatores habuit. Unde *Willielmus*. Quare ſæpe mirari ſoleo, cur noſtri temporis doctos hoc reſpergat infortunium, ut in tanto numero diſcentium, vitam triſti pallore lugubrantium, vix aliquis plenam ſcientiæ laudem referat. Adeo inveteratus uſus placet, quod fere nullus novis licet probabiliter inventis ſerenitatem aſſenſus pro merito indulget. Totis conatibus in ſententiam veterum reptatur, omne recens ſordet. Ita quia ſolus favor alit ingenia, ceſſante favore, obtorpuerunt omnia.

Explicit Liber quartus.

Incipiunt tituli Capitulorum Libri quinti, Deus, in nomine tuo.

Cap. I. DE *Macduff* ſuadente *Malcolmo Cammoir* reditum ad regnum, & prima tentatione, ſi fideliter hoc fecerit an ad decipendum, ficte afferens ſe luxurioſum.

II. De variis exemplis per *Malcolmum* poſitis, quod multi reges amiſerunt regna propter luxuriam.

III. De reſponſis *Macduf* ponentis exemplum Imperatoris *Octaviani* luxurioſi, & tamen feliciſſimi.

IV. De ſecunda tentatione *Malcolmi* ſe furem aſſerentis, & reſponſis *Macduf*, huic vitio remedium ponentis.

V. De tertia tentatione *Malcolmi* ſe falſiſſimum eſſe fatentis, & doloſum, cui vitio *Macduf* nullum remedium inveniens, gemens abſceſſit.

VI. Quomodo *Malcolmus* de ſua fidelitate ſecurus jam effectus, ſecum ad regnum redire promiſit.

VII. De regreſſu *Malcolmi* in *Scotiam*, & bello quo cecidit *Machabeus*.

VIII. Quomodo autor excuſat populum cujuſlibet regni, ab injuſto rege fugientem è bello, & promotione *Lulach* in regem, & ejus morte.

IX. De ſucceſſione *Malcolmi* regis in regnum, & ejus pugna cum quodam proditore.

X. De eadem pugna & exſuperatione proditoris.

XI. De morte regis *Anglorum Edwardi*, & quod proceres fratrem beatæ *Margaretæ Edgarum* regem feciſſent, ſi clerus conſenſiſſet, & de quadam viſione ſancti *Edwardi*.

Incipit

Incipit Liber Quintus.

Spiritus alme Deus doctor adeſto meus &c. Amen.

CAP. I. *De* Macduf *ſuadente* Malcolmo Canmoir *reditum ad regnum, & prima tentatione, ſi fideliter hoc fecerit an ad decipiendum, ficte aſſerens ſe luxurioſum.*

IGITUR poſtquam *Macduff* applicuiſſet apud *Ranymſors* in *Anglia*, *Malcolmum* feſtinus adiens, captato collationis apto tempore, redditum illi ſuaſit, & quod ad regni ſe transferat regimen, diu nimis ſua tantum nec alterius deſidia tardatum, ardenter adhortatur. Nec quicquam, inquit, de mea fidelitate diffidas, nam me pater tuus ſemper fidelem habuit, etiam & tibi multa ſuſtinens incommoda fui fidelis, ſum, & ero vita comite. Regni quoque principes pro parte majori tuo nomine mihi ſub ſacramento fidem dantes firmam, & illis ſimiliter hoc idem ego faciens, non in dolo; firmiter credas quia corde ſumus & animo tuum fideliter ad obſequium conjurati. Omnis itaque vulgi ſcio veraciter corda poſſides; tuo ſub explicato vexillo pro te ſanguinem gaudenter effundere concurret, tibi domino legio placidum reddendo famulatum. Auditis enim hujuſmodi ſermonibus corde multum gaviſus eſt, ſed an fideliter vera ſuaſerat, an proditioſe ficta, vacillanti ſæpius animo revolvens, quodammodo timuit. Nam hoc idem antea ſui reditus per quoſdam partis adverſæ callide ſuaſum eſt, ut deciperent; & igitur hoc illum prudenter modo cautus, ut ſequitur, attentavit. Amice chariſſime, tibi tuiſque conſodalibus, quam valeo regratior, & vobis vicem, ſed tibi præcipue, rependam pro meritis poſſetenus, Deo dante. De tua præſertim amodo fidelitate ſecurus, arcana quædam cordi meo naturaliter infixa, quod ea celaveris, non ambigens tibi chariſſime revelabo. Sunt quidem immania, quæ mecum ab initio creverunt flagitia, quamvis id me facturum quod exigis adducere prævales, immo ſi mihi coronam omni remota difficultate tribuas, hæc in vos me diu regnare non permittent. Quorum utique primum eſt deteſtandæ libidinis miranda carne radicata voluptas, incredibilem me virginum corruptorem ac mulierum efficiens; unde veraciter ſcio, quod dominandi poteſtate ſuſcepta, nobilium violando thora, virginum raptus non vitarem. Igitur ſcelus hujuſmodi nequam in populo frequentantem, à regni principibus, verum etiam à ruralibus, quorum uxoribus abutar & filiabus, de regno me penitus expellendum non ignoro. Idcirco mihi melius videtur alieno regno privatus degere, quam à regia dignitate ſuſcepta, culpis exigentibus, per inſurgentes ſubditos ignobiliter degradari.

II. *De variis exemplis per* Malcolmum *poſitis, quod multi reges amiſerunt regna propter luxuriam.*

NUnc autem inducam exempla tibi, quid & quanta mala potentibus & variis regibus, propter immoderatæ libidinis uſum, tranſactis temporibus contingebant. *Tarquinius* vero *Superbus* olim *Romanorum* Rex potens, cum triginta quatuor annis regnaſſet, eo quod filius ejus etiam *Tarquinius* uxorem *Colatini Lucretiam* ſtupro violaſſet, regnum, quod non ignoras, perdidit. Nam cum ea patri maritoque, cæteris etiam amicis, ex

hac injuria queſta fuerat, in omnium conſpectu ſeſe pugione percutiens occidit. Exinde vero tanta ſunt in ira cives excitati, quod poſtquam excluſum regem abjecerunt, nuncquam paſſi ſunt aliquem, qui nomen haberet *Tarquinium*, nec unquam inſuper ſupra ſe regem habere conſenſerunt. Noviſſimus itaque ſui generis Rex *Aſſyriorum Sardanapalus*, vir muliere corruptior, ut ſuæ voluptatis expleret libidinem, inter ſcortorum greges habitu feminæ colo purpuram tractavit. Unde tantæ fuit execrationi cunctis habitus, ut regnum ſimul & vitam amitteret. Ita quod in eo ſuæ generationis linea regnare deſierat. Rex vero *Francorum* filius *Merovei Chilpericus*, pater magni *Cladovei*, cum eſſet nimium luxuriæ deditus, ſuorum filias ſubditorum & uxores ſtupro violaſſet, ipſum à regno dejecerunt, nec uſque poſt annos octo tranſactos, & tunc caſu niſi fortuito, promittentem ad minus ſub cautione continentiam, iterum in regem ſuſceperunt. *Edwius* etiam Rex nuper *Anglorum* nimis petulans, in tantum luxurioſis uſus eſt laſciviis, quod eo die quo ſacratus eſt in regem, cum proceres de regni ſeriis rebus agerent, ex eorum ſurgens medio prorupit in cameram, in complexum meretricis devolutus, quem ſanctus *Dunſtanus* abſtrahens à cubiculo, perpetuum ſibi fecit inimicum. Propter enim talia vitia, ſeu illis majora, regni proceres ipſum ſemper in odium, & quaſi non regem habuerunt. Et quidem regni noſtri *Scotiæ* Rex dudum *Culenius*, nonne propter luxuriam à ſuo ſubdito, viz. raptum filiæ ſuæ virginis, occiſus eſt? *Hyberniæ* vero regnum finem habuit in *Rodorico* rege libidinoſo, de noſtri quippe generis ſtirpe progenito, qui ſex ſimul uxores, non ut Rex Chriſtianus, habere, nec eas propter amiſſionem regni dimittere voluit, licet ab Eccleſia tota, tam Archiepiſcopis, quam Epiſcopis, ſæpe monitus, & ab omnibus indigenis, tam principibus, quam privatis, terribiliter minando correptus fuerat: ab eis igitur omnibus contemptus eſt, nec ſibi de cætero, vel regi cuiquam, dignantur hactenus obedire. Propterea regnum illud, avorum noſtrorum temporibus dudum inſigne, nunc, ut vides, in triginta vel amplius regnis miſerabiliter eſt diviſum. Quid moror in talibus? centum enim tibi regum & principum exempla proferre valeo, quos hoc ſolum incontinentiæ vitio protinus obruere non ignoro.

III. *De reſponſis* Macduf *ponentis exemplum Imperatorum* Octaviani *luxurioſi, & tamen feliciſſimi.*

CUi *Macduf* quaſi dedignando ſubridens ait, nuncquid hæc tibi placens videtur, aut competens reſponſum mihi reddere? nec mihi ſolo ſed tuis benevolis, quorum nuncii fungor officio? nobis viz. omnibus, qui pro te regnum & prædia deſeruimus, filios & uxores, ac noſtri generis nationem? inſuper & vitam noſtram mortis periculo nuper poſuimus, ut decuit; etiam, ſi quod tuum eſt audacter feceris, ponemus peramplius in futurum? Sed quid hæc tua ſignificare velit inanis excuſatio multum admiror! vereris, ut æſtimo, regni culmen aſcendere, propter immoderatam tuæ voluptatis cupidinem, ſperans te feminei generis in regno copiam habere non poſſe, filiabus nobilium exceptis & uxoribus. Nonne talis ratione caret excuſatio? Nuncquid & tu Rex exiſtens ad tuam explendæ libidinis luxuriam, pulcherrimas regni virgines ad libitum, ac placidiſſimas, habere poteris mulieres? Audacter dicam, vere poteris, licet regum, quorum incontinentiæ ponis exempla, tam *Sardanapali* quam *Chilperici*, ſeu *Rodorici* luxum dupliciter exuperes, vel inſuper Imperatoris *Octaviani*, qui libidini ſerviebat uſque ad probrum vulgaris famæ. Nam, ut hiſtoriæ referunt, inter duodecim virgines, & totidem corruptas, ſolitus eſt accubare. Nec tamen ob id Imperatoris feliciſſimi nomen amiſit, ſeu populi favorem,

qui

qui morientem planxit, dicens, utinam non naſceretur, aut non moreretur; vir qui certe nunquam aut tantam reipublicæ potentiam ad ſe traxiſſet, aut tam diu potiretur, niſi magnis ſtudiorum & naturæ bonis abundaſſet. Imperium namque *Romanum* mirifice firmavit, rexit, & auxit; urbem variis & inviſis antea decoravit ædificiis, hoc dicto glorians, urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream. Similiter & tu, ſi regni tui fines decenter ampliaveris, pace rexeris, & legibus, ædificiis illud novis ornaveris, nomen boni regis aut favorem gentis, tanto ſcelere non amittes. Et quod olim ipſe de ſua *Roma* gloriando cecinit, hoc de tuo regno canere poſſis, *Scotiam* inveni dudum legibus egentem, frugibus, & armentorum gregibus ſterilem, modo bonis omnibus & pace relinquo fœcundatam.

IV. *De ſecunda tentatione* Malcolmi, *ſe furem aſſerentis & reſponſis* Macduf, *huic vitio remedium ponentis.*

VEra ſunt hæc, inquit *Malcolmus*, omnia quæ loqueris; ſed adeo pronus ſemper meus eſt animus, & præceps ad hoc vitium; quod vix aliquando ratione poterit refrænari. Sed adhuc hoc vitio multo vilius obſtat flagitium, præ pudore vero tacendum, nec tamen amico celandum, immo recitandum in ſecreto. Fur quoque ſum & latro nequam; nam omne pulcrum & delectabile ſeu viſu placens, ut ferrum magnes ex natura, meum cor miſerum illud attrahens vehementer appetit, ac cætera corporum membra neceſſitate quadam alliciens, inceſſanter dirigit ad furandum. Hoc firmum teneas me furari, videtur enim penitus impoſſibile. Ergo multum tolerabilius eſt atque jocundius, hoſtiatim egere mendicus, aut mori finaliter, quam per me regni locatum in apice majeſtas regia tam infami ſcelere violetur. Excellentioris perſonæ ſemper caſus in vitium, minoris lapſum, comparatione ſcandali, multo longius antecedit. Cui *Macduf*, hoc utique verum eſt, quia quanto gradus altior tanto caſus gravior. Quanto nempe quiſquis honoris gradibus fit exaltatus altior, tanto debet eſſe virtutibus eximior, & quanto virtutum in arce ſcandit ſublimior, tanto ſibi vitiorum eſt ſi cadat voragine magis pudor. Dupliciter quoque princeps virtutum declinans à tramite delinquit, quod ſeipſum & primo vitiis involvit, & iterum humili populo præbet exemplum delinquendi. Nam mobile mutatur ſemper cum principe vulgus. Sed ut ad priora revertar, hoc quod dicis, non furari, vel, ut ſuperius dixeras, non moechari tibi videtur impoſſibile, cum lege divina, quam propria manu ſcripſit, ſtare non poteſt. Scripſit vero non moechaberis, non furtum facies, ergo credendum eſt Deum nobis [non] impoſſibilia, ſub præcepto pro lege ſervanda, ſed poſſibilia ſcripſiſſe. Etiam amplius nemo tentatur ſuper id quod poteſt, quia proculdubio vitia quæque, ſive virtutes, in noſtro libero conſtant arbitrio, ſive ſpernenda ſive fienda. Omnia quippe divina præcepta, ſive bona faciendo, ſive mala cavendo, ſervare poſſumus, ſi competentem diligentiam, ac voluntariam, adhibeamus. Ergo nec iſta valens eſt neque præcedens excuſatio. Quod furti facinus ex rerum provenit inopia quis ignorat? At econtra regia majeſtas, ſemper habet eſſe locuplex, & omnimodum continue divitiis plena, nihil egens. Quis ergo ſanæ mentis furari non deſinet, qui cunctis abundanter opibus gloriatur? Nihil unquam tibi, Rex exiſtens, non aurum, non argentum, non lapides pretioſi ſeu gemmæ deerunt: nec quicquam breviter cordi tuo placidum fuerit vel jocundum. Fortis igitur eris animo, regis officium opulens arripere cures, & execranda flagitia, fœtentis luxuriæ viz. & illud inops avaritiæ crimen furtum inducens, procul abjicere non recuſes.

V. *De tertia tentatione* Malcolmi, *ſe falſiſſimum eſſe fatentis & doloſum, cui vitio* Macduf *nullum remedium inveniens, gemens abſceſſit.*

Malcolmus autem hac ſequenti propoſitione problematis intima cordis amici ſui *Macduf*, nondum plene probati, rimari volens, reſpondit. Grata mihi quidem ſunt & utilia, quæ memoratis utriſque tegendis vitiis præbes antidota, ſed reſtat adhuc tertii facinoris intactum vulnus, quod infidelitatis eſt, & doli latens in me nephas. Fateor equidem occulte ſum falſus, & doloſæ machinationis conjector artifex, fidem paucis promiſſam ſervans, & omnibus ſimulando promittens fideliter obſervandam. Mei quidem veteratoris animi continuum hoc ineſt ſcelus, ut ſi quandoque facultas ſuppetat, occulto potius blandæ ſimulationis artificio quempiam decipere mallem, quam in aperto dubiis fortunæ caſibus cauſam committere criminandam. Et ideo, ſicut in præcedentibus vitiis, & in hoc etiam crimine mihi ſubveniens, illud quæſo ſubtiliter aliquo tui ſagacis ingenii velamine pallias. Et quicquid tuæ propoſitionis tenor exegerit, me totis offero viribus ad implendum. Hoc vero cum audiſſet *Macduf*, ſupra modum attonitus eſt: & cum aliquanti temporis ſpatio tacuiſſet, ſuſpirans ait. Væ nobis miſeris miſerorum miſerrimis. Væ nobis, nobis dico qui ſaltem te ſectari contendimus, virum ineptum, & inglorium, imbutum vitiis, & omni virtute deſtitutum. Væ nobis, ut quid nati, quam infelices dici poſſumus, quid infortunii nobis accidit, nonne tricipiti ſumus adverſo caſu perplexi? nam trium execrabilium malorum nos oportet admittere ſaltem unum. Aut viz. amiſſis liberis & uxoribus, cunctiſque temporalibus, perpetuum ſubire vagos exilium; aut regi ſervire tyranno, qui neque nobis, neque reipublicæ jure principare debeat; cui proprium & omni tyranno conſuetum eſt, crudelem in populo dominationem, & inſatiabilem avaritiam exercere; aut tibi de jure regi legio ſubdi, quod abſit, cum propriæ confeſſionis afferat tenor, indignum te regem eſſe vel principem vel privatum. Nam libidinoſum & furem, & quod pejus eſt, imo facinorum omnium viliſſimum, fateris te falſum, ſubdolum, & perfidum, atque verſutum deceptorem. Ecce quid aliud ſupereſſe videtur malitiæ genus? quam nullatenus? te proditorem appellas. Sed profecto ſequitur, quia cujuſcunque cordis hæc vitia condantur in vicinis, non excidit quin latens inibi proditio ſocia reperiatur. Ergo quia totius iniquitatis ſuccenſæ faces in te conveniunt, & tuo ſiquidem adverſario fervens ineſt & improba cupiditas, ſuperbaque regnat & intolerabilis crudelitas, veſtrum uter mihi nuncquam dominabitur, exilium magis eligo ſempiternum. Et his dictis, ulterius continere ſe non valens, erumpentibus lacrimis genas rigebat, ſed & pugnis immoderato gemitu colliſis, flens & ejulans, ac verſus boream lamentando reſpiciens, ait, valeas, O *Scotia*, pro perpetuo.

VI. *Quomodo* Malcolmus *de ſua fidelitate ſecurus jam effectus, ſecum ad regnum redire promiſit.*

Abeuntem illico *Macduf*, quin ipſum ſuper omnia deteſtari perfidiam ad plenum expertus, & effectus de fidelitate jam ſecurus, propere ſequitur, & quod greſſum ſiſteret, ſecum habiturus colloquium, rogat dicens. Amicorum omnium gratiſſime, præ cunctis viventibus diligende, nonnihil hactenus an fidus eſſes vel infidus expavi, ne tu, ſicut aliquando quidam perverſi, quod non neſcis, fictis ambagibus, ſicut & illi, quod æmulis traderer, mihi redditum hortatus fueras. Idcirco te talibus volui variis quæſtionibus experiri. Et quia probatus odire noſceris doli notam,

&

& proditionis, ſuperabundantius habeo quam æſtimas, & ſemper habebo te fidelem. Non enim luxurioſus ſum aut latro vel perfidus, ſicut te probando talibus me finxi vitiis deditum. Abſit hoc à me procul, ut mihi validius quam cæteris hominum, hæc immunda vel his ſimilia prædominentur piacula, quæ viro ſunt cuilibet abominanda. Eya proinde, mi dilecte, ne formides; non eris à patria vel liberis exul, immo poſt regem primus in regno: confortare deinceps ſiſque robuſtus; tu me reduces in terram meam, terram quam dedit nobis Dominus & patribus noſtris excolendam. Hoc autem audiens pronus in terram corruit, & velut ante mœrendo lugubris ſingultibus præ anguſtia, præ nimio jam exultans gaudio, totus in lacrimis ſuffuſus, ſuos amplexando pedes oſculatus eſt, dicens. Siquidem hæc vera ſunt, quæ loqueris, ad vitam de morte me reducens feſtina, Domine, feſtina, deprecor, ne tardaveris, & libera populum tuum te ſuper omnia deſiderantem.

Si ſervare velis inſontes quoſque fideles,
Hactenus expertes omnibus auxiliis;
Illis quos preſſit hoſtis jam per tria luſtra,
Subvenias miſerens mitis amore Dei.
Non ſuper his ſtudeas ſegnis, ſed impiger hoſtem,
Proſternas, populum alleviando pium.
Enſe tuum femur cingatur & arma capeſce.
Corporis omnia habes fortia membra liquet.
Scotus *& es genitus priſcorum ceſpite regum.*
Proſpere procedens regna patris ſubies.
Regni, promitto, potieris jure Corona.
Omnia jura tibi, nulla debentur ei.
Audax jure tuo ſis ſemper bella parare.
Non tamen incaute bella ſumenda putes.
Nec præceps certes niſi ſors dictaverit.
Unquam ex improviſo fallitur omnis homo.
Es pugnaturus, campum non præparat hoſtis.
Ad loca bellandi ſemper adeſto prius.

VII. *De regreſſu* Malcolmi *in* Scotiam, *& bello quo cecidit* Machabeus.

Finitis enim talibus problematum examinationibus, ac omni dubitationis ambiguitate remota, nunciare clanculo ſuis amicis ipſum *Macduf Malcolmus Scotiam* remiſit, ut caute ſe præparent, ſuum abſque dubio ſperantes reditum infra breve. Ipſe vero, poſtquam receſſerat, regis *Edwardi* quantotius adiit præſentiam, ab eo poſtulans humiliter quoſdam ex *Angliæ* proceribus, qui gratis ſecum in *Scotiam*, regnum recipere proficiſci volebant, ex gratia permittere dignaretur: cujus petitioni continuo Rex mitis annuens, liberam cuilibet volenti facultatem tribuit. Inſuper & ſeipſum cum exercitus potentia, ſi neceſſe fuerit, ferre præſidium gratioſe compromiſit. Unde ſancto mitiſſimoque regi, qui cunctis miſericors conſultus, aut injuſte tribulatis pronus adjutor extitit, immenſas referens gratias ab eo receſſit, & quam primum paratus, procerum *Angliæ* ſolo *Siwardo Northumbrenſium* Comite ſecum aſſumpto, *Scotiam* proficiſcitur poſſeſſurus. Neque vero regni fines adhuc attigerat, dum ſparſo rumore per præcedentem *Macduf*, minus caute negotii conſilia ſervantem, totum audierat regni populum diſſentione commotum, ac in partes inter *Machabeum* & *Macduf* diviſum: quamobrem *Malcolmus*, cum ſua militia celerius properans, non quievit, donec hinc inde junctis agminibus fortem excercitum confeciſſet. Ex his autem multi, qui *Machabeum* prius ſequebantur, ab eo

ſtatim

ſtatim deficientes, *Malcolmo* totis viribus adhæſerunt. Quotidie deinceps ſuum minui robur, ejus quidem augeri cernens, partibus ſubito relictis auſtralibus, boreales petiit; ubi terrarum anguſtis amfractibus, & ſilvarum abditis tutius ſperabat ſe tueri. Inſperate tamen feſtino greſſu, *Malcolmus* ipſum ultra montes & uſque *Limfanam* inſequitur, ac ibidem repente levi bello tranſſeptum, cum paucis reſiſtentibus interfecit, anno Domini M. LVI. menſe decembri, die quinto. Omnis enim populus ab eo bellandum productus, *Malcolmum* non ignorabat verum ſibi dominum; ideo reſiſtere ſibi bello renuens, primo lituorum ſtrepitu campum reliquit fugiendo. *Willielmus* de prædicto bello ſcribens, ait. *Siwardus Northumbrenſis* Comes, juſſu regis *Edwardi*, cum *Scotorum* rege *Machabæo* congreſſus, vita regnoque ſpoliavit, ibidemque *Malcolmum*, filium regis *Cumbrorum*, regem inſtituit. Ecce quomodo *Willielmus* hujus belli nullam *Malcolmo* victoriæ laudem aſcribens, *Siwardo* totam attribuit: cum in veritate ſolus ille cum ſuis, & vexilligero totius victoriæ cauſa fuit. Hoc utique ſpero firmiter quod populus, abſente *Malcolmo*, de bello non fugiſſet, etiamſi cum *Siwardo* Rex *Edwardus* cum ſuis præſens affuiſſet.

VIII. *Quomodo autor excuſat populum cujuſlibet regni, ab injuſto rege fugientem è bello, & promotione* Lulach *in regem, & ejus morte.*

POpulus enim iſte fidelis excuſari de fuga poterit, qui diu ſub tyrannide preſſus ſurgere non valens, aut non audens, aſſidue tamen ſui regis in corde crudelem animadvertit mortem, hæredis etiam injuſtum tanti temporis exterminium; anxiam itaque ſub viro contribule propriam ſubjectionem amplius ſubeſſe dedignans, occaſione ſumpta, locum illi fugiendo dedit regnum indubie recipiendi. Videtur enim & verum eſt, ut æſtimo, quod regni cujuſlibet populus indigena fidelis, ammoto vi capite ſuo, viz. rege, vel quodlibet opprobrium patiente, cum eo nimirum compatitur, & quaſi proprium gemendo ſuum lamentatur improperium, cum proverbio dicatur. Cujus caput dolet cætera membra languent. Et hoc verum eſt membra ſana, quæ capitis compatiuntur dolori, non putrida ſive canceroſa, quæ capitis ſui dolentis langorem non ſentiunt; talium enim membrorum ex tactu ſæpe contigit, ut quædam membra morbum incurabilem incidant, & adeo quandoque tali morbo caput ex eis etiam inficitur, unde totum corpus effici poterit monſtroſum. Nonne corpus quodcunque merito monſtrum dici poterit, cujus pes, infimum dico membrum, igneo morbo corruptum, nec tempeſtive per manus cauterio ſedatum, digniora tranſgrediens membra veneno ſui caput inficiens evellat, ac ſupra collum & humeros, ſe loco capitis contra naturam collocaverit? Eodem vero tempore belli de *Limfanam* & anno, Rex *Walliæ Griffinus*, Comitem *Herfordiæ Radulfum* è bello fugavit, & occiſis ejuſdem urbis Epiſcopo *Levegaro*, necnon *Egelnotho* Vicecomite, cum multis aliis, urbem totumque Comitatum ignibus cum Epiſcopo concremavit. Hoc ſtatim *Siwardus*, poſtquam à ſuo rege per certum audierat nuncium, confeſtim juſſus domi rediit, nequaquam ulterius *Malcolmo* ferre præſidium rediturus. Subito namque poſt mortem *Machabæi*, convenerunt quidam ex ejus parentela ſcelerum hujuſmodi fautores, ſuum conſobrinum nomine *Lulach*, cognomine fatuum, ad *Sconam* ducentes, & impoſitum ſede regali regem conſtituunt: ſperabant enim ſibi quam regi populum obedire libenter, nullus tamen illi parere volebat, aut aliquibus factis vel fiendis comitare. Audiens autem hoc *Malcolmus*, ſuos Comites ipſum huc illucque perſequendum emiſit; ſed in irritum quatuor menſibus ſuos deducunt conatus, donec in ſuperioribus partibus ſcrutantes, inventum loco qui dicitur *Eſſy*, provinciæ *Streth Bolgy*, cum ſuis ſequacibus occidunt; vel ut quidam tradunt, ibidem

caſu

caſu *Malcolmus* obvium habens interfecit, anno Domini M. LVII. tertia die menſis Aprilis, *Ebdomada Paſchæ,* feria quinta. Hos autem utroſque *Machabæum*, & *Lulach*, ſepultos fuiſſe tradunt in inſula *Jona.*

IX. *De ſucceſſione* Malcolmi *regis in regnum, & ejus pugna cum quodam proditore.*

PRoſtratis ubique cunctis hoſtibus, vel ad ſuam deductis pacem, idem ſæpedictus *Malcolmus*, apud *Sconam*, præſenibus regni majoribus, in Throno regali poſitus eſt, & in omnium *Scotorum* gloriam, & honorem, eodem Aprili menſe, die ſancti *Marci* coronatus, ac eodem viz. anno Domini milleſimo LVII. & Imperatoris *Henrici* quarti primo, qui quidem Imperavit annis L. Rex vero XXXVI regnavit, & VI. menſibus. Erat enim Rex ſatis humilis corde, fortis & animo, corporis viribus præpotens, & audax, non temerarius, ac multis aliis dotatus virtutibus, ut in ſequentibus apparebit. Primis regni ſui novem annis, *Edwardo* rege vivente, firmam pacem *Anglis* & communionem, & uſque adventum *Willielmi* Baſtard, obſervabat. Anno dicti regis *Edwardi* XIII. fratris ſui filius regis quondam *Edmundi Irnſide*; cui nomen *Edwardus*, ex *Hungaria* venit in *Angliam*, uxorem ſecum ducens *Agatham*, *Edgarum* filium, & duas filias, *Margaretam*, poſtea *Scotorum* reginam, & *Caſtinam* ſanctimonialem, quem Rex patruus ac totius *Angliæ* populus exultantes receperunt, de quibus prolixior ſermo fiet poſtmodum ſuo loco. *Turgotus.* De rege *Scotorum Malcolmo Cammor* magnanimo, dignum aliquid dicendum duximus, ut cujus fuerit cordis, quanti vel animi, unum ejus opus hîc exaratum legentibus declarabit. Relatum eſt aliquando ſibi, quendam de ſummis proceribus illum occidendum cum ſuis hoſtibus conveniſſe. Imperat Rex hæc nuncianti ſilentium, ſiluit & ipſe, proditoris, qui forte tunc aberat, expectans adventum. Qui cum ad curiam cum apparatu magno regi veniſſet inſidiaturus, Rex ei vultum ſolitum atque jocundum prætendens, finxit ſe nihil audiſſe vel ſciviſſe, quæ mente cordetenus recolebat. Quid plura? Jubet ipſe Rex omnes venatores ſuos ſummo mane convenire cum canibus. Et jam aurora noctem abegerat, cum Rex ad ſe vocatis proceribus cunctis, & militibus, in venando ſpatiatum ire feſtinat; venit interim ad quandam planitiem latam, quam in modum coronæ denſiſſima ſilva cingebat, in cujus medio colliculus unus quaſi turgeſcere videbatur, qui diverſorum colorum floribus pulcra quadam varietate depictus, fatigatis quandoque militibus ex venatu gratum præbebat accubitum. In quo cum Rex cæteris ſuperior conſtitiſſet, ſecundum legem venandi, quam triſtram vulgus vocat, ſingulis cum canibus, & ſociis ſingula loca delegat, ut obſeſſa undique beſtia, ubicunque eligeret exitum, mortis exitium inveniret. Ipſe vero Rex ſeorſum ab aliis ſolus abſceſſit cum ſolo, ſuum ſecum retinens proditorem.

X. *De eadem pugna & exſuperatione proditoris.*

AB omni autem aſpectu & auditu remoti, Rex ſubſiſtit, & vultu torvo volvente pugnam in hæc verba prorupit. Ecce inquit ego & tu mecum, ſolus cum ſolo, ſimilibus armis protecti; non eſt qui mihi, licet regi, aſſiſtat, nec tibi ſubveniat, nec eſt qui videat aut audiat. Nunc ergo, ſi valeas, ſi audeas, ſi cor habeas, imple quidem opere, quod corde concepiſti, & redde hoſtibus meis quod promiſiſti. Si me occidendum putas, quando melius, quando ſecurius, quando liberius, quando tandem virilius? An venenum paraſti? ſed hoc muliercularum eſſe quis neſciat? An inſidiaris lectulo? hoc poſſunt & adulteræ. An ferrum, ut occulte ferias, occultaſti?

cultaſti? hoc ſicarii, non militis eſſe, nemo qui dubitet. Age potius quod militis eſt, & non proditoris; age quod eſt viri, & non mulieris; atque ſolus cum ſolo congredere, ut ſaltem proditio tua turpitudine videatur carere, quæ nunquam infidelitate carere poteſt. Hactenus vir ille nequiſſimus hæc vix ſuſtinuit, & mox verbis ejus, quaſi gravi fulmine percuſſus, de equo, cui inſidebat, citiſſime deſcendit, projectiſque armis, ad pedes regis corruit cum lacrimis, atque tremore cordis ita dixit. Domine mi Rex, ignoſcat mihi ad præſens hoc meum velle iniquum tua regia poteſtas, & ſi uſque modo aliquid ſuper hujuſcemodi traditione tui corporis cor meum malignum conciperet, amodo delebitur, & in futurum contra omnes me ter fideliſſimum, Deo cum ſua genitrice teſte, promitto. Cui Rex ait, noli amice, noli pavere, nihil à me nec per me mali pro re iſta ſuſtinebis. Obſides tamen in pignore jubeo quod mihi nomines, atque adducas. Quibus nominatis & ſtatim poſtmodum adductis, Rex inquit, in regis verbo tibi dico, res ante promiſſa ſtabit. Ille vero proditor regis voluntati, in his quæ præmiſimus, opportuno tempore ſatisfaciens, ſic revertuntur ad ſocios. De his quæ fecerant vel dixerant nemini loquentes.

XI. *De morte regis* Anglorum Edwardi, *& quod proceres fratrem beatæ* Margaretæ Edgarum *regem feciſſent, ſi Clerus conſenſiſſet, & de quadam viſione ſancti* Edwardi.

W*Illielmus* Rex *Edwardus*, pronus in ſenium, eo quod ipſe non ſuſceperat liberos, & *Godwini* videret invaleſcere filios, miſit ad regem *Hunnorum*, ſed *Turgotus* dicit ad Imperatorem, ut filium ſui fratris *Edmundi Irynſide Edwardum* cum omni familia ſua mitteret, futurum ut aut ille aut filii ſui ſuccedant hæreditario jure regno *Angliæ*; orbitatem ſuam cognatorum ſuffragio debere ſuſtentari. Igitur continuo poſtquam advenerat, apud ſanctum *Paulum Londoniæ* fato defunctus eſt, *Edgaro* filio ſuperſtite cum ſororibus prænominatis, quem pro genere regno proximum Rex proceribus commendavit. Rex demum, poſtquam exactis in regno non plene XXIV. annis obiit vigilia *Epiphaniæ*; in craſtino quidem, adhuc recenti luctu regalis funeris, *Haroldus Godwini* filius, à majoribus extorta fide, ſecundum alios conſentientibus, arripuit diadema regni, quod vix per novem menſes tenuit, nam à *Willielmo* Baſtard bello peremptus eſt. Poſt quem proceres *Edgarum* in regem elegiſſent, & à quibuſdam electus eſt, ut à rege mandatum fuerat, ſed Epiſcopos non habebant aſſertores; hæc ille. Verum in hoc eos erraſſe mihi videtur, & apud Deum & populum: apud Deum; quia quem ipſe genitura tantorum regum progenitorum, juſta generationis procreatum linea, regnandum prætulit, eis reſpuere non licuit, nec inſontem, linguis omni gladio præacutis, injuſte juſto privare patrocinio; ſcientes, quod ætas regia vel puerilis, vel ſenilis, vel etiam ſimplicitas in fidelitate conſtat, & regimine ſubditorum. Apud populum vero cum in ſuam propriam confuſionem, atque regni cunctorum indigenarum ſempiternum opprobrium, & ſcandalum, non ſecundum juſtitiam legis, ſed cordis affectum ſequentes, ſupra ſe virum erigunt, omnis regnandi juris expertem, *Haroldum*, filium *Godwini*, filii *Edrici*, quorum non fama ſed infamia variis notatur in ſcriptis; ineptum illud membrum in regem ſibi loco recti capitis ſtatuentes. Ex quo brevi poſtmodum contigit, quod miſere per aliena regna vagi dolentes, à propriis expulſi ſunt ſedibus, nec habentes ubi reclinarent capita, dicente propheta. Qui malignantur exterminabuntur; ſuſtinentes autem Dominum hæreditabunt terram. Igitur ipſe Dominus illam ſanctam regalem lineam, ſe ſuſtinentem ab eis, ſed non ab eo derelictam, hæreditare terram ſimul & regnare volens feliciter,

Scotis

Scotis omni cum ſua regali linea gratis conjunxit, ex quibus, eo providente, deinceps & hactenus, regio ſedentes in ſolio pullulant reges, & uſquequo ſibi placuerint, pullulabunt: per viſionem ſequentem oſtenſam ſancto *Edwardo*, in extremis laboranti, patet, quod in præmiſſis Clerus errabat. *Willielmus.* poſtquam rex elinguis ſopore biduo jacuiſſet, expedita loquela, duos, inquit, mihi Monachos aſſiſtere vidi, quos *Normannia* religioſe vivere, & more feliciter noveram ſe Dei nuncios eſſe, præfati dixerunt. Quia primores *Angliæ*, Duces, Epiſcopi, & Abbates, non ſunt minſtri Dei, ſed diaboli, tradidit Deus hoc regnum poſt obitum tuum, anno uno, & uno die in manus inimici; pervagabunturque dæmones totam hanc terram quandoque. Cumque Rex ſe hoc oſtenſurum populo diceret, ut, ſicut olim *Ninivitæ*, poeniterent; neutrum, aiunt, erit, quia nec poenitebunt, nec Deus eis miſerebitur &c. Idem *Willielmus.* Ita *Angli*, qui in unam convenientes ſententiam regni potuiſſent reformare ruinam, dum nullum ex ſuis volunt, alienum induxerunt.

FINIS.

DE

PONTIFICIBUS

ET

SANCTIS ECCLESIÆ

EBORACENSIS

POEMA,

Auctore Flacco Alcwino.

Ex MSS. Codd. Remenſi, & Sancti Theodorici prope Remos.

CHRISTE Deus, ſummi virtus, ſapientia patris, *Auctoris*
Vita, ſalus, hominum factor, renovator, amator, *invocatio.*
Unica lingua Dei, donorum tu dator alme;
Munera da mentis, fragili da verba poetæ,
Irrorans ſtolidum vivaci flumine pectus,
Ut mea lingua queat de te tua dicere dona.
Te ſine nulla valet dignum quid dicere lingua.
Vos quoque ſuppliciter cives conteſtor Olympi,
O Sancti! populus fortis, gens diva Tonantis,
Victrices aquilas cœli qui fertis in arcem,
Æthereo regi regalia dona ferentes,
Qui veſtri cauſa ſacratum ſponte cruorem
Fuderat in terris, ut vos ſalvaret ab umbris,
Inque Dei patris ſecum deduceret aulam;
Mecum ferte pedes, veſtris componite carmen
Hoc precibus: patriæ quoniam mens dicere laudes,
Et veteres cunas properat proferre parumper,
Euboricæ gratis præclaræ verſibus urbis.
Hanc *Romana* manus muris & turribus altam *Eboraci*
Fundavit primo, comites ſocioſque laborum *conditio.*
Indigenas tantum gentes adhibendo *Britannas.*
(Nam tunc *Romanos* fecunda *Britannia* reges
Suſtinuit merito, mundi qui ſceptra regebant:)
Ut foret emporium terræ commune, mariſque; *Emporium*
Et fieret ducibus ſecura potentia regni,
Et decus imperii, terrorque hoſtilibus armis:
Eſſet ab extremo venientibus hoſpita portu
Navibus oceano, longo ſua prora remulco,
Navita qua properans ut ſiſtat ab æquore feſſus.
Hanc piſcoſa ſuis undis interluit *Uſa*,
Florigeros ripis prætendens undique campos. *Fluvius &*
Collibus & ſilvis tellus hinc inde decora, *commoda.*
Nobilibuſque locis habitatio pulchra, ſalubris,
Fertilitate ſui multos habitura colonos.
Quo variis populis & regnis undique lecti
Spe lucri veniunt, quærentes divite terra
Divitias, ſedem ſibimet, lucrumque, laremque.
Hinc *Romana* manus, turbatis undique ſceptris, **Brittones*
Poſtquam ſeceſſit, cupiens depellere ſævos *incolæ.*
Hoſtes; *Heſperiæ* regnum ſedemque tueri;
Urbis tunc tenuit ſceptrum gens pigra *Britonum*.
Quæ fere continuis *Pictorum* preſſa duellis,
Servitii pondus tandem vaſtata ſubivit: *à Pictis*
Nec valuit propriis patriam defendere ſcutis, *vexati.*
Vel libertatem gladiis revocare paternam.
Eſt antiqua, potens, bellis & corpore præſtans, *Saxones*
Germaniæ populos, gens inter & extera regna, *auxilio*
Duritiam propter dicti cognomine *Saxi*. *vocant.*
Hanc placuit ducibus regni conducere donis,
Ut foret auxilio patriæ, pavor hoſtibus atque.
Ore favet vulgus clamoſo mobile ſtatim,
Et bona collaudat patrum conſulta ſuorum.
Atria gazarum rumpunt regalia, genti
Mittere dona parant ignotæ, quo magis illa

Annuat

Annuat, ut placitæ feriant ſibi fœdera pacis.
Aſt indigna vident tantis exenia votis.
Legatos exire jubent, vada ſalſa carinis
Jam ſulcare citis, dulci formidine vota
Ingeminant lacrymis: quoniam ſic ipſe monebat
Libertatis amor, patriæ ſpes ac redimendæ.

C. Remenſis, quid tibi pl.

Quid jam plura canam? properans exercitus, ecce!
Venerat undoſi vectus trans æquora ponti,
Subſidium ſociis referens, hoſtemque nefandum
Expulit, & vicit multis per bella triumphis,
Donec *Picto* ferox timido ſimul agmine fugit.

Pictos fugant. à Saxonibus ſubacti.

Contentus propriis ſeſe defendere in oris.
Hæc inter majora dari ſtipendia poſcit
Externus ſibimet miles, hæc cauſa duelli
In ſociam fuerat gentem convertere ferrum,
Et ſegnem populum patrio depellere regno.
Hoc pietate Dei viſum, quod gens ſcelerata
Ob ſua de terris patrum peccata periret,
Intraretque ſuas populus felicior urbes;
Qui ſervaturus Domini præcepta fuiſſet.
Quod fuit affati in factum, donante Tonante.

Gregorio curante.

Jam nova dum crebris viguerunt ſceptra triumphis,
Et reges ex ſe jam cœpit habere potentes
Gens ventura Dei; rexit tunc temporis almus
Gregorius præſul, toto venerabilis orbi,
Eccleſiæ ſedem *Romanæ* maximus, atque
Agrorum Chriſti cultor devotus ubique,
Plurima perpetuæ diſperſit ſemina vitæ.
Vomere nec ſolum *Latios* confregerat agros:
Sed bonus atque pius peregrini cultor agelli,
Oceani tumidos ultra ſulcavit aratro,

Saxones ad Chriſtum adducti.

Pectora divini fluctu gentilia verbi
Arida mellifluis perfundens arva fluentis:
De quibus æquorei potus hauſere *Britanni*
Jam ſibi perpetuæ, Chriſto donante, ſalutis.
Eduin. interea veterum de germine regum,
Euborica genitus, dominus percuncta futurus,
Pulſus in exilium fugit puer invida regna.
Orama gentilis qua viderat ipſe ſupernum,
Nocte ſoporata ſolus dum tempore quodam
Anxia corda gerens curis, loca congrua adivit,
Et tacitus ſedit ſubluſtri lumine lunæ:
Vix ſtetit ignotus habitu, vultuque repente
Ante oculos juvenis, verbiſque adfatur amicis.
Quæ te dura coquit juvenum fortiſſime cura?
Rex Deus æternus cœli qui ſydera fecit
Quæ tu pulchra vides ſolatia dat tibi certa.
Ecce! tuam vitam quærenti ſervat ab hoſte;
Inſuper Imperium latum tibi terminat undis.
Rex Deus ille tibi totum ſit ſemper in ævum:
Imponenſque tuo capiti pro fœdere dextram
Hæc tibi, dixit, erunt noſtri ſignacula pacti.
Nuntius his dictis ſubito diſceſſit ab illo,
Cui vigor affatim venas decurrit in omnes.
Pulſa procul fugiens & deſperatio fibras
Liquerat, eventus venientis dicta probavit.

Hoſpites occubuit ſtatim Rex enſe nefando
Invidus imperii vitæ ſimul illius atque.
Tunc juvenis rediens intravit amabilis urbes,
Jam patrias populi procerumque favore receptus.
Qui mox accipiens ſceptri regalis honorem,
Quæſivit propriæ genti bona largus in omnes;
Nec per ſceptra ferox, ſed de pietate benignus,
Factus amor populi, patriæ Pater, & decus aulæ.
Aſſiduis ſuperans hoſtilia caſtra triumphis,
Imperioque ſuo gentes ſuperaddidit omnes,
Finibus atque plagis, qua tenditur inſula longa.
Jamque jugum Regis prona cervice ſubibant
Saxonum populus, *Pictus*, *Scotuſque Britannus.*
Interea placida regni dum pace tribunal
Rexerat armipotens, ſopitis undique bellis,
Juſtitiæ validis populos frænabat habenis,
Nec rapit arma furor legum ſub pondere preſſus,
Ultrices timuit capitis quia quiſque ſecures,
Provida ni toto ſervaret pectore ſcita,
Quæ poſuit populis rector ſervanda ſubactis.
Accipit uxorem *auſtrali* de parte *fidelem*,
Moribus egregiam, patrumque ab origine claram,
Omnibus ac ſanctæ fidei virtutibus almam.
Cui datur Antiſtes vitæ ſervator honeſtæ,
Nomine *Paulinus*, Civis clariſſimus urbis
Romanæ, magno meritorum fretus honore,
Qui fuit ore ſimul verax & pectore prudens,
Juſtitiæ cultor, verus pietatis amator,
Catholicus Doctor, cœleſtia dona miniſtrans,
Gentibus æquoreis, ſolis ceu Lucifer ortum
Præcurrens, tetras tenebrarum diſcutit umbras,
Atque diem monſtrat mundo veniſſe ſerenum.
Sic pater ille pius, divino lumine verbi,
Expulit humanis tetricas de cordibus umbras.
Quique die quadam conſtanti pectore Regem
Aggreſſus retulit ſignum, quod diximus olim,
Nocte ſubobſcura juvenem vidiſſe paternis
Finibus expulſum, poſuitque in vertice dextram.
Territus agnoſcens prædictæ ſigna ſalutis,
Rex ſolio ſupplex ſtatim deſcendit ab alto,
Et ruit ante pedes venerandi Antiſtitis, atque
Omnia nunc faciam, dixit, quæcunque ſpopondi,
Atque Deum cœli credens venerabor ubique,
Qui mihi conceſſit vitam, Regnique coronam;
Namque erit ille mihi ſolus Deus omne per ævum.
Sed modo dic nobis ſit qualiter ille colendus;
Cui prompto gaudens reſpondit Epiſcopus ore,
Fœda procul fugiat primum cultura deorum,
Nec pecorum ſanguis falſis plus fumet in aris,
Nec calidis omen fibris perquirat Aruſpex,
Nec cautus volucrum ſervet vaniſſimus Augur,
Omnia ſternantur fundo ſimulachra deorum:
Hinc pius Antiſtes fidei myſteria cœpit
Teſtificare palam conſtanter in ordine cunctis,
Donec ipſe fidem concepit pectore toto
Rex pius, & populo perſuaſit credere Chriſtum.

Ecce! ſacerdotum *Caeſi* tunc temporis auctor,
Errorumque caput fuerat, cui Rex ait, *Eja*,
Arripe tela tibi prius inconſueta, Sacerdos,
Et jaculo celſum primus tu pollue fanum;
Qui fueras ſcelerum Doctor, nunc eſto ſalutis.
Annuit his dictis ſenior, paucisque reſpondit,
Hactenus incerto mea ſtamine vita pependit,
Obruit & dubiis animum caligo tenebris,
Exhinc certa ſequar, cupiens agnoſcere verum,
Æternumque Deum; vel ſiſtit vita futura;
An tormenta malis, maneant an præmia juſtis.
His rapuit dextra dictis haſtile minaci,
Atque marem conſcendit equum non more ſueto,
Cui per colla jubæ volitant, tumet ardua cervix;
Pectore ſublato velox fodit ungula terram,
Impatienſque moræ quatiebat morſibus aurum,
Terribilis qualis curvo fit *Parthus* in arcu,
Vel ſi longa leves vibrat haſtilia in auras,
Talis & ipſe petit jaculo faſtigia fani;
O nimium tanti felix audacia facti!
Polluit ante alios *quas ipſe ſacraverat aras.*
Plena fides patuit, nec adhuc in fonte lavatus,
Explevit virtutis opus pietate fideli.
Turba ſalutiferum ſequitur mox tota magiſtrum;
Viribus unanimis ſternunt ceduntque ſacellum:
Tunc erecta ruit fani ſtructura profani,
Funditus in cineres etiam diſtructa fatiſcit.
Adfuit interea tempus paſchale per orbem,
Quo Rex cum populo ſtatuit baptiſma ſubire,
Euboricæ celſis etiam ſub moenibus urbis;
In qua tecta Deo juſſit cito parva locari,
Sumeret ut ſub eis ſacram baptiſmatis undam.
Dum feſtiva dies inluxit temporis almi,
Cum natis ducibuſque ſimul, cum plebe ſequenti,
Undecimo regni Chriſto ſacratus in anno eſt
Fonte ſalutifero, præfatæ in moenibus urbis.
Cujus ab hinc culmen ſublimius extulit ille,
Metropolimque ſui ſtatuit conſiſtere regni.
Sic quoque *Gregorius* Præſul decreverat olim,
Semina dum vitæ *Romana* miſit ab arce
Gentibus *Anglorum*, confeſtim præcipit urbem
Hanc caput Eccleſiis & culmen honoris haberi,
Pallea Pontificeſque in ea veſtire ſacratos.
Sic pius Antiſtis primum *Paulinus* habebat,
Qui Domini legem meditans in nocte dieque,
ſedulus in populos ſparſit præcepta ſalutis:
Plurima quapropter convertit millia Chriſto;
Et fidei flammis virtutis & igne coruſcans.
Frigora bis ternis borealia depulit annis,
Rex quibus egregius regnaverat *Edwinus* idem,
Diſpoſuitque ſuas juſto moderamine leges,
Inlicitans ſervare fidem doniſque miniſque,
Eccleſiaſque ſuis fundavit in urbibus amplas:
Ex quibus *Euboricæ* ſolidis ſuffulta columnis
Nobilis illa manet celſo ſpecioſa decore,
Qua ſtatione ſacra fuit ille lavatus in unda,

Quam-

Quamque diu vixit *Chriſti* præcepta tenebat.
Illi quapropter clemens meliora parabat
Tradere regna Deus, Luci ſociata perenni;
Nam ſibi præſcriptæ mortis dum venerat hora,
Belliger occubuit ſubito ſocialibus armis;
O res cæca nimis terreno fidere regno!
Quod præceps fortuna rotat, fatiſque malignis
Vertitur, & variis ſemper motatur in horis.
Ecce! decem & ſeptem poſtquam regnaverat annis,
Edwinus occubuit regum clariſſimus ille,
Poſt quem non habuit præclara *Britannia* talem.
Hoc tamen Omnipotens fieri non paſſus inultum eſt;
Sed dedit *Oſwaldum* Regis regnare nepotem:
Qui ſubito veniens externis exul ab oris,
Firmiter invictæ fidei confiſus in armis,
Agmina parva [trahit] properans & pergit in hoſtem
Vaſtantem patriam, ferro flammiſque cremantem,
Millibus innumeris, ſpoliis nimiumque ſuperbum.
Sed pius *Oſwaldus* numero non territus ullo,
Alloquitur propriam conſtanti pectore turmam:
O quibus eſt ſemper bellorum vivida virtus,
Nunc, precor, invictas animis adſumite vires,
Auxiliumque Dei cunctis præſtantius armis
Poſcite corde pio, precibus, proſternite veſtros
Vultus ante Crucem, quam vertice montis in iſto
Erexi, rutilat Chriſti quæ clara trophæo;
Quæ quoque nunc nobis præſtabit ab hoſte triumphum.
Tunc clamor populi fertur ſuper aſtra precantis.
Et cruce ſic coram, Dominumque Deumque potentem,
Poplitibus flexis, exercitus omnis adorat.
His etiam geſtis promptus proceſſit in hoſtem,
Cædibus inrumpens hoſtilia caſtra cruentis,
Ut Leo cum catulis crudelis ovilia vaſtat,
Et pecus omne ferus mactat manditque trahitque;
Haud ſecus *Oſwaldus* Rex ſtravit ubique phalanges
Barbaricas victor gradiens per tela, per hoſtes,
Cædit & inculcat, fugienteſque atterit alas.
Prævenit *Oſwaldi* ſternendo exercitus hoſtes,
Sanguineos campis rivos poſt terga relinquens,
Donec ipſe luens cecidit *Cadwala* nefandus
perfidiæ poenas, moriens in ſtrage ſuorum,
Claraque magnifico ceſſit victoria Regi.
Hoſtibus occiſis regnum ſanctiſſimus *Oſwald*
Ingreditur, heros veterum condignus avorum,
Vir virtute potens, patriæ tutator, amator,
Moribus egregius, *Chriſti* mandata ſecutus,
Pauperibus largus, parcus ſibi, dives in omnes,
Judiciis verax, animi pietate benignus,
Excelſus meritis, ſummiſſus mente ſed ipſa,
Hoſtibus horribilis, cunctis jocundus amicis,
Ut bello indomitus, ſic pacta in pace fidelis.
Invaluit poſtquam ſceptris & culmine Regni,
Extruit Eccleſias doniſque exornat opimis,
Vaſa miniſteriis præſtans pretioſa ſacratis
Argento, gemmis aras veſtivit & auro,
Serica parietibus tendens velamina ſacris,

Auri blateolis pulcre diſtincta coronis,
Sanctaque ſuſpendit varias per tecta lucernas,
Eſſet ut in templis cœli ſtellantis imago,
Chriſticolaſque greges duxit devotus in illas,
Ut fierent Domino laudes ſine fine canentum.
O pietas, o celſa fides! nam quicquid habebat,
Prodigus in Domini gazarum ſparſit honorem:
Quapropter titulis virtutum claruit, atque
Signorum celebri fama eſt vulgatus ubique,
Quæ modo per mundum chartis inſcripta leguntur:
Quarum pauca libet lyrico nunc tangere plectro,
Et partes cantus calamo currente referre.
Tempore nam quodam præſul Sanctiſſimus *Ædan*,
Cum Rege & populo, Paſchalia feſta peregit,
(Ejus Rex monitis nam omni ſervivit in actu)
Plurima per plateas inopum tunc turba jacebat,
A Rege ſtipem rogitans clamore frequenti.
Ingrediens recubat jam & Rex ſimul atque ſacerdos,
Argentique prius penſantem plurima diſcum
Pondera cum dapibus ſtatim direxit egenis;
Vidit ut hoc Præſul dextram comprehendit, & infit,
Incorrupta, precor, maneat manus iſta per ævum.
Quod fuit & factum; ſancto nam Rege perempto,
Gentili gladio præciſam à corpore dextram
Stipite ſuſpendunt, veniens Rex illius hæres
Oſwi germanus, germani & ſanguinis ultor,
Arripuit dextram, *Bebbamque* ferebat in urbem
Argenti condens loculo ſub culmine templi,
Quod prius ipſe Deo ſtatuit ſub nomine *Petri*,
Hactenus integram fore ſigno eſt ungula creſcens,
Flexilis & nervus, viridis caro, forma venuſta.
Cujus quanta fides fuerat vel vis meritorum,
Poſt mortem, nituit magis ac magis undique ſignis.
Namque ubi pro patria pugnans à gente peremptus
Pagana cecidit, fiunt de pulvere multa
Signa ſalutifero. Quidam [dum] forte viator
Egit iter juxta fuerat qua ſcamma duelli,
Cujus equus ſubito totis laſſeſcere membris,
Cœperat & frendens ore ſpumare cruento,
Atque ruens campo volvi moriturus in illo,
Inque locum verſans venit, qua Rex pius *Oſwald*,
Occubuit quondam, tunc ſtatim corpore ſano
Exſurgens avide carpebat amœna vireta.
Intellexit Eques quicquam præſtantius illo
Eſſe loco, titulum ponens equitabat ab inde
Hoſpitium veniens quo tenderat; Ecce! puella
Tabida paralyſis gelido languore jacebat,
Ultima congeminans miſeræ ſuſpiria vitæ;
Cumque domus neptim patris turbata gemebat,
Suggerit hoſpes eam duci quo forte caballus
Sanatus fuerat; carroque impoſta puella
Ducitur ut juſſit monſtrans loca ſancta viator,
Et ſita corpus humi paulum dormivit ibidem,
Evigilanſque ſuam perſenſit adeſſe ſalutem.
Inde petivit aquam, faciem ſibi lavit, & ipſos
Compoſuit crines, caput & velamine texit,

Ductoreſque ſuos alacris deinde ſecuta eſt.
Alter iter faciens præfatæ per loca pugnæ,
Ecce loci ſpatium campo jocundius omni
Unius inſpexit, viridique venuſtius herba.
Hæc reputat ſecum, cecidit vir ſanctior iſtic,
Arbitror idcirco prodeſt hæc terra ſaluti,
Atque ligans panno tulerat de pulvere ſecum,
Venit & ad quamdam laſceſcens veſperæ villam,
Plebs epulare caſam villæ tunc venit in unam,
Qua quoque ſuſceptus veniens intraverat hoſpes,
Pulveris ac pannum poſta ſuſpendit in alta.
Contigit ut ſubito flammis volitantibus altum.
Ignis edax culmen raperet, nec viribus ullis
Extingui valuit, donec incendia totam
Conſumpſere domum; nimium res mira ſed acta eſt.
Pulvere ſacratam poſtam timet igneus ardor
Tangere, ſed penitus flammis intacta remanſit.
Qua virtute quidem viſa ſtupor omnibus ingens
Incubuit ſtatim, tunc cognovere quod ille
Pulvis erât ſacro Regis cum ſanguine mixtus
Oſwaldi, multis fuerat qui cauſa ſalutis.
Claruit his ſignis poſtquam locus iſte peractis,
Eccleſiis Chriſti jucunda & reddita pace,
Regis *Edelredi* regina, *Oſthfrida* fidelis,
Quæ fuit *Oſwaldi* ſancti jam filia fratris,
Curavit ſancti ſacris inducere tectis
Relliquias Patrui, dignoque recondere honore.
Oſſibus allatis, ſtupuit miracula late
Accola *Lindiſſæ*, cernens ſuper illa columnam
Oſſa viri ſancti ſummi ad faſtigia cœli
Luminis ætherei tota fulgeſcere nocte.
Major Relliquias quas tunc aulea tegebat;
Nam priſcis odiis aſſumere primitus oſſa
Inque monaſterium ſævi deferre negantes,
Nocte manere foras illa fecere coloni;
Sed dum divini viderunt luminis ignem,
Quæ prius abnuerant, ſecum retinere rogabant;
Maneque ſarcofago condentes lota parato,
Eccleſiæ tulerant magno ſub culmen honore,
Divitias terris curantes condere vivas.
In quo multa loco fiunt nunc uſque patroni
Ob meritum tanti in languentes dona ſalutis,
Sanctæ ſi fidei virtus comitatur eoſdem.
E quibus hoc unum properanti tangere plectro
Sufficit ut credas devôtus cætera lector;
Febre puer quidam jacuit per tempora longa,
Cœnobio languens citius moriturus in illo:
Ecce die quadam miſer ad loca ſancta ſepulchri
Ducitur, *Oſwaldi* meritis ne tangeret illum
Febris acerba, fides nam præcipit omne quod orat,
Credidit ut languens citus ad ſua tecta cucurrit
Corpore ſanato properans & pectore læto,
Morbida nec audet plus illum tangere febris.
Poſtea Rex felix ornaverat *Oſſa* ſepulchrum
Argento, gemmis, auro, multoque decore,
Ut decus & ſpecimen tumbæ per ſecla maneret,

Præmia pro modico ſumpturus magna labore.
Nec non terra micat cœleſtibus inclyta ſignis
Corporis, ut dixi, quæ ſancti lota lavacro eſt,
Sumpſit & effectum vincendi tela maligni
Dæmonis, & ſanos vexatis reddere ſenſus.
Abbatiſſa quidem quædam loca ſancta videre
Advenit, ſeſe & meritis committere ſancti.
Jamque domum rediens tulerat de pulvere terræ,
Ablutis ſacram quæ ex oſſibus hauſerat undam;
Tempore tranſacto veniebat hoſpes ad illam,
Dæmone qui fuerat nocturnis ſæpius horis
Vexari ſolitus, clamoribus, ecce! repente
Cœperat horrendis frendens loca lata replere,
Morſibus & furens ſemet lacerare nefandis.
Et cum nullus eum potuit conſtringere vinclis,
Vel miſeri ſævos flagris compeſcere motus:
Hæc abbatiſſæ quidam narrare cucurrit.
Illa videns miſeros motus, voceſque furentis,
Juſſerat adferri ſacro cum pulvere capſam.
Et cum virgo ferens veniebat, & atria tecti
Intraret, ſubito tacuit furioſus, & omnes
Compoſuit motus, ſomno quaſi membra dediſſet.
Quiſque rei adſtantes ſpectabant exitus, eſſet
Poſt horæ ſpatium vexatus, & ipſe reſedit,
Suſpirans graviter, ſanus tum ſenſibus, inquit,
Redditus, & vacuas fugit vagus hoſtis in auras.
Mirantur cuncti ſtupidis hinc inde loquelis
Incolumem ſubito cernentes corpore toto,
Oſſibus, & nervis, necnon & mente vigentem;
Inquirunt ſubitæ cauſam mirando ſalutis,
Qui reſpondit ovans, ut venit virgo locellum
Portans & pedibus tetigit hæc atria, ſtatim
Diſceſſere procul qui me torquere ſolebant
Dæmones, ut fugiunt veniente luce tenebræ.
Cui portanda data eſt ſecum pars pulveris almi;
Ac poſt talis ei fuerat vexatio numquam.
Te quoque ſancta, potens virtutibus, inclyta multis
Crux veneranda canam, nequeam ſi promere dignos
Laude tua verſus. Reparaſti perdita pridem,
Nunc iterum per te cedit victoria Regi
Oſwaldo, ut quondam paucæ cecinere camoenæ.
Exin mirificis fulſit tua gloria ſignis;
Ad te tota fide famoſa *Britannia* currit
Quærere pro variis ſibimet medicamina morbis.
Et ſpe ad te etiam venientem fallere neſcis,
Namque ſalutis opes redeuntes ſæpe reportant.
Non ego ruricola poſſum percurrere plectro
Omnia multoties quæ per te ſigna geruntur,
Et pecora atque homines, etiam juveneſque ſeneſque,
Denique præciſæ de te ducuntur ubique
Particulæ, per quas fiunt pia dona ſalutis.
Sufficit è cunctis hoc ſolum dicere ſignum.
Frater erat quidam caſu confractus acerbo,
Infractique dolens penitus gemit oſſa lacerti,
Cumque dolor nimius ſuccreverat & tumor ardens,
Pectoris ingeminat Lacrymans ſuſpiria ſeſſi

De

De cruce cui quidam veteres jam veſpere muſcos
Attulit, in gremium ſibimet quos projicit æger:
Cumque iret cubitum oblitus deponere muſcum,
Neſcius in gremio ſomno præventus habebat,
Evigilans medio morboſus tempore noctis,
Ecce aliquid gelidi lateri ſibi ſenſit adeſſe,
Admotaque manu ſanum ſe forte fuiſſe
Reperit, atque nihil fractura ſenſit ab illa.
  Inclyta fama viri, nec ſolum jure *Britannos*
Inluſtrat populos, trans inſuper æquora ponthi
Aſperſit radios, quibus & *Germania* fulſit.
E quibus & quædam populoſa *Hibernia* ſenſit.
Sed nobis ſignum vero inter multa relatu
Hoc narrare placet; diræ nam tempore peſtis,
Æquoreos populos lata quæ clade peremit,
Scotorum genere Scholaſticus acer in arte,
Hoc fuerat morbo patria percuſſus in illa,
Librorum ſtudio doctus, ſed nulla futuræ
Cura fuit miſero vitæ, ſibi cumque videret
Mortis adeſſe diem, magno trepidare timore
Cœperat, ob merita ſcelerum, ne ad tartara dira
Mortuus inferni raperetur, voce gementi
Alloquitur ſocium, *frater, mihi mortis amaræ*
Articulus properat, citiuſque ad tartara ducar,
Perpetuæ mortis, quia, jam non tempore parvo,
Criminibus tantum penitus ſervire ſolebam.
Proh dolor! hæc propter novi feralia flammis
Tartara parta mihi. Totis mihi ſenſibus eſt hinc,
Si velit Omnipotens miſero concedere vitam,
Viribus anniſis mores mutare malignos.
Nec tamen eſſe mei meriti ſcio vivere tantum,
Ni mihi concedat vitæ modo munus amatæ
Sanctorum meritis miſerantis gratia Chriſti.
Audivi quondam celebri rumore referri
Oſvaldi *Regis laudes virtutibus amplas.*
Tu quia de genere es Saxonum *collega natus,*
Forſan habes ejus quicquam modo relliquiarum:
Cui ſocius ſtatim fidam profatur in aurem;
Pars inventa ſacri eſt mecum de ſtipite ligni,
Infixum fuerat caput occiſi illius in quo;
Et ſi firma tenes fidei tu pectora credens,
Per tanti pietas meritum divina patroni,
Hujus adhuc vitæ donat tibi tempora longa;
Inſuper æternæ præſtabit gaudia forſan.
Nec mora, quin toto dixit ſe credere corde:
Tum benedixit aquam ſocius, partemque ſacrati
Roboris inmittens ægro dedit atque bibendam.
Qui mox convaluit, mortique ereptus ab illa eſt.
Exhinc incolumis multo jam tempore vixit,
Ad Dominumque ſuam vitam converterat omnem,
Magnificaſque Deo laudes referebat ubique,
Et Domini famulum magno celebrabat honore.
  Sanctus ter ternis *Oſvald* feliciter annis
Imperio poſtquam regnorum rexit habenas,
Ipſe quas retinet famoſa *Britannia* gentes,
Diviſis linguis populis per nomina patrum;

Atque annos poſtquam ter denos vixit & octo,
Auguſtas ſacra Nonas jam morte dicavit;
Aſcendit meritis cœleſtia regna coruſcis,
Oſuvi germano terreſtria ſceptra relinquens.
Interea obtinuit multo jam ſceptra labore,
Principio propriæ rector novus *Oſui* gentis;
Impugnatus enim fuerat hinc, inde viciſſim,
Sæpius externis prædantibus undique fines.
Inſuper à propriis perpeſſus bella propinquis,
Qui crudele manu lacerabant viſcera regni,
Cognato implentes ſceleratas ſanguine dextras;
Nec metuunt patrias gentilia caſtra per urbes,
Invidia cogente fera, deducere, vel ſic
Viribus externis conantes ſternere Regem.
Cui fuit ante alios primis infeſtus ab annis
Hoſtis Rex *Pendan*, fortis virtute doloque,
Occiſor fratris, regni & vaſtator acerbus;
Qui ter dena ſibi conduxit millia bella,
Ter denoſque duces totidem deducere turmas
Diſpoſuit, quorum certus fuit uſus in armis.
Hac vaſtare manu vemenſque evertere regnum,
Mœnia deſtruxit, homines mucrone peremit,
Imbribus exundans torrens ceu montibus altis
Sternit agros, ſegeteſque rapit, ſilvâſque recidit.
Sic dux ipſe ferox devaſtans omnia preſſit,
Dans ſimul in peſſum pueros, juveneſque, ſeneſque.
Nullus eum ſexus, vel nulla retraxerat ætas
Ad pietatis opus; nullo quia jure pepercit.
Sed rector, cui cura fuit defendere gentem,
Seque ſuoſque ſimul *Chriſti* tutarier armis,
Legit & ipſe viros fortes, atque agmina tanta
Venerat haud trepido contra Rex pectore promptus,
Milite cum raro, primo ſed numen olympi
Fletibus & votis conſtanti corde popoſcit.
His actis etiam hoſtiles ut vidit ubique
Innumeras acies latis diſcurrere campis,
Has contra oppoſuit parvum licet impiger agmen,
Millia trina ciens tantum, ſed prompta duello.
Nec mora quin mediis ſe immiſerat hoſtibus audax,
proturbans acies *Chriſti* teſtudine fretus.
Mox timor inpactas populorum diſpulit alas,
Qui pugnæ immemores, armis teliſque relictis,
Tuta fugæ petiere loca, & ſua ſigna revellunt.
Palantum cuneos victor Rex cædit ubique,
Horriſona increpitans fugientes voce phalangas.
Arma cruore natant, mutantur ſanguine fontes;
Fugit & ipſe ſimul tanta vix clade coactus
Dux *Pendan*, cernens cædes ſtrageſque ſuorum:
Nec tamen evaluit fugiens evadere mortem,
Sed gladio cecidit victrici occiſus & ille.
Curritur ad prædam paſſim, & laus digna tonanti
Redditur æterno, ſemper qui liberat omnes
In ſe ſperantes clemens, & ſalvat ubique.
Hoc erat hoc etiam multis ſatis utile bellum:
Namque ſuam gentem Rex hoſtibus eruit acris,
Merciorum fidei ſceptris & ſubdidit almis,

Sacrato faciens Baptiſmatis amne lavari;
Perque illum, donante Deo, ditatur uterque
Magnifico populus cœleſtis munere doni;
Ille hæres patriæ factus, hic civis olympi.
Ambo gentiles gemino micuere triumpho,
Dæmonis ille jugo, terreno hic hoſte ſolutus.
  Plurima continuis domuit poſt regna triumphis
Oſvi, nobiliter patrias & rexit habenas,
Æquoreaſque ſibi gentes hinc inde ſubegit,
Has terrore premens, illas mucrone coercens,
Victrices aquilas per regna ferebat ubique.
Legibus ille etiam fuerat juſtiſſimus æquis,
Invictus bellis, nec non in pace fidelis.
Donorum largus miſeris, pius, omnibus æquus;
Imperium retinens ſeptenos nam quater annos,
Compoſitis rebus felix in pace quievit,
Egfredo tradens proprio diademata nato,
Egfredo moriens regalia ſceptra relinquens.
  Tempore nam micuit *Wilfridus* Epiſcopus illo,
Quem Deus omnipotens infudit luce ſuperna,
Errorum tetricas terris ut pelleret umbras,
Per loca, perpetuæ quapropter multa ſalutis
Gentibus & populis doctrinæ lumina ſparſit.
Illius auſtralis ſtudio *Saxonia* Chriſtum
Credidit, & claro perfuſa eſt lampade vitæ.
Nec ſolum populos animæ de morte maligna
Illos *Antiſtes* doctrinis eruit almis,
Sed nece de præſente ſimul ſalvavit eoſdem.
Tempore contiguis illo nam ſub tribus annis
Non ros, non imber ſitientes irrigat agros.
Arida flammigeris tabeſcit terra ſub aſtris,
Et victum pariter hominique feræque negabat.
Atque famem ſequitur morientum cladis acervus,
Præcipiteſque ruunt multi de rupibus altis.
Aſt alii rapidis ſeſe merſere ſub undis,
Ut ſibi præriperet longum cita mors cruciatum.
Ipſa namque die, quo gens ſuſceperat illa
Doctrinis imbuta ſacris Baptiſmatis undam,
Deſcendit pluvia, & telluribus aura ſerena
Et terræ rediit ſpecimen viridantibus arvis,
Florigero campi monteſque ornantur amictu,
Frugifer agricolis lætantibus inditur annus,
Inque Deum carnes cunctorum cordaque vivum
Exultaverunt, (cecinit ſicut antea *David*)
Certius æternis inhiantes pectore donis,
Quo ſumpſere prius ſibimet terrena per illum.
  Hic quoque compulſus *Romam* properabat adire,
Sed prius eſt ventis *Freſonum* vectus in oras,
Atque ibi mox populi convertit millia *Chriſto*,
Plurima perpetuæ demonſtrans dona ſalutis.
Et quocunque pedem movit, pia ſemina ſevit,
Pectora perfundens arentia rore ſuperno,
Inclyta cœleſti complevit & horrea fructu,
Et celebri fama lato laudatur in orbe.
Dum pius illud iter geſtit complere Sacerdos,
Ecce! repente fuit morbo perculſus acerbo,

Perque dies multos valido creſcente dolore,
Venit ad extremum confecto corpore finem,
Bis binoſque dies ſenſu ſine corporis omni
Exanimis jacuit pene, & ſpiraminis extors,
Voce carens membriſque ſtupens, in pectore tantum
Frigida vix tenui duxit ſuſpiria flatu.
Diſcipuli ſocii ſtabant hinc inde gementes,
Lugenteſque ſui funus lacrymabile patris.
Ecce! die quinta, ſubito pater ipſe reſedit,
Atque levans oculos, ſocios conſpexit & infit,
Quid juvat atroci tantum indulgere dolori;
Cui vult Omnipotens poterit miteſcere judex,
Extremamque novum vitam convertere in ortum.
Namque ſuum Clemens legatum miſit ab aſtris,
Qui ſteterat niveo nimium præclarus amictu,
Et mihi flammigero prædixit talia vultu;
Me pius altithronus Michaelem *miſit olympo,*
Dicere quod morbo nunc confortaberis iſto,
Pro meritis ſanctæ matris precibuſque Mariæ,
Quæ gemitus, lacrymas, ſociorum & vota tuorum,
Auribus è ſolio cœleſti audivit apertis;
Depoſcens tibimet vitam ſimul atque ſalutem.
Eſto tamen quarto venienti paratus in anno,
Ipſe ego tunc iterum veniam te viſere, nam tu
Tempore tranquillo patriæ morieris in oris.
Angelicos ſequitur monitus mox vita ſaluſque,
Necnon, expletos poſt quatuor exitus annos,
Præſulis egregii prædicto eſt fine ſecutus.
Sic & in Eccleſia, quam *Petri* erexit honore,
HRipenſi eſt poſitus, felix in pace ſepultus.
Vir quoque temporibus ſanctus fulgebat in illis,
Angelicam *Cuthbertus* agens in corpore vitam,
Qui fuit à puero ſignis inſignis, apertis
Moribus, & meritis ſtatim ſuccrevit honeſtis;
Atque manens monachus primævo tempore clarus
Doctor Apoſtolicus fuit, hinc & Presbyter almus,
Et loca fructiferis replens inculta virectis,
Fontibus æternis ſitientia prata rigabat;
Divina & cunctos formans virtute ſequaces,
Dogmatis ætherei radios ſpargebat ubique,
Diſcutiens tenebras errorum luce ſerena.
Eſt locus Oceano dictus cognomine *Farne*,
Inſula, fontis inops, frugis & arboris expers;
Hanc petit intrepidus *Chriſti* bellator opimus,
Contemplativos cupiens & carpere flores;
Ipſe Deo ſoli ſolus ſervire ſategit,
Ne mundanus honor mentem mutaret alacrem.
Hîc heremita ſacer non parvo tempore vixit,
Sæpius angelicis felix affatibus uſus,
Toxica mortiferi vincebat tela draconis.
Attamen abſtractus multis rogitantibus inde,
Tandem conſenſit ſecretam linquere ſedem,
Pontificiſque gradum, populis & Rege coactus,
Quandoque ſuſcepit cunctis orantibus illum;
Nobiliter binis digne quem rexit in annis,
Plurima conquirens animarum lucra Tonanti,

Et bene commiſſum ſibimet ſervavit ovile,
Ne lupus inſidians *Chriſti* deroderet agnos.
Sed mox mundani culmen vitavit honoris,
Ipſe petens iterum ſoliti ſecreta cubilis,
Atque ibi præſentis ſpectaverat ultima vitæ,
Quæque Dei famuli ſacrata eſt inſula morte.
Nam locus ille nitet ſignis hucuſque coruſcis,
Ex quo Pontificis linquens ergaſtula carnis
Spiritus alta petens ſcandit ſuper aſtra polorum.
Nec non & claris fiunt miracula rebus,
Facta loco ſacrum pauſat quo corpus humatum,
Cujus tota fuit cœleſtibus inclyta ſignis
Uſque diem mortis primævo tempore vita.
Omnia quæ dudum præclarus *Beda* ſacerdos
Proſaice primum ſcripſit ſermone magiſter,
Et poſt Heroico cecinit miracula verſu.
Qualiter angelicos monitus medicina ſecuta eſt,
Dum tumor in tenero ſuccrevit corpore fervens,
Aut quomodo ipſe puer ventis per cœrula puppes
Jactatas precibus revocabat ab æquore quinas.
Qualiter aut animam ferri ſuper aſtra videbat
Præſulis *Ædani*, teneros dum paſceret agnos,
Cœlicolam, quomodo terreno pane fovere
Dum cuperet, meruit cœleſtes ſumere ab illo.
Ut belluæ gelidum villo flatuque fovebant,
Cernentem fratrem morbo culpaque relaxat.
Utque precando famem projectus ab æquore nautis
Abſtulit, & certum prædixit adeſſe ſerenum.
Aut quomodo ex aquila delato piſce cibandum
Se ſociumque ſuum prædixit, & eſt ita factum.
Aut quomodo ardentes avertit ab ædibus ignes,
Incumbens precibus, juvenum quas dextra nequibat.
Dæmoniaca quidem vel qualiter uxor ab illo
Sit ſanata, prius quam tecta rogantis iniſſet.
Dæmones aut quomodo ſanctus de *Farne* malignos
Expulerit juxta faciens ſibi tecta manendi.
Ex ſicco ut liquidam produxit ceſpite lympham,
Quæ ad votum Patris præſtabat in ore ſaporem.
Qualiter ipſe ſibi meſſem ſeviſſet in agro,
Et volucres verbo tantum pepuliſſet ab illa.
Ut mare cum belvis ſancto ſervire ſolebat.
Plurima veridico prædixit & ore futura,
De ſe, deque aliis quæ præſcius ante videbat.
Qualiter uxori Comitis, cui miſerat undam
Sacram, reſtituit depulſa peſte ſalutem.
Chriſmate ſic quandam ſanaverat ipſe perunctam
A morbo lateris capitiſque dolore puellam.
Ut benedictus item delatus panis ab illo
Inmiſſis lymphis quendam ſanaverat ægrum.
Qualiter aut juvenem moriturum forte viator
Repperit, orando cui reddidit ipſe ſalutem.
Ut pius atque pater, morbo vaſtante *Britannos*,
Prædixit matri natique domuſque ſalutem.
Qualiter aut animam paſtoris ab arbore lapſi
Angelicos cœlo cœtus inferre videret.
Atque ſuum ægrotans curaverat ipſe miniſtrum,

Profluvii ventris fuerat qui tabe gravatus.
Qualiter undecimo poſt mortem corpus in anno
Integrum fuerat tota cum veſte repertum.
Dæmoniacus humo, ſupra quem funditur unda
Sanatur ſacros Patris quæ laverat artus.
Ægra trahens quidam ſuſpiria qualiter orans
Illius ad tumulum morbo ſanatus ab illo eſt.
Languidus utque oculis tangens oraria vaſis,
Illius ex viſu dolor & caligo receſſit.
Calciamenta patris reſoluto corpore quidam
Induit & ſanis perrexit greſſibus inde.
Qualiter infirmi curentur tegmine, ſub quo
Spiritus aſtra petit ſancti terrena relinquens.
Hæc breviter tetigi, ne tota tacere viderer
Inclyta rurali perſtringens carmine geſta.
Hæc quoniam cecinit plenis cum verſibus olim
Præclarus nitido *Beda* ſermone magiſter,
Ni præveniſſet noſtras prius ille camoenas,
Inciperem lyricas omnes extendere fibras.
Non *Pana* rogitans, *Phoebi* nec numen inane;
Sed tua cum toto ſuffragia corde precarer,
Ut mihi rorifluam donares *Chriſte* loquelam,
Ad Narranda pii digne præconia patris.
Belliger *Egfridus* poſtquam hinc inde triumphos
Geſſerat, & gentes domuit ſub marte feroces,
Accepit ſponſam *Adiltrudam* nomine dictam,
Nobilium genitam regali ſtirpe parentum,
Nobilior longe caſta quæ mente manebat.
Nam licet illa foret thalamo conjuncta ſuperbo,
Regia biſſenos pariter jam ſponſa per annos,
Intemerata tamen permanſit virgo per ævum,
Inter jura thori vincens incendia carnis.
Virginis alma fides, Regis patientia mira!
Vincitur hic precibus, ſed amore Tonantis & illa;
Ambo ſacris fidei ferventes ignibus intus,
Permanſere ſimul conjux cum conjuge caſti.
Quamque integra foret vivens in corpore virgo,
Poſt mortem Dominus ſignis patefecit apertis;
Nam caro ſex denos etiam tumulata per annos
Incorrupta quidem tota cum veſte reperta eſt.
Corpus erat vegetum nervis & flexile totum,
Et facies rutilo fulgebat ſancta decore.
Et quod jure magis multum mirabile dictu eſt,
Ante dies mortis binos in corpore vulnus,
Quod medicus fecit nimio cogente timore,
Apparet ſanum, tenuiſſima viſa cicatrix,
Ulceris obtendens veteris veſtigia tantum.
Veſtis item, ſacros quæ texit virginis artus,
Expulit atrocem de obſeſſis ſæpe chelydrum.
Nec non tumba prior, tenuit quæ virginis almæ
Sacro ſancta ſinu ſub terris membra recepta,
Extiterat multis optatæ cauſa ſalutis,
Atque ægris oculis præſtaverat ipſa medelam.
Iſtius ergo ſacræ prædictus *Beda* puellæ
In laudem fecit præclaris verſibus hymnum;
Qua propter tetigi parcis hæc pauca libellis,

Ut

Utpote commemorans veteris proverbia dicti,
Tu ne forte feras in ſilvam ligna viator.
Tunc quoque forte fuit quiddam memorabile geſtum,
Æſtimo quod multis prodeſſe legentibus iſta,
Si tamen hæc quiſquam reputabit digna legendo.
Extinctus regis frater fuit *Ælfwine* bello,
In quo miles item quidam proſtratus in armis
Nobilis occubuit crudeli ſtrage peremptus,
Exanimiſque diem duxit cum nocte ſequenti;
Qui tamen, extinctos anima redeunte per artus,
Redditus eſt vitæ, & ſumpta virtute valeſcens,
Atque ligans ſibimet refluentia vulnera, feſto
Cœpit abire gradu, ſed captus ab hoſtibus, atque
Ad Comitem quendam reflexo eſt calle reductus;
Cui Comes inſtituit de ſe narrare quis eſſet,
Ille tamen metuit clara ſe ſtirpe fateri
Progenitum, dicens pauper ſum & ruſticus unus,
Atque mari tali vivebam jure ligatus.
Quem Comes accipiens primo curare ſategit;
Ne tamen aufugeret vinciri juſſit, at ille
Vinciri nunquam potuit, nam cuncta reſolvi
Vinculo ſponte ſua mirando more ſolebant.
Hæc dum cernebant ſtupefactis mentibus hoſtes,
Artibus ex magicis ſeu ſcriptis eſſe putantes,
Sæpius addebant priſcis nova vincula vinclis.
Hoc Comes ammirans ſecrete convocat illum,
Et cur non poſſet vinciri inquirit ab illo:
An prius aut magicas didiciſſet forſitam artes?
Noſſe nihil ſtudiis ſe ex talibus ille fatetur.
Eſt mihi ſed frater devoti pectoris, inquit,
Quem ſcio quod *Chriſto* pro me ſolemnia cantat
Miſſarum, quoniam me putat eſſe peremptum.
Et ſi forte animam nunc altera vita teneret,
Illius illa preces propter miſſaſque frequentes
Libera, credo, foret, pœnaſque evaderet omnes.
Tunc cognovit eum reſponſis ille receptis
Dux fore præclara genitum de ſtirpe parentum;
Et quamvis ſibimet viſus ſit jure necandus
Eripit hunc morti, cuidam ſed vendidit illum,
Qui quoque tentat eum diris vincire catenis.
Nec potuit, quoniam prædicto more ſolutus,
Liber ab impoſitis remanebat corpore vinclis.
Sæpius hæc equidem ſed præſtitit hora diei
Tertia, qua frater miſſarum dona ſolebat
Corde offerre pio; dominus dum talia cernit
Mira, facultatem dat ei ſeſe redimendi.
Liber & ille redit pretii ſub jure redemtus,
Atque domum repetens narraverat omnia fratri,
Sed referente illo cognovit tempora frater,
Illo quibus vinclis reſolutum ſe referebat,
Hæc eadem fieri quibus & ſollemnia ſemper
Miſſarum celebraſſe Deo ſeſe recolebat.

Præfuit *Egfridus* regno fœliciter annis
Ter quinis faciens victricia bella, quouſque
Agminibus miſſis animo trans æquora ſævo,
Præcipiens gentes *Scotorum* cæde cruenta

Vaſtare innocuas, *Anglis* & ſemper amicas.
Mox adverſus eum *Pictis* bellantibus, ipſe
Occubuit victus miſera cum clade ſuorum,
Imperii linquens *Altfrido* regmina fratri,
Qui ſacris fuerat ſtudiis imbutus ab annis
Ætatis primæ, valido ſermone ſophiſta,
Acer & ingenio idem Rex ſimul atque magiſter.
Præfuit Eccleſiæ venerandus *Boſa* ſacerdos,
Condignis gradui meritis tunc temporis alto,
Vir monachus, præſul, doctor moderatus, honeſtus;
Quem divina ſacris virtutum gratia ſertis
Compſerat, & multis fecit fulgeſcere donis.
Plurima quapropter congeſſit lucra Tonanti,
Retia mundanas immittens ſacra per undas
Æquoreas, *Chriſto* prædas ad littora traxit.
Vir ſine fraude bonus, dives pietate ſuperna,
Inque Domum Domini fulſit ceu Lucifer ardens.
Hic Pater Eccleſiæ cultum decoravit, & illam
Moribus à plebis penitus ſecernit, & uni
Deſervire Deo ſtatuit, ſimul omnibus horis.
Ut Lyra continuo reſonaret myſtica plectro,
Æthereas Domini decantans laudibus odas.
Vox humana quidem ſuperum pulſaret olympum,
Omnia diſpenſans alternis tempora cauſis,
Lectio nunc fieret, ſed nunc oratio ſacra,
Quiſque Dei laudes præferret corporis uſu.
Juſſerat hunc raptim complere negotia carnis,
Omnibus ut fieret parvus ſopor, eſca ſub actu.
Non terras, victuſque, domus, nummiſmata, veſtes,
Nec quicquam proprium ſibimet jam vindicet ullus;
Omnia ſed cunctis fierent communia ſemper.
Qui terrena ſibi, † cœlorum vel petit hæres
Gaudia, † qui cunctis fieret communia regni.
Hic pius Antiſtes magnis virtutibus hujus
Implevit poſtquam præſentis tempora vitæ,
Tranſit in æthercam lætus feliciter aulam.
Viſio temporibus memorabilis acta ſub iſdem,
Ut reor, in noſtro ſic erit ſi carmine ſcripta,
Proderit æterna multis de morte vocandis,
Poſſet ut ergo animas vitiis ſanare peremptas.
Mortuus, ecce! diu ſurrexit corpore quidam,
Multaque quæ vidit memoratu digna ferebat,
E quibus hîc noſtris addemus pauca camœnis.
Ergo domum propriam communi in plebe maritus,
Atque ſuam rexit juſto moderamine vitam,
Qui poſt tactus erat morbo jam carnis acerbo,
Perque dies multos, valido creſcente dolore,
Infirmus recubans extrema pericula duxit;
Mortuus ac tandem primo ſub tempore noctis,
Ejus in extrema reſpirans parte revixit,
Atque reſurgendo cunctos ſimul inde fugavit
Funeris exſequias peragentes nocte ſub ipſa.
Plus ſed amore vigens conjux ibi ſola remanſit,
Quam nimium pavidam rediens à morte maritus
Cœperat hortari, reliquis fugientibus illinc:
Quæ mihi fida ſatis remanes ex omnibus, inquit,

Te rogo, ne metuas nunc me, dulciſſima conjux,
Vivo equidem, vere ſurrexi à morte remiſſus,
Sed mihi longe aliter nunc altera vita ſequenda eſt;
Gaudia vel luxus meme damnare neceſſe eſt.
Nec mora, divitiis mox omnibus ille relictis,
Jura monaſterii devoto eſt corde ſecutus,
Atque ibi tam duro domuit ſub pondere corpus,
Ut facile ex vita poſſent cognoſcere cuncti,
Quæ vel quanta prius ductus de corpore crevit.
Iſto namque modo quæ vidit ferre ſolebat.
Splendidus, inquit, erat qui me de corpore duxit,
Et contra æſtivum ſolis proceſſimus ortum,
Quo ad latam vallem devenimus atque profundam,
Cujus in oblongum extenſa eſt ſine fine vorago,
Quæ latus horrendum flammis ferventibus urunt,
Atque aliud habuit glaciali grandine plenum:
Hæc animabus erat hominum hinc inde repleta,
Quæ nimis exuſtæ dum flammas ferre nequibant,
Frigoris in medium miſere mox proſiliebant,
Cumque ibi nec poterant requiem reperire, viciſſim
Flammivomum flentes iterum ferebantur in ignem.
Hæc cernens mecum meditabar, forte quod eſſet
Pœna infernalis, quam ſæpe audire ſolebam.
Ductor & ille mihi meditanti talia dixit,
Non ut ipſe putas iſthic infernus habetur.
Cumque hæc aſpicerem, pavidum me duxit in ante,
Tunc ſubito vidi tenebris loca cuncta repleri,
Intranteſque illas denſatæ noctis imago
Nos circa incubuit, nec quicquam cernere præter
Ductoris ſpeciem potui veſteſque nitentes.
Et ſic ingreſſi ſola ſub nocte per umbras,
Ecce repente globi flammarum valde tetrarum
Sicuti de puteo ſurgunt iterumque reſidunt;
Tunc aberat ſubito ductor ſoluſque remanſi,
In mediis poſitus trepidus ſtupiduſque tenebris.
Cumque globi flammæ peterent alta atque viciſſim
Motibus alternis repetebant ima barathri,
Omnia flammarum faſtigia cerno repleri
Spiritibus hominum miſeris, qui more favillæ
Cum flammis pariter ſcandebant atque cadebant,
Sed nimius fœtor late loca cuncta replebat.
Longius hæc cernens circumſtetit undique terror,
Ut pote quid facerem, poſſemque vertere greſſum
Inſcius, aut miſero qui finis forte maneret.
Audio tum ſubito ſonitum poſt terga gementum,
Nec non ceu vulgi capto ſuper hoſte cachinnum;
Qui prope dum veniunt hoſtes agnoſco malignos,
Ad pœnas animas ululantes quinque trahentes,
Cum quibus in medii deſcendunt ima barathri.
Flammivomo è puteo quidam deinde maligni
Dæmones aſcendunt, oculis flammantibus, atque
Me circumſteterant putidum de naribus ignem,
Oreque ſpirantes ignitis, meque minantur
Prendere forcipibus, nec me contingere tantum
Jam poterant, quamvis multum terrere valerent.
Tunc ego concluſus tenebris, & ab hoſte coactus,

Circum-

Circumſpexi oculis, aliquid ſi forte veniret
Auxilii, quo jam ſalvarer ab hoſte cruento.
Tunc mihi poſt tergum fulſit quaſi ſtella per umbras,
Quæ magis accreſcens properanſque fugaverat hoſtes.
Dux erat ille meus veniens cum luce repente,
Cujus in adventu fugerunt dæmones atri.
Hinc convertit iter brumalem ſolis ad ortum,
Noctique ereptum nitidas me duxit in auras.
Ante ubi nos murus ſubito comparuit ingens,
Qui ſine fine ſui ſic viſus longus & altus,
Nullus ut extenſo videretur terminus illi.
Sed prope dum venimus, quo, quali neſcio certe
Ordine, nos fuimus ſtantes in culmine muri.
Ecce ibi campus erat magnus pulcerrimus, atque
Cujus tantus erat fragrantis nitor odoris,
A me fœtorem mox ut depelleret omnem:
Et lux tanta ſacrum perfuderat undique campum,
Vinceret ut lucem ſolis ſimul atque diei.
In his ergo locis lætas habitare videbam
Sanctorum turmas ſedeſque tenere beatas.
Hæc ego conſpiciens mecum meditabar, an eſſent
Regna ſuperna poli cunctis promiſſa beatis.
Hæc mihi volventi reſpondit ductor, & infit
Non ſicut ipſe putas iſthic ſunt regna polorum.
Fulget in ante novæ major mihi gratia lucis,
Quæ nimio ſuperat lucem fulgore priorem,
Nam tunc illa prior vere tenuiſſima viſa eſt.
Vox quoque cantantum reſonat dulciſſima ibidem,
Et cum luce fuit miri flagrantia odoris,
Ut mihi propter eam parviſſima prima putata eſt.
Quo nos dum lætus ſperarem intrare, repente
Subſtitit ipſe meus ductor greſſumque retorquet,
Meque via per quam nos venimus, inde reduxit,
Intranteſque iterum campi loca pulchra prioris,
Omnia quæ vidi, ſi ſcirem forte, requirit:
Neſcio cui dixi, ſtatimque hæc addidit ille;
Vidiſti vallem flammis & frigore plenam,
In qua nunc animæ pœnis purgantur acerbis,
Ac redeunt iterum purgatæ ad præmia vitæ.
At vero puteus putidum qui eructuat ignem
Eſt os inferni, ruerit nam quiſquis in illum
Forte ſemet, numquam poſthæc ſalvabitur inde.
Floriger iſte locus quem poſſidet alba juventus,
Eſt requies in qua ſpectant cœleſtia regna,
Qui bona geſſerunt, quamvis ex parte minus quam
Poſtulat alma fides: nam qui perfectus ubique eſt,
Ut moritur, ſtatim cœli penetrabit in aulam.
Pertinet ad cujus vicinia fulgidus ille
Luce locus nimia, miri quoque plenus odoris,
De quo cantantum ſuaviſſima vox reſonabat.
Tu quia nunc iterum debes aſſumere corpus,
Atque homines inter, moritura vivere vita,
Corrige quæſo tuos mores & verba, vel actus;
Ut tua in his ſancta reputetur manſio turmis.
Hæc ubi dicebat, quomodo ſed ſcire nequivi,
Indutum proprio ſtatim me corpore vidi.

Nec gens clarorum genetrix hæc noſtra virorum,
Quos genuit ſoli ſibimet tunc ipſa tenebat
Intra forte ſui concludens viſcera Regni,
Sed procul ex illis multos trans æquora miſit,
Gentibus ut reliquis præferrent ſemina vitæ.
E quibus ille fuit dictus cognomine *Sanctus*
Egberet Antiſtes, primis ætatis in annis
Qui liquerat patriam patriæ cœleſtis amore,
Et peregrina petens *Scotis* jam maxima vitæ
Tunc exempla dabat doctrinæ lampade fulgens,
Actibus inſtituens, verbis quoſcumque docebat.
Pauperibus largus, ſibimet ſed ſemper egenus.
Sic bonus egregiæ duxit moderamina vitæ,
Uſque diem mortis clara pietate coruſcans.
Cui fuerat ſocius meritis & moribus aptus,
Et comes exilii *Wibert* præclarus in omni
Religione ſatis, ſed poſt diviſus ab illo
Theoricam ſolus vitam diſtrictus agebat,
Inde ſuæ gentis monachis conſtruxit ovile
Egregium, vitæ meritis & moribus illud
Exornans ovibus Chriſti ſtudioſus alendis.
Ipſe per anguſtam quas recto tramite callem
Duxit ad æterni devotus paſcua regni;
Claruit idcirco ſignis, & more prophetæ,
Multa futura videns manſit præclarus ubique,
Poſtea cœleſtis penetravit gaudia vitæ.
  Aſt alii ratibus vecti trans æquor Eoum
Paganum petiere ſolum, qua verba ſalutis
Spargere tentabant in agreſtia corda ſerendo.
Ut fuit egregius *Wilbrordus* Epiſcopus ille,
Plurima qui populi *Freſonum* millia *Chriſto*
Lucratus monitis fuerat cœleſtibus, atque
Pontificale decus multis ornavit in annis,
Eccleſiaſque Deo plures conſtruxit ibidem,
Presbyteros in eis ſtatuens, verbique miniſtros,
Omnia perficiens felix in pace quievit.
Illius ecce! duo fuerunt exempla ſecuti
Presbyteri, nimio accenſi fervore fidei.
Nominis unius *Herwaldus* uterque vocatus.
Par opus ambobus vitæ ſed & exitus unus.
Albus hic, ille niger, diſtantia ſola capillis.
At niger in libris fuerat ſtudioſior albo.
Ergo hi *Saxonum* paganæ compita plebis
Intrabant, aliquos ſi *Chriſto* adquirere poſſent;
Sed dum forte novos mores habituſque fidei
Agnoſcunt miſeri, metuunt ne funditus omnis
Jam caderet citius veterum cultura deorum.
Hos ſubito raptos crudeli morte necarunt,
Album ſed trucidant ſtatim mucrone cruento,
Longa ſed exquirunt duro tormenta Nigello,
Atque peremptorum *Rheni* ſub fluminis undas
Corpora projiciunt, quæ ſed mox ordine miro
Contra prævalidos ferebantur fluminis ictus,
Millia & uſque ſuos ſocios undana natabant.
Aſt quocunque loco veniebant corpora nocte,
Maximus hinc lucis radius ſuper aſtra refulſit.

Lumen & hoc illi qui ſanctos ante necabant,
Aſpiciunt omni ſemper fulgeſcere nocte.
Alter ab his noctu ſociorum viſus at uni eſt,
Corpora cui dixit ſtatim reperire poteſtis,
Noſtra ubi de cœlis lucem radiare videtis.
Viſio tunc ſocios talis nec illa fefellit,
Corpora namque locis ſic ſunt inventa ſub iſdem,
Martyribuſque piis digno conduntur honore.
Aſt alii atque alii præfata ex gente miniſtri
Sermonis fuerant illis in partibus orbis.
E quibus egregii *Suidbert* *Vira*que ſacerdos
Temporibus fulſere ſuis, qui culmine clari
Virtutum fuerant, noſtro quos carmine cunctos
Tangere non libuit, nunc namque revertere muſam
Urbis ad *Euboricæ* fas eſt (procul inde receſſit)
Pontifices ſummos; ſeriemque relinquere Regum,
Qui poſt *Aldfridum* variarunt tempora regni.
Imperio functum denis ſimul atque novenis
Orbibus annorum, qui poſt ſub tempore pacis
Appoſitus patribus ſuprema ſorte quievit.
 Interea *Boſa* felicia regna petente,
Accipit Eccleſiæ regimen clariſſimus ille
Vir pietate, fide, meritis, & mente *Johannes*,
Pontificalis apex, priſcorum formula patrum,
Flumina doctrinæ fundens è pectore puro,
E quibus intente vivacia prata rigavit;
Quem virtutis honor ſignis comitatur apertis,
Quorum pauca libet noſtris memorare camenis.
Dum pater ipſe pius jejunia ſancta gerebat,
Parvula ſepta viris repetit comitatus honeſtis,
Poſſet ut æthereos animo decerpere flores,
Et Domino propriæ decimas perſolvere vitæ,
E queis divitias cœlo reperiret opimas.
Intrans ergo locum diſtrictis uſibus aptum,
Tunc inopes juſſit per proxima compita quæri,
Per ſe Pauperibus victum ut deferret egenis.
Tunc æger juvenis mutuſque adducitur illi,
Promere qui nullis poterat jam verba loquelis,
Cui caput horribili fuerat ſcabrigine tectum,
Et pro crine cutis maculis veſtita remanſit.
Huic pius Antiſtes caſulam congeſſit egeno
In qua ſuſciperet ſtipem miſer ille ſuetam.
Poſtque dies ſeptem tranſacti temporis illum
Juſſerat adduci, mutamque oſtendere linguam,
Cui crucis impreſſit ſanctæ ſignando figuram,
Atque diu tacitam juſſit proferre loquelam.
Qui dicto citius patris præcepta ſecutus,
Ore loquens prompto taciturna ſilentia rupit,
Et pleno eſt penitus mutus ſermone locutus.
Atque die tota, pariter cum nocte ſequenti,
Non ceſſavit ovans varias proferre loquelas.
Atque ſuæ mentis ſecretas pandere cauſas,
Et cum voce cutis pariter jam ſana reverſa eſt.
Redduntur que novi criſpato crine capilli;
Pulcherque eſt juvenis factus, promptuſque loquela.
Sicque domum propriam gaudens ſanatus adibat.

Nec meminiſſe aliud tædet laudabile ſignum,
Dum luſtrat paſtor vigili tutamine mandras,
Sanctarum venit famularum viſere cellam,
De quarum numero recubat virguncula quaſdam,
Vena cui nuper medio eſt inciſa lacerto,
Et manus obſtipuit nimio craſſante tumore.
Ergo videbatur citius moritura puella.
Hanc ſed reſtituit Domini virtute ſaluti
Antiſtes ſanctus, qui tecta à matre rogatus
Virginis intrabat, recubamque ex more ſalutat,
Atque preces fundens manui benedixerat ægræ.
Invaluit ſtatim fugiente dolore puella,
Inque modum mirum toto de corpore tota,
Cum redeunte foras ſeceſſit præſule peſtis.
Protinus Altithrono magnis erepta periclis,
Virgo canit laudes multos victura per annos,
Huic aliud ſimili ſucceſſit in ordine ſignum,
Ecce ! *Comes* quidam venerandum jure *Johannem*
Advocat, Eccleſiæ Domino qui tecta dicaret.
Uxor erat cujus multis infirma diebus,
Quadraginta jacens noctes depreſſa dolore
Algida, nec valuit ſeſe relevare cubili:
Lurida cui gelidus pallor prætexerat ora,
Naribus alternis tenuis vix flabat † anhelus.
Huic pius Antiſtes benedictam miſerat undam,
Qua prius Eccleſiam Domino ſacraverat illam,
Ut potaret eam, atque dolentia membra liniret.
Quod dum feciſſet ſequitur medicina per artus,
Atque ſalutifero morbi periere ſub hauſtu,
Venit & optatæ virtus conceſſa ſalutis,
Surgit & è ſtrato ſtatim tunc femina hoſpes,
Atque ſacerdoti renovatis viribus almo
Pocula deportat, cunctiſque impigra miniſtrat.
Reddidit atque Deo proprio cum conjuge grates.
At *Comes* hunc alius diverſo tempore ſciſci
Fecit ad Eccleſiam Domino de more dicandam,
Cujus forte puer mortali peſte ſubactus,
Mortuus ex omni membrorum parte remanſit,
Spiritus excepto quod pectora feſſa movebat,
Frigida vix tenui geminans ſuſpiria flatu,
Funeris exſequias cui tunc *Comes* ipſe parabat,
Et loculus juxta ſtabat quo corpus humandum
Mox fuerat, vitæ quoniam ſpes nulla manebat:
Pro quo Pontificem lacrymans Dux ipſe rogabat
Ut dignaretur puero benedicere præſto,
Atque preces Domino pro hujus fundere vita.
Nec quod plena fidei rogitabat, jure negabat,
Vir pius & clemens, ſtatim ſed viſitat ægrum,
Et benedixit eum rediens ex more ſalutat,
Mox revaleſce puer, dicens, vireſque reſume.
Poſt hæc cum Præſul vel Dux prandere ſedebant,
Poſtulat infirmius ſitiens ſibi pocula ferri,
Cui Dominus gaudens quod jam potare valeret,
Mox calicem vini benedictum à Præſule miſit;
Ut bibit hunc ſtatim ſanus ſurrexit, & ibat
Intravitque domum quo Dux & Præſul edebant.

Cumque illis bibere & veſci ſe velle profatur,
Potat editque ſedens lætus lætantibus illis,
Poſt hæc & multis vivebat ſoſpes in annis.
At quoque Præſul iter per quamdam curſibus aptam
Planiciem campi, cum clero, geſſit equeſter;
Tunc juvenes ardent curſu contendere equorum,
Sed pius antiſtes vetuit ſpecialiter unum
Ex ſociis, ludo ne ſe miſceret inani.
Ille tamen contra vetitum petulanter habenas
Solvit, equo fidens, mediumque erumpit in æquor;
Ergo cavum quoddam dum fervidus ille caballus
Tranſilit, & valido juvenis conamine lapſus
In lapidem cecidit, qui forte æqualis harenæ
In medio campi latuit ſub ceſpite tectus,
Nec lapis alter erat campo repertus in illo;
Huic caput atque manum caſu conliſit acerbo,
Verticis & ſolvit juncturas, atque cerebro
Quaſſato, cunctis jacuit jam ſenſibus expers;
Et moribundus erat motu ſine corporis ullo,
Septima nempe fuit tunc circiter hora diei,
Semianimiſque domum ſociis defertur ab ipſis,
At vigil in precibus perſtabat nocte Sacerdos;
Venit ad infirmum primo ſed mane reverſus,
Impoſitaque manu capiti benedixit eundem,
Atque illum proprio compellans nomine clamat,
Ergo gravi veluti de ſomno ſurgeret ille,
Recludens oculos Patri reſpondit amato,
Convaluitque cito, recreatis viribus, atque
Cras equitavit ovans caro cum Præſule pergens.
Multa alia, ut referunt, hic fecit ſigna *Johannes*,
Johannes Epiſcopus. Quæ modo non libuit brevitatis jure referri.
Diximus hic tantum poſuit quæ *Beda Magiſter*
Indubitante fide, texens ab origine prima
Hiſtorico *Anglorum* gentes &. geſta relatu.
Conſenuit poſtquam præfatus Epiſcopus ille,
Tunc alio vivens ſedem conceſſit honoris,
Atque Monaſterium devoto corde petivit,
Condignamque Deo vitam complevit ibidem.
Juraque tunc tandem terræ peregrina relinquens,
Eſt patriæ proprius cœleſti redditus hæres.
Wilfridus Junior Epiſcopus. Presbyter egregius ſucceſſit jure *Johanni*
Wilfridus, hæres patri digniſſimus almo.
Qui prius *Euboricæ* fuerat Vice-domnus & Abbas:
Poſtea ſed magno meritorum culmine fretus,
Pontificis ſummi condignus ſumſit honorem,
Ornavitque gradum meritis & moribus almis.
Plurima nam titulis ſanctæ ornamenta venuſtis
Addidit Eccleſiæ, rutilo qui vaſa decore
Apta miniſteriis argentea jure ſacratis
Fecit, & argenti laminis altare cruceſque
Texerat auratis: nolenſque abſcondere gazas,
Prudens præſul eas divino impendit honori.
Hæc pius *Euborica* faciens Antiſtes in urbe,
Eccleſias alias donis ornavit opimis,
Nec minus ille pio curam de corde gerebat
Multiplicare greges, Domini præcepta ſecutus,

Doctrinæ

Doctrinæ monitis, exemplis atque coruſcis.
Hos mentis dapibus, illos ſed carnis alebat:
Hos ſovet ætheriis, illos carnalibus auget,
Ore manuque ſimul, donorum largus utriſque,
Rem pietatis agens duplici moderamine Rector;
Omnibus acceptus, venerandus, honeſtus, amatus.
At ſua facta bonus poſtquam compleverat ille
Paſtor in Eccleſiis, ſpecialia ſepta petivit,
Quo ſervire Deo tota jam mente vacaret:
Contemplativæ ſeſeque per omnia vitæ
Dans, mundi varias curaſque reliquit inanes.
Et quamvis ipſo reſideret corpore terris,
Attamen ex omni jam mente manebat olympo,
Pervigil exſpectans cœleſtis præmia vitæ,
Tempore quæ certo, vita præſente peracta,
Sumſerat angelicis cœlo tranſvectus in ulnis.
Hic paſtoralis poſuit dum pondera curæ, *Egbertus*
Tradidit *Ecgberto* venerandæ jura cathedræ, *Epiſcopus.*
Quem ſibi Pontificem fecit ſuccedere ſummum.
Hic fuit *Ecgbertus* regali ſtirpe creatus;
Nobilium, coram ſeclo, radice parentum,
Sed Domino coram meritis præclarior almis.
Dives opum terræ, miſeris quas ſpargit egenis,
Ditior ut fieret, cœlo dum colligit illas.
Qui curas inopum devotus ſemper agebat;
Pauperibus tribuens devoto pectore gazas,
Quas terris perdens, ſibimet condebat olympo.
Hic erat Eccleſiæ Rector clariſſimus, atque
Egregius doctor, populo venerabilis omni,
Moribus electus, juſtis affabilis, atque
Efferus in pravos, mitis ſimul atque ſeverus.
Sacris diviſit vicibus noctesque dieſque,
Impiger aſſidue ſpatioſis noctibus orans,
Miſſarum celebrans ſollemnia ſancta diebus,
Inque Dei domibus multa ornamenta paravit.
Illas argento, gemmis veſtivit & auro,
Serica ſuſpendens peregrinis vela figuris.
Sacravitque probos altaribus ipſe miniſtros,
Ordinibus variis celebrent qui feſta Tonantis,
Davidiſque alios fecit concinnere canna,
Qui Domino reſonent modulatis vocibus hymnos. *Eadberti*
Cujus frater idem *Tyrio* nutritus in oſtro, *Regis*
Sumſerat *Ædbertus* gentis regalia ſceptra. *frater.*
Qui dilatavit proprii confinia Regni,
Sæpius hoſtiles ſubigens terrore phalangas.
Tempora tunc hujus fuerant felicia gentis,
Quam Rex & Præſul concordi jure regebant,
Hic jura Eccleſiæ, Rex ille negotia Regni.
Hic ab *Apoſtolico* humeris fert Pallia miſſa,
Ille levat capiti veterum diademata patrum.
Fortis hic, ille pius: hic ſtrenuus, ille benignus,
Germanæ pacis ſervantes jura viciſſim,
Ex alio frater felix adjutus uterque.
Rexit hic Eccleſiam triginta & quatuor annis,
Ille annis tenuit ter ſeptem ſceptra parentum: *Anni regiminis utriuſque.*
Ambo felices meritis in pace ſepulti.

 Tem-

Bedæ mors et elogium.

Temporibus primis præfati Præſulis hujus,
Præsbyter eximius meritis, cognomine *Beda*,
Aſtra petens, clauſit præſentis lumina vitæ.
Qui mox à puero libris intentus adhæſit,
Et toto ſtudiis ſervivit pectore ſacris.
Utpote ſeptennem quem fecit cura parentum
Arcta Monaſterii *Girvenſis* clauſtra ſubire,
Cui jam præclarus *Ceolfridus* præfuit Abbas.

Ceolfridi Abbatis obitus.

Qui peregrina petens Chriſti deductus amore,
Mortuus eſt exſul *Linguanæ* in finibus urbis,
Atque ibi condigno felix tumulatus honore eſt.
Cujus corpus erat poſt tempora multa repertum,
Integrum penitus, patriamque exinde reductum.
Ergo Monaſterio *Beda* nutritus in illo,
Ornavit teneros præclaris moribus annos.
Diſcere namque ſagax juvenis, ſeu ſcribere ſemper
Fervidus inſtabat, non ſegni mente laborans:
Et ſic proficiens, eſt factus jure *Magiſter*.
Plurima quapropter præclarus opuſcula Doctor
Edidit, explanans obſcura volumina *ſanctæ*
Scripturæ, necnon *metrorum* condidit artem;
De quoque *temporibus* mira ratione volumen,
Quod tenet *aſtrorum* curſus, loca, tempora, leges.
Scripſit & *hiſtoricos* claro ſermone libellos,
Plurima verſifico cecinit quoque *carmina* plectro.
Actu, mente, fide veterum veſtigia patrum,
Semper dum vixit, directo eſt calle ſecutus.
Hujus vita quidem qualis fuit ante *Magiſtri*,

Nota.

Claro poſt obitum ſigno eſt patefacta ſalutis.

Baltheri anachoretæ res geſtæ.

Æger enim quidam Patris dum cingitur almi
Reliquiis, penitus peſte eſt ſanatus ab illa.
Te quoque *Pierio* tangentes, *Balthere*, plectro,
Et tibi, ſancte locum noſtris in verſibus iſtum
Signantes petimus, placida tumente teneto,
Et rege nunc noſtram pelagi per cœrula cymbam
Inter monſtra maris, ſcopuloſas inter & undas,
Ut poſſit portum portans attingere tutum.
Eſt locus undoſo circumdatus undique ponto,
Rupibus horrendis prærupto & margine ſeptus,
In quo belli potens terreno in corpore miles
Sæpius aërias vincebat *Balthere* turmas,
Quæ ſibi multimodis variabant bella figuris.
Qui tamen intrepidus hoſtilia caſtra, reſiſit,
Tela malignorum, ſemper crucis arma beatus
Belliger opponens, galeam ſcutumque fidei.
Vir pius ille quidem quodam dum tempore ſolus
Incubuit precibus, meditans cœleſtia tantum:
Horribilem ſubito ſtrepitum ſimulatque fragorem
Audivit, veluti vulgi erumpentis in hoſtes.
Tunc anima ex ſuperis cujuſdam nubibus ejus
Ante pedes cecidit, nimio tremefacta timore;
Quam mox turba minax ingenti horrore ſecuta eſt,
Cum variis miſeram pœnis torquere volentum.
At Pater ille pius placidis amplexibus illam
Arripuit gremio, ſtatimque inquirit ab illa
Quæ eſſet, cur fugeret, faceret vel quæ mala? Cui tunc

Reſpondit

Reſpondit, *Levita fui, ſed mente maligna*
Feminea amplexus manibus ſum pectora tantum,
Et culpam erubui vivens in carne fateri. *Nota.*
Nunc idcirco feri duris incurſibus hoſtes
Per triginta dies me me torquere ſequuntur.
Nec captata fui, ſed nec ſecura remanſi.
Tunc terrebat eum clamans ex hoſtibus unus;
Non hodie effugies, nec ſi tenearis in ulnis
Petri, ſed meritas patieris, peſſime, pœnas.
Sanctus at iraſcens *Petri* convicia propter,
Hæc ait: *Ecce! minor meritis ſum centies illo*
Principe Apoſtolico; ſed de pietate Tonantis
Confidens, dico tibi, trux & ſæve tyranne,
Non hodie portabis eam ſub tartara tecum.
Tunc pius interventor humo proſternitur, atque
Cum lacrymis Domino pro culpa ſupplicat illa.
Nec prius ille preces deſiſtit fundere ſacras,
Quam propriis animam ferri vidiſſet ocellis
Altius angelicas cœli ſuper aſtra per ulnas.
  Par quoque jam veteri ſignumque æquabile ſigno
Hoc de patre pio geſſit clementia *Chriſti*
Nam velut æquoreas *Petrus* calcaverat undas,
Sic huic evenit; gradiens nam tempore quodam
Rupis in excelſæ prærupto margine, caſu,
Contigit ut caderet: ſed fluctibus ille marinis
Suffultus, graditur ſiccis ſuper æquora plantis.
Et ceu rura ſoli premeret, ſic ambulat undis:
Jam niſi quod levius ſuſceperat unda ruentem,
Quam ſi dura virum accepiſſent arva cadentem.
Dum ruit, unda fluit, caſus ne læderet illum.
Greſſibus arva manent, illum ne mergeret æquor.
Ambulat ergo freto ſolido, ceu tramite terræ,
Donec ad undivagam pervenerat ipſe carinam:
Quam mox adſcendit ſecuro calle pedeſter.
Non in veſte liquor, non ſoccis hæſerat humor.
Quod natura negat, hoc dat tua dextera, *Chriſte*;
Unda tuo juſſu pelagi fit pervia Juſtis:
Terra ſed econtra vindex fit gurges iniquis.
Suffert iſta humiles, dum devorat illa ſuperbos.
Nunc te ſed petimus devoti, *Balthere* ſancte,
Ut ſicut unda tuum portabat ab æquore corpus,
Te ſanum penitus revehens ad litora nota:
Sic precibus noſtras animas evadere fluctus
Mundanos facias, portumque intrare ſalutis.
  Claruit his etiam venerabilis *Echa* diebus, *Echa Anachortta.*
Anachoreta ſacer, eremi ſecreta ſecutus,
Terrenos fugiens jam corpore caſtus honores,
Ut cum Rege Deo cœleſtes poſſet habere.
Angelicam terris vitam devotus agendo,
Multa prophetali prædixit mente futura.
De quo plura vetat narrari muſa recurrens
Carminis ad finem, propriique ad geſta Magiſtri,
  Qui poſt *Ecgbertum* venerandæ inſignia ſedis
Suſcepit, ſapiens *Ælbertus* nomine dictus. *Ælbertus*
Vir bonus & juſtus, largus, pius, atque benignus. *Epiſcopus.*
Catholicæ fidei fautor, præceptor, amator,

Eccleſiæ

Eccleſiæ rector, doctor, defenſor, alumnus,
Juſtitiæ cultor, legis tuba, præco ſalutis,
Spes inopum, orphaniſque pater, ſolator egentum.
Trux rigidis, blanduſque bonis, duruſque ſuperbis:
Fortis in adverſis, humilis fuit inque ſecundis.
Mente ſagax, non ore loquax: ſed ſtrenuus actu.
Cui quantum crevit cumulati culmen honoris,
Tantum mens humili ſeſe pietate ſubegit.
De quo verſifico paulo plus pergere greſſu
Euboricæ mecum libeat tibi, quæſo, juventus.
Hic quia ſæpe tuos perfudit nectare ſenſus,
Mellifluo dulces eructans pectore ſuccos.
Quem mox à primis ratio pulcherrima cunis
Corripuit, rerum ſummamque vehebat in arcem,
Doctrinæ pandens illi ſecreta ſophiæ.
Hic fuit ergo ſatis claris genitoribus ortus,
Is Monachus. Ex quorum cura ſtudiis mox traditur almis,
Atque Monaſterio puerilibus inditur annis,
Senſibus ut fragilis ſacris adoleſceret ætas.
De puero nec caſſa fuit ſpes tanta parentum.
Jam puer egregius creſcebat corpore quantum,
Ingenio tantum librorum proficiebat.
Sic meritis creſcens annis & mente ſagaci,
Levita. Jam Levita, ſacer condigno eſt ordine factus.
Hunc bene dum fœlix adoleſcens geſſit honorem,
Jura ſacerdotii juvenis ſuſcepit honeſtus:
Tum Presbyter. Creſceret ut gradibus, meritis qui creverat almis.
Tunc pius & prudens doctor ſimul atque ſacerdos,
Ecgberti familiaris. Pontificique Comes *Ecgbert* conjunctus adhæſit,
Cui quoque ſanguineo fuerat jam jure propinquus.
A quo defenſor Clero decernitur omni,
Eboracenſis Scolæ præceptor. Et ſimul *Euborica* præfertur in urbe *Magiſter*.
Ille ubi diverſis ſitientia corda fluentis
Doctrinæ & vario ſtudiorum rore rigabat:
His dans *Grammaticæ* rationis gnaviter artes,
Illis *Rhetoricæ* infundens refluamina linguæ.
Iſtos juridica curavit tote polire,
Illos *Aonio* docuit concinnere *Cantu*.
Caſtalida inſtituens alios reſonare *cicuta*,
Et juga *Parnaſſi* Lyricis percurrere plantis.
Aſt alios fecit præfatus noſſe *Magiſter*
Harmoniam cœli, ſolis lunæque labores,
Quinque poli zonas, errantia ſidera ſeptem,
Aſtrorum leges, ortus, ſimul atque receſſus.
Aerios motus pelagi, terræque tremorem,
Naturas hominum, pecudum, volucrumque ferarum,
Diverſas *numeri* ſpecies, variaſque figuras.
Paſchalique dedit ſollemnia certa *recurſu*,
Maxime *Scripturæ* pandens myſteria *ſacræ*.
Nam rudis & *veteris legis* patefecit abyſſum.
Indolis egregiæ juvenes quoſcumque videbat,
Hos ſibi conjunxit, docuit, nutrivit, amavit;
Quapropter plures per ſacra volumina doctor
Diſcipulos habuit, diverſis artibus auctos.
Non ſemel externas peregrino tramite terras
Jam peragravit ovans, ſophiæ deductus amore:

Si

Si quid forte novi librorum, ſeu ſtudiorum,
Quod ſecum ferret, terris reperiret in illis.
Hic quoque *Romuleam* venit devotus ad *urbem*,
Dives amore Dei, late loca ſancta peragrans.
Inde domum rediens, à Regibus atque Tribunis
Doctor honorifice ſummus ſuſceptus ubique eſt.
Romam petit.
Utpote quem magni Reges retinere volebant,
Qui ſua rura fluens divino rore rigaret.
Ad ſibi ſed properans præfinita facta *Magiſter*,
Diſpenſante Deo, patriæ prodeſſe, redibat.
Nam proprias poſtquam fuerat delatus in oras,
Epiſcopus pius ac diligens.
Mox paſtoralem compulſus ſumere curam,
Efficitur ſummus, populo rogitante, Sacerdos,
Officiumque ſuis meritis decoraverat almis,
Ordinis atque bonus Paſtorque repertor ubique eſt.
Namque tuebatur divinum cautus ovile,
Ulla ex parte lupus Chriſti ne læderet agnos,
Ille quibus ſacri præſtabat pabula verbi;
Ne ſitis atque fames ullo vexaret acerbo.
De gregeque errantes eremi per devia vaſtæ
Ad Domini caulas humeris revehebat amicis:
Nolenteſque ſequi placido ſermone vocantem
Inſequitur juris terroribus atque flagellis.
Nec Regi aut Ducibus juſtus parcebat iniquis.
Sed neque decrevit, curarum pondera propter,
Scripturas fervens induſtria priſca legendi:
Factus utrumque, ſagax Doctor, pius atque Sacerdos;
Nihil de priori vita remittit.
Senſibus hos augens, illos & moribus ornans.
Nec Pater adveniens in tantum culmen honoris,
Veſtibus atque cibis veterem mutaverat uſum:
Delicioſa nimis fugiens, nec vilia valde
Sectatus fuerat, medio moderamine gaudens.
Eccleſias ornat & inſtaurat.
Nec minus interea vario ornamenta decore,
Addidit Eccleſiis, fidei fervore repletus.
Namque ut bellipotens ſumſit baptiſmatis undam
Edvin Rex, Præſul grandem conſtruxerat aram,
Texit & argento, gemmis ſimul undique & auro.
Atque dicavit eam ſancti ſub nomine *Pauli*,
Doctoris mundi, nimium quem Doctor amabat.
Hoc altare ſarum ſupra ſuſpenderat altum,
Qui tenet ordinibus tria grandia vaſa novenis:
Et ſublime crucis vexillum erexit ad aram,
Et totum texit pretioſis valde metallis.
Omnia magna ſatis, pulcro molimine ſtructa,
Argentique meri compenſant pondera multa.
Aſt altare aliud fecit, veſtivit & illud
Argento puro, pretioſis atque lapillis:
Martyribuſque Crucique ſimul dedicaverat ipſum.
Juſſit ut obrizo non parvi ponderis auro
Ampulla major fieret, qua vina Sacerdos
Funderet in calicem, ſolemnia ſacra celebrans.
  Aſt nova baſilicæ miræ ſtructura diebus
Præſulis hujus erat jam cœpta, peracta, ſacrata.
Hæc nimis alta domus ſolidis ſuffulta columnis,
Suppoſitæ quæ ſtant curvatis arcubus, intus
Emicat egregiis laquearibus atque feneſtris,

Pulchraque porticibus fulget circumdata multis,
Plurima diverſis retinens ſolaria tectis,
Quæ triginta tenet variis ornatibus aras.
Hoc duo diſcipuli templum, Doctore jubente,
Nota. Ædificaverunt *Eanbaldus* & *Alcuinus*, ambo
Concordes operi devota mente ſtudentes.
Hoc tamen ipſe Pater ſocio cum Præſule templum,
Ante die decima quam clauderet ultima vitæ
Lumina præſentis, ſophiæ ſacraverat almæ.
Eanbaldus Ergo miniſtrator clariſſimus ordine ſacro
ſucceſſor Præſul perfectus, meritis plenuſque dierum,
Ælberti Tradidit *Eanbaldo* dilecto lætus alumno
ſeceſſus. Pontificale decus, ſibimet ſecreta petivit
Septa, Deo ſoli quo jam ſervire vacaret.
Libros ſuos Tradidit aſt alio caras ſuper omnia gazas
Auctori Librorum nato, Patri qui ſemper adhæſit,
committit. Doctrinæ ſitiens haurire fluenta ſuetus:
Cujus ſi curas proprium cognoſcere nomen,
Fronte ſua ſtatim præſentia carmina prodent,
His diviſit opes diverſis ſortibus; illi
Eccleſiæ regimen, theſauros, rura, talenta:
Huic ſophiæ ſpecimen, ſtudium, ſedemque, libroſque,
Undique quos clarus collegerat ante *Magiſter*,
Egregias condens uno ſub culmine gazas.
Illic invenies veterum veſtigia Patrum,
Quidquid habet pro ſe *Latio Romanus* in orbe,
Græcia vel quidquid tranſmiſit clara *Latinis*:
Hebraïcus vel quod populus bibit imbre ſuperno,
Africa lucifluo vel quidquid lumine ſparſit.
Quod Pater *Hieronymus*, quod ſenſit *Hilarius*, atque
Ambroſius Præſul, ſimul *Auguſtinus*, & ipſe
Al. acutus. Sanctus *Athanaſius*, quod *Oroſius* edit avitus:
Quidquid *Gregorius* ſummus docet, & *Leo* Papa;
Baſilius quidquid, *Fulgentius* atque coruſcant,
Caſſiodorus item, *Chryſoſtomus* atque *Johannes*.
Quidquid & *Althelmus* docuit, quid *Beda Magiſter*,
Quæ *Victorinus* ſcripſere, *Boëtius*; atque
Hiſtorici veteres, *Pompeius*, *Plinius*, ipſe
Acer *Ariſtoteles*, Rhetor quoque *Tullius* ingens.
Quid quoque *Sedulius*, vel quid canit ipſe *Juvencus*,
Alcuinus & *Clemens*, *Proſper*, *Paulinus*, *Arator*,
Quid *Fortunatus*, vel quid *Lactantius* edunt.
Quæ *Maro Virgilius*, *Statius*, *Lucanus*, & *Auctor*
Artis Grammaticæ, vel quid ſcripſere Magiſtri;
Quid *Probus* atque *Focas*, *Donatus*, *Priſcianuſve*,
Servius, *Euticius*, *Pompeius*, *Comminianus*.
Invenies alios perplures, lector, ibidem
Egregios ſtudiis, arte & ſermone Magiſtros,
Plurima qui claro ſcripſere volumina ſenſu:
Nomina ſed quorum præſenti in carmine ſcribi
Moritur Longius eſt viſum, quam plectri poſtulet uſus.
anno poſt His ita diſpoſitis complens ſua tempora ſummus
quarto. Antiſtes, totus meritis maturus & annis,
Poſt annos binos menſes ſimul atque quot annos
Ex quo ſepta ſacer Præſul ſecreta petivit;
Diſcipulis coram Paſtor, Patriarcha, Magiſter,

Tranſit

Tranſit ad æthercam lætus feliciter aulam.
Hanc tamen hanc citius lugubris, mea fiſtula, partem
Deſere, ne pereas lacrymarum gurgite merſa.
Dum properas portum velis hucuſque ſecundis,
Quid memorare ſtudes nobis mœſtiſſima fata?
Cum ſubito ante oculos cunctis mors invida noſtros
Lumina ſupremo clauſit veneranda ſopore
Pontificis ſummi, noſtri Patris atque *Magiſtri*;
O nobis, ô nigra dies! ô clara ſed illi!
Nos ſine Patre dies orphanos ille reliquit,
Fletibus, exilio, duroque labore gravatos.
Reddidit aſt illum patriæ Patrique ſuperno
Fletibus, exilio, duroque labore ſolutum.
Jam cui *Chriſtus* amor, potus, cibus, omnia *Chriſtus*;
Vita, fides, ſenſus, ſpes, lux, via, gloria, virtus. *Anno* XIV *pontificatus.*
Qui decimo & quarto ſummi dormivit in anno
Ordinis accepti, octavo ſub ſole Novembris,
Dum gravis illa dies ſexta fulgebat in hora.
Ejus ad exſequias magnum concurrerat agmen,
Cum Clero Præſul, populus, juveneſque, ſeneſque,
Patris honorifice curantes condere corpus.
O Pater, ô Paſtor, vitæ ſpes maxima noſtræ:
Te ſine nos ferimur turbata per æquora mundi,
Te duce deſerti variis involvimur undis,
Incerti qualem mereamur tangere portum.
Dum Sol noxque ſibi cedunt, dum quattuor annus
Dividitur vicibus, creſcunt dum germina terris;
Sidera dum lucent, trudit dum nubila ventus;
Semper honos, nomenque tuum laudeſque manebunt.
  Hîc ego dum volui certo te fine, *Thalia*, *Ecſtaſis cujuſdam Monachi Eboracenſis.*
Claudere, res noſtris occurrit geſta diebus.
Feſſa licet paucos quapropter adhuc cane verſus,
Atque mei pueri cauſam ſuccinge parumper,
Cui quoque præſentem teſtem me contigit eſſe.
  Ergo fuit quidam juvenis nutritus in urbe
Euborica, ſimplex animo, ſed fervidus actu:
Quique meæ rexit puerilis tempora vitæ
Conſilio, ſolus quadam qui nocte ſuëtis
Inſiſtit precibus *Chriſti* Genitricis in aula.
Tunc lux alma domum ſubito repleverat illam,
Et cum luce ſimul venit vir veſtibus albis,
Fulgidus adſpectu, ſtatu ſublimis honeſto,
Et blandis juvenem nimio terrore cadentem
Elevat alloquiis, librumque oſtendit apertum.
Perlegit hunc juvenis, dixit cui codice clauſo
Candidus ille, *ſciens iterum majora videbis*,
His dictis ſubito nitidus diſparuit hoſpes.
Hinc quoque poſt aliquos non longo tempore menſes
Percutitur juvenis currenti peſte per artus,
Ægrotuſque diu dubia ſub morte jacebat.
Anguſtis retrahens perituram naribus auram,
Inque meis recubans manibus, tunc ſpiritus ejus
Eſt raptus ſubito, corpuſque remanſit inane.
Poſt ſpatium rediens, iterum ſed membra movebat,
Et mihi narrabat, quidam quod duxerit illum
Ad loca pulcra nimis, multos ubi vidit ovantes,

Ignotos notoſque ſimul: ſed maxime ſanctæ
Illius Eccleſiæ lætos agnovit alumnos.
Qui mox ſuſcipiunt placidis amplexibus illum,
Et ſecum penitus ſemper retinere volebant.
Sed cito ductor eum converſo calle reduxit
Ad proprium corpus, dicens quod ſolis ad ortum
Jam melius habiturus eris; de Fratribus alter
Sed hodie moriturus erit, cujuſque paratam
Vidiſti ſedem, juvenem nec ſermo fefellit.
Nam cito convaluit dum Sol rutilabat ad ortum,
Ante diem medium fuerat ſed mortuus alter.
Ille tamen juvenis parvum poſt tempus, eodem
Anno percutitur populantis peſte doloris,
Atque mihi ſtatim morbo prædixit in illo:
Hac lue jam moriar, cito carnis clauſtra relinquam.
Nec ſecus evenit, quoniam vis magna doloris
Crevit, & extremam juvenem deduxit in horam.
Qui tenui moriens animam traducere flatu
Dum cœpit, fuerat vigilans è fratribus unus,
Vir probus & verax, vidit qui culmine ab alto
Deſcendiſſe virum facie ſeu veſte coruſcum,
Et poſuiſſe ſuum mox os morientis ad ora,
Blandius amplexus manibus quoque membra cubantis:
Regreſſuſque animam ſolvens de carcere carnis
Evexit volitans ſecum ſuper aſtra polorum.
  Hæc ego nauta rudis teneris congeſta carinis,
Per Pelagi fluctus & per vada cœca gubernans,
Euboricæ ad portum commercia jure reduxi;
Utpote quæ proprium ſibi me nutrivit alumnum,
Imbuit & primis utcumque verenter ab annis.
Hæc idcirco cui propriis de *Patribus* atque
Regibus & *Sanctis* ruralia carmina ſcripſi.
Hos pariter Sanctos tetigi, quos verſibus iſtis
Deprecor, ut noſtram mundi de gurgite cymbam
Ad portum vitæ meritis precibuſque gubernent.

F I N I S.

See this leaf misplaced at pa. 224/5

APPENdix
ANTIquitatum
BRITAnniæ.

1 Cl. Ptolemæi Geogr. Lib. viii. C. ii. – pa. 735.
2 Antonini Itinerar. ------ ----- 742.
3 Notitiæ Imperii Romani ------- 744.
4 Anonymus Ravenn. Geogr. ------ 747.
5 Hydæ Sa (748.) et (792.)
6 Conſuetidines &c ex Lib. Domesday – 759.
7 Antiqui Populi urbes &c Britanniæ, ex Camd. – 779.
8 Notæ ad Ptolemæum --------- 787.
9 Notæ ad Iter Brit. --------- 749.
Surit (Genealog. Regum Britanniæ – 792.
10 Index

EX
CLAUDII PTOLEMÆI
Geographiæ L. viii. C. ii.

ΕΥΡΩΠΗΣ ΠΙΝΑΞ. Α.

Ο Πρῶτος πίναξ τῆς Εὐρώπης περιέχει τὰς Βρετανικὰς νήσους, σὺν ταῖς περὶ αὐταῖς νήσοις. Ο δὲ διὰ μέσου αὐτῶν παράλλ. λόγον ἔχει πρὸς τὸν μεσημβρινὸν, ὃν τὰ ια΄ ἔγγιστα πρὸς τὰ κ΄. περιορίζεται δὲ ὁ πίναξ πάντοθεν ὠκεανῷ. ἀπὸ μὲν ἀνατολῶν, Γερμανικῷ.

Ἀπὸ δὲ μεσημβρίας, Βρετανικῷ· καὶ τῷ καλουμένῳ οὐεργουΐῳ. Ἀπὸ δὲ δύσεως, τῷ δυτικῷ. Ἀπὸ δὲ ἄρκτων, ὑπερβορείῳ, καὶ τῷ καλουμένῳ Δουηκαληδονίῳ.

Η μὲν οὖν Θούλη τὴν μεγίστην ἡμέραν ἔχει ὡρῶν ἰσημερινῶν κ΄. καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δυσμὰς, ὥρας ἰσημερινὰς β΄, ἔχει δὲ μοίρας ια΄ νη΄.

Τῆς δὲ ἰουερνίας νήσου αἱ ἐπίσημοι πόλεις.

Η μὲν ὁμώνυμος τῇ νήσῳ, πόλις ἰουερνις, τὴν μεγίστην ἡμέραν ἔχει ὡρῶν ἰσημερινῶν ιη΄. καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δυσμὰς, ὥραις τρισὶ, καὶ τετάρτῳ.

Η δὲ ῥαίβα τὴν ἡμέραν μεγάλην ἔχει ὡρῶν ιη΄ ∠ ιβ΄ καὶ διέστηκην Ἀλεξανδρείας πρὸς δύσεις ὥραις τρισὶ καὶ πέμπτῳ.

Τῆς δὲ ἀλλουΐωνος νήσου.

Τὸ μὲν λονδίνιον τὴν μεγίστην ἡμέραν ἔχει ὡρῶν ιη΄. καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δύσεις ὥραις δυσὶ καὶ γο΄.

Τὸ δὲ ἐβόρακον ἔχει τὴν μεγίστην ἡμέραν ὡρῶν ιζ΄ ∠ γ΄. καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δύσεις ὥρας βγ΄.

Τὸ δὲ κατουρακτόνιον ἔχει τὴν μεγίστην ἡμέραν ὡρῶν ιη΄. καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δύσεις βγ΄.

Τὸ δὲ πτερωτὸν στρατόπεδον ἔχει τὴν μεγίστην ἡμέραν ὡρῶν ιη΄ ∠, καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δύσεις, ὥραις βς΄.

Δούμνα δὲ ἡ νῆσος, ἔχει τὴν μεγίστην ἡμέραν ὡρῶν ιθ΄, καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δύσεις ὥραις, β΄.

Η δὲ οὐηκτὶς νῆσος ἔχει τὴν μεγίστην ἡμέραν ὡρῶν ις΄ γο΄, καὶ διέστηκεν ἀλεξανδρείας πρὸς δύσεις ὥραις δυσὶ, τρίτῳ.

TABULA I. EUROPÆ.

PRima Europæ tabula Britannicas continet inſulas, cum adjacentibus eis inſulis. Parallelus vero ejus medius rationem habet ad meridianum, quam undecim fere ad viginti. Circumſcribitur autem tabula undique Oceano. Ab ortu, Germanico.

A meridie, Britannico, & eo qui appellantur Vergivius. Ab occaſu Occidentali: Ab ſeptentrionibus vero, Hyperboreo, & qui vocatur Deucalidonicus.

Thyle igitur Inſula maximam diem habet horarum æquinoctial. 20. *diſtatque ab Alexandria occaſum verſus horis duabus :* . . . .

Hiberniæ vero inſulæ civitates inſignes.

Ejuſdem nominis, cujus & inſula, civitas Hybernis, maximam diem habet hor. 18. *diſtatque ab Alexandria occaſum verſus horas tres &* $\frac{1}{4}$.

Rheba vero maximam diem habet horarum 18 $\frac{1}{2},\frac{1}{12}$. *diſtatque ab Alexandria verſus occaſum hor.* 3. *quinta una.*

Albionis vero Inſulæ.

Londinium maximam diem habet hor. 17. *diſtatque ab Alexandria occaſum verſus horis* 2, $\frac{2}{3}$.

Eboracum maximum diem habet hor. 17, $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, *diſtatque ab Alexandria occaſum verſus hor.* 2, $\frac{1}{3}$.

Cataractonium maximam diem habet hor. 18. *& diſtat ab Alexandria occaſum verſus hor.* 2, $\frac{2}{3}$.

Alata Caſtra maximam habet diem hor. 18. $\frac{1}{3}$ *diſtatque ab Alexandria occaſum verſus. hor.* 2, $\frac{1}{6}$.

Dumna autem Inſula maximan diem habet hor. 19, $\frac{1}{6}$. *ac diſtat ab Alexandria verſus occaſum hor.* 2.

Vectis vero Inſula maximam diem habet hor. 16, $\frac{2}{3}$. *diſtatque ab Alexandria verſus occaſum hor.* $\frac{2}{3}$ *fere.*

Hiberniæ Inſulæ ſitus
Cap. II.
Tabula Prima EUROPÆ.

Septentrionalis lateris deſcriptio, quod ab Hyperboreo Oceano alluitur.

Boreum Promontorium	11 61 0
Venienion promont.	12 50.61 20
Viduæ fluv. oſtia	13 61.
Argitæ fluv. oſtia	14 30.61 30
Robogdium promont.	16 20.61 30

Occidentale latus incolunt Venenii; deinde, reliquũ & Orientale Rhobogdii. Deſcriptio autem lateris Occidentalis, quod Occident. Oceano alluitur.

Poſt Boreum prom. quod eſt	11. 61
Rhavii fluv. oſtia	11 20.61 20
Nagnata Urbs inſignis	11 15.60.16
Libnii fluv. oſtia	10 30.60
Auſobæ fluv. oſtia	10 30.59 30
Seni fluv. oſtia	9 30. 9 30
Dur fluv. oſtia	9 40.59 40
Jerni fluv. oſtia	8 58
Notium promont.	7 40.57 45

Poſt Venicnios idem habitant latus Erdini, ſub quibus Nagnatæ, deinde Auteri, poſtquos Gangani, ſub quibus Velibori. Meridionalis reliqui lateris ſequitur deſcriptio, cui Verginius adjacet Oceanus. Poſt Notium promont.

Dabronæ fluv. oſtia.	11 15.57
Birgi fluv. oſtia	12 30.57 30
Hieron vel ſacrum prom.	14 .57 30

Habitant idem latus poſt Vallaboros Uterni. ſupra quos Vodiæ, & qui orientaliſſimi ſunt Brigantes. Orientalis lateris deſcriptio, cui ajacet Oceanus, qui vocatur Hibernicus, poſt Notium promont. quod eſt 14 .57 30

Modoni fluv. oſtia	13 40.58 40
Manapia urbs	13 30.58 40
Obocæ fluv. oſtia	13 12.59
Eblana civitas	14 .59 30
Bubindæ fluv. oſtia	14 49.59 40
Iſamnium promont.	15 .60
Vinderii fluv. oſtia	15 .60 15
Logiæ fluv. oſtia	15 20.60 40

Poſt hæc Rhobogdium eſt promont.

Idem habitant latus poſt Rhobogdios Darnii, ſub quibus Voluntii. Deinde Blanii. Poſt Cauci, ſub quibus Ma-

ΕΥΡΟΠΗΣ
ΙΟΥΕΡΝΙΑΣ Ι ΝΗΣΟΥ
ΒΡΕΤΑΝΙΚΗΣ ΘΕΣΙΣ.

Ἀρκτικῆς πλευρᾶς περιγραφὴ, ἧς ὑπέρκειται ὠκεανὸς ὑπερβόρειος 2.

Βόρειον ἄκρον μοί.	ια΄ ξα΄.
Ουενίκνιον ἄκρον	ιβ΄ ξα΄. γ΄
Οὐίδου ποτ. ἐκβολαί	ιγ΄ ξα΄.
Αργίτα ποτ. ἐκβολαί	ιδ΄ ∠ ξα΄. ∠
Ροβόγδιον ἄκρον	ις΄ ∠ ξα΄. ∠

Παροικοῦσι δὲ τὴν πλευρὰν, ἀπὸ μὲν δυσμῶν Οὐενίκνιοι. εἶτα ἐφεξῆς καὶ πρὸς ἀνατολὰς Ροβόγδιοι. Δυτικῆς πλευρᾶς περιγραφὴ, ἣ παράκειται δυτικὸς ὠκεανὸς.

Μετὰ τὸ Βόρειον ἄκρον· ὅ ἐστιν	ια΄ ξα΄. ο΄
Ραουίου ποτ. ἐκβολαί	ια΄ γ΄ ξγ΄. α΄
Νάγνατα πόλις ἐπίσημος	ια΄ δ΄ ξ΄ δ΄.
Λιβνίου ποτ. ἐκβολαί 3	ι΄ ∠ ξ΄.
Αὐσόβα ποτ. ἐκβολαί	ι΄ ∠ νθ΄. ∠
Σηνοῦ ποτ. ἐκβολαί	θ΄ ∠ νθ΄. ∠
Δοὺρ ποτ. ἐκβολαί	θ΄ γο΄ νη΄. γο΄
Ἰέρνου ποτ. ἐκβολαί	η΄ νη΄
Νότιον ἄκρον	ζ΄ γο΄ νζ΄. ∠δ΄

Παροικοῦσι δὲ τὴν πλευρὰν μετὰ τοὺς Οὐεννικνίους, Ερδίνοι 4. ὑφ᾽ οὓς, Ναγνάται. εἶτα Αυτειροί. εἶτα Γαγγανοί. ὑφ᾽ οὓς, Οὐελίβοροι 5. Τῆς ἐφεξῆς μεσημβρινῆς πλευρᾶς περιγραφὴ, ἣ παράκειται ὠκεανὸς Οὐεργίνιος. 6. μετὰ τὸ νότιον ἄκρον. ὅ ἐστιν ζ΄ γο΄. νζ ∠δ΄

Δαβρῶνα ποτ. ἐκβολαί	ια΄ δ΄. νζ΄
Βίργου 7 ποτ. ἐκβολαί	ιβ΄ ∠. νζ ∠
Ἱερὸν ἄκρον	ιδ΄ νζ΄ ∠

Παροικοῦσι δὲ τὴν πλευρὰν μετὰ τοὺς 8 Οὐελλαβόρους Οὔτερνοι. 9. ὑπὲρ οὓς, Οὐοδίαι, καὶ ἀνατολικώτεροι Βρίγαντες. Ανατολῆς πλευρᾶς περιγραφή. ἣ παράκειται ὠκεανὸς καλούμενος Ἰουέρνιος. μετὰ τὸ ἱερὸν ἄκρον, ὅ ἐστι ιδ΄ νζ΄ ∠

Μοδόνου ποταμοῦ ἐκβολαί	ιγ΄ γο΄. νη΄ γο΄
Μανάπια πόλις	ιγ΄ ∠ νη΄ γο΄
Οβόκα ποτ. ἐκβολαί	ιγ΄ ς΄ νθ΄
Ἔβλανα πόλις	ιδ΄ νθ΄ ∠
Βουβίνδα ποτ. ἐκβολαί	ιδ΄ γο΄. νθ΄ γο΄
Ἰσάμνιον ἄκρον	ιε΄ ξ΄
Οὐινδέριος ποτ. ἐκβολαί	ιε΄ ξ΄ δ΄
Λογία ποτ. ἐκβολαί	ιε΄ γ΄. ξ΄ γο΄

μεθ᾽ ἃς τὸ Ροβόγδιον ἄκρον.

Παροικοῦσι δὲ τὴν πλευρὰν ταύτην 10, μετὰ τοὺς Ροβογδίους 11, Δάρνιοι 12. ὑφ᾽ οὓς, Οὐολούντιοι. εἶτα Βλάνιοι. 13. εἶτα Καῦκοι. ὑφ᾽ οὓς, Μανάπιοι.

Μανάπιοι. εἶτα Κοριόνδοι ὑπὲρ τοὺς Βρίγαντας.

Πόλεις δέ εἰσι μεσόγειοι αἵδε.

Ῥιγία 14	ιγ'	ξ' γ'
Ῥαίβα	ιβ'	νθ' ∠
Λάβηρος	ιγ'	νθ' δ'
Μακόλικον	ια' ∠	νη' γο'
Ἑτέρα Ῥιγία 15	ια'	νθ' ∠
Δοῦνον	ιβ' ∠	νη' ∠
Ἰουερνίς 16	ια'	νη' ς'

Ὑπέρκεινται δὲ νῆσοι τῆς Ἰουερνίας, αἵ τε καλούμεναι Ἐβοῦδαι, ε' τὸν ἀριθμόν, ὧν ἡ μὲν δυτικωτέρα καλεῖται

Ἔβουδα	νε'	ξβ'

Ἡ δὲ ἑξῆς αὐτῶν 17 πρὸς ἀνατολὰς ὁμοίως.

Ἔβουδα	ιε' γο'	ξβ'
εἶτα Ῥικίνα	ιζ'	ξβ'
εἶτα Μαλεός	ιζ' ∠	ξβ'
εἶτα Ἐπίδιον	ιη' ∠	ξβ'

Καὶ ἀπὸ ἀνατολῶν τῆς Ἰουερνίας εἰσὶν αἵδε νῆσοι.

Μονάοιδα	ιζ' γο'	ξα' ∠
Μόνα νῆσος	ιε'	νζ' γο'
Ἔδρου 18 ἔρημος	ιε'	νθ' ∠
Λίμνου 19 ἔρημος	ιε'	νθ'

napii. Poſt Coriondi ſupra Brigantes.

Civitates Mediterraneæ hæ ſunt.

Rhigia	13	60 20
Rhæba	12	56 54
Laberus	13	59 51
Macolicum	11 30.	58 40
Rhigia altera	11	58 30
Dunum	12 20.	58 45
Ivernis	11	58 10

Hiberniæ ſuperjacent quinque inſulæ, Ebudæ nomine, quarum occidentalior vocatur

Ebuda	15	62

Deinde quæ ad ortum magis extenditur ſimiliter

Ebuda	15 40.	62
Poſtea Rhicina	17	62
Poſtea Maleos	17 30.	62
Poſtea Epidium	18 30.	62

Juxta Orientalem plagam Hiberniæ inſulæ hæ ſunt.

Monaœda	17 40.	61 30
Mona inſula	15	57 40
Edri quæ deſerta eſt	15	57 30
Limni quæ deſerta eſt	15	59

ΑΛΟΥΙΩΝΟΣ ΝΗΣΟΥ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΗΣ ΘΕΣΙΣ.

Ἀρκτικῆς πλευρᾶς περιγραφή, ἧς ὑπέρκειται ὠκεανὸς καλούμενος Δηουκαληδόνιος 20 *al.* Δουηκ. Νουαντῶν 21 Χερσόνησος, καὶ ὁμώνυμον ἄκρον κα' ξα' γο'

Ῥεριγόνιος 22 κόλπος	κ' ∠	ξ' ∠
Οὐϊδότερα 23 κόλπος	κα' γ'	ξ' ∠
Κλῶτα 24 εἴσχυσις 25	κβ' δ'	νθ' γο'
Λελααννόνιος 26 κόλπος	κδ'	ξ' γο'
Ἐπίδιον ἄκρον	κγ'	ξ' γο'
Λόγγου ποτ. ἐκβολαί	κδ'	ξ' γο'
Ἴτυος ποτ. ἐκβολαί	κζ'	ξ'
Οὐόλσας κόλπος	κθ'	ξ' ∠
Ναβαίου 27 ποτ. ἐκβολαί	λ'	ξ' ∠
Ταρουεδοῦμ 28 ἡ καὶ Ὀρκὰς ἄκρα.	λα' γ'	ξ' δ'

Δυσμικῆς πλευρᾶς περιγραφή, ἣ παράκειται ὅ, τε Ἰουέρνιος ὠκεανὸς καὶ ὁ Οὐεργίνιος μετὰ τὴν Νουαντῶν Χερσόνησον ἣ ἐπέχει κα' ξα' γο'

Αὐραουάννου 29 ποτ. ἐκβολαί	ιθ' γ'	ξα'

ALBIONIS Inſulæ BRITANNIÆ Situs.

Cap. III.

Tabula prima EUROPÆ.

SEptentrionalis lateris deſcriptio, quod alluit Oceanus, qui vocatur Deucaledonius. Novantum Cherſoneſus, & ejuſdem nominis promontorium. 21 60 40

Rherigonius ſinus	20 30.	60 45
Vidogara ſinus	21 20.	60 30
Clota æſtuarium	22 15.	59 40
Leanonius ſinus	24	60
Epidium promont.	23	60 40
Longi fluv. oſtia	24 30.	60 40
Itys fluv. oſtia	27	60 40
Volſas ſinus	29	60 30
Nabæi fluv. oſtia	30	60 30
Tarvedum, quod & orcas promontorium.	31 20.	60 15

Occidentalis lateris deſcriptio, quod Ibernicus ac Verginius alluit Oceanus. Poſt Novantium Cherſoneſum, quæ habet 21 61 40

Abravanni fluv. oſtia	19 20.	61

Ienæ æſtuarium	19	60 30	Ἰηνᾶ 30 εἴσχυσις 31	ιθʹ	ξʹ ∠
Devæ fluv. oſtia	18	60	Δεούα ποτ. ἐκβολαί	ιηʹ	ξʹ
Novii fluv. oſtia	18 20	59 30	Νοουίου ποτ. ἐκβολαί	ιηʹ γʹ	νθʹ ∠
Itana æſtuarium	18 30	58 45	Ιτούνα 32 εἴσχυσις 33	ιηʹ ∠	νηʹ ∠ δʹ
Moricambe æſtuarium	17 30	58 20	Μορικάμβη 34 εἴσχυσις 35	ιζʹ ∠	νηʹ γʹ
Setantiorum portus	17 20	57 45	Σεταντίων λιμήν	ιζʹ γʹ	νζʹ ∠ δʹ
Beliſama æſtuarium	17 30	57 20	Βελίσαμα 37 εἴσχυσις 38	ιζʹ ∠	νζʹ γʹ
Seteia æſtuarium	17	57	Σετηΐα 39 εἴσχυσις 40	ιζʹ	νζʹ
Tiſobis fluv. oſtia	15 40	56 29	Τοισόβιος ποτ. ἐκβολαί	ιεʹ γοʹ	νϛʹ γʹ
Cancanorum promont.	15	56	Καγκανῶν 41 ἄκρον	ιεʹ	νϛʹ
Stuciæ fluv. oſtia	15 20	55 30	Στούκια ποτ. ἐκβολαί	ιεʹ γʹ	νεʹ ∠
Tuerobis fluv. oſtia	15 30	55 10	Τουερόβιος ποτ. ἐκβολαί	ιεʹ	νεʹ
Octapitarum promont.	14 20	54 30	Εκταπίταρον ἄκρον	ιδʹ γʹ	νδʹ ∠
Tobii fluv. oſtia	15 30	54 30	Τοβίου 42 ποτ. ἐκβολαί	ιεʹ ∠	νδʹ ∠
Ratoſtathybii fluv. oſtia	16 30	54 30	Ρατοσταθυβίου ποτ. ἐκβολαί	ιϛʹ ∠	νδʹ ∠
Sabriana æſtuarium	17 20	54 30	Σαβρίανα 43 εἴσχυσις 44	ιζʹ γʹ	νδʹ ∠
Vexalla æſtuarium	16	53 30	Οὐέξαλα εἴσχυσις 45	ιϛʹ	νγʹ ∠
Herculis promont.	14	53	Ηρακλέους ἄκρον	ιδʹ	νγʹ
Antæveſtæum promont. quod etiam dicitur Bolerium	11 30	52 30	Αντιουέσταιον 46 ἄκρον, τὸ καὶ Βολέριον	ιαʹ	νβʹ ∠
Damnonium quod etiam dicitur Ocrinum promont.	12	51 30	Δαμνόνιον 47 τὸ καὶ ὄκρινον ἄκρον	ιβʹ	ναʹ ∠

Reliqui Meridionalis lateris deſcriptio, quod Britannicus Oceanus alluit. Poſt Ocrinum promont.

Τῆς ἐφεξῆς μεσημβρινῆς πλευρᾶς περιγραφὴ, ᾗ ὑπόκειται Βρεταννικὸς ὠκεανὸς μετὰ τὸ ὄκρινον ἄκρον.

Cenionis fluv. oſtia	15	51 54	Κενίωνος ποτ. ἐκβολαί 1	ιδʹ	ναʹ ∠ δʹ
Tamari fluv. oſtia	15 40	52 10	Ταμάρου ποτ. ἐκβολαί	ιεʹ γοʹ	νβʹ ϛʹ
Iſacæ fluv. oſtia	17	52 20	Ισάκα ποτ. ἐκβολαί	νζʹ	νβʹ γʹ
Alaunii fluv oſtia	17 40	52 40	Αλαύνου 2 ποτ. ἐκβολαί	ιζʹ γοʹ	νβ γοʹ
Magnns portus	19	53	μέγας λιμὴν	ιθʹ	νγʹ
Triſantonis fluv. oſtia	20 20	53	Τρισάντωνος ποτ. ἐκβολαί	κʹ γʹ	νγʹ
Novus portus	21	53 30	Καινὸς λιμὴν	καʹ	νγʹ ∠
Cantium promont.	21	54	Κάντιον ἄκρον	κβʹ	νδʹ

Orientalis deinde ac auſtralis plagæ latera, quæ Germanico alluuntur Oceano, deſcribuntur. Poſt Tarvedum, quod & orcas pro. quod jam dictum eſt

Τῶν ἐφεξῆς πρὸς ἕω καὶ μεσημβρίαν πλευρῶν περιγραφὴ, αἷς παράκειται Γερμανικὸς ὠκεανος· μετὰ τὸ Ταρουεδοὺμ ἄκρον, ἢ Ορκὰς, ὅπερ εἴρηται

Virvedrum promont.	31	60	Οὐιρουέδρον 3 ἄκρον	λαʹ	ξʹ
Veruvium promont.	30 50	59 40	Βερουβίουμ 4 ἄκρον	λʹ ∠	νθʹ γοʹ
Ilæ fluv. oſtia	30	59 40	Ιλα ποτ. ἐκβολαί	λʹ	νθʹ γοʹ
Ripa alta	39	59 40	Οχθη ὑψηλή	κθʹ	νθʹ γοʹ
Loxæ fluv. oſtia	28 30	59 40	Λόξα ποτ. ἐκβολαί 5	κηʹ ∠	νθʹ γοʹ
Vara æſtuarium	27 30	59 40	Οὐάρα 6 εἴσχυσις 7	κζʹ ∠	νθʹ γοʹ
Tuæſis æſtuarium	27	59 0	Τούαισις 8 εἴσχυσις 9 al. Τουαι	κζʹ	νθʹ
Celnii fluv. oſtia	27	58 45	Κελνίου ποτ. ἐκβολαί 10	κζʹ	νηʹ ∠ δʹ
Taizalum promont.	27 30	58 30	Ταίζαλον ἄκρον	κζʹ ∠	νηʹ ∠
Divæ fluv. oſtia	26	58 40	Δίουα ποτ. ἐκβολααί 11	κϛʹ	νηʹ ∠
Tava æſtuarium	25	58 30	Ταούα 12 εἴσχυσις	κεʹ	νηʹ ∠
Tinæ fluv. oſtia	24	58 30	Τίννα 13 ποτ. ἐκβολαί	κδʹ ∠	νηʹ ∠ δʹ
Boderia æſtuarium	22 30	58 45	Βοδερία 14 εἴσχυσις	κβʹ ∠	νηʹ ∠ δʹ
Alauni fluv. oſtia	21 40	58 30	Αλαύνου ποτ. ἐκβολαί	καʹ γοʹ	νηʹ ∠
Vederæ fluv. oſtia	20 10	58 30	Οὐέδρα ποτ. ἐκβολαί	κʹ ϛʹ	νηʹ ∠
Dunum ſinus	20 45	57 30	Δοῦνον κόλπος	κʹ δʹ	νζʹ ∠
Gabrintuicorum portuoſus ſinus	21	57	Γαβραντουίκων εὐλίμενος κόλπος	καʹ	νζʹ
Ocelum promont.	21 15	56 40	Οκέλλου ἄκρον	καʹ δʹ	νϛʹ γοʹ

Αβου ποτ. ἐκβολαί	κα´	νϛ´ 𐅵
Μεταρὶ 15 εἴσχυσις	κ´ 𐅵	νε´ γο´
Γαρρυένου 16 ποτ. ἐκβολαί	κα´	νε´ γ´
Εξοχή	κα´ δ´	νε´ ιβ´
Εἰδουμανία 17 ποτ. ἐκβολαί	κ´ ϛ´	νε´
Ιάμισσα 18 εἴσχυσις	κ´ 𐅵	νδ´ 𐅵
μεθ᾽ ἣν τὸ Ακάντιον 19 ἄκρον	κβ´	νδ´

Οἰκοῦσι δὲ τὰ μὲν, παρὰ τὴν ἀρκτικὴν πλευρὰν, ὑπὸ μὲν τὴν ὁμώνυμον χερσόνησον, Νουάνται, παρ᾽ οἷς εἰσι καὶ πόλεις αἵδε.

Λουκοπιβία	ιθ´	ξγ´
Ρετιγόνιον	κ´ ϛ´	ξ´ γο´

Υφ᾽ οὓς Σελγοῦαι, παρ᾽ οἷς πόλεις

Καρβαντόριγον.	ιθ´	νθ´ γ´
Οὔξελον 20	ιη 𐅵	νθ´ γ´
Κόρδα	κ´	νθ´ γο´
Τριμόντιον	ιθ´	νθ´

Τούτων δὲ πρὸς ἀνατολὰς, Δάμνιοι μὲν, ἀρκτικώτεροι, ἐν οἷς πόλεις

Κολανία 21	κ´ 𐅵	νθ´ ϛ´
Ουανδούαρα	κα´ γο´	ξ´
Κορία	κα´ 𐅵	νθ´ γ´
Αλαῦνα	κβ´ 𐅵δ´	νθ´ γ´
Λίνδον	κ´	νθ´ 𐅵
Ουικτορία	κγ´ 𐅵	νθ´

Γαδηνοὶ 22 δὲ, ἀρκτικώτεροι, Ωταδηνοὶ 23 δὲ, μεσημβρινώτεροι, ἐν οἷς πόλεις αἵδε

Κουρία	κ´ ϛ´	νθ
Βρεμένιον	κα´	νη´ 𐅵δ´

Μετὰ δὲ τοὺς Δαμνονίους, πρὸς ἀνατολὰς ἀρκτικώτεροι μὲν, ἀπὸ τοῦ Επιδίου ἄκρου ὡς πρὸς ἀνατολὰς, Επίδιοι, μεθ᾽ οὓς Κέρωνες. 24 εἶτα, Καρνονάκαι. εἶτα, Καρηνοὶ 25, καὶ ἀνατολικώτεροι 29 καὶ Τελευταῖοι Κορνάβυοι 27. Απὸ δὲ τοῦ Λελαμνονίου 28 κόλπου μέχρι τῆς Ουάραρ εἰσχύσεως Καληδόνιοι. καὶ ὑπὲρ αὐτοὺς, ὁ Καληδόνιος δρυμός. ὧν ἀνατολικώτεροι δὲ, Καντάι. μεθ᾽ οὓς Λόγοι, συνάπτοντες τοῖς Κορναυίοις· καὶ ὑπὲρ τοὺς Λόγους, Μέρται. ὑπὲρ 30 δὲ τοὺς Καληδονίους, Ουακομάγοι. παρ᾽ οἷς πόλεις.

Βανατία	κδ´	νθ´ 𐅵
Τάμεια	κε´	νθ´ γ´
Πτερωτὸν στρατόπεδον	κζ´ δ´	νθ´ γ´
Τούεσις 31	κϛ´ 𐅵δ´	νθ´ ϛ´

Υπὸ δὲ τούτους, δυσμικώτεροι μὲν Ουενίκοντες 32, ἐν οἷς πόλεις αἵδε.

Ορρέα	κδ´	νη´ 𐅵δ´

Ανατολικώτεροι δὲ Τεξάλοι 33, καὶ πόλις

Δηουάνα	κϛ´ δ´	νθ´ 𐅵δ´

Abi fluv. oſtia	21	.56 30
Metaris æſtuarium	20 10	.55 40
Garieni fluv. oſtia	21	.55 20
Extenſio	21 15	.55 6
Idumanii fluv. oſtia	20	.55 10
Iameſa æſtuarium	20 30	.54 30
poſt quam Cantium eſt promont.	22	.54 0

Juxta ſeptent. latus ſub Cherſ. eodem appellati nomine Novantæ habitant, apud quos urbes hæ:

Lucopibia	19	.60 20
Retigonium	20 10	.60 40

Sub iis Selgovæ, apud quos urbes hæ.

Carbantorigum	19	.59 20
Oxelum	12 30	.59 20
Corda	20	.59 40
Trimontium	19	.59 0

His verſus ſolis ortum magis ſeptentrionales Damnii ſunt, in quibus urbes hæ:

Colania	20 30	.59 10
Vanduara	21 40	.60 0
Coria	21 30	.59 20
Alauna	22 45	.59 20
Lindum	23	.59 30
Victoria	33 30	.59 0

Gadini vero magis ſeptentrionales. Otadeni autem magis Auſtrales ſunt, in quibus urbes hæ:

Curia	20 10	.59 0
Bremenium	2	.58 45

Poſt Damnonios verſus ſolis ortum magis ſepten. quaſi ad ortum vergentes ab Epidio prom. [2] Epidii ſunt. Poſt quos [3] Cerones. Poſt Orientaliores [4] Lerones. Deinde Carnonaces. Deinde Carini. Et Orientaliores ultimique Cornabii. A Lelannonio autem ſinu uſque ad æſtuarium Varar, ſunt [4] Caledonii. Et ſupra eos, Caledonia ſylva. Quibus magis Orienta. ſunt Cantæ. Poſt quos Logi conjuncti Cornabiis. Et ſupra [6] Logos Mertæ ſunt. Sub Caledoniis autem Vacomagi. Apud quos hæ ſunt urbes:

Banatia	24	.59 30
Tamia	25	.59 20
Alata Caſtra	27 15	.59 20
Tueſis	26 54	.59 10

Sub iis qui Magis Occidentales ſunt habitant Vennicontes, in quibus urbs

Orrea	26 15	.59 45

Deinde qui magis orient. ſunt, Texali; & urbs

Devana	19	.57 45

Rurſus autem ſub Elgovis & Otadinis, ad utraque Maria habitant Brigantes. in quibus urbes

Epiacum 18 30.58 30
Vinnovium 17 30.59 0
Caturactonium 20 .58 0
Calatum 19 .57 45
Iſurium 20 .57 40
Rhigodunum 18 .57 30
Olicana 19 .57 30
Eboracum 20 .57 20

Et Legio ſexta Nicephorica.

Camunlodunum 18 15.57 0

Apud hos penes ſinum portuoſum Pariſi & urbs.

Petuaria 20 40.56 40

Sub iis & Brigantibus habitant magis ad occaſum tendentes Orduices. Penes quos urbes

Mediolanium 16 45.56 40
Brannogenium 16 .56 15

His vero magis ori. ſunt Cornabii, in quibus urbes

Devana 18 30.55 0

Et legio viceſima Nicephorica

Virocanium 16 45.55 45

Poſt hos Coritani, in quibus urbes

Lindum 18 40.55 45
Rhage 18 55.30

Deinde Catyeuchlani, in quibus urbes

Salinæ 20 10.55 40
Urolanium 19 20.55 39

Poſt hos Simeni, apud quos urbs

Venta 20 30.55 20

Et magis Orientales penes Jameſam æſtuarium, Trinoantes ſunt, in quibus urbs

Camudolanum 21 .55 0

Iterum ſub dictis populis Maxime Occident. ſunt Metæ, in quibus urbes

Luentinum 15 45.55 10
Maridunum 15 30.54 40

His magis orientales Silyres ſunt, in quibus urbs

Bullæum 16 20.55 0

Poſt quos Dobuni & urbs

Corinium 18 54. 10

Poſt Atrebatii & urb.

Nalcua 19 .54 15

Poſt quos Maxime Orient. Cantii In quibus urbes

Londinium 20 .45 0
Darvenum 21 .53 40
Rutupiæ 21 45.45 440

Rurſus Atrebatiis & Cantiis ſubjacent Rhegni, & urbs

Πάλιν δ' ὑπὸ μὲν τοὺς Ελγούας καὶ τοὺς Ωταδηνοὺς 34, διήκοντες ἐφ' ἑκάτερα τὰ πελάγη Βρίγαντες, ἐν οἷς πόλεις

Επείακον ιη' ∠ νη' ∠
Οὐιννούιον ιζ' ∠ νη'
Κατουρρακτόνιον κ' νη'
Κάλατον ιθ' νζ' ∠
Ισούριον κ' νζ' γο'
Ῥιγόδουνον ιε' νζ' ∠
Ολίκανα ιθ' νζ' ∠
Εβόρακον κ' νζ' γ'

Λεγίων ς' νικηφόρος

Καμουλόδουνον ιη' δ' νζ'

Πρὸς οἷς περὶ τὸν εὐλίμενον 35 κόλπον, Παρίσοι, 36, καὶ πόλις

Πετουαρία κ' γο' νς' γο'

Ὑπὸ δὲ τούτους καὶ τοὺς Βρίγαντας οἰκοῦσι δυσμικώτατα 37 μὲν, Ορδούικες, ἐν οἷς πόλεις

Μεδιολάνιον ις' ∠δ' νς' γο'
Βραννογένιον ις' νς' δ'

Τούτων δὲ ἀνατολικώτεροι, Κορναύιοι, ἐν οἷς πόλεις,

Δηούανα ιη' ∠ νε'

καὶ λεγίων κ' νικηφόρος

Οὐιροκόνιον ις' ∠δ' νε' ∠δ'

Μεθ' οὓς Κοριτανοὶ, ἐν οἷς πόλεις

Λίνδον ιη' γο' νε' ∠δ'
Ῥάγε 38 ιη' νε' ∠

Εἶτα Κατυευχλανοί· ἐν οἷς πόλεις

Σαλῖναι 39 ις' νε' γο'
Οὐρολάνιον ιθ' γ' νε' ∠

Μεθ' οὓς Σιμενοὶ, 40 ἐν οἷς πόλις

Οὔεντα κ' ∠ νε' γ'

Καὶ ἀνατολικώτεροι παρὰ τὴν Ιμένσαν εἴσχυσιν Τρινόαντης, ἐν οἷς πόλις

Καμουδόλανον κα' νε'

Πάλιν δ' ὑπὸ τὰ εἰρημένα ἔθνη δυσμικώτατοι μὲν Δημῆται, ἐν οἷς πόλεις

Λουέντινον ιε' ∠δ' νε'
Μαρίδουνον ιε' ∠ νε' γο'

Τούτων δ' ἀνατολικώτεροι, Σίλυρες, ἐν οἷς πόλις

Βούλλαιον ις' γ' νε'

Μεθ' οὓς Δοβοῦνοι, καὶ πόλις

Κορίνιον ιη' νδ' ς'

Εἶτα Ατρεβάτιοι, καὶ πόλις

Ναλκούα 41 ιθ' νδ' δ'

Μεθ' οὓς ἀνατολικώτατοι Κάντιοι. ἐν οἷς πόλεις,

Λονδίνιον κ' νδ'
Δαρούενον κα' νγ' γο'
Ῥουτούπιαι κα' ∠δ' νδ'

Πάλιν τοῖς μὲν Ατρεβατίοις, καὶ τοῖς Καντίοις, ὑπόκεινται Ῥῆγνοι,

καὶ πόλις Νοιόμαγος ιθ' ∠δ' νγ' γ' ιβ'

Τοῖς δὲ Δοβούνοις, Βέλγαι. καὶ πόλεις

Ισχαλις ιϛ' γο' νγ' ∠

Υδατα θερμά ιζ' γ' νγ' γο'

Ουέντα ιη' γο' νγ' ∠

Τούτων δ' ἀπὸ δυσμῶν καὶ μεσημβρίας Δουρότριγες, ἐν οἷς πόλις

Δούνιον ιη' ∠γ' νβ' ιβ'

Μεθ' οὓς δυσμικώτατοι Δουμνόνιοι. ἐν οἷς πόλεις.

Ουολίβα ιδ' ∠ δ' νβ' γ'

Οὔξελα 43 ιε' νβ' ∠γ'

Ταμαρή ιε νβ' δ'

Ισκα ιζ ∠ νβ ∠δ'

Λεγίων δευτέρα σεβαστή. ιζ' ∠ νβ ∠ ιβ'

Νῆσοι δὲ παράκεινται τῇ Αλουίωνος, κατὰ μὲν τὴν Ορκάδα ἄκραν

Οκητις νῆσος λβ' γο' ξ' ∠ δ'

Δοῦμνα νῆσος 44 λ' ξα'

Υπὲρ ἣν αἱ Ορκάδες, περὶ τριάκοντα τὸν ἀριθμον, ὧν τὸ μεταξὺ ἐπέχει μοί. λ' ξγ' γο'

Καὶ ἔτι ὑπὲρ αὐτὰς ἡ Θούλη. ἧς τὰ μὲν δυσμικώτατα ἐπέχει μοί. κθ' ξγ'

τὰ δὲ ἀνατολικώτατα λα' γο' ξγ'

τὰ δὲ ἀρκτικώτατα λ' γ' ξγ' δ'

τὰ δὲ νοτιώτατα λ' γ' ξβ' γο'

τὰ δὲ μεταξὺ λ' γ' ξγ'

Κατὰ δὲ τοὺς Τρινόαντας, νῆσοι εἰσιν αἵδε

Τολιάπις. κγ' νδ' δ'

Κώουνος 25 νῆσος κδ' νδ' ∠

Υπὸ δὲ τὸν μέγαν λιμένα, νῆσος Ουίκτησις 46 ἧς τὸ μέσον ἐπέχει μοί. ιθ' γ' νβ' γ'

Næomagus 19 43.53 46

Dobanis vero ſubjacent Belgæ, & urbs

Iſchalis 16 40.53 30

Aquæ Calidæ 17 20.53 40

Venta 18 40.53 30

Deinde verſus Occaſum & Auſtrum Durotriges ſunt, in quibus urbs

Dunium 17 .52 40

Poſt quos maxime Occidentales Domnonii, in quibus urbes

Voliba 14 45.52 20

Uxela 15 .52 45

Tamare 15 .52 25

Iſca 17 30.52 45

Legio ſecunda auguſta 17 .52 30

Inſulæ autem adjacent Albioni juxta Orcada promont.

Ocitis inſula 32 40.60 45

Dumna inſula 30 .61 0

Supra quam Orcades inſulæ ſunt numero 30 Circiter, quarum medius gradus habet 30 .61 40

Et ſuper Thyle eſt, cujus inſulæ pars, quæ maxime ad occaſum tendit, gradus habet 29 .63 0

Quæ maxime ad ortum 21 40.63 0

Quæ maxime ad Arctos 30 20.6 21

Quæ maxime ad auſtrum 30 20.62 40

Medium inſulæ 30 20.63 0

Juxta Trinoantes vero inſulæ hæ ſunt; Toliapi inſula 23 .54 20

Counos inſula 24 .54 20

Sub magno vero portu inſula eſt vectis, cujus Medium gradus habet. 19 20.52 20

Ex Itinerario Antonini Aug. Edito per Hieronymum Suritam Anno MDC. Colon. Agrip.

Iter Britanniarum. A Geſſoriaco de Galliis Ritupas in Portum Britanniarum, Stad. Num. ccccl.

A Limite, ideſt, à Vallo Prætorium uſque.	M. P. clvi.
A Bremenio Corſtopilum.	M. P. xx.
Vindomoram.	M. P. ix.
Vinoviam.	M. P. xix.
Cataractonem.	M. P. xxii.
Iſurium.	M. P. xxiv.
Eboracum, Leg. victrix.	M. P. xiv.
Derventionem.	M. P. vii.
Prætorium.	M. P. xxv.

Iter à Vallo ad Portum Ritupas. M. P. cccclxxxi.

A Blatobulgio Caſtra exploratorum.	M. P. xii.
Luguvallum.	M. P. xii.
Voredam.	M. P. xiv.
Brovonacim.	M. P. xiii.
Verterim.	M. P. xiii.
Lavatrim.	M. P. xiv.
Cataractonem.	M. P. xiii.
Iſurium.	M. P. xxiv.
Eboracum.	M. P. xvii.
Calcariam.	M. P. ix.
Camulodunum.	M. P. xx.
Mamucium.	M. P. xviii.
Condate.	M. P. xviii.
Devam Leg. xx victrix.	M. P. xx.
Bovium.	M. P. x.
Mediolanum.	M. P. xx.
Rutunium.	M. P. xii.
Viroconium.	M. P. xi.
Uxaconam.	M. P. xi.
Pennocrucium.	M. P. xii.
Etocetum.	M. P. xii.
Mandueſſedum.	M. P. vi.
Venonium.	M. P. xii.
Bennavennam.	M. P. xvii.
Lactodorum.	M. P. xii.
Magiovintum.	M. P. xvii.
Durocobrivim.	M. P. xii.
Verolamium.	M. P. xii.
Sulloniacim.	M. P. ix.
Londinium.	M. P. xii.
Noviomagum.	M. P. x.
Vagniacim.	M. P. xviii.
Durobrivim.	M. P. ix.
Durolevum.	M. P. xiii.
Durovernum.	M. P. xii.
Ad Portum Ritupas.	M. P. xii.

Iter à Londinio ad Portum Dubrim. M. P. lxvi.

Durobrivim.	M. P. xxvii.
Durovernum.	M. P. xxv.
Ad Portum Dubris.	M. P. xiv.

Iter à Londinio ad Portum Lemanis. M. P. lxviii.

Durobrivim.	M. P. lxviii.
Durovernum.	M. P. xxv.
Ad Pontem Lemanis.	M. P. xvi.

Iter à Londinio Luguvallum ad Vallum. M. P. ccccxliii.

Cæſaromagum.	M. P. xxviii.
Coloniam.	M. P. xxiv.
Villam Fauſtini.	M. P. xxxv.
Icianos.	M. P. xviii.
Camboricum.	M. P. xxxv.
Duroli pontem.	M. P. xxv.
Durobrivas.	M. P. xxxv.
Cauſennim.	M. P. xxx.
Lindum,	M. P. xxvi.
Segelocim.	M. P. xiv.
Danum.	M. P. xxi.
Legeolium.	M. P. xvi.
Eboracum.	M. P. xxi.
Iſubrigantum.	M. P. xvii.
Cataroctonem.	M. P. xxiv.
Lavatrim.	M. P. xvii.
Verterim.	M. P. xiii.
Brocavum.	M. P. xx.
Luguvallvm.	M. P. xxii.

Iter à Londinio Lindum. M. P. clvi.

Verolamum.	M. P. xxi.
Durocobrium.	M. P. xii.
Magiovinum.	M. P. xii.
Lactodorum.	M. P. xvi.
Iſannavatia.	M. P. xii.
Tripontium.	M. P. xii.
Vennonim.	M. P. ix.
Ratis.	M. P. xii.
Verometum.	M. P. xiii.
Margidunum.	M. P. xiii.
Ad Pontem.	M. P. vii.
Crococalanum.	M. P. vii.
Lindum.	M. P. xii.

Iter

Iter à Regno Londinium. M. P. xcvi.

Clanſentum.	M. P. xx.
Ventam Belgarum.	M. P. x.
Callevam Atrebatum.	M. P. xxii.
Pontes.	M. P. xxii.
Londinium.	M. P. xxii.

Iter ab Eboraco Londinium. M. P. ccxxvii.

Lagecium.	M. P. xxi.
Danum.	M. P. xvi.
Agelocum.	M. P. xxi.
Lindum.	M. P. xiv.
Crococalanum.	M. P. xiv.
Margidunum.	M. P. xiv.
Vernemetum.	M. P. xii.
Ratis.	M. P. xii.
Venno	
Bann	
Magiovinium.	M. P. xxviii.
Durocobrivim..	M. P. xii.
Verolamum.	M. P. xx.
Londinium.	M. P. xxi.

Iter à Venta Icenorum Londinium. M. P. cxxviii.

Sitomagum.	M. P. xxxii.
Cambretonium.	M. P. xxii.
Adanſam.	M. P. xv.
Camulodunum.	M. P. vi.
Canonium.	M. P. ix.
Cæſaromagum.	M. P. xii.
Durolitum.	M. P. xvi.
Londinium.	M. P. xv.

Iter à Clano venta Mediolanum. M. P. cl.

Galavam.	M. P. xviii.
Alonem.	M. P. xii.
Galacum.	M. P. xix.
Bremetonacim.	M. P. xxvii.
Coccium.	M. P. xx.
Mancunium.	M. P. xvii.
Condate.	M. P. xviii.
Mediolanum.	M. P. xviii.

Iter à Segoncio Devam. M. P. lxxiv.

Cononium.	M. P. xxiv.
Varim.	D. P. xix.
Devam.	M. P. xxxii.

Iter à Muridono Viroconium. M. P. clxxxvi.

Leucarum.	M. P. xv.
Nidum.	M. P. xv.
Bomium.	M. P. xv.
Iſcam. Leg. 18 Aug.	M. P. xxvii.
Burrium.	M. P. ix.
Gobannium.	M. P. xii.
Magnim.	M. P. xxii.
Branonium.	M. P. xxiv.
Viroconium.	M. P. xxvii.

Iter ab Iſca Callevam. M. P. cix.

Burrium.	M. P. ix.
Bleſtium.	M. P. xi.
Ariconium.	M. P. xi.
Clevum.	M. P. xv.
Durocornovium.	M. P. xiv.
Spinas.	M. P. xv.
Callevam.	M. P. xv.

Iter alio Itinere ab Iſca Callevam. M. P. ciii.

Ventam Silurum.	M. P. ix.
Abonem.	M. P. ix.
Traiectum.	M. P. ix.
Aquas Solis.	M. P. vi.
Verlucionem.	M. P. xv.
Cunetionem.	M. P. xx.
Spinas.	M. P. xv.
Callevam.	M. P. xv.

Iter à Calleva Iſcadum Nuniorum. M. P. cxxxvi.

Vindomim.	M. P. xv.
Ventam Belgarum.	M. P. xxi.
Brige.	M. P. xi.
Sorinodunim.	M. P. viii.
Vindocladiam.	M. P. xii.
Durnonovariam.	M. P. viii.
Moridunum.	M. P. xxxvi.
Iſcadum Nuniorum.	M. P. xv.

Ex

Ex Notitia Dignitatum Imperii Romani circa tempora Arcadii & Honorii.

Sub diſpoſitione viri Spectabilis Ducis Britanniarum.

PRæfectus Legionis Sextæ. [Ebor.]
Præfectus equitum Dalmatarum Præſidio.
Præfectus equitum Criſpianorum Dano.
Præfectus equitum Catafractariorum Morbio.
Præfectus Numeri Barcariorum Tigritenſium Arbeja.
Præfectus Numeri Nerviorum Dictenſium Dicti.
Præfectus Numeri vigilum Concangios.
Præfectus Numeri exploratorum Lavatres.
Præfectus Numeri Directorum veterum, alias Veneris.
Præfectus Numeri Defenſorum Braboniaco.
Præfectus Numeri Solenſium Maglovæ.
Præfectus Numeri Pacenſium Magis.
Præfectus Numeri Longovicariorum Longovico.
Præfectus Numeri Derventionenſis Derventione.

Item per lineam Valli.

Tribunus cohortis quartæ Lergorum Segeduno.
Tribunus cohortis Cornoviorum Ponte-Ælii.
Præfectus Alæ primæ Aſcorum Conderco.
Tribunus cohortis primæ Frixagorum Vindobala.
Præfectus Alæ Saviniana Hunno.
Præfectus Alæ Secundæ Aſtrorum Cilurno.
Tribunus cohortis primæ Bavorum Procolitia.
Tribunus cohortis primæ Tungrorum Borcovico.
Tribunus cohortis quartæ Gallorum Vindolana.
Tribunus cohortis primæ Aſtorum Æſica.
Tribunus cohortis ſecundæ Dalmatarum Magnis.
Tribunus cohortis primæ Æliæ Dacorum, Amboglanna.
Præfectus Alæ Petrianæ Petrianis.
Præfectus Numeri Maurorum Aurelianorum, Aballaba.
Tribunus cohortis ſecundæ Lergorum Congavatæ.
Tribunus cohortis primæ Hiſpanorum Axeloduno.
Tribunus cohortis ſecundæ Thracum Gabroſenti.
Tribunus cohortis primæ Æliæ Claſſicæ Tunnocelo.
Tribunus cohortis primæ Morinorum Glannibanta.
Tribunus cohortis tertiæ Nerviorum Alione.
Cuneus Armaturarum Bremetenraco.
Præfectus Alæ primæ Herculeæ Olenaco.
Tribunus cohortis ſextæ Nerviorum Viroſido.
Officium autem habet idem vir Spectabilis Dux, hoc modo.
Principem ex officiis Magiſtrorum militum Præſentalium alternis annis.
Commentarienſem utrunque.
Numerarios ex utriſque officiis omni anno.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

Sub

Sub diſpoſitione viri Spectabilis Comitis Britanniæ.

Provincia Britanniæ.
Officium autem habet idem vir Spectabilis Comes, hoc modo.
Principem ex officio Magiſtri militum.
Præſentalium alternis annis.
Commentarienſem, ut ſupra.
Numerarios duos ſingulos ex utroque officio ſupradicto.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Exceptores.
Singulares, & reliquos Officiales.

Sub diſpoſitione viri Spectabilis Comitis littoris Saxonici per Britanniam.

Præpoſitus numeri Fortenſium Othonæ.
Præpoſitus militum Tungricanorum Dubris.
Præpoſitus numeri Turnacenſium Semannis.
Præpoſitus equitum Dalmatarum Branodunenſis Branaduno.
Præpoſitus equitum Stableſianorum Garianonenſis, Gariannono.
Tribunus cohortis primæ Vetaſiorum Regulbio.
Præpoſitus Legionis ſecundæ Aug. Rutupis.
Præpoſitus Numeri Abulcorum Anderidæ.
Præpoſitus numeri Exploratorum Portus Adurni.
Officium autem habet idem vir Spectabilis Comes hoc modo.
Principem ex officio Magiſtri Præſentalium à parte peditum.
Numerarios duos ut ſup. ex officio ſupradicto.
Commentarienſem ex officio ſupradicto.
Cornicularium.
Adjutorem.
Subadjuvam.
Regerendarium.
Exceptores.
Singulares, & reliquos officiales.

Sub diſpoſitione viri Spectabilis, Vicarii Britanniarum.

Conſulares.

Maximæ Cæſarienſis.
Valentiæ.

Præſides.

Britanniæ primæ.
Britanniæ ſecundæ.
Flaviæ Cæſarienſis.

Officium autem habet idem vir Spectabilis Vicarius, hoc modo.

Principem de Schola Agentium in rebus ex Ducenariis.
Cornicularium.
Numerarios duos.
Commentarienſem.
Ab Actis.
Curam Epiſtolarum.
Adjutorem.
Subadjuvas.
Exceptores.
Singulares & reliquos officiales.

Ex Anonymo Ravennate Geographo. PARISIIS, M.DCLXXXVIII.

In qua Brittania plurimas fuiſſe legimus civitates & caſtra, ex quibus aliquantas deſignare volumus.

Giano
Eltabo
Elconio
Nemetotacio
Tamaris
Durocoronavis
Pilais
Vernalis
Ardua
Ravenatone
Devioniſſo
Statio
Deventia
Stene
Duriarno
Uxelis
Vertevia
Melarnoni
Scadum Namorum
Termonin
Moſtevia
Miledunum
Apaunaris
Maſona
Alongium

Item juxta ſupraſcriptam civitatem Scadomorum, eſt civitas quæ dicitur

Moriduo
Alauna ſilva
Omire
Tedertis
Londinis
Canca
Dolocindo
Clavinio
Morionio
Bolvelaunio
Alauna
Coloneas
Aranus
Anicetis
Moiezo
Ibernio
Bindogladia
Noviomagno
Onna
Venta Velgarum
Armis
Ardaoneon
Ravimago
Regentium
Leucomago
Cimetzone
Punctuobice
Venta Silurum
Jupania
Metambala
Albinunno
Iſca Auguſta
Bannio
Brenna
Alabum
Cicutio
Magnis
Branogenium
Epoceſſa
Ypoceſſa
Macatonion
Glebon colonia
Argiſtillum
Vertis
Salinis
Corinium Dobunorum
Caleba Atrebatium
Andereſio
Miba
Mutuantonis
Lemanis
Dubris
DurovernoCantiacorum
Rutupis
Durobrabis
Londini
Tameſe
Brinavis
Alauna
Utriconion Cornoninorum
Lavobrinta
Mediomano
Seguntio
Canubio
Mediolano
Sandonio
Dena victrix
Veratino
Lutadarum
Derbentione
Salinis
Condate
Ratecorion
Eltenori
Lectoceto
Jacio
Dulma
Virolanium
Londinium Auguſta
Cæſaromagom
Camulodulo colonia
Durcinate
Duroviguto
Durobriſin
Venta Cenomum
Lindum colonia
Banovallum
Navione
Aquis
Arnemeza
Zerdotalia
Mantio
Alunna
Camulodono
Calunio
Gallunio
Modibogdo
Cantiumeti
Juliocenon
Gabrocentio
Alauna
Bribra
Maio
Olerica
Derventione
Ravonia
Breſnetenati Veteranorum
Pampocalia
Lagentium

Valteris

Valteris
Bereda
Lugubalum
Magnis
Babaglanda
Vindolande
Lineojugla
Vinonia
Lavaris
Cataractonion
Eburacum
Decuaria
Devovicia
Dixio
Lugundino
Coganges
Corie
Lopocarium

Iterum ſunt civitates in ipſa Britannia, quæ recto tramite, de una parte in alia, id eſt de oceano in oceano, & Siſtuntiaci dividunt in tertia portione ipſam Britanniam, id eſt.

Serduno
Conderco
Vindovala
Onno
Celunno
Brocoliti
Volurtion
Æſica
Banna
Uxeludiano
Avalaria
Maja
Fanocedi
Brocara
Oroucingo
Stodoion
Sinetriadum
Glidum
Carbantium
Tadoriton
Maporiton
Alitacenon
Loxa
Locatrene
Canibroiana
Smetri
Uxela
Lucotion
Corda
Camuloſſeſa
Præſidium
Brigomono
Abiſſon
Ebio
Coritiotar
Celerion
Itucodon
Maremago
Duabliſis
Venutio
Trimuntium
Eburocaſſum
Bremenium
Cocuneda
Alauna
Oleiclavis
Ejudenſca
Rumabo

Iterum ſunt civitates in ipſa Britannia, ubi plus anguſtiſſima de oceano in oceano eſſe dinoſcitur, id eſt.

Velunia
Volitanio
Pexa
Begeſſe
Colanica
Medio
Nemeton
Subdobiadon
Litana
Cibra
Credigone

Iterum eſt civitas quæ dicitur

Jano
Maulion
Demeroſeſa
Cindocellum
Cermo
Veromo
Matovion
Ugrulentum
Ranatonium
Iberran
Præmatis
Tueſſis
Ledone
Litinomago
Devoni
Memanturum
Decha
Bograndium
Ugveſte
Leviodanum
Porco Claſſis
Levioxana
Cermium
Victoriæ
Marcotaxon
Tagea
Voran

Sunt autem in ipſa Britannia diverſa loca, id eſt.

Mapcni
Panovius
Minox
Taba
Manavi
Segloes
Daunoni

Currunt autem per ipſam Britanniam plurima flumina, ex quibus aliquanta nominare volumus, id eſt.

Fraxula
Axium
Maina
Sarva
Tamaris
Naurum
Abona
Iſca
Tamion
Aventio
Leuca
Juctius

Leugoſena	Lenda	Lemana
Coantia	Vividin	Rovia
Dorvatium	Durolani	Ractomeſſa
Antrum	Alauna	Senva
Tinoa	Coguvenſuron	Cimia
Liar	Durbis	Velox

Finitur autem ipſa Britannia, à facie Orientalis habens inſulam Thyle, vel inſulan Dorcadas; à facie Occidentis ex parte Provinciæ Galliam, & promontorium Pyrenei: à facie Septentrionali inſulam Scotiam, à facie meridiana Germaneam antiquam.

Numerus Hidarum regionum quarundam Cis-Humbranarum; ex codice rubro Scaccarii, p. 29. *collato cum* M. S. Cottoniano Claud. D. 2.

	Myrcna continet	30000	Hidas
1	Woken-Setna	7000	hidas.
	Weſterna	7000	hidas.
	Pec-Setna	1200	hidas.
2	Elmed-ſetna	600	hidas.
3	Lindes-farona	7000	hidas.
	Midleth ſelda		
4	Suth-Gyrwa	600	hidas.
5	North-Gyrwa	600	hidas.
†	Eaſt-Wixna	300	hidas.
⸸	Weſt-Wixna	600	hidas.
	Spalda	600	hidas.
6	Wigeſta	900	hidas.
7	Hereſinna	1200	hidas.
8	Sweordora	300	hidas.
9	Eyſla	300	hidas.
10	Wicca	300	hidas.
11	Wight-gora	600	hidas.
12	Nox-gaga	5000	hidas.
13	Othgaga	2000	hidas.
14	Hwynca	7000	hidas.
15	Ciltern-ſetna	300	hidas.
	Hendrica	3000	hidas.
16	Unecung-ga	1200	hidas.
	Aroſeatna	600	hidas.
17	Fearfinga	300	hadas.
18	Belmiga	600	hidas.
	Witherigga	600	hidas.
19	Eaſt-Willa	600	hidas.
	Weſt-Willa	600	hidas.
20	Eaſt-Engle	30000	hidas.
	Eaſt-Sexena	7000	hidas.
	Cant-Warena	15000	hidas.
	Suth-Sexena	100000	hidas.

Hidæ quorundam comitatuum; ex Cod. M. S. Crowlandenſi.

In Wiltſyre continentur	4800 Hidæ.
In Bedfordſhire ſunt	1200 hidæ.
In Cantebrigeſyre ſunt	2005 hidæ.
In Hunteduneſyre ſunt	800 hidæ & dimidia.
In Norhantuneſyre	3200 hidæ.
In Glouceſtreſyre	2400 hidæ.
In Worceſtreſyre ſunt	1200 hidæ.
In Herefordſyre ſunt	1005 hidæ.
In Warwikſyre	1200 hidæ.
In Oxonfordſyre	2400 hidæ.
In Salopeſyre	2400 hidæ.
In Ceſtreſyre	1200 hidæ.
In Staffordeſyre	. . . . . hidæ.

Hidæ quorundam Burgorum; ex Cod. *Scaccarii &* Cottoniano.

Heorew-Buran tenet	324	hidas.
Haſtinge-ceſtre	500	hidas.
Lathe	1300	hidas.
Burh-ham	726	hidar.
Ciſſeceaſtre	1500	hidas.
Porcheaſtre	650	hidas.
Hamptona	50	hidas.
Wincheſtre	2400	hidar.
Piſtone	1400	hidas.
Tyſamburing	700	hidas.
Soraſleſburiag	700	hidas.
Tweonham	470	hidas.
Weareham	1600	hidas.
Brydian	1760	hidas.
Excenceſtre	734	hidas.
Hallgan Wylla	300	hidas.
Hlida	140	hidas.
Wiltune cum Bearſtaple	260	hidas.
Weced	513	hidas.
Axanbrige	400	hidas.
Lengen	100	hidas.
Langiord	600	hidas.
Badaran	3200	hidas.
Malmesburing	1500	hidas.
Croccagelada	1300	hidas.
Oxford & Wallingford	2400	hidas.
Buckingh. & Sceaftelege	600	hidas.
Eſchinghum & Suthringa-Weorch.	1800	hidas.
Aſt Saxhum & Wygeaceaſtrum	1200	hidas.
Parlingewice	2404	hidas.

Iter

Iter BRITANNIARUM.

BRitannia nondum in formam Provinciæ redacta, cum ipſi *Albion* nomen fuiſſet, Inſulæ omnes verſus ſeptentrionem *Britanniæ* vocabantur, uti Plinius commemorat. Eo more apud Valerium Catullum in Cæſarem. *Notæ Hiron. Suritæ.*

Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.

At Britannia Inſula ſubacta, in ea provinciæ tres a Rufo Feſto numerantur, Maxima Cæſarienſis, Britannia prima, & Britannia ſecunda, quas Britanniarum nomine hoc Antonini loco intelligi, dubium mihi eſt: tametſi veriſimile ſit, eo jam tempore in aliquot provincias fuiſſe diviſam. Poſteriore vero tempore Auctor Notitiæ provinciarum quinque provincias Britanniæ numerat: Maximam Cæſarienſem, Valentinam, Britanniam primam, Britanniam ſecundam,& Flaviam Cæſarienſem. Plinius ratione Milliarum Longitudinis & Latitudinis Britanniam dimetitur, & non Provinciarum: & Ptolemeus laterum ejus Inſulæ dimenſiones colligit.

A Geſſoriaco de Galliis Ritupas] In Blandiniano, Ageſſoriam de Galliis Ritupis. In Neapolitano, a Geſſoriaco de Galliis Ritupis: & in Long. libris, à Geſſoria de Galliis Ritupis. Ptol. in Atrebatiis Ρȣτȣ́πιας. Rutupiarum portus Britanniæ Ammianus libro xx. meminit; Adulta, inquit, hieme dux ante dictus Bononiam venit: quæſitiſque navigiis, & omni impoſito milite, obſervato flato ſecundo ventorum, ad Rutupias, ſitas ex adverſo, defertur, petitque Londinum. Auctor Notitiæ Provinciarum ſub diſpoſitione V. S. Comitis litoris Saxonici per Britanniam, præpoſitum Leg. II. Auguſtæ Rutupis recenſet. In Itinerario maritimo, in Regio exemplari, quod integrum extat, & mihi inſtar eſt complurium, & in Blandiniano, portus Ritupius vocatur, ut non dubitem Ritupas ſcribere, non Rutupas.

Stadia N. ccccl.] Manuſcripta exemplaria, & vulgati libri ſtadia numero ccccl. Cæſar Commentario iv. ipſe cum omnibus copiis in Morinos proficiſcitur, quod inde erat breviſſimus in Britanniam trajectus. Plinius de Britannia; hæc, inquit, abeſt à Geſſoriaco Morinonum gentis litore proximo trajectu L. M. Ex quibus verbis, & hac Antonini itinerarii ſtadiorum ratione, viſus eſt mihi Beda, initio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſententiam concinnaſſe: cujus verba adponam, quod hujus Itinerarii auctoritas ab eo aperte laudari videatur; habet, inquit, à Meridie Galliam Belgicam, cujus proximum litus tranſmeantibus aperit civitas, quæ dicitur Ruthubi portus, qui portus à gente Anglorum nunc corrupte Reptaceſtir vocata, interpoſito mari à Geſſoriaco Morinorum gentis litore proximo trajecta Milliarium quinquaginta, ſive, ut quidam ſcripſere, ſtadiorum quadrigentorum quinquaginta. Strabo libro iv. Cæſarem perhibet, cum ad Itium navali uſus eſſet, & initis tenebris claſſem aſcendiſſet, poſtridie, hora circiter quarta, ſtadia ccc ac xx emenſum applicuiſſe. In itinerario ad portum Ritupium ccccl. Stadia aſſignantur.

A Limite ideſt, à Vallo] Cum Spartianus in Hadriani vita auctor ſit, murum Hadrienum in Britannia per lxxx. M. P. primum duxiſſe, qui Romanos à Barbaris divideret, & Valli nomine magna munitionum mole à Septimio Severo longius productum fuiſſe; dixerit quis limes hoc itinerario deſignetur? Ac mihi magis ſit veriſimile Severi Vallum intelligi: quod ſi ita eſſe donemus, auctor hujus itinerarii ætate Imperatoris Antonini Baſſicani Severi. F. opus hoc compoſuiſſe tradetur: & Imperatoris hujus Antonini titulus erit, non Antonini Pii. Nam adeo ſingillatim hoc Itinerario à Vallo itinera ducuntur, & ex aliis urbibus ad Vallum, ut veriſimile non ſit Valli Hadriani fieri mentionem, ſed Severi: atque eam ob cauſam auctor hujus Itinerarii Antonini Auguſti ſeveri F. nomine opus edidiſſe videtur. Julius tamen Capitolinus Antoninum Pium auctos eſt

 Britannos

Britannos per Lollium Urbicum viciſſe, alio muro cæſpititio, ſubmotis barbaris, ducto. De vallo Xiphilinus, ex Dione, hæc prodit in Severo, Britannorum mores deſcribens: οἰκοῦσι δὲ οἱ μὲν Μαιᾶται πρὸς αὐτῷ τῷ διατειχίσματι, ὃ τὴν νῆσον διχῇ τέμνει. Eum itidem murum à Severo erectum atque conſtructum fuiſſe, idem Spartianus auctor eſt. Britanniam, inquit, quod maximum ejus Imperii decus eſt, muro per tranſverſam inſulam ducto, utrinque ad finem Oceani munivit, unde & Britannici nomen accepit. Aurelius Victor in Epitome hiſtoriæ Auguſtæ, & Eutropius libro viii. in Severo Vallum per xxxii. M. P. à mari ad mare deduxiſſe, ut Spartianus, auctores ſunt, ſi numeri mendo non carent. Nam Euſebius in Libello Temporum ita prodit. *Severus in Britannos transfert Bellum: ubi, ut receptas provincias ab incurſione Barbarica faceret ſecuriores, Vallum per cxxxii. M. P. à mari ad mare duxit.* Oroſius, ut Caſſidorum omittam, hæc prodidit. *Severus Victor in Britanniam, defectu pene omnium Sociorum trahitur: ubi magnis gravibuſque prœliis ſæpe geſtis, receptam partem Inſulæ à cæteris indomitis gentibus, vallo diſtinguendam putavit. Itaque magnam foſſam, firmiſſimumque vallum, crebris inſuper turribus munitum per cxxxii. M. P. à mari ad mare duxit: ibique apud oppidum Eboracum morbo Obiit.* In Notitia Provinciarum Tribuni cohortium per lineam Valli recenſentur. Eo Vallo Picti, & Regiones reliquæ; quibus Scotiæ Regnum continetur.

A Bremenio Corſtopilum M. P. xx.] Habent Blandinianum exemplar, & Libri Longoliani. In Neapolitano à Bremenio Conſtropilum xix. Bremenium Oppidum in Valli limite deligi, tanquam certum locum, ex quo iter hoc ducitur Corſtopilum uſque, ratio ipſa docet. Ptolomæo in Otadenis, qui ad Meridiem vergunt Βρεμένιον. Corſtopili vero oppidi ſive manſionis primæ, neque apud veteres auctores, aut recentiores, ullam mentionem reperi.

Vindomoram. M. P. ix.] Manuſcripta exemplaria, & Libri Longoliani in hanc conveniunt auferendi caſu lectionem, cujus manſionis nullam reperi mentionem.

Vinoviam. M. P. xix.] In Blandiniano, & reliquis Vinovia M. P. xix. Ptolemæo inter Civitates Brigantum Οὐιννοούιον.

Cataractonem. M. P. xxii.] In Blandiniano Cataractoni. M. P. xxii. atque eodem pacto in Libris Longolianis. In Neapolitano Cataractorii M. P. xxii. Ptolemæo itidem in Brigantibus juxta Vinnovium conlocatur Κατουρακτόνιον. Beda in fine Libri II. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Cataractæ meminit: & Cataractonis vici lib. iii. cap. xiv.

Iſurium. M. P. xxxiv.] Præferunt Manuſcripta exemplaria, & Longoliani Libri: & infra ſequenti itinere Iſuriam. Ptolemæo in eiſdem Brigantibus Ισούριον.

Eboracum Leg. Victrix. M. P. xvii.] In Blandiniano. M. P. xiv. & in ſequenti Itinere, M. P. xvii. qui numerus recte hujus itineris manſionum ſummam conficit. In Neapolitano. M. P. xvii. & in Libris Longolianis xiv. & xii. corrigitur, & ſequenti Itinere M. P. xvii. ab Iſurio Eboracum adponuntur. Ptolemæo in Brigantum Regione Ἐβόρακον, & illi itidem adjungitur λεγίων Νικηφόρος.

Derventonem. M. P. vii.] In Notitia Provinciarum ſub diſpoſitione Ducis Britanniarum præfectus numeri Derventienſis Derventione.

Delgovitiam. M. P. xiii.] In Blandiniano exemplari, & Libris Longolianis, Delgonitia. M. P. xiii. Et in Neapolitano Delguitia. M. P. xiii. cujus manſionis & prætorii, quo hoc iter deducitur, nullam reperi fieri mentionem.

A Blatobulgio Caſtra exploratorum. M. P. xii.] Habet Blandinianum exemplar. In Neapolitano M. P. x. Et in Libris Longolianis. M. P. xv. & x. corrigitur. Rurſus manſione certa ad Valli limitem conſtituta, hoc eſt à Blatobulgio, Ritupas uſque portum, iter hoc proponitur ut prima manſio

à

à Blatobulgio caſtris Exploratorum conlocetur; quarum manſionum fieri mentionem ab aliis Auctoribus non video.

Luguvallum. M. P. xii.] In Blandiniano & Longolianis Libris, Luguvallo M. P. xii. Et in Neapolitano, Lugufallo M. P. xii. quæ nomina alibi extare non video.

Voredam. M. P. xiv.] Ind Blandin. Voreda M. P. xiv. atque item in aliis.

Brovonacim M. P. xiii.] In Manuſcriptis & Libris Longolianis, Brovonacis M. P. xiii. In Notitia Provinciarum ſub eodem Duce Britanniarum, Præfectus numeri defenſorum Bravoniaco, qui locus ad hanc manſionem pertinere videtur.

Verterim M. P. xiii.] In Blandiniano, Verteris M. P. xiii. Et in Neapolitano Verteris. M. P. xx. Longoliani Libri, Verteris M. P. xiii. & xx. corrigitur. Sub diſpoſitione ejuſdem Ducis Britanniar. Præfectus numeri Directorum, Verteris: ita enim in vetuſto exemplari meo legitur, non Veterum, quemadmodum in vulgatis præfertur. *Locus Notitia reſtitutus.*

Lavatrim. M. P. xiv.] In Manuſcriptis exemplaribus, & Longolianis Libris, Lavatris M. P. xiv. In eadem Notitia, Præfectus numeri exploratorum Lavatres.

Cataractonem. M. P. xiii.] In Blandiniano, Cataractone M. P. xiii. Et in Neapolitano, M. P. xvi. In Longolianis Libris, M. P. xiii. & xvi. corrigitur. & infra in Blandiniano, Cataractone Lavatrim M. P. xvii. tribuuntur.

Camulodunum. M. P. xx.] Camboduno præferunt Manuſcripti, & Longoliani libri. Camboduni in Britanniarum Regionibus, neque à Ptolemæo neque ab Auctore Notitiæ fit mentio. Ptolemæo in Brigantibus *καμȣλόδȣνον*. Et in Trinovantibus *καμȣδόλανον*. Trinovantium Camuloduni Tacitus meminit, libro xiv. & recens Coloniam deductam fuiſſe.

Mamucium. M. P. xviii.] In Blandiniano, Mamucio M. P. xviii. Et in Neapolitano, Mamutio M. P. xviii. & in libris Longolianis, Manutio M. P. xviii.

Condate. M. P. xviii.] Præferunt Manuſcripta exemplaria, & Libri Longoliani: manſionis nomen à nullo, quod ſciam, auctorum proditum. Fortaſſe colonia Gallorum, quæ à Condate, Redonum Oppido, ſit deducta.

Devam Leg. xx. Victrix M. P. xx.] Ex Blandiniano adpoſuimus: præfert enim Deva Leg. xx. Vici M. P. xx. In Neapolitano, Deva Legi. xxiii. ci. M. P. xx. Ptolemæo in Texeborum regione *δηȣ̃ανα*, & in Cornaviis *δηȣ̃ανα ϗ λεγίων νικηφόρος*. Ut eadem ſit, quæ hoc itinere conſtituitur, & in alterutro nomine error ſit librariorum: Sed cum in nomine Deva exemplaria Manuſcripta Antonini cum vulgatis conveniant, non id rejecimus.

Bovium. M. P. x.] Manuſcripta & Longoliani libri, Bovio M. P. x.

Mediolanum. M. P. xx.] Ptolemæus in Ordovicibus Mediolanum Urbem conlocat.

Rutinium. M. P. xii.] In Blandiniano exemplari, & libris Longolianis, Rutinio M. P. xii. Et in Neapolitano, Rutinio M. P. xii.

Veroconium. M. P. xi.] In Manuſcriptis, Urioconio M. P. xi. Et in Longolianis, Uriconio M. P. xi. Infra Viroconio, quam lectionem prætulimus, quod à Ptolemæo in Cornaviis juxta Leg. xx. vitricem *οὐιροκόνιον* Statuatur.

Uxaconam. M. P. xi.] In Blandiniano, Uxacona M. P. xi. & in libris Longolianis, Uſocona: & nulli numeri ei manſioni adjiciuntur.

Pennocrucium. M. P. xii.] In Blandiniano, Pennocrucio M. P. xii. Et in Neapolitano, Pennocrutio M. P. xii. Longoliani libri Peunocrutio præferunt.

Etocetum. M. P. xii.] In Blandiniano, Etoreto M. P. xii. Et in Longolianis libris. In Neapolitano, Eroceto. M. P. xii.

Mandueſſedum. M. P. vii.] In Blandiniano, M. P. xvi. In Neapolitano, M. P. xvi. In Longoliano, M. P. vi. & xvi. corrigitur.

Bennavennam.

Bennavennam. M. P. xvii.] In Blandiniano, auferendi caſu Bennavenna M. P. xvii. & in Neapolitano, Benaventa M. P. xvii. In libris Longolianis, Bennavenna M. P. xvii. & Benneventa corrigitur.

Lactodorum. M. P. xii.] In Blandiniano, Lactodoro M. P. xii. & in libris Longolianis. In exemplari Neapolitano, Lactodrodo M. P. xii.

Magiovintum. M. P. xvii.] In Blandiniano, Magiovinto M. P. xvii. & in Neapolitano, Maginto. M. P. xvii. Libri Longoliani utramque lectionem proponunt.

Verolamium. M. P. xii.] In Blandiniano, Verolamio M. P. xii. & in Neapolitano, Velolamio M. P. xii. Longoliani libri Blandinianam lectionem adponunt, & Velovanio corrigunt. Ptolemæo in Catyeuchlanis ὐρολάνιον. Beda Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro primo cap. vii. paſſum fuiſſe Beatum Albinum die x. Kal. Julii juxta Civitatem Verolamium perhibet.

Sulloniacim. M. P. ix.] In Blandiniano, Sulloniacis M. P. ix. Et in Longolianis libris: at in exemplari Neapolitano. M. P. x.

Londinium. M. P. xii.] In Blandiniano, Londinio M. P. xii. & in Neapolitano, Longiduno M. P. xii. Et in Longolianis, Londonio M. P. xii. In Taciti Manuſcripto exemplari libro ix. & in Aldinis libris. At Suetonius, Mira conſtantia medios inter hoſtes Londinium perrexit. [A Ptolemæo in Cantiis λονδίνιον] Cognomento quidem Coloniæ non inſigne, ſed copia negotiatorum & commeatuum maxime celebre. Ammianus libro xx. Ad Rutupias ſitas ex adverſo defertur, petitque Londinum: & libro xxvii. Tendenſque ad Lundonium vetus Oppidum, quod Auguſtam poſteritas adpellavit: & libro xxviii. ab Auguſta profectus, quam veteres adpellavere Lundinium. Ea enim nominis ſcripturæ diverſitas, in uno ejus Hiſtoriæ volumine vulgato, reperitur.

Noviomagum. M. P. x.] Ptolemæo, in Regnis Cantiis finitimis νοιόμαγος.

Durobrivim. M. P. ix.] In Blandiniano, Duroprovis M. P. ix. & proximis duobus Itineribus Durobrius, & Durobrivis præfert idem exemplar. In exemplari Neapolitano, Durobrovis M. P. ix. & paulo poſt Dubobrius. Et in Longolianis libris, Duropronis M. P. ix. Et ſequentibus Itineribus, Dubobrius & Durobrivis.

Durovernum. M. P. xii.] In Blandiniano, Duroverno. M. P. xii. Et ſequentibus Itineribus Durarvenno. In Neapolitano Durorverno. M. P. xii. & infra Durarveno. In Longolianis libris, Duroverno M. P. xii. & infra Durarvenno, id Oppidum eſſe videtur, quod in Cantiis medium inter Londinium, & Rutupias à Ptolemæo δαρούερνον nominatur: nam vetuſtus interpres Darvernum vertit. Beda Libro Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ii cap. iii. Civitatem Doroverni nominat, & à Cantio diſtare M. P. ferme xxiv. Ad Occidentem Cantuariam eſſe in Cantio arbitrantur, qui res geſtas earum Provinciarum inveſtigavere.

Ad Portum Dubris. M. P. ix.] Hujus Oppidi in Notitia Provinciarum fit mentio: nam ſub diſpoſitione Comitis Litoris Saxonici, Præpoſitus militum Tungritanorum Dubris recenſetur.

Ad Portum Lemanis. M. P. xvi.] In eadem Notitia ſub præpoſito Comitis ejuſdem, Præpoſitus numeri Turnacenſium Lemannis, & in vetuſto item exemplari.

Luguvallum ad Vallum.] A Londinio hoc Iter Luguvallum duci Vallum verſus indicatur, ſupra enim à Vallo Luguvallum diverticulo Caſtrorum Exploratorum xxiv. M. P. deſignantur.

Coloniam. M. P. xxiv.] Ptolemæo in Damniis κολανία, quæ haud ſcio, an huic manſioni ſit attribuenda.

Camboricum. M. P. xxxv.] In Blandiniano, & Neapolitano Camborico. M. P. xxxv. In Longolianis libris Camboritum. M. P. xxxv.

Lindum. M. P. xxvi.] Ptolemæo in Damniis λίνδον, & alterum in Coritavis.

Segelocim

Segelocim. M. P. xiv.] In Blandiniano, Segeloci. M. P. xiv. & in Neapolitano, Segeloci. M. P. xiv. Longoliani, Segeloci. M. P. xiv. & xxiv. corrigitur: & infra in eiſdem Agelocum nominat.

Danum. M. P. xxi.] Apud Ptolemæum in Durotrigibus δέγνιον, forte pro, δάνον: nam auctor Notitiæ Provinciarum huic manſionis nomini adſentit. Legitur enim ſub Duce Britanniarum Præfectus Equitum Chriſpianorum Dano.

Legeolium. M. P. xvi.] In Blandiniano, Legeolio. M. P. xvi. & in Neapolitano, Legeolio. M. P. xv. In Longoliano, Legeolio. M. P. xvi. & xxv. corrigitur; & infra in eiſdem Lagerium cognominatur.

Iſubrigantum. M. P. xvii.] In Blandiniano, Iſubrigantum. M. P. xvii. & in Neapolitano, Iſubrigantium M. P. xvi. Longoliani libri Blandiniani lectionem præferunt, & xxvi. corrigitur.

Verolamum. M. P. xxi.] In Blandiniano, Verolami. M. P. xxi. & poſtea Verolamo, & item in libris Longolianis. In Neapolitano, Verolami & Verolamo.

Inſannavatia. M. P. xii.] Præferunt Blandinianum exemplar & Longoliani libri. In Neapolitano, Iſanavantia. M. P. xii.

Tripontium. M. P. xii.] Ptolemæo in Selgovis τριμόντιον. quod haud ſcio, an ad hanc pertineat manſionem.

Verometum. M. P. xiii.] In Manuſcriptis & Longolianis Libris, Verometo M. P. xiii. & infra in eiſdem Vernemeto.

Margidunum. M. P. xiii.] Margiduni infra fit mentio, & Muridani.

Crocolanum. M. P. vii.] In Manuſcriptis & Longoliano Crococalani; & infra Crococalano: & à Lindo ad eam Manſionem xiv. M. P. adiiciuntur.

Ventam Belgarum. M. P. x.] In hoc Itinerario trium hujus nominis Oppidorum fit mentio, & item apud Ptolemæum duplicis Ventæ, cui de hac in Belgis, qui Dobunis ſunt finitimi ὄεντα.

Iter à Regno Londinium] Regni Oppidi mentionem fieri non reperi. At regionis Regnorum, qui Atrebatibus & Cantiis finitimi erant, Ptolomæus meminit: quorum Urbs erat Noviomagus, cujus ſupra fit hoc Itinerario mentio: quam Urbem hoc Itinere intelligi arbitror.

Callevam Atrebatum. M. P. xxii.] In Manuſcriptis & Longolianis, Galleva, & infra eodem conſenſu Calleva. De Atrebatibus Britannicis populis fit à Ptolemæo mentio: & corrupte in recentioribus Græcis libris, & in Latinum verſis, eorum Urbs nominatur ναλκοῦα, pro καλεοῦα: nam à vetuſto interprete Caleva vertitur, non Nalcua.

Iter ab Eboraco Londinium.] In Blandiniano, Iter ab Uburaco: & in Neapolitano, ab Eburaco. Longoliani Blandinianam lectionem præferunt, & Eburaco corrigunt.

Margidunum. M. P. xiv.] In Blandiniano deeſt hæc Manſio, quæ ideo aſteriſcis ſignatur. Supra Margiduni fit mentio. In Neapolitano, Margitudis. M. P. xiv. & item in libris Longolianis.

Bannavantum. M. P. xix.] In Blandiniano, Bannavanto, M. P. xix. Et in Neapolitano, Bonnavento, M. P. xix. Et item in Libris Longolianis.

Iter à Venta Icenorum.] Manuſcripta & Longoliani libri Icinorum. Supra Ventæ Belgarum mentio facta eſt, cujus & Ptolemæus meminit; altera Icenorum hoc Itinerario nominatur, & à Ptolemæo ſecunda Venta Simenorum Urbs coſtituitur, qui forte ἴκενοι ſunt, non σίμενοι: cum ſatis conſtet præpotentem Icenorum nationem fuiſſe. Tacitus libro xii. *Quod primi Iceni abnuere valida gens, nec prœliis concuſſa, quia Societatem noſtram volentes acceſſerant.* Et paulo Poſt. *Cæterum clade Icenorum compoſiti, qui bellum inter & pacem dubitabant.* Nec credibile fuerit, cum ejus gentis à Tacito, & Antonino mentio ſit facta, à Ptolemæo fuiſſe prætermiſſam, qui tam ſingillatim Regionum, Urbium, Oppidorum, Fluminum,

Ptolomæi locus expendendus.

Portuum, æſtuariorum, ac Promontoriorum Britanniæ mentionem fecerit.

Sitomagum. M. P. xxxii.] In Blandiniano, Sitomago. M. P. xxxii. Et in Neapolitano, Sitomago M. P. xxxii. Longoliani libri Blandiniani lectionem præferunt, & Sitimago corrigitur.

Cambretovium. M. P. xxii.] In Blandiniano, Cambretonio. M. P. xxii. Et in Neapolitano Compretovio. M. P. xxii. In libris Longolianis, Cambretonio. M. P. xxii.

Iter à Clanoventa.] Habet Blandinianum: & in Neapolitano, à Clamoventa. In Longolianis libris Blandiniani lectio præfertur, & Clamoventa corrigitur. In Notitia Provinciarum ſub diſpoſitione Ducis Britanniarum, Tribunus Cohortis primæ Morinorum Glamibanta recenſetur in vulgatis; & in vetuſto exemplari, Glamubanta: ac forte Clanoventa legendum erat.

Galavam. M. P. xviii.] In Manuſcriptis, & Longolianis libris, Galava legitur, cum Callevæ ſupra, & ſequentibus Itineribus, exemplarium conſenſu fit mentio.

Alonem. M. P. xii.] Manuſcripta & Longoliani libri, Alone. M. P. xii. Forte id Oppidum eſt, cujus Auctor Notitiæ Provinciarum meminit: Nam Tribunus Cohortis iii Nerviorum Alione recenſetur.

Gallacum. M. P. xix.] Præferunt Manuſcripta & Libri Longoliani, Gallacum. M. P. xix. Ptolemæo inter Urbes Brigantum κάλατον. forte ad hanc manſionem pertinet.

Bremetonacim. M. P. xxvii.] In Blandiniano, M. P. xxvii. Et in Neapolitano, Bremetonti. M. P. xxvii. In Longolianis, Bremetonacim. M. P. xxvii. & xxiv. corrigitur. In Notitia Provinciarum ſub Duce Britanniarum, cuneus armaturarum Bremetennaco recenſetur, ut haud ſciam, an ad hanc pertineat manſionem.

Coccium. M. P. xx.] Coccio præferunt Manuſcripta exemplaria, & libri Longoliani, Goccio.

Iter à Seguncio Devam] In Blandiniano, à Seguncio. In Neapolitano à Seguntro. In libris Longolianis, Segontio: cujus Oppidi mentionem nullam reperio. Cæſari belli Gallici Commentario v. ex Britanniæ Civitatibus memorantur Segontiaci.

Iter à Muridono Viroconium] Supra Margiduni fit mentio bis, quæ manſio haud ſcio an ad hanc pertineat, & ubique Muridonum ſit legendum. Nam à Ptolemæo poſt Trinobantes in Demetis μαρίδουνον: & infra hoc Itinerario Manuſcripta & vulgati libri Moridano præferunt.

Brage. M. P. xi.] In Blandiniano, Brage. M. P. xi. Et infra Brige. In Neapolitano utroque Itinere, Brige. In Longoliano, & ſequenti Itinere, Brige. Ptolemæo in Goritanorum Regione ῥάγε, ut haud ſciam an hanc manſionem reſpiciat. Beda lib. iii Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, in loco qui dicitur Brige, & paulo poſt, Maxime in Brige, & in Cale, & in Andilegum Monaſterio.

Vindogladiam. M. P.] In Manuſcriptis exemplaribus, & in Longolianis libris, Vindogladia. M. P. xii. Et infra in eiſdem, Vindocladia.

Durnovaria. M. P. viii.] Præferunt Manuſcripta & Longoliani libri: & infra Durnonovaria.

Iſcadum Nuniorum. M. P. xv.] Habet Blandinianum exemplar: Et in Neapolitano, Scadum Inminorum. M. P. xv. In Longolianis, Scadum Inunciorum. M. P. xv. Et Mumiorum corrigitur: & ultimo Itinere Blandiniani & alii libri, Iſcadum Nuniorum: quam lectionem præferendam eſſe arbitror. ἰσχαλις Urbis, in Belgis apud Ptolemæum fit mentio.

Iſcam Leg. II. Aug. M. P. xxvii.] In Blandiniano, Iſcæleja Auguſti. M. P. xxvii. Et in Neapolitano, Iſcalegi Auguſti. M. P. Et in Longolianis libris, Iſcelegie Auguſti. M. P. xxvii. Et pro dictione Auguſti, Legi. corrigit, & xxviii. M. P. Legionem II. Auguſtam eo loco conſtitutam indicat, quod & à Ptolemæo definitur: tametſi tanquam duo ſint Oppida, numeri longitudinis

tudinis & Latitudinis utrique inepte attribuantur, *ἴσκα λεγίων δεύτερα Σεβαστή.* Præterea Legio II. Auguſta in Britanniis ab Auctore Notitiæ Provinciarum recenſetur, ſub Comite litoris Saxonici per Britanniam, hoc modo: *Præpoſitus Legionis* II. *Auguſtæ Rutupis.*

Magnim. M. P. xxii.] In Blandiniano, & reliquis, Magnis. M. P. xxii. Sub Duce Britanniarum in Notitia Provinciarum, *Præfectus numeri Pacenſium Magnis* recenſetur, tametſi in Manuſcripto, & vulgatis, Magis legitur: nam infra in eis per lineam Valli, *Tribunus Cohortis* II. *Dalmatarum Magnis* legitur.

Viroconium. M. P. xxvii.] Viroconio habent Blandinianum exemplar & Longoliani libri: & Neapolitani, Virocomio: ſupra pag. cvi. Viroconium aſcribi debere advertimus, ex hac manſione, & Ptolemæi Geographia.

Ventum Silurum. M. P. ix.] Trium Ventarum hoc Itinerario mentionem fieri admonuimus, & Belgarum, & Icinorum ſupra mentio facta eſt; atque hæc tertia Silurum Regioni attribuitur. Tacito libro xii in vetuſto exemplari, *Silurarum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret.* Et in Agricolæ vita, *Silures ex Hiberis veteribus Colonos in Britanniam trajeciſſe conjicit; Silurum,* inquit, *colorati vultus, & torti plerumque crines, & poſiti contra Hiſpaniam, Hiberos veteres trajeciſſe, eaſque ſedes occupaviſſe, fidem faciunt,* Et in eodem Libro: *Suſtinuit quoque molem Julius Frontinus Vir magnus, quantam licebat: validamque, & pugnacem Silurum gentem armis ſubegit.* Ptolemæus ultimos verſus Occaſum populos Demetas Statuit: ac poſt eos magis ad exortum Σίλυρες.

CONSUETUDINES
ET
JURA
ANGLO-SAXONICA
EX LIBRO CENSUALI, DICTO
Doomeſday.

CONSUETUDINES & JURA ANGLOSAXONICA

Ex Libro Censuali, Dicto DOMESDAY.

CHENTH.

DOVERE Tempore Regis Edwardi reddebat xviii. Libras, de quibus denariis habebat Rex E. duas partes, & Comes Goduinus tertiam: contra hoc habebant Canonici de Sancto Martino medietatem aliam. Burgenſes dederunt xx. naves Regi una vice in anno ad. xv. dies; & in unaquaque navi erant homines xx. & unus. Hoc faciebant pro eo quod eis perdonaverat ſacam & ſocam. Quando Miſſatici Regis veniebant ibi, dabant pro caballo tranſducendo iii. denarios in hieme. & ii. in æſtate. Burgenſes vero inveniebant Stiremannum & unum alium adjutorem: & ſi plus opus eſſet, de pecunia ejus conducebatur.

A feſtivitate S. Michaelis uſque ad feſtum Sancti Andreæ, Treuva [1. pax] Regis erat in villa. Si quis eam infregiſſet, inde Præpoſitus Regis accipiebat communem emendationem.

Quicunque manens in villa aſſiduus reddebat Regi Conſuetudinem, quietus erat de thelonio per totam Angliam. Omnes hæ Conſuetudines erant ibi, quando Wilhelmus Rex in Angliam venit. In ipſo primo adventu in Angliam, fuit ipſa villa combuſta; & ideo pretium ejus non potuit computari quantum valebat, quando Epiſcopus Baiocenſis eam recepit. Modo appretiatur xl. lib. & tamen Præpoſitus inde reddit l. iv. lib. Regi quidem xx. iiii. lib. de denariis, qui ſunt xx. in Ora; Comiti vero xxx. lib. ad numerum.

In Dovere ſunt xxix. manſuræ, de quibus Rex perdidit conſuetudinem. De his habet Robertus de Romenel duas; Radulfus de Curbeſpine iii. Wilhelmus filius Tedaldi i. Wilhelmus filius Ogeri i. Wilhelmus filius Tedoldi & Robertus Niger vi. Wilhelmus Gaufridi iii. in quibus erat Gihalla Burgenſium. Hugo de Montforts i. domum. Durandus i. Ranulfus de Columbel i. Wadardus vi. Filius Modberti unam. Et hi omnes de his domibus revocant Epiſcopum Baiocenſem ad Protectorem & Liberatorem [vel Datorem.]

De illa manſura quam tenet Ranulfus de Columbels, quæ fuit cujuſdam exulis; [vel utlagi] concordant quod dimidia terra eſt Regis, & Ranulphus ipſe habet utrunque. Hunfridus [Loripes] tenet i. manſuram, de qua erat forisfactura dimidia Regis. Rogerus de Oſtreham fecit quandam domum ſuper aquam Regis, & tenuit hucuſque conſuetudinem Regis. Nec domus fuit ibi T. R. E.

In introitu portus de Dovere eſt unum molendinum, quod omnes pene naves confringit per magnam perturbationem maris, & maximum damnum facit Regi & hominibus, & non fuit ibi T. R. E. De hoc dicit nepos Herberti, quod Epiſcopus Baiocenſis conceſſit illud fieri avunculo ſuo Herberto filio Ivonis.

Has infra ſcriptas Leges Regis concordant homines de iiii. Leſtis, hoc eſt,

eſt Boruuar Leſt, & Eſtre Leſt, & Linuuare Leſt, & Wiuuare Leſt. Si quis fecerit ſepem vel foſſatum, pro quo ſtrictior fiat publica via Regis, aut arborem ſtantem extra viam intra proſtraverit, & inde ramum vel frondem portaverit, pro una quaque harum forisfacturarum ſolvet Regi. c. ſol. Et ſi abierit domum non apprehenſus vel divadiatus, tamen miniſter Regis eum ſequetur, & c. ſolid. emendabit. De Gribrige vero ſiquis eam fecerit, & calumniatus in calle, aut divadiatus fuerit. viii. lib. Regi emendabit. Sin autem, quietus erit erga Regem, non erga dominum cujus homo fuerit, de aliis forisfacturis ſicuti de Gribrige, ſed per c. ſol. emendabit. Has forisfacturas habet Rex ſuper omnes Alodiarios totius comitatus de Chent, & ſuper homines ipſorum. Et quando moritur Alodiarius, Rex inde habet relevationem terræ, excepta terra Sanctæ Trinitatis, & S. Auguſtini, & S. Martini. Exceptis his, Godric de Burnes, & Godric Carleſone, & Alnold Cilt, & Isber Biga, & Siret de Cilleham, & Turgis, & Norman, & Azor. Super iſtos habet Rex forisfacturam de capitibus eorum tantummodo; & de terris eorum habet relevamen, qui habent ſuam ſacam & ſocam; & de his terris, ſcilicet Goſtaches & Bocheland, & alium Bocheland, & tertium Bocheland, & Herſte. I. jugum de Ora, & I. jugum de Herce.

Schildricheham, Macheheue, Ernulfitone, Ollachintone, Piria, & alia Piria, Brulege, Oſpringes, Hortone, habet Rex has forisfacturas, haud ſocam, Gribrige, Foriſtel. De adulterio vero per totum Chent habet Rex hominem, & Archiepiſcopus mulierem; excepta terra S. Trinitatis, & S. Auguſtini, & S. Martini, de quibus Rex nichil habet. De latrone qui judicatus eſt ad mortem, habet Rex medietatem pecuniæ ejus. Et qui exulem receperit ſine licentia Regis, inde habet Rex forisfacturam.

De terris ſupra nominatis Alnod [Cild] & ſimilium ejus, habet Rex cuſtodiam vi. diebus apud Cantuariam, vel apud Sanuuic; & ibi habent de Rege cibum & potum. Si non habuerint, ſine forisfactura recedunt. Si fuerint præmoniti vel conveniant ad ſciram, ibunt uſque ad Pinnedennam, non longius. Et ſi non venerint, de hac forisfactura & de aliis omnibus, Rex c. ſol. habebat, excepta Gribrige, quæ viii. lib. emendatur; & de callibus, ſicut ſuperius ſcriptum eſt.

In Linuuare Leſt in Briſeuuei habet Rex conſuetudinem, ſcilicet. II. caretas & II. Sticas anguillarum pro uno Ineuuardo; & in terra ſophis habet xii. denarios pro uno Ineuuardo, & de uno jugo de Northburg xii. denarios; aut unum Ineuuardum; & de Dena. xviii. denarios; & de Garra unum Ineuuardum. Hæ terræ jacent in Wi. & homines de his terris cuſtodiebant Regem apud Cantuariam, vel apud Sanuuic per iii. dies. ſi Rex illuc veniſſet.

In Leſt de Sudtone, & in Leſt de Ailesford, habuerunt iſti ſacham & ſocam, Brixi Cilt, Adelold de Elteham, Anſchil de Becheham, Azor de Leſneis, Aluuinus [Hor] Wluuard Wit, Ordine de Hortone, Esbern de Cillesfelle, Levenot de Sudtone, Eduuard de Eſtan, Uleſtan & Leuric de Otrinberge, Oſuuard de Nordtone, Edid Aiſiholte Alret de Ellinges.

In Civitate Cantuaria habuit Rex Edwardus L. & I. Burgenſes, reddentes gablum, & alios cc. & xii. ſuper quos habebat ſacam & ſocam, & iii. molendina de XL. ſol. Modo Burgenſes gablum reddentes ſunt xix. De xxxii aliis, qui fuerunt, ſunt vaſtati xi. in foſſato civitatis; & Archiepiſcopus habet ex eis vii. & Abb. S. Auguſtini alios xiv. pro excambio caſtelli; & adhuc ſunt cc. & xii. Burgenſes, ſuper quos habet Rex ſacam & ſocam, & molend. iii. reddunt c. & viii. ſol. & theloneum redd. LXVIII. ſol. Ibi viii acræ prati, quæ ſolebant eſſe Legatorum Regis, modo reddunt de cenſu xv. ſol. & mille acræ ſilvæ infructuoſæ de qua exeunt xxiv. ſolidi. Intra totum T. R. E. valuit LI. lib. & tantundem quando Vicecomes [Hamo] recepit; & modo L. lib. appreciatur. Tamen qui tenet nunc reddit

reddit xxx. lib. arſas & penſatas, & xxiv. lib. ad numerum. Super hæc omnia habet Vicecomes c. & x. ſol.

Duas domus duorum Burgenſium, unam foris, aliam intra civitatem, quidam Monachus Eccleſiæ Cantuarienſi abſtulit. Hæ erant poſitæ in calle [Regis.]

Burgenſes habuerunt xlv. manſuras extra civitatem, de quibus ipſi habebant gablum & conſuetudinem; Rex autem habebat ſacam & ſocam. Ipſi quoque Burgenſes habebant de rege xxxiii. acras terræ in gildam ſuam. Has domus & hanc terram tenet Ranulfus de Columbels; habet etiam quatuor xxi. acras terræ ſuper hæc, quas tenebant Burgenſes in Alodia de Rege. Tenet quoque v. acras terræ, quæ juſte pertinent uni Eccleſiæ. De his omnibus revocat iſdem Ranulfus ad Protectorem Epiſ. Baiocenſem.

Radulfus de Curbeſpine habet. iv. manſuras in civitate, quas tenuit quædam concubina Heraldi, de quibus eſt ſaca & ſoca Regis, ſed uſque nunc non habuit.

Iſdem Radulfus tenet alias xi. manſuras de Epiſcopo [Baiocenſ.] in ipſa civitate, quæ fuerunt Sbern Biga, & reddunt xi. ſol. & ii. denarios, & I. obolum. Per totam civitatem Cantuariæ habet Rex ſacam & ſocam, excepta terra Eccleſiæ St. TRINITATIS & St. Auguſtini, & Eddeue Reginæ, & Alnold cild, & Eiber Biga, & Siret de Cilleham.

Concordatum eſt de rectis callibus quæ habent per civitatem introitum & exitum; quicunque in illis foriſfecerit, regi emendabit. Similiter de callibus rectis extra civitatem uſque ad unam leugam, & iii. perticas, & iii. pedes. Si quis ergo infra has publicas vias intus civitatem vel extra foderit vel palum fixerit, ſequitur illum Præpoſitus Regis ubicunque abierit, & emendam accipiet ad opus Regis.

Archiepiſcopus calumniatur foriſfacturam in viis extra civitatem ex utraque parte, ubi terra ſua eſt. Quidam Præpoſitus Brumannus nomine T. R. E. cepit conſuetudines de extraneis mercatoribus in terra St. TRINITATIS & St. Auguſtini. Qui poſtea T. R. W. ante Archiepiſcopum Lanfrancum & Epiſcopum Baiocenſem recognovit ſe injuſte accepiſſe, & ſacramento facto juravit quod ipſæ Eccleſiæ ſuas conſuetudines quietas habuerunt R. E. Tempore. Et exinde utræque Eccleſiæ in ſua terra habuerunt conſuetudines ſuas, judicio Baronum Regis quot placitum tenuerunt.

Civitas Roveceſtre T. R. E. valeb. c. ſol. Quando Epiſcopus recepit, ſimiliter. Modo val. xx. lib. tamen ille qui tenet reddit xl. lib.

ITEM POSSESSIO S. MARTINI.

De Communitate St. MARTINI habent ſimul iii Canonici unum ſol. &c.

TERRA ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

SANWICE jacet in ſuo proprio HUND. hoc Burgum tenet Archiepiſcopus, & eſt de veſtitu monachorum, & reddit ſimile ſervitium Regi ſicut DOVERE: & hoc teſtificantur homines de iſto Burgo, quod antequam Rex Edwardus dediſſet illum St. TRINITATI, reddebat regi xv. lib. Tempore mortis R. E. non erat ad firmam. Quando recepit Archiepiſcopus reddebat xl. lib. de firma, & xl. millia de Allecibus ad victum monachorum. In anno quo facta eſt hæc deſcriptio, reddidit Sanwic L. lib. de firma, & Alleces ſicut prius. T. R. E. erant ibi ccc. & vii. manſuræ hoſpitatæ; modo ſunt plus lxxxvi. ideſt ſimul ccclxxx. iii. [octog.]

TERRA COMITIS ROGERII.

CASTRUM HARUNDEL T. R. E. reddebat de quodam molino xl. ſol. & de iii. conuuiis xx. ſol. & de uno paſticio xx. ſol. Modo intra Burgum & Portum aquæ & Conſuetudinem navium redd. xii. lib. & tamen val. xiii. lib. De his habet St. Nicholaus xxiv. ſol. Ibi una piſcaria de v. ſol.

 & unum

& unum molinum reddens x. modia frumenti, & x. modia groſſæ annonæ. Inſuper iv. modia. Hoc appreciatum eſt xiv. lib.

Robertus filius Tetbaldi habet ii. hagas de xii. ſol. & de hominibus extraneis habet ſuum theloneum. Morinus habet conſuetudinem de ii. Burgenſibus de xii. denar. Ernaldus unum Burgenſem de xii. denariis St. Martinus i. Burgenſem de xii. denariis. Radulfus unam hagam de xii. denariis. Will. v. hagas de v. ſol. Nigellus v. hagas quæ faciunt ſervitium.

TERRA WILLELMI DE WARENE.

BURGUM DE LEWES T. R. E. reddebat vi. libras & iv. ſol. & iii. obolos de gablo & de theloneo. Ibi rex E. habebat cxxvii. Burgenſes in dominio. Eorum conſuetudo erat, ſi rex ad mare cuſtodiendum ſine ſe mittere ſuos voluiſſet, de omnibus hominibus, cujuſcunque terra fuiſſet, colligebant xx. ſol. & hos habebant qui in navibus arma cuſtodiebant. Qui in Burgo vendit, dat Præpoſito numerum; & qui emit, alium. De bove obolum. De homine iv. denarios, quocunque loco emat infra rapum.

Sanguinem fundens emendat per vii. ſol. & iv. denarios. Adulterium vel raptum faciens, viii. ſol. & iv. denarios emendat homo, & femina tantundem. Rex habet hominem adulterum, Archiepiſcopus feminam. De fugitivo ſi recuperatus fuerit viii. ſol. & iv. denarios. Cum moneta revocatur, dat xx. ſol. unuſquiſque monetarius. De his omnibus erant ii. partes Regis, & tertia Comitis. Modo per omnia reddunt Burgenſ. ſicut tunc, & xxxviii. ſol. de ſuper plus. De rapo de Peueneſel. xxxix. manſuræ hoſpitatæ, & xx. inhoſpitatæ, ex quibus Rex habet xxvi. ſol. & vi. denarios; & de his habet Will. de Warene medietatem. T. R. E. valebant xxvi. lib. Rex medietatem & Comes aliam habet. Modo val. xxxiv lib. & de nova moneta c. ſol. &. xviii.

De his omnibus habet Will. medietatem, & rex alteram.

SUDRIE TERRA REGIS.

In GILDEFORD habet Rex Willelmus lxxv. hagas, in quibus manent clxxv. homines. T. R. E. reddebant xviii. lib. & iii. denarios. Modo appreciantur xxx. lib. & tamen reddunt xxii. lib. De ſupradictis hagis habet Ranulfus Clericus iii. hagas, ubi manent vi. homines; & inde habet iſdem Ranulfus ſacam & ſocam, niſi commune geldum in villa venerit, unde nullus evadat. Si homo ejus in villa delinquit, & divadiatus evadat; nil inde habet Præpoſitus Regis. Si vero calumniatus ibi fuerit & divadiatus, tunc habet Rex emendam. Sic tenuit eas Stigandus [Arch.]

Ranulfus [Vicecomes] tenet i. hagam, quam huc uſque tenuit de Epiſcopo Baiocenſi: homines vero teſtificantur quia non adjacet alicui Manerio, ſed qui tenebat eam T. R. E. conceſſit eam Tovi Præpoſito villæ pro emendatione unius ſuæ forisfacturæ.

Altera domus eſt quam tenet Præpoſitus Epiſcopi Baiocenſis de Manerio Bronlei. De hoc dicunt homines de Comitatu, quod non habet ibi aliam rectitudinem, niſi quod quandam viduam, cujus erat domus, accepit Præpoſitus villæ, & ideo miſit Epiſcopus domum illam in ſuo Manerio, & huc uſque perdidit Rex conſuetudines, Epiſcopus autem habet.

Dicunt etiam homines qui juraverunt de alia domo quæ jacet in Brunlei, propter hoc tantum quod Præpoſitus Ple ipſa villa fuit amicus hominis illius qui hanc domum habebat, & eo mortuo convertit eam ad M. de Bronlei.

Walterannus quoque deſaiſivit quendam hominem de una domo, unde Rex E. habebat conſuetudinem. Modo tenet eam Otbertus cum conſuetudine, ſicut dicit, per regem W. Robertus de Watevile tenet i. domum quæ reddebat omnem conſuetudinem T. R. E. modo nichil reddit.

TERRA EPISCOPI BAIOCENSIS.

Ipſe Epiſcopus habet in SUDWERCHE unum Monaſterium, & unum aquæ fluctum Rex E. tenebat die qua mortuus fuit, qui Eccleſiam habebat, de

Rege

Rege tenebat. De exitu aquæ ubi naves applicabant, Rex habebat ii. partes. Goduinus [Comes] tertiam. Teſtantur vero homines de Hund. Franci & Angli, quod Epiſcopus Baiocenſis cum Ranulfo [Vicecom.] de his placitum inierit, ſed ille intelligens placitum non duci per rectitudinem ad proficuum regis, placitum deſeruit. Epiſcopus autem dedit Eccleſiam & fluctum primum Adeloldo, deinde Radulfo pro excambio unius domus. Vicecomes quoque negat ſe præceptum vel ſigillum regis de hac re unquam percepiſſe.

Homines de Suduuerca teſtantur quod T. R. E. nullus capiebat Theloneum in Strande vel in vico aquæ, niſi Rex: & ſi quis forisfaciens ibi calumniatus fuiſſet, Regi emendabat. Si vero non calumniatus abiſſet ſub eo qui ſacam & ſocam habuiſſet; ille emendam [de reo] habebat.

Ipſi homines de Suduuerche deratiocinati ſunt unam hagam & theloneum ejus ad firmam de Chingeſtone. Hanc Euſtachius [Com.] tenebat. Quod Rex habet in Suduuerche, appreciatur xvi. lib.

BEROCHESCIRE.

IN BURGO DE WALINGEFORD habuit Rex Edwardus viii. virgatas terræ; & in his erant cc. lxx. vi. hagæ, reddentes xi. lib. de gablo, & qui ibi manebant faciebant ſervitium Regis cum equis vel per aquam uſque ad Blidberiam, Reddinges, Sudtone, Beſentone, & hoc facientibus dabat Præpoſitus mercedem [vel conredium] non de cenſu Regis, ſed de ſuo.

Modo ſunt in ipſo Burgo conſuetudines omnes ut ante fuerunt. Sed de hagis ſunt xiii. minus pro caſtello, ſunt viii. deſtructæ, & monetarius habet unam quietam, quam diu facit monetam. Saulf de Oxenford habet unam; Filius Alſi de Ferendone unam, quam Rex ei dedit, ut dicit Hunfridus; Viſdeleuu habet unam, de qua reclamat Regem ad Warant. Nigellus unam de Henrico per hæreditatem Soarding, ſed Burgenſes teſtificantur ſe nunquam habuiſſe. De iſtis xiii. non habet Rex conſuetudinem, & adhuc Will. de Ware habet unam hagam, de qua rex non habet conſuetudines, &c.

Almer Presbyter & alius Elmer [Presb.] & Bruman & Eduui, & Emundus & Will. filius Oſmundi, & Leflet & Lanbertus Presbyter, Aluuold & Godric habent gablum de domibus ſuis, & ſanguinem ſi ibi effunditur; ſi receptus fuerit homo intus, antequam calumnietur à Præpoſito Regis, excepto ſabbato propter mercatum, quia tunc Rex habet forisfacturam; & de adulterio & latrocinio habent ipſi emendam in ſuis domibus, aliæ vero foriſfacturæ ſunt Regis, &c.

Quando geldum dabatur T. R. E. communiter per totam Berchesſcire, dabat hida iii. denarios & obolum ante Natale Domini, & tantum ad Pentecoſt.

Si Rex mittebat alicubi exercitum; de v. hidis tantum unus miles ibat, & ad ejus victum vel ſtipendium de unaquaque hida dabant ei iv. ſol. ad ii. menſes.

Hos vero denarios Regi non mittebantur ſed militibus dabantur.

Si quis in expeditionem ſummonitus non ibat, totam terram ſuam erga Regem forisfaciebat. Quod ſi quis remanendi habens, alium pro ſe mittere promitteret, & tam qui mittendus erat remaneret; pro L. ſol. quietus erat Dominus ejus.

Tainus vel miles Regis Dominicus moriens; pro relevamento dimitebat Regi omnia arma ſua, & equum i. cum ſella, alium ſine ſella. Quod ſi eſſent ei canes vel accipitres, præſentabantur Regi, ut ſi vellet acciperet.

Si quis occideret hominem pacem regis habentem; & corpus ſuum, & omnem ſubſtantiam forisfaciebat erga Regem.

Qui per noctem effringebat civitatem, c. ſol. emendabat Regi, non Vicecomiti: qui monitus ad ſtabilitionem venationis non ibat L. ſol. regi emendabat.

DORSETE.

IN DORECESTRE, TEMPORE REGIS EDWARDI, erant clxxii. domus. Hæ pro omni ſervitio Regis ſe defendebant, & geldabant pro x. hid. ſcilicet ad opus huſcarlium unam Markam argenti, exceptis conſuetudinibus quæ pertinent ad firmam noctis. Ibi erant ii. monetarii, quiſque eorum reddebat Regi unam Markam argenti, & xx. ſol. quando moneta vertebatur.

Modo ſunt ibi quatuor xx. & viii. domus, & c. penitus deſtructæ à tempore Hugonis Vicecomitis uſque nunc.

IN BRIDEPORT, TEMPORE REGIS EDW. erant cxx. domus & ad omne ſervitium Regis defendebant ſe & geldabant pro v. hidis; ſcilicet ad opus huſcarlium Regis dimid. Markam argenti, exceptis conſuetudinibus, quæ pertinent ad firmam unius noctis: ibi erat unus monetarius, reddebat Regi i. Mark. argenti, & xx. ſol. quando moneta vertebatur.

Modo ſunt ibi c. domus, & xx. ſunt ita deſtructæ, quod qui in eis manent geld. ſolvere non valent.

In WARHAM TEMPORE REGIS EDWAR. erant cxliii. domus in domin. Regis. Hæc villa ad omne ſervitium Regis ſe defendebat, & geldebat pro x. hid. ſcilicet i. Markam argenti huſcarlis Regis, exceptis conſuetudinibus quæ pertinent ad firmam unius noctis: ibi erant ii. monetarii, quiſque reddebat i. Markam argenti Regi, & xx. ſol. quando moneta vertebatur.

Modo ſunt ibi lxx. domus & lxiii. ſunt penitus deſtructæ à tempore Hugonis Vicecomitis, &c.

IN BURGO SCEPTESBERIE, T. R. E. erant c. & iv. domus in dominio Regis. Hæc villa ad omne ſervitium Regis ſe defendebat, & geldebat pro xx. hid. ſcilicet ii. Mark. argenti huſcarlis Regis; ibi erant iii. monetarii, quiſque reddebat i. Mark. argenti, & xx. ſol. quando moneta vertebatur, &c.

SOMERSETE.

TERRA EPISCOPI WINTONIENSIS.

EPISCOPUS WINTONIENSIS tenet TANTONE. Stigandus [Arch.] tenuit, T. R. E. & geldebat pro L. iv. hid. & ii. virgis terræ & dimid. Terra eſt c. careƈt. Præter hanc habet Epiſcopus in dominio terram ad xx. careƈt. quæ nunquam geldavit, & ibi habet xiv. careƈt. Ibi quater xx. villani, & quater xx. ii. bord. & lxx. ſervi, & xvi. coliberti, & xvii. porcarii reddebant vii. lib. & x. ſol. Inter omnes habent lx. cart. Ibi lxiv. Burgenſes reddunt xxxii. ſol. Ibi iii. molini reddunt c. ſol. lx. denariis minus. Mercatum reddit l. ſol. & de moneta l. ſol. Ibi lx. acræ prati, paſtura ii. leucis longa & una leu. lata. Silva una leu. longa & tantundem lata.

Quando Walchelinus Epiſcopus recepit, reddebat l. lib. modo reddit cliv. lib. & xii. denarios, cum omnibus appendicibus & conſuetudinibus ſuis.

Iſtæ conſuetudines pertinent ad TANTONE. Burgheriſth, latrones, pacis infractio, hainſare. Denarii de Hundret, & denarii St. Petri, Circiet. Ter in anno teneri placita Epiſcopi ſine ammonitione, profectio in exercitum cum hominibus Epiſcopi.

Has denominatas conſuetudines reddunt in TANTONE hæ terræ. Talanda,

Acha

Acha, Holeforde & Ubcedene & Succedene, Maidenobrohe, Laford, Hilla & Hela, Nichehede, Nortone, Bradeford, Halſa & Haſella.

Scobundare & Stocea, hæ duæ terræ non debent exercitum.

Eaſdem conſuetudines debent illi de Bauueburga, præter exercitum & ſepulturam.

De his omnibus terris facturi ſacramentum vel judicium portaturi, ad Tantone veniunt. Cum domini de his terris moriuntur, in Tantone ſepeliuntur.

Hilla & Hela non poterant à Tantone ſeparari T. R. E. &c.

De his terris ſemper jacuerunt conſuetudines & ſervitium in Tantone, & Rex W. conceſſit iſtas terras habendas St. Petro & Walchelino Epiſcopo, ſicut ipſe recognovit apud Sarisburiam, audiente Epiſcopo Dunelmenſi, cui præcepit ut hanc ipſam conceſſionem ſuam in brevibus ſcriberet.

DEVENSCIRE.

IN CIVITATE EXONIA habet REX ccc. domus, xv. minus, reddentes conſuetudinem: hæc reddit xviii. lib. per annum. De his habet B. Vicecomes vi. lib. ad penſum & arſuram, & Coluinus xii. lib. ad numerum, in miniſteriis Eddid Reginæ.

In hac civitate ſunt vaſtatæ xlviii. domus, poſtquam Rex venit in Angliam.

Hæc Civitas T. R. E. non geldabat niſi quando Londonia, & Eboracum & Wintonia geldabant, & hoc erat dimid. Markam argenti, ad opus militare. Quando expeditio ibat per terram aut per mare, ſerviebat hæc Civitas quantum v. hidæ terræ. Barneſtapla vero & Lideſord & Totenais ſerviebat quantum ipſa Civitas.

Burgenſes Exoniæ urbis habent extra civitatem terram xii. carucarum, quæ nullam conſuetudinem reddunt niſi ad ipſam Civitatem.

HERTFORDSCIRE.

BURGUM HERTFORDE pro x. hidis ſe defendebat T. R. E. & modo non facit. Ibi erant cxlvi. Burgenſes in ſoca Regis Eduuardi, nullam conſuetudinem reddiderunt, niſi geldum Regis, quando colligebatur.

OXENEFORDSCIRE.

TEMPORE REGIS EDWARDI Reddebat OXENEFORD, pro theloneo & gablo & omnibus aliis conſuetudinibus per annum, Regi quidem xx. lib. & vi. ſextaria mellis, Comiti vero Algaro x. lib. adjuncto molino quem infra civitatem habebat. Quando Rex ibat in expeditionem, Burgenſes xx. ibant cum eo pro omnibus aliis, vel. xx. lib. dabant Regi, ut omnes eſſent liberi

Modo reddit OXENEFORD lx. lib. ad numerum de xx. in Ora.

In ipſa villa, tam intra murum quam extra, ſunt ccxliii. domus reddentes geld. & exceptis his ſunt ibi quingentæ domus, xxii. minus, ita vaſtatæ & deſtructæ quod geldum non poſſent reddere.

Rex habet xx. manſiones murales quæ fuerunt Algari [Comitis] T. R. E. reddentes tunc & modo xiv. ſol. ii. denar. minus, &c.

Propterea vocantur murales manſiones, quia ſi opus fuerit, & Rex præcepit, murum reficient, *viz.* unam ex his habuit Anteceſſor Walterii dono Regis E. ex viii. virg. quæ conſuetudinariæ erant T. R. E. &c.

Hi omnes præſcripti tenent has prædictas manſiones liberas propter reparationem muri.

Omnes manſiones quæ vocantur murales T. R. E. liberæ erant ab omni conſuetudine, excepta expeditione & muri reparatione.

Aluuinus i.[tenet]domum liberam pro muro reficiendo; de hac habet xxxii. den.per annum. Et ſi murus,dum opus eſt, per eum qui debet non reſtauratur; aut xl. ſol. Regi emendabit, aut domum ſuam perdit.

Omnes Burgenſes Oxeneford habent communiter extra murum paſturam reddentem vi. ſol. & viii. denarios

Comitatus OXENEFORD reddit firmam trium noctium, hoc eſt cl. lib. De augmento xxv. lib. ad pondus. De Burgo xx. lib. ad pondus. De moneta xx. lib. denar. de xx. in Ora. Ad arma iv. ſol. De gerſuma Reginæ c. ſol. ad numerum. Pro accipitre x. lib. pro ſummario xx. ſol. Pro canibus xxiii. lib. denarios de xii. in Ora & vi. ſextaria mellis, & xv. denarios de conſuetudine.

De terra Eduini Comitis in OXENEFORD & in WARWICSCIRE, habet Rex c. lib. & c. ſol.

PAX Regis manu vel ſigillo data, ſi quis infregerit, ita ut hominem cui pax ipſa data fuerit occidat; & membra & vita ejus in arbitrio Regis erunt, ſi captus fuerit; & ſi capi non potuerit, ab omnibus exul habebitur, & ſi quis eum occidere prævaluerit, ſpolia ejus licenter habebit.

Si quis extraneus in Oxeneford manere deligens, & domum habens, ſine parentibus ibi vitam finierit, Rex habebit quicquid reliquerit.

Si quis alicujus curiam vel domum violenter effregerit, vel intraverit, ut hominem occidat, vel vulneret, vel aſſaliat, c. ſol. Regi emendat.

Similiter qui monitus ire in expeditionem non vadit c. ſol. Regi dabit.

Si quis aliquem interfecerit intra Curiam vel domum ſuam; corpus ejus & omnis ſubſtantia ſunt in poteſtate Regis, præter dotem uxoris ejus, ſi dotatam ha buerit.

GLOWECESTERSCIRE.

TEMPORE REGIS EDWARDI reddebat civitas de Gloweceſtre xxxvi. lib. numeratas, & xii. ſextaria mellis ad menſuram Burgi, & xxxvi. dicras ferri, & c. virgas ferreas ductiles ad clavos navium Regis, & quaſdam alias minutas conſuetudines in Aula & in Camera Regis.

Modo reddit ipſa civitas Regi lx. lib. de xx. in Ora; & de moneta habet Rex xx. lib. &c. cum alia conſuetudine, quæ dat gablum, ſed aliam conſuetudinem retinet.

Omnes iſtæ manſiones reddebant regalem conſuetudinem T. R. E. modo Rex W. nichil inde habet &c. ſed etiam domus erant ubi ſedet Caſtellum, &c.

CASTELLUM de ESTRIGHOLEL fecit Will. Comes & ejus tempore reddebat xl. ſol. tantum de navibus in ſilva euntibus, &c.

Berdic joculator Regis habet iii. villas, &c.

Hos miſit W. Comes ad conſuetudinem Grifin Regis, licentia Regis W.

In elemoſyna Regis eſt una villa, quæ pro anima ejus reddit Eccleſiæ ad feſtum St. Martini ii. porcos, & c. panes cum cerviſia &c.

Walterius Baliſtarius tenet de Rege ii. car. terræ &c.

GUEDA mater Heraldi [Comitis] tenuit UDECESTRE. Goduinus [Comes] emit ab Azor, & dedit ſuæ uxori,ut inde viveret,donec ad Berchelai maneret. Nolebat enim de ipſo Manerio aliquid comedere pro deſtructione Abbatiæ. Hanc terram tenet Eduuardus in firma de Wilteſcire, injuſte, ut dicit Comitatus, quia non pertinet ad aliquam firmam. De quo Manerio nemo legatis Regis reddidit rationem, nec aliquis eorum venit ad hanc deſcriptionem. Hæc terra reddit vii. lib.

WIRECESTRESCIRE.

IN CIVITATE WIRECESTRE, habebat Rex EDW. hanc conſuetudinem. Quando moneta vertebatur, quiſque monetarius dabat xx. ſol. ad Lundoniam pro cuneis monetæ accipiendis. Quando Comitatus geldabat, pro xv. hid. ſe civitas adquietabat. De eadem civitate habebat ipſe Rex x. lib. & Comes Eduinus viii. lib. Nullam aliam conſuetudinem ibi Rex capiebat, præter cenſum domorum, ſicut unicuique pertinebat. Modo habet Rex W. in dominio, & partem Regis & partem Comitis. Inde reddit Vicecomes xxiii. lib. & v. ſol. ad penſum, de Civitate & de dominicis Manerii Regis reddebat. cxxiii. lib. & iv. ſol. ad penſum. De comitatu vero reddebat xvii. lib. ad penſum.

Et adhuc reddit x. lib. denariorum de xx. in Ora, aut accipitrem [norreſc] & adhuc c. ſol. Reginæ ad numerum, & xx. ſol. de xx. in Ora pro ſummario. Hæ xvii. libræ ad penſum & xvi. lib. ad numerum, ſunt de placitis comitatus & hundretis, & ſi inde non accipit, de ſuo proprio reddit.

In ipſo Comitatu ſunt xii. hund. Horum vii. ita ſunt quieti, ſi aut Scire dicit, quod Vicecomes nihil habet in eis, & ideo ſicut dicit, in firma multum perdit

In hoc Comitatu ſiquis ſcienter fregerit pacem quam Rex manu ſua dederit, Utlaghe judicatur: pacem vero Regis quam Vicecomes dat, ſiquis ſciens fregerit, c. ſol. emendabit; Foreſtellum qui fecerit, c. ſol. emendabit: Heinſaram qui fecerit c. ſol. Raptum qui fecerit, non ſit emendatio alia niſi de corpore juſticia.

Has forisfacturas habet Rex in iſto Comitatu, excepta terra St. Petri Weſtmonaſterii, cui donavit Rex E. quicquid ibi habuit, ut Comitatus dicit.

Quando Rex in hoſtem pergit; ſi quis edictu ejus vocatus remanſerit, ſi ita liber homo eſt ut habeat ſocam ſuam & ſacam &, cum terra ſua poſſit ire quo voluerit; de omni terra ſua, eſt in miſericordia Regis. Cujuſcunque vero alterius Domini liber homo ſi de hoſte remanſerit, & Dominus ejus pro eo alium hominem duxerit, xl. ſol. Domino ſuo qui vocatus fuit emendabit. Quod ſi ex toto nullus pro eo abierit; ipſe quidem Domino ſuo xl. ſol. dabit, Dominus autem ejus totidem ſol. Regi emendabit.

TERRA REGIS.

In Wich habuit Rex E. domus xi. Et in v. puteis habebat Rex E. ſuam partem. In Upeuuic i. puteo LIV. Salinæ & ii. hocci redduut vi. ſol. & viii. den. In alio puteo Helperic xvii. ſalinæ. In iii. puteo MIDELWIC xii. ſalinæ & ii. partes de uno hocco reddebant vi. ſol. & viii. denarios. In v. aliis puteis xv. ſalinæ.

De his omnibus habebat Rex E. vel ii. lib.

In ipſis puteis habebat Eduinus [Comes] li. ſalinas & dimid. & de hoccis habebat vi. ſol. & viii. denarios; hoc totum reddebat de firma xxiv. lib. Modo habet Rex W. in dominio; & quando Rex E. & quando Comes E. habebat, inde reddebat Vicecomes lxv. lib. ad peis, & ii. mittas ſalis, dum ſilvam habuit: ſi enim ſilvam non habet, nullomodo, ut dicit Humf. reddere poteſt.

WIRECERSCIRE.

TERRA ECCLESIÆ DE WIRECESTRE.

ECcleſia St. MARIÆ de WIRECESTRE, habet unum HUNDRET quod vocatur OSWALDESLAU. In quo jacent ccc. hidæ. De quibus Epiſcopus Eccleſiæ à Conſtitutione antiquorum temporum habet omnes redditiones ſocarum, & omnes conſuetudines inibi pertinentes ad Dominicum victum, & Regis ſervitium & ſuum; ita ut nullus Vicecomes ullam ibi habere poſſit que-

querelam, nec in aliquo placito, nec in alia qualibet cauſa. Hoc atteſtatur totus Comitatus.

Hæ prædictæ ccc. hidæ fuerunt de ipſo dominio Eccleſiæ; & ſi quid ipſis cuicunq; homini quolibet modo attributum vel præſtitum fuiſſet ad ſerviendum inde Epiſcopo; ille qui eam terram præſtita ſibi tenebat, nullam omninó conſuetudinem ſibimet inde retinere poterat, niſi per Epiſcopum; neque terram retinere, niſi uſque ad impletum tempus, quod ipſi inter ſe conſtituerant, & nuſquam cum ea terra ſe vertere poterat.

TERRA St. MARIÆ DE PERSORE.

Eccleſiæ St. MARIÆ de Perſore & terræ ipſum M. PERSORD, &c.

De hac terra tenet Urſo i. hidam & dimid. & ibi habet ii. car. & ii. vill. & iii. bord. cum i. car. ibi iv. ſervi, & molinum de x. ſol. val. l. ſol. Hanc terram tenuit Azor, & inde ſerviebat Eccleſiæ; & pro recognitione dabat in anno Monachis unam firmam, aut xx. ſol. & erat conventio ut poſt mortem ejus & uxoris ſuæ, rediret terra ad dominium Eccleſiæ.

Hic vivebat die obitus Regis E. & ita terram tenebat; poſtea vero uxore ſua jam mortua, factus eſt Utlagh.

De eadem terra iſdem Urſo i. hidam ad Brodtune, & dicit quod W. Rex ſibi eam dedit, & inde debet Eccleſiæ ſervitium reddere. Valebat & val. x. ſol.

De ipſa terra tenet Robertus Diſpenſ. iii. hidas & dimid. ad Wadberge, & ibi habet ii. car. & ix. bord. & iv. ſeruos, & parchum. Val. xl. ſol. Hæc terra fuit Dominicorum villanorum, cum dimidio hidæ quod tenet unus homo Abbatis.

In eadem Wadberge eſt una hida terræ, in qua fuit vaccaria monachorum.

Hanc emit quidam Godricus Teinus Regis E. vita trium hæredum, & dabat in anno monachis i. firmam pro recognitione. Modo habet hanc terram tertius hæres, ſcilicet Urſo qui eam tenet, poſt cujus mortem debet redire ad Eccleſiam St. Mariæ.

TERRA OSBERNI Filii RICARDI.

Iſdem Osbernus Wicelbold, &c. ibi xi. hidæ, &c. & xiii. Burgenſes in Wich ſecantes ii. diebus in Auguſto & Marcio, & ſervientes curiæ.

TERRA WILLIELMI Filii ANSCULFI.

Willielmus Filius Anſculfi tenet de Rege ESCELIE, & Wibertus de eo. Uluuinus tenuit, &c.

Hoc Manerium emit iſdem Wluuinus T. R. E. de Epiſcopo Ceſtrenſi ad ætatem trium hominum. Qui cum infirmatus ad finem vitæ veniſſet; vocato Filio ſuo * Epiſcopo li. & uxore ſua & pluribus amicis ſuis, dixit. Audite vos amici mei, hanc terram, quam ab Eccleſia emi, volo ut teneat uxor mea dum vixerit, & poſt mortem ejus recipiat Eccleſia de qua accepi, & qui inde abſtulerit excommunicatus ſit.

Hoc ita fuiſſe teſtificantur meliores homines totius Comitatus.

HEREFORDSCIRE.

IN HEREFORD CIVITATE, Tempore REGIS EDWARDI erant c. & iii. homines commanentes intus & extra murum, habebant has ſubterſcriptas conſuetudines.

Siquis eorum voluiſſet recedere de civitate; poterat conceſſu Præpoſiti domum ſuam vendere alteri homini, ſervitium debitum inde facere volenti. & habebat Præpoſitus tertium denarium hujus venditionis. Quod ſi quis paupertate ſua non potuiſſet ſervitium facere; relinquebat ſine precio domum

mum ſuam Præpoſito, qui providebat ne domus vacua remaneret, & ne Rex careret ſervitio.

Intra murum civitatis unaquaque integra maſura reddebat vii. denarios & obolum; & iv. denarios ad locandos caballos, & iii. diebus in Auguſto ſecabat ad Maurdine, & una die ad fenum congregandum erat, ubi Vicecomes volebat. Qui equum habebat, ter in anno pergebat cum Vicecomite ad placita & ad Hundret ad Urmelavia. Quando Rex venatui inſtabat, de unaquaque domo per conſuetudinem ibat unus homo ad ſtabilitionem in ſilva. Alii homines non habentes integras maſuras, inveniebant ineuuardos ad aulam, quando Rex erat in civitate.

Burgenſis cum caballo ſerviens, cum moriebatur, habebat Rex equum & arma ejus. De eo qui equum non habebat, ſi moreretur, habebat Rex aut x. ſol. aut terram ejus cum domibus.

Si quis morte præventus non diviſiſſet quæ ſua erant, Rex habebat omnem ejus pecuniam. Has conſuetudines habebant in civitate habitantes, & alii ſimiliter extra murum manentes, niſi tantum quod integra maſura foris murum non dabat niſi iii. denar. & obolum. Aliæ conſuetudines erant communes.

Cujuſcunque uxor brazabat intus & extra civitatem, dabat x. denarios per conſuetudinem.

Sex fabri erant in civitate; quiſque eorum de ſua forgia reddebat unum denarium, & quiſque eorum faciebat cxx. ferra de ferro Regis, & unicuique eorum dabantur iii. denarii inde per conſuetudinem, & iſti fabri ab omni alio ſervitio erant quieti.

Septem monetarii erant ibi. Unus ex his erat monetarius Epiſcopi. Quando moneta renovabatur, dabat quiſque eorum xviii. ſol. pro cuneis recipiendis; & ex eo die quo redibant uſque ad unum menſem, dabat quiſque eorum Regi xx. ſol. & ſimiliter habebat Epiſ. de ſuo monetario xx. ſol.

Quando veniebat Rex in civitatem, quantum volebat denar. faciebant ei monetarii, de argento ſcilicet Regis, & hi vii. habebant ſacam & ſocham ſuam.

Moriente aliquo Regis monetario, habebat Rex xx. ſol. de relevamento. Quod ſi moreretur non diviſo cenſu ſuo, Rex habebat omnem cenſum.

Si Vicecomes iret in Wales cum exercitu, ibant hi homines cum eo. Quod ſi quis ire juſſus non iret, emendabat Regi xl. ſol.

In ipſa civitate habebat Heraldus [Comes] xxvii. Burgenſes eaſdem conſuetudines habentes, quas & alii Burgenſes.

De hac civitate reddebat Præpoſitus xii. lib. Regi [E.] & vi. lib. Comiti [Heraldo] & habebat in ſuo cenſu ſupradictas omnes conſuetudines.

Rex vero habebat in ſuo dominio tres forisfacturas, hoc eſt pacem ſuam infractam, & heinſaram, & foreſtellum.

Quicunque horum unum feciſſet, emendabat c. ſol. Regi cujuſcunque homo fuiſſet.

Modo habet Rex civitatem Hereford in dominio, & Anglici Burgenſes ibi manentes habent ſuas priores conſuetudines: Francigenæ vero Burgenſes habent quietas per xii. denarios omnes forisfacturas, præter tres ſupradictas.

Hæc civitas reddit Regi lx. lib. ad numerum, de candidis denariis, intra civitatem, & xviii. Maneria quæ in Hereford reddunt firmas ſuas: computantur cccxxx. v. lib. & xviii. ſol. exceptis placitis de Hund. de Comitatu.

In Arcenefelde habet Rex tres Eccleſias. Presbyteri harum Eccleſiarum ferunt legationes Regis in Wales; & quiſque eorum cantat pro Rege ii. miſſas unaquaque Ebdomada.

Si quis eorum moritur, Rex habet de eo xx. ſol. per conſuetudinem.

Si quis Walenſium furatur hominem aut feminam, equum, bovem, vel vaccam; convictus inde redd. furtum, & dat xx. ſol. pro forisfactura.

De ove vero furata vel faſciculo manipulorum, emendat ii. ſol.

3 Cccc c Si

Si quis occidit hominem Regis, & facit heinfaram, dat Regi xx. ſol. de ſolutione hominis, & de foriſfactura c. ſol. Si alicujus Taini hominem occiderit, dat x. ſol. Domino hominis mortui.

Quod ſi Walenſis Walenſem occiderit, congregantur parentes occiſi, & prædantur eum ejuſque propinquos, & comburunt domos eorum, donec in craſtinum circa meridiem corpus mortui ſepeliatur. De hac præda habet Rex tertiam partem, illi vero totum aliud habent quietum.

Alter autem qui domum incenderit, & inde accuſatus fuerit, per xl. homines ſe defendit; quod ſi non potuerit, xx. ſol. Regi emendabit.

Si quis de conſuetudine ſextarium mellis celaverit, probatus inde pro uno ſextario redd. quinque, Si tantum terræ tenet ut debeat dare.

Si Vicecomes evocat eos ad ſiremot, meliores ex eis vi. aut vii. vadunt cum eo. Qui vocatus non vadit, dat ii. ſol. aut unum bovem Regi, & qui de hundret remanet, tantundem perſolvit.

Similiter emendat qui juſſus à Vicecomite ſecum ire in Walis non pergit. Nam ſi Vicecomes non vadit, nemo eorum ibit.

Cum exercitus in hoſtem pergit, ipſi per conſuetudinem faciunt Avant-Warde, & in reverſione Redrewarde. Hæ conſuetudines erant Walenſium T. R. E. in ARCENEFELDE.

RISET de Wales redd. Regi. W. xl. ſol.

De terra Calcebuef, habet Rex. x. ſol. extra firmam.

GRENTEBRISCIRE.

BURGUM de GRENTEBRIGE pro uno Hundret ſe defend. T. R. E. In hoc Burgo fuerunt & ſunt decem Cuſtodiæ; In prima cuſtodia LIV. maſuræ. Ex his ii. ſunt Waſte. In hac prima cuſtodia habet Alanus Comes v. Burgenſes nichil reddentes, &c. Hæc eadem una cuſtodia pro duabus computabatur T. R. E. ſed pro Caſtro ſunt deſtructæ xxviii. domus.

In ſecunda Cuſtodia fuerunt XLVIII. maſuræ T. R. E. &c.

In tertia cuſtodia T. R. E. fuerunt XLI. maſuræ, &c.

In quarta cuſtodia T. R. E. fuerunt XLV. maſuræ, &c.

De conſuetudinibus hujus villæ vii. lib. per annum, & de landgable vii. lib. & ii. Oræ, & duo denar.

Burgenſes T. R. E. accommodabant Vicecomiti carrucas ſuas ter in anno. Modo novem vicibus exiguntur.

Nec averas nec currus T. R. E inveniebant, quæ modo faciunt per conſuetudinem impoſitam. Reclamant autem ſuper Picotum Vicecomitem, communem paſturam ſibi per eum [& ab eo] ablatam.

De Harieta Lagemannorum habuit iſdem Picot viii. lib. & unum Palfridum, & unius militis arma.

TERRA REGIS.

SAHAM Manerium Regis per ix. hid. & dim. ſe defend. &c. Ibi vii. piſcatores reddentes Regi præſentationes piſcium ter in anno ſecundum quod poſſunt. In totis valentiis reddebat per annum xxv. lib. arſas & penſatas, & xiii. lib. & viii. ſol. & iv. denarios ad numerum de albis denar. pro frumento, braſio, melle, & aliis minutis conſuetudinibus. T. R. E. reddebat xxv. lib. ad numerum.

In Fuleberne tenet Picotus xxvi. ſochomannos, qui habent iv. hid. ſub manu Regis, &c. Reddunt per annum viii. lib.. arſas & penſatas; & unoquoque anno xii. equos, & xii. inguardos, ſi Rex in Vicecomitatu veniret. Si non veniret, xii. ſol. & viii. denarios. T. R. E. non reddebant Vicecomiti niſi averas & inguardos, vel xii. ſol. & viii. den. & ſuper plus invaſit Picot ſuper Regem.

HVN-

HUNTEDUNSCIRE.

HUNTEDUN BURG defendebat ſe ad geld. Regis pro quarta parte de Hyrſtingeſtan hund. pro L. hid. ſed modo non geldat ita in illo hund. poſtquam Rex W. geldum monetæ poſuit in Burgo. De toto hoc Burgo exibant T. R. E. de Landgable x. lib. inde Comes tertiam partem habebat, Rex duas. De hoc cenſu remanent nunc ſupra xx. manſuræ, ubi caſtrum eſt, xvi. ſol. & viii. denar. inter Comitem & Regem. Præter hæc habebat Rex xx. lib. & Comes x. lib. de firma Burgi, aut plus aut minus, ſicut poterat collocare partem ſuam, &c.

Hanc terram colunt Burgenſes, & locant per miniſtros Regis & Comitis. Infra prædictum cenſum ſunt iii. piſcatores iii. ſol. reddentes.

In hoc Burgo fuerunt iii. monetarii, reddentes xl. ſol. inter Regem & Comitem, ſed modo non ſunt. T. R. E. reddebant xxx. lib. modo ſimiliter.

BEDEFORDSCIRE.

BEDEFORD T. R. E. pro dimidio hund. ſe defendebat, & modo facit, in expeditione & in navibus. Terra de hac villa nunquam fuit hidata, nec modo eſt, præter unam hidam, quæ jacuit in Eccleſia St. Pauli in elemoſina, &c.

TERRA REGIS.

Manerium LESTONE. Dominicum manerium Regis pro xlvii. hid. ſe defendit modo. T. R. E. non erant niſi xxx. hid. De his xlvii hid. ſunt in manu regis xliii. hid. &c. Ibi theloneum de mercato redd. vii. lib. Intra totum redd. per annum xxii. lib. ad penſum, & dimid. diem ad firmam Regis, in frumento & melle & aliis rebus ad firmam pertinentibus. Ad opus Reginæ ii. uncias auri, & pro uno ſummario & conſuetud. canum lxx. ſol. & c. ſol. ad penſum, & xl. ſol. de albo argento. Hoc miſit de cremento Luo Talliebosc, & i. unciam auri, ad opus Vicecomitis per annum.

Manerium LOITONE. Dominicum Manerium Regis, &c. De theloneo & mercato c. ſol. Intra totum reddit per annum xxx. lib. ad penſum, & dimid. diem in frumento & melle & aliis conſuetudinibus ad firmam Regis pertinentibus. Reginæ iv. uncias auri, & de ſummario & aliis conſuetudinibus minutis lxx. ſol. & de conſuetudine canum vi. lib. & x. ſol. & de cremento quod miſit Luo Talleboſc vii. lib. ad penſum, & xl. ſol. albi argenti, & unam unciam auri Vicecomiti.

Manerium HOUSTONE. Dominicum Manerium Regis, &c.

LEDECESTRESCIRE.

CIVITAS de LEDECESTRE, Tempore Regis Edwardi, reddebat per annum Regi xxx. lib. ad numerum de xx. in Ora, & xv. ſextaria mellis. Quando Rex ibat in exercitu per terram; de ipſo Burgo xii. Burgenſes ibant cum eo. Si vero per mare in hoſtem ibat; mittebant ei iv. equos de eodem Burgo uſque Londoniam, ad comportandum arma, vel alia quæ opus eſſet.

Modo habet Rex W. pro omnibus redditibus civitatis ejuſdem & Comitatus xlii. lib. & x. ſol. ad pondus; pro uno accipitre x. lib. ad numerum; pro ſummario xx. ſol. De monetariis xx. lib. per annum de xx. in Ora. De his xx. lib. habet Hugo de Grentemaiſnil tertium denarium.

WARWICSCIRE.

IN BURGO de WARWIC, habet Rex in dominio ſuo c.xiii. domus, & Barones Regis habent c. xii. de quibus omnibus Rex habet geldum ſuum, &c. Epiſcopus de Wireceſtre habet LX. maſuras, & ſic de cæteris: præter has ſupradictas maſuras ſunt in ipſo Burgo xix. Burgenſes, qui habent xix. maſuras cum ſaca & ſoca & omnibus conſuetudinibus,& ita habebant T. R. E.

TEMPORE Regis Edwardi Vicecomitatus de Waruuic, cum Burgo & cum regalibus Maneriis, reddebat lxv. lib. & xxxvi. ſextaria mellis, aut xxiv. lib. & viii. ſol. pro omnibus quæ ad mel pertinebant.

Modo intra firmam regalium Maneriorum & placita Comitatus reddit per annum cxlv. lib. ad pondus, & xxii. lib. pro conſuetudine canum, & xx. ſol. pro ſummario, & x. lib. pro accipitre, & c. ſol. Reginæ pro gerſuma.

Præter hoc reddit xxiv. ſextaria mellis cum majori menſura, & de Burgo vi. ſextaria mellis. Sextaria ſcilicet pro xv. denariis. De his habet Comes de Mellend. vi. ſextaria & v. ſol.

Conſuetudo Waruuic fuit, ut eunte Rege per terram in expeditionem, decem Burgenſes de Waruuic pro omnibus aliis irent. Qui monitus non ibat c. ſol. Regi emendabat.

Si vero per mare contra hoſtes ſuos ibat Rex; vel iv. Batſueins, vel iv. lib. denariorum ei mittebant.

SCIROPESCIRE.

IN. CIVITATE SCIROPESCIRIE TEMPORE REGIS E. erant cc. L. ii. domus & totidem Burgenſes in ipſis domibus, reddentes per annum vii. lib. & xvi. ſol. & viii. denar. de gablo. Ibi habebat Rex E. has ſubterſcriptas conſuetudines. Si quis pacem Regis manu propria data ſcienter infringebat, utlagus fiebat. Qui vero pacem Regis à Vicecomite data infringebat, c. ſol. emendabat; & tantundem dabat qui foreſtel, vel heinſare faciebat. Has iii. forisfacturas habebat in dominio Rex E. in omni Anglia extra firmas.

Quando Rex jacebat in hac civitate, ſervabant eum vigilantes xii. homines de melioribus civitatis. Et cum ibi venationem exerceret, ſimiliter cuſtodiebant eum cum armis meliores Burgenſes caballos habentes. Ad ſtabilationem vero mittebat Vicecomes xxxvi. homines pedites, quamdiu Rex ibi eſſet. Ad partum autem de Marſetelie, inveniebant xxxvi. homines per conſuetudinem viii. diebus.

Cum in Walis pergere vellet Vicecomes, qui ab eo edictus non pergebat, xl. ſol. de forisfactura dabat.

Mulier accipiens quocunque modo maritum, ſi vidua erat dabat Regi xx. ſol. ſi puella x. ſol. quolibet modo acciperet virum.

Cujuſcunque Burgenſis domus combureretur aliquo caſu vel eventu, ſine negligentia, xl. ſol. Regi dabat pro forisfactura, & duobus propinquioribus vicinis ſuis ii. ſol. unicuique.

Burgenſis qui in dominio erat Regis cum moriebatur, habebat Rex x. ſol. de relevamento.

Si quis Burgenſis frangebat terminum, quem Vicecomes imponebat ei, emendabat x. ſol.

Qui ſanguinem fundebat xl. ſol. emendabat.

Cum Rex ibiret de civitate, mittebat ei xxiv. caballos Vicecomes Lenteurde, & ipſos ducebat Rex uſque primam manſionem Strafordſcire.

Tres

Tres monetar. habebat ibi Rex, qui poſtquam coemiſſent cuneos monetæ ut alii monetarii patriæ, xv. die dabant Regi xx. ſol. unuſquiſque, & hoc ſiebat moneta vertente.

Intra totum reddebat civitas iſta per annum xxx. lib. Duas partes habebat Rex, & Vicecomes tertiam.

Præcedenti anno hujus deſcriptionis, reddidit xl. lib. Rogerio [Comiti.]

Hæc Civitas T. R. E. geldabat pro c. hidis.

De his habebat St. Almundus ii. hid. & ſic de ceteris.

Dicunt Angligenæ Burgenſes de Sciropesberie multum grave ſibi eſſe, quod ipſi reddunt totum geldum, ſicuti reddebant T. R. E. quamvis caſtellum Comitis occupaverit li. maſuras, & aliæ L. maſuræ ſint vaſtatæ, & xliii. Francigenæ Burgenſes teneant maſuras geldantes T. R. E. & Abbatiæ quam facit ibi Comes dederit ipſe xxxix. Burgenſes, olim ſimiliter cum aliis geldantes.

Intra totum ſunt cc. maſuræ, vii. minus, quæ non geldant.

INTERRIPA & MARSHAM.

TERRAM INFRA SCRIPTAM TENUIT ROGERIUS PICTAVENSIS, INTERRIPAM & MERSHAM.

IN DERBEI HUNDRET.

Ibi habuit Rex EDWARDUS unum Manerium DERBEI nominatum, cum vi. Bereuuich. &c.

Uctredus tenebat vi. Maneria, Rabil, &c.

Hoc Manerium DERBEI cum his ſupradictis hidis reddebant Regi E. de firma xxvi. lib. & ii. ſol.

Ex his iii. hidæ erant liberæ, quarum cenſum perdonavit Tinis qui eas tenebat.

Iſtæ reddebant iv. lib. & xiv. ſolid. & iv. denar.

Omnes iſti Taini habuerunt conſuetudinem reddere ii. Oras denariorum de unaquaque caruca terræ, & faciebant per conſuetudinem domos Regi, & quæ ibi pertinebant, ſicut villani; & piſcarias, & in ſilva hajas & ſtabilituras: & qui ad hæc non ibat quando debebat, ii. ſol. emendabat, & poſtea ad opus veniebat & operabatur donec perfectum erat.

Unuſquiſque eorum uno die in Auguſto mittebant meſſores ſuos ſecare ſegites Regis: Si non, per ii. ſol. emendabat.

Si quis lib. homo faceret furtum, aut foreſtel aut heinfara, aut pacem Regis infringebat, xl. ſol. emendabat.

Si quis faciebat ſanguinem aut raptum de femina, vel qui remanebat de ſiremot ſine rationabili excuſatione, per x. ſol. emendabat.

Si de Hund. remanebat, aut non ibat ad placitum, ubi Præpoſitus jubebat, per v. ſol. emendabat.

Si cui jubebat in ſuum ſervitium ire & non ibat, iv. ſol. emendabat.

Si quis de terra Regis recedere volebat, dabat xl. ſol. & ibat quo volebat.

Si quis terram patris ſui mortui habere volebat, xl. ſol. relevabat.

Qui nolebat; & terram & omnem pecuniam patris mortui Rex habebat.

Uctredus tenuit Croſebi & Chirchedele pro i. hida, & erat quieta ab omni conſuetudine præter has vi. pace infracta, foreſtel, heinfara & pugna quæ poſt ſacramentum factum remanebat, & ſi conſtrictus juſticia Præpoſiti alicui debitum ſolvebat, & ſi terminum à Præpoſito datum non attendebat, hoc per xl. ſol. emendabat; geldum vero Regis ſicut homines Patriæ ſolvebat, &c.

IN NEWTONE T. R. E. fuerunt v. hidæ, &c.

Modo ſunt ibi vi. Drenghs, &c.

SNOTINGHAMSCIRE.

IN BURGO SNOTINGHAM fuerunt T. R. E. c. lxxiii. Burgenſes, & xix. villani. &c.

In Snotingeham aqua Trente & foſſa, & via verſus Eboracum cuſtodiuntur, ita ut ſi quis impedierit tranſitum navium, & ſi quis araverit vel foſſam fecerit in via Regis infra duas perticas, emendare habet per viii. libras.

De Stori anteceſſore Walterii de Aincurt dicunt, quod ſine alicujus licentia potuit facere ſibi Eccleſiam in ſua terra & in ſua ſoca, & ſuam decimam mittere quo vellet.

In Snotingehamſcire & in Derbiſcire, pax Regis manu vel ſigillo data, ſi fuerit infracta, emendatur per xviii. Hundret; unumquodque Hund. viii. lib. Hujus emendationis habet Rex ii. partes, Comes tertiam. Id eſt xii. Hund. emendant Regi, & vi. Comiti.

Si quis ſecundum legem exulatus fuerit pro aliquo reatu; nullus præter Regem pacem reddere poteſt ei.

Tainus habens pluſquam vi. Maneria, non dat terræ relevationem, niſi Regi tantum viii. lib.

Si habet vi. tantum, vel minus; Vicecomiti dat relevationem iii. Markas argenti, ubicunque maneat, in Burgo vel extra.

Si Tainus habens ſacam & ſocam foriſfecerit terram ſuam; inter Regem & Comitem habent medietatem terræ ejus atque pecuniæ; & legalis uxor cum legitimis hæredibus, ſi fuerint, habent aliam medietatem.

EURUICSCIRE.

IN EBORACO CIVITATE TEMPORE REGIS EDWARDI præter Scyram Archiepiſcopi fuerunt vi. ſcyræ; una ex his eſt vaſtata in Caſtellis.

In quinque Scyris fuerunt Mille & quadrigentæ & xviii. manſiones hoſpitatæ. De una harum ſcirarum habet Archiepiſcopus adhuc tertiam partem. In his nemo alius habebat conſuetudinem niſi ut Burgenſis, præter Merleſvainan una domo quæ eſt infra Caſtellum, & præter Canonicos ubicunque manſiſſent, & præter iv. judices, quibus Rex dabat hoc donum per ſuum brevem, & quamdiu vivebant.

Archiepiſcopus autem de ſua ſcyra habebat plenam conſuetudinem.

De ſupradictis omnibus manſionibus ſunt modo hoſpitatæ in manu Regis reddentes conſuetudinem quadringentæ, ix. minus, inter magnas & parvas; & cccc. manſiones non hoſpitatæ; quæ, reddunt melior i. denarium, & aliæ minus; & quingentæ & xl. manſiones ita vacuæ, quod nil omnino reddunt, & c. xl. v. manſiones tenent Francigenæ.

Sanctus Cutbertus habet i. domum, quam ſemper habuit ut plures dicunt, quietam de omni conſuetudine: ſed Burgenſes dicunt non eam fuiſſe quietam Tempore R. E. niſi ſicut una Burgenſium, niſi tantum quando Præpoſitus eam habebat theloneum ſuum & Canonicorum, &c.

Comes de Moritonio habet ibi xiv. manſiones, & ii. bancos in macello, & Eccleſiam St. Crucis, &c.

Nigellus de Monnevile habet i. manſionem cujuſdam monetarii.

In ſcyra Archiepiſcopi fuerunt T. R. E. hoſpitatæ ducentæ manſiones, undecim minus; modo ſunt centum hoſpitatæ inter magnas & parvas, præter curiam Archiepiſcopi & domos Canonicorum. In hac ſcyra habet Archiepiſcopus quantum Rex habet in ſuis ſcyris.

In Geldo civitatis ſunt quater xx. & iv. carucatæ terræ, & unaquaque gel-

dabat

dabat quantum una domus civitatis, & in tribus operibus Regis cum civibus erant, &c.

In Dominicis Maneriis nichil omnino Comes habuit, neque Rex in Maneriis Comitis, præter quod pertinet ad Chriſtianitatem, quæ ad Archiepiſcopum pertinet.

In omni terra St. Petri de Euruic, & St. Joannis, & St. Wilfridi, & St. Cutberti, & St. Trinitatis ſimiliter Rex ibi non habuit, nec Comes, nec aliquis alius aliquam conſuetudinem. Rex habet tres vias per terram, & quartam per aquam. In his omne forisfactum eſt Regis & Comitis, ubicunque vadant viæ, vel per terram Regis, vel Archiepiſcopi, vel Comitis.

Pax data manu Regis vel ſigillo ejus, ſi fuerit infracta; Regi ſolummodo emendatur per xii. Hund. unumquodque Hund. viii. lib.

Pax à Comite data & infracta à quolibet; ipſi Comiti per vi. Hundret emendatur; unumquodque viii. lib.

Si quis ſecundum legem exulatus fuerit; nullus niſi Rex ei pacem dabit. Si vero Comes vel Vicecomes aliquem de regione foras miſerint; ipſi eum revocare & pacem ei dare poſſunt ſi voluerint.

Relevationem terrarum dant ſolummodo Regi illi Taini, qui pluſquam vi. Maneria habuerint. Relevatio eſt viii. lib.

Si vero vi. tantum Maneria vel minus habuerit, Vicecomiti pro relevatione dat iii. Markas argenti.

Burgenſes autem Eboracæ civitatis non dant relevationem.

LINCOLESCIRE. LINDESIG.

IN Civitate Lincolia erant, Tempore Regis Edwardi, novies centum & lxx. manſiones hoſpitatæ. Hic numerus Anglice computatur i. centum pro c. xx.

In ipſa civitate erant xii. Lagemanni, id eſt habentes ſacam & ſocam, Hardecnut, Suartin, f. Grimboldi, Ulf filius Suertebrand, qui habuit Thol & Them, Walraven, Aluuold, Brictric, Guret, Ulbert, Godric, f. Eddeue, Siuuard [Presbyter] Leuuine [Presbyter] Aldeue [Presbyter.]

Modo ſunt ibi totidem habentes ſimiliter ſacam & ſocam. Suardinc [i.] loco Hardecnut patris ſui, Suartinc [ii.] Sortebrand [iii.] loco Ulf patris ſui, Agemund [iv.] loco Walraven patris ſui, Aluuold [v.] Goduinus, [vi.] filius Brictric, Normanus [vii.] Craſſus loco Guret, Ulbert [viii.] frater Ulf adhuc vivit, Pethrus [ix.] de Valonges loco Godric filii Eddeue, Ulnoldus [x.] Presbyter loco Siuuard, Presb. Buruolt [xi.] loco patris ſui Leuuine, qui modo eſt monachus, Leduuinus [xii.] filius Ravene loco Aldene Presbyteri.

Tochi filius Outi habuit in civitate xxx. manſiones præter ſuam hallam, & ii. Eccleſias & dimidiam; & ſuam hallam habuit quietam ab omni conſuetudine, & ſuper alias xxx. manſiones habuit locationem, & præter hoc de unaquaque unum denarium, id eſt Landgable. Super has xxx. manſiones habebat Rex theloneum & forisfacturam, ut Burgenſes juraverunt. Sed his jurantibus contradicit Uluiet Presbyter, & offert ſe portaturum judicium quod non ita eſt ſicuti dicunt, &c.

Radulfus Pagenel habet i. manſionem, &c. & ſic de ceteris.

Aluredus nepos Turoldi habet iii. Toftes de terra Sybi, quantum Rex ſibi dedit, in quibus habet omnes conſuetudines, præter geldum de monedagio.

Conſuetudines Regis & Comitis in Sudlincolia reddunt xxviii. lib.

In Nortreding conſuetudines Regis & Comitis reddunt xxiv. lib.

In Weſtreding conſuetudines Regis & Comitis reddunt xii. lib.

In Sudtreding conſuetudines Regis & Comitis reddunt xv. lib.

Pax

Pax manu Regis vel ſigillo ejus data, ſi fuerit infracta, emendatur per xviii. Hundret. Unumquodque Hund. ſolvit viii. lib. Duodecim Hund. emendant Regi,& vi. Comiti.

Siquis pro aliquo reatu exulatus fuerit à Rege & à Comite & ab hominibus Vicecomitatus; nullus niſi Rex ſibi dare pacem poterit.

STANFORD BURGUM REGIS dedit geldum T. R. E. pro xii. Hundret & dimidio, in exercitu, & navigio, & in danegeld. Ibi ſunt vi. Cuſtodiæ; quinque in Lyncoleſcire, & ſexta in Hantuneſcire, quæ eſt ultra pontem, & tamen ipſa reddebat omnem conſuetudinem cum aliis, præter gablum & theloneum, quod Abb. de Burg habebat & habet.

In his v. cuſtodiis T. R. E. fuerunt c. xl. & i. manſiones, &c.

In Stanford T. R. E. erant xii. Lagemanni, qui habebant infra domos ſuas ſacam & ſocam, & ſuper homines ſuos, præter geld, & hericte, & forisfacturam corporum ſuorum de xl. Oris argenti, & præter latronem. Hoc idem modo habent. Si non ſunt niſi novem, unus eorum habet xvii. manſiones.

IN TORCHESEY, T. R. E. fuerunt cc. & xiii. Burgenſes. Eaſdem conſuetudines habebant omnes quas & Lincolienſes, & tantum plus, quód quicunque eorum manſionem in eadem villa habebat; neque intrans neque exiens theloneum dabat, nec conſuetudinem. Hoc autem eorum erat, ut ſi legati Regis illuc venirent, homines ejuſdem vici cum navibus ſuis & aliis inſtrumentis navigationis uſque Eboracum eos conducerent, & Vicecomes victum legatorum & nautarum ex firma ſua inveniret. Quod ſi aliquis Burgenſium alibi vellet abire, & domum quæ eſſet in eadem villa vendere, ſine ſcientia & licentia Præpoſiti, ſi vellet, poſſet facere.

EASESSA.

IN eadem Coleceſtra tenuit Godricus i. lib. homo tempore Regis Eaduuardi iv. manſiones, &c.

Amo Dapifer i. domum, & i. curiam, & i. hid, &c.

Et hoc totum præter ſuam aulam reddebat conſuetudinem tempore Regis Edwardi, & adhuc reddunt Burgenſes de ſuis capitibus, &c.

Dominium Regis in Coleceſtra cii. acræ terræ, &c.

Eſt autem conſuetudo ut unoquoque anno, quinto decimo die poſt paſcha, reddant Burgenſes Regii duas marcas argenti, & hoc pertinet ad firmam Regis. Præterea de unaquaque domo per annum vi. denarios, quæ reddere poteſt ad victum ſoldariorum Regis, vel ad expeditionem terræ vel maris, & hoc non eſt ad firmam. Et hoc ſit ſi Rex ſoldarios habuerit, vel expeditionem fecerit. Et propter hos vi. denarios tota civitas ex omnibus debitis reddebat tempore Regis Edwardi xii. lib. & ii. ſol. & iii. denar. in unoquoque anno. De quibus reddebant monetarii iv. lib. tempore Regis Edwardi. Modo reddit iv. xx. lib. & iv. ſextarios mellis, vel xl. ſol. iv. Et præter hoc v. ſol. Vicecomiti de gerſuma. Et x. ſol. & iv. den. ad Præbendarios paſcendos. Et præter hoc reddunt Burgenſes de Coleceſtra & de Melduna xx. lib. pro moneta, & hoc conſtituit Waleramus, & advocant Regem ad turtorem, quod condonavit illis x. lib. & tantum Walchelinus Epiſcopus quærit ab illis xl. lib.

NORFULC.

HOc de NORWIC. In Noruic erant Tempore Regis Edwardi MCCCXX. Burgenſes. Quorum unus ita dominicus Regis, ut non poſſet recedere

cidere nec homagium facere ſine licentia ipſius, cui erat nomen Edſtan, &c.

Tota hæc Villa reddebat T. R. E. xx. lib. Regi, & Comiti x. lib. & præter hoc xxi. ſol. & iv. denar. Præbendarios, & vi. ſextarios mellis, & i. urſum, & vi. canes ad urſum; & modo lxx. lib. penſum Regis, & c. ſol. ad numerum, de gerſuma Reginæ; & i. aſturconem, & xx. lib. blancas Comiti, & xx. ſol. gerſuma ad numerum G. &c.

Franci de NORWIC. In novo Burgo xxxvi. Burgenſes, & vi. Anglici; & ex annua conſuetudine reddebat unuſquiſque v. denar. præter forisfacturas. De hoc toto habebat Rex ii. partes, & Comes tertiam. Modo xli. Burgenſes Franci in dominio Regis & Comitis; & Rogerius Bigot habet L. & ſic de aliis.

Tota hæc terra Burgenſium erat in dominio Comitis Rad. & conceſſit eam Regi in commune ad faciendum Burgum, inter ſe & Regem, ut teſtatur Vicecomes. Et omnes terræ iſtæ, tam militum quam Burgenſium, reddunt Regi ſuam conſuetudinem.

CESTRESCIRE.

CIvitas de CESTRE, Tempore Regis Edwardi, gelbabat pro L. Hidis. Tres & dimidium, quæ ſunt extra Civitatem (hoc eſt, una Hida & dimidium ultra pontem, & duæ Hidæ in Neutone, & Redeclive, & in Burgo Epiſcopi) hæ geldabant cum Civitate.

Tempore Regis Edwardi erant in ipſa Civitate cccc. & xxxi. Domus geldantes: & præter has habebat Epiſcopus LVI. domus geldantes. Tunc reddebat hæc Civitas x. Marcas Argenti & dimidiam: Duæ partes erant Regis, & tertia Comitis: Et hæ Leges erant ibi.

Pax data manu Regis, vel ſuo Brevi, vel per ſuum Legatum, ſi ab aliquo fuiſſet infracta, inde Rex c. ſolidos habebat: quod ſi ipſa Pax Regis, juſſu ejus à Comite data, fuiſſet infracta, de c. ſolidis (qui pro hoc dabantur) tertium denarium Comes habebat: ſi vero à Præpoſito Regis, aut Miniſtro Comitis, eadem pax data infringeretur, per XL. ſolidos emendabatur, & Comitis erat tertius denarius.

Si quis liber homo, Regis Pacem datam infringens, in domo hominem occidiſſet, terra ejus & pecunia tota Regis erat, & ipſe Utlagh fiebat: hoc idem habebat Comes de ſuo tantum homine hanc forisfacturam faciente: Cuilibet autem Utlagh nullus poterat reddere pacem niſi per Regem.

Qui ſanguinem faciebat à mane ſecundæ Feriæ uſque ad nonam Sabbathi, x. ſolidis emendabat: à nona vero Sabbati uſque ad mane ſecundæ Feriæ ſanguinis effuſus xx. ſolidis emendabatur: ſimiliter xx. ſolidos ſolvebat, qui hoc faciebat in xii. diebus Nativitatis, & in die Purificationis Beatæ Mariæ, & primo die Paſchæ, & primo die Pentecoſtes, & die Aſcenſionis, & in Aſſumptione vel Nativitate Sanctæ Mariæ, & in die Feſto Omnium Sanctorum.

Qui in iſtis ſacris diebus hominem interficiebat, iv. libris emendabat: in aliis autem diebus XL. ſolidis: ſimiliter Heinfaram vel Foreſtel, in his Feſtis diebus & die Dominico, qui faciebat, iv. libras exſolvebat: in aliis diebus XL. ſolidos.

Hangenuitham faciens in Civitate x. ſolidos dabat: Præpoſitus autem Regis vel Comitis hinc forisfacturam faciens, xx. ſolidis emendabat.

Qui Revelach faciebat, vel latrocinium, vel violentiam fœminæ in domo inferebat, unumquodque horum XL. ſolidis emendabatur.

Vidua, ſi alicui ſe non legitime commiſcebat, xx. ſolidis emendabat: Puella vero x. ſolidis pro ſimili cauſa.

Qui in Civitate terram alterius ſaiſibat, & non poterat diratiocinare ſuam eſſe, XL. ſolidis emendabat: ſimiliter & ille qui clamorem inde faciebat, & ſuam eſſe debere non poſſet diratiocinare.

Qui terram ſuam, vel propinqui ſui, relevare volebat, x. ſolidos dabat:

Quod ſi non poterat vel nolebat, terram ejus in manum Regis Præpoſitus accipiebat.

Qui ad terminum, quod debebat gablum, non reddebat, x. ſol. emendabat.

Si ignis Civitatem comburebat, de cujus domo exibat, emendabat per tres oras Denariorum; & ſuo Propinquiori vicino dabat duos ſolidos.

Omnium harum forisfacturarum duæ partes erant Regis, & tertia Comitis.

Si ſine licentia Regis ad portum Civitatis Naves venirent, vel à portu recederent, de unoquoque homine qui in Navibus eſſet xl. ſolidos habebant Rex & Comes.

Si contra pacem Regis, & ſuper ejus prohibitionem, navis adveniret, tam ipſam quam homines, cum omnibus quæ ibi erant, habebant Rex & Comes.

Si vero cum pace & licentia Regis veniſſet, qui in ea erant quiete vendebant quæ habebant: ſed cùm diſcederet, quatuor denarios de unoquoque Leſth habebant Rex & Comes: Si habentibus Martrinas pelles juberet Præpoſitus Regis, ut nulli venderent, donec ſibi prius oſtenſas compararet, qui hoc non obſervabant xl. ſolidis emendabant.

Vir ſive mulier, falſam menſuram in Civitate faciens, deprehenſus iv. ſolidis emendabat: ſimiliter malam cerviſiam faciens, aut in Cathedra ponebatur Stercoris, aut quatuor ſolidos dabat Præpoſitis.

Hanc forisfacturam accipiebant miniſtri Regis & Comitis in Civitate, in cujuſcunque terra fuiſſet, ſive Epiſcopi, ſive alterius hominis: ſimiliter & Theloneum ſiquis illud detinebat ultra tres noctes, xl. ſolidis emendabat.

Tempore Regis Edwardi erant in Civitate hac Septem Monetarii, qui dabant ſeptem libras Regi & Comiti extra firmam, quando moneta vertebatur.

Tunc erant xii. Judices Civitatis: Et hi erant de hominibus Regis & Epiſcopi, & Comitis: Horum ſi quis de Hundret remanebat, die quo ſedebant, ſine Excuſatione manifeſta, x. ſolidis emendabat inter Regem & Comitem.

Ad murum Civitatis & pontem reædificandum de unaquaque hida Comitatus unum hominem venire Præpoſitus edicebat: cujus homo non veniebat, Dominus ejus xl. ſolidos emendabat Regi & Comiti: Hæc forisfactura extra firmam erat.

Hæc Civitas tunc reddebat de firma xlv. libras, & tres timbres Pellium Martrinium; tertia pars erat Comitis, & duæ Regis.

Quando Hugo Comes recepit, non valebat niſi xxx. libras: valde enim erat vaſtata: Ducentæ & quinque Domus minus ibi erant, quam tempore Regis Edwardi fuerunt: modo totidem ſunt ibi, quot invenit.

Hanc Civitatem Mundret tenuit de Comite pro lxx. libris, & una Marka Auri.

Ipſe habuit ad firmam pro l. libris, & una Marka Auri, omnia Placita Comitis in Comitatu & Hundretis præter Inglefeld.

Terra in qua eſt Templum Sancti Petri; quam Robertus de Rodelend clamabat ad Teiland, (ſicut diratiocinavit Comitatus) nunquam pertinuit ad Manerium extra Civitatem, ſed ad Burgum pertinet, & ſemper fuit in conſuetudine Regis & Comitis, ſicut aliorum Burgenſium.

BRITAN-

BRITANNIARUM

Antiqui Populi, Urbes, Flumina, Promontoria, &c. Prout collegit ea, & expoſuit Cl. V. G. Camdenus.

A.

ABallaba	*Appleby in Weſtmoreland*
Abone	*Avington in Gloceſterſhire*
Abus æſtuarium	*Humber in Yorkshire*
Æſica	*Netherby upon Esk in Cumberland*
Ad Anſam	*Juxta Coggeſhall in Eſſex*
Ad Pontem	*Paunton in Lincolnſhire*
Adurni Portus	*Ederington*
Agelocum	*Little-borrough upon Trent*
Alone	*Whitely in Northumberland*
Alannius fluv.	*Avon in Wilſhire*
Alaunus fluv.	*Alne in Northumberland*
Amboglanna	*Ambleſyde* forte
Ancalites	*The Hundred of Henley*
Amnitum vel Samnitum inſulæ	*Iſles upon the weſt coaſts of Britaine in France*
Andates lucus	
Anderida	*Newenden in Kent*
Angli, ſive Anglo-Saxones	
Antona ſive Auſona	*Auſon*
Antiveſtæum	*The Cape of Cornwall*
Aquæ ſolis	*Bathe in Sommerſetſhire*
Arbeia	*Jerby*
Ariconium	*Kencheſter neer Hereford*
Atacoti	
Atrebatii	*Barkshire*
Auguſta vel Londinum	
Axelodunum.	*Hexam in Northumberland*

B.

BAdiza	*Bath*
Bannavena	*Wedon on the ſtreet*
Belerium, idem quod Antiveſtæum.	
Belgæ	*Somerſetſhire, Wilſhire, and Hantſhire*
Beliſama fluv.	*Rhibel in Lancaſhire*
Benones	*High-Croſs*
Bibroci	*The Hundred of Bray in Barkshire*
Binovium	*Bincheſter*
Blatum Bulgium	*Bulneſſe in Cumberland*
Bleſtium	*Old Town in Herefordſhire*
Bonium	*Banchor in Flintſhire*
Bononia	*Bollonge in France*
Borcovicus	*Borwic in Northumberland*
Bovium	*Boverton in Glamorganſhire*
Brage	*Broughton in Hantſhire*
Brannogenium	*Worceſter*
Brannodunum	*Branceſter in Norfolke*

Bremenium	*Brampton in Northumberland*
Brementuracum	*Brampton in Cumberland*
Brementonacum	*Overborrow in Lancaſhire*
Brigantes	*Yorkshire, Lancaſhire, B. of Durham, Weſtmorland, Cumberland.*
Brovonacum	*Brougham*
Bullæum	*Buelth in Brecknocſhire*
Burrium	*Vske in Monmouthſhire.*

C.

Cæſaromagus	*Neare Brentwood in Eſſex* forte
Calcaria	*Tadcaſter in Yorkeſhire*
Callena	*Vide Gallena*
Camboritum	*Cambridge*
Camalodunum	*Maldon*
Camundolunum	*Vide Cambodunum*
Cambodunum	*Ruines neer Almondbury in Yorkshire*
Calagum	*Vide Galacum*
Canonium	*Chensford in Eſſex*
Cantium	*Kent*
Cantium Promontorium	*The foreland of Kent*
Cangi	
Caſtra Exploratorum	*Burge upon Sands*
Caſtra Conſtantia	*Conſtance in Normandy*
Caſſii	*The Hundred of Caiſhow in Hartfordſhire*
Caſſiterides	*The Iles of Sylly*
Caturactonium	*Cattarick in Yorkeſhire*
Cattieuchlani	*Buckinghamſhire, Bedfordſhire, and Hertfordſhire*
Cauſennæ vide Gauſennæ	
Cenio fluv.	*The River by Gregeny in Cornwall*
Ceni-magni vide Iceni	
Cilurnum	*Collerford in Northumberland*
Clauſentum	*South-hanton*
Clevum	*Gloceſter*
Coccium	*Riblcheſter in Lancaſhire*
Colonia	*Colcheſter in Eſſex*
Condate	*Congleton in Cheſhire*
Concangii	*Barony of Kendall*
Condercum	*Cheſter upon the Streete in the Biſhoprick of Durham*
Cambretonium	*Brettenham in Suffolke*
Conovius fluv.	*Conwey in Wales*
Conovium Urbs	*Caerhean upon Conway in Caernarvonſhire*
Convennos inſula	*Canvey at the Thames mouth*
Congavata	*A place upon Caudebec in Cumberland*
Corinium	*Circeſter in Gloceſterſhire*
Coritani	*Northamtonſhire, Leiceſterſhire, Rutlandſhire, Lincolnſhire, Nottinghamſhire, Derbyſhire*
Cornavii	*Warwickshire, Worceſterſhire Staffordſh. Shropſhire and Cheſhire*
Corſtopitum	*Morpit in Northumberland* forte
Coſſini	

Croco-

Croco-calana	*Anceſter in Lincolnſhire*
Cunetio	*Marleborow or Kenet in Wiltſhire*
Curio	*Corebridge in Northumberland*

D.

DAnmonii	*Cornwall and Denſhire*
Danmoriorum Promontorium	*The Lizard in Cornwall*
Danum	*Dancaſter in Yorkshire*
Delgovitia	*Godmundham in Yorkshire*
Derventio	*Auldby upon Derwent in Yorkshire*
Deva fluv.	*Dee in Cheshire*
Devana ſive Deva Urbs	*Cheſter, or Weſtcheſter*
Dictum	*Diganwey*
Dimetæ	*Weſtwales, Caermardenshire, Penbrokshire, and Cardiganshire*
Dobuni, ſive Boduni	*Gloceſtershire, and Oxfordshire*
Dorobernia, vide Dorovernum	
Dubris	*Dover*
Dunum ſinus	*The Creeke at Dunesby near Whitby in Yorkshire*
Durcornavia	*Vide Corinium*
Durotriges	*Dorſetshire*
Dur-co-brivæ	*Redborn*
Durnium	*Vide Durnovariam*
Durobrivæ	*Caſter near Wandleſwoorth in Huntingdonshire*
Durnovaria	*Dorceſter*
Durobrovæ	*Rocheſter*
Durolenum	*Leneham in Kent*
Durolitum	*Oldfoord upon Lee in Eſſex*
Duroſiponte	*Germoncheſter*
Durovernum	*Canterburie*

E.

EBoracum	*Yorke*
Epiacum	*Papcaſtle in Cumberland*
Etocetum	*The wall in Staffordshire*
Extenſio Promont.	*Eaſton-neſſe in Suffolk*

F.

Fretum Britannicum	*The Streight of Calis*

G.

GAbrantvicorum portuoſus ſinus	*Suerby in Yorkshire*
Gabroſentum	*Grateshead in B. of Durham*
Gallatum	*Whealp caſtle in Weſtmerland*
Galana	*Walle-wic*
Gallena	*Wallingford*
Ganganorum promontorium	*Lheyn in Caernarvonshire*
Garianonum	*Yarmouth*
Garienis fluv.	*Yare River in Norffolke*
Gauſennæ	*Brig-Caſterton upon Wash*

Genunia	*North Wales*
Glannoventa	*Vpon Wentſbecke in Northumberland*
Gleſſariæ	
Glevum	*Gloceſter*
Gobannium	*Abergevenny.*
Geſſoriacum vide Bononia.	

H.

HErculis promon.	*Hertly point in Denshire*
Hunnum.	*Sevenſhale in Northumberland.*

I.

JAmeſa vide Tameſis	
Iceni	*Suffolke, Norfolke, Cambridgeshire, and Huntingdonshire*
Icianos	*Icborrow in Norfolke*
Idumanius fluv.	*Blackewater in Eſſex.*
Iſanna-vatia, vide Banavenna, nam eadem videntur.	
Iſca fluv.	*Ex River in Denshire*
Iſca Danmoniorum	*Exceſter*
Iſca Legio Auguſta	*Caerlheon in Monmouthshire*
Iſcalis	*Ivelceſter*
Iſurium	*Aldburge in Yorkshire*
Jugantes, quorum meminit Tacitus, neſcio, niſi Cantiani fuerint, quos Britanni ſua lingua Y. Gaint dicere ſolebant; æque tamen probabile videatur Brigantes pro Jugantes legere.	
Itium Galliæ	*Vitſan*
Ituna fluv.	*Eden in Cumberland.*

L.

Lactodorum ſive Lactorodum	*Stony-Stratford*
Lagecium vel Legeolium	*Caſtleford neere Pontfreil*
Legio ii. Auguſta, vide Iſca	
Legio vi. Victrix, vide Eboracum	
Legio xx. Victrix, vice Deva.	
Lavatres	*Bowes upon Stanemore*
Leucarum	*Loghor in Southwales*
Littus Saxonicum	
Lemanis	*Limehillin Kent*
Lindum	*Lincolne*
Londinum	*London*
Longovicum	*Lancheſter*
Luguvallum	*Carlile*
Loventium.	*Leveny in Brecknocshire.*

M.

MAdus	*Maidſtone in Kent*
Magi	*Old Radnor*
Maglona	*Maclenith in Montgomerishire*
Magna	*Cheſter in the wall neer Haltweſell*
Magnus Portus	*Porteſmouth, or Portcheſter*
Maleos	*Mula among the Weſtern Iles*
Mancunium	*Mancheſter in Lancashire*
Mandeveſſedum	*Mancaſter in Warwickeshire*
Magni, vide Magi	

Mediolanum

Mediolanum	*Lhan Vellin in Montgomeryshire*
Magioninium	*Dunſtable*
Meatæ	*Northumberland*
Margidunum	*Near Bever-Caſtle*
Mena	*Meneg in Cornewall*
Metaris æſt.	*The Washes between Lincoln. & Norfolk*
Mictis, vide Vecta	
Morbium	*Morsby in Cumberland*
Maridunum	*Caermarden*
Moridunum	*Seaton in Devonshire*
Moricambe æſt.	*The Bay at Caerdronack*
Morini	
MorinorumPortus Britannicus	

N.

NIdus	*Neath in Glamorganshire*
Neomagus, ſive Noviomagus	*Woodcoſe near Croyden in Surrey*
Novus portus, vide Lemanis	

O.

OCtopitarum prom.	*S. Davids head in Penbrokeſhire*
Ocellum prom.	*Kellnſey in Yorkeshire*
Olicana	*Ilkely in Yorkeshire*
Olenacum	*Elenborrow in Camberland*
Ocrinum	Vide Danmonium
Ordovices	*Northwales*
Oſtidamnii	
Ottadini	*Northumberland*
Othona	*Ithan-ceſter in Eſſex.*

P.

PAriſi pop.	*Holderneſſe in Yorkeshire*
Pennocrucium	*Penkridge in Staffordſhire*
Pettuaria	*Beverley*
Petrianæ	*Some places neer Peterill in Cumberland*
Picti	*The Picts*
Præſidium	*Warwicke*
Prætorium	*Patringtone in Yorkeshire*
Pontes	*Colebroke in Buckinghamſhire*
Pons Ælii	*Pont-eland in Northumberland*
Procolitia	*Coleceaſter in Northumberland.*

R.

RAtæ	*Leiceſter*
Ratoſtibius fluv.	*Taf in Glamorganſhire*
Regni pop.	*Surrey, Suſſex, and the Sea Coaſts of Hantſhire*
Regnum	*Regnſted in Hanſhire*
Regulbium	*Reculver in Kent.*
Ribodunum	
Rhutupiæ	*Richborrow near Sandwich*
Rhutunium.	*Routon in Shropſhire.*

S.

Sabrina fluv.	*Severn*
Salenæ	*Salndy in Bedfordſhire*
Segodunum	*Seton in Northumberland*
Segontium	*Caer ſeiont neere Caernarvon*
Segontiaci	*In Hantſhire*
Setantiorum Palus	*Winandermer*
Scoti	
Seteia æſtuar. pro Deia	*Dee mouth*
Segelocum	Vide Angelocum
Silures	*Southwales*
Sitomagus	*Thetforde in Norfolke*
Simeni	Vide Iceni
Sinus ſalutaris	Vide Gabrantovicorum
Sorbiodunum	*Old Sarisbury*
Spinæ	*Spene neere Newbury*
Stuccia fluv.	*Iſtuyth in Cardiganſhire*
Sulloniacæ.	*Brockley hill neere Elleſtrey*

T.

Tamarus fluv.	*Tamar*
Tamara	*Tamarton*
Tamiſis	*Tames, ſive Teames*
Tanatos	*Tanet*
Teſis flu.	*Geſe*
Tina flu.	*Tine in Northumberland*
Toiſobios	Vide Conovius
Tobius fluv.	*Tovy in Wales*
Toliatis	*Shepey*
Trajectus	*Paſſage neere Auſt.*
Trinobantes	*Middleſex, and Eſſex*
Tripontium	*Torceſter*
Triſantonis Portus	*Southanton*
Tueſis	*Berwicke upon Twede*
Tuerobius fluv.	*Twy in Wales*
Tunocellum	*Tinne-mouth*
Trutulenſis Portus	Vide Rhutupias, Tacitum Trutulenſem pro Rhutupenſi vocare exiſtimat B. Rhenanus.

V.

Vagniacæ	*Maidſtone*
Valentia	
Vallum	*The Picts Wall*
Varis	*Bod-vary in Flintſhire*
Viroconium	*Wroxceſter*
Vedra fluv.	*Were in the B. of Dureſme*
Veneti	*Guineth, or Northwales*
Venta Belgarum	*Wintcheſter*
Venta Icenorum	*Caſter neere Norwich*
Venta Silurum	*Caer Went in Monmouthſhire*
Vennones	*High-Croſſe*
Verlucio	*Werminſter*

Verometum

Verometum	*Burrow hill in Leiceſterſhire*
Verolamium	*Verulam neere St. Albons*
Verteræ	*Burgh upon Stanemore*
Uzella æſtuarium	*Ivell mouth*
Viconia, vide Vinonium	
Vinonium & Binonium	*Bincheſter in the B. of Dureſme*
Villa Fauſtini	*St. Edmunds-Bury*
Vindelis	*Old Winchelſey* forte
Vindobala, vide Vindomora	
Vindomora	*Walleſend in Northumberland*
Vindonum	*Silceaſter*
Vindolana	*Wincheſter in the wall*
Vindogladia	*Winburne in Dorſetſhire*
Virecinum	*Wroxeſter in Shropſhire*
Viroſidum	*Werewic upon Eden neere Carlile*
Voluba	*Volemouth*
Voreda	*Old Perith*
Uſocona	*Oken Yate*
Uzella	*Loſt-uthiel.*

Populi & Loca antiquioris memoriæ in SCOTIA

Abravanus
Alauna
Anſoba
Banatia
Berubium
Bodotria fluv.
Caledonii
Cantæ
Carbantoricum
Carini, ſive Catini
Cornabii
Caſtra Alata
Cerones
Colania
Celnius fluv.
Corda
Caria
Creones
Damnii
Dea
Devana
Diva fluv.
Epidii
Gadeni
Glotta
Grampius
Horeſci
Iiena
Ila fluv.
Itis fluv.
Ladeni
Lelanonius
Leucopibia
Lindum
Littus altum
Longus fluv.
Loxa fluv.
Mertæ. in Southerlandia
Novantes
Navantum prom.
Nodios
Orcas, vide Tarvedrum
Randuara
Rherigonium
Selgovæ
Tamea; Fortaſſe Tanea in Roſſia
Taizali
Tarvedrum prom.
Taus fluv.
Vacomagi
Vararis
Vernicones
Victoria
Vindagora
Virvedrum
Uzellum

In HIBERNIA.

Argita fluv.
Auſoba fluv.
Auteri
Birgus fluv.
Boreum prom.
Birgantes ſive Brigantes
Buvinda fluv.
Cauci
Coriondi
Darnii prope Dirry
Daurona
Dunum
Duris fluv.
Eblana
Eblani
Erdini
Gangani
Iberni
Jernus flu.
Iſannium prom.
Laberus

Libnius fluv.
Logia fluv.
Luccni
Macolicon
Menapia
Menapii
Modana fluv.
Nagnata
Nagnatæ
Notium prom.
Oboca fluv.
Ravius fluv.
Rheba
Rhobogdii
Rhobogdium prom.
Rigia
Rigia altera
Sacrum prom.
Senus fluv.
Velabri
Vennicnium prom.
Vennicnii
Vidua fluv.
Vinderus fluv.
Vodiæ
Voluntii

Inſulæ BRITANNIÆ adjacentes.

Acmodæ
Amnitum, vide Samnitum inſulæ
Adros, quæ & Andium
Axantos, vide Uxantiſa
Barſa
Bergæ
Birchanis
Cæſarca
Caſſiterides
Caunos
Dumna
Epidium
Edri
Ebuda prima
Euodia
Ebuda ſecunda
Gleſſaria
Glotta
Hebrides
Heſperides
Icta
Limnos
Liga
Liſia
Mictis, fortaſſe Vectis
Menavia
Mona
Monaeda
Mula ſive Maleos
Nerigon
Neſſiadæ
Pomona
Ocetis
Orcades
Ricina, ſive Ricluna
Samnitum inſulæ
Sarnia
Saxonum inſulæ
Sena
Siambis
Siata
Sicdelis
Silimnus
Silinæ
Tanatos
Thule
Toliapis
Vecta
Veneticæ inſulæ
Vindelis
Uliaras
Uxantiſa

EMENDA-

EMENDATIONES ET NOTÆ AD *Ptolemæum.*

PAG. *735.* Col. 2. L. 3. Lege cum Græcis, *Parallel. v. earum.* l. *6.* Appellatur. l. 12. Duabus, adde 11. 58. Libet hîc apponere quæ de hac inſula Thule Ptolemæus ſcribit lib. 1. c. vii. ex Marino Tyrio.

Ἐπεὶ τοίνυν τοῦ πλάτους πρῶτον ὑποτίθεται μὲν καὶ αὐτὸς [Μαρῖνος] τὴν Θούλην νῆσον ὑπὸ τὸν παράλληλον τὸν ἀφορίζοντα τὸ Βορειότατον πέρας τῆς ἐγνωσμένης γῆς.

Primum igitur Latitudinis terminum præſupponit ipſe [Marinus] *Thulen inſulam ſub parallelo qui Borealiſſimam terræ nobis cognitæ partem Segregat.*

L. 13. Hiberniæ vero Inſ.] Hujus inſulæ meminit Ptolemæus l. 1. c. XI. Geographiæ.

Τὸ μῆκος τῆς Ιουερνίας νήσου, τὸ ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς ἡμερῶν εἴκοσι παρέδωκεν Φιλήμων.

Longitudinem Inſ. Hiberniæ, ab ortu occaſum uſq; viginti dierum eſſe tradidit Philemon.

¿ Huic, utpote Mercatori, nec Marinus nec Ptolemæus fidem adhibent.

Idem Ptolemæus Hiberniam inter celebriores inſulas recenſet Libro vii. c. v.

Τῶν δὲ ἀξιολογωτέρων νήσων ἢ χερσονήσων, πρώτη μὲν, Ταπροβάνη; δευτέρα δὲ, τῶν Βρεττανικῶν ἡ Ἀλουίωνος. Τρίτη δὲ ἡ χρυσῆ χερσόνησος, τετάρτη δὲ τῶν Βρεττανικῶν Ιουερνία, &c.

Ex inſulis vero inſignioribus & peninſulis, prima eſt Taprobane, ſecunda Albionis una Britannicarum: tertia aurea Cherſoneſus, quarta Juverna, Britannicarum alia.

Col. 2. L. Τὸ δὲ ΕΒΟΡΑΚΟΝ. Qui volunt Brigantium, (cujus meminit Ptolemæus in 11 Magnæ Syntaxeos, p. 31. Ed. Baſ.) eſſe Eboracum, non ſatis perpenderunt ordinem parallelorum & locorum, quos ibi deſcribit Ptolemæus. Nam primo ponit 22 parallelum iſtis verbis.

Εἰκοστὸς δεύτερός ἐστι παράλληλος καθ᾽ ὃν ἂν γένοιτο ἡ μεγίστη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν · ιζʹ δʹ. Ἀπέχει δ᾽ οὗτος τοῦ ἰσημερινοῦ, μοιρῶν νέ. καὶ γράφεται διὰ Βριγαντίου τῆς μεγάλης Βρεττανίας. ἔστι δ᾽ ἐνταῦθα οἵων ὁ γνώμων ξ, τοιούτων ἡ μὲν θερινὴ σκιὰ, λϛʹ δʹ. ἡ δὲ ἰσημερινὴ πεʹ γʹ, ἡ δὲ χειμερινὴ τδʹ ϛʹ.

[Ex edit. Ven. A. 1515.] *Linea æquidiſtans vigeſima ſecunda eſt: in qua longitudo diei longioris eſt* 17 *horæ, & quarta horæ. Et ejus elongatio ab æquatione diei eſt* 55 *partes: deſcripta ſuper Bericanas Britanniæ majoris. Et umbra æſtiva eſt* 36 *partes, & quarta partis vicinius. Et umbra æqualitatis octuaginta quinque partes & duæ tertiæ partis. Et umbra hiemalis eſt* 304 *partes & medietas partis,*

Hæ rationes, hi numeri nullo pacto conveniunt Eboraco. Qua de re, cum fuſius egerim in *commentariolo* ad *Antonini Itinerarium* brevi publicando, hîc nihil diſputabo, tantum monebo ipſum Ptolemæum (modo idem ſit Geographiæ auctor & Syntaxeos) in parallelo proximo deſignando aperte iſtam ſententiam evertere, ſic enim continuo ſubnectit.

Εἰκοςὸς τρίτος παράλληλος, καθ᾽ ὃν ἂν γένοιτο ἡ μεγίςη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιζ′ ς′. Ἀπέχει ἔτος τῦ ἰσημερινῦ, μοιρῶν νς′. καὶ γράφεται διὰ μέσης τῆς μεγάλης Βρετlανίας. ἐςὶ δὲ ἐνταῦθα οἵων ὁ γνώμων ξ̄, τοιούτων ἡ μὲν θερινὴ σκιὰ λζ′ γ′. ἡ δὲ ἰσημερινὴ πη′ ς′ γ′. ἡ δὲ χειμερινὴ τλέ δ′.

Linea æquidiſtans vigeſima tertia eſt: in quâ longitudo diei longioris eſt 17 horæ & medietas horæ. Et ejus elongatio ab æquatione diei eſt 56 partes: deſcripta ſupra medium Britanniæ majoris. Et umbra æſtiva eſt 37 partes, & duæ tertiæ partis vicinius. Et umbra æqualitatis 88 partes & medietas, & tertia, & medietas ſextæ partis vicinius. Et umbra hiemalis eſt 335 partes, & tertia partis.

Vide, ſodes; ſi hic Parallelus è vero poſitus fuerit, quomodo Eboracum poterit eſſe in prima, ſeu meridionali parte Britanniæ? Nam Brigantium jam præceſſit. Sed rem extra omne dubium conſtituent ſequentia verba

Εἰκοςὸς τέταρτός ἐςὶ παράλληλος, καθ᾽ ὃν ἂν γένοιτο ἡ μεγίςη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιζ′ ς′ δ′. ἀπέχει δὲ ἔτος τῦ ἰσημερινῦ, μοιρ. νζ′. καὶ γράφεται διὰ Κατυρακτονίυ τῆς Βρετlανίας. ἐςὶ δὲ ἐνταῦθα οἵων ὁ γνώμων ξ̄, τοιύτων ἡ μὲν θερινὴ σκιὰ λθ′ γ′. ἡ δὲ ἰσημερινὴ ϟβ′ γ′ ι′. ἡ δὲ χειμερινὴ. τοβ′ ι′.

Linea æquidiſtans vigeſima quarta eſt: in qua longitudo diei longioris eſt 17 horæ, & tres quartæ horæ, & ejus elongatio ab æquatione diei 57 partes: deſcripta ſuper Catononiz [*Cataractonium*] *Britan. Et umbra æſtiva eſt 39 partes & ſexta partis. Et umbra æqualitatis 92. partes & tertia, & medietas ſextæ partis fere. Et umbra hiemalis 372 partes, & medietas & tertia partis fere.*

Parallelus, qui mediam Britanniam ſecat, hîc interponitur inter Brigantium & Catarractonium: ſed tantam eſſe inter Eboracum & Catarractonium diſtantiam quis concedet? Ex his primo ſequi videtur, eundem non eſſe auctorem Geographiæ & Magnæ Syntaxeos, quæ nunc uni Ptolemæo inſcribuntur. Deinde, videndum, ubi Brigantium hoc, cujus meminit Auctor Syntaxeos, ſit collocandum. Arabs, qui olim vertit hunc librum de Græco, pro Βριγαντίυ poſuit, *Deſcripta ſuper Bericanas majoris Britanniæ*, &c. ſuſpicor Berecaniam (i. e. Brecaniam, Brecknoc) intelligi, cum ob alluſionem vocum, tum etiam, quia ſitus Brecniæ proxime accedit ad longitudinem, quam Græcus ſcriptor Brigantio adfixit. Sed alibi, plura.

Pag. 735. Col. 1. l. 41. Δέμνα.] Plinius l. 4. *Scandia*, Dumna, *Bergos*. Theo in tabulis Procheiris ex Ptolemæo, Δέμνα νῆσος ξα′. Camdenus putat eſſe *Faire Ile*, cujus oppidum unicum, Dumo: & videtur inſulæ toti nomen feciſſe.

Col. 1. l. 44. Ουεκτίς. In Tabulis Theonis, Ουικτίς. Videtur eſſe Plinii *Mictis*. Plinius in his nominibus ſequutus eſt Pytheam alioſque Græcos. His duabus additur à Theone Ουίννων. *Vinion* ea dicitur Anonymo Ravennati.

Pag. 736. Col. 1. l. 7. Bor. prom. *mox ſic ſcribe*. 11. 61. 0
l. 8. Ven. ſcribe *Venicnion Pr.*
l. 9. Viduæ fl. ſcribe 13. 61.
l. 12. Occid. Lat. ſcr. *Venicnii.*
l. 21. Seni fl. ſcr. 9. 30. 59. 30
l. 22. Dur. fl. ſcr. 9. 40. 58. 40
l. 31. Dabr. fl. ſcribe 11. 15. 57. 45
l. 37. ---lis Lat. ſcribe *cui adjacet.*
l. 39. ----nus, qui. ſcr. *poſt Sacrum Prom.*
l. 44. Bubindæ fl. ſcr. 14. 40. 59. 40

Col. 2. l, 9. Ουίδυ] lege, Ουιδύα.
l. 11. Ροβόγδ. lege ις′. γ′. &c.
l. 15. Μετὰ τὸ Β. lege ια′. ξα′.

l. 16. Prox. ια′. ξ′ γο′.
l. 17. Ναγν. lege. ια′. δ′. ξ′. δ′
l. 22. Ιερ. π. lege η′. νη′.
l. 41. Εβλανα π. lege ιδ′. &c.
l. 43. Ισαμ. lege Ισάμνιον.

Pag. 737 Col. 1. l. 41. Ραίβα. ſcr. ιβ′. νθ′. ιβ′. δ′
l. 13. Εβουδα. ſcr. ιε′. ξβ′.
l. 23. Μόνα. ſcr. ιε′. νζ′. γο′.
l. 32. Ρεριγ. ſcr. Ρεριγόνιος κ′. ιβ′. ξ. ιβ′ γ′
l. 44. Ουεργιν. Lege Ουεργιόνιος.
l. 46. Ultima. ſcribe. ιθ′. γ′. ξα′.

Col. 2. L. 4. Rheba. ſcribe 12. 59. 45
l. 5. prox. 13. 59. 15
l. 7. Rhig. alt. ſcribe 11. 59. 30
l. 22. Edri. ſcribe 15. 59. 30
l. 32. --torium. ſcribe 21. 61. 40.
l. 36. Lean. ſcr. *Lelan.*

Pag. 738. Col. 1. l. 4. Itana. lege *Itunæ.*
l. 9. Tiſob. fl. lege 15. 40. 56. 20
l. 19. Antæv. lege *Antiveſtæum.*
l. 23. Orinum Prom. ſcribe 12. 51. 30.
l. 29. Ceneon. ſcribe 14. 51. 45.
l. 36. Cant. Prom. ſcribe 22. 54.
l. 45 Ripa alt. ſcribe 29. &c.
l. 51. Divæ. ſcribe 26. 58. 30.
Col. 2. L. 20. Δαμν. ſcribe Οκρινον.

l. 24.

l. 24. Κενίωνος, ſcribe ιδʹ. ναʹ. ιβʹ. δʹ

l. 26. Ισάκα, ſcribe ιζʹ. νϛʹ. γʹ

Pag. 739. Col. 1. l. 12. Λουκόπι ſcr. ιθʹ. ξʹ. γʹ

Col. 2. l. 2. Metaris. ſcr. 20. 30. &c.

l. 52. Tueſis. ſcribe 26. 45. &c.

l. 55. Orrea. ſcribe 24. 15. 58. 45.

l. 58. Devana. ſcribe 26. 15. 59. 45

Pag. 740. Col. 1. l. 5. Vinnov. ſcribe 17. 30. 51. 0

l. 25. Viroc. lege *Viroconium.*

l. 28. Rhage. ſcribe 18. 58. 30

l. 31. Urolan. ſcribe 19. 20. 55. 30

l. 39. Occid. ſunt. lege *Demetæ.*

l. 46. Corinium. ſcribe 18. 54. 10

l. 50. Londinium. ſcribe 20. 54. 0

l. 52. Rutupiæ. ſcribe 21. 45. 54.

Col. 2. l. 9. Ριγοδ. ſcribe ιηʹ. &c.

l. 37. Δουεντ. lege Λουέντιον ιεʹ. ιβδʹ. νεʹ. ϛʹ

Pag. 741. Col. 1. l. 11. Οὐολίβα, ſcribe. ιδʹ. ιβδʹ. νϛʹ. γʹ

l. 20. Αριθμὸν ὤν, ſcribe λʹ. ξαʹ.

Col. 2. l. 1. Neomag. ſcribe 19. 45. 53. 25

l. 2. prox. *Dobunis.*

l. 14. Tamare. ſcribe 15. 52. 15

l. 16. Legio. ſcribe 17. 52. 35

l. 26. Quæ. max. ad. ſcribe 31. 40. 63. 0

l. 27. proxima. ſcribe 30. 20. 63. 15

l. 34. Sunt Toliapis mox *Vectis.*

Diſpunctis jam Erratis, qua Typothetæ qua exemplarium; redeamus ad initium; Græcorumque codicum *Variantes lectiones* apponamus: quod ſolum reſtat; nam Camdenus jamdudum cætera occupavit, & Græca cum nominibus patriis penſiculate contulit, uti mox poſt pauca folia, infra conſtabit.

Pag. 736. Col. 2. l. 1. Ιουερνίας. Codex Palatinus, Ιουερνίας & Juvenalis *ultra Littora Juvernæ promovimus* mox, Βρεταννικῆς, & Βρεττανικῆς & Πρεττανικῆς ex Ptolemæo & Marciano, qui eum ſequitur, Stephanus *de Urbibus* adducit.

2 Υπερβόρειος.] Cod. Pal. & Seldeni, & alius addunt, ὁ αὐτὸς καλεῖται πεπηγὼς Ωκεανὸς, ἢ Κρόνιος, Plinius eadem in Græcis legit auctoribus, ante Ptolemæum.

3 Λιβοίου] Alii Codd. Λιβνίου, & Λιμνίου.

4 Ερδῖνοι] Pal. C. addit, οἱ καὶ Ερπεδιτανοί, & mox εἶτα Αυτειροί. Cod. V. Cl. D. Stillingfletii, Epiſcopi Wigorn. legit Αυτενοί. Quam lectionem firmant aliqui Latini libri.

5 Ουελίβοροι] Pal. C. οἱ καὶ Ελλεβρόι (opinor ex abbreviatione) Seldeni codex Ουελέβοροι. Sunt etiam codices, quibus hæc dictio prorſus abeſt. Latini habent *Vellabori* & *Velabri*, ſic & *Oroſius.*

6 Ουεργίνιος] Aliter, Ουεργιύιος, & Ουεργύιος, & Ευρκύιος & Ουερύιος.

7 Βίργου] Pal. Βάργου.

8 Ουελλαβόρου] Pal. Ουελλαβροσίου.

9 Ουτερνοι] Pal. Ιουερνίοι. Seld. Ιουτερνιοὶ *Velabri, Juternique, Oroſius.*

10 Πλευρὰν ταύτην] καὶ ταύτην τὴν πλευρὰν *Seld.*

11 Ροβογδίου] Ροβουγδίου.

12 Δαρνιοὶ] Pal. Δαρίνοι.

13 Βλανιοὶ] Pal. Εβλάνοι, & MS. *Epiſcop. Wigornien.*

14 Ριγία] Pal. Ρηγία, & Ρηγιά, alius.

15 Ετέρα Ρεγία] MS. *Epiſcop. Wigorn.* Ρηγία

16 Ιουερνὶς] Pal. Ιερνίς.

17 Η δὲ ἑξῆς αὐτῶν] Seld. αὐτῆς. & Sic Cod. Cyrilli Wych. Eq. Aur. Μονάοιδα MS. Μονάρινα.

18 Εδρου] Pal. Ὄδρου.

19 Λίμνου] Pal. Λίνου.

20 Δουκαλληδόνιος] Aliter Δουηκαλληδόνιος, & Δουηδωκαλληδόνιος. *Ammiano & Eumenio* Δουκαληδόνιος.

21 Νουαντῶν] Pal. Νουάντων. *Marcianus,* Νευάντων.

22 Ρεγόνιος] Pal. Ρερηγόνιος & Cyrilli W. Codex.

23 Ουιδότερα] Pal. Ουινδόχαρα *Seld.* & *alius* Ουινδόγαρα.

24 Κλώτα. 25 Εἴσχυσις] Pal. hîc, & ſæpe infra, corruptiſſime κλώτους χύσις.

26 Λελαάννόνιος] Pal. Λεμαάννόνιος, & paulo infra Ἴτυος ποτ. ἐκβολαί κζʹ. ξʹ. γοʹ.

27 Νουαίου] Pal. & Latini Ναβαίου.

28 Ταρουεδοῦμ] Pal. Ταρουνδοῦμ. *Marci.* Ταυροεδοῦνος. mox pro Ιοβέρνιος, *Marci.* legit Ιουερνικός, & pro Ουεργ . . ιος ſupra, *adferunt* Ουεργίνιος.

29 Αυραουάννου] Pal. Αβρανάνου male.

30 31, 32, 33, 34, 35. Εἴσχυσις] In his omnibus Pal. male, ut ſupra ad 24, & 25.

36 Σεταντίων] Pal. Σεγαντίων, Alius Σεγουντ.

37 Βελίσαμα] Pal. Βέλσαμα. ιζʹ. ϛʹ.

38 Σεταία] Pal. Σεγιατάπις.

5 C c c c c 3 39 Καγ-

39 Καγκανῶν] Pal. Γαγκανῶν & Γαγγανῶν Pal. *Gang. præponit Toiſobio.*
40 Τοβίε] Pal. Τεβίε.
41 Σαβρίανα Pal. & alius, Σοβρίανα.
45 Οὐίξαλα] Pal. Οὐίξαμα. *Sed ſeld. & MS. Ep. Wi.* Οὐίξαλλα.
46 Αντιεέςαιον] Seld. Αντιεέςιον. Alius Αντιεέςιον. Sed propius ad verum, qui Αλαιεέντιον pro Αντιεάντιον legit; ut infra dicetur.
47 Δαμνόνιον] *Marcianus,* Δάμνιον.
ibid. Ὀκρῖνον] Alius, Ὄκριον; rectius ὠχρινόν. Nam Ochra tota hac ora fodiebatur, etiam ad promontorium Antiveſtæum, quod ideo Βολέριον, pro Βωλέριον dictum. Sed & in *Silinis* inſulis (*Sylly*:) quibus & nomen inde; nam *Sil.* Atticum eſt Ochra. V. *Salm. Plin. Exerc.*

Pag. 738. 1. Κενίωνος ποτ. ἐκβολή Pal. & in reliquis locis infra. Paulo poſt MS. pro Ισάκα recte legit Ἴσκα. aliter Latinus.
2 Αλλαίνε] Seld. & MS. alius, Αλαυνε.
3 Οὐεξαέδρον] MS. quidam, Οὐίρεεδρον, Seldeni codex Οὐιερεεδρέμ.
4 Βέρεβ] Pal. Ὀυερ.
5 Εκβολαί] Pal. ἐκβολή, ut ſupra.
6 Οὐάρα] Seld. Οὐαρὸρ MS. ἐαρὰρ κζ'. ιβ'. νδ'.
7 Τόυαισις] MS. τε Αὔσης. male. Pal. ταεα vide n. 12.
10 Εκβολαί] Pal. ἐκβολή.
11 Δίεα] Pal. Δηεα.
12 Ταέα] v. n. 8.
13 Τίννα] MS. Τίνα. & Pal. κδ'. νη'. ιζ'.
14 Βοδερία] MS. Βογδερία. κδ'. &c. *linea quarta ſequenti,* Γαβραντυίκων, MS. Γαβρατείκον ἐυλ. κ'. *Mallem equidem prius; & verterem, Gabrantuicum,* ut *Ordovicum.*
15 Μεταρισχύσις] Pal. ita; *ſed perperam.*
16 Γαρρυένε] Seld. Γαριαίνε, MS. Γαριέννε.
17 Ειδεμανία] Seld. Ειδεμανίε.
18 Ιάμισα] MS. quidam & Seld. Cod. Ιάμησα, alius Ιάμησα. Dio, Ταμέσα. Tacitus *Tamiſis,* alii, *Tamenſis* legunt. In quodam MS. Herodot. reperi Τέρκα, ubi in editis Legimus Ιέρκα. Facilis T & I Mutatio.
19 Ακάντιον] Pal. Βάντιον, vel ἐάντιον. *Marcianus,* νεάντιον, quaſi eſſet Trinoantium vel Trinobantium promontorium.
Λεκοπιβία] MS. Λεκοπιβία. *Anonym. Geographus videtur reperiſſe Lucotion.*
Ρεπιγόνιον] MS. Ριριγόνιον & Ρεριγόνιον. & pro Σελγεαι idem Cod. Ελγεαι. Pro καρβαντόριγον, ibidem καρβαντόριδον. *Hujus veſtigia apparent in Anonymo Ravennate, in quo lego Carbantium; Todoriton.* vel *Toridon.*
20 Οὐέξελον] Pal. & alius MS. Οὐέξελλον.
21 Κολανία] MS. κολανίκα. *Anonymus R. Colanica.* Sequitur Οὐανδέαρα, pro quo MS. Οὐανδογάρα & Οὐινδοεάρα.
22 Γαδενοί] *Quod puto rectius, quam ut vult* MS. Γαδηνοί. vel ut Seld. Γαδνοί.
23 Ωταδηνοί] Seld. Ωταδνοί, MS. Ωταλίνοι.
Κυρία] *Hic aliqui Codd. tam Græci, quam Latini repetunt Coria.* Et pro Βρεμένιον Αρεμένιον.
24 Κέρωνες] *Hic Pal. addit* εἶτα ἀνατολικώτεροι Κρέονες & Seld. Κρέωνες.
25 Καρηνοί] Seld. Καρνοί.
26 Ανατολικώτεροι] Pal. Ανατολικώτατοι.
27 Κορνάβιοι] Seld. Κορνεβοι. MS. Κορναβοί.
28 Λαιλαμνονίε] Λαιλαννονίε MS. Λαιμάννονίε *Seldenus.*
29 Μέρται] Seld. Σμέρται, & MS. *Anonymus ille Ravennas, minus recte, Smetri.*
30 Υπέρ] Seld. ὑπὸ.
31 Τέεσις] Seld. & MS. τέαισις.
32 Οὐιννίκοντες] Seld. Οὐιννικῶντες MS. Οὐιννίκονες. *Scribe mox* ἐν οἷς πόλις MS.
33 Τέξαλοι] Seld. & MS. Ταιξάλοι.
34 Ωταδηνές] Seld. ut ſupra Ωταδνοί.
Κάτουεξακτόνιον] Almeg. κ'. νζ'.
Κάλατον] Aliter Κάλαγον. Antonino, *Galacum;* in numeris pro ιι' ſcribe ιν'. &c.
35 Ευλίμενον κ.] *Salutarem Sinum,* male; MS. & Seld. ἀρίμενον κ'. *Suresbay.*
36 Παρίσοι] Seld. & MS. Παρεῖσοι.
37 Δυσμικώτατα] Δυσμικώτατοι MS.
Δανεανα] MS. Δηεα, mox νικηφόρος *Victrix.*
38 Ράγε] Pal. Εράται. *Antonini Ratæ.*

39 Σαλη-

39 Σαλῆναι] Seld. & Pal. Σαλίναι MS. Σαλῖναι vel Σαλνίναι Salny; Bedfordiæ.
40 Σιμένοι] Pal. Ιμένοι forte Ικένοι. *De quibus plura ad Antoninini Itinerarium.*
τριν6αντες] MS. τεινο6αντες. Et ſta*m καμυδόλανον, pro quo Theon Smyrnæus, Ptolemæum excribens, oſtendit Καμυλόδυνον.
Λυέντινον] MS. Λυέντιον.
Μαείδυνον] MS. μοειδ. & μυρίδυνον.
Κορίνιον] MS. ſic. ιν'. νδ'. ιβ'.
41 Ναλκύα] Pal. Καλκύα MS. καλκύα. Seld. ut Pal. mox Δαρύερνον, MS. & Pal.
42 Ρῆγνοι] MS. Ρηγνοί.
Ουέντα] Seldeni codex ſic ιν'. γο'. νϛ'. ιβ'.
Δύνιον] Seldeni liber ſic ιν'. ν6'. ιβγ'. ι6'.
Sed MS. alius ita ιν'. νμ'. ιβϛ'. ι6'.
43 Ὄυξελλα] MS. unus Ὄυξελλα, alius Ὄυζελλα.
Ισκα] MS. quidam codex ſic ιζ'. ν6'. ιβ'. δ'. Poſt *Legio ſecund. Aug.* dele numeros.
Ὄκητις] MS. Οκιτίς. Plinius videtur legiſſe Ουικτίς. Hæc inſula aliquando dicitur *Victis, Vectis, Vecta,* & *Ictis,* ſi Voſſio credamus, ad Melam p. 255.
44 Δύμνα] De hac ſupra dictum ad p. 735. l. 41.
Τολιάπις] Codex qui fuit Jacobi Angeli legebat Τολιατίς ιδ'. γ'. Forte Walot.
45 Κώυννος] Angeli Cod. Κώϊννος.
46 Ουίκτησις] Aliter Ουικτίς, & Ουικτή. Hæc eſt vulgo nota Vecta ad Meridiem.

Pag. 742. Ex Itinerario] Quæ impræſentiarum ad hæc per Britannias itinera dicenda habeo, pauciſſimis abſolvam. Scripſi nuper commentarium in iſtam Antonini partem. Hunc quoniam in majorem molem, quam ei, ab initio, præfixeram, excrevit, cogor in aliud tempus rejicere. Mendas utcunque aliquas ex his paginis tollere non erit ſupervacaneum.

Col. 1. l. 33. Bovium. lege *Bonium. Bangor* prope Ceſtriam.
l. 41. Vennonium. lege *Vinonium*
Col. 2. L. 14. Ad Pontem. Lem. lege *ad portum*
l. 24. Canſennim. lege *Cauſennis*
l. 31. Cataroctonem. lege *Cataractonem*
l. 37. Verolanum. lege *Verolamium*, & infra
l. 45. Magiovinum. lege *Magiovintium*; & infra
l. 53. Crococolanum. lege *Crococolanam.*

Pag. 743. l. 16. Venno . . . lege *Vennones* M. P. xii
Col. 1. l. 17. Bann . . . . lege *Bannavanto* M. P. xix
Col. 2. l. 2. Cononiumi, lege *Conovium*
l. 39. Sorinod. lege *Sorbiodunum*
Pag. 744. l. 11. Præfect. N. Dir. lege *Verteris,* aliter *Ven.*
Pag. 745. l. 15. Præpos. N. Turn. lege *Lemannis*
Pag. 746. l. 15. Moriduo, lege *Moriduno.*

Cum autem undique conquiſiverim vetera de *Britannia* Monumenta; non debeo hîc omittere celebrem illum Plinii locum, qui repræſentat paucis, quæ fuſius antiqui ſcriptores Græci & Latini de hac inſula memoriæ prodiderant.

C. PLINII LIBER QUARTUS. Cap. xvi.

Britannia inſula, clara Græcis noſtriſque monumentis, inter ſeptentrionem & occidentem jacet: Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, multo maximis Europæ partibus magno intervallo adverſa. Albion ipſi nomen fuit, cum Britaniæ vocarentur omnes, de quibus mox paulo dicemus. Hæc abeſt à Geſſoriaco Morinorum gentis litore, proximo trajectu L. M. minimum; circuitu vero patere tricies octies centena viginti quinque M. Pytheas & Iſidorus tradunt; triginta prope jam annis notitiam ejus Romanis armis non ultra vicinitatem Sylvæ Calidoniæ propagantibus. Agrippa longitudinem Dccc M. Paſſ. eſſe; latitudinem ccc. M. credit. Eandem Hiberniæ latitudinem, ſed longitudinem cc. Mill. Paſſuum minorem. Super eam hæc ſita abeſt breviſſimo tranſitu à Silurum gente XX. M. Paſſ. Reliquarum nulla cxxv Mill. circuitu amplior proditur. Sunt autem xl Orcades, modicis inter ſe diſcretæ ſpatiis. Septem Acmodæ, & xxx Hæbudes; & inter Hiberniam ac Britanniam Mona, Monapia, Ricina, Vectis, Limnus, Andros. Infra vero Siambis, & Axantos. Et ab adverſo in Germanicum Mare ſparſæ Gleſſariæ, quas Electridas Græci recentiores appellavere, quod ibi Electrum naſceretur. Ultima omnium quæ memorantur Thule: in qua ſolſtitio nullas eſſe noctes indicavimus, Cancri ſignum ſole tranſeunte, nulloſque contra per brumam dies. Hæc quidam ſenis menſibus continuis fieri arbitrantur. Timæus Hiſtoricus à Britannia introrſus ſex dierum navigatione abeſſe dicit Inſulam

Mictim

Mictim, in qua candidum plumbum proveniat, ad eam Britannos vitilibus navigiis corio circumſutis navigare. Sunt qui & alias prodant, Scandiam, Dumnam, Bergos; maximamque omnium Norigon, ex qua in Thulem navigatur. A Thule unius diei navigatione mare concretum, à nonnullis Cronium appellatur.

Numerus Hidarum Cis-Humbranarum.]
Ad Auſtrum Humbræ.

Pag. 748. MYrcna] Titulus in Cod. Cottoniano ſic ſe habet, *De numero Hydarum Angliæ in Britannia.*

Mircheneland eſt de triginta M. Hydis ab eo loco ubi primum Mircheneland nominatur. Sic ille codex. Limites autem regni Merciorum deſcribuntur ſupra ad p. 203. Interim quid ſit Hyda ſive Hida apud Saxonas, vide Spelmanni Gloſſarium. Vulgo. Hida eſt tantum terræ, quantum ſufficiat ad unam familiam alendam per annum; vel quantum uno aratro coli annuatim poſſit. Mihi incerta videtur menſura. Sed de hac re alias forte.

1 Wokenſetna] Alius codex; Workenſetna. Populus iſte ſediſſe videtur circa Wirkworth in Comitatu Derbeienſi; eos Beda *Mercios Aquilonares* appellat.
2 Elmed-Setna] Regiuncula in occidentali parte comitatus Eboracenſis circa Leedes. Ejus mentio apud Nennium & Bedam. Hodieque oppidum ibi quoddam dicitur *Barwic in Elmet.*
3 Midlethfelda] Scriptum reperi *Midhethfelda.* Et amplius nihil.
4 Suth Gyrwa] *Auſtrales Paludicolæ.*
5 North-G.] *Boreales Fennicolæ*; ſedebant in *Lincolnia, Norfolcia & Cantabrigiæ* comitatu.
6 Eaſtw.] Forte *Exney* prope *Newmarket.*
7 Weſtw.] *Oxney* prope *Petroburgum.*
8 Wigeſta] Circa *Wigiſt-thorp*, prope *Oundle* in Com. Northamptoniæ.
9 Hereſinna] ſcribebatur in uno libro, *Herſwinna*, in alio *Herewinna.* Sed ubi gentium? an circa *Hereburrow?*
10 Sweordora] Aliter *Sweodora.* Forte *Swerſdelf* in Com. Huntingtonenſi.
11 *Ciſla*] Al. Gyſla. N. L.
12 Wight-gora] Aliter Firgora N. L.
13 Noxgaga] Aliter Hexgaga N. L.
14 Oht-gaga] Aliter Ocht-gaga N. L.
15 Hwynca] Aliter Hinica. An *Wiccia?*
16 Ciltern-ſetna] *Incolebant Buckingamienſem & Oxonienſem pagum.*
17 Hendrica] Circa *Henley* ad *Tameſin.*
18 Unecunga] Ynetunga N. L.
12 Aroſetna] Ad fluvium *Arow.*
20 Fearfinga] Aliter Ferwinga N. L.
21 Belmiga] Aliter Belunlige, & Silimlega N. L.
22 Eaſtwilla] Aliter Eaſtwell & Weſtwell. Quæ ſequuntur, non ſpectant ad *Mercios.*
23 Eaſt-Angle] Aliter Eaſtlega 24. In Columna.
24 Eaſt-Sexena] ſcribe South Sexena. In Col. hujus paginæ ſecunda, poſt *Staffordeſyre*, adde numerum Hidarum, 500. vide p. 560.
25 Heorew-Buran] Aliter *Eorpe-Burnam*, Forte Eaſt-Burn. Infra pro Tyſamburing ſcribe Ciſſanburing; pro Parlingewice, Weringewice. Warwic. in libro Roffenſi Wereburg-wic.

Ad Uberiorem illuſtrationem rerum Saxonicarum viſum eſt hîc ſubnectere rarum quoddam Monumentum, quod olim deſcripſi ex pervetuſto illo codice, qui nunc Roffæ ſervatur, & vulgo TEXTUS ROFFENSIS dicitur.

HÆ SUNT *Genealogiæ per partes in Britannia Regum Regnan.*

Eadwine		Siggar		Oſric	XI
Ælle		Wægdæg		Ceolwlf	XI
Yffe		Woden Frealaſing		Eadberht	XXI
Wuſcfrea				Oſwlf	I
Wilgilſing		IDA regnavit X. annos		Æthelwald	VI
Weoſterwalena		Clapha	I	Alrhed	VIII
Seomel		Odda	VIII	Æthelred	III
Sæfugal		Æthelric	VII	Alfwold	X
Sæbald		Theodred	VII	Oſred	I
Siggeot		Oſred	XI	Item Æthelred	VII.
Swæbdæg		Theonred (Eanr)	II		

PENDA

PENDA regnavit an. XXI.

Peada I
Wulfhere XVII
Æthelred XXIX
Cenred V
Ceolred VII
Athelbald XLI
Egfrid
Oſwio
Æthelfrid
Ætheric
Ida
Eoppa
Eoſa
Æthelberht
Angelgeot
Aluſa
Ingebrand
Wægbrand
Beornic
Bældæg
Woden Frealaſing

ITEM.

Offa XXXIX
Freodwald VII
Fuſſa VII
Æthelfrid XXVIII
Eadwine XVII
Oſwald VIII
Oſweo XXVIII
Egfrid XV
Alfrid XX
Ecgfrid CLI dies.
Cenwulf
Ceolwlf
Beornwulf
Cudwine
Ceolwlf
Leodwald
Ecgwald
Eadelm
Ocg
Idin
Eadberh
Eata Leodwalding.

ITEM Nordanhymbrorum

Alrhed
Eanwine
Byrnhom
Boſa
Blæchmon
Eadric Iding.

ITEM Merciorum.

Athelbald
Alewig
Eopa
Pybbi
Æthered
Penda
Pybba
Creoda
Cynewald
Cnebba
Icel
Eomer
Angelgeot
Offa
Weremund
Withlæg
Weodegeot
Woden Frealaſing.

Ecgfrid Offing.
Offa
Thingferd
Eanwulf
Oſmod
Eopa
Pybba
Ceonwlf
Cudberht
Baſſa
Ceonreow
Centwine
Cudwalh
Cenwald Pybbing.

ITEM

Alfrid
Eata
Eanferd
Biſceop
Beda
Bubba
Cædbæd
Cwædgils
Cretta
Winta
Woden Frealaſing

Freodowlf
Finn
Godwlf Eating
Æthelberht
Withred
Ecgberht
Ærconberht
Eadbald
Æthelberht
Eormiric
Eoſe
Ocga
Hengeſt
Witra
Wihtgils
Wægdæg
Woden Frealaſing

ITEM.

Ælfwold
Aldulf
Ætherric
Erri
Tytla
Wuffa
Wehh
Wilhelm
Hryp
Hrodmund
Trygil
Tytiman
Caſer
Woden Frealaſing.

Yne
Cenred
Ceolwald
Cudwulf
Cudwine
Celin
Cynric
Creoda
Cerdic
Aluca
Giwis
Brand
Bældæg
Woden Frealaſing.

Hæ ſunt Genealogiæ Regum Occid Saxonum.

Eadward & Eadmund & Æthelred Æthelingas, fuere Eadgar Regis filii.

Eadgar
Eadmund
Eadward
Ælfred
Athulf
Ecgberht
Ealhmund
Eava
Eoppa Ingelding.

Ingeld fuit frater Inæ regis Weſtſax. qui regnavit XXXVII. annis. Is Monaſterium pulcherrimum Glaſtoniæ ædificavit, & poſtea ivit ad S. Petrum, ibique mortuus requieſcit. Hujus [V. St. Dunelm] duo fratres fuere Cenredi filii.

Cenred
Ceolward
Cutha
Cudwine
Ceawlin
Cynric
Creoda
Cerdic
Eleſa
Eſla
Gewis
Wig
Freawine
Freodegar
Brand
Bældæg
Woden Frealaſing

Frealaf
Finn
Godulf [Aliis, Geta]
Eata
Tethwa
Beaw
Scealdwa
Heremod
Heraman
Hadra
Bedwig
Sceaf. Seſceſ fuit filius Noæ; natus in Arca. Noa filius Lamechi.
Lamec
Mathuſal. &c. ad Adamum.
Hæc ſtemmata illuſtrari poterint ex Beda; & Alfr. Beverlacenſi, qui tamen nonnunquam ab his diſcrepat; uti & Sim. Dunelmenſis.

Sed nec ab inſtituto noſtro (qui ὕλην hiſtoriæ ſcribendæ colligo) credo erit alienum, ſi hîc ſubtexam. *Succeſſiones Regum Saxonicorum* accuratiores eis, quæ in vulgatis Hiſtoricis circumferuntur.

SUCCESSIO REGUM SAXONICORUM
Secundum Alfredum Beverlacenſem. Ex Cod. MS. Epiſ. Aſaph.

REGNUM CANTIÆ.

1 Edilbertus
2 Eadbaldus
3 Erconbertus
4 Egbrictus
5 Lotherus
6 Edricus
7 Wittredus
8 Edelbrictus
9 Edbertus
10 Cuthredus
11 Baloredus

Regnum ESTANGLORUM.

1 Reodwaldus
2 Eorpwaldus
3 Gilbertus
4 Egricus
5 Anna
6 Adelherus
7 Adelwolos
8 Aldulfus
9 Beorna
10 Edelredus
11 Egelbrutus
12 Edmundus
13 Guthrus
14 Gohric.

Regnum Orientalium SAXONUM.

1 Sabertus
2 Sexredus & Sewardus
3 Sigbertus
4 Sigebertus
6 Suthelmus
6 Sebbi & Sighere
7 Sebbi
8 Sighardus
9 Offa
01 Selredus
11 Sumtredus [al. Swithredus
12 Sigericus
13 Sigeredus
14 Guthrum.

Regnum MERCIORUM.

1 Peanda
2 Wlferus
3 Etheldredus
4 Kenerdus
5 Ceolredus
6 Edewaldus
7 Beorredus
8 Offa
9 Regfercus (al. Egfertus)
10 Kenulfus
11 Kenelmus
12 Ceowlfus
13 Beornulfus
14 Ludecan
15 Wlgafus [al. Wiglafus]
16 Beotulfus
17 Burhredus
18 Ceolwlfus

Regnum BERNICIORUM

1 Yda
2 Adda
3 Clappa
4 Heodulfus
5 Freodulfus
6 Heodricus
7 Edelricus
8 Edelfridus

Regnum DEIRORUM.

1 Elle
2 Edelrit [al. Edelric]
3 Edelfridus
4 Edwinus
5 Oſwaldus
6 Oſwius
7 Egfridus
8 Alfridus
9 Oſredus
10 Kenerdus
11 Oſricus
12 Ceowlfus
13 Eadbertus
14 Oſwlfus
15 Mol, qui & Edelwaldus
16 Alredus
17 Edelredus, qui & Edelbertus
18 Alwoldus
19 Oſredus
20 Edelbric
21 Oſwaldus
22 Eardulfus
23 Osbrict, & Elle
24 Aldene, & Eowils
25 Ragnaldus
26 Sutricus
27 Guthfertus

Regnum

Regnum WESTSAXONUM.

1 Cerdicus	9 Cenſus vel Eſwinus	17 Brictricus
2 Kinricus	10 Kentwne	18 Egbertus
3 Ceaulin	11 Ceadwall	19 Arhulfus vel Atewlfus
4 Celd	12 Ine	20 Adebaldus
5 Ceorwlfus	13 Edelheardus	21 Adelbertus
6 Kyngils	14 Cuthredus	22 Edelredus
7 Cenwalc	15 Sigebertus	23 Aluredus
8 Sexburc	16 Kinewlfus	24 Edwardus.

ANGLIÆ MONARCHIA.

1 Monarcha Adelſtanus	6 Edwardus	11 Hardiknut
2 Edmundus	7 Agelredus	12 Edwardus
3 Eadredus	8 Edmundus	13 Haraldus.
4 Edwius	2 Knut	
5 Edgarus	13 Haraldus	

Conſuetudines & jura, &c. ex Doomſday.

HOc Præclarum juris & conſuetudinum regni Anglicani Monumentum à multis celebratur; à paucis diſtincte & plene intelligitur. De eo igitur pauca, *Notitiarum* inſtar, præfari non importunum fore exiſtimavi.

Multi fuerunt apud Majores noſtros libri vocati Doomeſ-day-bookes, vel Doome-bookes.

1 Ethelredi frater Rex Alfredus totam ſuam ditionem deſcripſit. Hujus deſcriptionis meminere Gul. Thorne, Rad. Dicetus MS. & Ingulphus p. 870, & 908. ubi *Similem multum & talem* fuiſſe *rotulum* dicit, qualem poſtea Gulielmus I edidit, & *vulgariter ab Anglicis cognominatum fuiſſe utrumque rotulum,* Doomeſday. Mox ex priori illa deſcriptione, quam Alfredus fecit, verba nonnulla citat. *Hæc ſedes eſt Abbatia* [*Croyland*] *tempore regis Ethelredi, eſtque ſoluta, &c.* Hæc deſcriptio ab Hiſtoricis vocatur *Rotulus Wintoniæ,* quia *deponebatur. Wintoniæ conſervandus.*

2 Alius fuit liber Doomeſday, quem fecit Gulielmus 1. inter annum 18, & viceſſimum regni ſui. Ut autem prior deſcriptio Ethelredi tempora reſpiciebat, ita hæc poſterior reſpiciebat tempora Edwardi Confeſſoris. Sic enim perpetuo loquitur. *C. tenet Rex W. in dominio &c. valet &c. ibi carrucatæ:* --T. R. E. *valebat.* 1. Tempore Regis Edwardi. Hoc modo Ingulphus citat pag. 908. Hic liber ſimiliter vulgo appellatur *Rotulus Wintoniæ; liber de Theſauro Wintoniæ,* ut conſtat ex Abendonenſi Hiſtorico, tempore H. 1. *Charta de Wint.* Sic liber Elyenſis loquitur, tempore H. 1. *Magna Rolla Wint.* tempore, 1 Richardi, apud Jocel: Brockland.

3 Tertius liber Doomeſday componebatur juſſu ejuſdem Will. 1. Sed reipſa non alius erat à ſecundo; imo aliud tantummodo exemplar, Weſtmonaſterii repoſitum in Theſauro regis. Hinc ſæpe audit *Rotulus Weſtm. Charta de Theſauro: Liber Hidarum Regis:* Doomeſday *Regis-- Liber terrarum Regis. Liber Baronum Regis.* Et quod unus ſit liber cum illo Wintonienſi, patet ex 1 Vol. Monaſtici Angl. p. 272. 60. & Th. Rudburne. Conſtat autem duobus voluminibus, quorum alterum longum & latum, formæ quam vulgo vocant *in Folio.* Hic codex omnes fere comitatus, qui deſcribebantur continet.

Alterum volumen tres tantummodo continet comitatus. Hujus forma eſt *in quarto,* ſcriptura melior & conſtantior, narrationes pleniores, raſuræ pauciores. Sane mihi videtur minus hoc volumen antiquius eſſe illo priori; imo unum reſtare de Pluribus ejuſdem formæ, & molis, quorum fragmenta aliquot me videre memini in Cottoniana Bibliotheca.

Hæc duo volumina Ingulphus, puto, non vidit. Loquitur ille de incorporatione rotulorum, ac ſi nondum in libros fuiſſent redacti. Hujuſce Doomeſdaybook, (qui duobus voluminibus conſtat) accuratum exemplar habet V. H. D. J. Trevor Domus Parliamentariæ inferioris Prolocutor; eo exemplari uſus ſum; & gratus agnoſco.

Ex his duobus ultimis voluminibus ſolebant regni proceres ſuas poſſeſſiones excerpere; & quæ ſparſim diſjectæ per varias regni partes diſſeminabantur in unum, ordine, comportare. Archiepiſcopus Cantuarienſis ſuos Tenentes hinc collegit, ſed in

rotulo deſcripſit; Quod feciſſe eum conjicio, ante quam hi duo codices extarent. Abbatiæ fere omnes ſuos reditus hinc deſumpſere, & in libros digeſſerunt. Croylandenſis, Elyenſis, Wigornienſis liber, in hoc genere, adhuc ſervantur. Comites idem factitarunt; vidimus Comitum Richmondiæ & Norfolciæ terrarum ex Doomeſday deſcriptiones. Hinc etiam ortum ſuum habuit liber ille *Feodorum militum*, quanquam tractu temporis, ex novis inquiſitionibus multum diverſus evaſit.

4 Quartus adhuc Liber Doomeſday aliquando oſtenditur. Servatur & hic apud Taliatores, *in Folio* ſatis magno. Is certe epitomen duorum quæ modo deſignavi voluminum. Habet à fronte multas picturas, & illuminationes quæ ad tempora E. confeſſoris ſpectant. Hæc res impoſuit ei qui notas inſeruit *Regiſtro* quod extat ſub nomine Fitzherbert. Pagina ſiquidem 14 ſcribitur, *Liber* Doomſday *factus fuit tempore Regis Edwardi*. Eodem pacto erravit Ordericus Vitalis p. 678.

5 Quintus liber ſub iſto titulo cuſtoditur Weſtmonaſterii in officio *Rememoratoris Regis*. Hic raro venit in numerum. Nihilque aliud continet, quam noviſſimus ille ſub N. 4.

Hi ſunt libri Regii, Doomeſdayes books, Cum his, ut nunc leguntur, ſi conferas quæ Ingulphus, quæ liber Elyenſis, quæ Wigornienſis, de terris ſuis habent, magnam reperies diſcrepantiam; (cujus ego rationem nunc non indago) & tamen omnes libros iſtos teſtes appellant. Novas agrarias deſcriptiones ejuſmodi moliti ſunt W. Rufus, Hen. 2. Edwardus 1. Quæ tamen non videntur obtinuiſſe, propter nimium rigorem; Nam Gulielmi primi rotulus favorabilior fuit; ut docet Ingulphus. Sunt alii libri, Doomſday apud veteres. *Frater W. de Stow protulit textum magni altaris, vocatum le* Doomſday, *in quo continebatur, quod anno* 24 *Regis, &c.* Regiſtrum de Bury. Habent Decanus & capit: Eboracenſis Eccl. Regiſtrum quoddam vocatum Doomſday; ex eo quædam citantur p. 164. *Monaſt. Ang. Vol.* III. Habuere & Londinenſes ſuum librum, eo nomine, de quo Joan. Stow p. 534. Habuere Impp. Romani, & Galliarum Reges ſimile quoddam *fiſcale rationarium*. De eo agit Gul. Brito Armor. p. 279. Habuere denique & Siciliæ reges, quod conſtat ex conſtitutionibus Siculis, *in Codice Legum antiquarum*.

Quantæ ſit auctoritatis Liber Doomſday, quem Gulielmus Normannus fecit, in cauſis de *Antiquo dominico* dirimendis, nemini fere ignotum eſſe poteſt. Illud moneo à paucis obſervatum, ipſum Gulielmum, auctoritate hujus libri, ſæpe victum & cauſa cecidiſſe, & paruiſſe iis, quæ in eo contra ſuam voluntatem, & minus juſtam poſſeſſionem decernebantur. Nimirum *Haraldum & partes ejus Victor ille ſubegit; jura, & leges, & conſuetudines populi Anglicani non ſuſtulit. imo iiſdem ſe ſubmiſit. Nihilque amplius ſibi licere voluit, quam aliis. Nec cuiquam Anglo ademit aliquid quod leges ei non adjudicabant.* Paucula hæc nunc dixiſſe de Doomſ-day-book ſufficiat; nam aliam benigniorem occaſionem de eo tractandi conceſſum iri ſpero.

FINIS.

I N D E X
R E R U M
E T
V E R B O R U M.

In hoc Indice A, Æ, E, EA *&* E: I, *&* Y: C, *&* K.
Promiſcue uſurpantur.

A.

AAron Martyr. pag. 11. lin. 32. 555. 42.
Abbas Rameſienſis Radulpho Comiti Villam de Cranefeld concedit. 458. cap. 116
Abbatia de Bello 286. 17
Abbas Winchelcumbe 412. cap. 39
Abbates Mulchelniæ Athelingiæ 331. 1
Abbatum Eccleſ. Glaſton. Nomina 328. lin. 17
Abbo ex Floriaco in Angliam evocatur 400. 34. Tandem fit Abbas Floriacenſis. 400. 41. 267. 26. Vitam Sancti Edmundi Regis & Martyris deſcripſit 267. 24
Abboteſdelf, nunc Biſcopeſdelf. limes Inſulæ Elyenſis 490. 15
Abendon 238. 45
Abircornyng Monaſterium, ibi Murus per tranſverſum Inſulæ incipit 623. 8
Abiſa Germanus accerſitus advenit in Britanniam. 107. 47
Accan Presbytero Cœnobium in Haguſtaldeſe regendum datur à Wilfrido Epiſcopo 88. 31
Accidentia diverſa poſt Chriſti incarnationem 599. 22
Acford 317. 34
Achay Rex ſuccedit Selwalthio 651. 19. primus amicitiam Gallorum Regum mediante foederis vinculo ambit. 651. 24
Acleia 459. 113
Sanctus Adamnanus Scotus floret & pollet miraculis 648. 39
Adda regnat ſuper Bernicios 225. 44
Adeling unde 275. 8
St. Adelinus 239. 52
Abbas apud Shirburn 244. 30
Adelmi baculus aridus miraculosè frondeſcit 357. 49. Miraculorum teſtes 357. 36. vid. 369. 50. 370. 22
Adelwlfus Rex Occidentalium Saxonum decimam totius Regni ſui partem ab omni regali ſervitio & tributo liberat 156. 15
Adelwoldus Præſul emit Lindune 466. 39
Adheredus Comes 172. 35
Adheredus Rex 163. 9. Sepelitur 164. 11
Adhelbaldi Regis conjuratio contra Adelwlfam 156. 26
Adhelberihtus ſepelitur 156. 26
Adhelbrictus Cantiam, Suthrigiam & Suth ſeaxum ſuo Domino ſubjungit 158. 31
Adhelſtan Rex, Normannorum exercitum occidit 155. 49
Adhelwoldus Rex eligitur à Paganis Danis 174. 23
Adhelvolfus Rex Occidentalium Saxonum 155. 18. Pugnat contra Paganos 155. 42. Filium ſuum Alfredum honorifice Romam tranſmittit 155. 53. Sepelitur 158. 30
Adhelvolfus Bearroccenſis Comes paganis obviat 163. 4. occumbit 163. 16
Adhered Comes venit ad Beamfleatam 172. 22
Adhulphus Comes 174. 27
Adiltruda uxor Egfrid 176. 26. 716. 26
Adlectus varia infert mala Britanniæ 610. 30
Adlingia inſula 669. 34
Adrianus Sancti Petri Abbas & Cooperator Theodori Archiepiſc. obit. 245. 53
Adrianus Papa obit 154. 38
Adthelard Benefactor Eccleſiæ Glaſtonienſis 327. 17
Adthelmus primo Wellenſis Epiſcopus, deinde Archiepiſ. Cantuarienſis 324. 47
Adulphus & uxor ejus vendunt prædam

Abbati Elyenſi 474. 30
Æbba Abbas 88. 1
Æbbe Abbatiſſa 71. 18
Æbbe Sanctimonialis à Wilfrido Epiſcopo Sanata 70. 24. & 43
Ædan Epiſcopus 768. 13. 715. 22
Ædbertus Rex 725. 43
Ædde Cantor. 58. 46
Æddingus vendit Monaſterio Elyenſi 70. Acras in Wilbertune 475. 20.
Ædelburga Abbatiſſa 85. 2
Ædeldredæ Virginis Reginæ Corpus à Sancta Sexburga tranſlata invenitur 489. 31
Ædeldrydæ Cœnobium Elyenſe commendatur 465. 4. imo tota Inſula offertur 465. 30. item Hatfeld 465. 41
Ædelfleda uxor Brithnodi Ducis Northimbr. Manerium de Ratendune donat Eccleſiæ Elyenſi 494. lin. pen.
Ædelfleda uxor Ædelſtani Ducis multa prædia largitur Eccleſiæ Elyenſi 495. 7
Ædelredus donat 20. manſas Monaſterio Elyenſi 492. 46
Ædelſtanus Epiſcopus Helmanhenſis prædium de Dringeſtune donat Eccleſiæ Elyenſi 495. 41
Ædelwoldus Epiſcopus renovat Coenobium Elyenſe 463. 36. introducit Monachos in illud 464. 34. emit totam Inſulam Elyenſem à Rege Edgaro 465. 17. acquirit Monaſterio Elyenſi Manerium Lindune & alia 466. 29, item alia prædia in Stretham 467. 12. & in Dunham 468. 29. emit Havekeſtune à Rege Edgaro 480. 6. emit plurimas poſſeſſiones 466. 29. 467. 7, 8, 9, 10. 479. 36
Ædericus de Caedeberi donat Eccleſiæ Elyenſi 497. 7
Ædes Cœnobii Rameſienſis demolita reædificatur in melius 418. 32
Ædgarus Rex Cœnobium Elyenſe petentibus denegat 464. 30. dat Æthelwaldo Manerium *Sadburne* 485. 31. ejus privilegium 423. 57. ejus proſapia 388. 4. obit 411. 31. vid. Edgarus.
Ædgitha filia Godwyni uxor Edwardi Regis 450. 43
Ædgyna Avia Regis Ædgari legat cuidam Matronæ nobili Ælfrred 5 hydas 481. 30
Ædmundus Rex eligitur 433. 7. dolo Ædridi perimitur 502. 18
Ædmundus Yrenſide vide Eadmundus
Ædnodus Abbas Rameſienſis Eccleſiæ extruit Eccleſiam in Slepa 497. 32. transfert Yvonis corpus in Eccleſiam Rameſienſem 497. 31. promovetur in Epiſcopum Lincolnienſem 497. 33. occumbit in Bello 497. 42. 502. 12
Ædnothus inſtituitur rei familiaris Præpoſitus 394. 39. fit Prior Rameſiæ 400. 24. acquirit prædia Eccleſiæ Rameſienſi. 413. 19. 415. 27. in Epiſcopum Dorcaſtriæ conſecratur 447. 14. Benefactor Coenobii Rameſienſis 452. 38. Obit & ſepelitur 452. lin. penult. in prælio occiditur 433. 26. Elyenſes ipſius Corpus auferunt 433. 33
Ædnothus junior adjungitur Ædnotho Seniori in adminiſtratione rei familiaris 420. 16. ordinatur in Abbatem Eccl. Rameſ. 429. 21. A. B. Alphege 429. 20. Conſecratur Epiſcopus Eccleſiæ Dorcaſtrenſis 431. 44. emit terram apud Stapeford 415. 46
Ædnothus dives terram de Acleia dono dat Eccleſiæ Rameſienſi 459. 10
Ædricus Patriæ proditor, doli Artifex 433. 15. ipſius inſidiæ 502. 10
Ætſwina-watha 75. 28
Ædthelbald Rex Benefactor Eccleſiæ Glaſtonienſis 327. 20
Ædthelwlfus Rex Benefactor Eccleſ. Glaſton. 327. 14
Ædward Æthelredi filius junior in Regem eligitur 450. 30
Ægelberchtus Epiſcopus 57. 26
Ægelesthren locus pugnæ in qua cecidit Horſa 143. 20
Ægelmarus Eſtanglorum Epiſcopus 516. 30. ipſius filius vendit Monaſt. Elyenſi 7 acras 477. 6
Ægelnothus Abbas 326. 2
Ægelricus Epiſcopus Monachus Glaſtoniæ 325. lin. 40
Ægelwinus promittit ſe daturum nummos pro terra Wambford 480. 39
Ægelwinus Alderman 484. 17. & 23. pagum Hathfeld vindicat 466. 2
Ægilbertus Epiſcopus 55. 27. & 55
Ægliſtrop locus pugnæ 223. 44
Ægypti Reges ordine ſuccedentes uſque ad Pharaonem Patrem Scotæ 571. 1
Æigleſtorp 143. 19
Ælbertus Epiſcopus 727. 54
Ældeſwida Monaſterium Elyenſe intrans tradit dict. M. E. Stevecheworde 508. 6
Ælfegi Martyris & Archiepiſcopi Corpus ſepelitur ab Ædnodo Epiſcopo 497 39
Ælfelmus donat Villam de Waratinge Eccleſiæ Sanctæ Ædeldredæ 499. 8
Ælfgarus Epiſcopus Helmhemanſis Ædnodi corpus clam aufert & furtim Sepelit 497. lin. ult. conſpicit B. Dunſtanum in Viſione 498. 19. emit poſſeſſiones in Brandune & Liuremere 485. 23
Ælfgarus de Muletune dimittit Wulſtano poſſeſſiones 484 46
Ælfgina Uxor Regis Edmundi 389. 34.
Ælfleda Regina Edwardi Regis dat Wintburnæ 10 hidas Eccleſiæ Glaſton. 316. 44. 317. 35
Ælfleda Virgo & Abbatiſſa 74. 4. 85. 21. 86. 5. & 23
Ælfredus Rex filiam Ducis Mucill in uxorem ducit 159. 22
Ælfredus frater Edthelbaldi Regis dat Eccleſiæ

ecleſiæ Glaſton. crucem de ligno Domini 327. 20
Ælfſtanus Epiſcopus Monach. Glaſton. 325. 39
Ælfred donat Sanctæ Edeldrydæ prædium 481. 33
Ælfwenna Soror Ædnodi Epiſc. 497. 37
Ælfwinus puer offertur Eccleſ. Elyenſi cum multis poſſeſſionibus 499. 29. Monachus 496. 36. ejus promotio 451. 2. vid. 717. 6
Ælfwinus Elmanhenſis Epiſcopus 503. 5
Ælſinus vel Ælfſinus reliquia ſacræ Virginis Wendredæ infert in Eccleſiam Elyenſem 500. 4. ſed amittuntur 502. 16. à Rege Ædeldredo poſſeſſiones pretio obtulit 500. 18
Ælſinus Abbas Elyenſis obit 502. 42
Ælſius Abbas Elyenſis Brithonodo Martyri ſuccedens 492. 30
Ællwitha confert in Eccleſiam Glaſtonienſem reliquias Sancti David & Sancti Patricii 299. 29
Ælwinus Epiſcopus Monachos apud Betricheſworde primum locat. 506. 9. relicto Epiſcopatu redit ad Elyenſe Cœnobium 506. 18
Ælwredus & Ædwardus Ædelredi Regis filii nefarie produntur 508. 35
Æneas 99. 6
Æneas Silvius regnat 213. 4
Ænulfus Comes Benefactor Eccleſiæ Glaſtonienſis 316. 28
Æona Cantor 58. 48
Ærnketel & Wilfrune poſſeſſiones donant Eccleſiæ Rameſienſi 409. 35
Æſceſdum 163. 19
Æſcuinus regnat 146. 45
Æſelwius Epiſcopus Dorcaſtrecenſis 422. 17
Æſumen de Staneie Vidua dat terram & Piſcationis jus Wlſtano Staneie 475. 29
Æthelbald R. Benefactor Eccleſ. Glaſton. 313. 36. 327. 3
Æthelbertus Northumbriæ Rex 652. 30
Æthelbrytus Rex Cantuariorum obit 143. 56
Æthelwythus Rex Orient. Anglorum occiditur 154. 36
Ætheldredi obitus 433. 72
Ætheldrida habet poſſeſſiones apud Wicham 474. 19
Æthelgeova Abbatiſſa 173 42
Æthelgiva Matrona aliqua donat Cœnobio Rameſienſi 60 acras & unam virgatam terræ & 8 hydas. 404. 10
Æthelgiva Comitiſſa 406. 36
Æthalingaeig 167. 41
Æthelingaeige Monaſt. 173. 7
Æthelredus Rex 77. 11.
Æthelredus Rex ſuccedit Edwardo Regi 414. 3. Benefactor Eccleſiæ Rameſienſis 414. 14
Æthelredus Regis Ædgari filius vita cedit 433. 4
Æthelredus Rex Northumbriæ à ſubditis proditoriè perimitur 652. 36
Æthelredus Comes moritur 174. 55
Æthelredus & Athelbrithus Martyres Rameſiam transferuntur vid. Ethelredus 405. 32
Æthelſtanus Rex 482. 4. Benefactor Eccleſiæ Malmesbyrienſis 389. 27. fato fungitur 389. 21
Æthelſtanus Abbas Cœnobii Rameſienſis eligitur 436. 23. 449. 14. notum facit Hilwino Aldermanno quod de ſuis poſſeſſionibus diſpoſuit 407. 29. trucidatur 451. 21
Æthelſtanus Ærnketeli filius Eccleſiæ Rameſienſis Abbas 410. 19
Æthelſtanus Presbyter Monaſterii Horninggeſei 482. 7. ſuccedit Herulfo 482. 25. Perjurus 483. 8
Æthelſtanus Manveſſone Benefactor Eccleſiæ Rameſienſis 407. 6
Æthelſtan Halfbyng quis fuerit? 387. 15
Æthelwaldus factus Epiſcopus Lindisfarn. Eccleſiæ 141. 28
Æthelwaldus Rex Northumbriæ à ſubditis è medio tollitur 652. 31
Æthelwinus quis fuerit? 387. 4
Æthelwinus dat donaria Eccleſiæ Rameſienſi 404. cap. 24
Æthelwlfus Rex decimam partem terrarum ſuarum dat Eccleſiæ 316. 22
Æthelwol Ep. Wint. 321. 17
Æthelwoldus 387. 32. poſſeſſiones emit ab Ædrico Daco 487. cap. 59. Abbas Abbendoniæ præficitur Sedi Wintonienſi 393. 7. Hic & Brihtnothus quærunt ſibi vendi duas Hydas in Dunham 471. 18
Æthelwoldus Epiſcopus comparat poſſeſſiones apud Webrygge 485. 50. emit grantedene ab Henrico de Waneting 487. 8. Terras & molendina offert Ætheldrydæ 486. 51
Æthelwynus Dux fundator Cœnobii Rameſienſis 401. 15. dotat Eccleſ. Rameſ. 464. 23
Æthericus Epiſcop. Dorcaſtriæ 437. cap. 81. familiaris eſt Chutoni Regi 438. lin. 13. dat donaria Eccleſiæ Rameſ. 438. 27. Felicem de Seham Rameſiam transferri jubet 437. lin. penult. Accuſationis falſitatem deprehendit 435. 19. Benefactor Eccleſiæ Rameſienſis 443. 33. 445. 21. 445. 27. obit. 447. 21
Æthfridus Abbas Monaſterii Glaſtonienſis 313. 5
Æthildrit Regina domino dedicata 62. 38 408. 30
Ætius Conſul Romanus 627. 25
Ætſtoihe 520. 14
Æylwyni Ducis elogium 395. 27. viſione fruentis 397. 31
Affa Benefactor Eccleſ. Rameſienſis 308. 8

Africanus Burmundus Rex advocatur ex Hibernia 225. 24
Africanus Burmund. Careticum fugat 225. 27
Agatho Papa 48. 12. 65. 41. 74. 29
Agelricus Epiſcopus Dunelmenſis Epiſcopatum relinquens Monaſterium de Burgo ingreditur 282. 16
Agilbertus præficitur Eccleſiæ Wintonienſi 233. 36. Præſul Weſtſaxonum 237. 14. venit ad Nordanbymbros 237. 14. recedit in Galliam 239.30. ordinat Wilfridum tunc Abbatem Rippenſem in Presbyterum 237. 15
Agitius Conſul Romanus à Britonibus imploratur 14. 15
Agned Cathregonion mons 114. 34
Agrilius ordinatur Presbyter 113. 4
Ahelmus 730. 36
Aidanus Epiſcopus 231. 10. & 16. dat equum Pauperi Eleemoſynam petenti 234. 54. moritur 235. 12. ejus anima in Cœlum fertur 235. 12
Ailſgiva 321. 13
Ailſſio Monaſterii St. Auguſtini Abbati cura Abbatiæ Rameſienſis demandatur 461. 10
Ailricus Monaſter. Rameſienſe intrat, bonis ſuis inter Religioſos diſtributis 446. 34 Benefactor Eccleſiæ Rameſienſis 445. 37. 446. 40
Ailwardus Abbas tumulum Edgari Regis irreverenter effodiens amens fit & fracta cervice expirat 267. 46
Ailwardus Ailwyni Aldermanni filius in prælio decumbit 433. 21
Ailwinus niger munificus erga Eccleſiam Rameſienſem 457. 34
Ailwinus Cœnobii Rameſienſis Advocatus 393. 32. ejus Epitaphium 462. 24
Ailwinus & frater ejus Alfwoldus defendunt Eccleſiam Rameſienſem ab invaſione illicita 412. 15
Ailwyni Ducis Oratio die Dedicationis Eccleſiæ Rameſienſis 422. 21
Ailwyni Fundatoris Oratio coram Fratribus Cœnobii Rameſienſis 426. 42
Ailwynus vid. Æthelwinus
Alabaſtrum in Scotia reperitur 591. 26
Alani rebellantes debellantur à Sicambris 632. 56
Albanactus filius Bruti poſſedit Scotiam 589. 15. occiditur 212. 156
Albania 569. 31. regnum Albanacti 590. 24
Sanctus Albanus Verulamenſis Proto Martyr 11. 32 & ſeqq. 142. 47. Martyrizatur 142.46. 218. 4. 219. 3. 555. 40
Albinus qui & Alcuinns, Vir omnium Anglorum poſt Adelmum & Bedam doctiſſimus Franciam adit 252. 39. apud Sanctum Paulum de Cormarico quieſcit 252. 49. ſuccedit Adriano 245. 7
Albion Inſula 517. 7. 569. 41. ejus ſitus & nominis mutatio 587. 1. à Pictis & Scotis prius poſſeſſa 584. 15. 587. 32. à Britonibus inhabitata 589. 37
Alchæræ Comes & Hinda contra Paganos pugnant 156. 2
Alchſwytha Regina Mater Regis Eadwardi fato fungitur 174. 46
Alcluit Urbs 220. 28. 622. 46. ibi murus tranſverſus terminatur 623. 9
Alcmundus R. Alredi filius 250. 44. Martyr occumbit 252. 34
Alcmundus ſive Eathelmundus Pater Egberti, contemporaneus Regi Offæ & Kenulfo 530. lin. ult. Eathelmundi ſorores in Saxoniam mittuntur à Patre Eaſi 531. 3
Alcuinus 250. 7. 750. 41
Aldelinus vid. Aldelmus
St Aldelmus vel Aldhelmus Shirburnenſis Præſul regis Inæ nepos vocatus fuit Aldelinus 244. 56. 338. 4. 337. 20. Obit 244. lin. penult.
Abbas Meldunenſis Cœnobii 245. 4. Epiſcopus 245. 24. ejus miraculum circa diductam trabem 350. 7. vid. l. 32. circa Eccleſiam Dorcatenſem nunquam pluvia madentem 350. 32
Aldelmi miraculum circa Caſulam in ære à terra ſuſpenſam 351. 3. circa Infantem novem dierum loquentem 351. lin. penult. & Altare marmoreum factum 353. 28. circa tempeſtatem Maris ſedatam 355. 23 & ſeqq. ejus Scientia & gens 338. 4
Aldermannus filios hortatur 426. 41
Aldgelſus Rex Freis ſe pecunia corrumpi in exitium Wilfridi non patitur 64. 40. vid. Algiſus Rex
Aldhelmus Epiſcopus moritur 151. 48
Aldhumus Abbas 317. 18
Aldredus Eboraci & Wigorniæ Epiſcopus 261. 26. 283. 40. præcipuum Monaſterium reparat 261. 26. ad Imperatorem Henricum ſecundum ablegatur 280. 51. proficiſcitur Hieroſolymam 282. 35
Aldredus Abbas apud Ganriſtock in ſedem Wigorn. ſuccedit 278. 38. 282. 40. Wulſtanum facit Wigorniæ Præſulem 282. 58
Aldwenus Rex Armoricæ Britanniæ 220. 50
Alſaxonum genus 115. 3. vide Ambrones.
Aldhunus Abbas Monaſt. Glaſton. 317. 17
Aldunus Lindisfarum Epiſcopus moritur 275. 28
Alefſtanus Presbyter decipit Brichnothum Aldermannum 483. 37
Alfara Dux Benefactor Eccleſ. Glaſton. 322. 14
Alfelmus donat Eccleſiæ Rameſienſi 408. 8
Alfelmus Epiſcopus Dorcaſtr. 431. 47
Alferus Princeps ſeu Comes Merciorum

rum 269. 3
Alfgarus Benefactor Cœnobii Rameſienſis 404. 4
Alfgiva Mater Regis Hardecnut 449. 3
Alfildæ Comitiſſæ Donaria Eccleſiæ Rameſienſi data 408. 32
Alfinus Lugdunenſis Epiſcopus interficitur 245. 48
Alfnothus filius Godingi litem movit fratribus Rameſienſibus de prædio quodam 415. 37. 416. 30
Alfnothus Epiſcopus 401. 5
Alfredus filius Regis Egelredi & Emmæ à Godwino captus & oculis privatus paulo poſt moritur 277. 4
Alfredus frater Athelbaldi donat Eccleſiæ Glaſtonienſi 316. 35
Alfredo Regi parum remanet 669. 31
Alfredus Æthelredi filius miſerabili morte obit. 450. 33
Alfredus alias Ealfredus ultimus filiorum Ethelwlf Regis Weſtangliæ 534. 49. redarguitur a Subulci uxore 357. 25
Alfridus Wilfrido concedit Cœnobium 55. 16. Egfrido ſuccedit 242. cap. 29
Alfridus Northimbrorum Rex moritur 244. 38
Alfridus Magiſter ad R. Aldfridum mittitur 84. 20
Alfridus Rex ultra Umbrenſium reſtituit Wilfrido ſedem ſuam Epiſcopalem 74. 48. iterum ea expellit 75. 11
Alfridi Regis Obitus 85. 4
Alfritha uxor Renulphi R. M. genuit Quendridam, Burgemldam, & St. Kenelmum 251. 54
Alfſius Epiſcopus 446. 37
Alftreth Matrona rogat Regem Ædgarum 486. 4.
Alfwoldus Cridienſis Epiſcopus Monaſt. Glaſton. 325. 34
Alfwara Matrona nobilis dat Sancto Benedicto Rameſiæ terram de Haliwelle 428. 17
Alfwardus de Clauſtro Rameſiæ aſſumptus præficitur Abbatiæ Eveſhamæ 447. 22. Conſtituitur EpiſcopusLondinenſis 448. 1. ipſius preces pro ſedanda tempeſtate Maris 448. 8. & ſeqq. fit leproſus 451. 40. pretioſa dat Cœnobio Rameſienſi 452. 26. moritur 451. 41
Alfwen uxor Æthelwini 387. 17
Alfweane mater Ducis Æthelwyni 405. 6
Alfwinus Regias literas obtinet pro Eccleſia Rameſienſi 453. 36
Alfwinus habitum monachalem induens donat Eccleſiæ Rameſienſi 416. 38. Abbas Rameſienſis 451. 32. ſibi & ſuis libertatem acquirit 455. 31. concedi ſibi obtinet quatuor Maneria 455. 28. privilegium à Leone Papa obtinet 458. 17. ejus ſolicitatione Edwardus Rex confirmat Donationes ſuas 453. 38
Alfwodus Rex Northymbrorum 530. 40
Alfwoldus Rex N. 250. 55. occiditur 251. 40
Alfwoldus ultimus Shireburnienſis Præſul obit 280. 14
Alfwoldus 387. 32
Alfwoldus donat Eccleſiæ Rameſienſi 408. 18
Alfwoldus de Metanlege à contractu cum Ædelwoldo Epiſcopo celebrato recedere vult 467. 36
Alfwoldus cognomine Groſſus cum uxore ſua terram venum offerunt Brithnotho Abbati Elyenſi 472. 13
Algarus Regulus 249. 34. Herefordiam capit & ſeptem Canonicos occidit 287. 4
Algarus Villam Eſtre Eccleſiæ Elyenſi aufert & retinet 512. 26
Algarus filius Leofrici Comitis Merciorum ſine culpa in exilium mittitur 281. 4. 282. 31
Algarus filius Elfrici 270. 54
Algiſus Freis Rex cum multis millibus ſubditorum ſuorum ad fidem Chriſti Convertuntur & Baptizantur à Wilfrido 64. 26
Alhſtanus Epiſcopus Monach. Glaſton. 325. 27
Allectus à Senatu mittitur ad Carauſium interficiendum & ejus loco regnat 218. 38. exhortatio 610. 40
Almari Diaconi traditione Urbs Cantuaria incenditur 272. 18
Almer Epiſcopus Monaſt. Glaſton. 325. 42
Alne fluvius 242. 8
Aloredus Rex Northymbrorum ex proſapia Idæ 529. 48
Alphegus ex Monacho & Priore Glaſtoniæ Bathoniæ Abbas, deinde Epiſcopus Wintonienſis, poſtremum Archiepiſcopus Cantuarienſis 325. 12
Alpinus Rex bellum à Prædeceſſoribus contra Pictos inceptum continuat 658. 33
Alredus Rex Northymbrorum 250. 48
Alſtanus Shireburnenſis Epiſcopus obit 254. lin. ult.
Altare St. Davidis, quod vulgo dicitur Saphirus 305. lin. 7
Altfridus Rex 718. 4. 722. 17
Aluhfridus Magiſter 88. 8.
Aluredus Rex Northymbrenſium expellitur regno 250. 46. ejus proſapia 256. 30
Aluredus Monarcha Weſtſaxonum Scholas publicas variarum Artium Oxoniæ primus inſtituit 256. 1. &13. ejus encomium 256. 40. cum Danis confligit 257. 11. viſione fruitur 257. 50. obit. 259. 17
Aluredus filius Athulfi 253. 30. ad San-

ctam Modwennam mittitur 254. 1
Aluredus filius Ethelwulfi Regis Weſtſaxonum 254. 19
Aluredus quartus natu regnat 256. 1. vocat ad ſe Sanctum Grimbaldum Monachum, & Johannem etiam Monachum 256. 34. pugnat contra Normannos 172. 14
Aluredus quartus natu Danos fugat 257. 32. 259. 5. Cum Danis apud Wilton pugnat 257. 11. primus Monarcha Angl. 535. 1. 718. 4. vitam incertam & inquietam ducit in Somerſetenſi pago 257. 38. reſtaurat Londinum 169. 28. Ethelingum redit. 258. 5. Radingum adit 163. 9. proditus eſt 479. 14. obiit 159. 17
Aluredus Rivalenſis deſcripſit vitam Regis Edwardi 284. 28
Aluricus filius Hrerici vendit prædium Monaſterio Elyenſi 471. 27. accepit 3 hydas de Cypenham 472. 14
Alwinus Epiſcopus in carcerem conjicitur 277. 50
Alwinus Lichfeldienſis Epiſcopus obit 248. 30
Amatheus Sanctus Epiſcopus 112. 55. 114. 1
Ambio Rex Galliæ interficit legatos Romanorum 596. 6
Ambrii Cœnobium 222. 53
Ambrones à Paulino Archiepiſcopo Ebor. Baptizantur 115. 3
Ambroſius Aurelianus 17. 2
Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus clarus habetur in Catholicorum dogmate 104. 39
Amonde amnis 680. 34
Amrynkyleth Rex ictu ſagittæ vulneratus occumbit 649. 46
Analafus & Godefridus Principes Northumbriæ 672. 16
Analafus ex Hybernia revocatus conſtituitur Rex Northymbrorum, ſed perjurus expellitur 673. 33
Analafus Barbarorum Dux 389. 4
Analoniæ Vallis 225. 34
Andefridus Scotorum Regis auxilio ſuffultus paternum recuperat 643. 3. fit Apoſtata 643. 7. & 15
Andilegum Urbs Gallica 233. 19
Andovera prope Wintoniam 268. 42
Andragius Caſſibelani urbem occupat 215. 24. Julium Cæſarem in Britanniam advocat 215. 37
Andragius & Tennancius filii Regis Lud. immaturi videntur ad Regnum 215. 31
Andreadeſweald Sylva 172. 5
St Andreæ Apoſtoli reliquiæ Conſtantinopolim transferuntur 614. 12
Andreas Epiſcopus Oſtienſis 66. 6
Andreſeia Inſula 254. 8
Androgius Dux 141. 35
Angelus Domini Regulum Abbatem cum ſociis mandat boreales Mundi partes adire 614. 35
Angelus librum vitreum manu tenens apparet St. Columbæ 638. 4
Angli 222 9
Angliæ diviſio 274. 44
Anglia pene tota Scotis & Danis ſubjecta 669. 18. diu vexatur à Danis 682. 27. variis Dominis ſuccumbit 669. 30
Anglica Gens vocatur Gewis 535. 12
Anglis per Danos Clades illata 682. 11
Anglorum mores 681. 45. internecio & diſperſio 16. 39
Anlaf filius Sichtrici Rex Hyberniæ Oſtium Humbræ cum claſſe intrat 262. 52. ſub ſpecie Citothariſtæ tentorium Ethelſtani ingreditur 263. 1. in via occidit Epiſcopum 263. 11
Anna filius Eni fratris Redwaldi 146. 31. in regnum ſuccedit Sigeberto Orientalium Anglorum Regi, & occiditur à Penda 146. 32. 232. 26. 236. 1
St Anniani Capella 592. 31
Annonus 374. 18
Anthenor Trojanus proditionis accuſatur 532. 40
Antonius verus regnum ſuſcipit 142. 21
Apis filius Phoronei Rex Argivorum 576. 17. Diis aſcribitur, poſtea dictus fuit Serapis 583. 5
Apuledran 172. 4
Aquilonalium Rex invitatur ad Synodum 85. 17
Arator 730. 41
Arcadius imperat 142. 53
Archelais 218. 53
Archiepiſcopi & Epiſcopi de conventu Glaſtoniæ 324, 325, &c.
Ardulphus Rex Northymbrorum uno anno regnat 357. 45
Ariana hæreſis 12. 12, &c. Britanniam inficit 219. 13
Ariſtoteles 730. 39
Armoricum regnum Conono Meriodok traditur 617. 12
Arnulfus imperator Carolo Imperatori ſuccedit 669. 40. Normannos proſternit 670. 13. à pediculis conſumitur 670. 18. obit 172. 48. 671. 2
Arnulphus Galliarum Epiſcopus appellitur ad littora Britanniæ 244. 17
Arnulfus & Ogmar Yberni 297. 27
Arthgallo regnat 114. 49. per populum expellitur 214. 50. moritur 215. 1
Arthurus filius Uterpendragon in regno ſuccedit 636. 10. factione quorundam 635. 44. ex Igerna natus 224. 51. ejus encomium 636. 11. ejus bella 114. 19. Belliger apud Britones 225. 8. in obſidione montis Badonici nongentos hoſtium ſolus profligavit 225. 20. ſolus proſternit uno die 840. Barbaros 114. 36.

dat

dat Cerdico Hamptеſhiram & Somerſetam 225. 25. Munificus erga Eccleſiam Glaſtonienſem 307. 27. 326. 31
Arthurus cum Mordredo confligens vulneratur 558. 50. moriturus diadema regni ſui Conſtantino concedit 225. 17. occidit & occiditur 225. 34. & ſeqq. 635. 52. ſepultus jacet in Eccleſia Monaſteriali de Glaſmbery 637. 3. ejus corpus inventum anno 1080. 225. 35
Arviragus Rex Britonum tributarius fit Romanis 600. 39. ducit filiam Claud. Cæſaris 600. 42
Aſcanius Album condit 99. 9
Aſclepiodorus in Regem evehitur 218. 42
Aſcwelle Villa 444. 26
Aſcwinus Epiſcop. 422. 23
Aſer Epiſcopus Sciréburnenſis 174. 47
Aſkecillus Archiepiſcopus Eboracenſis 267. 15
Aſſchedonium mons 255. 34
Aſſendum Mons 502. 9
Asſhednum 236. 34
Athanaſius 730. 32
Athelardus Rex donat Eccleſiæ Glaſton. 326. 50
Athelbald filius Æthelwlfi Benefactor Ecclеſ. Glaſtonienſis 316. 32
Athelbertus filius Athulfi Regis 532. 20
Athelbrihtus Rex Cantuariorum Regnum obtinet 143. 42
Athelbrithus vid. Æthelredus.
Atheldrita Regina ædificat Monaſterium apud Ely. 146. 42. moritur 146. 50
Athelfleda uxor Alwyni vel Æthelwyni 405. 13. 404. 38. donat Cœnobio Rameſienſi 404. 45
Athelgiva Comitiſſa donat Cœnobio Rameſienſi 406. 33
Athelherdus ſuccedit Inæ 152. 4
Athelingeia Clitonum Patria 537. 7. 538. 11
Athelingia 331. 1
Athelinton Villa dono data Eccleſiæ Rameſienſi 441. 19
Athelmus Archiepiſcopus Dorobernenſis 388. 19
Athelredus 414. 44. Rex Merciorum fit Monachus 147. 42
Athelſing 387. 32
Athelſtanus Rex filius Edwardi Regis nothus ex Opilionis filia genitus 671. 37 bellum gerit cum Analafo Sithrici filio & Scotorum rege Conſtantino 672. 22. in itinere ſuper Altare B. Johannis Beverlaci ponit cultellum digno pretio redimendum, ſi victor rediret 672. 48. caput debellati regis infigitur ſudi ad ſpectaculum 665. 20. 666. 42. obit. 673. 15
Athelſtani fuerunt tres 665. 33
Athelſtanus filius Manne legat C. Acras in Walde Cœnobio Elyenſi 474. 12
Athelſtanus Hungi filius 665. lin. ult.
Athelwerdus Abbas Meldunenſis 367. 51
Athelwoldus Epiſcopus Wintonienſis Monachus & Prior Glaſton. 325. 37. & Abbas Abbendoniæ 393. 7
Athelwynus Epiſcopus Wintoniæ 405. lin. 28
Athnebard locus prælii 683. 17
Athredus vid. Baldredus.
Athulfus ſive Ethelwlfus traditur St. Swithuno literis & bonis moribus inſtituendus 531. 54. Filius Egberti Regis 253. 34. Rex Weſtſaxonum ante Regnum ſuſceptum Subdiaconus fuit 253. 34. vide Ethelwlfus
Attila Rex Hunnorum 627. 33
Avalloniæ Inſula, i. e. Glaſtonia 293. lin. penult.
Audœnus Epiſcopus obiit 146. 46. ejus tranſlatio 155. 24. ipſius Archiepiſcopi Rothomagenſis reliquiæ in Monaſterio Maldunenſi deponuntur 371. 40
Aven flumen 246. 52. 261. 12. 346. 17
Auguſtinus mittitur à Papa Gregorio in Britanniam 143. 44. 226. 23. 559. 16. 640. 5. Cantiæ Regi annunciat fidem Chriſti 226. 31. Epiſcopus conſecratus eſt 226. 55. convocat Epiſcopos & Doctores 227. 17. ordinat ſibi ſucceſſorem Laurentium 227. 5. fidem Anglis prædicat 639. cap. 30. moritur 143. 9. 730. 31
Avium ſtrages 239. 30
Aulaf Rex Danorum Regi Egelredo adductus & de fonte ab eo ſuſceptus 271. 1
Aurelius increpatur 17. 7
Aurelius Ambroſius Rex ſuſcipitur à Britonibus 630. 31. Rex in omnes Regiones Britanniæ 112. 13. Conſtantium Regem ad mutuam amicitiam exhortatur contra Saxones 631. 3. Victores Saxones vincit & repellit 558. 43. Hengiſtum decollat 223. 22
Aurelius devincit Paſcontium filium Vortigerni & Gillomaurum Regem Hiberniæ 223. 24. magnam facit ſtragem in obſidione Badonici Montis 224 35. interiit apud Wintoniam 223. 25
Aurelius Conanus regnat 225. 20
St. Aydanus ad petitionem St. Oſwaldi mittitur ad prædicandum Verbum Dei Northymbris 644. 3. Epiſcoporum Scotorum fidem Anglis prædicantium primus fuit 646. 3. in Regem ordinatur ab Angelo 638. 16. requiſitus pergit cum Exercitu ſuo adverſus Cenlinum & prælium præliatur 639. 11. è bello fugatus per Æthelfridum Northymbrorum Regem 639. 48. eligitur ad Saxones convertendos 643. 35. ejus prædicatio 644. 36. ejus Monaſterium 231. 14. ejus ſucceſſio 638. 27. obit 644. 40
Aylwinus moritur 433. 21

Aylſius Monachus 304. 21
Aylwini Aldermanni Genealogia 387. cap. 3
Aylwini Comitis Commendatio 395. 18
Azare Montes 100. 48

B

Bacula Abbas 89. 3
Badamor mons obſidione cingitur 630. 38
Badonicus Mons 17. 11. 114. 35. 225. 20
Baducing 42. 5.
Badwing Presbyter & Abbas mittitur ad Regem Alfredum 84. 19
Balcthild Regina perſequitur Eccleſiam Domini 46. 23
Baldred Patricius terras cum Abbate Adelmo commutat 346. 25. 347. 12
Baldredus ſeu Athredus Rivallenſis Abbas 677. 27
Baldredus Rex Benefactor Eccleſ. Glaſton. 338. 36. 326. 40
Baltherus Anachoreta 726. 32
Baldwinus Comes 279. 31
Bangorienſe Monaſterium 227. 27
Bangorienſes monachi occid. 559. 21
Barocſhira devaſtatur 272. 7
Bartholomæus in Hyberniam advenit 100. 3
Bartholomeus filius Micelli 577. 34
Baſclenſes ad Orcades Inſulas appulſi mittuntur ad partes Hiberniæ incolendas 214. 36
Baſianus Caracalla Imperator Severi filius 607. 18. à Sigiberto traditur interfectus à Parthis 607. 23. Regno potitur 142. 43. 218. 21. mittitur in Britanniam ut eam recuperet 609. 41. Britones eligunt eum Imperatorem 218. 22. occiditur 610. 7
Baſilica in Hrypis à beato Wilfrido Epiſcopo à fundamento extructa & conſummata, in honorem Sancti Petri Apoſtoli dedicata 59. 56. 60. 1. & ſeqq.
Baſilius 27. 44. 730. 34
Baſſas flumen 114. 19
Bavaria 154. 34. 168. 39
Beadwlfus Abbas Monaſterii Glaſtoniæ 314. 15
Beagſecg Rex 163. 54
Beatrix Malcolmi Regis filia 683. 35
Bebba Urbs 708. 29
Bebbanburgh Urbs 86. 14. 231. 40. 234. 4
Beda naſcitur 241. 28. vid. 715. 14. 716. 17. 54. 724. 32. ſeptennis traditur Benedicto Biſcop. informandus 242. 5
Beda ſuſcipit gradum Diaconatus 244. 14 ſuſcipit gradum Presbyteratus à St. Johanne Ebor. Ep. 244. 42. invenit tria R. & tria F. 248. 53. Dunelmiæ collocatus 249. 21. Magiſter 730. 36. ejus ſcripta de Pictorum adventu 581. Art. 30. de morte Severi 606 cap. 34. contemporaneus fuit Sancto Guthlaco 526. 32. enutritus in Monaſterio de Weremuthia 528. 35. ejus elogium 726. 2. obit 152. 12. 248. 34. 626. 2. 726. 2
Begmundus de Holande & Cognati Viduæ Æſcuven terram de Stanei injuſte diripiunt Sanctæ Ætheldridæ 477. 41
Beir Galliam vaſtat 533. 13
Beleſham Villam frugiferam Leoflede legat Eccleſiæ Elyenſi 507. 32
Belinus Rex Britonicus 214. 14. 653. 33 fundat Cæruſt urbem 214. 29
Belini Porta 214. 30
Bellinus Rex Britannicus 102. 31
Bellum apud Ægieſthrep. 143. 19
Bellum contra Normannos 155. 26. Conſtantii contra Scotos 610. c. 41. ſuper flumen Derevent 110. 38. inter filios Lodwici 155. 21. de Bronnigfeld 622. 22. ſuper vadum Episford 110. 38. civile in Britannia oritur 604. 45. inter Scotos & Pictos oritur 608. 30. nefandum inter Pictos & Scotos 613. 31.
Benedictus cognomento Biſcop Abbas nutricius Bedæ 143. 29. 235. 39. Romam adit 235. 39. 240. 34. Conſtruxit Monaſterium Sancti Pauli 242. 1. obit 243. 19
Benedictus Sergius Papa 74. 29
Beneſingtune Villa 359. 14
Sanctus Benignus 298. 26. ejus tranſlatio 331. 36
Benli Rex iniquus & Tyrannus 105. lin. ult.
Benly Rex Powiſiæ 223. 35
Beokery Inſula 298. 21
Beorchtricus Occidentalium Saxonum Rex 157. 18
Beornredus Tyrannus interficit Ethelbaldum Regem Merciorum, ſed paulo poſt ab Offa occiſus 250. 24
Beornulphus Tyrannus Regnum Merciorum occupat & occiditur 253. 18
Beorthricus Rex Weſtſaxonum 359. 39
Beorthiald filius fratris Ethelredi Regis Merciorum Wilfridum humaniter excipit 71. 45
Beorwald Archiepiſcopus 308. 21
Beorwlfus occiditur 155. 12
Berchterus Rex Campaniæ 65. 23
Berchtvaldus Synodum Niddenſem convocat in gratiam Wilfridi 85. 19. 78. 10.
Berechinge Villa 502. 42
Berechtfridus 86. 1
Berig Rex 533. 2
Berkingamenſe Monaſterium 248. 11.
Berlea Villa 484. 9
Bernard Rex Longobardorum obit 154. 54.
Bernardus Epiſcopus 299. 27
Bernewell & aliæ Poſſeſſiones datæ Cœnobio

bio Rameſienſi 445. 19.
Bernicorum & Deirorum ſucceſſio 527. 8
Bernredus Rex 529. 28
Bernulfus 322. 55
Berredus Abbas Glaſton. 322. 46
Berricus Nobilis Benefactor Eccleſiæ Rameſienſis 417. 6
Berta 225. 54
Bertfortus Wiſtanum occidit 254. 15
Berthwaldus ex Abbate quondam Glaſtoni. Archiepiſcopus Cantuarienſis 75.30. 308. 8. 308. 16. 324. 46. 354. 46. reconciliatur Wilfrido Epiſcopo 38. lin.ult.
Berthwaldus ſub-regulus Benefactor Mon. Maldunenſis 345. 42
Bertulphus ſuccedit Regi Wiglaff in Regno 254. 13. Rex obit 254. 2
Betricheſworde Monaſterium 506. 9
Beularius Presbyter 115. 6
Biblia ſacra exuſta 11. 13
Binewlfus Rex Benefactor Eccleſiæ Glaſtoniæ 327. 5
St. Birinus confeſſor 231. 46. mittitur in Angliam 231. 46. Ginegildum Baptizat 231. 50. primus Dorceſtrenſis Epiſcopus obit 235. 14
Birſtanus obit 262. 25
Biſcopſtane 367. 45
Biſcop Baducing 45. 5
Bladud regnat 213. 33. 43
Bledgaret Rex Britanniæ Muſices admodum peritus 215. 6
Bledla Hunnorum Rex 627. 33
Bladon flumen 344. 45
Bocland 216. 43
Boetius 730. 37
Bonifacius Archidiaconus 45. 53
Bonifacius Papa 229. 52. obtinet ut Eccleſia Romana caput ſit omnium Eccleſiarum 641. 7
Boſa ſacerdos 718. 8. inſtituitur Archiepiſcopus Eborac. 240. 51
Boſel Epiſcopus 346. 2
Boculphus Abbas 146. 33. conſtruit Monaſter. 236. 3. Confeſſor 530. 50. Religioſus 531. 10
Bradanford Monaſterium 356. 20
Braden Sylva 359. 23. 346. 33
Bradenſtoke 260. 30.
Bragg 259. 13
Brandanus 634. cap. 23. in Scotia floret 635. 26
Brandune Villa. 485. 21
Bregford 345. 54
Bregoreted Abbas 388. 11
Brennius Rex Britonum 553. 38. rebellat 214. 17. in uxorem ducit filiam Segini, & poſt mortem ejus regnat 214. 19. venit in Britanniam contra fratrem 214. 20. conjunctus fratri Galliam ſubjugat 214. 23. Venedociam & Dameciam tenet 295. 18. Viſionem habet 426. cap. 60
Brente data Eccleſiæ Glaſtonienſi 309. 15
Brentenol, mons Ranarum 307. 31.
Brentford 273. 53
Brichredus Abbas 302. 2
Brichtmerus Budde præmonſtrat Regi Canuto viam verſus Ely 505. 38
Brichtricus Regi Kenewolſo ſubjectus tenet Occidentale Regnum 250. 35. 530. 32. v. 154. 25. 252. 14
Brichtwoldus aliquamdiu mortuus reviviſcit 244. 9
Brigge Urbs Galliæ 233. 19
Briggenſe Monaſterium 233. 13
Brightwoldus Monachus viſione fruitur 275. 35. primo Wiltoniæ Epiſcopus 475. 36. Archiepiſcopus Doroberniæ obit 248. 22
St. Brigida 298. 15. quo ſeculo vixerit? 101. 20. moritur 634. 6
Brihwius Epiſcopus Wellens Abbas Glaſton. 325. 44
Briſtanus Epiſcopus Winton. pro Defunctis cantando voces audit reſpondentium Amen 262. 23
Britanni ſervant fidem Chriſtianam uſque in tempora Diocletiani 142. 26. Litteras ad Agitium mittunt 14. 16
Britannia vocatur Anglia 252. 29. vid. 711. 55. unde dicta ſit 9. 28. 98. 30. quo tempore habitari cœpit 99. 3. à quot & quibus Gentibus ſit inhabitata 208. 51. 102. 6. à Bruto dicitur 589. 2. diverſa eſt à Scotia 587. 34. & ſeqq. 588. 1. & ſeqq. uſque ad J. Cæſarem Romanis incognita 141. 1. 594. 48. ejus ſitus 9. 1. ejus Civitates 114. 7. 8. 10. 98. 4. 135. 15. 197. 13. ejus longitudo & latitudo 98. 28. Gentes 98. 44. Inſulæ adjacentes 98. 45. varia nomina 191. Prærogativæ 192. Incolæ 208. Linguæ 231. 2. Status tempore Eugenii Sexti 649 cap. 45. Juventute ſpoliata 13. 33. crudeliter affligitur 622. 33. & infeſtatur.
Britanniæ Septentrionalis vaſtatio tertia 13. 42.
Britannicum Bellum contra Scotos & Pictos, quod 154. annos duravit 601. 13
Brirelmus Epiſcopus Wellens. Mon. Glaſton. 325. 33
Brithelinus Præſul 266. 52
Brithelmus Epiſcopus Donhaſinus 544. 31. deponitur 544. 39
Brithlave vendit prædium Monaſterio Elyenſi 476. 47
Brithnodus occupatus eſt circa Eccleſiæ fabricas 489. 5. martyrizatur 491. 24
Brithnothus Abbas Elyenſis ordinatur 465. 2. emit à Grim poſſeſſiones 481. cap. 40. poſſeſſiones mutat 474. cap. 16. & 17.
Brithnothus Comes 432. c. 71. ipſius Petitioni Eccleſia Rameſienſis non annuit 432. 17. multa donat Elyenſi Eccleſiæ

ſiæ 493. 18
Brithritus Abbas Meldunenſis 372. 14
Brithtegus Wigornenſis Epiſcopus 506. 35
Brithwius Abbas Glaſton 323. 1
Brithwoldus Abbas Meldunenſis 372. 18
Brithwoldus Epiſcopus Salesbirienſis, Monachus Glaſtonienſis, Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 325. 48
Brithwoldus Abbas ſuccedit Theodoro Archiepiſcopo 243. 21
Brito 98. 30. 99. 41
Britones 703. 41
Britones unde appellentur 101. 43. 589. cap. 5
Britanniam incolunt tertia ætate Mundi 101. 10. veniunt ad Albionem 589. c. 5
Britones Paſchale Feſtum legitimo die celebrare detractant 349. 12. hoſtium telis retundendis impares, ſed invicti ad civilia bella 14. 31. A Pictis vexati 703. 42. Saxones auxilio vocant 628. 3. 703. 47. Pictos fugant à Saxonibus ſubacti 704. 11. vires reaſſumunt 630. 37. Conveniunt juxta Cœnobium Ambrii 222. 52. Scotos è regno ejiciunt 613. cap. 45. Epiſtolas mittunt ad Litorium & Aetium 627. c. 11.
Britones Scoti & Picti perpetuo amicitiæ fœdere inter ſe junguntur 609. 34 Romanorum auxilium contra Scotos & Pictos implorant, & ſic ab eorum oppreſſionibus liberantur 12. 39. iterum infeſtantur ab iis 13. 1. & per Romanos vindicantur 13. 14. &c. Romani Britones militari inſtruunt arte 13. 37. ſunt Suaſores & Authores Britonibus Muri inter duo Maria extruendi 13. 33. &c. jugum Romanorum à Cervicibus ſuis dejiciunt 104. 31. Duces Romanorum occidunt 105. 10. & 21. poſtea inquietati à Scotis & Pictis Romanorum auxilium implorant poenitentes 105. 12
Britones omni ſcelerum genere polluti 14. 43. imo & ipſe Grex Domini ejuſque Paſtores 15. 12. ſeipſos mutuo laniant urgente fame 14. 11
Britoniſſa Regina Marcia 538. 21
Briwetune vicus 354. 6
Brocmail 227. 42
Brothenberge Villa 347. 24
Brounygfeld [Bromfeld] locus ubi crudeliſſimum commiſſum eſt prælium 672. 22
Brumchilde regnat 143. 37
Brunſtanethorp 458. 41
Bruti 99. 21
Brutus 101. 49. 212. 16
Bruti nomen multis fuit 589. 38.
Bruti Genealogia 99. 6. &c. 101. 43. 102. 1. & ſeqq.
Britanniam occupat 212. 22. Græciam adit 212. 39. moritur 212. 57
Brutus cognomento viride Scutum regnat 213. 28
Brychtricus Rex ducit Eadburgum in matrimonium 154. 31
Buckingham 261. 13
Buelt regio 112. 9
Buile tenuit Euboniam Inſulam 100. 30
Bulgarorum Rex cum ſua gente ad fidem Chriſti converſus non multo poſt Monaſterium intrat, filium effoſſis oculis carceri mancipat, & filio juniori regnum tradit 667. 29
Burch lapicidinæ 455. 39
Burchardus occiditur 174. 54
Burchenilda filia Kenulfi Regis 530. 42
Burchredus ſive Burdredus Rex Merciorum 156. 7. 254. 21. 532. 32. deſponſat ſibi Ethelwitham filiam Regis Athulfi 254. 21. expellitur 164. 47. 257. 20. 669. 24. Romam adit & moritur 254. 24
Burgfled uxor Adulfi 474. 30
Burithtelin fontanenſis Epiſcopus 321. 18
Burtinus 281. 18
Burtoniæ Monaſterium fundatum eſt ab Wulrico Spot 271. 41
St. Byrinus Epiſcopus prædicat apud Occidentales Saxones 144. 3

C.

Cadwala 707. 40. moritur 707. 39
Cadwaladrus (al. Cadwallader) Rex Britonus ultimus 559. 32
Cadwalladrus i. e. Cedwalia 527. 31. fugit è Britannia 646. c. 41. 647. 8. angelica vox dehortatur eum ne in Patriam redeat 647. 43. obit. 646. 45. 647. 50
Cadwallo Rex Britonum infeſtat Saxones 641. 40. Ejus fuga 641. cap. 33
Cadwallo (alius Cadwallinus) filius Caduani Rex Britonnicus 559. 29
Caerbadum conſtructum 213. 34
Caer Coſtaint 103. c. 21. 115. c. 65
Caerlegion Civitas reparatur 260. 37
Cæſar Auguſtus diem obit 600. 3. ejus Proditoribus vindicta illata 597. 19
Cair-glovi urbs, alias Cair-Claud. Saxonice Glauceſtre 112. 27. 217. 22
Cair-Guorthigirn urbs à Guorthigirno ædificata 110. 6. Cairlium 307. 31
Cairpentaloch fluvius 103. 23
Cairusk ſuper Uſtam fluv. 214. 29. 307. 21
Calabi fluvius 559. 3
Calixti Papæ privilegium Sigfrido Abbati datum 334. 23
Calna vicus 380. 43
Cambria 590. 20
Cambrius filius Bruti moritur 213. 1
Campana Eccleſiæ Rameſienſis à quatuor Alumnis fracta 430. 20
Canan Monacho Glaſtonienſi locus notus erat reliquiarum Sancti Dunſtani

ni 303. 24.
Canfridus Epiſcopus Monach. Glaſton. 325. 22
Cautegirnus filius Guorthigirni 1:2. 8
Cantiæ Reges 525. 22
Cantia & Suthſexa bonis ſpoliata 272. 3
Cantuaria ædificata 213. 31. à Danis incenditur 272. 17
Cantuariorum regni initium 224. 16
Canutus Rex Danicus 272. 35. 266. 3. 273. 25. poſt mortem Edmundi Monarcha effectus 274. 43. Londinum tendit 273. 52. Londinum obſidens repellitur 273. 43. ducit Emmam in uxorem 275. 16 Merciam deprædatur 273. 56. Edricum jubet occidi 275. 18.
Cantilenam componit 505. c. 27. è Dania Romam proficiſcitur 275. 52. Coronam ſuam imponit Capiti Crucifixi Winton. 276. 21. Baſilicam ſuper tumulum St. Edmundi Martyris conſtruit 273. 18. omnibus Obſidibus Patri ſuo traditis manus & nares abſcindi juſſit 273. 32. obit. 276. 11.
Capellam argenteam Rex Ina dono dat Monaſterio Glaſtoniæ 310. 48
Capua 154. 28
Carauſius Baſſianum interficiens Regno potitus 203. 34. 218. 33. 609. 26. ejus conventio 609. c. 38. ratificatio 609. c. 38. per proditionem perit 610. 12
Gareticus regnat 225. 32
Carlegion urbs 225. 15
Carnotenſis Civitas 172. 49
Carolus Calvus ſuccedit Imperatori 669. 4
Carolus Junior Imperator filiam ſuam Gillam Rolloni in matrimonium dat 669. 6
Carolus magnus ex Clodovei Regis proſapia natus 654. 7. moritur & Aquisgrani ſepelitur 654. 32. 669. 43. Regnum Patris Pipini poſt biennium integrum accipit 651. 7
Carun flumen 103. 34. 353. 34
Caſſibelanus Dux 141. 27
Caſſibelanus Rex Britonum 215. 31. ſuccedit in regnum. dat Andragio urbem Trinovantum 215. 32. ad deditionem cogitur 595. 2. fit Tributarius Julio Cæſari & moritur 215. 38
Caſſiodorus 730. 34
Catgubail Rex Guenedotæ Regionis 117. 32
Catigernus 110. 40
Cathedra regalis lapidea 580. 1. marmorea 594. 3
Cat-coit Celidon Sylva 114. 19
Ceadda Epiſcopus Nordanhymbrorum ordinatur 58. 36. 146. 36. deponitur 59. 4
Ceadwalla Rex Occidentalium Saxonum relicto regno Romam tendit 147. 3
Ceaflea Villa 522. 33
Ceaulinus Rex 143. 39. Patri Kinrico ſuccedit 225. 34. fugat Britones 225. 35. cum Cutha pugnat 226. 10. ejus mors 226. 15
Cecrops urbem condit Athenenſium 573. 6
Ced frater Ceddæ ordinatur Epiſcopus à Finano 234. 33. Epiſcopus Londinenſis 229. 17.
Cedda Abbas de Leſtingai contra regulas canonicas intruditur Sedi Eboracenſi 238. 32. non rite conſecratus reordinatur à Theodoro Archiepiſcopo 239. 3. obit apud Lichfeld 239. 40. 235. 25
Cedmon Monachus & Poeta divinitus edoctus 241. 37
Cedvala Monarchia Regionis Weſtſexnæ potitur 73. 7. 242. 23. Romam venit 242. 45. à Sergio Papa baptizatur 242. 45
Cedwalla Rex Weſtſaxonum Benefactor Monaſterii Maldunenſis 346. 9. Occiditur 230. 53
Cedwalladrus vocatur Cedwalla ſed corrupte 243. 1.
Celeſeige 546. 47. 429. 34. 546. 51
Celinus Præpoſitus 87. 47
Celnothus Arc. Cant. 255. 12
Cemele Sylva 346. lin. 16
Cengille Abbas Glaſton. Monaſt. 313. 4
Cenlinus Rex 638. 46
Centruinus Rex Weſtſexnæ 72. 6
Cenrolf Regis Privilegium Kinelmo acquiſitum 315. 34
Cenwoldus Presbyter Monaſt. Horningeſeie 487. lin. ult.
Ceolatus Scotus Epiſcopus 646. 7
Ceolfridi Abbatis obitus 726. 9
Ceolnothus Archiepiſcopus Dorobernia ſepultus 162. 52
Ceolredus Rex Merciorum filius Ethelric 527. 41
Ceolwlfus regnat 143. 46
Ceolwlfus frater Coenredi ſuccedit Oſrico; ejus genealogia 528. 48.
Ceolwlfus inſipiens regis Miniſter 164. 51 166. 22
Ceolwlfus Rex Northanhymbrorum regnat 152. 6
Ceolwolfus Rex relicto Regno Monaſterium Lindiſpharnenſe intrat 152. 8. 529. 19. Lindisfarnenſium exiſtit Epiſcopus 152. 8
Ceolwolfus Epiſcopus 530. 8
Ceorl Donnaniæ Comes cum Donnaniis contra Paganos pugnat 155. 29
Ceorlus Conſanguineus Wibbe regnat 229. 29
Cerdic Dux Germanus cum filio ſuo Kenrik in Britanniam venit 143. 27. 635. 27. primus Rex Weſtſaxonum 225. 1. & 4. 525. 39. 633. 28. Coronatur Wintoniæ 225. 30
Cerdicheſore nunc Gernemouth 224 38. 525. l. ult.

Cerdieſelmet interpres inter Regem Guorthigernum & Hengiſtum 107. 27
Cheſle Villa 503. 18
Chencres Pharao Rex Ægypti ſubmergitur 571. 22
Chent 107. 39. traditur Hengiſto à Guortigerno 6. 1
Cherletona 458. 41
Childebertus regnat 143. 37. moritur 147. 40
St. Chilianus Scotus Epiſcopus martyrizatur 679. 3
Chillinge terra empta ab Epiſcopo Æthelwoldo. 487. 24
Chilpericus Rex Francorum luxuriæ nimium deditus à Regno dejicitur 692. 9
Chimbil obit 235. 25
Chimeresford 252. 31
Chirchwere Villa 490. 36
Chirographum quo terra de SturaOſwaldo conceditur 417. c. 50
Chriſti Nativitas 559. c. 21. paſſio & reſurrectio 600. c. 23
Chriſtiani in Britannia delentur per perſecutionem 608. 19
Chryſoſtomus 730. 35
Cilterna 73. 1
Cimen 224. 22
Cinewlfus Rex Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 314. 9
Cipenham Villa regia 166. 26. 258. 25. à Danis occupata 257. 34
Cirenoeſtre 220. 54. 258. 25
Ciſſa filius Ellæ 224. 22
Ciſſa regulus Pater Inæ conſtruit Monaſterium 238. 45
Civitatum Britan. nomina 197
Clades per peſtem in Britannia 236. 50
Clamhector venit in Hyberniam 100. 27
Clappa regnat 225. 44
Claudius Cæſar Imp. 103. 1. 141. 54. Brittannici nomen filio imponit 142. 7. Britannis bellum infert 600. 37. Arvirago Regi filiam ſuam copulat 216. 25. plurimam Britanniæ partem in deditionem recipit 142. 6. Orcades Inſulas Romano adjicit Imperio. d. 1. & 103. 5. Oxoniam fundat 555. 3. in Britannia imperat 103. 3. obit in Magantia 103. 9
Clemens 730. 41
Clerus objurgatur 31. 23
nullum in eo Veritatis ac Juſtitiæ veſtigium 17. 21
Clito Ethelwoldus contra regem inſurgit 260. 508. c. 32. 273. lin. 33. Winburnam occupat 260. 20. occiditur 251. 8. 260. 34
Cliwere 309, 56
Clodio Rex Francorum 143. 13
Clodius Albinus interficitur 605. 26
Clodoveus primus Francorum Rex baptizatur 632. 32
Clodoveus V. Francorum Rex 143. 22
obit. 147. 39
Colomannus martyrio coronatur 549. 3
Clotharius Rex Francorum 146. 36
Cluth vel clude flumen 103. 22. 623. 25
Cnoheresburgh Caſtrum 441. 28
Cnei Pompeii Victoria 684. 5
Cnut *al.* Cnuto Danor. Rex. 323. 6. 434. 9. ejus commendatio 437. c. 8. appellit in Northymbriam; Algivam uxorem Ethelredi detinet 549. 5. in Regem Anglorum conſecratus 434. 9. in Rameſia Ædem conſtruit 437. 14. cum filiis Ethelredi de Regni ſucceſſione tractat 550. 10. regnat arbitrariè 549. 37. legatos è Normannia miſſos re infecta dimittit 549. 48. Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 323. 6. Roma redit 549. 54. moritur 447. 37
Coelredus Rex Merciorum 18. 1. transfert Wereburgam 244. 51. obit 246
Coelus Dux Coloceſtriæ Aſclepiodotum interficit 218. 47
Coenaculum, in quo Angliæ Senatores conſident, corruit 269. 14
Coenobium Undalenſe ex parte coelitus ſervatur 88. 23. 89. lin penult.
Coenred ab Ethelredo conſtituitur Succeſſor Regni ſui 84. 13. Rex Merciorum 147. 43. 527. 41. ejus Genealogia 535. 9. vide Kenredus
Coenvalchus Rex Occidentaliu Saxonum 46. 50
Coifi Pontif. Idolorum 230. 7
Coilus filius Marii Rex 217. 48
Colceſtria Urbs unde appelletur 217. 43
Colfricus filius Cuthalfi regnat 226. 15
Colfridus Abbas Monaſterii Gerwienſis 243. 19. ſuccedit Benedicto Biſcop. obit. 246. 36. reſcribit Regi Pictorum Naitano 246. 1.
Colles exitiales 10. 13
Colmannus 645. c. 38
Colmannus Scotus Epiſcopus Ebor. 55. 51 237. 13. relicto Epiſcopatu in Patriam redit 237. 50. 645. 12. conſtruit Monaſteria in inſula Hy Boſynd 645. 27. Martyr obit 649. 4
Colodesburg Cœnobium 71. 17
Colonia 374. 11
St. Columba Presbyter & Abbas venit in Scotiam, convertit Kenderem Regem Pictorum & gentem ejus 637. 9. ipſius adventus in Pictaviam 694. 25
St Columbæ Portæ clauſæ ſponte aperiuntur 664. 35. ab Angelo percutitur flagello 638. 4. Angelus dat ipſi vitreum librum 638. 27. Deum invocat pro Salute Aydani dimicantis 639. 18. de ſucceſſore Aydani prophetat & obit 640. 33
St Columbanus Scotus in Galliis Cœnobia conſtruxit 641. 32
St Columkilla 298. 38. quo anno natus ſit 101. 21.

Colwulfus ultimus Regum Merciorum 257. 23. Burdredi Regis miniſter 257. 20. regno expellitur 253. 17.
Colwulfus Rex Weſtſaxonum 226. 17
Colwulfus Rex Northymbrorum 248. 15. fit Monachus 152. 8. 249. 39. Lindiſfarnenſium Epiſcopus ſedem & Regnum deſerit 251. 43. juxta Cuthbertum ſepelitur 249. 42
Cometa apparet 146. 48. 152. 5. 240. 47. duo apparent circa ſolem diræ Cladis præſagi 248. 17
Cometæ apparent horribiles 642. 47
Comminianus 730. 46
Commodus Imperator Romanus ſtrangulatus interiit 604. 32
Conanrodus filius Regis Demetiæ duxit in uxorem Fynewennem 640. 30
Conanus Dux Armoricæ 219. 51. 616. 50. Octavii nepos 612. cap. 44. Urſula Filia Dionoti Regis Cornubiæ ipſi cum XI millibus Virginum populo ſuo pro uxoribus deſtinantur 219. 54. vincitur à Maximo 612. 40. datam fidem violare ipſi Religio eſt 613. 26
Concilium Chalcedonenſe 221. 24
Congallus Aurelio Ambroſio Regi foederis vinculo jungitur 631. lin. ult.
Connachia regio 113. 31
Connyd vid. Kynatel
Conradus filius Conradi in Regem evehitur 174. 55. Ludovico Imperatori ſuccedit 671. 43
Conrani Regis mors 635. c. 24
Conredus Rex Northymbrorum moritur 247. 8
Conſtans Monachus filius Conſtantini 220. 54. evehitur in Regem per Vortigernum Conſulem 557. 20. interficitur 221. 8. 618. 30
Conſtans Rex Scotorum 631. cap. 17
Conſtans Imperator in balneo occiditur 646. 36
Conſtantinus primus Papa 244. 40
Conſtantinus Conſtantis filius imperio potitur 219. 19. Conſtantinus Rex 142. 4. 218. 54. 667. 15. 671. c. 21. 672. c. 22
Conſtantinus C. F. Romam ingreditur 219. 25. occiditur 612. 16
Conſtantinus moritur 104. 38. 221. 2. 263. 18. 672. c. 23. ejus filiorum ſucceſſio 612. c. 43
Conſtantinus Monachus 370. 4
Conſtantinus quidam ex infima militia eligitur Imperator propter ſpem nominis 220. 12. 618. 24. interficitur 618. 30
Conſtantinus Calvus Rex 680. c. 34. ſedem invadit regiam 680. 18
Conſtantinus Rex Scotorum pactum violat 262. 41
Conſtantinus ſuccedit Heraclio Imperatori Patri ſuo, & veneno extinguitur 644. 28
Conſtantinus ſuccedit Leoni Patri ſuo in Imperium 650. 12
Conſtantinus Rex frater Androeni coronatur ab Archiepiſcopo Guitelino 557. 14.
Conſtantinus Rex filius Regis Heth Alipedis à duobus Angliæ Regibus bello ſemper inquietatur 671. 9 obit 672. 43
Conſtantinus cornubiæ regulus 18. 16
St Conſtantinus Rex Cornubiæ fidem Scotis prædicat 637. 9. Martyr occumbit 637. 13
Conſtantinus Monachus Græcus 37. 4
Conſtantius Senator Conſtantini magni Imper. pater 556. 3. & 11. ducit Helenam 219. 1. mittitur à Roma ad ſubjugandum Regem Britan. 218. 54. in partem Imperii adminiſtrandi aſſumitur 610. 44. Britones ad pacem cogit 611. 2. 34. moritur 103. 39. 104. 31
Conſtantius ſuccedit Dongardo R. Scot. fratri ſuo 630. 27
Conſtantius Comes Conſtantinum occidit 220. 14. obit. 219. 18. 667. 16.
Conſuburtia rivulus 347. 2
Conſuetudines obſervatæ 333. 45
Contentiones de varietate Succeſſionum Principum 676. 21
Controverſiæ inter Regem Alfredum & Synodum & Wilfridum Epiſcopum 75. 29. & ſeqq.
Convallus regno potitur 654. 37. ſuccedit Eugenio fratri ſuo Regi 637. 28
Cordeilla regina incarceratur 213. 45
Corviſgate 269. 29
Cornubia Corineo tradita 212. 49
Cornwaldus Antiſtes Wigornienſis 390. 46
Corpus St. Stephani Protomartyris invenitur 143. 2
Corpwaldus Orientalium Anglorum Rex ſuccipit fidem 230. 25. occiditur dicto loco.
Corwulfus Rex Weſtſaxonum obit 228. 11
Cotenham dono data Eccleſiæ Elyenſi 496. 16
Cotingeladc Villa 490. 35
Cranefeld. 458. c. 116
Crekanford locus pugnæ 224. 12. 260. 27
Crida 226. 15. filius Kinewold regnat 229. 29
Cruachaneli 113, 27
Cruchne filia Comitis de Angus in mortem Regis Kenethi conſpirat & tandem e medio tollit 679. 8. & ult.
Crucifixi imago de pariete loquitur 269. 11
Crudelitas cladis illatæ Britonibus 622. cap. 3
Cruchochident 104. 14
St. Crux invenitur 604. 31
Crux de qua cecidit Diadema 304. 27
Crux vulnerata 304. 40. 371. 43
Crux vulnerata ſanguinem emittit 331. 36
Crux venerabilis quæ quondam locuta eſt 304. 19

Crynyn Abthanus de Dul in uxorem ducit Beatricem Malcolmi filiam 683. 36
Cruythne Primus Rex Pictorum 664. 2
Cuda Epiſcopus ſuccedit Colmanno 646. 15
Cudda nobilis 41. 31
Culenius Rex Scotorum omnium indigenarum in ſe provocat indignationem 575. 31. ipſo Coronationis die in complexum Meretricis devolvitur 675. 29. à ſubdito ſuo occiditur 675. 35. 692. 21
Cuman Abbas 316. 5
Cumbertus Abbas Glaſton. Cœnobii 313. 34
Cumbranus Dux occiſus 250. 28
Cumbria Malcolmo redditur 673. c. 24
Cuneda 100. 33. expellit filios Vethau à Britannia 100. 39
Cunedagius regnat 213. 52
Cuneglaſe redarguitur 19. 42
Cuningum 148. 50
Curtannus gladius Arthuri 559. 3.
Cutha Cenlini filius cum tota acie perimitur 638. 47. frater Ceaulini 226. 4
Cuthberge Abbatiſſa 356. 6
St Cutburga Monaſterium Sanctimonialium conſtruit 247. 7
Cuthbertus 714. 32. 848. 42. 235. 13 monachus 241. 12. antiſtes 147. 1. obit 117. 34. 242. 42. apparet Alfredo Regi 588
Cuthbertus Abbas Meldunenſis 359. 23 ordinatur Epiſcopus 648. 19. ſubrogatur Timdberto 242. 12 ſuccedit Nothelmo Archiepiſcopo Doroberniæ 249. 44
Cuthredus ſuccedit Regi Weſtſaxonum Ethelardo 249. 47. Rex 153 35. 244. 46. Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 313. 10. 327. 1. Meldunenſis 358. 40
Cuthwulf frater Regis Ceaulini 226. 7
Cynedryd Abbatiſſa 89. 27
Cynuit arx 167. 21

D.

Daci vincuntur ab Edwardo Rege apud Totenhale 260. 48
Dacorum Claſſis magna appellitur ad Eaſt-Angliam 254. 47
Daegberth Rex Francorum 65. 9. per dolum occiſus 68. 31
Dagobertus Rex Francorum 65. 5. 144. 2
Dalfinus Archiepiſcopus 45. 18. martyrio coronatur 46. 34
Dalrieta Rex 101. 5
Dani unde originem ſuam trahant 532. 37
Dani ad Britanniæ oras primum appulſi 257. 38. applicuerunt in loco qui dicitur Curvalia & apud Hengiſtodianiam ſuperantur 253. 30. invadunt regnum Merciorum 255. 1
Dani piratæ Britannia relicta poſt 19. annos Angliam repetunt 261. 18. apud Baſingum & apud Merton bellantes 255. 41. apud Brug ſuper Sabrinam juxta Walliam 259. 13. Magnam ſtragem edunt 254. 10. apud Brentford devincuntur 273. 53. Apud Snotingham 255. 1. conteruntur in Southreia apud Oclea per Regem Ethelwalphum 254. 27. trucidantur 254. 41. de Lindeſy apud Rependonium tranſeunt 257. 17. Inſulam Vectam adeuntes prædas agunt 272. 13. Deſtruunt urbem Alcluit & hyemant apud Tedford 255. 6. Cantuariam obſident & incendunt 272. 17. de Warham navigant ad Exceſtriam 257. 34
Dani deprædantur Inſulam de Schepeigh 253. 26. multos occidunt in Lindeſey Eſtanglia & Cantia 254. 10. Cum Britonibus fœdus ineunt 253. 31. cum Rege Edwardo icunt fœdus pacis contra Scotos 671. 18. conſpiratione facta ab Anglis omnes trucidantur 271. 39. 547. 28. London obſident & regem cogunt ad tributa 270. 55. Northymbriam deprædantur 270. 55. 259. 8. Urbem Pariſienſem obſident 258. 42. veniunt in Angliam 251. 38. regnant in Northymbria uſque ad tempora Ethelſtani 251. 48.
Danica Claſſis appulſa in portum Sandwici Cantiam & Suthſexam deprædatur 272. 2
Daniel Epiſcopus 244. 30. Mon. Glaſton. 325. 29
Daniel Rex 151. 44.
Danius regnat 214. 43
Dannanus ab Eleutherio Papa mittitur in Britanniam 218. 1
Danorum, Norgwigenſium & Friſonum claſſis magna mare Britannicum, & Belgicum infeſtat 667. 21. Naves 120. tempeſtatis marinæ vi franguntur 257. 34. Duo Duces occiduntur 255. 22. Danos Angli argento placant 270. 46
St David Menevenſium Archiepiſcopus 299. 1. Reliquiæ 299. 20
Dee flumen 267. 36. 684. 31
Deirorum ſucceſſio 527
Deniſſeburnum 230. 54
Denraberneth Anglice Deira 114. 45
Derbeia 216. 19
Derevent flumen 113. 34
Deruvianus vid. Phaganus.
Devinianus 293. 32
Deus dedit Archiepiſcopus 146. 38. 236. 44. ſedit poſt Bonifacium 228. 23. ſuccedit Honorio 235. 37. moritur 236. 44
Diabolus in ſpecie Moſis apparet Judæis 627. 11
Dictum Villa 522. 31
Didanus 249. 33
Dido Pictavienſis Epiſcopus exul 645. 3
Dii Gentium 582. 32

Dime-

Dimectorum regio 100. 34. 111. 33
Dinguirin & Gurbirneth regiones 114. 44
Dionothus Rex Cornubiæ filiam ſuam Urſulam cum XI millibus Virginum nobilium Conano tranſmittit pro Uxoribus 219. 52. 556. 42
Dionyſius Bacchus uſum Vineæ Græcis monſtrat 573. 8
Dionyſius Paſchalem Cyclum compoſuit 143. 31
Dirham regio 252. 12
Diſſonantia Hiſtoriarum 578. 23
Ditune villa 503. 18
Diviſio Regnorum Britonum inter filios Bruti 590. cap. 6
Diviſio trium Mundi partium inter 3. filios Noe 568. c. 4
Dolobellus Proconſul Regis Britannici 132. 30
Domitianus Imperator interficitur 603, 33
Domnania 165. 21
Donaldus Rex Scot. 667. c. 15. cum Danis pacis fœdus inire contra Anglos renuit 670. 23. crebras victorias & triumphos à Pictis reportat. 667. 4. moritur 644. 36. 670. 20. in Jona Inſula ſepelitur 670. 50
Donaldi Conſtantini filii ſucceſſio 670. c. 20. 642. c. 20
Donaria Ædgari Eccleſiæ Rameſienſi 402. c. 22.
Donaria Eccleſiæ Rameſienſ. 445. c. 26
Donatio Lefrici Diaconi 450. c. 101
Donationes quæ Eccleſiæ Rameſ. annumeratæ ſunt 409. c. 33. per Regni mutationem in alienum Dominium tranſeunt 445. c. 89. non omnes factæ ſub eodem tempore Eccleſ. Rameſ. 409. c. 33
Donatus 730. c. 45
Donevaldus Brek benedictionem accipit à St. Columba 642. 39
Dongardus in ſolium regni ſublimatur 629. 20
Dorhurſt 274. 6
Dorcic. *al.* Dorcit & Dorkinga 231. 51. 232. 4
Dornaceſter. 364. lin. 54
Dorubernium urbs 228. 4
Dorruencio amnis 229. 38
Dracones flammei viſi ſunt volitare per aera 252. 6
Droſtanus Pictorum Rex amicitiam promittit Hengiſto 631. 12
St. Droſtanus habitu monachali indutus ſeipſum offert hoſtiam 640. 32
Dubricius Urbis Legionum Archiepiſcopus 636. 4.
Duffus Rex Malcolmi Regis filius homagium præſtat Regi Edredo 674. 16. ſuccedit Regi Indulfo 674. 41. in pace regnat 674. 46. è cubiculo extractus interficitur 675. 4
Duglas flumen 114. 18. 225. 11
Duisburg ſedes Normannorum 168. 49
Dullinge Villa 357. 7
Dunwallo Momucius 214. 56
Dunwallo debellat quinque Reges 553. 28. Aratra colonorum in munia præſtat Ibid.
Dunbar 262. 49
Dunbertus Epiſcopus Wentanus de quo mira leguntur 254. 44. fato fungitur 258. 21
Duncunus Rex 687. 44. filius Crynyn 683. 44. ei Rex Malcolmus Cumbriam dat 684. 12. homagium præſtare Cnutoni Regi recuſat 684. 48. ſuccedit Malcolmo Regi, in perfidorum laqueos incidens, vulneratur & occumbit 687. 18. & ſeqq. ejus filiorum expulſio de regno 688. 45. moritur 687. 44
Dunelium 280. 24
Dunewulfus ſubulcus ſed poſtea literis inſtructus præficitur Epiſcopatui Wintonienſi 258. 22
Dungallus bellum pene 50. annos ſopitum reſuſcitat 654. 45. ejus ſucceſſio 654. 58
Dungardi ſucceſſio 629. 24
Dunham Villa fertiliſſima 468. 27
Dunſtanus 541. in pago Glaſtonienſi naſcitur, miraculis coruſcat 261. lin. penult. 389. 29. primo Glaſtoniæ Abbas, deinde Wigorniæ & London. Præſul tandem Archiepiſ. Cantuarienſis 342. 13. 264. 39. 245. 27. 317. 24. 267. lin. 1. 325. 3. 392. lin. ult. 544. 43. Edgaro Regi poenitentiam pro illicito ſanctimonialis concubitu ſeptennem imponit 267. 5. Ædwardum filium Ædgari regem conſecrat 413. 40
St. Dunſtanus reſtaurat & ornat Monaſterium Meldunenſe 366. 26. ei ad Edredum Regem ægrotantem properanti vox obitus clare inſonat 264. 15. 542. 15. vocem coelitus emiſſam audit 389. 36. 390. 10. mandat Egelredo obſidionem urbis & diſcedit 270. 21. ſuſpectus eſt regi Eadwind 542. 50. exul revocatur 264. 34. 544. 2. profert oraculum 269. 49. ejus Vaticinium adverſus Regem Ædelredum 501. 45. ejus Prophetia de Ethelredo Rege 681. 34. naſum Dæmonis comprehendit forcipibus ignitis 270. 41. diem obit ſuum 270. 32. ipſius oſſa à Cantuaria tranſlata Glaſtoniam 302. 18. qualiter ſub terra recondantur 302. 48. qualiter eadem iterum inventa fuerint 303. 22
Dunwallo Molmucius Rex 214. 6
Dunwic 232. 15.
Duodecim Diſcipuli Philippi Apoſtoli mittuntur in Britanniam ad annunciandum Verbum Dei 292. 36
Dusblan Mahbon & Malmunyn Scoti ex-

amore Chriſti peregrinantes Carabum intrant ſine velo ſine armentis & in Cornubiam adveniunt 258. 54
Dwynea Epiſcopus Scotus 645. 47
Dyrhum 490. 52
Dyunbaer Civitas 70. lin. ult.

E.

EAdbertus Rex frater Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis 529. 22. relicto regno fit Monachus 529. 45
Eadbertus Rex Cantiæ capitur à Kenewulfo 530. 27
Eadgarus Rex emit poſſeſſiones 484. c. 45. aſſumitur in participationem Regiminis 543. 46. ipſius encomium 543. 34
Eadguin & maximus hominum numerus baptiſmum accipiunt 117. 18
Eadhedus de Lindeſey ad Ripenſem Eccleſiam ponitur 240. 54
Eadmundus cognomento ferreum latus Yrenſide. filius Æthelredi Regis 546. 43. quinquies cum Cnutone congreſſus eſt 549. 19
Eadmundus Rex Eſtangliæ 156. 10. 532. 32. unde oriundus 159. 38. ſuccedit fratri Ealſtano in Regno 540. 48. invitus pacem init cum Cnutone 549. 26. in menſa occumbit 541. 18. 549. 34. Martyrio coronatur 161. 39. 534. 2. occiſus à Danis 534. 43
Eadredus ſuccedit fratri ſuo Eadmundo in Regno 541. 21. Northymbriam devaſtat 541. 38
Eadricus longus de Æſtſexe legat Regi Ædgaro Havecheſtune &c. 480. c. 38. 481. 2
Eadulf cognomento Ewelthild Comes Northymbr. 544. 53
Eadulfus filius Eaſi 531. 9
Eadwald 61. 11
Eadwardus ſuccedit Eadgaro Patri ſuo 545 39. Capit Lundoniam & Oxenarfordam 175. 2. Rex & Martyr cultello percuſſus à Noverca interficitur 546. 24
Eadwinus filius Eadmundi aſpirat ad Regnum 541. lin. pen. ſuccedit Eadredo Laſcivus eſt 542. 40
Eadwoldus filius Accan occiditur 174. 42
Eadwulfus ultra-Umbrenſium Rex 85. 4 Solio dejicitur 85. 10
Ealchſtanus Epiſcopus ſepultus 159. 19
Ealdcyrcenes epple 295. 24
Ealde Uxor Ordmari 465. 41
Ealfridus vel Alhfridus Rex 45. 47
Ealſinus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Alpinis montibus frigore enecatur 544. 28
Ealſtanus vel Ethelſtanus filius R. Edwardi Senioris Gytrun in Angliam revocat 539. 20. Angliam in Monarchiam redigit 539. 41. moritur 540. 47
Eanbaldus Epiſcopus 730. 5. & 12
Eanfled legat Sanctæ Ætheldrydæ 5. acras 77. 17
Eanfledam natam Deo conſervandam Rex per Paulinum aſſignat 229. 45
Eanfricus Rex Berniciorum 230. 49
Eanredus Rex Northymbrorum 530. 49
Earnaldus ex regia Francorum ſtirpe editus ſuſcipit Dunſtanum exulem 543. 18. Blandinium Monaſterium ab Amando Epiſcopo conſtructum renovatur ab Earnaldo 543. 21
Eardulfus in Regem evehitur 530. 47
Eata apud Lindisfar. Eccleſ. 240. 51. apud Dorceſtriam ordinatur 248. 32
Eathelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis 536. 30
Eathelredi uxor Cnutoni Daco copulatur 550. 1. ejus filius 550. 1
Eathelwoldus cognomento Mol Rex Northybrorum regnat 6. annos 29. 48
Ebalus Pictavienſium Comes 172. 50
Eboracenſis Baſilicæ ruinoſæ renovatio 59. 30
Eboracum Civitas 158. 56
Eboraci conditio 158. 56
Ebrancus filius Memprícii regnat 213. 17. ejus ſoboles 213. 19. mittit filias ad Albam Silvium 213. 20. trans Humbram urbem Eboracum condit. 213. 23. ejus filii duce Aſſaraco Germaniæ partem occupant 213. 22
Eburleagh 356. 43
Ecbertus Rex Cantuariorum religioſus 58. 43
Eccleſia Anglorum poſt obitum Ædgari tribulationem patitur 412. c. 37
Eccleſia de Ely miniſtrat in Curia Regis 501. c. 20
Eccleſia Glaſton. 313. 16
Eccleſia Rameſ. ſubvertitur 418. c. 53. reædificatur 424. c. 58. denuo dedicatur 424. 7
Ecfridus filius Offæ regnat 154. 40. 239. 15 ejus Victoria 61. 20
Ecga immundo Spiritu agitatur 528. 16
Ecgbertus 725. 18. & 20. 727. 53
Ecgfridus Rex Judicium Apoſtolicæ Sedis contemnit 69. lin. 1. &c. ejus Victoria contra Wlfarium Regem Merciorum 61. 43. & ſeqq.
Ecgricus Rex Oriental. Anglorum 146. 26 occiditur 146. 30
Ecgbrychus Rex Orient. Saxonum regnat 154. 48
Echa Anachoreta 727. 45
Echachius Rothay primus Scotorum Inſulas Albionis inhabitantium Rex 580. 46
Echoth Hyberniam petit 613. l. ult.
Eclypſis 146. 36. 168. 30
Eda Rex Scotorum 227. 46
Edbaldus Rex Cantiæ 228. 30. obit 233. 8. Ejus Soboles d. loco.

Edburga

Edburga Virgo Sanctimonialis filia Regis Edwardi Senioris 259. 52
Eddredus Rex Benefactor Eccl. Glaſton. 327. 36
Edelard Rex ſucceſſor Ine concedit Eccleſiæ Glaſton. 60. hidas 313. 6
Edelburga ſoror Regis Edbaldi Regi Edwino copulatur 229 22
Edelredus Rex 709. 24
Edenburg 213. 25
Edgarus 319. 14. 264. 38
Edgarus in Regem eligitur 390. 44. Edwinus frater ejus 264. 25. ejus proſapia 388. 2. ſoboles 265. 31. elogium 264. 36. & 267. 42. 676. 14. à Dunſtano & Oſwaldo Præſulibus conſecratur 264. 36. eo Authore omnes lupi deleti & deſtructi fuerunt in Anglia 265. 3. Ludwallo Wallanorum regi tributum luporum 300. imponit 265. 1. Kinadium Scotorum Regem, deſpicatui ab eo ductus, ad duellum provocat 265. 12. filiam cujuſdam Comitis defloraturus decipitur 268. 45. Monaſteria conſtruit plurima 264. 44. Eccleſiam Anglicanam in priſtinum ſtatum reponit 339. c. 14. 392. 18. Benefactor Eccleſiæ Glaſtonienſis 319. 13. 327. 44. Cœnobii Rameſienſis 402. 33. ejus ſermo maleviventes Clericos perſtringens 677. 22. 678. 1. & ſeqq. oſſa quorundam de Bethleem à R. Edgaro tranſlata 301. 20. 319. 14. moritur 267. 42
Edgarus filius Edmundi factus fuiſſet Rex ſi Clerus conſenſiſſet 690. 20. & ſeqq.
Edginæ filii 259. 45
Edgifilius Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 316. 10
Edgiva Lodovico copulata 259. 51
Edguin duo filii cum Patre interfecti 116. 32
Ediomus filius Elle 225. 44
Editha à Sancto Ethelwaldo increpatur 265. 44
Editha Virgo Edgari filia 265. 35. ejus corpus poſt obitum intra ſex hebdomadas in pulverem redactum præter pollicem dextrum 265. 49
Edmundus frater & Succeſſor Æthelſtani Regis 389. 31. 317. 24. 263. 30. ejus victoria 363. 44. Northymbriam rebellantem ad officia compellit 263. 34 multas Civitates de manibus Danorum extorquet 263. 50. Danos devincit 273. 55. Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 317. 24. 327. 27. revertitur ad Weſtſaxoniam 273. 56
Edmundus cognomento ferreum latus à Londinienſibus cum nonnullis Proceribus in regem evehitur 273. 41. obit. 280. 53. 549. 20. Londoniam liberat 273. 52. apud Aſſhedunum occurrit Canuto 274. 1. Canutum in prælio vincit 273. 45. & 53. cum Canuto init duellum 274. 22. Pax inter Edmundum & R. R. poſt duellum conſtituitur 274. 5. & ſeqq. ejus filii ad Regem Suavorum tranſmittuntur interficiendi 274. l. ult. 275. l. 1. occiditur 254. 30. 255. 8. 263. 48. 389. 42. ab Edrico ferro transfoditur 274. 29. paſſus eſt Anno 870. 159. 37. 162. 41. pugione perfoſſus interiit 673. 50
St. Edmundus à Paganis Martyrizatur 668. 9. 669. 25
Edmundus filius Edmundi Regis obit 275. 4
Edmundus Presbyter eligitur Epiſcopus Lindisfar. 275. 34
Edol conſul Claudioceſtriæ palo interficit ſeptem Saxones 558. 24. LXX. Saxones 223. 1. occidit Hengiſtum 558. 47
Edredus Rex ab Odone conſecratus Northymbros rebellantes conterit 264. 3. crudeli cæde vaſtat 674. 3. Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 318. 40
Edredus Edwardi Senioris Regis filius 259. 47
Edredus & Edmundus Reges ex Ethelwitha uxore Edwardi Senioris 259. 50. conſecratur 264. 3. moriens Dunſtanum Confeſſorem accerſit 264. 14
Edricus Proditor & verſutus nebulo 271. 14. fallax 273. 49. perfidus 273. 49. fit Dux Merciorum 272. 9. Lothario ſuccedit 242. 29. Canuto ſe dedit 273. 35
Edmundum interficit 274. 27. decollati caput ſuper portum London. ponitur 274. 32. vid. 275. 18
Edſius Epiſcopus 276. 34. Archiepiſcopus Doroberniæ 450. 36. obit 278. 54
Educus Proditor 684. 22
Edwardiſtowe locus ubi pulmo Edwardi Regis adhuc palpitat 269. 35
Edwardus Senior R. filius Ealfredi Regis 259. 40. 538. 25. occidit duos Reges & Comites 263. 48. condit Urbem Tomeſtriam & Wiggemere 261. 18. & deſtruit Temesford 261. 18. Benefactor Eccleſ. Rameſienſ. 453. 21. Elfwinam ſecum ducit 261. 28. Scotorum Cumbrorum & Wallanorum Reges in deditionem accipit 259. 40. & 43. 261. 55. ſubjugat ſibi Thomewurth & Snotingham 261. 42. obit apud Farndon juxta Oxoniam 261. 57. dat ſigna mortis apud Corniſgate 269. 23
Edwardus filius Edgari in Regem erigitur 268. 52. conſecratur 413. 2. Benefactor Eccleſ. Glaſton. 317. 17. Benefactor Eccl. Rameſienſis 413. 2. dolo Novercæ ſica perfoſſus martyrio coronatur 677. 17. 269. 20. 546. 25
Edwardus Ædelredi R. filius Rex eligitur munificus erga Eccleſiam Elyenſem 509. 25

Edwardus Egelredi filius coronatur in Regem 277. 34
Edwardus Rex inter Miſſarum Solemnia ridet 278. 25. Menſæ aſſidens ridet & cauſam riſus exponit 283. 38, dat Roberto Archiepiſcopatum Dorobern. 278. 35. videt viſionem 284. 10. Pater Margaretæ & Edgari Adeling 281. 1. paulo ante obitum ſuum oſtenditur ei per viſionem Calamitas Regno Angliæ incumbens 699. 3. 698. c. 11. apud Monaſterium obit 284. 26. 461. 19. 671. 36. 515. 4
Edwardi Charta ad Hemmingford 455. c. 110. Charta de terra & Soca quam dedit apud Brocton 455. c. 111. Charta de Conditione fodiendorum lapidum pactionis 456. c. 113. Charta qua plurima concedit Eccleſiæ Rameſienſi 454. c. 108. ejus donatio 413. cap. 41. ejus Soboles 275. 5. ejus exceſſus 461. c. 120. ejus filiarum copulatio 259. 47. ejus obitus 698. c. 11. apud Hereford 260. 43.
Edwardus Rex ducit Aghatham filiam Henrici Imperat. 275. 4. Willielmum nothum adoptat 275. 12. mittitur in Normanniam pro eo in Regem coronando 277. 28. in regem coronatur ab Edſio Archiepiſcopo Cantuarienſi 277. 34. deſponſat Goditham 277. 36. De Neuſtria quoſdam remunerandos advocat 277. 43. Matrem detrudit in Monaſterium 277. 49. Claſſem congregat contra regem Norreganorum Haraldum Harefoot 278. 22. Algarum exlegat 281. 4
Edgarus Rex terram Walliæ duobus fratribus Griffini concedit 283. 9. dedit Eccleſiæ Rameſienſi Ringſtede 453. cap. 106.
Edwardus Archidiaconus miraculoſe ſanatus 375. 41
Edwius Rex Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 319. 3. 327. 40. nimis petulans ne quidem die Coronationis abſtinuit à Venere 692. 13. in complexum Meretricis devolvitur 675. 25
Edwinus filius Edmundi ab Odone Archiepiſcopo conſecratur in regem 264. 19 Dunſtanum Patria expellit 264. 22. 265. 7. 390. 27. & ipſe expellitur Regno 264. 25. primo conſecrationis die in nefarium cubitum ruit 264. 21. mortuus ſepelitur Wintoniæ 264. 30. Edwinus apud Redwaldum Regem Orientalium Anglorum latet 228. 51. promovetur ad utrumque regnum Northymbrorum 229. 13. apud Eboracum baptizatur 230. 6. primus Regum Anglorum Euboniam Inſulam conquiſivit 230. 28
Edwinus Rex Ruſticorum appellatur 274. 34
Edwinus Rex 704. 36. 706. 50
Edwinus baptiſmum ſuſcipit & XII millia hominum in uno die cum eo 114. ult. & ſeqq. prædium dono dat Archiepiſcopo Odoni 403. 27
Edwinus frater Edmundi Regis interimitur 274. l. penult.
Edwinus filius Regis Edwardi mari ſubmergitur 671. 38
Edwinus Rex Northymbrorum 228. 51. à Cadwallone Britonum & Penda Merciorum Regibus occiditur 230. 33. 642. 44
Edwinus & Morkarus Comites Merciorum & Northumbrorum Edgarum Ædeling in Regem evehere ſatagunt 217. 1
Edwolfus frater Regis Edmundi vitam agit heremiticam 255. 14
Efruinus Dux pius 64. 13
St. Egberet 721. 7
Egbertus Rex 236. 43. 249. 39. 316. 8. Benefactor Eccleſ. Glaſton. 315. 5
Egbertus Rex Cantiæ obit 239. 35
Egbertus Rex Weſtſaxonum 252. 15. obit 253. 34
Egbertus ſuccedit Patri Alcmundo contemporaneus Kenulfo, poſt cujus mortem omnia ejus regna ſibi ſubjicit 531. 16. expulſus reſtituitur 251. 14. 252. 15. apud Carrum pugnat 253. 26. obit 253. 34
Egbertus à Danis præficitur Northumbris 531. 33
Egbertus Rex Northymbrorum regno ſe abdicans Monaſterium intrat 250. 39
Egbertus Monachus peſte corripitur & vovet Deo 236. 52. converſuro Germanos divina Oracula reſiſtunt 243. 33. redit ad Monaſterium Sancti Columbæ 243. 37. plurimas Scotiæ Provincias veram Paſchæ obſervantiam docet 246. 41
Egbertus frater Regis Edberti ſuccedit Wilfrido Epiſcopo Ebor. 249. lin. penult.
Egbertus Epiſcopus 721. 7. 725. 18
Egbertus Rex 359. 42
Egbrychtus moritur 152. 5
Egelgarus de Monacho Glaſton. factus eſt primus Abbas novi Monaſterii Wintonienſis, deinde Epiſcopus Ciceſtriæ, poſtremum Archiepiſcopus Cantuariæ 325. 5
Egelnothus Archiepiſcopus Cantuariæ Elphegi corpus de Londino ad propriam Eccleſiam reducit 275. 46
Egelnothus Vicecomes interficitur 696. 41
Egelredus filius Edgari R. in Regem evehitur, ſævus, infauſtus & miſer fuit 269. 44. Civitatem Roffenſem obſidet 270. 21. Benefactor Eccleſiæ Glaſton. 322. 42. 327. 54. ducit Emmam in uxor. 271. 37. ejus Soboles 270. 3. illam cum duobus filiis ad Normannorum Comitem

tem tranſmittit 273. 9. vaſtat Cumberland & Inſulam Moniam 271. 27. apud Shrobbesburiam morabatur 272. 6. omnes Danos una nocte occidi jubet 271. 39. Cornutum de Lindeſeia profugat 273. 30. Angliam peſſum dedit 367. 20. obit Londini 273. 37
Egelwardus Abbas Glaſton. 322. 8. 323. 43. 324. 1
Egelwinus Epiſcopus 282. 19
Egferthus filius Offæ Rex Merciorum ablatum prædium reddit Monaſt. Meldunenſi 257. 52. 359. 20
Egfredus Rex 713. 17. & 18
Egfridus Rex Nordanhymbrorum occiditur à Pictis 146. 55. à Scotis 648. 21. 242. 16. vaſtat Scotiam 242. 16
Egfridus filius Regis Oſwi deſponſat ſibi Sanctam Etheldredam. 236. 38
Egfridus Rex 716. 24. 777. 53
Egredus filius Regis Offæ 530. 25
Egrico traditur regnum à R. Sigeberto 232. 21
Eguinus Epiſcopus Wigornienſis viſione fruitur 357. 21
Sancti Egwinus ſuccedit Offoro Wictiorum Epiſcopo tertio 243. 45. clavem compedum ſuorum in Amnem projectum miraculosè recipit 246. 50. moritur 246. 50
Egwinus Abbas Meldunenſis 245. 26
Eldol Dux Claudioceſtriæ 70. Saxones interficit 223. 1
Electi campus in Gleviſing. 108. l. pen.
Eleather Pontifex Romanus 142. 22
Elfegus Archiepiſcopus de ſede propulſus 301. 52
Elfildis puella venuſta 368. 40
Elfled filia Edwini baptizatur 114. 46
Elfleda Oſwi Regis filia 236. 12
Elfleda Regina 260. 51
Elfleda Rectrix Merciorum uxorem Regis Wallorum capit & renovat Legeceſtriam 261. 16. capit urbem Derbeiæ 261. 19. urbem condit 261. 1. Soror Regis Edwardi 260. 51. Regnum Merciorum ſtrenue regit, multas Urbes condit & reparat 260. 51. prædas agit in terra Britonum 261. 16. ejus elogium 261. 3. moritur & ſepelitur 261. 22
Elfredus Anglo-Saxonum Rex 361. 56
Elfricus Abbas Monaſterii Glaſton 317. 5. obit Epiſcopus Abbas Glaſt. 325. 30
Elfricus Abbas Meldunenſis 365. 43
Elfricus à vermibus conſumptus 269. 42
Elfricus vilis transfuga 270. 52. ejus filius 270. 54
Elfrida filia Orgari Comitis Dovoniæ monaſterium Sanctimonialium conſtruit 268. 36
Elfritha interfectrix Edwardi Regis poenitentiam agit in monaſterio Monialium 269. 37. Conſtruit duo Monaſteria 269. 31
Elſſi Epiſcopus Dunelmenſis 545. 2
Elfwinam unicam filiam Elfledæ Edwardus ſecum ducit in Weſtſaxoniam 261. 28
Elfwinus Rex occiditur 64. 1
Elfwordus Londonienſis Præſul vitam peragit in Monaſterio Rameſciæ 271. 16
Elge Regio 490. 34
Elgina Regis Edmundi uxor 263. 30
Elidurus Rex Britanniæ 214. 50 reperit fratrem ſuum Arthgallonem errabundum, quem in regnum reſtitui curat 214. 51. tertio in regnum reſtituitur 215. 3
Elig Inſula Elienſis 519. 11. 520. 17. 521. 35
Ella Tyrannus ad regnandum advocatur à Northymbrenſibus 254. 50
Elle cum tribus filiis ſuis ad Britanniæ oras appulſi multos Britones interficiunt 224. 23
Elle filius Iſſi regnat in Provincia Deirorum 225. 39. obiit 226. 12. 254. 49
Elle Rex Northymbrorum perimitur à Danis 251. 46
Elleſworth Manerium 438. 40. & 45
Elmeſtanus Wintonienſis Epiſcopus 531. 50
Elmund Abbas Monaſter. Glaſton. 316. 15
Elnotus ex Monacho Glaſton. factus eſt Archiepiſcopus Cantuar. 325. 14
Elphegus Calvus Wintonienſis, Epiſcopus vir propheticus 262. 25
St. Elphegus Abbas Bathonienſis ſuccedit Ethelwoldo Præſuli Wintonienſi, poſtmodum fit Archiepiſcopus Cantuarienſis 270. 18. 272. 1. & 37. apud Bathon anachoritice vixit 272. 38. Aulafum Regem Danorum baptizat 271. 1. à Danis captus cruciatur & interficitur 272. 22. & 32
Elſinus Wentanus Præſul in ſedem Cantuarienſem intruditur 266. 40. piis manibus Odonis inſultat 266. 43. obit frigore enectus 266. 51
Elſtreda Regina venefica 491. 29
Elſwinus frater Regis Egfridi occiditur in prælio 240. 39
St. Eltuti nola ablata in collo cujuſdam equi ſuſpenditur 268. 1
Elwinus Dux in prælio cæditur 672. 29
Elyenſis Eccleſia locum adminiſtrandi in Curia Regis obtinet 501. 2. ejus fratres emunt poſſeſſiones apud Grantebrucge 476. lin. ult. multas emunt poſſeſſiones 477. c. 31. ei terra de Blunteſham emitur 478. c. 35
Elyenſe Cœnobium renovatur 463. c. 1 ejus Abbas emit poſſeſſiones 477. c. 34
ElyenſisEccleſia quibus dedicata ſit 489. c. 1

Emma Uxor Regis Egelredi 271. 37. vocatur Alſgiva 448. 38
Emma adulterii inſimulata ſubit examen ferri candentis 278. 10. læſa ſcribit Epiſcopum injuſtem diffamatum eſſe 277 53. nubit Canuto Regi Danorum 275. 16. 434. 14. 549. 31
Enarauth Rex Moniæ 98. 14
Enſis divinitus immittitur in vacuam Æthelſtani vaginam 389. 11
Enus frater Redwaldi 146. 31
Eobba Pater Idæ 114. 40
Eochricus & Athelwoldus Reges Nordmannorum 174. 43
Epiſcopalis ſedes Lindisfarum ad Dunelmum transfertur 270. 24
Epiſcopatus & Sedes 204. 25
Epiſcopi Reges Anglorum baptizantes 645. c. 39. Occid. 205. Orient. 206. Northymbrani 207. Septem Britonum conveniunt cum viris doctiſſimis ex Monaſterio Bangorienſi 227. 27
Epiſcopus Lincolnienſis & Abbas Rameſ. occiduntur 274. 4
Episford Vadum 110. 34
Ercombertus Rex Cantiæ 41. 52. 233. 8
Erkengoda fit Sanctimonialis 233. 13
St. Erkenwoldus Epiſcopus Londonienſis tertius conſtruit duo Monaſteria 73. 27. 239. 47
Ermenburga Regina filia Regis Cantiæ Ermenredi 240. 22
Ermenilda uxor Wulferi Monaſterium intrat 240. 6
Ermenricus filius Ottæ Regis Cantiæ ſuccedit Patri 225. 39
Ernulfus de Heſdinge miraculoſe ſanatur 379. 21
Erth Filius Echadii 621. 19
Eſcebtiorne Villa 295. 20
Esk fluvius 605. 47. 624. 23
Eskwinus Rex Weſtſaxonum pugnat prope Windanhaef 240. 1
Eſtangla Norfolchia dicitur 532. 35
Eſtre Villa injuſte quondam Eccleſiæ Elyenſi ablata 512. 22
Eſtrefeld campus 86. 2
Eſwi Epiſcopus 484. 18
Eſwinus occiditur 240. 38
Ethelardus Rex Succeſſor Ine 529. 1. dat denarium Sancto Petro ex ſingulis domibus 529. 3
Ethandun 168. 3
Ethelardus Rex Weſtſaxonum obit 249. 46
Ethelardus Archiepiſcopus 359. 21. & 37
Ethelbaldus Rex Merciorum 254. 32. 529. 8. ex parte fratris Alivii 40 annis regnavit 246. 32. Juvenis regiæ Proſapiæ agitur exilium 528. 1. Villam de Somertona obſidet & ſubjugat, Northymbriam deprædatur, Wallenſes devincit 246. 34. omnia regna Auſtralis Angliæ ab Umbra ſuæ ſubdit ditioni 529. 12. Heremiticum locum Guthlaci in Abbatiam mutat 529. 8. Britonum reliquias à Logria abigit & in Cambria ſola facit reſidere 529. 16. devincitur à Rege Weſtſaxonum Cuthberto 246. 36. occiditur 246. 37
Ethelbaldus Rex Merciorum apud Sigiſwold occiditur à Beornredo Tyranno 250. 22. apud Rependonium tumulatur 250. 24
Ethebaldus Rex Weſtſaxonum uno tantum anno regnat 254. 33. Novercam ſuam ſibi in uxorem copulat 254. 35. mortuus ſepelitur apud Shirburn. 254. 36
St Ethelbertus Rex Eſtanglorum regno & vita privatus per uxorem ſuam Kinelwitham 251. 50
Ethelbertus ſuccedit in regnum Weſtſaxonum 254. 40
Ethelbertus Rex Occidentalis Angliæ 532. 31. occiditur ab Offa 530. 18
Ethelbertus filius Molli Rex Northymbrorum eligitur 250. 46. expellitur regno 250. lin. pen.
Ethelbricus Pronepos Hengiſti 225. 49. ducit in uxorem Bertam Francigenam 225. 54. ſuſcipit Prædicatores Roma miſſos 293. 39
Ethelbrictus Rex Cantiæ fundator Eccleſiæ beati Pauli 228. 1. bellum infert Regi Weſtſaxonum Ceaulino & Cuthæ fratri ejus 226. 3
Ethelburga uxor Regis Ine ſecedit in Monaſterium, & tandem Abbatiſſa fit 248. 11. ſoror Sancti Erkenwoldi 239. 50
Ethelburga Eadulfi Regis filia Abbatiſſæ nomen accipit 528. 26
Ethelburga filia Offæ copulatur Brihtrico Regio Weſtſaxonum 250. 35. 251. 19. veneno extinguit Regem cum Adoleſcente 251. lin. 22
Etheldredus Rex Merciorum 240. 4. wulfero ſuccedit
Etheldredus Rex Merciorum vaſtat Cantiam 240. 31. habitum monachalem induit 244. 27. apud Bardeney
Etheldredus Dux & Subregulus Merciorum 258. 44. obit 260. 51
Etheldredus ſuccedit in Regnum Weſtſaxonum 254. 46. obit 255. lin. pen. ſepelitur apud Winburnam 255. 48
Etheldredus nuper expulſus ſuccedit Oſredo Regi Northymbrorum, ſed paulo poſt occiditur 246. 30. 251. 42
Etheldredus ſuccedit Colnotho Archiepiſcopo Dorobernienſi 255. 12
Etheldreda fit Abbatiſſa Helyenſis 239. 17. & ſeq.
Egfrido filio Regis Oſwi deſponſatur 236. 38. 239. 17. Relicta Tonberti 239. 17. miraculis coruſcat 236. 41. moritur 241. 30

Ethelfridus

Ethelfridus filius Ethelrici regnat ſuper Northymbros 226. 18. 227. 46. ejus Soboles 226. 21. vaſtat Britones, Monachos occidit 228. 7. pugnat contra Edan Regem Scotorum & peremptus eſt 227. 46. 229. 12. 641. 47
Ethelgiva vel Algiva Mater Eadwini Regis 542. 39
Ethelgof filia Aluredi, Abbatiſſa 258. 48
Ethelingenſis Abbas AbbatiGlaſtoniæ paret 331. 1
Ethelingum Nobilium Inſula ubi Arx conſtructa eſt ab Aluredo 258. 9
Ethelmundus uſque ad vadum Chimereſford egreſſus pugnat contra Ducem Wiltonienſium Weoſſtanum 252. 31. vincitur 252. 33
Ethelnotus Dorobernienſis Archi-Præſul obit 276. 32
Ethelrecus Rex 527. 41
Ethelredus filius tertius Ethelwlfi Regis Weſtanglor. 534. 47. viriliter reſiſtit Danis 533. 47. Benefactor Eccleſ. Glaſton. 316. 30
Ethelredus Rex Merciorum Benefactor Monaſterii Meldunenſis 345. 23. Fundator Monaſterii Celiſige 546. 49. obit 549. 16
Ethelredus filius Ethelwoldi Moll regnat 5. annos 529. 50
Etheldredus de exilio rediens ſuſcipit regnum 530. 1
Ethelredus Rex Edwardi Regis filius omnes Danos uno die occidi jubet 681. 17. in Fonte Baptiſmi Alvi profluvio Sacramentum polluit. 677. 23
Ethelricus Ivæ filius regnat 5 annos 226. 12
Ethelricus Wintoniæ Epiſcopus obit 276. 32
Ethelſtanus Edw. Regi Patri ſuo ſuccedit 261. 51. Edw. ex Egwina filius 252. 49. Britones Aquilonales perdomat 263. 20. Cornugalliam ſubigit 263. 22. Exceſtriam reparat 263. 20. ſororem ſuam copulat Sichtrico Danico Regi Northymbrorum 262. 1. St. Johannem Beverlacenſem viſitat 262. 42. in expeditione contra Scotos cultellum ſuum ſuper Altare ponit mox digno pretio redempturus ſi victor rediret 262. 41. Miraculum edit 262. 47. cum fratre Edmundo occurrit Anlafo apud Brimford 262. 53. Regnum Northumbræ expulſo Sichtrici Regis filio ſuo reunit 262. 1. Regem Britonum Hoelum & Conſtantinum Scotorum Regem in deditionem recipit 262. 3. Sororem ſuam alteram Ottoni Imperatori dat in uxorem 262. 7. à quo pretioſa dona accipit 262. 8. moritur apud Gloverniam 263. 29.
Ethelſtanus Rex Benefactor Eccleſ. Glaſton 316. 38. & Eccleſiæ Meldunenſis 362. 45
Ethelſtanus Dux Benefactor Eccleſ. Glaſtonienſis 316. 24. 45
Ethelſtanus ſuccedit Ceolredo Regi in Mercia 528. 25
Ethelſtanus Ægelwardi frater vendit Æthelwoldo Epiſcopo 2 Hydas 487. 3
Ethelwalch Rex cum Regina & ſubditis ſuis ad fidem Chriſti convertitur 72. 20
Ethelſwitha Regina Aluredi 256. 30
Ethelwinus Epiſcopus Monach. Glaſton. 325. 24
Ethelwinus Dux in prælio occumbit 672. 29
Ethelwinus Alderman fundator Monaſterii Rameſienſis 546. l. pen.
Ethelwitha filia Regis Athulfi deſponſata Regi Burdredo 256. 21
Ethelswitha uxor Regis Edwardi Senioris 259. 50
Ethelwlfus alias Atulfus Rex Weſtſaxonum 359. 48. Benefactor Monaſterii Meldunenſis moritur 254. 32
Ethelwlfus Dux Barocenſium occiditur à Danis 255. 32
Ethelwlfus ſuccedit Egberto Patri ſuo 531. 36. 232. 31. ejus genealogia 535. 5. obit 254. 32
St. Ethelwoldus Wintoniæ Præſul diem obit 270. 14. V. *in Æthelw. & Athel.*
Ethelwoldus Clito invadit Merciam 260. 27. vide *Clito Ethel:*
Ethelwoldus filius Oſulphi Rex Northymbrorum 529. 52. occiditur 529. 53
Ethelwoldus Comes Edgaro à Secretis 268. 16. ab Edgaro Rege jaculo trajicitur 268. 31
Ethericus Epiſc. Dorcaſtriæ ſuccedit Ædnotho Epiſcopo 434. 19
Ethſyn Rex filius Eugenii VI laude dignus eſt 650. 14
Ethelberga Relicta Edwini Monaſterium intrat 233. 13
Etta munſter villa 359. 16
Evariſtus Papa Romanus 130. 14
Eubonia Inſula 98. 41. 100. 36. 230. 38
St. Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus inter orandum Ecſtaſin patitur 650. 8
Eugenii ſucceſſio 623. c. 5. 637. c. 26. 641. c. 32. 650. c. 46
Eugenii IV & Eugenii V ſucceſſio 648. c. 43
Eugenii VI & Murdaci ſucceſſio 649. c. 45
Eugenius qui & Echodius Hebdir occiſo Gonrano patruo ſuccedit 637. 19
Eugenius Buydnel ſuccedit Aydano in Regnum 641. 3
Eugenius Rex filius Ferguſii Regis murum nomine Grymiſdike funditus evertit 624. 6. 625. 4. 626. 40. moritur 629. 18
Eugenius Rex Scotorum in bello cadit 613. 46

Eugenius IV ſuccedit Maldwino Regi 648. 16
Eugenius V Filius Ferthardi Fode pacem cum Anglis colit 648. 29
Eugenius VI Rex in pace regnat vicinis charus & dilectus 649. 26
Eugenius VII ſuccedit Regi Ethfyn 650. 18
Eumerus Sicarius Regem Edwinum necare conatur 229. 39
Europa, unde ſic vocetur 568. 13
Euſtachius Comes Bononienſis in Angliam adveniens è manibus tumultuantium vix evadit 279. 1. &c.
Exceſtria 271. 47. reparata ab Ethelſtano 263. 22.
Exempla varia Luxuriæ 691. c. 2

F.

FAmes valida 154. 55. Europam graviter affligit 646. 24
Faramundus Rex Francorum 143. 11
Farndon 261. 50
Farne inſulæ nomen 714. 42. 715. 35
Favitius Abendonienſis Abbas 337. 20
Fauſtus filius Guorthigirni de filia ſua per inceſtum natus 112. 10. vid. 111. 2. condit locum juxta flumen Renis 112. 14
Felix genere Burgundus Epiſcopus Dunwic 232. 15
Felix primus Eſtanglorum Epiſcopus obit 234. 25. ejus reliquiæ transferuntur in Eccleſiam Rameſienſem 437. 30
Fergus filius Ferehad, ſive Ferehardi primus Rex Scotorum regnantium in Albione 583. l. ult.
Ferguſius primus Rex Scotorum 594. 35
Ferguſius Scotorum Rex occumbit in prælio 623. 27
Ferguſius filius Erth conjunctus cum Pictis regnum de jure ſibi debitum recipit 621. 19. & 23. 622. 11. expellit Romanos & Britones 621. 2. & 23. 622. 22. ejus encomium 621. 20. ejus mors 623. 29
Ferguſius filius Ferthar 622. 10
Ferguſius filius Ethfyn regni Coronam adipiſcitur 650. 20. veneno extinguitur ab uxore 650. 23
Fernigemere 298. 44
Ferrex & Porrex regnant 213. 55
Ferthardus Rex 644. 37. 642. 34. Succedit Eugenio Patri in Regnum 642. 28
Figegatus vide Sigegarus Abbas Glaſtoniæ 322. 43
Firmwail Rex Regionis Guortigirmanum 112. 16.
Flandriæ Comitatus Origo 669. 35
Floriacum 391. c. 10
Flumina famoſa 196. 33. fluminum numerus 98. 44
Fluvii exitiales 10. 14
Focas Imperator regnat 8 annos 227. 45. 730. 45
Foganus & Donnanus mittuntur in Britanniam 216. lin. ult.
St. Foilanus Foſſenſe Monaſterium fundat 645. 1
Folkwinus Claudus miraculoſe ſanatur 374. 45
Fontes calidi 193. 23
Fordham Villa 481. 5
de Fores Villa 670. 48. 674. lin. penult.
Formoſus Papa 259. 4
Fortunatus 730. 42
Foſſa prope Inſulam Grymiſidike 622. 3
Franco Archiepiſcopus 165. 54. baptizat Rollonem Normanniæ Ducem & Exercitum ejus 166. 1
Francorum Regum Origo 143. 12. 632. 25
Francorum Regis prima electio 624. 6
Francorum Regum ſibi invicem ſuccedentium nomina 654. 10
Fratres duodecim in Occidentem Veniunt & tenent plurimas Regiones, ſcil. Venedociam Demecium, &c. 295. 18
Fratres habent viſiones poſt Oſwoldi diſceſſum 426. 2
Freothulfus Rex 225. 45
Freſones 713. 48. 721. 31
Frideſwida in pago Oxoniæ oriunda Virgo Filia Ducis Didani, cujus precibus Rex amiſſum viſum recipit 249. 33
Frithegodus Oſwoldi Præceptor 391. 7
Frithſtanus Wintoniæ Epiſcopus obit 262 19
From fluvius 343. 39. 352. 30
Froom Monaſterium 356. 20
Frugum magna copia in Britannia 221. 22
Fulanus 644. c. 37
Fulbertus Carnotenſ. Epiſcop. 380. 33
Fulgentius 218. 34. 730. 34. tributa Romanis ſolvere detrectat 604. l. ult. cum Scotis & Pictis fœdus init 605. 11. & 35
Fullanham 168. 43. 258. 28. juxta flumen Tameſis 168. 38
Furſeus Vir Sanctus 144. 13. Peregrinans à Rege Clodoveo honorifice ſuſcipitur 644. 46. fruitur viſione angelica 232. 27
Furſei parentes 168. 38. 638. 28 Monaſterium conſtruxit 232. 32. relinquit Monaſterium & in Gallia moritur 233. 4
Fyf 688. 42
St. Fynanus Scotus Epiſcopus Lindisfarnenſis baptizat Regem Peadam filium Pendæ 644. 42
Fynewenne filia Griffini 640. 30

G.

GAaul & Pengaaul 103. 20
Gaent 168. 45
Galerii & Conſtantii Imperatorum Succeſſio 610. c. 41
Galfridi Scripta de Bartholomæo 577. Art. 22
Gallus, Allecti ſocius, occiditur à Venedotis 218. 44
Gaudfridus primus Anglorum Rex à Scotis baptizatus, ſed fit Apoſtata 645. 41
Gauwanus & Mordredus filii ſororis Aurelii Patrui Arthuri 636. 31
Gaytelos vide Geytelos
Geatta (Geta) pro Deo cultus 535. 15
Gelgehes uxor Philtani Regis Hyberniæ Mater St. Furſei & fratrum ejus Feylam & Vulcan 639. 3
Genealogia Saxonum 116. 6
Genuiſſa Regi Arvirago datur in conjugium à Claudio Cæſare Patre ſuo 216. 19
Germania 711. 10. unde dicta 221. 50
Germani 214. 23
Germanus Prior Weſtbyrienſis 394. 38. Abbas fit Monaſter. Winchelcumbæ 400. 24. 412. c. 39. repetit Floriacum & exinde denuo Rameſiam revocatur 394. 32. 412. 28. transfertur ad Monaſterium Celiſege 429. 35. 546. 51
St. Germanus Antiſiodorenſium Urbis Epiſc. 296. 12. 105. 48. 222. 50. 557. 26. venit ad annunciandum Evangelium in Britanniam 105. 44. miſſus a Papa ad reprimendum hæreſin Pelagianam 557 26. nonnulla miracula edit 105. 48. 106. 18. hoſtes in fugam vertit 558. 13. Regem Benti adit 105. 50. baptizat Ketel 106. 44. Guortigernum corripit 108. 4 vitulum reſuſcitat 223. 30
Getha filius Severi Imperatoris 142. 42. 607. 18
Gewiſſa uxor Arviragi 600. 42
Geylana duobus fratribus ſucceſſive nupta 649. 4. Chillianum interfici curat 649. 4
Geythelos Rex Scotorum prim. 570. 26. filiam Pharaonis Scotam conjugio ſibi copulat 570. 32. regno Ægypti expellitur 571. 34. in Regem eligitur 572. 3. navem conſcendens cum ſuis verſus Occidentales Mundi Plagas viam dirigit 572. 18. advehitur ad oras Hiſpaniæ 572. 41. 573. 33. Præſcribit populo ſuo leges Phoronei Græcis datas 576. 10. ſtationem facit in Africa 572. A. 12. primam ſedem obtinet in Hiſpania 573. Art. 14. ejus filii 576. Art. 20. ejus receſſus ex Ægypto 572. A. 13
Geyneburg Villa, ubi Suanus Danorum Rex interficitur 273. 16
Giberianus Scotus 633. 22
St. Gildas 296. 1. Hiſtoricus 634. c. 22. miraculis claruit & ſpiritu ſæpius Prophetiæ 634. 10.
Gildeford 277. 11
Gilla Henrici Imperatoris Soror Salamoni Regi Hungarorum matrimonio copulatur 681. 27
Gillenus Scotus convertit Provinciam Attrebatenſem ad fidem 641. 25. & miraculoſe fractum vitrum redintegrat Ibid.
Gillomaurus R. Hiberniæ 223. 22
Gilmerius Scotus Miles egregius contra hoſtes Chriſti ſtrenue pugnat 651. 21
Giraldus Cambrenſis & Aluredus Rivallenſis aliud ſentiunt de morte Haraldi 286. 47
Girvenſe Monaſterium 726. 7
Gitrus 538. 10. vid. Gytrus. ejus baptiſmus 538. 14
Glaſteing Glaſtoniam ingreſſus ſedem fixit ſuam 295. 27
Glaſtingeta Monaſterium 294. 56
Glaſtoniæ nomina diverſa 295. 31
Glaſtonienſis Eccleſia 294. 36
Glaſtoniæ Eccleſia fundata 292. 21. omnium antiquiſſima in Anglia 292. 18. 299. 41. 310. 9. ejus Sanctitas & dignitas 299. 50. reparatur ope Dunſtani ſub Regibus Edmundo & Edgaro 247. 30
Glein flumen 114. 16
Gleviſing regio 108. lin. ult.
Glevy flumen 230. 12
Glovernia 241. 55. 261. 22
Glouceſtre urbs à quo ædificata 112. 25
Glouceſtria unde vocetur 217. 22
Guoirangonus præfectus Cantiæ 107. 37
Godcelini factione calix cum patina aufertur Eccleſiæ Elyenſi 495. l. ult.
Gode Presbyter Benefactor Eccleſ. Rameſienſis 418. 28
Godefridus Glaſtoniæ Monachus 294. 47. de Glaſtonia refert 294. 45
Godefridus Abbas Meldunenſis 376. 41
Godefridus vid. Analafus
Godiva relicta cujuſdam Comitis vidua poſſeſſiones diſtribuit Ædeldridæ 503. 43
Godgiva comitiſſa per mediam Urbem Coventriam nuda equitat 282. 29
Godingus legat St. Ædeldrydæ Hydam terræ 479. 43. donat Eccleſiæ Elyenſi 503. 9. vid. 503. l. pen.
Goditha Filia Godwini deſponſatur Edwardo Regi 277. 36
Godricus Benefactor Cœnobii Rameſienſis 409. 29. 430. 7
Godwinus dives Benefactor Eccleſ. Rameſienſis 417. 42
Godwinus Cantiæ Comes filius Edrici 698. 43. procreat ſeptem filios 281. 31. ejus

Crudelitas in Normannos Hoſpites 277. 7. cum filiis ſuis in gratiam Regis Edwardi redeunt 279. 49. ejus Comitatus datur Haraldo 280. 49. Donatio ejus 417. c. 51. ejus uxor ictu fulminis perit 251. 39. ejus filius in Thamiſi ſubmergitur 281. 39. citatur ad Curiam 279. 8. alteram ducit uxorem de qua ſex filios ſuſcipit 281. 43. apud Gildeford ſexcentos viros interficit 271. 11. cum filiis navigat ad Comitem Baldewinum 279. 31. à Proceribus & à Rege Hardeknuto inculpatur 277. 18. ad Menſam Regis Edwardi accumbens poſt execrationem mox ſuffocatur 280. 36

Gonrani ſucceſſio 633. c. 21. inſidiis circumventus extinguitur 635. 33. ejus encomium 633. 35

Goron Monaſterium à St. Cônſtantino fundatum 637. 12

Gorthigernus regnat in Britannia, & benigne ſuſcipit Fratres Germanos Horſum & Hengiſtum 105. 39. tradit Inſulam quæ vocatur Taneth 105. 43. Gozolum Ducem Cornubiæ necat & Igernam uxorem ejus ducit 224. 50

Gothi Decium & Valentem Imperatores occidunt 661. 22

Grantebrygge. Cantabrigia 466. 23. 467. 17. & 38

Grantedene empta ab Epiſcopo Æthelwoldo 487. 8

Gratianus 104. 48. à nonnullis Britonibus eligitur Imperator, ſed occiditur 618. 20. à Maximo 616. 48. Britanniæ Rex à Plebe occiditur 104. 9. 220. 9 regnavit 3 annos in Britannia 104. 39

Gregorius 730. 33

Gregorius Papa 704. 25. 706. 39. mittit Auguſtinum Monachum ad prædicandum Anglis Verbum Dei 226. 23. ad Auguſtinum mittit Mellitum, Juſtum, Paulinum, &c. 227. 1. obiit 143. 52

Gregorius Rex Scotorum Pacem ſtabilit in Regno 668. 28. Hyberniam & Angliam fere totam ſibi ſubjugat 668. 38. Piratas Danorum, &c. maritimas oras vaſtantes perdomat 668. 48. obit 669. 40

Griffinus filius Aydani Malgoni Regi Britonum ſuccurrit 638. 37

Griffinus Rex Walliæ Radulfum Comitem Herfordiæ in fugam conjicit 696. 39. ejus Palatium apud Ruthelan & naves ejus ab Haraldo Duce Comburuntur 289. 1. abdicatur ac tandem interficitur 283. 7

Grimbaldus Confeſſor quondam obit 260. 10

Gryme filius Kenethi filii Duff inſignia regia ſuſcipit 680. 37. interficitur 683. 19

Gryme Brito Dominio pellitur 623. 36

Grymiſdike 622. c. 3

Gual 107. 46

Guaniæ flumen 223. 5

Guanius Rex Hunnorum cum Melga Rege Pictorum Albaniam occupant 220. 6. vid. Gwanius.

Guarinus Abbas Meldunenſis 376. 41.

Guaſmoric urbs 110. 5

Guban Abbas Glaſtoniæ 314. 8

Gudredus in ſervitutem detruſus tandem Rex conſtituitur 539. 8

Guendolena uxor Locrini bellum infert Locrino 213. 2. regnat 15 annos 213. 3

Guenneſi Regionis nomen 110. 4

Guernet Regionis nomen 98. 15

Guiderius regnum ſuſcipit 216. 2. ejus obitus 216. 16

Guidy Urbs 622. 46

Guiher & Guely Regio 100. 32

Guillegodus Abbas 530. 17

Guitelinus Rex Britonum filius Gurguncii 214. 39

Guitelinus Archiepiſcopus Londonienſis 557. 15. tranfretat ad Aldroenum Regem Armoricæ Britannicæ 220. 50. Aurelium & Uther educat 221. 1. reducit Conſtantinum Regis fratrem & evehit in Regem 220. 53

Guerigilda Canuti filia adulterii falſo accuſatur 276. lin. pen. Velum ſacrum ſuſcipit 277. 1

Gunnild uxor ſecunda Eadgari Regis 545. 33

Gunnion Caſtellum 114. 20

Gunylde Swani Regis ſoror 681. 20

Guojenit Regionis nomen 108. 30

Guorthemir filius Guorthigirni cum Hengiſto & Horſo & illorum gente pugnat 110. 9. & ſeqq. Patris nequitiæ non conſentit 110. 18. in Lincolnia ſepultus eſt 110. 46. pro Patre & Sorore veniam petit 110. 19

Guorthigirni genealogia 112. 17. ejus filii 112. 4. propriam filiam in uxorem ducit 108. 6. ejus Filia conſilio Patris dat filium, quem peperit ex inceſtu Germano, dicens Germanum illius eſſe Patrem 108. 10. damnatur ab omni Conſilio Britonum 108. 19 Saxones invitat 15. 40. adamat puellam Hengiſti 107. 32. dat Hengiſto Regionem Chent pro filia 107. 37. dat pro redemptione plures regiones 111. 27. aufugit in Guorthigirnianam Regionem ubi igne cœlitus miſſo cum ſuis in Arce perit 108. 22. 111. 39. illuc Puer ſine Patre natus adducitur 109. 7

Guortigermanum nomen Regionis 112. 9.

Gurbirneth vid. Dinguirin.

Gurguntius Bartrus Belini filius Rex Britannorum mittit Baſclenſes ad Hyberniam incolendum 214. 34

Gurguſtius regnat 213. 55

Germundus Danorum Rex cum ſuis ab

Alfredo

Alfredo Rege baptizatur 670. 37. vid. Gutrun.
Gurth Frater Haraldi 286. 2
Guthlac Abbas Glaſton. Monaſterii 316. 12
Guthlacus Confeſſor 246. 33. adit Monaſterium Repondonii 243. 52. miraculis inclaruit 244 1. apparet Ethelbaldo 528. 22. ejus Vita 507. uſque ad 530. Anachoreta obit 151. 51. 246. 25
Guthredus regiæ dignitatis & generis Vir Servituti mancipatur & venditur 533. 29
Guthram Rex Alfredum adit 168. 119. ab eo de ſacro Baptiſmatis fonte elevatur 168. 22. 168. 17. moritur 171. 51
Gutrun Tyrannus Danus crudelior cæteris 533. 24. 536. 30. 537. l. ult. 538. 12
Guttris Rex Dacorum Adelſtanus appellatur 258. 11. ab Aluredo de ſacro baptiſmatis fonte levatur 258. 12
Guttrun i e. Guttris, Gurmundus vocatur 258. 13. moritur 258. 16. vide Guthran
Guyderius Rex Britonum 603. 39
Gwanius Rex Hunnorum 220. 1. trucidat cum Melga nonnullas Virgines in ejus libidinem non conſentientes 220. 2. vid. Guanius
St. Gyberianus Scotus peregrinatur 633. 24

H.

HAbredes [alias Hakedes] i. e. Lucius 385. 39
Hacun filius Suani datur Obſes Pacis 279. 43. 283. 11
Hadufrid Presbyter 88. 8
Haegleſdum Sylvæ nomen 161. 54
Hagano Miles 172. 11
Haguſtaldenſe Monaſt. 62. 35
Halfdenus in Regionem Nordanhymbrorum tendit 165. 4. eam inter ſe & exercitum ſuum diſtribuit 165. 24. vid. Healfdena
Hamedone 316. 34
Hamo ad Portum Hamonis occumbit 216. 16. 17
Hampteſhira 225. 24
Hamptunenſis Provincia 250. 21
Hantunenſis Paga 167. 45. vide Hampteſhira.
Haraldus Rex Norreganorum in oſtium Tynæ fluminis appellit cum trecentis navibus 284. 49. in Regem conſecratur 447. 27. Daniam ſibi ſubjugat 278. 34. Emmam Opibus ſpoliatam Anglia expellit 276. 30. ejus mors 284. 56. 276. 37. 515. 44
Haraldus Hareſot putatur Canuti & Elgivæ filius 276. 23. à nonnullis habetur pro ſuppoſititio 276. 28
Haraldus Godwini Ducis filius 279. 33. Fratrem ſuum Wilnotum & filinm fratris Hacun inviſit 283. 11. ejus Comitatus Algaro datur 280. 49. captus à Pontico Conſule tranſmittitur Duci Normanniæ 283. 14. Walliam adit 282. 56. Regnum occupat 284. 30. eligitur in Regem 515. 11. Conſtituit Thurſtanum Abbatem Elyenſem 215. 16. Regem Norreganorum & fratrem ſuum Toſtium gladio interficit 284. 55. ictu ſagittæ procumbit 286. 37. 515. 38. 461. 33. ejus Corpus Matri conceditur quod ipſa apud Waltham Monaſterium Canonicorum ſepelivit 286. 44
Hardecnut in Regem evehitur 276. 40. 447. 38. filius Cnutonis 550. 26 Haraldi Regis corpus exhumari & capite abſciſſo in Tamiſin projici mandat 276. 40. 688. 36
Hardecnut dat ſororem ſuam Gunigildam Henrico Imperatori in Matrimonium 276. 52. Donat Eccleſiæ Glaſtonienſi 323. 44. & Eccleſiæ Rameſienſi 448. 36. 449. 20. repentina obit morte 277. 21. 450. 25
Haſtengus venit in Oſtium Tamenſis fluminis 172. 7. cum exercitu Mare tranſit 172. 44 ejus uxor ad Lundoniam adducitur 172. 26
Healfdena Rex Paganorum occiditur 174. 49
Healdleaga Villa reg. 171. 55
Hedda Epiſcopus ordinatur à Theodoro Archiepiſcopo 241. 27. Benefactor Eccleſiæ Glaſtoniæ 326. 42. transfert oſſa Birini in Eccleſiam Wentanam Apoſtol. Petri & Pauli 231. 55. vid. 232. l. 1. tenet Lichfeld 244. 34. & Legeceſtre 244. 37. obit 147. 41. 244. 29. 354. 14
Hederham villa 474. 20
Hegeliſdum Villæ nomen 160. 34
Helena Mater Conſtantini Imperatoris 556. 5 & 11. Londonium muro cingit 556. 11
Helena Caſtrum 612. 17
Helle villa 474. 20
Helmſtanus Wentanus Præſul obit 253. 29
Helvius Pertinax interficitur 604. 33
Hely Rex Britonnm 215. 7. ejus ſoboles 215. 9.
Helyus Adrianus Imperator muros Hieroſolymitanos reparat 604. 15
Hemgeſel Abbas Glaſtoniæ 308. 25
Hemmingford prædium Eccleſiæ Rameſienſi acquiſitum ſed poſtea amiſſum 449. 17
Hengiſtus vir aſtutus & callidus 107. 20. Dux Saxonum 525. 19. Hengiſtus & Horſus

Horſus fratres in Britanniam veniunt 222. 3. 557. 25. omnium paganorum ſceleratiſſimus 533. 13. facit convivium Guorthigirno Regi 107. 25. poſtulat Regiones juxta Murum Gual 107. 45. filiam ſuam dat Guorthigirno in Matrimonium 107. 40. occidit Britones & capit Guorthigirnum 111. 22. ejus dolus 111. 12. 630. 1. 222. 53. ſuſcipit regnum 143. 21. 225. 23. eligitur Rex à Saxonibus 622. 33
Hengiſti filia adducitur à Saxonibus 222. 28. cum filio ſuo Oſca apud Crekanford pugnat contra Britones 224. 11. cum eo occidit duodecim Duces Britonum apud Wippedifflete 224. 19. fato fungitur in Cantia 224. 27
Henigel Monachus 151. 16
Henricus Bloys Ab. Glaſt. 294. 53
Henricus ſecundus Imperator tranſmittit Edmundum ferreum latus 280. 52
Heorſtanus Pater Dunſtani 544. 6
Heraclius Imperator Coſdroe Rege interfecto ſanctam Crucem reportat Hieroſolymam 642. 11
Herford 269. 33
Heriri montes 108. 30
Herius filius Horoldi in Regem eligitur à Northumbris 541. 44
Herlwinus Abbas 332. 50
Hermannus Flandrenſis Wiltoniæ Epiſcopus dimittit Epiſcopatum & habitum monachalem ſuſcipit 281. 17. duos Epiſcopatus unitos cum tribus pagis diu tenet 281. 24
Herolfus Presbyter Monaſt. Horninggeſeie 482. 4. committit ſacrilegium 482. 18
Herwaldus Presbyter 721. 39
Heskebertus occidit Kenelmum Regem Merciorum 252. 56
Heſperiæ regnum 703. 39
Herberti reliquiæ 300. 47
Heth Aliped Rex 667. 38. velocitatis titulo præ cæteris annotari meruit 668. 13
Hevenfeld 231. 1
Hibernia 711. 12 ejus ſitus & unde ſic dicta 179. 15. 575. 18. ejus deſcriptio 575. 32. incolæ priores 181. 44. unde repleta ſit incolis 100. 36. & 22. Scoti ibi primam fixerunt ſedem 569. l. ult. Hybernici Piratæ multas agunt prædas 278. 44
Hidæ 12 Glaſtoniæ 328. 48
Hidæ unde ſic nominentur 292. 51. 296. 48. 307. 6
Hiems maxima 154. 3
Hieronymus 730. 30. fato fungitur 143. 5
Hieroſolyma capitur 642. 9
Hilarius Ep. 730. 30. obit 142. 51
Hilda monialis piiſſima 55. 49
Hilda Abbatiſſa de Whitby 236. 20 obitus ejus 241. 33
Hildericus Rex habitum monachalem induit 650. 14
Hinderling quid ſonet 275. 10
Hinguar & Hubba Dani Duces Nordanhymbrorum 160. 14. Interfectores St. Edmundi Regis 225. 8. veniunt apud Redingum 255. 27
Hiſicion filius Alani 101. 43
Hiſpani quomodo Hyberniam poſſideant 100. 25
Hiſpania 572. 12
Hiſtoreth Dalrietam tenuit 100. 29
Hiſtoria de quodam pœnitentiam agere differente uſque dum moritur 147. 44 de puero ſine Patre 109. 11. & ſeqq. nomen ejus Ambroſius 109. 52. vid. Merlinus.
Hiſtoriarum diſſonantia excuſatur 579.
Hludowicus Rex Occid. Francor. moritur 168. 32
Hlodowicus frater ejus moritur 169. 8
Hocca Præfectus Epiſcopi Wilfridi 61. 9
Hocton Villa dono datur Eccleſiæ Rameſ. 408. c. 30
Honorius Papa pallium mittit Archiepiſcopo Doroberniæ Honorio 230. 28
Honorius Doroberniæ Archiepiſcopus 230. 14
Honorius Cantuariæ Archiepiſcopus obit 235. 36
Honorius Imperator 142. 54
Honorius & Arcadius filii ſuccedunt Patri Theodoſio Imperatori 618. 11
Honorius Auguſtus diem obit 624. 43
Horningeſeie Villa 481. 39. 487. 2. & 33
Horſus & Hengiſt filii Guitgils veniunt à Germania 105. 33. 222. 12. Horſus Dux Saxonum 525. 20. in Britanniam venit 557. 25. Horſus & Categirnus mutuis vulneribus occiduntur 222. 45. Horſa moritur 110. 40. 143. 19. vid. Hengiſtus.
Hoſtes Britanniæ multorum ſuorum ſtrage exterminantur finibus 14. 25. & ſeqq.
Hreopedun nomen loci 164. 46
Hripenſis Eccleſia 714. 30
Hroſeſceaſtra Civitas 155. 28. 168. 51
Hubaldus Archidiaconus miraculoſe ſanatur 376. 1
Hubba Danus maris tempeſtate perit 535. 27. vide Hinguar.
Hubertus Monachus miraculoſe ſanatur 373. 50
Huctredus comes obviam factus Cnutoni Regi occiditur 549. 4
Humbertus Merciorum Archiepiſcopus 530. 6
Humbra flumen 148. 25. 262. 53. 612. 46
Hunfredus Præſul 250. 15
Hungeve Vidua acquirit ſibi Stipendium de Monaſterio Elyenſi per Contractum 477. 8

Hungi

Hungi victoria contra Athelſtanum 666. c. 14
Hungus Pictorum Rex decimam regni partem beato Andreæ Apoſtolo tradit 615. 44. Contemporaneus Æthelwolfo Regi Anglorum 665. c. 13
Hunni & Wandali vaſtant Urbes Galliæ ſupra Rhenum ſitas 221. 26
Huſa fluvius 174. 35. vide ouſa.
Hy Inſula 635. 37
Hyber filius Geythelos Inſulam invenit, 574. 44. 575. 10. inventam ſubigit & obtinet 574. 10. illa à nomine ſuo dicitur Hybernia 574. Art. 17. ſuccedit Patri ſuo in regimine 576. 38
Hybernia 569. Art. 6
Hybernis fluvius 569. 39
Hymba Inſula 638. 3
Hynguarri & Healſdenæ frater ad Domnaniam venit 167. 17. vide Igguar.

I.

JAgo regnat 213. 55
Jarmnan Epiſcopus 646. 8
Ida primus Rex Berniciæ 114. 41. primus Rex ex Anglis 526. 33. Filius Eobbæ 114. 43. jungit Dinguirin & Gurbirneth 114. 44. quot annos regiones tenuerit 114. 43
Idanus Sanctus Epiſcopus 301. 19
Ider filius Regis Nuth. 307. 32
Idle amnis 229. 12
Igerna uxor Gozoli 224. 50
Iglea 167. 49
Igguar Danus interficitur à Northymbris 535. 28. Igguar & Ubba Duces Danorum cum magna claſſe appulſi ad oras Britanniæ 533. 22
Ignatius Epiſcop. Martyr 27. 5. vide inguar.
Sanctus Iltuit 301. 21
Imago beatæ Mariæ in Eccleſia Glaſtonienſi 305. 1
Imperatorum Rom. Succeſſio 604. 36. 603. 29. 616. 50. 616. 52. 618. 49
Ina Rex Saxonum Benefactor Monaſterii Glaſtoniæ 309. 5. 326. 44. Malduneſburgenſis 346. 52. ejus privilegium conceſſum Eccleſiæ Glaſtonienſi 311. 16. regno relicto Romam petit 151. 56. ejus elogium 346. 44. ejus obitus 151. 56. 312. 48. vide Ine.
Incuningum nomen Regionis 148. 50
Indiſſa nomen Urbis 709. 29
St. Indractus 298. 15. ejus tranſlatio 300. 32
Indulfus Rex Scotorum in Prædones Danos irruens plures occidit, tandem ſpiculo percuſſus decumbit 674. 36
Ine Rex O. S. 527. 34. 528. l. pen. ſuccedit Cedwallæ 147. 26. 243. 14 conſtruit Monaſterium apud Glaſtoniam 247. 30. ibi tranſlata ſunt oſſa quorundam Sanctorum 247. 38. vid. l. 47
Ingles & Ines Genealogia 535. 7. Romam proficiſcitur 247. 47. ejus elogium 346. 44
Ine R. Occid. Saxon. & Colredus Rex Merciorum pugnant apud Wodeneſburg 246. 26. obit 528. 55
Ingils frater Ine obit 247. 3. Ingils & Ine ſunt filii Cœnredi 535. 6
Ingliſ 527. 34
Ingulfus vi aufert Monaſterio Elyenſi Brandune 485. 9
Inſula Elyenſis cingitur metis & auctoritate munitur 489. 2
Inſulæ adjacentes Britanniæ 195. 3
Inſularum Scoticarum nomina 592. 22
St. Johannes Baptiſta caput ſuum revelat 627. 46
Johannes 720. 35. Abbaſin ante Altare occiditur 173. 22
Johannes Beverlacenſis ad Eboracum tranſit 242. 40
Johannes Canaan 303. 53
Johannes Epiſcopus 722. 23. 723. 18. 724. 30
Johannes Epiſcopus Eborum moritur 247. 9
Johannes Epiſcopus Portuenſis 66. 6
Johannes Pontifex 78. 6. & 13. 242. 40 ejus Epiſtola ad Ethelredum & Alfridum Reges 81. 32
Johannes Scotus Philoſophus 669. 44. venit in Angliam 360. 44. vid. 361. 34. graphiis perforatur à Pueris 670. 6
Johannes de Watelege 303. 31
Jona Inſula 670. 50
Joſephus filius Jacobi Patriarchæ quo anno obierit 571. 17
Joſephus ab Arimathia præficitur duodecim Diſcipulis Philippi Apoſtoli 292. 39
Jovinianus ſuccedit Juliano Apoſtatæ in Imperio 616. 25
Irminburg Regina Ecgfridi Regis 63. 22. flagellata & ſanata 71. 20
Iſaias Propheta ſerra lignea per medium ſecatur 579. 28
Iſis in numerum Dearum refertur 576. 15. 583. 3
Ithamar Præſul Roffenſis 235. 38. ſuccedit Paulino 234. 24
Ithanceſtre locus ubi Ced Epiſcopus prædicat Evangelium 234. 36
Judea urb. 117. 29
Juditha Caroli Francorum Regis filia 15. 23. 253. 49
Julianus Apoſtata rerum potitur 616. 16
Julius Cæſar primus in Britanniam pervenit 102. 51. ad ſubjugandam illam 215. 11. bellum infert Britannis 594. 45 in Britanniam advectus eſt & bis repulſus 215

215. 33. 102 32. & 40. redit propter Francorum Rebellionem 596. 16. revocatur in Britan. ab Androgeo 554. 52. ejus imperium 596. 17. 597. 4. tertio rediens Britanniam ſubjugat 102. 42. & 45. ejus Domuncula lapidea 596. 19
Julius Cæſar confoſſus 102. 47. 598. 2. percuſſorum pœna 686. 8
Julius Martyr 11. 32. 555. 42
Julius Menſis unde originem trahat 102. 46
Ivo beatus apud Inſulam Rameſey vitam pergit 271. 31. cuidam apparet 271. 29. ejus oſſa inveniuntur 271. 28. 431. 20
Juſtinianus Imperator libros Juriſconſultorum Romanorum in unum volumen redigi curavit 635. 20. privatur regno 649. 8. reſtituitur lin. 13. interficitur à Philippo d. l. lin. 17
Juſtus Mellito Cantuariæ Archiepiſcopo ſuccedit 227. 17. mittit Paulinum in Northumbranam Gentem 229. 22
Juvencus 730. 40

K.

KArolomannus Romam pergit & ibi monachus efficitur 154. 4. 166. 15. ab apro interficitur 165. frater Karoli magni moritur 154. 16
Karoli imperium 654. 53
Karoli tertii viſio 169. 34
Karolus Alamannorum regnum accepit 169. 14. Regno expulſus moritur 168. 27. 171. 35
Karolus Italiam ingreditur 166. 14
Karolus Magnus Rex Francorum 154. 15. fit Imperator 154. 43. Romam adit & inde reverſus Papiam capit 154. 17. iterum Romam pergit & deinde ad Sanctum Benedictum & Capuam 154. 28 Hiſpanias intrat 154. 20. per Alemanniam venit ad fines Bavariæ 154. 29. pergit in Sclavos 154. 35. Hungrorum regnum vaſtat 154. 35. Pipini pater æternum damnatus 153. 38
Karolus rex Francorum glorioſus naſcitur 155. 8. rex magnus 650. 47. occiditur 539. l. penult.
Karolus tertius Imperator filius Lodwici ſecundi regnat 156. 13. ex Italia fugiens obit 166. 16
Karolus Martellus filius Pipini primi 151. 52
Kenedrip Abbatiſſa privilegia ſubſcribit 315. 47
Kenelmus filius Kenulfi Rex Merciorum Martyr 530. 41. 252. 2. 252. 54
Kenelmus Rex Merciorum occiditur ab Heskeberto 252. l. pen.
Kenethus Rex 159. 3. 676. 28
Kenethus Rex Scotorum firmiſſimam pacem cum Rege Anglorum Edgaro ac filiis duobus coluit 676. 3. decipitur 679. 32. mira calliditate Scotos in bellum contra Pictos traxit 659. 48. ejus victoria in Pictos 662. 8. Regnum Pictorum ſuo adjicit 660. 26. ſepties cum hoſtibus congreditur & victoriam reportat 660. 23. aliæ ejus victoriæ 660. 4. quoſdam ſubmittere recuſantes occidit quoſdam ad deditionem compellit 662. 46. cum filio ſuo Principum odium incurrit 679. 3. proditorie interficitur 662. 8. 679. l. ult.
Kenethus non ignotæ probitatis Miles in pugna interimitur 680. 35
Kenewalchius ſeu Cedwald Benefactor Eccleſ. Glaſtoniæ 326. 36
Kenewaldus Epiſcopus Monaſt. Glaſton. 325. 41
Kenewoldus Epiſcopus Wigornenſis 544. 20
Kenewulfus multa regna ſibi ſubjugat 530. 26
Kenfrithus Comes Merciorum Benefactor Monaſterii Meldunenſis 345. 1
Kenredus & Offa Reges fiunt Monachi 151 49. 244. 46. 244. 40 Romam vadit 244. 46. vide Cœnredus.
Kenrik in Britanniam appellit 633. 28
Kentigernus 626. 9. diſcipulus Sancti Servani operatur miracula 626. 17. Glaſgweum Epiſcopus 639. 28
Kentuinſus Rex Britones perdomat 349. 6
Kentwinus Rex Oſcwino ſuccedit 241. 26. 308. 27. fugat Britones Occidentales 241. 56
Kenulphus Nepos Pendæ ex Patre Kenwalio 250. 17. regno expellit Sigebertum Regem Weſtſaxonum 250. 17. Rex Weſtſaxonum à Kinhardo cum ſociis circumdatus interficitur 251. 5
Kenulphus filius Cuthberti Rex 251. 53. Cantiam vaſtat & Regem Egbertum in Merciam adducit 252. 1. cum Offa Rege pugnat 250. 52. ejus obitus 202. 54
Kenulphus Rex Merciorum obit 252. 54. relinquit duas filias & filium 530. 38
Kenwalchius Rex Benefactor Eccleſiæ Glaſtoniæ 308. 14
Kenwolcus Rex Weſtſaxonum fidem ſuſcipere renuit 233. 28. filius Regis Kingilſi 232. 10. 233. 20. ejus obitus 239. 37
Kenwinus Rex Glaſtoniam libertate donat 308. 24. Benefactor Eccleſiæ Glaſtoniæ 326. 38
Kenwlfus Abbas de Burch occiditur 174. 41
Ketel Sanctum Germanum hoſpitio excipit 106. 10. & 46

Ketel

Ketel Dumluc Dux 106. 47
Kimbelinus Rex Britonum 216. 1. Tenacii filius 215. 42
Kimmarchus Rex Britonum 213. 56
Kinadius Rex Albaniæ 265. 7. 321. 14
Kineburga ab Oſrico ſubregulo Merciorum præficitur Monaſterio 241. lin. pen.
Kinedrida Deo dicata Wulferi Regis Merciorum Soror 240. 25. Kinedrida & Kineſwida 240. 25
Kinegilſus 228. 16. baptizatur à Birino. ſuccedit Corwlfo Regi Weſtſaxonum 228. 12
Kinelmus Rex Benefactor Monaſterii Glaſtoniæ 314. 18. ei datur poteſtas in Eccleſ. Glaſton. 314. 26
Kinemundus Presbyter 405. 19
Kineſwida Deo dicata Soror Wulferi R. M. 240. 25
Kineth Rex Scotorum à Rege Edgaro honorifice ſuſcipitur 545. 1
Kinewlfus Rex Benefactor Monaſt. Meldunenſ. obit 654. 39
Kinredus Wulferi filius 240. 5
Kinricus 224. 4. ejus obitus 225. 34
Knebbanburge 346. 31
Koemmalch Regnat 144. 6
Kymarius regnat 144. 6
Kynatell Rex 637. 26
Kynedrith Mater Dunſtani 544. 6
Kynegilſus Rex Occidentalium Saxonum Baptizatur à St. Byrino Epiſcopo 143. 54. primus Chriſtianus Rex O. S. regnat 143. 53. 231. 50. aſſignat terram ad conſtructionem Sedis Epiſcopalis in Wintonia, obit 233. 20
Kynelmus Rex Merciorum Martyr 654. 39
Kynewlfus regnat 154. 12
Kynricus filius Cerdici in Britanniam venit 143. 28. regnat 143. 34

L.

Labienus Tribunus occiſus 141. 3. 215. 11
Lac & Buthyrum in Sanguinem mutantur 648. 42
Lactantius 730. 42
Lademund Abbas 308. 8
Lambertus Archiepiſcopus dignitate exuitur ab Offa 250. 49. lapidatur 272. 28
Lampetho Regina electa a Mulieribus 532. 53
Laternenſis Eccleſia 245. 11
Laurentius Abbas Weſtmonaſterienſis 248. 28. Archiepiſcopus 228. 40
Lauſhella in poſſeſſionem Rameſienſium devenit 416. 48
Lefricus 450. c. 101
Leſſius vendit Epiſco. Æthelwoldo 2 hydas 488. 6. Diaconus Benefactor Eccleſiæ Rameſienſis 450. 2
Leſſius & uxor ejus Sifled vendunt Epiſcopo Ædelwoldo prædia, ſed poſtea contractui ſtare recuſant 468. 31. miſerabiliter perit 469. 28
Legati à Julio Cæſare miſſi ad Reges Scotorum & Pictorum 594. 12
Legeceſtria 240. 15. reparatur 261. 17
Leges 202
Leghe Villa 309. 1
Legionum Urbs, quæ nunc Ceſtria, 267. 32
Leiceſtria conſtruitur 213. 47
Leil filius Bladud Rex 213. 43
Leil filius Bruti Rex 213. 30
Lelius Hamo Dux Claudii Regem Guiderium occidit 217. 15
Lelius Hamo apud Porceſtriam 216. 16
Leo Imperator regnat poſt Marcianum 224. 9
Leo v adoptat in filium Aluredum filium Ethelwlfi Regis Weſtſaxonum 254. 19
Leo Papa 730. 33. à ſede expellitur 154. 41. ejus Privilegium pro Kinelmo 314. 46. ejus obitus 154. 55
Leoni committitur cura rei familiaris 490. 2
Leof Latro & ſicarius 263. 44
Leof Monaſterium juxta Herford 269. 33
Leofleda Uxor Oſwini 496. 32. ejus poſſeſſiones 496. 11
Leofricus Abbas Elyenſis 503. 3
Leofricus Abbas de Burgo 456. 36
Leofricus Comes Canuto Regi ſemper favorabilis fuit 275. 21. Comes Ceſtriæ 276. 24. 277. 30. Comes Merciorum 279. 14. multa Monaſteria ditat & reparat 282. 20. ejus obitus 282. 21
Leoſſinus Abbas Elyenſis 504. c. 26. conſecratur ab Archiepiſcopo Dorobernenſi Egelnodo 504. 12. Monaſterio Elyenſi oblatus Deo mancipatur cum multis prædiis 499. 15. dat poſſeſſiones Ædeldridæ 449. 16. obit 511. 35
Leoſſinus Presbyter acquirit Aleſtano Presbytero hydam & campum 483. 41
Leofſtanus & Wulfrici filius vi obtinent 2 hydas Horninggeſeie 483. 6
Leoſwinus Abbas 502. 22. fit Epiſcopus 280. 36. Hyberniam advehitur 279. 33. vide Oſchitellus.
Leoſware terram de Wedreringeſete adjicit Eccleſiæ Elyenſi 508. 11
Legingai locus ab Odilwaldo Rege Deirorum datus Ced Epiſcopo Orientali ad Monaſterium conſtruendum 235. 18
Letaniæ à beato Mamerto Epiſcopo inſtitutæ promulgantur in Scotia 633. 26
Levegarus Epiſcopus occiditur 696. 41
Leutherius præeſt Eccleſiæ Wentanæ 233. 48. confirmatur à Theodoro Archiepiſcopo

copo 233. 48. ſubrogatur Avunculo ſuo Agilberto 239. 33
Lex Marcia 214. 40
Lex ſuccedendi in qua non ſanguinis proximitas, ſed perfectæ pubertatis habilitas antiquitus ſpectabatur, obtinuit uſque ad tempus Malcolmi Regis 658. 12
Lichfeild 244. 36
Lilla ictui Edmundo deſtinato corpus ſuum oppoſuit 229. 41
Limena fluvius 172, 3
Lindeſey Provincia 230. 13
Lindisfarnum Epiſcopatus ſedes apud Dunelmum conſtituta 271. 24. 251. 43
Lindune Manerium 466. 39
Liningus Præſul Wigornenſis obit 278. 38
Liniugus Archiepiſcopus Dorobernienſis 446. 34
Lithanbere 492. l. penult.
Lithleberi 492. c. 5. idem quod Lithanbere
Litorius Conſul Romanus 627. 25
Littlanbyrig locus 521. 32
Littleport villa 490. 35
Livingus Epiſcopus Monachus Glaſton. 325. 43
Liuremere Villa 485. 21
Loci principales infra duodecim hidarum 329. 46
Locria 590. 18
Locrinus primogenitus Bruti 212. 47. regnat uſque ad Hubram fluvium 212. 53
Lodovicus Lodwici filius potitur victoria 168. 47. regnum accipit 155. 17
Lodwicus Imperator obit 155. 20. 174. 54
Lodwicus filius Lodwici Imperatoris regnat 172. 48
Lodwicus Rex Saxon Bavariam ingreditur 168. 39. derelictus à Francis 155. 16. ejus obitus 166. 13
Loedis 132. 42
Loigere Regis anno v Patricius cœpit prædicare fidem Chriſti 113. 15
London Civitas concrematur 270. 13
Londonienſes Mellitum Epiſcopum ſuum redeuntem nolunt recipere 228. 45
Longobardus 103. 7
Lotharius Imperator ſeculo renunciat 667. 15. Romam proficiſcitur 156. 12. 242. 29
Lotharius Egberti frater 239. 35
Lotharius Rex Francorum 155. 16
Lotharius Rex Cantuariæ moritur 242. 31
Lothowicus Karoli Regis Galliæ filius 539. 54
Louthion tractus terræ 544. l. pen.
Lucius filius Coilli Rex Britannus 217. 53. dat literas ad Eleutherium Pontificem pro Religione Chriſtiana amplexanda 142. 24. 217. 46. 293. 33. cum univerſis Regalibus Britanniæ baptizatur 103. 12. primus Reg. Britonum fidem Chriſti ſuſcipit 555. 16
Lucius Otho Imperium invadit 603. 10. ſibi manus infert violentas 603. 14
Ludecanus Rex occiditur 253. 21
Ludgate unde ſic nominetur 215. 30
Lues Animalium maxima 252. 52
Lulach Rex conſtituitur 696. 46. occiditur 696. l. ult.
Lull Archiepiſcopus Doroberniæ 251. 16
Luna ſanguineo rubore profuga 152. 9
Lupus Trecacenſis Epiſcopus mittitur à Papa in Britanniam 557. 26
Luſtwinus cum uxore ſua Leorware multa donant prædia Eccleſiæ Elyenſ. 501. 17
Luya flumen 259. 10
Lyntune Villa 519. 8.

M.

MAcduf exul 688. 46. Malcolmo Cammois reditum ſuadet 691. 6
Machabeus Rex Scotorum 688. c. 45. Filius Finele præcipuus occiſor Regis Duncani 687. 46. Filios Duncani Regis occidere nititur 688. 12. moritur 695. c. 7. 696. 6. ſepelitur 697. 3
Machometus multos populos ſeducit 642. 31
Machutes, qui & Macloveus, miraculis & Sanctitate claret 635. 29
Maddan regnat 218. 9
Magantia apud Longobardos 103. 7
Maglocunus increpatur 20. 13
Magnentius interficit Conſtantem Conſtantini Imperatoris Filium 612. 17
Mahbon vid. Dusblan.
Maidulfi Urbs 263. 30
Mailcunius Rex 116. 15
Mainceſtre ab Edwardo inſtaurata 261. 49
Malcherus Comes datur Northymbrenſibus 283. 34
Malcolmus Rex 673. c. 41. 683. c. 39. 684. c. 40. 697. c. 9. filius Kenethi Regis ejus pugna cum proditore quodam 697. c. 9. 697. c. 10. ejus reditus in Scotiam 695. c. 7. Danos ter debellavit 683. 49. Tributum Danis ſolvere recuſat 681. c. 35. præſtito homagio Regi Ethelredo Northymbrarium in Feudum accipit 680. 11. ejus contentio contra Cnutonem Danum 684. 33. ejus encomium 682. l. pen. ejus prodigalitas 686. 43. vexat Gryme multimodis incommodis 680. 41. occidit eum 683. 21. & 33. coronatur 683. 31. nimis liberalis eſt 686. 32
Malcolmus Rex ſc. ſedem Epiſcopalem erigit 684. 28. fœdus contra Danos init cum

cum Edmundo Rege 673. 40. Moravienſium dolo occiditur 674. 13. 684. c. 41. 385. 24

Malcolmus Rex Cumbrorum homagii nomine tenetur Regi Eadgaro. 546. 20

Malcolmus Chammoire ad Regem Edwardum confugit 688. 19. 689. 36. Se libidinoſum, perfidiæ & doli Artificem ſimulat, furem & latronem 691. 26. 694. 7. 693. 18. in throno poſitus coronatur 697. 9. proditorem ſuum provocat ad duellum 697. 42. ejus encomium 697. 9. Machabeum Regem Scotorum interficit 696. 6

Maldewynus Donaldi Regis Scotorum filius rerum potitur 646. 12. obit 646. 41

Maldmesburge Monaſterium 356. 30

Maldwini ſucceſſio 646. c. 40

Malgo Rex Britonum 559. 10. 225. 21. implorat Aydani Regis auxilium 638. 33. id ei mittitur 638. c. 28

Malmunyn vid. Busblan.

Malva flumen 100. 56

Man Inſula 98. 41

Marcia regnat 214. 42. Maciana Lex 214 39

Marcianus Imperator 221. 16. Occiditur 221. 20. 629. 40

Marcomirus Priami filius Francis præeſt 633. 10

Marcus Antonius Verus regnat 142. 21

Mare freſicum 517. 55

Mare Mediterraneum 568. 3

Margaretæ Soboles 218. 2

B. Mariæ Virginis Nativitas 598, 38

Marianus Scotus Monachus fit 689. 40

Marinus Papa obit 169. 22

Marius Arviragi filius regnat apud Britannos 216. 28

Marius in Weſtmaria Provincia erigit lapidem in quo inſcribitur MARII VICTORIÆ 216. 34

Marmor Scotia producit 591. 25

Maro Virgilius 730. 43

Marpeſſa Regina à Mulieribus electa 532. 53

Marthillach Epiſcopatus fundatio 684. 11. & 29

Martina Heraclii Imperatoris Uxor cum Filio ſuo Heraclona Imperium arripit 644. 29

Martinus Furonenſis Epiſcopus virtutibus claruit 105. 2. obit 143. 3

Martinus Papa poſt Johannem ſedet 258. 39. 240. 23

Martyres 11. 48

Maulus à fratre ſuo Mempricio Rege Britonum occiditur 212 13

Mawron Epiſcopus 308. 6

Maximianus Imperator fit 104. l. pen.

Maximus Britanniam invadens Coronam ſibi ipſi imponit 616. 37. Filius Chœlini avunculi Helenæ 556. 21. Tyran. 12. 23. 612. 29. Regem Romanorum Gratianum occidit 219. 47. 104. 7. 556. 31. regnat in Britannia 104. 3. & 8. 30000 Militum & 100000 Plebanorum ab Inſula Britannica colligit & ſecum abducit 104. 9. 556. 25. 617. 18. 622. 29. Conanum in Armorica Provincia regnare facit 219. 41. apud Britannias factus Imperator ad Gallias tranſit 219. 44. 104. 1. Pictos à Scotis ſeparat 612. c. 44. Scotos bello conterit 616. c. 44. ejus præſumptio contra Romanum Imperium 616. c. 50. Spoliatus indumentis regalibus ſiſtitur & capite damnatur 105. 6. à Theodoſio occiditur 612. 29. 556. 47. 219. 43. & 50

Mazefeld locus ubi ſæpe miracula edita ſunt divina 233. 54

Meardene lutex 259. 6

Meaſſewrde terra dono data St. Æthel-drydæ 487. 19

Medcant Inſulæ nomen 117. 8

Medehamſtude Abbatia 239. 44

Melchu 112. 30

Melga Rex Pictorum 220. 2. vid. Guanius

Mellitus Cooperator Auguſtini Archiepiſcopi à Papa Gregorio miſſus 227. 1. ſuccedit Laurentio in Archiepiſc. 228. 48. expellitur 228. 35

Mempricius regnat 213. 11. à Lupis devoratur 233. 15

Merchene Leaga 538. 20

Merci fiunt Chriſtiani 146. 34

Merciæ Diviſio 166. 22

Merciorum Reges 525. 30

Mereſeige Inſula 172. 42

Mereſis Filius Ermenbergæ 240. 23

Merlinus Vates 631. 23. ex filia Regis Sanctimoniali & incubo Dæmone natus 558. 28. ejus Vaticinium 647. 51

Meroe Inſulæ nomen 191. 50

Meroveus tertius Rex Francorum 143. 14

Merſe fluvius 261. 48

Mervinus Rex Britonum 94. 2

Metallorum in Scotia 591. 26

Mezentius Imperator creatur ſed paulo poſt occiditur 645. 37

Middelangli Myſterio fidei imbuuntur 235. 29

Middeltune Villa 481. 9

Mille ducenti Monachi interficiuntur apud Bangor 559. 21

Milredus Epiſcopus 249. 54

Miniſtri Regis duo occiduntur apud Wigorniam 276. 50

Mirabilia terræ Britann. 189. 6. 193. 21

Miracula 89. 13. & 41. Patricii 113. 17. & ſeqq. in loco Reliquiarum Aldelmi 374. 11

Miraculum 371. 5. 372. 54. 380. 43. 534. 11. fit ad Orationem Alfwardi 44.

copo 233. 48. ſubrogatur Avunculo ſuo Agilberto 239. 33
Lex Marcia 214. 40
Lex ſuccedendi in qua non ſanguinis proximitas, ſed perfectæ pubertatis habilitas antiquitus ſpectabatur, obtinuit uſque ad tempus Malcolmi Regis 658. 12
Lichfeild 244. 36
Lilla ictui Edmundo deſtinato corpus ſuum oppoſuit 229. 41
Limena fluvius 172, 3
Lindeſey Provincia 230. 13
Lindisfarnum Epiſcopatus ſedes apud Dunelmum conſtituta 271. 24. 251. 43
Lindune Manerium 466. 39
Liningus Præſul Wigornenſis obit 278. 38
Liniugus Archiepiſcopus Dorobernienſis 446. 34
Lithanbere 492. l. penult.
Lithleberi 492. c. 5. idem quod Lithanbere
Litorius Conſul Romanus 627. 25
Littlanbyrig locus 521. 32
Littleport villa 490. 35
Livingus Epiſcopus Monachus Glaſton. 325. 43
Liuremere Villa 485. 21
Loci principales infra duodecim hidarum 329. 46
Locria 590. 18
Locrinus primogenitus Bruti 212. 47. regnat uſque ad Hubram fluvium 212. 53
Lodovicus Lodwici filius potitur victoria 168. 47. regnum accipit 155. 17
Lodwicus Imperator obit 155. 20. 174. 54
Lodwicus filius Lodwici Imperatoris regnat 172. 48
Lodwicus Rex Saxon Bavariam ingreditur 168. 39. derelictus à Francis 155. 16. ejus obitus 166. 13
Loedis 132. 42
Loigere Regis anno v Patricius cœpit prædicare fidem Chriſti 113. 15
London Civitas concrematur 270. 13
Londonienſes Mellitum Epiſcopum ſuum redeuntem nolunt recipere 228. 45
Longobardus 103. 7
Lotharius Imperator ſeculo renunciat 667. 15. Romam proficiſcitur 156. 12. 242. 29
Lotharius Egberti frater 239. 35
Lotharius Rex Francorum 155. 16
Lotharius Rex Cantuariæ moritur 242. 31
Lothowicus Karoli Regis Galliæ filius 539. 54
Louthion tractus terræ 544. l. pen.
Lucius filius Coilli Rex Britannus 217. 53. dat literas ad Eleutherium Pontificem pro Religione Chriſtiana amplexanda 142. 24. 217. 46. 293. 33. cum univerſis Regalibus Britanniæ baptizatur 103. 12. primus Reg. Britonum fidem Chriſti ſuſcipit 555. 16
Lucius Otho Imperium invadit 603. 10. ſibi manus infert violentas 603. 14
Ludecanus Rex occiditur 253. 21
Ludgate unde ſic nominetur 215. 30
Lues Animalium maxima 252. 52
Lulach Rex conſtituitur 696. 46. occiditur 696. l. ult.
Lull Archiepiſcopus Doroberniæ 251. 16
Luna ſanguineo rubore profuga 152. 9
Lupus Trecacenſis Epiſcopus mittitur à Papa in Britanniam 557. 26
Luſtwinus cum uxore ſua Leorware multa donant prædia Eccleſiæ Elyenſ. 501. 17
Luya flumen 259. 10
Lyntune Villa 519. 8.

M.

MAcduf exul 688. 46. Malcolmo Cammois reditum ſuadet 691. 6
Machabeus Rex Scotorum 688. c. 45. Filius Finele præcipuus occiſor Regis Duncani 687. 46. Filios Duncani Regis occidere nititur 688. 12. moritur 695. c. 7. 696. 6. ſepelitur 697. 3
Machometus multos populos ſeducit 642. 31
Machutes, qui & Macloveus, miraculis & Sanctitate claret 635. 29
Maddan regnat 218. 9
Magantia apud Longobardos 103. 7
Maglocunus increpatur 20. 13
Magnentius interficit Conſtantem Conſtantini Imperatoris Filium 612. 17
Mahbon vid. Dusblan.
Maidulfi Urbs 263. 30
Mailcunius Rex 116. 15
Mainceſtre ab Edwardo inſtaurata 261. 49
Malcherus Comes datur Northymbrenſibus 283. 34
Malcolmus Rex 673. c. 41. 683. c. 39. 684. c. 40. 697. c. 9. filius Kenethi Regis ejus pugna cum proditore quodam 697. c. 9. 697. c. 10. ejus reditus in Scotiam 695. c. 7. Danos ter debellavit 683. 49. Tributum Danis ſolvere recuſat 681. c. 35. præſtito homagio Regi Ethelredo Northymbrarium in Feudum accipit 680. 11. ejus contentio contra Cnutonem Danum 684. 33. ejus encomium 682. l. pen. ejus prodigalitas 686. 43. vexat Gryme multimodis incommodis 680. 41. occidit eum 683. 21. & 33. coronatur 683. 31. nimis liberalis eſt 686. 32
Malcolmus Rex ſc. ſedem Epiſcopalem erigit 684. 28. fœdus contra Danos init cum

cum Edmundo Rege 673. 40. Moravienſium dolo occiditur 674. 13. 684. c. 41. 385. 24
Malcolmus Rex Cumbrorum homagii nomine tenetur Regi Eadgaro. 546. 20
Malcolmus Chammoire ad Regem Edwardum confugit 688. 19. 689. 36. Se libidinoſum, perfidiæ & doli Artificem ſimulat, furem & latronem 691. 26. 694. 7. 693. 18. in throno poſitus coronatur 697. 9. proditorem ſuum provocat ad duellum 697. 42. ejus encomium 697. 9. Machabeum Regem Scotorum interficit 696. 6
Maldewynus Donaldi Regis Scotorum filius rerum potitur 646. 12. obit 646. 41
Maldmesburge Monaſterium 356. 30
Maldwini ſucceſſio 646. c. 40
Malgo Rex Britonum 559. 10. 225. 21. implorat Aydani Regis auxilium 638. 33. id ei mittitur 638. c. 28
Malmunyn vid. Busblan.
Malva flumen 100. 56
Man Inſula 98. 41
Marcia regnat 214. 42. Maciana Lex 214 39
Marcianus Imperator 221. 16. Occiditur 221. 20. 629. 40
Marcomirus Priami filius Francis præeſt 633. 10
Marcus Antonius Verus regnat 142. 21
Mare freſicum 517. 55
Mare Mediterraneum 568. 3
Margaretæ Soboles 218. 2
B. Mariæ Virginis Nativitas 598, 38
Marianus Scotus Monachus fit 689. 40
Marinus Papa obit 169. 22
Marius Arviragi filius regnat apud Britannos 216. 28
Marius in Weſtmaria Provincia erigit lapidem in quo inſcribitur MARII VICTORIÆ 216. 34
Marmor Scotia producit 591. 25
Maro Virgilius 730. 43
Marpeſſa Regina à Mulieribus electa 532. 53
Marthillach Epiſcopatus fundatio 684. 11. & 29
Martina Heraclii Imperatoris Uxor cum Filio ſuo Heraclona Imperium arripit 644. 29
Martinus Furonenſis Epiſcopus virtutibus claruit 105. 2. obit 143. 3
Martinus Papa poſt Johannem ſedet 258. 39. 240. 23
Martyres 11. 48
Maulus à fratre ſuo Mempricio Rege Britonum occiditur 212 13
Mawron Epiſcopus 308. 6
Maximianus Imperator fit 104. l. pen.
Maximus Britanniam invadens Coronam ſibi ipſi imponit 616. 37. Filius Chœlini avunculi Helenæ 556. 21. Tyran. 12. 23. 612. 29. Regem Romanorum Gratianum occidit 219. 47. 104. 7. 556. 31. regnat in Britannia 104. 3. & 8. 30000 Militum & 100000 Plebanorum ab Inſula Britannica colligit & ſecum abducit 104. 9. 556. 25. 617. 18. 622. 29. Conanum in Armorica Provincia regnare facit 219. 41. apud Britannias factus Imperator ad Gallias tranſit 219. 44. 104. 1. Pictos à Scotis ſeparat 612. c. 44. Scotos bello conterit 616. c. 44. ejus præſumptio contra Romanum Imperium 616. c. 50. Spoliatus indumentis regalibus ſiſtitur & capite damnatur 105. 6. à Theodoſio occiditur 612. 29. 556. 47. 219. 43. & 50
Mazefeld locus ubi ſæpe miracula edita ſunt divina 233. 54
Meardene lutex 259. 6
Meaſſewrde terra dono data St. Ætheldrydæ 487. 19
Medcant Inſulæ nomen 117. 8
Medehamſtude Abbatia 239. 44
Melchu 112. 30
Melga Rex Pictorum 220. 2. vid. Guanius
Mellitus Cooperator Auguſtini Archiepiſcopi à Papa Gregorio miſſus 227. 1. ſuccedit Laurentio in Archiepiſc. 228. 48. expellitur 228. 35
Mempricius regnat 213. 11. à Lupis devoratur 233. 15
Merchene Leaga 538. 20
Merci fiunt Chriſtiani 146. 34
Merciæ Diviſio 166. 22
Merciorum Reges 525. 30
Mereſeige Inſula 172. 42
Mereſis Filius Ermenbergæ 240. 23
Merlinus Vates 631. 23. ex filia Regis Sanctimoniali & incubo Dæmone natus 558. 28. ejus Vaticinium 647. 51
Meroe Inſulæ nomen 191. 50
Meroveus tertius Rex Francorum 143. 14
Merſe fluvius 261. 48
Mervinus Rex Britonum 94. 2
Metallorum in Scotia 591. 26
Mezentius Imperator creatur ſed paulo poſt occiditur 645. 37
Middelangli Myſterio fidei imbuuntur 235. 29
Middeltune Villa 481. 9
Mille ducenti Monachi interficiuntur apud Bangor 559. 21
Milredus Epiſcopus 249. 54
Miniſtri Regis duo occiduntur apud Wigorniam 276. 50
Mirabilia terræ Britann. 189. 6. 193. 21
Miracula 89. 13. & 41. Patricii 113. 17. & ſeqq. in loco Reliquiarum Aldelmi 374. 11
Miraculum 371. 5. 372. 54. 380. 43. 534. 11. fit ad Orationem Alfwardi 44.

di 44. c. 96
Modich quarta pars Centuriatuum 490. 46
St. Modwenne duo Monaſteria extruxit 254. 3. in altero horum aliquandiu reſidet 254. 6. moritur in inſula Andreſeia 254. 8
Moll Rex Northymbrorum regnum dividit 250. 42
Molli Aluredi filius regnat 250. 46
Molmucius Rex Britonum primus eorum Legifer 196. 3
Molmutitiarum Legum Auctor 553. 29
Monachi primi inſtituti 264. 44
Monachi interficiuntur vid. Mille
Monachus nomine Conſtans ad ſuſcipiendum ſceptrum Regni educitur, quia ingenii pigri & inertis 271. 27
Monarchæ Mundi 597. c. 18
Monaſteria ab Aldelmo facta 343. 1
Monaſterium de Barme 239. 46. de Burge St. Petri 234. 12. apud Ethelingiſey 258. 46. Eveſham 244. 48. Malmeſburienſe datur Clericis 264. 24. St. Martini Turonenſis 252. 46
Monia Inſula vaſtata 271. 27
Monitum Varroni & Æmilio Conſulibus adverſus Hannibalis impatientiam datum 658. 44
Montes exitiales 10. 13
Moravi Pictis ſe conjungunt 602. c. 27
Moravienſes à Natali Solo expulſi 602. c. 27
Mordredus coronatur Rex ſuper Britones Londoniæ 225. 30. vid. Gauwanus.
Morindus Rex crudelis 214. 43. devoratur à Bellua marina 214. 44
Morkarus vid. Edwinus.
Mortalitas boum maxima 252. 52
Motus primus Scotor. originis 57. A. 8
Motus inter Scotos & Pictos 608. c. 37
Moyſes & Patricius quatuor modis æquiparantur 113. 53
Mucaniæ Abbas 316. 12
Muchainienſis Abbas ſubeſt Juriſdictioni Abbatis Glaſtonienſis 331. 1
Mulier cæca viſum recuperat miraculoſe 357. 13. 381. 14. quædam malis artibus aſſueta & ſepulta, extrahitur Eccleſia à Dæmonibus 281. 48
Mull frater Regis Cedwallæ comburitur 242. 37. vide Moll.
Mundus ſenſibilis 567. 1
Murdacus Rex tranquille Regno gaudet 649. 33
Murus & Agger à Mari uſque ad Mare per tranſverſum ducitur 103. 19. & conſtruitur 606. 19. & 24. lapideus 220. 31. reparatur 624. 31
Mycelius filii ejus ad Hyberniam proficiſcuntur 577. Art. 21
Mycelius Eſpayn Rex Scotorum Hiſpanienſium filios ſuos tranſmittit in Hyberniam 577. 8.

N

NAitanus Rex Pictorum deſiderat à Colfrido Abbate Monaſt. Ginvienſis Dovere de vera Paſchæ obſervatione 246. 1. accipit litteras de circuli Paſchalis obſervatione 665. 10
Naſſingtone Villa 441. 29
Natanleod interimitur à Porth 224. 42
Nathanleod Rex cum 5000 Britonum occiditur 634. 2
Nectarii ſucceſſio 650. 46
Nedeſtoche locus ubi St. Neotus vitam duxit heremiticam 536. 9
Nen fluvius 490. 39
Nennius 93. 1. 94. 8
Neolus Rex. 570. 25
Neophyta 294. 34
Neotus 536. 2. Alfredum Regem increpat 536. 16
Neotus Confeſſor quieſcit in Monaſterio in Inſula de Croulond 244. 5
Nero Claudio ſuccedit 142. 15. 600. 50
Nero bellum Britannicum adverſus Scotos initum continuat 601. 11. ejus mores 601. 2
Nerva Imperator Romanus 603. 44. ejus encomium 604. 3
Nid fluvius 85. 20
Nigellus Epiſcopus 4[illegible]0. 2[illegible] 495. 47
Nimech in Hyberniam advenit 100. 6
Nimea civitas 100. 32
Ninianus Pontifex Vir mirandæ virtutis & Sanctitatis 626. 27
Nix inſolita cœlo cadit 278. 41. Sylvarum ligna frangit 278. 42.
Nobiles Glaſtoniæ ſepulti 306. 7
Nomina duodecim Fratrum 295. 17. fratrum piæ converſationis 296. 34, Sociorum ex Hybernia cum St. Columba in Scotiam advenientium 637. 36. Comitum beati Reguli reliquias St. Andreæ Apoſtoli in Scotiam deferentis 615. 12. Fratrum reliquias Sancti Dunſtani tranſferentium 302. 31
Nomina Regum Saxonum 630 44. Filiorum Ethelfridi regno Patris depulſorum & baptizatorum 641. pen. Regum Francorum 633. 14. Regum Northumbriæ à Subditis proditorie è medio ſublatorum 652. 33
Nood fluvius 356. 12
Nordanhymbri 144. 10
Normanni 330. 27. in ſequanam veniunt 155. 29
Norreganus quidam ſolus in Ponte ſtans totum Anglorum Exercitum ſuſtinet 285. 3
Northymbrenſes occidunt Oſtridam uxorem Ethelredi Regis Merc. 243. 51
Northymbrorum Reges 526. 31. eorum proditio

proditio 652. c. 50. eorum regnum incipit 225. 30
Northumbriæ Comitatus datur Toſto filio Haraldi 281. 14
Northumbriæ & Cumbriæ gentes Scotis & Danis præ Anglis ſubeſſe malunt 672. 14
Northumbri cum Rege occiduntur vel comburuntur 669. 22
Nothelinus Præſul Londonienſis ſuccedit Tadwino Archiepiſcopo Doroberniæ 248. 29
Nubes per Angliam nunc ſanguinea nunc ignea videtur 270. 7
Numeri annorum ab origine Mundi 570. Art. 7
Numerus Sedium Epiſcopalium 208
Nuncii miſſi apud Nicetam Conſtantinopolitan. Imperat. 283. 47
Nutricii Aurelii & Utheri ad Regem Armoricæ Britanniæ confugiunt 221. 11

O.

Ochta & Abiſa evocati è Germania 107. 48. Ochta filius Hengiſti tranſit ad Regem Cantuariorum 114. 8
Oclea 254. 27
Octavianus Imperator ſuccedit in Imper. 598. c. 20. nimis indulgebat libidini 692. 50. ejus viſio 598. c. 19. Britones ad unitatem reducit 612. c. 43
Octavi frater Hengiſti cum Eubuſa filio Hengiſti mittitur ad Boreales partes Britanniæ occupandas 631. 17
Octavius Dux Gewiſſorum Britanniam invadit 219. 29. in Regem evehitur à Britonibus 611. 42. dedit ſe Maximo 612. 44
Odilwaldus filius Oſwaldi conſors regni eſt Regi Oſwi 234. 23
Odilwald filius Oſwaldi 236. 16
Odo Danus Wintoniæ Epiſcopus 262. 23. fit Archiepiſcopus Doroberniæ 262. 23. 388. 34. Militavit aliquando Edwardo Seniori 266. 12
Odo Cantuarienſis Archiepiſcopus 544. 24. Edwinum Regem excommunicat 266. 25. precibus miracula obtinet 266. 32. 389. 2. obit 266. 12. 392. 47
Oeſic Rex Anglorum 525. 24
Offa Rex Merciorum Caroli Magni Regis Francorum amicitiam ſibi conciliat 652. 4. Olcæ Patri mortuo in regnum Cantiæ ſuccedit 224. 54. potentiſſimus 529. 28. formidoſus 157. 16. 709. 54. contemporaneus Pipini Regis Francorum 529. 38. Ethelbaldi nepos Beornredum occidit, & regnat 250. 25. occidit Sanctum Ethelbrithum Regem Weſtſaxonum 530. 18. Filiam ſuam Ethelburgam Brichtrico Regi Weſtſaxonum copulat 250. 34. vid 151. 19. & ſeqq. aufert prædia à Monaſterio Meldunenſi 359. 14. & ſeqq. cœlitus admonitus transfert Corpus Sancti Albani Protomartyris Anglorum 530. 2. Benefactor Eccleſ. Glaſton. 314. 15. 327. 10. obit 251. 52. 530. 21. ſepelitur in Uſa flumine juxta Bedeford 530. 21
Offa 709. 54
Offa Rex Orientalium Saxonum Romæ fit monachus 151. 49
Offa vid. Kenredus.
Offedich foſſa inſignis 250. 33
Offerthun prædium Eccleſiæ Rameſienſi dono datum ſed poſtea ab alio ablatum 445. 42
Offorus Wictiorum Epiſcopus 243. 45
Offricus Benefactor Eccleſ. Glaſton. 316. 42
Offricus filius Elfrici Regnum Deirorum ſuſcipit 230. 48
Ogga de Mildenhale Benefactor Monaſterii Elyenſis 475. 32
Oghgul Inſula 107. 34
Oile filius Hengiſti Regno Cantiæ potitur 143. 23
Olaf filius Sictri & Orgivæ 541. 3. & 36. exul revocatur à Northymbris è Norwegia 540. 54. 541. 36. 541. 41
Olavus Rex Norwicenſium in bello à ſubditis interficitur 550. 18
Olavus & Paulus ad propria redire permittuntur 285. 1
Oliverus Monachus Malmesburienſis Cometam ſalutat 283. 55. in Aere volat 284. 2
Olney Inſula 274. 19
Olredus Rex filius Alredi dolo interficitur 529. 56
Ondred Deſertum 73. 1
Oneſtrefelda Campus 75. 31
Onlaf Rex Norwegiæ 547. 50. vel Olavus 548. 16. Baptizatus a fonte ſuſcipitur ab Ethelredo Rege 548. 26. expellitur regno 548. 52
Opilius Macrinus imperat & occiditur 218. 51
Orcades Inſulæ 103. 3. 593. 11. ſubduntur Romano Imperio 600. 45. à Claudio Cæſare 142. 5
Orcania inſula 98. 43
Ordmarus vir potens 465. 40. legat Regi Edgaro Hathfeld d. loc.
Orgarus 268. 17
Orgiva [Edgiva] filia Regis Edwardi Senioris 539. 12. & 54. 540. 4
Oriecus (Mackus) Rex plurimarum Inſularum paret Regi Eadgaro 545. 20
Orientalium Anglorum Reges 526. 17
Oroſius 730. 32. Anglorum Hiſtoriographus 332. 46
Orthredus Comes à Malcolmo Rege Scotorum vincitur 683. 50

Osbaldus Rex Northymbr. 530. 45. paucos dies regnat 251. 44
Osbernus Cantuarienſis Monachus deſcribit vitam St. Dunſtani 270. 32
Osbertus Rex Northumbrorum regno ejicitur 531. 25. recipitur 669. 21
Osbricht Rex Northymbrorum 251. 46. regno expellitur 254. 49. occiditur 251. 46
Osburga uxor Athulfi 253. 37
Oſca filius Hengiſti & Oſca cognatus ejus occiditur 224. 49
Oſchetelus Epiſcopus legat Ædelwoldo Epiſcopo terram de Bebroi 477. 26
Oſchitellus alias Leoſwinus Abbas Elyenſis 502. 48
Oſcwinus Rex Weſtſaxonum obit 241. 26
Osfrid Præfectus Regis Ecgfridi 69. l. ult. 70. 46
Oſgita virgo Martyr 452. 1
Oſgodus Sneyn 446. 4
Oſguid reddit divitias, quæ cum eo erant in Urbe 117. 29
Oſitha & Athea & Editha Sorores Athulfi virgines 264. 5
Oſketallus Archiepiſcopus 392. 24. 482. 18
Oſlach Comes Northymbriæ 544. 51
Oſlanus & Knelbanus occiduntur 226. 5
Oſlavus privatur omnibus ſuis bonis 476. 21
Oſmundus Epiſcopus Seresberienſis 374. 2. 375. 32. relicto ſuo Epiſcopatu in Monaſterio Elyenſi recipitur 514. 43
Oſredus Alredi filius 250. 43
Oſredus Rex filius Alfridi Regis à Wilfrido Epiſcopo adoptatur 85. 12. Alfrido ſuccedit 244. 38. 251. 40
Oſredus Rex Northymbrorum Regno expellitur & tandem occiditur 251. 41. 528. 24
Oſric Rex Danorum cum quinque Ducibus trucidatur 255. 39
Oſricus Rex Deirorum 230. 48
Oſricus ſucceſſor Oſredi in Northymbria 528. 25. obit 248. 14
Oſricus Baptizatus fit Apoſtata 643. 7. & 18. occiditur 643. 19
Oſricus Dux regis Clitonem occidit 251. 8
Oſſa ſuccedit Hengiſto 224. 27
Oſthfrida R. 709. 24
Oſtrida Regina Merciorum corpus Oſwaldi abduxit uſque ad Monaſterium de Bardeney 234. 5. filia Oſwi & uxor Ethelredi Regis Merciorum 234. 5. occiditur 243. 51
Oſualdus per Regem Pendam occiditur 233. 53. vid. Oſwaldus 644. 25
Oſuinus Rex Nordanhymbrorum obiit 146. 40
Oſulfus Rex Northymbrorum 529. 46
Oſulfus Comes Northymbrorum 544. 48
Oſulfus cognatus Oſwoldi Archiepiſcopi 417. 29
Oſwaldus Rex 78. 41. 230. 52. 231. 10. 643. c. 36. 709. 25. & 49. 710. 41. 711. 35. & 53. 707. 13. Cadwallonem Regem cum immenſis copiis interimit 643. 20
St. Oſwaldus Rex petit Aydanum Epiſcopum à Scotis 231. 10. ejus Obitus 144. 7. 644. c. 36. ejus reliquiæ 234. 2. ejus Oſſa Gloverniam transferuntur 234. 9. 260. 46. Oſwaldi brachium apud Urbem de Bebbanburg 231. 40
Oſwaldus Archiepiſcopus Eboracenſis ſimul & Wigornienſis Epiſcopus 271. 22. 266. 55. 267. 15. 393. 4. Benefactor Cœnobii Rameſienſis 401. 24. Romam perit 392. c. 12. è Gallia revocatur 392. c. 11. in Patriam redit 642. c. 34. obit 267. 31. 271. 22
Oſwaldus & Oſwinus filii Ethelfridi ducuntur in Scotiam 229. 15
Oſwardus Presbyter decem Hydas apud Slepe ſibi uſurpat 414. c. 45
Oſwi ſuccedit Oſwaldo 712. 4. & 6. 713. 8. 234. 1. 644. 26. dat Widæ genero ſuo regnum Auſtralium Merc. 236. 24. ejus votum 236. 11. caput fratris & brachia condit. 234. 1. Oſwinum Regem occidi jubet 234. 50. Dat prædia Elyenſi Eccleſiæ 496. 28. ejus obitus 239. 15
Oſwinus Edrici filius occiditur 234. 19. & 50
Oſwinus Canon Winton 391. c. 9. Floriacum mittitur 391. c. 10
Oſwlfus Egberto Patri ſuccedit & occiditur 250. 36
Oſwoldus donat Eccleſiæ Rameſienſi 403. c. 23. ad Epiſcopatum Wigorniæ promovetur 392. c. 13. ejus exceſſus fratribus Rameſienſibus nunciatur 426. c. 61. Ædnothum Rameſiam tranſmittit 339. c. 20. cum Duce Algudino mutuas inter ſe amicitias contrahunt 395. c. 17. ejus reſcriptum ad Comitem 421. c. 55. in Eccleſiæ Winchelcumbe Monachos congregat 400. c. 21. cum Æthelwino convenit de confirm. 410. c. 35. Rameſiam tendit 398. c. 12. ſermonem habet cum ſuis 424. c. 59. viros religioſos congregat 394. c. 15.
Oſwulfus Rex Northymbrorum occiditur à ſubditis ſuis 250. 39
Othelee 322. 12
Otho imperator 603. 10. obit 14
Otta Rex Angliæ 525. 24
Ouſa 174. 55. 703. 30
Oxenaforda 175. 1

Pagani

P.

Pagani Beorthulſum Merciorum Regem in fugam vertunt 155. 38
Pagani Normanni in Inſula Tanet 158. 40. hyemant ad Theodfordam 162. 49. Merciorum Rege expulſo Regnum ejus cuſtodiendum commendunt Ceolwlfo 164. 55. magnus eorum exercitus Lundoniam depopulatur 155. 40. pergit in Suthrigie 155. 40. hyemat in Inſula ſceapeige 156. 14. Wintoniam Civitatem hoſtiliter invadit 158. 34. Snotengahun adit 159. 22. Londoniam deſerit 164. 41. in Nordanhymbrorum Regione hyemat 164. 43. Lindiſig deſerit 165. 3. Caſtellum Wacrhum deſerit 166. 16
Paganorum Exercitus Cippanham villam regiam adit 166. 24. item Cyrenceaſtriam 168. 33. Cantiam 168. 51. venit ad Bononniam 177. 2. accedit ad Sceobyrig 172. 30. eorum naves pereunt apud Swanawick 166. 16. eorum Victoria 638. c. 28
Palæſtina bello premitur 642. 8
St. Palladius Scotorum primus Epiſcopus 625. 35. 112. 41. 626. c. 9. à Celeſtino Papa mittitur ad Scotos convertendos 112. 35. venit in Scotiam 625. c. 8. in terra Pictorum obit 112. 39
Palmecuſtre vide Guaſmotic.
Pantha occiditur in Campo Gai 117. 26
Papa Archiepiſcopatum Aldredo confert 282. 45
Papia & Conventria 275. 49
Pariſienſis Urbs 258. 42
Pariſienſis Univerſitatis incunabula 653. 10
Parliamentum apud Oxoniam coactum 275. 21
Parricidium detegitur 440. 7
Partitio Provinciæ in Shiras & Epiſcopatus & Regna 560. uſque ad 562
Paſcenius Niger occiditur 605. 41. & 45
Paſcent tertius Guorthigirni filius 112. 8. regnat in Buelt & Guorthigern 112. 8. 223. 24
Paſchæ obſervatio 246. 2
Paſchalis terminus 607. 7
Pater Nectus 166. 36
Pater Bruti 212. 24
Pater Dewy quatuor muneribus ditatur à Patriarcha 305. 37
St. Paterni Abrincatenſis Epiſcopi miracula 363. 21
St. Patricius 295. 8. genere Brito. 626. 22. Patricii Epiſcopi Charta 296. 12. Hiberniam ad Chriſtum convertit 626. 22. captivus apud Scotos 112. 28. revertitur 112. 30. mittitur ad Scotos convertendos 112. 34. ipſius adventus quo anno fuerit 101. 19. Epiſcopalem gradum accipiens ita vocatur 113. 1. vocabatur ante Maun 113. 4
St. Patricius exorditur prædicare fidem Chriſti 113. 18. jejunat 40 dies totidemque noctes 113. 27. ſeptem Reges filios Amolgith uno die baptizat 113. 32. duodecim millia hominum in una Regione baptizat. 113. 25. quid petierit in Cruachaneli 113. 33. adæquatur Moſi 113. 43. duodecim fratribus occurrit 296. 38. ejus obitus 297. 49
St. Paulinus Epiſcopus 300. 21. Archiepiſcopus Eboracenſis baptizat & concionatur 115. 3. 229. 50. 230. 38. Ambronum genus baptizat 115. 3. baptizabat & prædicabat uſque ad interfectionem Regis Oſwini 230. 10. Eccleſiam ædificat in Lindecolino 230. 14. Cantiam redit, ubi fit Epiſcopus Roffenſis in Eccleſia Roffenſi, & ibi tandem moritur 144. 8. 230. 28. 234. 24. 300. 24. 706. 44. 730. 41
Paulinus Civis Romanus 705. 25
Pax inter Reges reformatur in ripa Sabrinæ apud Dorhurſt 274. 6
Peſneſe locus ubi Claſſis Wilhelmi Ducis Normannorum appulſa eſt 515. 30
Pelagiana Hæreſis exoritur in Britannia 557. 23
Pencia Mons 233. 51
Penda Paganus filius Wibbæ 229. 26. regnat 229. 29. 792. 16. occidit Edwinum & Oſwaldum reges Eſtanglorum 229. 32. ejus Soboles 229. 33. Annam Regem Oriental. Anglorum occidit. 233. 33. 236. 1. & 5. cum 30 Ducibus extinguitur 236. 5
Pendan Rex 712. 16
Pengaaul 103. 22
Penneltun 220. 27
Penta amnis 234. 37
Peridurus 215. 2
Perſecutio magna Chriſtianorum 608. 16
Perſecutio in Anglia ſub Imperatore Diocletiano 555. 36
Perthlandiæ Fretum 590. 40
St. Petri Denarius à quo conceſſus ſit? 253. 45. ab Ine Rege conceditur 247. 50
Peſtis funeſta 15. 27
Peſtes duæ in Anglia 270. 29
Phaganus & Deruvianus à Papa emiſſi Evangelizandi gratia in Britanniam 293. 48. 296. 31
St. Philippus Apoſtolus plures Francorum ad fidem convertit & baptizat 292. 34
Philippus Imperator primus Chriſtianus omnium Imperatorum 142. 44. 507. 40
Phoroneus primus Græciæ Leges dedit 576. 12
Picti ad Albionem tranſmittuntur 578. 35.

581. A. 29. appellunt in Albionem 581. 1. Orcades occupant 99. 53. ſuſpecti quaſi Claſſem Paganorum advocaſſent 667. 44. fœdifragi in ſervitutem rediguntur 616. 12
Pictorum Regnum ad Regem Scotorum transfertur 665. 27
Pilatus ſibi manus infert violentas 600. 19
Pipinus primus 147. 2. Rex 154. 7. à Francis conſtituitur Rex 650. 13. benedictus à St. Stephano Papa 154. 9. obit 154. 14
Pipinus Senior Dux Francorum 243. 41
Pirri medicus vinctus ad Dominum reducitur 686. 22
Placella Imperatrix miniſtrat infirmis 617. 45
Plateæ regales 196. 1
Plegmundus Dorobern iæ Archiepiſcopus 260. 12. 259. 3. ordinat 7 Epiſcopos uno die 259. 3. 260. 12
Plinius 730. 38
Pluvia Sanguinea 242. 36. deſuper effluit per ſeptem dies 648. 41
Polycarpus Smyrnenſis Eccleſiæ Paſtor 27. 40
Pompeius 730. 46. & 38
Porrex fratrem occidit 214. 2
Portenta Diabolica 10. 10.
Portceſtria 216. 16.
Porteſmutha 224. 41
Porth cum duobus filiis ſuis appellit in Porteſmutham 224. 41
Portland Inſula 154. 33
Poſſeſſiones dantur Horningſeie 481. c. 42
Poſſeſſiones de Horningſeie vi rapiuntur 483. c. 43
Poſſeſſiones Glaſtoniæ datæ 326. 33
Poſſeſſiones comparatæ Monaſterio Elyenſi 473. c. 15. 21, 22, 23, 24, 25, & 26.
Poſſeſſiones datæ Etheldredæ 499. c. 17
Præambula in Catalogum Regum Pictorum 663. c. 9. 10.
Prædictio de Bruto 99. 14
Priamus primus vel ſuper Francos regnare vel eorum dux eſſe cœpit 633. 5. deſcendit de Hectore 633. 7
Priſcianus 730. 41
Privilegia Elyenſis Eccleſiæ 517. 1
Privilegia Cnutonis Glaſtonienſi Eccleſiæ conceſſæ 323. 20
Privilegium Edgari datum Eccleſiæ Glaſton. 320. 1. Johannis Papæ 312. 27. Ædelredi ſuper Villam Lithleberi 492. c. 5
Probus 730. 45
Prodigium in Cœlo 270. 7
Prodigia apparent 251. 32. 252. 6
Proditoris Vindicta divina 598. 17
Prologus W. Malmesburienſis 291. 1
Prophetia 681. c. 36
Proſper 730. 41
Provinciæ & Comitatus 201. 13
Puella Pukelicerce miraculoſe ſanatur 378. 31
Putta Roffenſis Epiſcopus Eccleſiaſticis modulationibus nimium intentus 240. 32. 238. 40. manet apud Hereford 241. 53. ad Sexwlfum recedit 240. 22
Pyramides duæ in Eccleſ. Glaſton. 306. 24

Q.

Quantavic Civitas 155. 27
Quendrida fratricida 252. 55. 654. 40
Quichelinus 233. 22. Sacramentum Baptiſmatis ſuſcipere ſubterfugit 228. 16
Quidam Paterfamilitas tempore noctis moritur, ſed diluculo ſubſequenti reviviſcit. 148. 49

R.

Radingum 255. 27
Radulphus Foc. 303. 56
Radulpho Comiti Normanniæ villa de Crancfeld ad dies vitæ poſſidenda traditur 458. 31
Rameſia Inſula 385. c. 1. unde ſic dicta ſit 386. 3. Oſwoldo indicatur 397. 22. Rameſiæ fratres terram commutant 415. c. 47. Rameſienſis Eccleſia Ailſſio Abbati Sancti Auguſtini cuſtodienda committitur 460. cap. 119
Ranaldus Rex amicitiam Regis Donaldi mediante foederis vinculo ſibi conciliat 670. 41
Ranarum mons, nunc Brentenol 307. 44
Redburna lutex 347. 3
Redburne nomen loci 368. 6
Redinga villa regia 152. 56
Redwaldus Rex Orientalium Anglorum 641. 47. in necem Edwini conſentit 228. 52
Reges Abbates, & alii Fundatores Glaſtonienſis Eccleſiæ 307. 1
Reges Britonum 553. uſque ad 560
Reges Oriental. Anglor. 526
Reges Weſtſaxiæ 525
Reginaldus filius Guthredi 541. 4
Regna, Regnorumque limites 202
Regulus Abbas 614. 22. cum ſociis ſuis in Scotiam venit 615. c. 218
Regum Anglorum numerus quos Scoti baptizabant 645. c. 39
Regum Francorum ſucceſſio 654. c. 53
Reliquiæ diverſæ Glaſtoniæ repoſitæ 361. 6
Reliquiæ a Guallia Glaſtoniam traſlatæ 299. 34
Reliquiæ à Terra Northanimbrorum uſque Glaſtoniam tranſlatæ 300. 38
Reliquiæ Dunſtani inventæ 303. 26

Remigius baptizat Clodoveum Regem Francorum 48. 24
Renis flumen 112. 13
Renovatio fœderis cum Uther 688. 21
Renulphus filius Cuthberti Nepos Pendæ ſuccedit Egferto R. M. 251. 53
Reparatio muri quem Severus Imperator fieri juſſit 624. c. 6
Rependon 240. 13. 254. 11. 257. c. 17
Res Collatæ Glaſtoniæ 322. 1
Reſponſio Macduf Malcolmo 693. c. 3
Rether Rex Scotorum 594 8. & 15. Beda vocat eum Rendam 594. c. 13
Reuda Dux 85. 41
Reyn Epiſcopatui præficitur Marthilach 684. 33
Reynaldus filius Gutmundi 263. 28. Rex Cantiæ moritur 228. 28
Rhenus fluvius 221. 26
Ribroit fluvius 114. 33
Ricardus ſecundus Dux Normanniæ claſſe valida Cnutonem aggredi tentat 550. 2
Richardus de Canton 303. 56
Richardus Burgundiæ Dux 172. 50
Richulfus Archiepiſcopus Doroberniæ Baſilicam Sancti Albani extruit 251. 16
Ricoldus Dux. Friſonum 249. 32
Rinallo regnat 213. 55
Ringſtede 453. c. 106
Ripenſe Monaſterium ab Eldredo ſucceſſum 264. 9. 714. 29
Ripun 245. 49
Ritus ſucceſſionis Regum Scotorum 658. c. 1.
Ritus Incolarum Walliæ 187. 40
Robertus Gemmeticus Archiepiſcopus Cantuarienſis multum valet apud Edwardum Regem conſiliis 277. 44. Monachus primo Epiſcopus London. deinde Archiepiſcopus Cant. 277. 47. fugit in Normanniam 278. c. 14. moritur in Monaſterio ſuo Gemmetico 279. 56
Rockburne latex 359. 6
Rodericus Dux Moraviorum 602. 25. ad Pictos foedere inito tranſit 602. 37. interficitur 602. 46
Rodoricus Rex libidinoſus ſex uxores uno eodemque tempore ducit 692. 22
Rodricus Rex Pictorum Albaniam ſive Scotiam occupat & à Mario Rege occiditur 216. 29
Roffenſis Civitas à Danis obſeſſa ab Aluredo Rege liberatur 258. 36
Roffenſi Eccleſiæ præeſt St. Paulinus 230. 28
Rogenanus & Aydanus fuga cum Matre ſe ſecuros reddunt 635. 37
Rollo Danus Patria egreditur 553. 23. 535. 38. & 49. 537. 49
Rollo & Gello Neuſtriam penetrantes Rothomagum & cæteras civitates confines occupant 669. 2. Rollo Dux Normannorum viſione fruitur 65. 27. Normanniam penetrat 165. 28. Carnotenſem Civitatem obſidet 172. 49. baptizatur 175. 7. fugatur 172. 50
Roma 713. 47
Roma à Gothis fracta 442. 55
Romanæ Legionis victoria & Britonum contra Scotos & Pictos 623. c. 4
Romani Imperii meta ultima 596. c. 16
Romani Urbem Trinovantum capiunt 215. 23. devicti 214. 25
Romanorum Duces à Britonibus occiduntur 105. 11. Legio ſecunda Scotos iterum & Pictos fugat 623. c. 5
Romanus Epiſcopus conſtituitur Roffenſis 22. 20
Romeſcot quid. Latine? 247. 49
Rothiſay Inſula unde nomen ſuum ſortiatur 580. 47
Rothomagum 165. 45. 52
Rowen filia Hengiſti uxor Vorthigerni 629. 9
Ruthelan 283. 1
Rutipi portus 192. 4

S.

SAbertus moritur 228. 35
Sabinus igne conſumitur 603. 18
Sabrina flumen 127. 34
Sacerdotes Domini cum Populo trucidantur 11. 14. & 15
Sacerdotes quatuor quos Weda ſecum duxerat 735. 34
Salamon uxoris hortatu ad fidem Chriſti convertitur cum tota ſua gente nomen adeptus Stephanus 681. 27
Salwdu Saltus nomen 167. 44
Sanctorum præconia 184
Sandwicum 272. 3
Sanguis pluit 25. 32
Saphirus 305. 7
Saraceni & Turchæ inſurgunt &c. 283. 51
Sardanapalus Aſſyriorum Rex luxuria & laſcivia diffluens regno exuitur 692. 5
Saſſenegabail vid. Episford.
Saxones in Britanniam veniunt 628. c. 13. 752. Saxonum Gens à Britonibus invitata 221. 38. invitati recipiuntur 15. 42. &c. eorum Genealogia 116. 5. ſunt Terrori Britonibus 629. 1. & ſeqq. eorum converſio 154. 19. Saxones Orientales fidem Chriſti recipiunt 143. 51. Saxones, Angli, Juti tres fortiores Germaniæ populi 222. 8. Saxones fugiunt ad Inſulam Thanet 222. 49. vocantur Angli 252. 29. eorum reditus 629. c. 15
Saxonia 713. 24
Saxonia capta 154. 19
Scanza 533. 2
Scarsburg Monaſter. 258 48
Sceapeige Inſula 155. 32. 156. 15
Sceardicus obit 225. 4

Schafterburg civitas 258. 31
Schepeigh Inſula 253. 26
Schutlingtone Villa dono data Eccleſiæ Rameſienſi 444. 48
Scopulus ictus ab Ethelſtano Rege cavatur 673. 4
Scota filia Pharaonis 100. 45. de Ægypto exit cum Marito ſuo 573. 11
Scoti quarta Mundi ætate obtinent Hiberniam 101. 11
Scoti 100 Inſulas poſſident 569. 45. demigrant in Albionem, & quæ cauſa fuerit 582. 1. cum Pictis Britanniam ſæpius invadunt 622. 21. Murum deſtruunt 624. c. 7. fidem Chriſtianam recipiunt 606. l. pen.
Scotia unde ſic dicta 100. 45. 185. vocatur Albania 589. 15. ejus ſitus 185. ejus Regiones imæ & ſummæ 591. c. 8. ejus Inſulæ diviſæ ab Orcadibus Inſulis 592. c. 10
Scotiæ & linguarum ejus diviſio ac diverſi mores 591. c. 9. deſcriptio 590. c. 7. novem annos clade afflicta 680. 26
Scotorum origo 567. 6. 568. 44. unde ſic nominentur 570. 39. Soboles propagatur ex Græcis & Ægyptiis 582. 46. 571. A. 10. Mores 591. 44. 592. 3. Nuncii Carolo miſſi 652. c. 49. Rex primus in Albionem regnantium 583. A. 34. geſta & originis vetuſtas 567. 1. tertia ad Hyberniam profectio 579. Art. 26. cauſa prima aditus ad Inſulam Albionem 582. A. 31. Scotorum, Cumbrorum, Wallanorum Reges Edwardo ſubjecti 259. 40.
Scotorum & Pictorum reſponſio Julio Cæſari remiſſa 595. c. 15. Scotorum natio diu proſtrata reſurgere cœpit 618. 14
Scytha quidam Nobilis, gener Pharaonis 100. 48
Scythæ vid. Scoti.
Sebar Epiſcopus evadit de Civitate Ebor. dum capitur à Nordmannis 172. 12
Sedulius 730. 40
Segebrychtus regnat 154. 8
Segerus Epiſcop. mittitur ad Amatheum Regem 112. 55.
Seginus 214. 19
Selwalthius Rex cum Anglis & Pictis ſemper pacem coluit, omnia delabi permittit 650. 40
Selwode 258. 10
Selyſeie 205. 26. 241. 21
Septonia ædificata quæ eſt Schafresburg 258. 30. 269. 32
Sergius Papa 243. 43. 245. 8
Serlo Abbas Gloceſtrienſis 373. 44
Sermo Abbatis Rivallenſis 678. c. 31
Servanus Epiſcopus Palladii Coadjutor 626. 3
Servius 730. 46
Servius Galba occiditur 603. 8
Severus Afer genere regnat 18. annos 604. 35. adipiſcitur imperium 142. 28. murum per tranſverſum inſulæ conſtruxit 103. 24. 605. c. 32. 142. 36
Severus Imperator Vallum cæſpitum extruit in Britannia 218. 5. 555. 26. 588. 7. 590. 37. occiditur à Fulgentio 606. 16. & 43. 103. 32. 605. c. 33. Obit Eboraci 142. 42. Obit Romæ 104. 28
Severus Lupi Diſcipulus 224. 5
Sexburga Regina filia Annæ Regis Occidentalium Anglorum & uxor Edbaldi 146. 41. 233. 12. 526. 11. poſt Kenwalcum regnat 239. 37. uxor Ercomberti 233. 12. ſuccedit Edeldredæ Abbatiſſæ ſorori ſuæ in regimine 241. 31
Sexwlfus Merc. Epiſcopus 75. 25. obit 148. 46. 244. 33
Sexwlſus Abbas de Mehamſtude ſuccedit Winfrido 339. 43
Sexwlfus Lichfeld Epiſcopus 346. 2
Shafrerburia 269. 32
Shrobesburia 272. 6
Sibyllæ Vaticinium de Chriſto 599. 1
Sicambria Urbs ædificata à Trojanis 642. 41
Sicambri vocantur Franci ab Imperatore Valentiniano 632. 54
Sichtricus Danus Northymbrorum ſororem Ethelſtani in uxorem ducit 262. 1
Sictricus Orgivam ducit in uxorem 540. 4
Sifled vendit Monaſterio Elyenſi 7 acras 477. 7
Sigebertus R. Francorum occiditur 143. 35
Sigebertus vel Sigertus Rex Orientalium Anglorum 144. 12
Sigeberchtus Rex Orientalium Anglorum fit Monachus 146. 27. occiditur cum Rege Ecgrico 146. 30. 232. 18. & 22
Sigebertus poſt Corpwaldum fratrem ſuum regnat 232. 18. induit habitum monachalem 232. 21
Sigebertus Rex Eſtſaxonum baptizatur 234. 46
Sigebertus ſuccedit Cuthberto Regi Weſtſaxonum 249. 51. pellitur è Regno & à Porcario Cumbrani interficitur 249. 51 256. 17. &. 21
Sigebertus Rex Benefactor Eccleſiæ Glaſtoniæ 327. 4. 313. 41
Sigebertus Rex occiditur à Comite quodam excommunicato 234. 41
Sigefridus Norwegenſis Epiſcopus Mon. Glaſton. 325. 32
Sigegarus Abbas Glaſtoniæ 322. 10. 42. Wellenſis, Epiſcopus 325. 33
Sighelmus occiditur 174. 40
Sigericus ex Monacho Glaſtonienſi fit Epiſcopus Wellenſis poſtea Archiepiſcopus Cantuariæ 325. 8
Sigewlfus Comes occiditur 174. 40
Sigfridus Abbas 334. 16
Signum Circuli candidi 90. 28

Signum Crucis apparet in veſtibus Anglorum 251. 32
Signum à Mario erectum 603. c. 26
Silvius poſthumus regnat 212. 13. 213. 49
Siricus Archiepiſcopus Cantuarienſis 270. 49
Siſillus regnat 214. 42
Sithricus juramenti immemor extinguitur 672. 7
Situs quarundam Regionum Aſiæ & Africæ 568. A. 4. Europæ 569. Art. 5. Albionis 587. c. 1
Siverthus de Dunham Teſtamentum condit 471. 2. legat duas Hydas Eccleſiæ Elyenſi 470. 30
Siwardus Northymbrenſium Comes advocatur Gloverniam, ut obſiſtat Godwino 279. 15. Scotiam conterit, regem fugat, & Malcolmum Regem in ea conſtituit 280. 27. comitatur Malcolmum in Scotiam redeuntem 695. 45. ejus filius occiditur 280. 30. armatus & erectus fato fungitur 281. 10
Slepa 497. c. 13
Slothere nomen loci 466. 18
Smonbracht in Hyberniam venit 579. 23. vid. 586. 3. ejus Genealogia 579. 36
Snotinga Civitas ab Edwardo Rege ſubjugata 255. 2. 261. 42
Sol verus Juſtitiæ Chriſtus 11. 5. &. 10
Somerſeta 225. 20
Southamptoniæ Urbs devaſtatur 270. 10
Southreia 239. 48
Seep fluvius 684. 32
Staffordenſis Provincia 260. 48
Stanfordia Urbs 222. 15
Statius 730. 43
Statutum de Succeſſione Imperatorum 676. 42
Steapa Epiſcopo Æthelwoldo damnum infert 486. 36
Stephani corporis inventio 143. 2
Stercanlei & Knebbenburge 346. 31
Stevetheſworde 507. cap. 30
Stigandus Regis Capellanus ſedi Wintonienſi præficitur 276. 35. poſt Edſium Cantienſem ſedem uſurpat 276. 30. Roberto Cantuariæ Archiepiſcopo ſuccedit 280. 1. Abbatiam de Elyenſ. tenet 514. c. 41. velut propriam. Dorobernenſis Archepiſcopus 511. 39. gradu dimovetur 516. 29
Stercanlei Sylva 346. 31
Stoche Villa 486. 2
Streneſheath 236. 23
Stretham Villa 490. 39
Stuff & Wichtgare pagani Saxones in Britanniam advehuntur 634. 3
Stura quam Berricus Rameſiæ contulit 417. c. 49
Styward Abbas Monaſterii Glaſton. 317. 13
Suaſham & Berlea comparantur ab Æthelwoldo Epiſcopo 483. 10
Suanus Godwini primogenitus of corruptam Eginam Leof Monaſterii Abbatiſſam profugus in Angliam reverſus Beornum Comitem occidit 278. 46. eam in uxorem ducere proponit 278. 47. per Aldredum Wigornienſem Epiſc. reconciliatur 278. 57. Hieroſolymam proficiſcitur & frigore enecatur 279. 50
Suanus Rex Danorum Wiltoniam & Shireburniam deprædatur 271. 49. Humbræ flumen intrat, & in Auſtrales Mercios ſævit 272. 54. &c. Ad Norwicum advectus Tedford incendit 271. 51. audita morte Danorum in Cornubiam appellit 271. 43. in Daciam redit per Trentam flumen; uſque ad Yeynesburgh procedit 272. 54. Incolæ, qui ad Boream Watlingſtrete habitant, fidelitatem ei jurant 272. 56. Oxoniam & Wintoniam capit 273. 3. de London. pulſus per Egelredum Weſtſaxoniam ſubjugat 273. 6. tributum exigit ab urbe St. Edmundi Martyris 273. 13. Sancto Edmundo probroſe detrahit, ſed imminente Veſpera confoditur 273. 16. Canuti & Elgivæ Hamptunenſis putatur filius 276. 5. Daciam recuperat 278. 38
Suavorum Rex Deum timens filios Edmundi ad Salomonem Hungariorum Regem vitæ reſervandos tranſmittit 275. 2
Subverſio diverſorum Regnorum propter peccata 660. cap. 5
Succeſſio ignobilis multorum Imperatorum 607. c. 36
Succeſſio Regia uſque ad Clodoveum 633. cap. 20
Sudburne Manerium St. Æthelwardo dono datum 485. 29
Suedtheda regio 514. 35
Sugewege, latine Scrofæ via 295. 21
Suidbert Sacerd. 722. 11
Sulca Benefactrix Eccleſiæ Glaſto. 314. 11. 327. 9
Summerforde 345. 46
Sumurtunenſis paga 166. 32. 167. 42
Swala fluvius rapax 227. 50. 230. 13
Sweinus Daciæ Rex 547. 50. crudelis in Anglos moritur 548. 31
Swenus Danus 538. 43. ejus adventus 547. 53. ejus perſecutio 548. 32
Swithinus naſcitur, qui claruit miraculis 253. 27. Egberti Regis tempore 531. 45. Præſul 253. 29. Wintanus Epiſcopus obit 254. 44
Sygedwoldus Epiſcopus natione Græcus petit Cœnobium Elyenſe 464. 18
Synodus Conſtantinopoli 350. Patrum celebratur 104. 42. Niddenſis 85. 13. convocatur 269. 10. congregatur in loco Twiford ſub Rege Egfrido 242. 7. in

Monaſterio Hildæ Abbatiſſæ apud Streniſhalt 237. 20. ſub Theodoro apud Tetford 239. 24. circa obſervationem termini paſchalis 237. 20. 239. 24
Synodi ſententia circa Schiſmaticos 249. 18.

T.

TAdwinus ſuccedit Archiepiſcopo Doroberniæ Brightwoldo 248. 29. ejus obitus 248. 29
Tailefer Normannus tres ſibi occurrentes interficiendo interficitur 286. 30
Tamenſe flumen 102. 41. res duorum Regum diſterminat 264. 26. 163. 3
Tantguio civitas 104. 13
Tarquinius propter violatam ſtupro Lucretiam regnum amiſit 691. l. penult.
Taſſilio Dux venit in Franciam 154. 33
Tatberthus præpoſitus Hrypenſis conſtituitur 87. 37. 88. 7. 89. 23
St. Tawinus Archiepiſcopus Doroberniæ obit 152. 12
Tedford 271. 51
Teibi flumen 111. 33
Templa renovantur 12. 6
Tennancius Dux Cornubiæ ſuccedit Caſſibellano in Regnum 215. 40
St. Ternanus diſcipulus Palladii 626. 15
Terra repetita 476. c. 28
Terrefeld Manerium Eccleſiæ Rameſienſi acquiſitum 443. 37
Thanatos Inſula 221. 47. à Piratis devaſtata 270. 10
Thani de Tyf proſcriptio 688. 46
Thedbald perimitur cum Exercitu ſuo vel Theodbaldus 227. 47. 640. 2
Theobaldus Bleſenſis Comitis nepos 334. 55
Theodericus Rex Francorum 146. 52
Theodforda 162. 44
Theodorus Archiepiſcopus ordinatur 58. 51. 146. 39. 235. 28. 63. 34. monachus à Papa ordinatur 236. 48. mittitur à Papa Vitaliano in Angliam 238. 47. cogit Synodum 241. 46. Archiepiſcopus Cantiam venit 238. 47. Wilfridum injuſte ejicit 241. 3. ejus literæ ad Alfridum Regem Aquilonalium miſſæ 73. 51. 74. 10. Wilfrido Epiſcopo reconciliatur. 73. 21. obit 243. 20. 147. 24
Theodoſius Senior Auguſtus Coadjutor Imperii aſſumitur 616. 48. Imperator 617. c. 51. Idolorum templa evertit & Gentilium Errorem extirpat 617. 29. occidit Maximum 517. 20
Theodoſius Imperator 142. 52
Theodoſius Archadii Filius Imperator 143. 8
Theodoſius ab Imperio deponitur 649. 20. 650. 3
Theodoſius Imperator morbo confectus obit 627. 42
Theodredus Epiſcopus 534. 10. fures ſuſpendi jubet 534. 20
Therdik & Kenrik filius ejus Vectam Inſulam capiunt 635. 23
Theremuch filia Ammenophis Regis Ægypti Moyſem infantem aqua extrahit 571. 19
Thirlitwall 627. 9. 643. 23
Thomewuth Civitas ſubjugata ab Edwardo Rege 261. 42
Thord Oſlaci Comitis filius 482. 10
Thornege locus eſt ubi conſtructum eſt templum Petro & Paulo 228. 26
Thurketeli Abbatis poſſeſſiones 481. cap. 41
Elyenſe ſibi donandum petit 464. 19
Thurſtinus Abbas 247. 37
Thurverthus aufert à Monaſterio Elyenſi 12. Hydas 486. 18
Tibba Abbas 88. 1
Tiberii Succeſſio 599. cap. 22
Tican Abbas Glaſton. Monaſt. 313. 40. 300. 49. ejus Sepulchrum miraculo inſigne 314. 5
Tid pons 490. 38
Tiidlin Præfectus Regis Ecgfridi 71. 1
Tila Inſula 191. 53
Tilleburg villa 234. 37
Timdbertus Epiſcopus deponitur 242
Titus Imperator omnium Virtutum genere mirabilis eſt 688. 2. ejus encomium 603. 25
Tobias Roffenſis Epiſcopus 247. 42
Tofres Villa 479. 31
Toli Comes Provinciam de Huntedune vi detinet 479. 1. occiſus eſt 479. 4
Tomeſtria Urbs ab Edwardo Rege condita 261. 18. 32
Toric flumen 316. 10
Tormachus Monachus commendatur Regi Bruded 664. 42
Toſtius crudelis in fratris ſui miniſtros 283. 21. Lindeſciam devaſtat 284. 43. Vectam Inſulam ſtipendiis & tributis multat 284. 42. interficitur 284. l. ult.
Totta ordinatur 248. 32
Totenhale nomen loci 260. 48
Traherius occiditur ab Octavio 611. 49
Trakillus Comes Danicus in Cantiam venit 272. 12
Tranſlatio Dunſtani 301. 34. Edgari 324. 1. Reliquiarum Andreæ Apoſtoli 614. c. 46
Trecaſinus Epiſcopus 223. 50
Trenta flumen 236. 28
Tres Mundi partes inæqualiter diviſæ 568. 3
Trinovantum Civitas data Cæſari 141. 46. conſtructa 212. 42
Trumhery Epiſcopus 646. 7
Trunwinus ad terram Pictorum apud candidam

didam Caſam inſtituitur 240. 52
Tullius 730. 39
Tumbert Epiſcopus Monach. Glaſtonienſis 325. 28
Turaldus Fiſcannienſis Monachus Abbas Meldunenſis intruſus 372. 16
Turingtone 430. c. 66
Turkecillus Danorum Dux ab Edwardo Rege ſubigitur 261. 14
Turkitelus Abbas Rameſiæ vendit Ædelwoldo Epiſcopo Hydam 477. 23
Turkillus Comes 446. 37
Turnorum Civitas 99. 33
Turris vitrea 100. 18
Turſtanus conſtituitur Abbas Elyenſis 515. 16
Turſtinus primus Abbas ex Normannis in Anglia 330 26
Tweden Amnis 590. 38
Tyle Inſula 592. 47. ibi dies & nox continui ſunt alternatim 591. 36
Tyne fluvius 605. 47. 624. 23

U.

VAga flumen 278. 45
Valens in communionem Regni ſuſcipitur 616. 35. comburitur 616. 45
Valentinianus Imperator Idolis immolare detrectat 616. 25. à Theodoſio ad Regnum reſtituitur 219. 49. regnat 8 annos 104. 51. ab Italia fugatur 219. 47.
Valerianus Imperator à Sapore Perſarum Rege capitur 607. 49
Vandali Pannonias, Gallias & Hiſpanias inſident 661. 31
Varietas ſucceſſionis tam Imperatorum quam Regum 676. c. 28. & 29
Vaticinium de Anglis 682. 4. Anachoritæ pro Anglis 275. 44. contra Anglos 212. 7
Vecta Inſula 225. 4. Romanæ ditioni ſubjugata 142. 13
Vedaſti & Amandi reliquiæ in Cruce Leonis incluſæ 490. 24
Venti Cardinales 567. 26
Veſpaſianus Imperator mitis & lenis fuit 687. 51. Imperator factus triumphat cum filio Tito de Hieroſolymis 603. 22 à Roma miſſus regnum Britanniæ & Vectam Romano ſubigit imperio 216. 32. 142. 11
Vetha 100. 31
Uffa Vidua donat Eccleſiæ Glaſtoniæ 317. 4
Uffingæ vocantur Orientales Angli ab Uffa 224. 33
Victor Papa concilium celebrat 607. 7
Victor Filius maximi Tyranni interficitur ab Argobaſte Comite 105. 6. 618. 17
Victorinus 730. 37
Vigemus & Peridurus viciſſim regnant & moriuntur 215. 3
Vincula cujuſdam Militis captivi ſolvuntur ea hora qua frater ejus Sacerdos pro eo ceu mortuo celebrat 240. 44
Vira Sacerd. 722. 11
Viſio de Sancto Patricio 298. 5
Viſiones quædam fratribus Cœnobii Rameſienſis oſtenſæ 426. 2
Vitalianus Papa mittit Eccleſiis Anglorum Archipræſulem Theodorum 235. 27
Vitellius à Germanis Exercitibus Imperator factus Othonem vincit 603. 12
Vitraria Ars à quo allata in Britanniam 235. 44
Ultanus Heremita 146. 5. peregrinatur 644. 50. ejus parentes 639. 4
Undalenſe Monaſterium 89. c. 64
Undolum 88. 23
Unwona Epiſcopus 530. 8
Vorago attrahens Naves 195. 27
Vortigernus Rex invitat Gentem Saxonum ad ſui tutamen 221. 28. 628. 10. centum Pictos ob occiſum Regem Conſtantem decollari mandat 221. 10. comburitur per ignem de cœlo deſcendentem 223. 17. fulminis ictu percutitur 630. 28. ejus Soboles ex uxore repudiata 222. 35. Conſul Gewiſſorum 221. 3. ad Regnum anhelat 221. 8. dat Hengiſto terram de Lindeſeia 222. 18. uxorem repudiat & copulatur Hengiſti Filiæ 222. 34. regnat 222. 51
Vortimerus loco Patris Rex conſtituitur 222. 39. 629. 10. pacem init cum Scotis 629. 25. Horſum Ducem Saxonum interficit 629. 32. veneno extinguitur 629. 46. morbo perit 224. 10
Vortiperius regnat 225. 20. increpatur 19. 26
Upfordia prædium dono datum Eccleſiæ Rameſienſi ſed poſtea amiſſum 446. 7
Upwere villa 490. 39
Urbes antiquæ 197. 14
Urbes ab Elfleda conditæ & reparatæ 260. 53
Urbium ſubverſio 16. 18
Ure & Baltenesbeorge 313. 32
Uſa fluvius 385. 7. 703. 30
Usketel Dux bellum infert Danis 271. 52
Uſtan flumen 214. 29
Uther pendragon Rex renovat fœdus cum Scotis 633. 45. veneno perit 635. 42. ſepelitur in Corea Gigantum 224. 53. ſuccedit Aurelio Ambroſio 224. 44. Paſcentium & Gillomaurum interficit 224. 48
Uva donat Eccleſiæ Elyenſi 496. 13
Uvi litem movet Monaſterio Elyenſi & condemnatur 476. 3. & ſeqq.
Uvius Abbas Betricherword 506. 13
Vulſius Abbas interficitur 502. 13
Vulſtanus de Dalham à Secretis R. Ædgaro 464. 23. dat prædia Sanctæ Ædeldrydæ

drydæ 466. 14
Uxor Regis quando ſolita ſit neque Regina vocari neque in regia ſede juxta Regem collocari 251. 30. vid. 253. 57
Uxores duabus Reginis ſibi electis arma arripiunt 532. 54.

W.

Wald. 474. 10
Waldchiſti bona confiſcantur 486. 25
Waldunus Abbas Glaſt. 314. 13
Walewich Villa 504. 13
Wallia 187. unde ſic dicta 187. 8. diſtinguitur à Regno Merciorum 250. 32
Walmesford placitum habetur 469. 32
Waltha Monaſter. 286. 46
Walthelmus Epiſcopus auxilium petit 172. 50
Wambford 480. 41
Wandregiſilius Abbas 543. 23
J. Watelege Monachus Glaſtoniæ 303. 28
Watlingeceſtre i. e. Verolamium 555. 41
Watlingſtrete 272. 56
Warinius de Lira Abbas Meldunenſis 372. 25. vid. 375. 36
Wdebrygge 485. 37
Wdecum nomen loci 345. 15. 358. 46
Weda accipit Regnum Auſtralium Merciorum à Rege Olwi 236. 26. Filius Pendæ 4 ſacerdotes ſecum ducit de terra Northymbrorum ad prædicandum Genti ſuæ 235. 30
Wedale villæ nomen 114. 29. latine quid ſignificet 114. 28
Wedmore villæ regiæ nomen 168. 24
Wehca Inſula 372. 54
Wellen Villa 517. 38
Weilias Patricii frater ſocius 297. 20
Wendreda Filia Kenulfi Regis 530. 40. ejus reliquiæ ex loco ſublatæ 501. c. 21
Wenedociæ regionis regnum 98. 15
Wenta civitas 244. 33
Weofſtanus Dux Wiltonienſium victoria potitur 252. 32
Wereburgam filiam Wulferi Regis Merciorum Rex Etheldredus quibuſdam Sanctimonialium Monaſteriis præficit 240. 9. ejus corpus jacit 9 annos incorruptum 244. 53
Werefrithus Wigorniæ Epiſcopus transfert libros Dialogorum Gregorii in Saxonicam Linguam 256. 49
Werelame i. e. Verolamium 555. 41
Weremuth ubi Monaſterium eſt, locus Nativitatis & educationis venerabilis Bedæ 588. 33
Werewell Sylva nunc Harewode 268. 30
Werewelle Cœnobium Sanctimonialium à Regina Elſtreda conſtructum 492. 15
Werremuthia Abbatia 528. 35. 533. 32. vide Weremuth.
Weſtburg.
Weſtbyrienſes fratres tranſmittuntur Rameſiam 399. 2
Weſtmaria Provincia unde ſic dicta 217. 41
Weſtmilne prædium Eccleſiæ Rameſ. ablatum 446. 2
Weſtmorlond unde ſic vocatur 217. 33
Weſtſaxonum Regnum incipit 225. 1
Weſtſexiæ Reges 525. 38
Weſton Villa 387. 22
Wethmos Inſula 309. 55
Wetheringeſete terra 507. 30
Whitred filius Egberti in Regnum Cantuariæ ſuccedit 242. 34
Wibba regnat 229. 29
Wibert Egberti Comes 721. 16
Wibertus Epiſcopus Mon. Glaſton. 325. 25
Wicham villa 474. 15
Wicheforda villa 490. 45. ibi Abbas Elyenſis emit 200 acras 473. 40
Wichelave 490. 51
Wichtgare vide Stuff.
Wictii 246. 50
Widanhaef 240. 2
Wiggemore Urbs ab Edwardo Rege conſtructa 261. 18
Wighardus Archiepiſcopus Cantuarienſis ordinatur 236. 45
Wightredus Rex Cantiæ obit 247. 45
Wiglaff Rex Merciorum obit 254. 11
Wiglanus Avus Sancti Wiſtani 254. 16. Rex 253. 23
Wigmundus filius Wiglaff Regis Merciorum 254. 12
Wigornia Urbs devaſtatur & comburitur 276. 50
Wigthegn Epiſcopus Monach. Glaſtoniæ 325. 26
Wilbertune Villa 474. 9. 475. 5
Wilbrordus Epiſcopus 64. 38. 721. 30
Sanctus Wllfridus 40. 43. 713. 19. 724. 24. ejus Nativitas & in ea omen fauſtum 40. 51. Cuddæ commendatur à Regina Regis Oſwin Eanfleda 41. 26. & ſeqq. Cuddæ miniſtrat 41. 38. in Epiſcopum eligitur 48. 49. in Gallia ordinatur Nordanhymbrorum Epiſcopus 57. 30. 146. 37. naufragium faciens cum ſuis in periculo mortis conſtituitur a Paganis 57. 46. incidit in morbum 83. 17. 86. 44. infantem mortuum reſuſcitat & baptizat 60. 31. & ſeqq. puerum nomine Bodhelm ſemivivum ſaivat. 63. 1. & ſeq. ejus bonitas 62. 7. & ſeqq. ejus encomium 55. 30. ex invidia ſede ſua expellitur 63. 17. 46. 48. 240. 48. 243. 25. 241. 5
Wilfridi Epiſcopi Libellus ſupplex ad Papam 66. 37. 78. 18. Reſponſio Agathonis Papæ & Synodi ad eum 67. 28. & 39. cauſam Romæ defendit recipitque Epiſcopatum à Rege 65, 66, 67, 67. 243.

243. 26. abſolvitur in Synodo Romana per Johan. Papam 81. 26. reſtituitur 58. 54. 74. 46. ad ſedem redit 68. 16. denuo accuſatus ab Epiſcopatu pellitur 243. 23. excommunicatur 77. 27. &c. in carcerem conjicitur 70. 2. vincula ultro decidunt 71. 8. Domus in qua Carcer Wifridi eſt, à Deo illuminatur 69. 47. ad limina Apoſtolorum pervenit 65. 43. cum Sanctis reliquiis collectis Roma 46. 38. revertitur in Patriam 83. 5. redit ad ſedem ſuam Hagaſtaldenſem 242. 39. 244. 34. Meldis ægrotans per viſionem certior fit ſanitatis ſuæ 83. 17. à Rege Ethelredo honorifice ſuſcipitur 84. 6. Benefactor Eccleſiæ Glaſtoniæ 326. 47. Archiepiſcopus Eboracenſis eligitur 238. 23. tenet Legeceſtriam 244. 34. ejus teſtamentum 87. 12. obit 88. 35. 245. 35. 358. 21. ſepelitur in Cœnobio Ripenſi 89. 20

Wilfridus Junior 247. 25. ſuccedit Johanni Eborum Archiepiſcopo 247. 27. obit 249. 53

Wilfridus Wictiorum Epiſcopus 247. 27. obit 249. 54. 245. 35

Wilfritha Sanctimonialis vera non fuit 265. 35

Wilhelmus Dux Normanniæ ad Haſtingum nave egreditur 285. 43. vide *Willielmus*.

St. Willebrordus 241. 7. Genti Friſonum Archipræſul deſtinatur à Sergio Papa 243. 49

Willelmus Rollonis filius Normannorum Dux 540. 3

Willielmus Dapifer 285. 30. ejus prima charta in favorem Eccleſ. Glaſton. 330. 45. tardatur 285. 36. Angliam impetit contra Haraldum 285. 21. transferri jubet ſedem Epiſcopalem ab urbe Dorcit ad Lincolniam 232. 14. Regnum gladio obtinet 515. c. 44

Willielmus Malmesbur. decipitur in lapidis titulo 217. 41

Willielmus Fiſcanenſis Cantor. 331. 55

Wilmus Epiſcopus Monach. Glaſton. 325. 38

Wilnothus naves ſubdole occupat 271. 10. cum Hacun Duci Willielmo mittitur obſes 279. 43

Winburna fluvius 356. 6

Winchecumbe 412. c. 39

Wine filius Oſmundi tradit Abbati Elyenſi 53 acras 477. 16

Wineslowe St. Albani Protomartyris locus 530. 18. Wineſtune 490. 52

Winfridus ſuccedit Ceddæ 239. 40

Winſinus ad Wigorniæ Prioratum promovetur 400. 13

Winteeburn 316. 55

Wintonia ædificata 213. 31

Winwed flumen 236. 14

Wir flumen vel Wirus 235. 45. ibi Benedictus Biſcop. conſtruxit Monaſt. 242. 1

Wiſtanus Martyr Wignundi filius 254. 11. interficitur 254. 14. & ſeq.

Wiſtoche Caſtellum 539. 4

Witeo flumen 346. 17

With Inſula 98. 38

Withburgæ Virginis corpus poſt annos 55 reperitur incorruptum 252. 11

Withebi St. Hildæ locus 533. 37

Withgarus nepos Cerdrici 225. 32

Witichingis baptizatus 154. 23

Witta ordinatur 248. 31

Wittun 164. 22

Wivelingeham Villa data ab Uva Eccleſiæ Elyenſi 496. 16

Wlfamere villa 518. 13

Wlfarius Rex Merciorum amicus fideliſſimus Wilfrido Epiſcopo 59. 11

Wlfelmus Archiepiſcopus Dorobernenſis 388. 33

Wlfgiva comes uxor Ailwini donat Eccleſiæ Rameſienſi 406. 23. 462. 16

Wlfricus Abbas quaſdam Eccleſiæ poſſeſſiones fratri ſuo concedit 513. c. 4. Abbas Elyenſis conſtituitur 511. 38. obit 513. 48

Wlfricus Præpoſitus aufert Monaſterio Elyenſi Horningeſeie 2 Hydas in Eve 482. 5

*W*lfrun uxor Ætnketel donat Eccleſiæ Rameſienſi 409. 35

*W*lfſius Abbas Rameſienſis 432. c. 70. occiditur in prælio 433. 26

*W*lſtanus Archiepiſcopus Eboracenſis ſecto Matris utero in lucem producitur 506. 1

*W*lhelm Archiepiſcopus 316. 49

*W*lnothus vendit Epiſcopo Ædelwoldo Bluntesham 478. 36

*W*lſtanus 482. 27. & ſeqq.

*W*lſtanus Staneie Benefactor Eccleſiæ Elyenſis 475. 34

*W*oden 222. 4

*W*rington 316. 55

*W*ulferus 236. 30. filius Pendæ primus omnium Regum Merciorum Chriſtianus factus eſt 236. 30

*W*ulferus R. M. Ermenildæ copulatur 236. 32. obit 240. 4. apud Licherfeldiam ſepelitur 236. 37. ejus filii 240. 20

*W*ulfridus Epiſcopus 64. 5. Liccitfelda expulſus in manus inimicorum *W*ilfridi Epiſcopi incidit & ab eis omnibus bonis exuitur 64. 16

*W*ulricus Doroberniæ Archiepiſcopus 272. 1

*W*ulricus Optimas fundat Monaſterium ſuper Trentam 271. 40

*W*ulſius Lichefeldienſis Epiſcopus obit 280. 33.

*W*lſtanus ordinatur Wigorniæ Prior. 282. 35

Wulſtani corpus tranſlatum 506. c. 20
Wyne Pontifex 233. 39. expulſus emit à Rege Merciorum Wulfero Sedem London. Urbis 233. 44
Wynſigus vindicat aliquod prædium 403. 40. vid. 404. 16
Wirburgæ Sanctæ Corpus Hamburgenſes ad Ceſtriam transferunt 257. 26
Wythmanus Abbas Cœnobii Rameſienſis eligitur 434. 20. Fratres Rameſienſes apud Æthericum accuſat 433. 36. ſed falſo 435. 19. Abbatiæ adminiſtrationem relinquit 436. 23

Y.

Ymma Regina Eccleſiam adornat 501. c. 21
Yna Rex 298. 32
Yniſwitrin Inſula i. e. Glaſtonia 308. 1.
Ypevinesflet locus quo Saxonum naves appulſæ ſunt 525. 7
Yſermnus ordinatur Diaconus 113. 4
Yſiodori ſcripta de Hybernia 575. A. 18
St. Yvo Epiſc. obit 559. 25. ejus Yvonis corpus apud villam de Slepa 497. c. 13.

ERRATA.

PRæf. Pag. 7. Lin. 10. *dele* confiic. 94. 22. auſus. 114. 32. *fr.* pars. 120. 53. Deſunt. 133. 22. *comm.* Gildas. 144. 9. Paulin. 155. 7. DCCCXXVI. 192. 44. ſerpentes ſu. 193. 17. favis. 194. 14. divini. *mox,* ----entia. 195. 57. ---cante. 293. 17. Eſt inapta, &c. 300. 51. partium. 306. 20. veter. 314. 41. meo. 317. 14. diſſed. 319. 35. ----onem. & 323. 24. 324. 46 ----ecerit ----ſonas. 332. 2. ----ndum. 337. 5. ----cuitis. *infra,* Farit. 348. 9. Galea. vet. 348. 9. ni ſalus Altis. Subv. *infra,* S. Al. 348. 47. ----arium *infra,* gurguſtii. 350. 31. maceriæ ----tecto. 366. 33. *poſt* organa *adde* quæ t. in Ang. &c. 367. 8. ----ecta 368. 37. ----mur. 385. 7. ----minis. 538. 49. *Hubba,* ducum. 542. 31. cum *enim* 544. 42. Dorchaſ. 771. 33. Ivo. 776. 54. Hundr. d. N. 789. 21. 796. 3. ----vatur. 8 *Epitome* eſt.

FINIS.

No. DAM0.R42 V.3
·BOSTON·PUBLIC·LIBRARY·
